OPERVM GALENI TOMVS SEXTVS CLASSEM SEPTIMAM HABET, QVAE ET ARTEM MORBORVM CVRATRICEM, ET EIVSdem in Hippocratis Chirurgica Commentarios continet.



BASILEAE M. D. XLIX.

IN SEXTO TOMO HAEC HABENTVR.

Omnia per Ianum Cornarium Medicum recognita,
& innumeris locis emendata.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

Primo libro Thessali arrogantiam confutat, qua ille cunctos medicos superasse sibi uidebatur, adeo impudēter, ut Hippocratē quoq; calumniaretur, ut qui noxia præcepta tradidisset. Hūc igitur Galenus suis pingit coloribus, docens eū neq; dialecticen, neq; quicquam reliquarū liberaliū disciplinarū tenuisse: & à medicinæ cognitione prorsus abesse. Quippe qui differentias tantū morborū clausum & fluxū, pro morbis & morborū generibus adstruxerit. Veras igitur sanitatis atq; morbi definitiões Galen. artificio logico inquirit, unà cū enarratione præcipuorū nominū, quibus ars medica tanq; fundamēto nititur: utpote actionis, passionis, affectus, symptomatum, caussarū, accidentiū, &c. Cap. 1. Quas ob causas hactenus Therapeuticā methodum scribere distulerit: inter quas præcipua fuit, uerarū disciplinarū contēptus. 2. Inuehitur in Thessalū, quod impudenter Hippocratē reprehenderit cū aliâs, tum quod naturæ hominis curiosum nō esse oporteat. 3. Reprehendit Thessali ruditatē in arte diuidēdi, qui differentias morbi fluxum & clausum morborū species statuerit: cū uulgo notū sit, nō omnē differentiā generi additam, ad speciei constitutionē aliquid cōducere: sed eam tantū, quæ ex generis propria diuisiōe nascatur. 4. Reddit caussas cur plurimi in methodo medicinæ errauerint. & exempla Mathematica. 5. De principio in quo oēs conueniunt statuendo, et quatuor esse præscienda in hac sciētia. 6. Docet methodum resolutoriā, ut deinceps ad inquisitionem distinctionemq; rerum præter naturā se conferat. Aliter præparat se Galenus ad prædicta quatuor inuestiganda, nimirū qua itur ad rerum quæ sunt præter naturā cognitionem: & primum de motu secundum locum & alteratiōe: Quibus cum expēdit etiā partium seu particularū instrumentorumq; illæsas operationes. 7. Veterum definitionē morbi diluit, & suā confirmat rationibus. Aliter q Thessalus non recte cum in actionis uitio posuisset morbum, in partium tamen constitutione sanitatem posuerit: cum cōtraria sub eodē genere collocari debeant. 8. Quomodo distinguere oporteat quatuor res præter naturā. Alit. Anacephalæosis prædictorū. Reprehēsio methodicorū qui quatuor hæc cōfundebant, quæ sunt: 1. affectus & status corporis. 2. Actiones seu functiones quas gignit affectus, naturalis quidē inculpabiles: præter naturā aūt uitiosas. 3. Caussæ, quæ hos affectus creāt. 4. Symptomata dicta, quæ in sanis accidentia uocant. 9. Destruit morbi finitionē à quibusdam ueterum prolatam. Aliter, Notat Olympicum, hominē indoctissimum, qui neq; quid pathos, neq; quid symptoma esset, intelligebat.

Aliter, Argumenta primi libri.

Suorum temporū ad bonas artes capessendas ignauiam improbat. In Thessalum sectæ methodicæ principem acerrime inuehitur, atq; eius omnia fundamenta destruit. Contra ueteres medicos de morbi definitione disceptat.

CL. GALENI METHODI MEDENDI, ID EST, DE MORBIS CVRANDIS, LIBRI QVATVORDECIM

Thoma Linacro Anglo interprete.

LIBER PRIMVS



1 VANQVAM & tu sæpe aliàs charissime Hiero, & alij quidam amici me nunc hortantur, ut sibi medendi methodum cōscribā: & ego sanè, tum uobis in primis gratificari, tum uero posteros pro uiribus iuuare cupio: semper tamen sum cunctatus, ac distuli: idq; multis de causis, quas nunc quoq; satius (opinor) fuerit, prius q̃ opus ipsum aggrediar, exponere; sunt enim ad ea quæ post dicentur, sanè non inutiles. Earum igitur omnium illa præcipua fuit, quòd frustra me scripturū timebam: cum nemo, propè dixerim, hac nostra ætate ueritatis inquisitioni sit deditus: sed pecuniā, & ciuilem potentiā, & inexplebiles uoluptatū delicias omnes eousq; suspiciant, ut si quis sapientiæ quoduis studium sectetur, pro insano hunc habeant. quippe qui primam ipsam & uere sapientiā, quæ diuinarū humanarumq; rerum est scientia, ne esse quidem omnino existimēt. Medicinam uero, Geometriā, Rhetoricen, Arithmeticen, Musicen, ac reliquas id genus artes, esse quidē autument: cæterum finem earum studiose persequendū minime censeant. Me uero ex ijs, qui me unice diligere sunt uisi, nōnulli sæpe increpāt, quòd plus iusto ueritatis studio sim addictus, quasi nec mihi usui, nec ipsis in tota uita sim futurus, nisi & ab hoc tāto ueritatis indagādæ studio desistam, & mane salutādo circumeā, & uesperi apud potentes cœnē. His enim artibus tum amari, tū amicitias cōciliari, tū uero pro artificib. haberi, nequaquā ex priuata ac domi parta industria. Neq; enim esse qui de ea iudicēt, ubi omnes totū diē diuersis studijs transigāt, mane quidē oēs simul salutatiōibus occupati, post aūt distracti: ad forum quidē et lites nō exigua turba, ad saltatiōes aūt & aurigas alia maior. iā uel aleę, uel amoribus, uel balneis, uel ebrietati, uel comessationi, uel demū alicui corporis uoluptati deditus sanè nō exiguus numerus. uesperi uero rursum oēs ad symposia simul collecti, ubi postq; uino se impleuere, nō lyra citharáue, aut aliud musicū instrumentū in orbem circunfert, (quod sicut olim in eiusmodi cōgressu tetigisse, honestū: sic cōtrà, nō tetigisse admodū erat turpe) sed nec sermones ulli habentur, quales in symposiis agitari solere ueteres prodiderunt, nec aliud honestū quicq;: imò inuicē sibi propināt, & de magnitudine poculorū certāt: utpote inter quos optimus censetur, nō qui plurimis instrumētis musicis, aut etiā sermone philosophico uti nouit: sed qui multos, eosq; maximos calices exiccauit, adeo ut mihi mane etiānum ebrij ex his plerìq; uideantur: nonnulli uero etiam euidenter adeo

adeo uinum olere, ꝙ si modo hausissent. Eoq; iure fit, ut cum ægrotare cœperint, medicos aduocẽt, non quidẽ optimos, utpote quos per sanitatẽ noscere nunꝙ studuerunt: sed eos quos maxime familiares habent, quiq; ipsis maxime adulant: qui & frigidã dabunt, si hanc poposcerint: & lauabũt, cum iusserint, & niuẽ uinumq; porrigent: postremo quicquid iubebitur, mancipiorũ ritu facient: contra ꝙ ueteres illi medici ab Aesculapio oriundi, qui tanꝙ duces militibus, & reges subditis, imperare ægris uoluerunt: nequaꝙ uero Getarum, & Tibiorũ, & Phrygum, & Thracum emptitiorũ ritu parere, atq; obsequi. Itaq; is non qui melius artem callet, sed qui adulari aptius nouit, apud istos magis in precio est: huicq; omnia plana peruiaq; sunt: huic ædium fores patẽt: hic breui efficitur diues, plurimumq; potest: huic discipuli multi à cubiculis, ubi iam fuerint exoleti, traduntur. Quod Thessalus ille intelligẽs, nõ solum cætera Romæ diuitibus assentabatur, sed etiã artem sex mẽsibus traditurum se professus, quãplurimos discipulos breui cõparauit. Si enim neq; Geometriæ, neq; Astronomię, neq; Dialectices, neq; Musices, nec ullius deniq; bonarum disciplinarũ indigẽt, qui medici sunt futuri, (quemadmodũ Thessalus iste generosissimus promittebat) nec etiã longã experientiã, & operũ artis usum desiderãt: cui nõ promptum sit artem aggredi ceu facile medico futuro? Atq; hinc adeo fit: ut nunc etiã sutores, & tinctores, & fabri, tum materiarij, tũ ferrarij, proprio magisterio relicto, in medicinæ artis opera insiliant, Quin et rhopopolę ipsi, etiã de primo loco certãt. Atq; ob hæc ipse medendi methodũ scribere sum cunctatus. quam utiq; & uiri ueteres inceperunt, & posteri eorum perficere sunt conati. Atq; olim quidẽ nõ parua lis erat eorum, qui in Co atq; Cnido habitabãt, utri uidelicet inuentorũ multitudine reliquos superarẽt. quippe geminũ hoc genus Asclepiadarũ adhuc in Asia supererat, deficiente nimirũ quod in Rhodo uiguerat. Certabant autẽ cum his honestum illud certamẽ, quod Hesiodus prædicabat, etiã medici qui Italiã incolebant, Philistion, Empedocles, Pausanias, & horum sectatores: erantq; tres hæ certantiũ inter se nobilium medicorum scholæ. Plurimos quidẽ atq; optimos discipulos Coæ fortuna cõtulit: ab hoc Cnidiæ. Nec tamen in paruo habenda precio erat, & quæ in Italia noscebatur. At horum nemo nec mane potentium fores ipsos salutaturus, nec uesperi cœnaturus frequentabat: sed sicut Hesiodus cecinit,

Namq; alium ditẽ cernens, cui deest quod agatur,
Ipse solum uertit tauris, & semina ponit.

Ita & illi inter se perpetuo certabant, non utiq; de aranda serendáue terra, (quippe quæ ut Asclepiadarum genere inferiora, sic Ascræo poetæ erãt non indecora) sed de Apollinis Aesculapijq; arte tum exercenda, tum uero semper augenda, ac pro uiribus perficienda. Nunc uero honestũ illud certamen intercidit, aut certe minimũ eius inter homines adhuc superest. Regnat aũt inhonestũ: nec est qui hoc auertat, aut malo medeat, ut Hesiod.

A Lis ne te inducat mala deuitare laborem,
Dulce malum alterius cui sit.

Hęc eñ lis, ut Hesiodo etiã diuinior poeta cecinit
Armator primum tenuis, mox improba cœlo
Inserit alta caput, terris uestigia figens.

2 Huius litis stimulis agitatus ille Thessalus Hippocratẽ ac reliquos Asclepiadas maledictis incessit, ac totius terrarum orbis theatrũ in suis ipsius libris constituens, inibi iudicatur, uincitq;, & contra omnẽ antiquitatẽ coronatur, ipseq; à se uictor declaratur. Hæc facit tum in eo libro, quẽ de Cõmunitatibus scripsit, tum in Syncriticis: quin in reliquis quoq; omnibus cõtumeliosus esse non desistit, ueluti in epistola quam ad Neronẽ mittit, his ipsis inter initia uerbis usus: Cum nouã sectam B condiderim, & quæ sola uera sit, propterea ꝙ qui ante me medici fuerũt oẽs, nihil utile prodiderũt, uel ad sanitatẽ tuendã, uel morbos propulsandos. Pergẽs aũt in epistola Hippocrates, inquit, noxia præcepta tradidit. Ausus est & Aphorismis eius cum summo dedecore cõtradicere. Et cum ostendat se Hippocratica disciplina, nec à quoq; institutum, nec eius opera sub pręceptore legisse: tamen nõ ueretur etiã, talis cum sit, palmã sibijpsi tribuere. Quo magis aliquæ esse mẽæ partes uidentur (quanꝙ alias parum assueti improbos acerbe taxare) aliquid cõtra hũc ob ueterum cõtumeliã dicere. Quid improbe, quæ bona sunt, calũniari tentas, ut multitudini placeas, cum liceret tibi in ueritatis cõtemplatione excellere, si diligens esses, ac C ueritatis amator? Quid ita ruditatis auditorum patrocinio abuteris ad ueterũ blasphemiã? Nũ pater nę artis socios, impudentissime Thessale, iudices medicorum statues. Istis scilicet iudicibus uinces proculdubio, siue cõtra Hippocratẽ, siue contra Dioclẽ, siue cõtra Praxagorã, siue cõtra reliquos oẽs ueteres dixeris. Quin potius uiros antiquos, Dialecticos, scientes, qui uerum falsumq; discernere sunt periti, qui consequẽs ac repugnãs distinguere, qui demõstrandi methodum à pueris sunt meditati, hos inquã iudices in cõsessum introducito. His sedentibus aude quippiã Hippocratẽ accusare. His pronunciaturis aggredere scelesta illa tua, barbaraq; uoce cõtra Hippocratẽ primum illud disserere, Nõ oportere de hominis natura cu- D riosum esse: deinde, si quis hoc donet: male illum de ea inquisiuisse, ac falsò omnia præcepisse. Ergo quis iudex erit? Num Plato? quãdo huic saltẽ iniurius esse minime es ausus. Ego uero ne discipulos quidẽ eius refugiã, nõ Speusippum, nõ Xenocratem. Aristotelis uero, uel rogẽ, iudicium subeas, & cum eo Theophrasti. Optem utiq; & Zenonẽ, & Chrysippum, & eorum qui hos sectantur, quẽlibet iudicẽ eligas. Horum nemo, uir audacissime, Hippocratis De natura hominis scita damnauit: quæ tu mihi nec legisse unquã uideris, nec si legisti, intellexisse. & si intellexisti, iudicare certe de ijs minime gentiũ potuisti, ut qui sub patre male lanas carpente, in gynæcio sis altus. Nec enim putes nos, uel egregiũ genus tuum, uel clarã doctrinam, latere. Nec te, Hippocrati & reliquis ueteri-

bus in surdo theatro maledicere: sed qui sis, & unde uenias, quo genere ortus, qua educatione usus, qua disciplina imbutus, prius ostende: atq; ita demum dicito, Illud ipsum prius uir audacissime monitus, nō esse cuiuis in ulla bene instituta ciuitate cōcessum, publice dicere: sed si quis uir clarus est, qui genus possit, & educationē, tum uero eruditionem cōcionatore dignā ostendere, huic dicere permittunt leges. Tu cum nihil horum ostendere habeas, audes tamē homo generosissime, Hippocratem accusare: facisq; in nugacibus libellis tuis Græcos sedere iudices: fers aūt ipse sententiā, nec illorum expectas. Et palmā tibiipsi das, modo de omnibus medicis, modo de omnib. in uniuersum Græcis. Hæc enim insignis audacia sapientissimi scilicet Thessali est, oēs se medicos uicisse, sed seipso litigatore, seipso agonotheta, seipso iudice: post hos etiā reliquos Græcos in certamen prouocasse, Rhetoras, Geometras, Grāmaticos, Astronomos, Philosophos: inter quos cōstitutum, ac lanificis elocutione usum, cēsere se omniū primum esse. quippe medicinā reliquas oēs artes præcellere, se uero medicos omnes superasse. quod unum forte fortuna recte collegit. Si enim medicina est omnium artium præstantissima, in ea uero Thessalus primas partes obtinet, utiq; omniū hominum ita sit primus, ac Socratē & Lycurgum præcellat, cæterosq; oēs quos Pythius, uel ut uiros bonos, uel ut sapientes, uel ut musarū ministros, uel ut Iouis famulos, uel deniq; ut alio quolibet munere dijs gratos laudauit. Agedum igitur Thessalo hymnos de cætero omnes cantēt, scribantq; uictoriæ carmina, et publicum orbis theatrum cōstituatur, acceditoq; aliquis, qui canat eum, qui in textrina sit altus, uicisse Demosthenē, Lysiam, & reliquos Rhetoras: superasse Platonē, Socratē, & cæteros Philosophos: palmā eripuisse Lycurgo, Soloni, & alijs legislatoribus: uictorē deniq; totius hominū generis coronatum esse, Rhetorum, Philosophorum, Legislatorum. Nam si Geometras, etiam & Grāmaticos, ac Musicos, nominatim post tantos titulos cōmemorem, cōtumeliosus in hominē uidear. Vbi enim Lycurgus, Solon, Plato, Socrates, & Pythagoras dant manus: num pulchrum etiam sit, Hipparchi, Archimedis, Aristoxeni, Aristarchi, & aliorum quorundā id genus meminisse, hominū (ut Thessalus dicat) nullius precij? Sed quis tam magniloquus poeta nobis existet, qui hæc canet? Quis nūc dabitur Homerus, qui hexametro tono hāc Thessali uictoriam celebrabit? aut quis Lyricus, qui ueluti Pindarus alte in dithyrambis canet: quiq; sicut olim Bacchi, ita nunc Thessali præconium efferet? An horum potius nullum requirimus, sed eorum qui iambos scribunt, Archilochum aliquē, aut Hipponactē, aut ex Tragica scena quempiam, qui sic hominem compellet:

Quiesce dum miserrime in stratis tuis,
Namq; haud uides, quæ te putas nosse probe.

Orestis mihi somnium narras Thessale. Qualēnam id theatrum est, in quo tu uinces Hippocratem? Qui iudices erunt? Qui nam præmia propo-

A nent? Visne primum Platonis suffragiū legamus: fortasse eñ hunc iudicē nō reijcies. Atqui ille hæc ad uerbum ait: Animæ igitur naturā apte putas intelligi posse, nō cognita totius natura? Imò, siquidem Hippocrati ex Asclepiadarum genere fides est habenda, ne corporis quidem naturā absq; hac methodo. recte ais amice: oportet tamen insuper ad Hippocratē, etiā rationē expendere, & an consona sit uidere. Sane quidē. Igitur de natura cōsiderare, quid est q̄d Hippocrates rectaq; ratio dicit? Num ad hunc modum? de cuiusq; rei natura primū illud perpendi oportet, sitne de quo uolumus uel ipsi scientes esse, uel alios facere sciētes posse, simplex, an uarias species habeat. Mox si simplex sit, facultas eius æstimanda est, quam uidelicet ad

B quid agendum obtineat, aut quā ad patiēdum ab alio sit sortitum. Sin plures habeat species, his enumeratis, quod in una feceris, id in unaquaq; exigere oportebit: nempe quid illa facere per suā naturam sit apta, uel quid ab alio pati. Audistin uir bone Platonē simili methodo animæ naturā inueniendā esse censere, qua corporis naturā Hippocrates? An adhuc uis multas hominis dictiones ex multis librorū eius locis deligā, in quibus ille Hippocratē omnium qui ante se fuerunt, maxime admiratur? An potius, cum id alibi fecerim (nempe in eo opere, in quo de Hippocratis, & Platonis placitis disserui) illuc, qui id scire uolet, remittam: ubi, ut arbitror clarissime ostendimus, in plurimis maximisq; rebus horum hominum inter se cōsen

C sum: atq; aliò me conferēs, alium tibi iam aduocē in testē cœtum, nempe Peripateticum, qui & ipse Hippocratis physiologiæ principia confirmat? Quin de hoc q̄q; proditū à me in alijs cōmentarijs est, quorum unus De elemētis secundum Hippocratē inscribitur: post hunc alij tres De tēperamētis: mox alij duo, alter De inæquali intēperie, qui etiā ad tractationē de tēperamentis pertinet: alter De optima corporis cōstitutione: deinde etiā tres De naturalibus facultatibus. hos igitur si quis leget, clare perspiciet, rationū Hippocratis de natura, Aristotelem interpretē esse. Quin etiā de morborū discrimine, quot hi, quiq; sint, ac de symptomatis pari modo: præterea de horum utrorumq; causis, primus omnium quos nouimus, Hippocra

D tes recte principia dedisse uidetur. Post eum uero Aristoteles fusissime ea est interpretatus. Hæc ita esse intelliget, qui cōmentarios nostros, quos de singulis horum scripsimus, legere nō grauabitur. Quare si Peripatetici iudicium exercebunt, Hippocrates (arbitror) uincet: Thessalus ut impudēs, & nequā eijcietur. Sin Stoicis philosophis in consessum admissis iudicium permittetur ex ijs placitis, quæ ipsimet statuūt, Hippocrati palmā dabūt. quippe calidum, frigidum, siccū, & humidum, primus Hippocrates inuexit: post eū Aristoteles demonstratione asseruit. Eadē Chrysippus paratā cū accepisset, minime est obluctatus: sed omnia ex horū mistura cōstare cōfirmat, atq; hęc inter se mutuo agere ac pati, artificēq; naturā esse. omnia deniq; alia Hippocratis dogmata de natura recipit,

nisi quod in re tenui est illi cum Aristotele dissensio. quippe cū rectè Hippocrates affirmet totum corpus esse (ut Græce dicitur) σύμπνουν καὶ σύῤῥουν, quasi conspirabile & cōfluxibile dicas, omnesq; animalis particulas mutuo à se affici: recipiūt quidē hoc utriq;: dissident tamen in eo q Aristoteles qualitates tantum in se mutuo transire, omninoq; misceri, Stoici non has modo, sed etiā substantias ipsas existiment. Quòd autem hoc definire medico superuacuum sit, quodq; ad medicinæ opus ab unde sit, si tantum concedantur ea quæ ab utrisq; sunt demonstrata, item q qualitates uirtutesq; in mistis totæ sint totis permistæ: hæc & ante à me sunt demōstrata, & si res poscet, nunc demonstrabuntur. Quare & Platonis, & Peripateticorum & Stoicorū iudicio, Hippocratis physiologiæ uictoria dabitur. Imò uero ex eius physiologia omnes, qui iam cōprehensi sapientiæ professores sunt ostendunt nemini fas esse morbos cōmode curare, qui corporis uniuersi naturā nō perspexerit. Nunquid igitur si de palma sub horum sapientiæ professorum iudicio certasset Thessalus, uicisset, qui omnis suæ physiologiæ Hippocratem autorem habent? Quid autem si Geometris, Astronomis, Musicis, aut Rhetoribus iudicium concedet: putemúsne hos Hippocrate prætermisso, alij ulli palmam daturos? Ego sanè nec alium quemuis primas esse laturum arbitror, omniumq; minime, impudentissimū Thessalum, ut quo nemo Geometriam, Astronomiā, Musicen, ac Rhetoricen magis dehonestarit. Itaq; hac saltē ratione apud hos in parum amico theatro certauerit. Verū hos fortassis in theatrū minime inducet, utpote quos ipse prior inimicos reddiderit: sed ijs sapientiæ professorum duntaxat, qui in Dialectice sunt periti, ut qui ueræ falsæq; orationis iudicandæ facultatē exercuerint, iudicum partes cōcedet. Atqui, si Platonem, Aristotelem, & Chrysippū, ceu parum in hac facultate exercitatos transibimus: quos nam, quæso, alios inueniemus? Quare si nec aliarum artium professores iudices admittet, nec qui in Dialectice cæteris omnibus sapientiæ professoribus præstiterunt, illi suffragabuntur: qui tandē erunt, qui eum uicisse iudicabunt? Qui illi frequēs theatrum cōstituent? Qui uictorem pronunciabunt? Qui deniq; coronabunt? Ipse uidelicet seipsum. id quod in illis egregijs libris suis fecit, in quibus seipsum iudicauit, coronauit, uictoreq; declarauit.

3 At fortassis illud sibi gloriæ memoriæq; inter homines occasionē fore est arbitratus, si optimis uiris lacessitis, nos sibi respōdere cogeret. Verum ita & Zoilus celeber clarusq; sit, qui Homeri statuam flagellauit, & Salmoneus, qui Iouem est imitatus, reliquaq; flagitiosorum hominum non exigua turba, qui uel meliores non sunt reueriti, uel in deos ipsos fuerunt contumeliosi. Verum hi non bonam de se opinionē reliquerunt, nec æmulatur quisquam, qui compos sit mētis, nec Homeromastiga Zoilum, nec dementem Salmoneum: quāuis maledicis Zoilus in admiratione sit, & Salmoneus sacrilegis. Sed quid hos memoro? Cū &

A qui loculos præcidunt, similia perditorum studia, & proditores proditorum, suspiciant: nec est prorsus quispiā, qui proprium cœtum, in quo palmam mereatur non desideret. Adeo si Thessalus inter coquos, tinctores, lanificos, sutores, textores, ac fullones, de uictoria certans scripsisset, utiq; & retulisset de Hippocrate uictoriam, & nemo nostrū ei repugnasset. Nūc cum omnes homines iudices facit, ex horum aūt numero sunt & Plato, & Aristoteles, & Theophrastus, & Chrysippus, nequaquā omne punctum solus feret, sed alicui fortassis prouocare ad alium iudicē licebit. Quanquam enim Hippocrates certare cum Thessalo, utpote indignō se, nollet: at forte Erasistratus nō negliget multoq; minus Herophilus, atq; his etiam minus B Asclepiades, alijq; multi iuniorum medicorū, qui bus est ad contentionem natura propensior, minime impune abire contumeliā sinent, qua pariter omnes Græcos Thessalus aspergit: sed producto in medium homine, omnes eius libros crassissima ignorantia refertos, Græcis ostendent: qui tot ac tantis libris scriptis, & tot nugacissimorum uersuum millibus effusis, nusquā in ullo operum suorum demonstrationem ullam afferre tentauit: sed tyrāni ritu duos tantum esse in omni uictus ratione morbos iubet, nempe fluxum, & clausum: non intelligens se differentiam quandam morborum dixisse, quam utiq; prisci (ut ostēdemus) probe norunt. Cæterum, nemo tam rudis fuit, ut differentias morborum ipsos esse morbos putaret: ac re- C mediorum indicationem ab ijs sumeret, substātia ipsa prætermissa. Atqui hic Thessali paruus scilicet error, quem uel puer in liberalibus disciplinis altus statim aduertisset, hic inquam paruus error, eò insolentiæ hominē euexit, ut magnum & præclarum aliquid inuenisse se putaret: perinde ac si quis cum omne animal rationale esse, aut irrationale dixerit, non animalium differentias, sed aliud quippiam dixisse se putet: cum scilicet huic illud quoq; similiter sit dictum. Omne animal mortale est, uel immortale. Quippe oppositio, quæ in singulis differētijs notatur, cōiuncta de omnibus speciebus dicitur. omne enim animal, aut māsuetum est, aut ferum. Omne animal, aut pedatum est, aut apes. Omne animal, aut cornutū est, aut cornuum D expers. Nec est inter differentias inuenire oppositionē ullam, quæ sit altera præstantior, aut potior, nec quæ magis omnibus insit particularibus. Verum nō cōuenit cum de animalium numero quæritur, unā differētiarum oppositionē respondere. Hoc enim pacto duo erunt animalia uniuersa, nec ullum magis rationale, uel irrationale, q̄ mortale, uel immortale, aut ferum, uel mansuetum, aut reliquarum oppositionū quælibet. Quòd si quis differentijs omissis (sicut planè ratio exigit) equū, bouem, canē, hominē, aquilā, apim, formicā, leonē, & ouem respōdeat, reliquaq; omnia per species animalia cōnumeret: constat hunc quærenti quot sint in totum animalia, recte respondisse. Quin si multa quidē sermone animalia memoret, testetur aūt enumerare se omnia nō posse: sic quoq; cōmo

dissime respõderit. Similis agitata quæstio de morborum numero, & omnibus antiquis medicis est: alijs septem eos in totum esse affirmantibus, alijs plures his, paucioresúe dicentibus: omnibus tamen ad species quæ in substantia, non quæ in differentia essent, respectum habẽtibus. Nemo enim ita erat indoctus, aut Logicæ speculationis rudis, ut differentiam specierum pro substantia loquendo usurparet: quemadmodum Thessalus iste, qui è gynæcio exiliens, tantis uiris maledicit, ipse nec genus habẽs quod referat, nec educationem, nec eruditionem, qualem illorum quisq; : quorũ alius Aristotelis, alius Platonis, alius Theophrasti, aut deniq; alterius cuiusquam eorum, qui in Logica cõtemplatione fuere exercitati, familiaris fuit. Velut igitur rogatus quispiã, quot sint in uniuersum uocis elementa: si duo esse respõderit, quippe aut uocalem omnino, aut cõsonantem esse quicquid uocis sit elementum, is uerum quidem dixerit: cæterum ad quæstionem non responderit. Ad eundem modum, arbitror, si quis omniũ morborũ numerum comprehẽdere studens, speciem quidem ullam morborum, ueluti phlegmonem, scirrhum, uel œdema, referre nõ curet, solas autem differentias memoret, siue clausum & fluidum, siue rarum & densum, siue durum & molle, siue tensum & laxum, uerum hic quoq; dixerit: minime tamen ad quæstionem responderit. Primum nanq; in eo error est, quòd non omnis differentia generi addita, ad speciei constitutionẽ aliquid conducit: sed quę ex generis propria diuisione nascitur. quippe hæ demum differentiæ sunt, quæ species constituant: reliquæ omnes alienæ. Etenim animalis propriæ differẽtiæ sunt, mortale & immortale, rationale & irrationale, mansuetum & ferum, aliaq; id genus. Molle uero ac durum, graue & leue, rarum & densum, magnum & paruum, animalis differẽtiæ non sunt, sed substantiæ. Itaq; etiam si cum animali, uel molle, uel durum, uel densum, uel rarum, uel magnum, uel paruum, cõponas: ad speciẽ cõstituẽdam nihil sane plus contulerint. sin uel rationale & immortale, uel rationale & mortale animali adieceris: efficitur iam illic deus, hic homo. Ita uero & si rationali animali duas illas differentias peculiares addideris, quæ sunt gressile & bipes, sic quoq; speciem quampiam effeceris: nempe hominẽ. Vnde fieri non potest, ut ullius rei specificas differentias inueniat, qui eam definitione, siue substantiæ ipsius oratione ad unguem non circumscripserit. Alius deinde error incidere solet ijs, quibus parũ exercitata ratio est, quòd cum unam aliquã differentiarũ oppositionẽ inuenerint, speciẽ aliquam propositi generis se putẽt inuenisse: ceu paulo ante de uocis elementis est dictũ. Siquidẽ qui uocalem & consonantẽ dixit, nondum omnia humanę uocis elementa dixit, sed duas tantũ primas & generales differentias. Quòd si uocales rursus in longas, breues, ancipitesq; diducens, tum cõsonantes in semiuocales, & mutas: itemq; tum longas, tum breues uocales bifariã, ancipites uero trifariã: sed & mutas primum in aspiratas, tenues, ac medias: dein rursus tripartito harũ singulas, mox semiuocales propria (ne frustra multis morer) sectione secet: ita quatuor & uiginti elementa uocis, qua Græci utuntur, inueniat: quippe id tantũ dixisse, ꝙ elementorũ uocis quædã uocales sint, quædam consonantes, nondum omniũ elementorum artificem, aut plane scientem auditorem reddidit: sed si quis ubi in longas, breues, & ancipites diduxerit, adijcit duas esse breues, nempe ε & ο, duas præterea longas, η & ω, tres uero ancipites, α, ι, υ: sic sanè artificem auditorem de omnibus uocalibus effecerit. itemq; de cõsonis ad eundem modum. Itidẽ si quis tradere de morborũ numero instituat, quot hi in uniuersum sint, non debet, arbitror, is in prima statim differentia subsistere, sed diuisa ea procedere, donec ad aliquam infimarum specierum, & quæ amplius in aliã distrahi non possit, perueniat. Id uero quàm haud cuiq; sit promptũ, sed ei duntaxat, qui in diuidendi arte magnopere sit exercitatus, intelligere quisq; poterit, primum si omnia legerit, quæ de eo genere methodi in principio Philebi à Platone sunt prodita, dein si Sophistã etiam & Politicũ legerit. Iam uero difficilior adhuc res uidebitur, si quis primum Aristotelis librum De partibus animalium legerit. Conatur enim in eo libro, omnes animalium differentias enumerare. at ubi multas dubitationes mouit, uix tandem suspecte ac timide pronunciare quippiã audet. Et cum Aristoteles & Plato tantam tamq; difficilem rem esse censuerint genera in proprias differentias exacte diuidere, ac post hos Theophrastus et alij philosophi rationem absoluere tẽtauerint, utpote ne apud illos quidem satis adhuc constantem, homo audacissimus Thessalus absolute, citraq; ullam rationem adhibitam pronuncians, credendum sibi censet, duos in totũ esse in uictus ratione morbos, & eos quidem simplices, ac primos, & ueluti elementares. nam tertiũ ab his ratione gignit, ex ambobus compositum. At si ulla methodo hæc, sicut iactas, inuestigasti: cur hanc nobis nõ dixisti? Sed contra plane ꝙ pro grauitate nominis, quod tibi arrogas homo temerarie, atq; à methodo alienissime, rem pronunciasti, qui ne principium quidem ipsum unquam attigeris, à quo cœpisse necesse sit eum, qui recte cuiuslibet rei species, & differẽtias peculiares sit inuenturus. De re enim qualibet, ô puer, unum principium optimum, nosse id oportet, de quo proposita quæstio est: aut prorsus est aberrandum, (Plato quodam loco ait) non ad diuidendũ modo quiduis, ab ipsa quæsitæ rei essentia nobis esse inchoandum censens, sed etiam in omni disquirenda re eiusmodi semper principio utendum. Ergo hic quoq; (arbitror) par erat, ubi quid morbus sit, quid symptoma, & quid passio, diligenter prius dixisses: ac dein qua conueniant, differantq; ipsorum singula, definiuisses: sic demum tentare in proprias ea differentias diducere, secundum eam quam sapientiæ professores tradiderunt methodum: aut si quam potiorem ea, quæ ab ijs prodita est, explorasses, hanc ipsam prius astruere, tũ illud ostendere, ac Græcos docere, hũc

qui in textrina sit altus, superasse Aristotelem, & Platonem in Methodis Logicis, humo afflixisse Theophrastum, & Stoicos in Dialectice, clarissime ostẽdisse, omnes eorum sectatores, ne primos quidem morbos, qui essent, unquam nouisse. dico & Herophilum illum Dialecticum, & cõdiscipulum eius Philotimum, & prẹceptorem eius Praxagoram, qui ab Aesculapio originem traxit, & qui cum his & ante hos fuerunt Erasistratum, Dioclẽ, Mnesitheum, Dieuchen, Philistionem, Plistonicum, ipsum deniq; Hippocratem. Porrò, simplici uerbo dicere omnes, in uictu morbos esse duos, non methodo, non demonstratione, non ratione ulla probabili, non lenimento aliquo, non alia re prorsus adhibita, prẹterquam eiusmodi in ueteres blasphemia, id facere intẽperantis hominis est, nõ docentis. Esto uero taceas qua Logica methodo insistens, hæc inueneris: at certe unde saltẽ de ueritate sermonis iudicasti, adhibitum aliquid oportuit. Nam inueniendi eius quod queritur, Logicæ methodi facultatem præstant. At quę fidem ijs faciant, quæ recte sunt inuenta, duo sunt apud omnes homines instrumenta, nempe ratio, & experientia. Quippe ad eũ qui interrogauerit: Cur huic febricitanti frigidæ bibendę potestatẽ feceris, duplex responsio est. Altera, quæ ortũ naturamq; febris docet, ac de morborum temporibus disserit. tum ad eundẽ modum aquæ frigidæ naturam explanat. ubi hæc proposuit, conatur docere in hoc morbo, atq; hoc tempore, aquam frigidam congruum remedium esse. Altera de nullius horũ natura solicita, ad experientiã cõfugit. nempe quod in tali morbo atq; tempore sæpe frigidam profecisse uidit. Debebat igitur (ut opinor) & Thessalus uel experimentum, uel rationẽ assertioni suæ probationem adhibuisse, non sicuti tyrannus imperare, ac sibi citra demonstrationem credendum exigere. At quam (inquiunt) audire demonstrationem postulas? Ita enim contra nos *interrogant* eius sectatores: neq; id iniuria, ut qui nec eò unq̃ peruenerint, ut notionem demonstrationis tenerent, cum nec Geometriam, nec Arithmeticẽ, nec Dialecticen, nec resolutoriam, nec deniq; Logicam ullam speculationẽ attigerint. Quocirca respondendum his ita est: Nimis serò, quid demonstratio sit, discere postulatis: nec fieri potest, ut breui tempore speculationem, quæ subtilitatem mentis desiderat, assequamini: præsertim qui nec subtiles rationes audire sitis assueti, & peruersi in diuturno errore uersati. Sed istos mittamus, ut qui ne intelligere quidem, quæ ueræ disciplinæ sint, ualeant, nedum ipsas discere, aut recte iudicare.

4 Nos uero unà cum ijs qui exercitati sunt, & demonstrationem intelligunt, & natura sunt sagaces, (neq; enim Thessalios asinos docere profitemur) ad id quod propositum nobis ab initio est, accingamur: ac statim unà cum ipsa medendi methodo tradenda, etiam causas ipsas unde errarint medicorũ plurimi, qui tradere eam sunt conati, exponamus. quippe ad firmiorem ueritatis fidem id quoq; non parum cõducere uidetur. Ac primum

A quidem illud cauebimus, ne simul de ambobus tum methodo quæ ratione nititur, tum experientia quæ ratione non utitur, agamus. Non enim de omni remediorum inuentione nunc loqui statuimus, sed tantũ de ea quæ hæc methodo explorat: ita utiq; ut de Empirice ipsa & à nobis in alio opere est proditũ, & ab ipsis Empiricis medicis, quos uocant, plurimũ elaboratũ. Atq; utinam Rationales omnes medici propositũ ita premerẽt nec experiẽtiam & rationẽ miscerent, atq; in unũ cõfunderent: sed quam utraq; habeat, quantũq; ad propositum artis finẽ cõducat, seorsum tractarẽt, atq; perpenderent. Ergo methodo quippiam inquirere inuenireq;, ex aduerso opponit ei quod est fortuito, temereq; reperire. Est autẽ id cum uia quadam, & ordine, ita ut in disquisitione aliquid pri- B mum sit, aliquid secũdum, & tertiũ, & quartũ, atq; ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demũ ad ipsum quod ab initio est propositũ, sit peruẽtum. Ac Empirici quidẽ rationabiliter fatentur, nec inueniẽdi, nec docẽdi apud ipsos necessariũ ordinẽ. nam nec arte ulla rationeúe experiẽtiam niti, imò unius fortunæ fauorẽ ad ea quæ quærit, inuenienda requirere. Qui uero rationẽ, inuẽtionis suæ autorẽ statuerũt, ac ordinẽ, unamq; uiam, quæ ad finẽ ducat, proposuerunt: ijs fuerat quidẽ necessariũ à primo aliquo auspicatis, de quo inter omnes homines conueniret, sic transire ad reliqua. Cæterum hanc rationẽ nõ sequitur pleraq; medicorum pars. imò principia quoq; ipsa controuersa sumit, C nec illa demonstratione cõfirmat. tum ad reliqua simili modo transit, legislatorum ritu sanciens uerius, quàm demonstrans. Quæ omnia inde adeo his accidunt, quòd nihil prius de demonstratione sunt meditati: sed simul & inquisitis insistũt, & ad eorum fidẽ demonstratione uti audẽt: simile profecto quiddam ijs molientes, qui sphæram, aut cubum, aut conum, aut cylindrum, aliudúe id genus metiri aggrediuntur, cum tamẽ omnis Geometricæ ac Logisticæ rationis sint ignari, imò uero nec cubiti palmiúe, aut pedis mensuram præparatam habeant: ac deinde ijs qui uel demonstrationẽ ab ipsis exigunt, uel tacere censent, irascuntur. Veluti enim in illo ridiculus eritis, qui rectanguli trigoni, cuius alterum (exempli causa) latus circa re- D ctum angulum quinq; sit pedum, alterum duodecim, dicat aream nõ esse triginta pedum, sed quadraginta, nec eius rei demonstrationẽ ullam afferat: ita hic quoq; ridiculus est, qui quicq; affirmat, quod demõstrare nõ possit. Ergo sicuti in demonstratione de triangulo (neq; enim recedendũ nobis ab exẽplo est, qui indoctos istos methodicos à disputatione nostra iam abegimus) ipsum quod propositũ est, ex duabus his propositionibus colligebat: una quæ spatiũ id quod lateribus pedum quinq; & pedum duodecim cõtinetur, sexaginta pedum effici dicit: altera quæ triangulũ dimidiũ eius esse spacij proponit, atq; ostendit. harũ utraq; rursus ut demonstrationis fidem reciperet, alijs propositionibus egebat. mox illæ alijs, quoad peruentum ad primas esset. hæ uero nec ex alijs, nec

A per demonstrationem, sed ex se fidem faciunt: sic arbitror & in ijs omnib. quæ in medicina demonstrantur, ad primas & indemonstrabiles propositiones, & quæ ex se fidem faciant, omnia esse perducenda. Ac si omnes de medendi methodo sic dicere aliquid instituissent, prius sicuti inter Arithmeticos, Geometras, & Logisticos: ita inter ipsos quoq; conuenisset: quippe apud quos discere ab ipso statim initio licet, quid quoq; nomine, quo usuri sunt, significet: quas præterea propositiones indemonstrabiles (quæ axiomata uocant) ad disceptationem sint sumpturi: ueluti lineam esse longitudinē citra latitudinem: superficiem, quæ longitudinem latitudinemq; tantum habeat: & triangulum esse hoc, quadrangulũ illud: ac reliqua ad B eundem modum. Ab ijs ubi axiomata eiusmodi usurpāda sibi esse prædixerint, ꝙ scilicet quæ eidē sunt æqualia, inter se etiam esse æqualia: & si æqualibus equalia sint adiecta, tota fore equalia: postea demonstrare theoremata iam tentant, nihil extra ea quæ à principio præsumpserūt, adijcientes. Plerisq; tamen medicorũ, sicut ipse scis Hiero charissime, interrogati undenam principium inuentionis suæ sumpserint, tantum abest, ut indemonstrabilia principia, & quæ omnibus hominibus in confesso sint, proferant, ut nec quò sibijpsis consona respōdeant, inueniant: sed sursum ac deorsum Euripi more agantur, contraria quisq; in progressu sermonis ijs quæ ab initio statuerunt, afferentes. Siquidē sapientissimus iste Thessalus, cum appa- C rentes esse cõmunitates dixisset, paulopost nō solum nō alium quenq; priorũ medicorũ uidisse eas asseuerat, sed nec ipsum qui primus eas peperit Themisonem. Huius nanq; unius esse monstrosas illas cõmunitates fatetur, ceu patris legitimos filios. Post hos uero qui secuti sunt omnes, & inter se, & ab ipso Thessalo dissentiunt, nec easdem cõmunitates tradentes, nec omnino inter se uel in uno concordantes. Id quod sępenumero tibi, ipsis etiam Methodicis præsentibus, ostendi: fortasseq; aliquando maius ociũ nactus, de inconstantia eorum scribam. Ac nunc tantum saltem ad rem propositā sumi expedit, oportuisse eos præsertim sectæ autores exposuisse prius de qua re singula nomina dici uellent. sicut Empirici faciunt, qui appa- D rere ea dicunt, quæ sub sensum cadunt. nosci uero, quæ memoria tenentur. apparere simul & nosci, quæ & ante aliquando sub sensum uenerunt, & nunc simili modo ueniunt. Num igit. ita ipsi quoque apparere cõmunitates dicunt, ceu sensu cognitas? An & quæ ratione comprehendimus, apparentia nominant? Empirici nanq; non admodum concedunt quicq; ex ijs, quę sola ratione nosci uidentur, apparens dici. Rursus ueteres philosophi duplex esse genus apparentium decernūt. Vnum quod ipsi Empirici comprobant, nempe eorum quæ sensu aliquo noscuntur, ueluti albi, nigri, duri, mollis, calidi, frigidi & similium. Alterum indemonstrabile, eorum nimirū quæ intelligentiæ primo occursu patent. ueluti quæ eidem sunt æqualia, ea etiam inter se esse æqualia. & si æqualibus æqualia addantur, tota etiam æqualia fieri. & si ab æqualibus æqualia demas, quæ restant etiā æqualia fore. Huius esse generis aiunt, & quòd nihil citra causam fiat, & ꝙ omnia ex ente quopiam, & ꝙ ex eo quod omnino non sit, nihil fiat. simili modo nihil corrumpi in id quod omnino nō sit. itē quod affirmare, uel negare de quoq; sit necesse: aliaq; id genus nō pauca, de quibus in Logicis tractatibus agitur, & ipse in cõmentarijs de demonstratione, quàm potui, dixi clarissime. De his inter eiusmodi principia, cuiusmodi Logica nuncupamus, quidā Philosophorum contendunt, atq; ambigunt. hi tamen hactenus saltē sunt modesti, ꝙ omni demonstrationi fidem suam abrogant, intelligentes (arbitror) tametsi id non dicant, illud saltē se certo scire, nihil omnino demonstrari posse, si logicis principijs fides non sit adhibita. At qui eousq; rudes amentesq; sunt, ut ne id quidē intelligere queant, hi demonstrare quidem conantur, cæterum quæ, qualiaúe [aut quot] demonstrationis principia sint, nec noscere, nec quærere uolunt, nec aliū docentem audire sustinēt: sed absolute pronunciant, & uerba loquuntur, quæ nec quid significent, ipsi clare explicare ualeant. Merito igitur eorum ęmulis centum uoluminum opera scribuntur, partim inuestigantibus de quo quodq; dici nomē Thessalus uoluerit, partim nihil tale inuenientibus, cui omnia ab eo particulatim dicta consentiant. Nam quę demum apparentes illæ cõmunitates sint, aut quomodo apparentes, dicere nō possunt, ne si iterum atq; iterū totidem libros scripserint. quippe quod apparet, aut sub sensum omnino cadat oportet, aut sub intelligentiā, uno semel occursu utriq; sine ulla demonstrationis ope. quod uero intellectui se uno occursu non exhibet, protinus id controuersum est, ac demonstratione eget, nec artem ullam à tali principio incepisse conuenit. Hęc si in Logicis methodis exercuissent, & ipsi ea intelligerent, & tempus nostrum frustra non contererent. Nunc quoniā inexercitati rudesq;, per amentiam audent demōstratione uti prius, quàm quid ea sit didicerint, necesse est cū similibus sui, omnes aberrent, prorsusq; nugentur: ac eos qui recte demonstrant, minime intelligant, sed tēpus inaniter consumant. Ergo cum his nequaq; ut cū rationalibus animalibus uel disputandū amplius est, uel ijsdem impense contradicendum, prius quàm didicisse, quænam res demonstratio sit, uelint: & quatenus exercitatum esse oporteat, qui ea probe sit usurus.

5 Tecū uero omnē deinceps sermonē conferā, ipsis usus methodis, quas in cõmentarijs De demonstratione tradidi. Quippe non solū principia omnis demōstrationis esse ea quę tum sensui, tum intelligentiæ manifeste se exhibent, sed etiam in omni re quęrenda nomen ipsum adsumi in disputationē oportere, in illis docuimus. Nūc neutrum præcipere statui, nec quemadmodū inuenire, nec quemadmodū demonstrare conueniat: sed ijs qui iam didicerunt, & exercitati sunt, simul aliquē laboris opportunū fructum reddere, inuenta nimirum non tenui re, quam nunc instituimus: simul si

qui

qui sunt, quibus artium maxima cordi est, quæ circa animum hominis uersatur, ipsos quoque in minoribus prius exercitare conuenit. Quippe id tenaciter seruare in omni methodo oportet, ut in ea te multis sæpe leuioribus problematis prius exerceas, quàm maioribus manũ admoueas. Hoc igitur nobis ueræ disciplinæ principium esto. quod utique statim inter initia facturi fueramus, tum artem ipsi inquirentes, tum alijs præeuntes, qui adhuc peruersi non essent. Quoniam omnis morbi curationem inuenire propositum est, necesse est morborum numerum prius sciri. At quoniam fieri nequit, ut aut differentias generis ullius, aut species inuenias, ipso quod diuiditur non planè explorato, oportet profecto nunc etiam quid morbus sit, narremus, quò sic diuisionẽ eius rite adeamus. Qua igitur ratione id methodo inueniamus? Quanam alia nisi ea quam in libris De demonstratione præcepimus? Nempe ut de notione ipsa prius conueniat, cum sine hac, propositæ rei substantiã inuenire non liceat. Ipsam uero notionem, quæ omnibus in confesso sit, sumendam diximus, ut quæ aliàs principium iure non dicatur. Quæ igitur est de ægrotando omnibus hominibus confessa notio? Et de qua maxime subiecta re uerbũ hoc ægrotare enunciant? Nunquid ubi citra offensam omnium corporis partium actiones obeunt, & ualere se tunc dicunt, & minime medicis egere putant: ubi uero naturalium corporis actionum senserint quampiam uel male geri, uel prorsus nõ geri, & ægrotare se illa parte corporis existimant, cuius actionem læsam uident, & medicum de remedio consulunt? Ego sanè omnes homines ita uideo tum morbi, tum sanitatis, nomen usurpare. Quinetiam eam, quam dixi, notionem, omnes obseruant, non in his modo nominibus, sed etiam nihilominus in omnibus, quæ cum his coniugata sunt, tum nominibus, tum uerbis. Quippe cum & ualere illum existiment, cui nullius partis actio sit uitiata: & ægrotare, cui sit uitiata: & ualentẽ eum nominent, cuius omnes corporis partes actiones suas secundum naturã edant: & ægrotantem, cui male affecta pars aliqua sit. Nec quisquã omnino Græcorum aut alijs nominibus utitur, aut de alia re enunciat iam dictorum nominum quoduis. id quod diffuse in medicinalium nominum interpretatione ostendimus. Atque hoc saltem mihi per omnem disceptationem memoria teneri maxime uelim, nominũ quidem interpretationem ex Græcorum me consuetudine facturum: (sicuti in commentarijs De demonstratione dixi) ipsius autem rerum essentiæ tum inuentionem, tum inquisitionem, tum demonstrationem, non ex ijs quæ multitudini uidentur: imò ex sumptionibus scientificis, quæ λήμματα Græce uocant, de quorum inueniendi ratione in illis est proditum. Ergo accepto eo quod omnes cõfitentur principio, nempe illud in medendi methodo propositum esse, ut ægrota corpora in sanitatem uindices: id uero est, ut naturales partiũ actiones, si quæ uitiatæ sint, corrigas: Iam quod deinceps est, inquiramus, quot numero in totum res sint, quę loco inter se sibi sunt propinquæ: necubi aliqua procedente sermone, uel pro morbis accipiamus, cum sint his similia: uel ut sanitatem, cum ad huius naturã propè accedant. Proponamus autem claritatis causa particulas aliquas, in quibus confirmetur quod dicimus, ac primum quidem ante cæteras oculum. De hoc igitur omnibus hominibus nõ medicis modo, sed etiam alijs quibuslibet cõuenit, eius opus esse, ut uideat. Seu uero opus, seu actionem inter loquendum dicam, in præsentia saltem non refert. Ad eundem modum, nec si quis aspicere, oculorum esse opus dixerit, nec si quis aspectum, aut uisum, aut uisionem, aut quomodocunque aliter nominet, quicquã refert. quando etiam si quis solœcismum committens nominet, ad rei ipsius scientiam nihil id afferat incommodi, modo de qua re nomen pronunciet, clare explicet. In hoc enim præcipua doctrinę uis est. Nominetur igitur oculus pars corporis. neque hic referat partem ne, an particulam quis dixerit. Quicquid enim totũ complet, atque integrat: id totius uidelicet corporis quod cõplet, particula, siue pars nominatur. Est enim pars ex ijs, quæ ad aliquid dicuntur, quippe pars totius, integrique pars dicitur: æque profecto, ut totum et integrum per relationẽ ad partes & particulas proprias nominatur. Estque sicuti dextrum ad sinistrum, & sinistrum ad dextrum: ita & totum ad partem, & pars se habens ad totum. Ergo si quis hac seruata notione, malit partẽ dicere quàm particulam, aut si quis cõtra particulam potius quàm partem: is mihi ad rerum inuentionẽ impedimento non sit, cæterum imperitum se linguæ Latinæ prodit. Quemadmodum certe si quis integrũ à toto secernat, is quoque linguæ Latinæ est ignarus. Dictum uero alibi (ut scis) diffuse De nominum usu est. Ac nunc quantum satis ad rem sit propositã adijciam, illud duntaxat indicans, non oportere nominibus seduci. nec qui in ijs dissentiunt, hos statim in rebus quoque ipsis dissentire putare. In quo genere omnes (ut uno uerbo dicam) non medicos modo nostrę tempestatis, sed etiam philosophorũ plerosque parum exercitatos uides: ut quorum paucissimi nominum diuersitatem à rerũ diuersitate distinguere norint. Verum huius quoque rei methodũ in Logicis speculationibus tradidimus. cuius opportunitas si quando aliàs, utique nunc quoque ad usum uenit. Quænam igitur fuit ea methodus? Nempe ut à rerum incipias differentia, non autẽ nominum. Tũ ostendas quatuor, exempli gratia, esse res quæ in uicino sunt positæ. post deinde, ut demõstratione confirmes neque plura esse, neque pauciora quę in proposita disceptatione continean̄t. Postremo ut accõmodato rerũ cuique suo nomine sic reliquum sermonẽ absoluas, nec mutans dehinc, nec transferens nomen ullum: sed cui rei ipse ab initio imposueris, de eadem perpetuo usurpãs. Quippe ita & dilucida doctrina efficitur, atque à cauillationibus, quas homonymia parit, libera. & quod frustra est additum, facile deprehenditur. & quod deficit, cito inuenitur. & quæ consonant dissonantque, maxi-

me in eiuſmodi explicatiõibus, exacte diſcernuntur. Ergo illud repetamus denuo. A

6 Viſus, oculorũ actio eſt; locutio, linguæ: inceſſus, crurũ. Ipſa rurſus actio, motus eſt actiuus. Iam horũ ipſorũ motus, prioris habitus eſt immutatio. Actiuus, qui à ſe editur. Paſsiuus qui ab alio quopiam extrinſecus poſito excitatur. ueluti uolatio, actio eſt animalis uolatilis: & inceſſus, animalis greſsilis. quod autẽ ab alio ſic agitur, ut locum mutet: id utiq; nõ agit, ſed patitur. Egit nanq;, qui ex Piræo Sunium cõmeauit. quippe motus actiue eſt, id eſt ex ſe ipſo, & propria natura. contra, paſſus eſt, qui ex Piræo Suniũ nauigauit: utpote qui naui uectus eſt. At quoniam motum prioris eſſe habitus mutationem diximus, ea uero immutatio dupliciter fit, nẽpe aut in qualitate, aut loco: utiq; B mutatio, quæ in loco agitur, latio dicitur: quæ in qualitate alteratio. ita uidelicet ut ſit latio, immutatio, uel demutatio, uel mutatio prioris loci: (de induſtria enim multis ſum uſus nominibus, maxime ſcilicet inſinuare ſtudens, ꝙ licet unius rei multas definitiones efficere, quæ uocibus tantũ, non etiam notionibus differant) alteratio uero, uel mutatio in qualitate, uel demutatio eius quæ prius fuit qualitatis, uel immutatio in qualitate, uel trãſmutatio qualitatis, uel quomodocunq; aliter auditori quod dicitur, clarum fore ſperaueris. quippe huc tibi uarietas interpretationis ſit utilis. Ergo uiſio (nam redeundum ad oculum eſt) actio partis eſt: oculus uero ipſe animalis eſt particula. nã particulam, an partem dicas (ut prædiximus) nihil refert. C Inſtrumẽtum uero appello animalis partem, quæ perfectam edere actionem poſsit: ueluti oculus uiſionem, & lingua loquelam, & crura itionẽ. Ad eundem modũ & arteria, & uena, & neruus, tum inſtrumenta, tum partes animalis ſunt. Pro hoc nanq; nominum uſu non à nobis modo, ſed etiam ueteribus definito, oculus quidem & pars animalis, & particula, & inſtrumentum uocabitur: cornea uero tunica, particula quidem & pars, non autem inſtrumentum. Simili modo & quæ ῥαγοειδὴς, & quæ ἀραχνοειδὴς, & quæ ἀμφιβληστροειδὴς græce dicitur, quippe quarũ ſingulæ primum quidem ac maxime oculi particulæ ſunt. & quia is etiam faciei pars eſt, itidem & illæ faciei ſunt partes, ſed ſecunda quadam ratione. ita uero & to- D tius corporis partes ſunt, propterea quòd facies ipſa totius corporis eſt particula. Homœomeres uero, id eſt, ſimilaris pars eſt, ſicut ipſum clare indicat nomen, quæ undiq; in ſimiles diuiditur particulas: ueluti in oculo uitreus humor, & cryſtallinus, & tunicarum propria cuiuſq; ſubſtantia. Porrò hæc latius indicata ſunt in Diſſectionum commentarijs. Hic uero ea tantum dixiſſe ſat eſt, quorum ad id quod inſtat, meminiſſe eſt opus. Eſt autem opus oſtendere in ſingulis particulis plura ineſſe, quæ inter ſe diſsideant: nec tamen à medicis ſint percepta. hoc autem utile eſſe prædiximus ad nomina à nobis recte utenda, utiq; cuius cauſa nunc ita tractandum ſuſcepimus. Indicabitur autem & ad ipſam nobis propoſitam methodum maxime neceſſarium. Eſt enim inſtrumentum oculus, actio uero uiſio: una ex particulis eius ſimilaris, ac primum uiſionis inſtrumentum, cryſtallinus humor: ſicuti in libris, ubi de ijs egimus, monſtratum eſt. id nanq; eſt quod alterari debet ab aliquo extrinſecus occurrentium colorum, ut animal uideat. alterari uero non potuit, niſi purũ omnino perſpicuumq; eſſet. At purum ita perlucidumq; eſſe non poſſet, ſine eo quod nũc obtinet, temperamento. Quippe oſtenſum eſt unã quanque rerum talem eſſe qualis eſt, propter calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperamentum. Ideoq;, ſi quid horum magnopere immutatum ſit, aut planè nõ uidebit, aut male uidebit animal. Verũ hoc nobis parum adhuc conſtat, modo artem quærere orſis. nec oportet aliquid ex ijs, quæ poſt ſunt inquirẽda, uelut ſcitum præſumere. nec ipſe huius gratia, eorum quæ de cryſtallino alibi demonſtraui, mentionem feci, ſed claritatis cauſa eorum quę nunc ſunt dicenda. Videntes enim oculum probe munus ſuum obire, ac rurſus nequaquam uidere, atq; illud ſanitatem eius, hoc morbũ, uel uitium, uel quicquid libet uocantes (nihil ẽm ad rem propoſitam refert) quærimus deinceps, quæ demum ſit eius noxæ cauſa.

7 Vnde, inquies, ad hoc moti? Certe ex indemonſtrabili axiomate, de quo tamen inter omnes conuenit, propterea ꝙ intelligentiæ euidens eſt. Quod ergo eſt id axioma? Nihil abſq; cauſa fieri: quippe hoc nõ cõceſſo, nõ datur aut lęſæ uiſionis, aut prorſus amiſſæ cauſam requirere. Sed quoniã id ex ijs eſt, quæ intelligentiæ ſunt manifeſta: præſumentes iam aliquam ſubeſſe læſionis cauſam, ad eius inquiſitionem uenimus. Ergo hãc cauſam ſeu affectum aliquem corporis, ſeu corpus certo modo affectum appellare uelis, nihil ſanè ad rem propoſitam intereſt. Illud omnino fateberis, aut morbũ ipſum hanc eſſe: aut ſiquidem morbus eſt ipſa actionis læſio, affectum qui huic officit, morbi cauſam eſſe. Exiſtitq; hoc loco rurſus de nomine controuerſia, ipſum'ne oculorum affectum, à quo uiſus læditur, morbum uocemus: an ipſum actionis uitium. Verum ſiue quis actionem uitiatam morbum dici uelit, utiq; multo prius ſtatuat neceſſe eſt ſanitatem eſſe naturaliter ſe habentem actionem: ſiue affectum, qui actioni incõmodat, multò quoq; ante qui ſecundum naturam eſt, ſiue hunc affectum, ſiue conſtitutionem dici uelit, ſanitatis uocabulo appellet. Quippe cõmittere, ut cũ in actionibus poſueris ſanitatem, in affectibus exiſtimes ſtatuendum morbum: aut contra, cum in partium conſtitutione ſanitatem, in actionis uitio morbũ: tum reliquis Methodicis, tum uero principe huius inſaniæ Theſſalo digna ſententia eſt. Etenim omes fere qui ſunt indocti huius inſaniq; dogmatis ſectatores, ſanitatẽ eſſe naturaliũ actionum firmitatẽ ac robur aiunt: morbum uero nequaq; actionis læſionẽ & infirmitatẽ, ſed alij corporis quendam affectum, alij corpus certo modo affectum. Qua quænam, obſecro, maior demẽtia ſit? Hoc enim uel quiuis deprehendat, non oportere

tere in altero sanitatem, in altero morbum, sed in eodem omnino genere ambo cōstitui. Siquidem contraria sunt, quæ in eodē genere plurimū inter se dissident: ueluti candidū, & nigrū. etenim unū est horum genus, color. Ideoq; si contraria inter se sunt, sanitas, & morbus: in quocunq; genere eorū, quæ naturaliter se habent, statuetur sanitas: in eodem, cum præter naturam se habet, ponetur morbus. Quare si sanitas actio est, quæ secundum naturam se habeat: omnino morbus præter naturam actio fuerit. Sin autem affectio quæpiam, aut constitutio naturaliter se habēs, sanitas est: & morbus affectio, cōstitutioue præter naturā necessario fuerit. Ac Thessalus quidem finire morbū ne aggressus quidem unq; est, quin potius hariolandum nobis reliquit, de qua re uocabulū id enūciet. Quòd enim nihil interesse censeat inter morbum & pathos, iam tibi in ipsius hominis cōmentarijs ostendimus, in quibus translatitie ambo ponit, transfertq; utrunq; in alterius locum, ceu nihil intersit, hoc, an illo modo loquaris. Eius uero sectatores uniuersi sursum deorsumq; aguntur, ratiocinātes ac se tegentes, omniaq; facientes, ut uel obscure loquantur, uel omnino nihil, ut Thessalus ipse, atq; ante hunc Themiso, qui fundamētum illis huius insaniæ iecit. Quòd si tibi ea quæ Proclus, & Rheginus, & Antipater, ad hæc quæ Eudemus, Mnasæus, Philo, & Dionysius in hoc genere prodiderunt, dicere uelim: utiq; à proposita tractatione, quæ & scientifica est, & ipsum quod utile sit docere conatur, imprudēs excidā. Verū de horū dissidentia licebit aliquando, fortasse etiā in sequentibus, mentionem facere: unaq; cum his Menemachi, qui omnes eorū res astutius turbauit, atq; confudit: & nugacis Olympici, cumq; hoc etiā Apollonidę, & Sorani, & qui adhuc uiuit Iuliani. quem utiq; & nos conuenimus, ut uiua uidelicet hominis uoce meras nugas condiscerē. sed nec is explicare potuit quid morbus, pathosúe esset. Cuius rei uel maximū signū est q cum uiginti plus anni iam sint, ex quo illū Alexādriæ cōuenimus: scripseritq; iterū atq; iterū institutiones: (nam has assidue transponit, transformatq;, nunq; ijs, quas scripsit, cōtentus) nusq; tamen earum est ausus quid morbus sit prodere, tametsi certe adeo ea quæ nihil ad rem pertinent, in ijs agitet, ut etiam illud inquirat, Sit'ne pictura medicis ex usu. & tamē tam multa taliaq; cum scribat, nec dissimulare queat, (sicut nec Menemachus) quin Methodicæ sectæ absurditatē clare norit, ne in hodiernum quidem diem in institutionibus suis usq; scripsit quid morbum pathosúe nominet. Mihi certe ipsum interroganti, adeo multa obscuraq; respondit, ut nihil eorum quę dixit, planè intelligerem, cogererq; illud tantum homini dicere, quòd mihi descíscere ab Olympico uideretur, quanq; is auus doctrinæ ipsius fuerat. Nam Iulianus hic Apollonidæ Cyprij, ille Olympici discipulus fuerat. Ergo Olympicus (ut dixi) sanitatem morbumq; finire ausus, illam esse affectum dixit, qui absentia sit morbi. Rursus morbum mutationē à naturali in id quod præter naturam sit, stabilem. Quorum sanè utrisq; permulta insunt à ratione aliena, quę & tunc Iuliano exposui, & nunc summatim dicā. Quod enim (inquam) confusionem facit id est, q Olympicus non illud tantum absolute dicit, sanitatē affectum esse positum extra morbum: sed etiam illud definitioni adijcit, quem affectū definimus naturalium actionum constantiam, & firmitudinem. haud enim conijcere ualeo, in sola'ne actionum cōstantia, an in corporis affectu, an in ambobus sanitatem statuat. sed forte, ut utiq; cum reliquis Methodicis assolet, confuse alieneq; abuti Græcorum uocibus, ita nunc quoq; affectum non ad corpus, sed ad actiones refert: ut nimirū ad hunc modum definitionem intelligas. Sanitas affectio est actionis in absentia morbi. Porrò iustum (arbitror) fuerat, alterum duorum definitioni adiecisse, aut actionum, aut corporis: ut uidelicet aut ita se haberet finitio, Sanitas est affectus actionum morbi. aut certe talis, Sanitas est affectio corporis in absentia morbi. Quinetiam si ambo iungere uoluisset, ita quoq; licuisset, ut dilucide, sic breuiter dicere, Sanitas est affectio tum actionū, tum corporis in absentia morbi. Quid autē cum subijcit: Quem affectum definimus constantiam, ac robur actionum naturā suam tuentium: utrum'ne pars hæc putanda est eius quod prædictum est, iungendaq; tota definitio est ad hunc modum: Sanitas est affectus corporis in absentia morbi, & constantia actionum, quę secundum naturam se habent, ac robur. an ista ipsa per seipsam perfecta definitio est, ac quid sanitas sit docens, prout sanè nonnullis Methodicorum placuit, qui sanitatem esse dixerunt constantiam secundum naturam se habentium actionum: Verū si hæc absoluta est, haud scio quid doceat ea quæ ante dicta est, quæ affectum esse sanitatem præcipit. Quippe illud quod dixit in absentia morbi, eiusdem planè est, quod uel puer rideat: cum si ita definire permittetur, manifestum sit & morbum fore affectum corporis in absentia sanitatis. ita uidelicet, ut utraq; definitio, non quid sit id quod quæritur, sed quid non sit, doceat. Sed mittamus (inquam) si placet & hæc, cum sint ad rem non admodum necessaria. Illud certe præterire dissimulareq; non licet, quòd in sanitatis explicatione omnia actionibus tribuātur, uel solis, uel etiā confundendo inuoluendoq;, ac obscure quodammodo miscendo ipsum affectionis uocabulum, quemadmodum fecit Olympicus: in ipsius uero morbi definitione, nulla sit actionum mentio. nam illud dicere satis habuit, morbum esse mutationem corporis à naturali statu ad eum, qui prę ter naturam sit, constantem & stabilem. At debuerat, inquam, aut in actionibus, aut in affectibus utrunq; constituere. Quid uero mihi responderit, & sæpe tibi iam mi Hiero narraui, & nunc repetere non erit alienum. Nihil (inquit) miri est in actionum quidem constantia cum robore sanitatem poni: in affectu autem corporis præter naturam, morbū. Neq; enim contraria sunt, ut tu reris, inquit. Est enim eorū aliquid medium, quod nec

sanitas sit, nec morbus. Quo ego sermone audito abij stupefactus simul ac dolens. fatendũ enim est quod accidit. Antea enim neminẽ unquã eorum, qui in ea opinione prorsus sunt stupidi, conueneram. tum autẽ primum conueniens merito obstupui: non quòd is solus adeo sine sensu esset, sed ꝙ multo se etiam agrestiores tot haberet discipulos, qui cum statim in initio doctrinę suę Methodicos ita errare uiderent, tamen à secta non desciscerent: aut si omnino non uiderent, prorsus essent attoniti. Nam quid, quæso, ad rem, morbum sanitati non esse contrarium, propterea ꝙ aliquid eorũ sit medium? Patet enim hac scilicet ratione non fore album nigro cõtrarium, propterea ꝙ eorũ sint media, flauum, & fuscum, & rubrũ & pallidum, & reliquorũ colorũ singuli. nec calidum frigido, quippe horum quoq; sunt media, tepidum, & tempera tum. Ac sapiẽtes istos methodicos, cum nec leui, nec spernendo lapsu sic sint inter initia statim lapsi: speremusne ueritatẽ ullam eorum quæ sequantur, posse intelligere? minime, ꝑfecto. quippe quę in arte medica spectant, omnia ex his pendere docebimus, idq; merito. siquidem in ijs artibus, quæ methodo aliqua traduntur, earum constituendarum principium, est finis ipsius notio. Ac in huius quidem notitia, alijs quoq; permultis est uariè erratũ: alijs medicinæ finẽ esse affirmantibus, ut plurimũ sanare: alijs ea facere, quę sint ad sanitatẽ cõducibilia: alijs morborũ causas adimere: alijs pro se quenq; omnia peragere: alijs prout cuiq; succurrit ac de his definire seorsum conueniet. Nemo tamen adeo fuit stupidus, ut in alio genere poneret sanitatem, in alio morbum: sed uel actionibus naturaliter se habẽtibus tribuit, uel partium constitutionibus, quos aliqui affectus uocant. Siue autẽ in actionib. naturaliter editis sit sanitas, in ijs quæ præter naturam sunt, erit morbus. siue in constitutionibus naturaliter se habentibus, in ijsdem præter naturam se habentibus erit morbus. siue in affectibus, in his ipsis erit & inualetudo. Neq; enim profunda ulla spectatione ad hoc est opus, tantũ sufficit non esse peruersum. Nam quis obsecro dubitet, si uidere sanitas sit, morbum esse uel cæcutire, uel omnino non uidere? Quis non intelligit, si audire sanitas sit, esse morbum uel ęgre audire, uel prorsus non audire? Pari modo si concoquere, bona ualetudo est: male concoquere, uel planè non concoquere, inualetudo est. Et si suo aliquem arbitrio moueri sanitas est, utiq; morbus fuerit & cõuulsio, & palpitatio, quem παλμὸν uocant, & neruorũ resolutio, & tremor: & deniq; quicquid uoluntarium motum uel penitus destruit, uel etiam impedit. Ad hæc, si naturaliter sentire sanitatis opus sit: insensibilitas, & difficilis sensus, & stupor, & dolor, ægritudines erunt. Rursus si ordinate respirare sanitas est: utiq; spirandi defectus, uel difficultas, morbus est. Atqui si hi morbi sunt, dubium non est particularũ affectus, ex quibus hæc eduntur, morborum esse causas: nec oportere aut phlegmonẽ, aut scirrhũ, aut erysipelas, aut abscessum, aut ulcus, aut œdema morbos dicere. Quòd si hæ

A ægritudines sunt, manifestum est nullum illorum esse morbum. Quippe duo rerũ genera sunt nusq; inter se similium, sed omnifariam dissidentium, & tota natura differẽtium. alterum horum generum corpus uocant, alterum actionem. Ergo oculus, & lingua, & auris, & crus, atq; id genus singula, corpora sunt certo modo affecta. uisus, auditus, sermo, incessus, actiones prædictorum sunt corporum. Si itaq; in certo quodã corporũ habitu ægritudo constituitur, certe in certo quodã actionum habitu non statuetur. Quando si in hoc morbus consistat, planum rursus est in corporum affectu non esse. Verum quòd affectus ipse causa sit, actio uero id quod ab affectu corporis efficitur, id uero est quod omniũ maxime & fatendum medico sit, B & tenendum. Adeo quisquis hoc ignorat, is in re labitur, quæ planè est ex necessarijs. At qui uel actionis læsionem, uel corporis affectum, morbum appellat: quanquam parum conuenienter nominat, potest tamẽ de rebus ipsis rectam habere sententiam. Contingit autẽ non ex nominum, sed rerum recta opinione, recta morborũ curatio. Iam hoc ipsum multos medicorũ ignorãtes inuenias, putantesq; in rebus dissidere eos, qui corporũ affectus morbos esse cẽsent, ab ijs qui in actionis uitio eosdem constituunt. Atq; horum omnium errorum (quod & sæpe iam dictum est, & post dicetur) unica causa est, quòd qui inuenire quiduis Logice sunt aggressi, non fuere in Logica methodo exercitati: sed simul ueluti ratione cogitationeq; C exercitati fuissent, ab experientia desciuerunt: simul, cum in illis inexercitati essent, magnopere sunt lapsi. siquidem millies eos de nominibus tanquã de rebus litigantes inuenio. Rursum ubi rem quampiam maximam ignorarint, nomen se ignorare putantes, ueluti in eo quod nunc est propositum, discernere nequeunt corporis quidẽ statum causę rationem sustinere, actionẽ eius quod ab eo perficitur: sed nec quod sanatur, id esse corporis affectum. quippe comitatur necessario hunc naturaliter se habentem naturalis actio. Contra, si à natura recesserit, actio statim præter naturam se habeat necesse est. Porrò in hoc totum uertitur, estq; hoc principium, ac ueluti primum quoddam elementum omnis methodi, quæ de medendo institutur. D Cæterum an hoc ipsum appellare morbum oporteat, an actionis uitium, id est de nomine dubitare. Dicemus autẽ aliquid, & de nominũ usu, sicut in alijs prius iam fecimus. Verum nunc de ipsis nondum distinguo, quò uidelicet hoc ipsum rerum fide magis comprobem, ostendamq; quodnam sit huius de medẽdo methodi principium & radix. In quo cum alij multi ex ijs qui rationales se dogmaticosq; appellant, tum uero probi isti methodici sunt falsi. atq; illud quidem ijs qui prudentes sunt, iam quodãmodo apparet, nihil esse aliud quod à medicis curetur, quàm corporum affectũ, ueluti proximo libro monstrabitur.

8 Nunc illud nobis propositũ erat, ut ignorantiam eorum corrigeremus, qui quot in uniuersum res sint, quæ in pręsenti disputatione proximæ inter

ter se habeant, ignorãt. Videtur enim unũ harum genus esse ipsorum corporum, alterũ actionũ. Ac corporum quidẽ genus precedere actiones, easq; gignere: has uero sequi. idq; si corpora naturaliter se habeant, inculpabiles ac naturales: sin preter naturam sint affecta, aut nullas prorsus, aut omnino certe impeditas. Tertiũ præter hæc genus est causarum, quę hos affectus creant. nam quam rationẽ habet affectus ad actionẽ, hanc alterũ quippiã ad ipsum affectum omnino habeat oportet, illo dun taxat euarians, quòd affectus cum actione unà cõ sistit; nec potest usquam aut proba actio esse sine corporis naturali affectu: aut uitiosa, nisi cum corpus sit uitio affectum. Eius autẽ affectus qui actionem impedit, causæ possunt quidẽ nõ etiam esse. possunt autem & adhuc nunc manere. Ergo diuersæ omnino ab affectibus causæ sunt. Ac tertium hoc iam inuentum genus diuersum est, & ab actione, & eo qui hanc gignit affectu. Ab hoc quartum aliud genus est affectus eorum, quę cum corporibus & naturaliter, & præter naturam se habẽtibus insint, actioni nec cõmodant, nec incõmodant. sicut, exẽpli causa, color corporis ex diuturna in Sole mora niger ex candido factus. aut cõtra, ubi uersatus in umbra quis sit, ex nigro candidus: aut ruber lauantibus: aut pallidus timentibus. Quippe hæc nec actiones sunt, nec corporis affectus, qui sint actionis causæ: multo q; minus ipsæ causæ quę affectus, qui præter naturam sunt, creant: sed sunt symptomata, quę diuersas corporum alterationes necessario sequuntur, siue hę secundum naturam, siue præter naturã se habeant. Ergo cum quatuor definita genera iam sint, ex quibus uel noscendis, uel non noscẽdis, probe secus ue incipiendam esse medendi artem monstrabimus, licet de cetero cuiuis, prout uolet, ijs nomina imponere. ueluti affectum corporum præter naturam se habẽtem, cum actionem aliquam uitiat, morbum si placet, appellato. Ipsum uero functionis uitium, insigne quoddam morbi symptoma. Quæ alia ratione accidũt, ceu colores: ea quoq;, si uolet, appellato symptomata. cæterum ea distinguat à functionũ uitio, & si illa insignia, morbi symptomata uocet, hæc familiaria propriaq; nominet. Quædam etiam præter hæc, si uolet, nec familiaria, nec propria, sed forte quadam incidentia. Quartũ uero ab ijs genus statuito, quod sit insalubrium, siue (ut ita dicam) morbificarum causarum. Atq; harum quæ quidem in ipso animalis corpore consistunt, internas nominet: quæ extrinsecus, externas. [nisi malit (ut nũc uulgus medicorum insueuit) illas antecedentes, has primitiuas uocare.] positis autem pro arbitrio uel hoc uel alio modo nominibus, dummodo clare, & ex usu legentiũ, nec mutet postea, nec transponat eorum usum: sed perpetuo per omnẽ disputationem obseruet, quò & quæ dicat facile intelligamus, & refutationes redargutionesq; omnes ad aliquid clarum distinctumq; referamus. Qualiter, inquis, & ad quẽ modũ? (nam id ipsum quoq; indicãdum adhuc arbitror propter stupidos istos methodicos) nempe esto dicat aliquis, phlegmo-

A nem affectum esse preter naturam: ipsam uero læsam phlegmone laborantis particulę functionem morbi insigne symptoma, ueluti pedum quidem ingressum, oculorum uisum, aurium auditum: ruborem autem, tensionẽ, & renixum, & tumorem qui preter naturam sit, ac phlegmonis succedat, diuersum quoddam genus siue symptomatum, siue accidentium, siue quo alio nomine appellare malit: illud modo sciat, clareq; definiat, non esse idem genus cum uitio actionis, rursus sanguinis redundantiam (si forte hæc fuit) internam phlegmones causam: externam uero & quæ hanc præcessit, ciborum abundantiam. Ergo sicuti ipse exempla sermonis habendi clara posui, & quatuor genera distinxi, ac notiones eorũ dixi: ita & Thessalo arbi-
B tror faciẽdũ fuit, præsertim post tot & tãtos uiros, quos se uicisse prædicauit, nouã sectã conditurõ.

9 Nunc uero nec ipse apertũ quicq; attulit, nec sectatorum eius quisquam. Olympicus enim cum ausus sit definire quid pathos sit, non eius, sed symptomatis retulit notionem. In summa igitur nec quid pathos sit, nec quatenus à morbo differat, intelligunt. Verum hoc nos in sequentibus docebimus, simul enim omnia dici nõ possunt. Verum concesso ijs idem esse morbum ac pathos, inspiciamus ea quæ dicit Olympicus. Pathos, inquit, est conuersio corporis à naturali habitu in eũ qui præter naturam est, permanens. Post paululum progressus ait: Sciẽdum est differre à symptomate pathos: quòd pathos, ut paulo ante dixi, affectus cor-
C poris est præter naturam permanens: symptoma quod huic accidit, quòdq; in ijs quæ præter naturam sunt, specialem ac magis etiam particularẽ figurationem habet. Hæc est egregia interpretatio sapiẽtis Olympici, qui pathos ac symptoma finire est ausus, Quæ sanè tot uitijs scatet: ut mihi in mentem ueniat illud stulti ad cribrum, negantis inuenire se quid eius obturet aut non obturet. Quid enim primũ ex ipsis dicas, aut quid omittas? quippe omnia refutare, quæ perperam sunt dicta, longũ sit. Num omnẽ mutationẽ ab eo quod secundũ naturam se habet, ad id quod præter naturam est, morbum censetis, si modo permanentia illi adsit? At uos tum coloris uitium, tum atrophiam, id est, affectum, in quo corpus non nutritur, symptoma-
D tis, nequaq; morbis adnumeratis. Quid autẽ cacochymia id est uitiosus succus? quid cachexia, id est malus corporis habitus? quid succi defectus? quid uero ipsa redundantia? nonne preter naturã sunt? Si ergo permanẽtia his accedat, inter morbos numerabuntur. Atqui nec ipsi id uultis, & merito sanè. Etenim supra id quod præter naturam sit affectus, adijci oportet etiam aliquã ab eo lædi actionem. nam quoad illæsæ hæ omnes seruãtur, etiam si millies corpus sit alteratum mutatumq;, nullus tamẽ eorum affectuum adhuc morbus est. Quod enim curationem desiderat, aliud planè non est q̃ affectus, qui uitiat actionẽ. Siquidẽ quod primũ maximeq; omnium desideramus, id naturalis est actio: propter hanc, & naturalem siue affectũ, siue cõstitutionẽ nominare uelis. Videre nanq;, &

audi-

audire, & loqui, & ingredi indigemus, non autem oculis, auribus, lingua, aut cruribus. nam si uidere alia particula liceret, quis oculorum esset usus? Et si alio quouis instrumento audire liceret, quæ auriũ esset utilitas? Pari modo & lingua, & cruribus minime profecto esset opus, si loqui atq; ingredi sine his possemus. Ac uidere quidem, nostra ipsorum causa indigemus: oculis non nostra, sed ideo ut uideamus. Iam linguam, aures, crura, non propterea requirimus, ut ociosis & multis affluamus partibus, sed loquelæ gratia, & auditus, & incessus. quippe demortua quauis particula, quæ abscindi potest, ueluti digito, pede, aut summa manu, non patimur hanc ociosam gestare, ac ueluti pondus alienum circumferre: illud clare hoc ipso declarantes, haudquaquã nos particulis illis, sed functionibus egere. Veluti igitur totã particulam actionis causa requirimus, eodem (arbitror) modo naturalem quoq; eius cõstitutionem actionis gratia desideramus. Sicuti eñ supra diximus, causæ uicem ad actionẽ constitutio præstat. Quæ uero constitutionem unde actio nascitur, necessario sequuntur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur. Atq; hęc quatuor genera sunt omnium, quæ in corpore nostro habentur, seu secundum naturam nos, seu præter naturam habeamus, actiones, constitutiones, quę has præcedunt, quæ sequuntur. his dehinc nomina qui uolet, imponito, singulis seorsum: & si Dionem, aut Theonem appellare uelit eorum quodlibet, mea nihil refert: illud modo intelligat seruetq; ubiq;, quatuor in uniuersum res esse, quæ sitæ inter se proxime sint. Et quoniã huc sermonis ueni, uideor mihi hoc iuste exigere, ut sicuti nos illis permittimus quæ uelint nomina indere: ita illi inuicem nos usitatis & antiquis uti sinant. Alioqui sane graue atq; adeo iniurium sit, si illis solœcismũ cõmittere tyrannorum ritu licebit, nobis uel Græce, [uel Latine] loqui non concedetur. Vocanto, si placet, sanitatem, ipsarum functionum constantiam. quanquam ostensum à nobis est affectũ constitutionemq; partiũ, cuius ope functiones secundum naturam edimus, hygian, id est sanitatem ab omnibus Grecis appellari. Atq; id cum statuerint sanitatem, morbum tamen censento non actionis uitium, sed qui præter naturam sit affectum. Tanquam ergo nos illos nec Græce [Latineúe] nec Dialectice nominantes, nõ impedimus: ita illi nobis permittant, & Græce [Latineúe] & Dialectice non omnem qui præter naturam sit affectum, sed qui actioni incõmodat, morbũ nominare: qui præter naturam sit, nec tamẽ actionem obturbet, non morbum, sed morbi symptoma. Rursus, sicut illi permanẽtiam adijciunt, nec indicant quot horas eiusmodi affectus moratus, morbus sit censendus: ita illi nobis concedant illud permanentię nomen subtrahere. Nam si quis siue tribus horis, siue quatuor, siue horæ tantum dimidio, toto corpore uehemẽter sit arreptus, sic ut neq; sentiat, neq; moueatur: hunc nos apoplecton siue attonitum dicimus. Aeque si quis cõuulsus toto corpore sit, hũc

A etiam comitiali morbo laborare, nulla nec horarum, nec dierũ ratione habita. quippe nomina id genus, naturæ rei, nõ temporis modi sunt indicia: non aliter quàm album & nigrum, & calidum & frigidum: alioqui mirum me hercule sit, si aqua calida, calida non sit, nisi perpetuum diem talis perduret. aut qui sex horis febricitauit, non febricitauerit: oportuisse eñ ut febricitauerit, durasse malum. quanquam quod tempus id sit quod durationem illam iusta ne fuerit an secus, determinet, nemo eorum tradidit: utrumne dierũ aliquis numerus sit, an mẽsium, an horarum: aut cur durabilem dicant, cum licuerit diuturnũ dicere: aut cur hoc quidem mutantes nonnulli eorum, difficile solubilem dicant. At certe hoc nõ generaliter morbi,
B sed longi morbi proprium est: perinde ac facile solubile, breuis. Verum existimare referre, ægre solubilem, an durabilem, an diutinũ dixeris, nónne extremæ est ruditatis? Iam illud ꝑfecto magis mirum, quòd ipsi ueluti à graui somno experrecti, distinguere pathos à symptomate aggrediuntur: cũ autor stupiditatis eorum in secũdo De methodo, sic scribat: Eadem nanq; cum præcedunt, pathe dicuntur: cum succedunt, symptomata. Quamuis etiam longe mirabilius hoc ipsum sit, quàm ea quæ ab illis dicuntur, utiq; iocinoris phlegmonẽ, si primo statim die irruat, pathos esse concedere: sin alteri cuipiam secundo, ac tertio die succedat, abire in symptoma. quanquam quid diem secundã memoro? cum melius sit horã secundam à morbi inuasione dicere. An enim in secundo die phlegmo
C ne iocinoris in symptoma migrabit, in secunda ab initio hora nõ migrabit, nec symptoma erit? cum illud saltem quod est alicui quod præcesßit, superuenire illi omnino competet. At quod tam celeriter, inquiunt, superuenit, ab eo quod unà irruit, non distat. Rursum igitur dictũ ab illo clare oportuit, quot horis determinet, distinguatq; quod superuenit, ab eo quod unà inuadit. Ac Thessalus quidem eiusmodi est. Olympicus uero, ceu in arcem ipsam sapientiæ euectus, nõ ita pathos à symptomate discernit: sed pathos id esse quod dictum est, symptoma uero quod huic accidit: mirifice uidelicet ac dilucide essentiam eius interpretatus. quippe quid ipsum symptoma quod pathos comi
D tatũ, sit, adijcere (ut arbitror) ac definire oportuit, num corporis aliquis affectus, num læsio quæpiã actionis, num pariter utrũq; esset. At ille quidem minime id dicit: sed nobis uidelicet diuinare est opus. Illud uero quod definitioni apposuit, nempe specialem atq; etiam magis particularẽ in ijs quæ præter naturam sunt, figurationem habens: quam non excellentiam claritatis habet, atq; etiã nominum Grecam perlepidamq; interpretationem? Si magis specialem quandam figurationẽ, in ijs quæ præter naturam sunt, symptoma habet: quid ergo est quod magis generalem notã habet. Non enim dixit, an sine collatione ad generale, magis speciale liceat inuenire. sin ad nihil omnino referens, magis speciale pronunciat: oppido quàm diligenter clareq; interpretatur. quanquam & paucis, & di-

lucidis uerbis dicere ei licebat, omnia quæ circa corpus animalis præter naturā ſunt, uel morbum eſſe, uel cauſam, uel ſymptoma. Quibus omnibus cùm illud præter naturam ſit cōmune, morbus actioni officit, cauſa ipſum præcedit, ſymptoma eū ſequitur, ipſum uidelicet natura duplex: alterum actionis læſio, alterum affectio quædam morbum ſequens. Verum (ut dixi) ſi quis omnes eorum errores excutere uelit, finem dicendi non inueniat. ipſeq́ mi Hiero, optime ſcis eorum nos ne milleſimam quidem ipſorum partem refutare conatos. Ergo ſi illud tantum adiecero, primū hunc librum hoc loco claudā: nempe quòd in ipſo ſtatim methodi principio non pauci medicorum falluntur, utiq; qui Theſſali ac Themiſonis ſunt æmuli, quiq; methodicos ſe appellant, inſignibus ac maximis erroribus. cum his uero non pauci eorū qui ſe analogiſticos, dogmaticos, ac logicos, nominant. Siquidem niſi quis omnes affectus à quibus actio læditur, inuenerit: numerum ipſum morborū quantus qualisq; ſit, ad unguem definire non poteſt. Id cum quidam eorum facere nunq; uel tentauerint, tyrannorū more quæ ipſis uidentur citra demon-

A ſtrationem pronunciant. Alij non modo ipſi non demonſtrant, ſed nec à demonſtrantibus diſcunt. Ac plurima (ut ſcis) medicorū pars qui nunc ſunt in pretio, eiuſmodi eſt, nec id fortaſſe mirū. Nā ubi philoſophorum pleriq; citra demonſtrationē credendū ſibi poſtulant, quid de medicis mirere, quibus nec uacat ueritatis inquiſitioni uacare? ut qui mane in ſalutationibus (ita enim appellant) ſint occupati, ueſperi cibo diſtenti, ac ebrij. Verū ego ueteris tibicinis exemplo, mi Hiero, uel cum muſis ipſis certauero. cum alioqui turpe putem, tibicinem, qui præſertim haud magnam rem proſpere moliebatur, adeo repertū fuiſſe laudis cupidū;
B me autē, qui medendi methodum ab antiquis inquiſitam, non tamen hactenus exacte proditam, inueſtigare abſoluereq; ualeam, propter eam quæ hac tempeſtate regnat ignauiam, grauari atq; negligere, ac differre. Quare contra nunc affectus, q̃ ante, mihi uideor. Non enim priuatim uobis, qui me ad medendi artē totam ordine perſcribendam hortati eſtis, hoc opus dedico. Ac primus liber hic mihi finiatur: totius quod ſequitur operis ſecundus ad hunc modum deinceps incipitor.

ARGVMENTA SECVNDI LIBRI.

De differentia eorū quæ præter naturā ſunt. Illud quod primo curatur eſſe corporis affectum, à quo actio læditur. Si ignores corporis affectum ſecundum naturam, à quo actio producitur, prorſus fieri nō poſſe ut cognoſcas affectū præter naturam à quo actio læditur.

Qui affectus in partibus conſimilibus exiſtant, qui actiones lædant. Quòd ijdem morbi nō ſint partium inſtrumentariarum & conſimilium. Quòd conſimilium partiū morbi per diſtantiā à temperamento fiunt: inſtrumentariarum aūt partium uel in formatione quæ à naturali recedat, uel in quantitate partium quæ in eis ſunt, uel in magnitudine uniuſcuiuſq; ipſorū, uel in poſitione conſiſtunt. Continui ſolutionem inſtrumentarijs & conſimilibus partibus communem eſſe. Quòd per ſolam experientiam etſi non perfecte, ſaltem cōmode quis curare poſsit. Quòd artem medicam per experientiā addiſcere præſtet ijs qui neq; in rationalibus diſciplinis ſunt exercitati, neq; ſtudiū adhibent ut methodos diſcant quibus inueniuntur quæ ad rationalem uiam curandi neceſſaria ſunt.

Aliter, Secundum numeros capitum Textui adſcriptos.

Cap. 1. Morbū eſſe de genere rerum præter naturam. Et quòd affectus ipſe ſit morbus: actionē autem læſam aut ſymptoma, morbum dici non poſſe. 2. Quot modis imponantur nomina morbis: à parte læſa, à ſymptomate, ab utroq; (ut otalgia) à cauſa, à ſimilitudine, &c. Vlcera quædam ab ijs qui ea primū ſanarunt. 3. Doloris & morbi diſcrimen. Al', Quid inter morbum & pathos interſit: dein, morbos inueniri non poſſe ſine cognitis, ex quibus conſiſtit corporis elementis. 4. Explicat ſpecies morborum numeratim comparādo cum ſanitate. Al', Quoniam Aſclepiadis & aliorum quorun-
C dam ſententia erat, Sanitatem, non in primarum qualitatum temperie (quæ ſimilariū proprie partiū ſecundum Hippocratē ſanitas eſt) ſed in meatuū ſymmetria conſiſtere, ut eorundem uel aſtrictio nimia, uel laxitas, morbus ſit: Galenus hoc capite tum corpuſcula hæc adſtringentia meatus, tum laxitates etiam ipſas, ratione contemplabilia tantum eſſe adſerit. 5. Per digreſſionem explicat, quantum Empirici & rationales medici differant. Al', Quantum delirent, qui uni alicui ſectæ addicti ſunt, Empirici enim inueniri poſſe non putant quicquam eorum quæ abſtruſa ſunt, neq; id ſi inuētum ſit ſe deſiderare. Logici uero, ut ſe appellant, ne ſcire quidem ſe blaterant an 8. affectus ſint: & cum nuda uerba adferant, omnia ſibi credi poſtulant. 6. Inquirere docet numerum omnium morborum generum abſolute, quæ ſex in uniuerſum conſtituit: in ſimilaribus unum,
D in inſtrumentalibus quatuor, & ſextum utriſq; cōmune. Prius autem Theſſalum et Aſclepiadem reprehēdit, & quædam hactenus dicta recapitulat: Et de libris ante hanc methodum legendis admonet: & potius experientiæ accedendum eſſe, qualis empiricorum eſt, quàm uitioſæ logicorum rationi. 7 Prolixiſsimo hoc capite, de indicationibus præcipue agit. Al', Methodus aliud eſt ab experientia, & cōfundi non debet. Hoc ipſum autem quo differant, indicatio eſt. Quamobrē methodum medendi inueſtigāti ab indicationibus auſpicandū fuerit. Præterea, Medicinæ finem eſſe inuenire cuiuſq; morbi remedia: ad quod peruenitur ex ipſius morbi cognitione. Deinde longa diſceptatione docet morbos omnes unius eiuſdēq; participatione morbos appellari: & aliud numero, aliud genere, aliud ſpecie idē & unū eſſe. Itē Morbū eſſe, quamuis ipſe per ſe ſolus non appareat.

CL. GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS LIBER SECVNDVS.

1 VAE corporibus nostris à naturæ suæ modo egressis, Hiero dulcissime, accidunt, eorũ quatuor traditæ differentiæ sunt. una ipsius functionis uitiatæ. altera eius qui hanc peperit affectus. tertia causarũ, quæ ipsum præcesserunt affectum. quarta symptomatum, quæ hunc necessariò consequuntur. Quòd itaq; uel cuncta hæc esse morbum oporteat, uel horum quædam, uel certe ex his unum, id promptũ colligere cuiuis est. cum enim ægrotãtibus præter hæc nihil insit, utiq; præter hæc morbus non fuerit. Quod ergo reliquum est, aut omnia hæc collecta morbus erit: aut horũ quædam, aut unum saltem omnino. sed enim omnium esse collectionem, præter id quòd neminem usquam habuit autorem, etiã dici non potest. nam quæ quæso, morbi causa, aut quod morbi symptoma erit, si omnium pariter collectio morbus censebitur? Neutrum profecto erit. Ergo duo præter morbos genera relinqui necessum est: alterũ causarum, quæ hos creant: alterum eorum quę necessariò sequuntur, non tamen homini officiunt. Verum si hęc abstuleris, reliquum est ut in altero duorum statuatur morbus, aut ipsis functionibus afflictis, aut qui has edunt affectibus. Fuitq; & antiqua sanè de hoc cõtrouersia, et hodie dissident inter se omnes, non modo medici, sed etiam philosophi: alij ipsius actionis uitia, alij affectuum unde actio prodit, morbos nominantes. Et dissidere uiros in rebus tam obscuris minime est mirum. non intelligere tamen eos quòd de nomine cõtendant sanè taxatione est dignum. quippe si inter omnes cõuenit, ad affectum qui functioni obest, curationis consilia dirigi: quid ad artis officia conferat definiuisse affectus ne, an læsa functio morbus sit appellandus? Vtrouis enim modo appellantibus æger sanitati restituetur, modo quis affectui commodis præsidijs occurrat. Hic nanq; est quem alterare mutareq;, & prorsus summouere oportet, non uitium functionis. Nemo enim ipsam claudicationem sanat, (id enim esset ridiculum) sed affectum qui hanc efficit, ueluti phlegmonen, si huius uitio claudicatur, atq; hanc & perfundit, & cataplasma superimponit, & scarificat, & per halitũ digerit, & omni ratione discutere tentat: utpote cum hac abolita, reddatur rectus incessus: nec hac summota claudicationem corrigere prorsus sit opus: cum nec remaneat quicquam prauæ functionis, si qui huic obfuit, prorsus sit amotus affectus. Quoad uero huius quicquam relinquitur, necessum est ad portionem eius, actionem uitiose edi. Hunc itaq; affectum, seu morbum appellasse, seu pathos, uitiumúe, seu morbi causam, seu pathus uitijúe causam quis uelit: id nihil ad curationem nec prosit, nec obsit. Sed neq; si Theonẽ aut Dionem hunc uocet quis, modo rite sanet, ne hic quidem

A ægrotanti officiat. Quinimò si quis prorsus innominato eo, tamen quæ ex usu ægrotantis sunt adhibeat remedia: non solum hic nihil offendet, sed etiam bellissime curabit. Verum qui alterum docere uolet, quę ipse tenet: huic prorsus nominibus propter res uti est opus, in quorũ usu claritas quasi meta spectãda erit. nam qui sic nominare quæq; studet, ut qui discit, clarissime intelligat, is optimus præceptor fuerit. Quoniam igitur & nos iam docẽdi munus ingredimur, necesse est alicubi rebus nomina imponamus: an uero dilucide, id uos æstimetis licet. Ergo affectus qui actionem uitiat, morbus appellatur. hunc si quid sequitur, symptoma. quod illum excitat, causa.

B 2 His ita distinctis, inspicienda diligẽter est nominũ diuersitas quæ ægritudinibus imposuerunt ipsorum primi autores. Subinde enim à læsa particula sunt indita, ut Græcis πλευρῖτις, id est laterum compunctio, περιπνευμονία, id est pulmonũ phlegmone. ἰσχιὰς, id est coxendicũ morbus. ποδάγρα, id est pedum uitium. νεφρῖτις, id est renum uitium. ἀρθρῖτις, id est articulorum uitium. ὀφθαλμία, id est oculorum phlegmone. & κεφαλαλγία, id est capitis dolor. & δυσεντερία, id est intestinorum tormina. Subinde ab ipso symptomate, ut εἰλεὸς, id est tenuioris intestini morbus. τεινεσμὸς, id est desidendi assidua cupiditas. σπασμὸς, id est conuulsio. παλμὸς, id est palpitatio. & τρόμος, id est tremor. παρά-
C λυσις, id est neruorũ resolutio. & ἀπεψία, id est cruditas. δύσπνοια, id est difficultas spirandi, uel inordinata spiratio. ἄπνοια, id est defectus spirandi. & ἀγρυπνία, id est uigilia. & παραφροσύνη, id est deliriũ. & κῶμα, id est sopor. Sæpe ab ambobus simul: ut κεφαλαλγία. & ὠταλγια, id est aurium dolor. & καρδιαλγία, id est cordis siue stomachi dolor. ὀδονταλγία, id est dentium dolor. ὑστεραλγία, id est uteri dolor. Sæpenumero à causa putata, ut μελαγχολία, ab omnibus: χολέραι, ijs qui sunt à Cnido medicis. Hinc etiã fortassis & λευκοφλεγματίας ὕδερος, quæ aquæ intercutis est species, nomen accepit. Nonnunq; à similitudine ad aliquid extra positũ, ut Elephas, siue Elephantiasis, Cancer, Polypus.
D σταφυλὴ id est, uua. λεύκη, id est uitiligo alba. μυρμηκία, id est myrmicię, siue sessiles uerrucæ. ἀθέρωμα, id est tuber, cui pulticulæ simile quid inest, quam Græci ἀθέραν, dicunt. στέατωμα, quod seuo simile quid continet. σταφύλωμα, id est oculi morbus, [cũ in summa tunica quiddam acino simile eminet.] μελικηρὶς. ἄνθραξ, id est carbo. ἀλωπεκία, id est areæ in capite. ὀφίασις, id est uitium serpentis formã repræsentãs. σύκωσις, id est ficus. σατυριασμοὶ, & πριαπισμοὶ, pudendi præter naturam erectiones. Ipsorum uero morborum, quę nec locũ affectũ nomine repræsentent, nec causam quæ eos effecit, perpauca sunt nomina, Phlegmone, Gangræna. σκίρρος, id est durities uix sentiens, Erysipelas. ἀπόστημα, id est abscessus. οἴδημα, qui tumor est laxus citra dolorẽ. ἐμπύημα, id est collectũ in thorace pus,

Vlcus. ἐξάρθρημα, id est luxatio. κάταγμα, id est ossis fractura. σπάσμα, id est conuulsum. ῥῆγμα, id est ruptũ. κολόβωμα, id est mutilũ siue curtũ. δοθιὴν, id est furunculus. ἴονθος, id est uarus. φῦμα, laxarũ partium phlegmone. Quanq; horum quoq; nõnulla partim locum corporis siue particulã afflictã subindicare uidentur, partim à prægrauante symptomate nominari. Quòd si quid citra huiusmodi insinuationẽ est nominatum, at certe differentias suas multiformes habet, ueluti ulcus tametsi ipso nomine unitatis solutionẽ in carnosa parte non indicet, atq; ita afflictam partẽ unà insinuet. At particulares eius differentiæ uariæ sunt nominatæ, Chironium, Telephiũ, Cancer, Herpes, Phagedæna, omniaq; id genus, partim ab ijs qui primũ ea sanarunt, ut Chironium: partim ab ipsis qui ijsdẽ sunt affecti, ut Telephium. Cancer autem à similitudine ad animantem. Phagedena à symptomate, similiter Herpes. Verũ Phagedæna ulcus omnino est, idq; depascens, siue exedens, siue quomodocunq; appellasse libet. Herpes non semper ulcus est, quotiesq; cum exulceratione est, non utiq; seruata ueteri sede, uicinas partes depascit: sed sicuti nomen ipsum indicat, ritu serpentis bestiæ, relicto priore loco transit ad alterum. Cauum uero ulcus, & sordidum, & purum, & æquale, & quod ὑπερσαρκοῦν, Græce dicitur, id est cuius supercrescit caro: hæc magis proprias sortita sunt appellationes, non tamen similiter omnes, sed æquabile à propria nimirum differentia, sicuti & cauum, & supercrescens. At cruentũ, & purũ, & sordidũ, nõ à proprijs differentijs, sed ab externis symptomatis sunt appellata. Ergo cum tam impar nominum impositio ueteribus fuerit, multoq; etiã magis cum Epinyctida, & Acrochordona, id est pensilem uerrucã, & Nyctilopa dicant, (primum quod noctu est enatum, alterum quod summã occupat cutẽ, tertium quod noctu uisum aufert) aliaq; eiusmodi multa faciãt. Ergo si omnia numerẽ id periculi incurro, ut quæ fugere iussi, ipse facere uidear. Id itaq; omni modo agendum est ei, quem ueritatis studium tenet, ut ab ea quam nomina imaginationẽ faciunt recedens, ad ipsam rerum substantiam se conferat, atq; hanc inspiciat. tum quot in uniuersum sint, & morbi, & symptomata, & proximæ siue internæ horũ causæ, requirat. Nos igitur id alijs cõmentarijs fecimus, quorum unus de ægritudinũ numero est, inscriptus autem est De morborũ differẽtia. alter De symptomatum est differẽtia. Adeo uero in eo opere causas horũ utriusq; seorsum explorare studuimus (dico tũ morbi, tũ symptomatis cuiusq;) ut ad præsentem disputationem nihil amplius desideretur, sed præparata omnia iam sint. Itaq; ne legenda quidem quæ hic dicemus ulli suaserim, prius quam in illis sit exercitatus. Quippe si quis illis tam numerosis theorematis neglectis, huc se contulerit, nec ipse fructũ percipiet: & quæ recte sunt tradita, temere incusabit. Ac in illis quidem particulatim omnia, tum morbos, tũ symptomata, tum causas inquiro. hic duobus adhuc additis, quæ necessaria erunt ijs qui medendi artem exercebunt,

A tum me ad usum inuentorũ prodendum conferã.

3 Quænã sunt, inquies, duo illa quæ dicere paro? Certe unum, quid inter morbũ & quod Græci πάθος uocant, intersit, indicabit. Alterum q sine corporis elemẽtis, ex quibus primum cõsistit, noscendis, nõ possint morbi inueniri, ostendet. Hæc igitur nos accuratissime tradere studebimus. Qui ea legẽt, oro ne prius ad ipsam methodum medendi se cõferant, q & ipsi quot in totum morbi sint, per se inquisierint, & quæ prodita à nobis sunt, curiose inspexerint. Ergo ceu hæc fecerint, incipiam quæ promisi. Tres esse in corpore affectus præter naturã, ostensum iam est, causas, morbos, symptomata. Causas, ueluti redundantiam uel corruptelam. Morbos, ut phlegmonen, ulcus. Symptomata, ut malum colorẽ, & gracilitatẽ. Diuersa ab his
B sunt quæ immodice à corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur, & functionum uitia: omnia scilicet cõmuni nomine symptomata dicta, cæterũ nõ uni generi subiecta. Quippe affectus quidã corporis est uitiosus color. quod excernitur aut retinetur, affectus non est, sed affectũ sequit. Similiter actio uel læsa, uel integra, affectus sanè nõ est: particulæ autẽ unde editur, affectũ necessario comitat. Ac œdema quidẽ & phlegmone ex ijs sunt, quæ absolute esse dicunt. Eodẽ modo & redundantia si ea sit sanguinis, & corporis pallor. Actio uero ex eorum numero non est, quę esse absolute dicuntur, aut certe nõ similiter sicut iam cõprehẽsa. siquidẽ nullo temporis spatio maC
nent eius partes, sicuti profecto nec sermonis, nec etiã motus ullius: sed horũ quilibet in ipso (ut sic dicã) fieri esse suũ obtinet. Cũ uero duplex sit motus genus, unũ in loco, aliud in qualitate: prius latio, secundũ alteratio dicit. Ac omnis quidẽ actio, motus est actiuus. Omnis alteratio, eius quod alteratur, motus est passiuus. Patitur nanq; quod alteratur. Ergo affectus dum alterant, mouent. Cum à motu cessauerint, iã alterati sunt: nõ aũt amplius alterant. Quicquid eñ quocunq; modo se habet, aliquo omnino affectu est præditũ. Quod autẽ in cõstanti ægreq; auferibili affectu est, id habitu iam quodã affectũ est. Sanè alteratur is qui nigrescit: alteratus est qui iam obnigruit, siue (ut sic dicã) nigrefactus est. Itaq; alteratio generatio est qualita-
D tis, aut affectus, aut quomodocunq; appellare uelis. nec si alterationẽ esse depositionẽ, uel mutationẽ eius qd' prius fuit, dicas, id pugnet cum eo qd' dixi alterationẽ generationẽ esse qualitatis, cũ ambo in idem recidant. nam & quæ prior in corpore qualitas fuit, mutatur, & nũc noua gignitur. Quippe eius qui in Sole uersatur, candor mutatur, nigritia gignit. Rursus eius qui igni se calefacit, frigus mutatur, calor fit. Quoties uero cuiuspiam quod substantia nõ sit, generationem esse dicimus, non idem eo sermone significamus, sicut cum absolute generationẽ proferimus. Nam quæ absolute generatio nominat, uia est in substantiã. Quæ uero huius, uel illius generatio dicit, uia est in illius (ut sic loquar) entiã, siue substantiã. Verũ hoc ueluti extra rem sit dictum. Quod uero propositum nobis

A bis in disputatione maxime fuit, fermè iam definitum est. nempe aliqua in generatione, & mutatione, & alteratione, & ut semel dicam, in motu ipsam essentiam habere: aliqua in ipsius substātiæ constantia. Ac sanitas quidē, & morbus, & quæcunq; symptomatū causarumq; affectus, uel habitus sunt, ex permanentium constantiumq; numero sunt. Actiones oēs alterationesq; in quacunq; re fuerint, in ipso fieri essentiā suam possident. Et corpus secundum quodcunq; mouetur, secūdum idem patitur: motusq; eius pathos, siue passio est. Sanè prisci motus omnes, etiam qui naturaliter se habēt, nisi actiui sint πάθη Græci, id est passiones nominant: sicuti etiam ipsos actiuos motus actiones. Eo pacto & Plato sensuum alterationes, B pathe siue passiones appellat: cum iunioribus aliter (nescio quomodo) sit uisum, ut uidelicet de solo eo qui præter naturā sit motu, id nomē usurpent. Ac à ueteribus quidem pathos priuatim de omni extrinsecus motu dicebatur: nūc per abusum etiā affectus, qui ex passione iam prouenere, nec amplius in motu sunt, pathe siue passiones appellāt: non tamen diuturnior, neq; solutu difficilior est affectus, q̄ habitus, queadmodū neq; infirmitas. Sed eiusmodi nomenclaturæ à iunioribus sunt inuectæ. Diximus autem alibi diffusius De medicinalium nominum usu. Nec illud nobis ad considerationem propositum nunc est: sed tantum quemadmodum ipsi utemur, claritatis gratia, distinguere necessarium est uisum. Nam contrariū sanitati C affectum, à quo lædi actionem dicimus, morbum tantum appellamus, siue diutinus hic, siue breuis sit, siue momēto duret. Ex reliquis affectibus, qui præter naturam sunt eos qui hunc præcedunt, causæq; rationē obtinent causas tantum dicimus, non pathe. Qui illū sequuntur, si actionū offensæ sunt, & symptomata, & pathe. Eodem modo & immodicas uel inanitiones, uel retētiones. Qui uero affectus sunt, ueluti uitiosus color, supra passionis & symptomatis appellationē, etiam affectus uel affectiones uocamus, ita nimirū ut sunt. Omnium igitur horum cōmune id est quòd præter naturā sunt, & causæ, & morbi, & symptomatis. Propriū autem morbi quidem est actioni incommodare, symptomatis hunc sequi, causæ præcedere. Ergo D nec is qui morbum esse motum præter naturam dixit, intellexit quid diceret: quēadmodum in proximo libro docuimus methodicorum nōnullos definiuisse, adiecta ex superabundanti constantia. nec si quis mutationē esse ab eo quod secundum naturam, ad id quod præter naturam, uoluit. quippe quæ non magis morbi quàm causæ, & symptomatis definitio est: quando omnia ea affectus sunt præter naturam. Verum si breuis spatij sunt, constat acuta esse: sin ægre auelluntur, diuturna. νόσον, autem, an νόσημα dicas, nihil interest, sicut neq; πάθος, aut πάθημα. Et sanè πάθους siue passionis appellationem de morbo dixisse ueteres, quemadmodum & ἀῤῥωστίαν, id est infirmitatem: & ἀσθένειαν, id est imbecillitatem, ostensum nobis est in ijs quæ De medicinalib. uocabulis scripsimus. In quibus illud quoq; traditum est, nihil referre dicere ualetudinem infirmā, an infirmitatē ualetudinis. Nam & ipsos qui ægrotant, appellāt nō solum νοσοῦντας sed etiā ἀῤῥωστοῦντας, id est ægre habētes, & ἀσθενοῦντας, id est parum ualentes, & κάμνοντας, id est laborantes. Reliquū nunc fuerit, ut cuius causa hæc omnia diximus, in medium adducto, ad aliquid eorum quæ proxime tractāda sunt, deinceps transeamus. Id quid sit, rogas? Certe nō aliud q̄ quod iam sæpius ante dictum est. Primū ac maxime id medicos studere, idq; ferè propriū eorum munus esse, ut morbos adimant. Quippe simul cum hoc non modo actionis uitium statim euanescit: sed etiam reliqua omnia symptomata tolluntur. Siquidē primum ac maxime actionis ipsius quæ secundū naturam edatur, oēs egemus: propter illam uero & sanitatis. Sed & functionis incōmodum amoliri omnes cupimus, ob id uero etiā morbum ipsum. Cæterum, non functionis uitio, sed morbo ipsi, id est affectui præter naturā qui actioni incōmodat, applicamus remedia. Quisquis igit̄ ex ijs quæ particulis naturaliter insunt, & quæ temere accidunt, & quæ actionis sunt causæ, distinguere nō potest: hūc sanè credibile non est affectū ex quo primum actio læditur, inuenire posse. Nā quæ temere corporibus accidunt, etiam si milies sint alterata, nocere profecto actioni non possunt, quandiu à quibus fiebat, omnia naturā suam tuentur. Horum uero si uel unūquodlibet sit alteratū, actionē quoq; ipsam statim lædi intantum est necesse, in quātum ab eo, cum secundum naturam se haberet, est adiuta. Ac mihi quidē res tota explicata iam est, clareq; ostensum, ijs præsertim qui intelligere uera possunt, fieri nō posse ut omnium morborum numerum methodo quis cōprehendat, nisi idem omnium causarum actionis numerū corpore secundum naturam se habente, norit. Nihil tamen ex iā dictis intelligere adhuc possunt, quicunq; uel rudiores sunt, & ingenio crassiore, uel methodicæ sectæ nugis innutriti. Denuo igitur quod nunc generatim dictum intelligentibus est, illis quoq; speciatim exponamus, unum aliquod atq; alterū ueluti exemplum sermoni proponentes.

4 Cur lingua sapores percipit, nec ulla pars alia? Num propter colorem, aut situm, aut magnitudinem, aut figuram? Quippe ea affecta, nec cōmode sapores sentiente, aut calorem eius ad naturā suā reducemus, si uidelicet huic actionē debet: aut iam dictorum quoduis, si ab illo agēdi uim accipit. Quòd si propter aliud ab ijs quippiā, cōstat si illo tantum tenus ad naturalē habitum sit restituta, nullo etiam reliquorum fore opus. Nam esto, exempli gratia, densitas certa pororum causa sit, cur succi saporem dijudicet. Nunquid horum symmetriā quæ in sanitate uisitur, tuebimur, rursusq; ametriam, id est à iusto modo recessum, quoties laborat, corrigemus? Esto (si placet) mediocris calor causa sit, cur saporē intelligat. Num hic quoq; manifestum est, cæteris neglectis, unam adhibendam curā, ut illud seruemus à quo agendi facultatē accepit? Iā si propterea quòd ita in sicco humi-

doq; attemperata sit, idcirco sentiat: quis non reliquis posthabitis, huc tantum intendat, ut neq; iusto siccior sit, nec etiam humidior? Quis rursus, si hoc uerum est, nõ facile prompteq; colligat duos esse uniuersos linguæ morbos, alterum siccum, alterum humidũ? Veluti rursum si per moderatum calorem, & frigus habet quod sentiat: quis nõ hic quoq; duos esse morbos eius intelligat, caloris frigorisq; à modo recessum? Non aliter quoq; si propter tenuium meatuum competentiam sensum est nacta, promptum profecto hic quoq; colligere est, omnino eam ex horum immoderato habitu esse uitiandam, duplexq; uitium fore, densitudinem eiusmodi meatuũ, & raritudinem. Sed num etiam plura dicam, quò stupidos istos inducam, ut si nihil aliud, illud saltem intelligant, non posse B quenquam, nec inuenire, nec demonstratione asserere morborum numerum, qui non ex ijs quæ particulis insunt, tum quæ causæ actionis sint, tũ quæ temere accidant, norit? Num etiam alterum adhuc tertiumq; exemplum adijciam? Sæpe namque multitudine exemplorum, stupidorum animi ueluti à somno excitantur. Age igitur ita homines interrogemus: Idcircò ne corpus calida, frigida, dura, mollia, lenia, & aspera, omnia denique tangibilia sentit, quòd candidum colore est, aut nigrum, aut rufum, aut uno uerbo, quòd talis coloris est? An propter horũ nihil, sed aliud quippiam? Neminẽ enim arbitror latere, quin si quid probe sentiendi munere utetur, id tantum illi tuendum custodiendumq; sit, ex quo uno probe C sentiendi facultatem accepit. Nam si ex eo quòd candidum fuit, id dotis obtinuit: eius nimirum tuendi maxima erat habenda cura, sicut nigri fugiendi. Sin contra ex eo quòd nigrũ fuit, sentiendi uim habuit: omnes (arbitror) alios colores fugere formidareq; oportebat. Ad eundem modum & si inde adeo sentit, quòd flauum, uel rufum est, fugiendi (arbitror) alij colores sunt ceu sensum, uel penitus abolentes, uel uitiantes. Præterea, si eo quod durum sit, sensu est præditum: si molle fiat, deterius sentiet. Aeque ut si eo quod densum sit, si ad raritudinem mutetur. Iam si tenuium meatuum symmetrię acceptam sentiendi uim refert, ubi ab hac recesserit, uitiabitur. Et generaliter, ut sentiat, id tantum ipsum adsit oportet, un- D de sensum obtinuit: atque id tantum corrigatur, unde sensus est læsus, cum à natura recessit. Num igitur tertio exemplo est opus? an hæc abunde satisfaciant? Sanè prudentibus uel hæc super uacua puto, ut qui uniuersale intelligere sine exemplis possint: rudibus autem, & improbis, & contentiosis ne si tertium quidem addam exemplũ, quicquam fortasse profecero. Veruntamen quando duo iam dicta sunt, & inaniter tempus nostrũ semper terunt: non fuerit alienum, unum etiamnum ijs exemplũ adijcere. Proponatur itaq; iam quemadmodum uentriculus malè cõcoquens nobis sit corrigendus. Verba autem faciemus, non solum contra methodicos, sed etiam contra eos rationalium qui non cognita ipsius actionis prima causa,

A quam cõtinentem etiam nominare sunt soliti, methodo quadam ac ratione constitui posse artem putant. Esto igitur quispiã dicat (ab ijs enim quæ obuiam promptamq; absurditatem exhibent, cœpisse præstat, quò eos, si fieri potest, ad ea quæ confusa magis sunt, intelligenda sensim perducamus) Esto inquam, aliquis dicat hunc quempiam, qui nunc cruditate laborat, quòd multos deinceps dies solo lacte est altus uentris colorem mutasse, album q; ex rubro, reddidisse, idcircoq; uentris sui functionem uitiasse. Fortasse iam rides, et iure profecto rides. Verum si scias quàm sit simile, & huic de coloribus citra ullam demõstrationem adhibitam quiduis pronũciare, & tibi de exiguorũ meatuum (uerbi gratia) symmetria, aut alio quolibet B affectu, non arbitror iure ridebis. Nam aut in tete risum uertes, aut non in hunc. Nam esto impudẽs sit, qui causam minus probe concoquendi colori imputet, dicatq; ꝙ quoniã ex naturali colore uentriculus ruber est, nunc uero redditus est planè albus, idcirco cruditate laboret est necesse. Libens sanè audiã, quid tu cõtra hunc obijcias. Ego enim aliam rationem nõ inuenio, quàm ut iubeam qui ita dicet, prius ostendat an omninò propter colorem, iustam ac naturalẽ actionẽ uentriculus edat. Tu si quam aliam habes, libens audiã. Sed nec habes, nec habere aliam contradicendi rationem potes contra eum, qui colorem cruditatis uentriculi causam esse dicit, quàm exigere ut doceat quomodo ex naturali colore consecutus, ut concoqueret C uentriculus, sit. An igitur huic qui colori cruditatis causam imputat, fides non adhibebitur antequã doceat etiam hoc nomine agere uentriculum: tu cum uel tenuium meatuum symmetriæ uitio, uel alij cuipiam hanc ascribas, credi tibi postulabis, priusquam doceas quo pacto ex symmetria in illo genere agat? At non hoc aio, inquit, nec aliud quicquam esse cõcoctionis cõtinentem causam, sed prorsus id ignorare me fateor. Atqui si ei qui colori actionis causam tribuit, necesse est etiam eidem læsionẽ actionis imputet: qui uero tenuium meatuum symmetriã actionis causam dicit, etiam horum ipsorum à iusto modo recessum, eandem uitiare fateatur: tum qui temperamento quatuor qualitatum, caloris, frigoris, humoris, & siccitatis, D actionis causam assignat, etiam eorundẽ ipsorum intemperiei offensam eius ascribat: utique & tibi necesse erit, eo quod secũdum naturam est, prius præsumpto, ita quod præter naturam est, inquirere. aut si ipsum quod secundum naturam est, non nosti, nec quod egressum à natura est, nosti. Etenim uos etiam ipsos audio contra Empiricos dicere, fieri non posse ut qui id quod secundum naturam sit, non norit, dignoscere id quod præter naturam sit, possit. At nosco, inquit, quod secundum naturam se habet. Quæro, totũm ne an partẽ eius aliquam? Atque pars ipsa quam nosti, est ne actionis ipsius causa, an uentriculo inest ociose? Nam quid demum eius nosti? situm uidelicet, & magnitudinẽ, & cõtextum, & figuram? At nihil horum actionis est causa. Sed nec Empiricos horũ quic-

quam latet. quippe qui & se partium dissectione, cum occasio hanc offert, uti fatent: et ex illa se hęc intelligere, non tamen actiones usus particularum. At noui, inquit, & actionē. Est enim circumplexus & attritio. At nisi causam eius noueris, nec morbum intellexeris. Nam si quatuor qualitatum mediocris temperies, actionis sit causa, earum intemperies, omnino uitij causa erit. Tu uero reris phlegmonē, & scirrhum, & œdema, et abscessum, aliaq; quæ oculis usurpari possunt, solos esse uentriculi morbos, quamuis ne hæc ipsa quidem uelut i Empirici solis oculis, manibus, & reliquis sensibus apprehendas: sed ad ipsam essentiā eorum tentas ascendere, atq; hanc diligēter disquirere, uidelicet non contentus ijs symptomatis, quæ sensui apparent, quæ tamen symptomata Empirici definiunt, ac circunscribunt suam syndromen. Sic enim ipsi appellandā censent symptomatum congeriem, quæ in affecto sunt loco. Sed nec curationis indicationem ex apparentibus symptomatis accipis. Non enim an tumor præter naturam, nec an renitens, nec an cum dolore, nec an ruber: sed an sit in finibus arteriarū impactio ex coincidentia, consideras, ac curationē (ut ipse fateris) ad hoc referens, exploras. An nō ea est Erasistrati docendi ratio, ubi de febribus agit? sicuti rursus alia Dioclis, alia Praxagoræ, alia Asclepiadis. Itaq; non à symptomatis quæ in phlegmones apparent loco indicatio præsidij his sumitur: sed ab ipsa substantia. Neq; enim an tumor à natura egressus, neq; an retinentia, neq; an dolor pulsatilis: sed an & coincidentia, & impactio in finibus arteriarum, aut obstructio in exitu uenarum, aut putredo aliqua succorum, aut corpusculorum ratione contemplabilium, in laxitatibus æque ratione speculabilibus, intentio sit, æstimant. Quare hi omnes ab affectu phlegmone laborantis partis, non à symptomatis quæ hanc sequuntur, præsidiorum indicationem sumūt. Ad eundem arbitror modum, et si quis calidum, frigidum, humidū, & siccum, causatur. Verum hic etiam si uentriculus citra phlegmonē, aut ulcus, aut abscessum, aut alia id genus, eo tantum quòd frigidior sit, non recte concoquat: tamen remedijs non destituitur. At qui phlegmonas, scirrhos, aliaq; quæ oculis uidere licet, tantū esse morbos putant, ridicule planè cruditates, quæ sine ijs fiunt, ex imbecillitate uentriculi incidere dicunt: ceu affectum aliquem priuatum seiunctumq; imbecillitatem esse uelint, non autem uelut in suppurantibus, aut scirrho grauatis, aut phlegmone affectis, aut alia quauis ratione laborantibus inesse. Quippe omnia hęc uitia, siue in uentriculo, siue in iocinore, siue in pectore, siue in alio quouis accidant, ilico partem in qua sunt, ad propriā functionem edendam imbecilliorem reddūt. Sed id non satis illis erat ad indicāda remedia: alioqui frustra inquirunt affectus, frustraq; ad ipsam morbi essentiam subeunt, tanquā non aliter detur idonei compotes esse remedij. Nō igitur qui imbecillitatem uitium esse dicunt, ubi nullo ex ijs quæ ipsi morbos definiunt, affecto uentriculo, animal cruditate laborat: ij, dum à nobis refellantur, expectant; sed ipsi se ipsos redarguunt: cum non proprium aliquod, sed commune omnium dicāt, quodq; nec illis ipsis iudicibus, remediorum inuentionem indicare facile possit. Quippe illud roborare imbecillitatem, nomen nudum, ac ueluti meta potius est quò curans dirigit, non curatio. Nam quid faciendo ijs qui inualidi ad actionem sunt robur uindices, non dicunt. At in hoc curatio cōsistebat, & nisi uentriculi affectu inuento, ut remediorum sis compos, fieri nō potest. quippe si refrixit, calfaciendus est: si humentior est effectus, siccandus est: pari modo si immodice incaluit, refrigerādus est: si siccatus, humectandus est. Atq; hæ quatuor simplices curationis rationes sunt. Alterę quatuor cōpositæ sunt. Si frigidiore ac sicciore temperamento redditus uentriculus est, calfaciendus simul humectandusq; est. Si humidior & calidior iusto euasit, siccandus ac refrigerandus est. Pari modo si calidior ac siccior est effectus, tū refrigerādus, tū humectādus est. Sin humidior ac frigidior, ꝙ pro natura est, siccādus ac calfaciēdus est. Quare octo tū uētriculi ipsius affectus sunt, quas illi imbecillitatis causas dicunt: tum octo medendi rationes.

5 Nec sicut Empiricis, sic ulli dogmatizantiū dicere licet, sint hæc an non sint, nihil esse opus intelligere. Funditus namq; logicam sectam subuertent, si ignorato affectu, curationis tamen facultatem abunde sibi superesse dicant. Etenim ab usu ipso omnes quomodo curandum sit, intelligent, si ab ipsius rei natura indicationē non sument. Ac Empirici quidem & quòd inuenire posse non putent quicquam eorum quæ abstrusa sunt, & ꝙ id etiam si inuentum sit, non desiderent, (quippe obseruatas à se esse curationes in apparentibus concursibus) meritò nec scire se an octo affectus sint, quibus uentriculus imbecillus fit, aiunt: & citra eiusmodi superuacuam morositatem remedijs se abundare. Qui uero & rationem se habere profitentur, cuius ope etiam abstrusa inquirant, & ipsorum inuentionē præsidiorum præstare indicationem dicunt: hos quomodo nō pudeat dicere, aut non nosse se, an octo affectus sint, aut eos ad medendū parum se requirere? Neq; enim id tantum dicere satis est, nō nosse se: sed refellere par est eos, qui se scire affirmāt, ceu parū uera professos. Quoad uero nec ipsi id faciunt, alijq; non pauci demonstrationis fide confirmant omne corpus pro certo quatuor qualitatum temperamento opus suum edere, rationabilius est illis accedere: nisi forte qui nuda afferunt uerba, plus sibi credi postulabunt, quàm qui cum demonstrationum fide loquūtur. Atqui illi si nō aliud, saltem suadere ac docere auditorem studēt, non cogere iubereq;. Hi totū contra tyrannorum ritu iubent, ne quæramus actionis causam. Verum nos hoc nomine Dionysium, Phalarim, cæterosq; tyrannos odio prosequimur, quòd iubent imperantq;, non suadent, ac docent, sicut Solon, Draco, & Lycurgus. At, inquit, ego intra limites artis maneo. uos & ab ijs exceditis, & ad naturalis philosophię principia nos reduce-

re conamini. An igitur homo lepidissime, ne hoc quidē ipsum demōstrabis, qui nā uidelicet medicinæ artis sint limites, quæq; nouisse expediat ei qui ratiōe remediorum inuentionē molietur, sed terrifico uultu tuo reddere attonitos putas? Audio quidem & te illud dicere, non oportere actionis inquiri causam. Audio & Empiricos dicere, nec actiones ipsas esse cōsiderādas. Audio nō minus illum qui dicit non tantū has esse æstimandas, sed etiam causas unde nascantur quærēdas. Num igitur ex eo esse me iniquorū iudicum numero iubes, qui priusquā omnes qui inter se dissideant, audierint, uni statim ferunt suffragium? An primum que uestrum quisq; dicat, seorsum audire uis, dein conferre, atq; perpendere quis tum sibi, tum apparentibus consentiat, quis rursus nec secum, nec cū ijs quæ apparent? Atqui si ita faciā, Empiricos audiam, etsi quæ dicunt, stabiliter nō demonstrent, saltem ea lenire conantes. Vos ne id quidem facitis. Nam sane libenter audierim quis uestrum, uel lenimē aliquod, uel demonstrationē aliquam afferre sit conatus, cur actiōis causam inquiri nō expediat. Quę enim à me methodus supra est posita, inquirendā esse demonstrauit. Vos q; inquirenda non sit, nec demonstrationē ullam, nec rationem ullam probabilē afferre conamini: sed tantum elato supercilio tetrice nos obiurgatis, abscedere à summa physiologia iubentes, nec sic quærere hominis naturam intelligere, ut philosophi faciunt, qui ad prima usq; elementa ratione ascendunt. Illud quoq; uobis, uel dixisse tantum satis uidetur, nempe arteriā, & uenam, & neruum, principia cōtinentia, & ueluti elementa eius physiologiæ, quę de homine instituitur, ponenda esse. In quo quidā Herophilū laudauit, q; ita ad uerbum dixerit: Esto hæc prima esse, tametsi prima non sint. Sed qui ad demōstrationē prouocat, ac hypotheses istorum qui sic opinantur, pugnare secum ostendit, hunc auersamini ac fugitis, prorsusq; nō auditis, & contemnere simulatis, ibiq; rationem fastiditis, ijdem scilicet qui cōtra Empiricos rationem demonstrationemq; extollitis. Nam q; secum dissideant rationes omnium, qui uel ex dimidio dogmatizant, etiam ijs qui tenuiter in demonstrandi methodo sunt exercitati, facile perspicere licet. Cum enim phlegmone uētriculus laborat, atq; inde adeo cōcoquere non ualet, quænam phlegmones causa sit, quærendum censent, atq; inde præsidiorum copiam coniectant, spreta Empiricorū inuentione. Cum uero citra phlegmonē, aliud ue id genus uitium, solius intemperantiæ culpa cōcoquere non ualet, hic rursus auxiliorum facultatē ab experientia petunt. Atqui hæc secum non cōueniunt, cum Empiricorū opinio sibi constet, præterea demonstret efficiatq; quod uolunt, ex ijs quæ uos ipsi nō inficiamini, lemmatis. Quippe si fieri ullo modo potest, ut ex ijs quæ apparent symptomatis curandi ratio coniectetur, ignorato affectu: utiq; nō hic possibile, in alio fuerit parum possibile: sed æque in omnibus possibile erit. Ergo ne hoc quidem loco rationē ullam afferre poteritis, quo minus ubi

A affectum explorare nequitis, experientia ipsa satis sit ad remediorum inuentionem. Omnia igitur tyrannorū ritu imperatis. Vti uero demonstratione nec ipsi uultis: (pręstat enim ita fortasse dicere, quàm non posse uos) nec ijs qui uti tum uolunt, tum possunt, acceditis. Itaq; quid aliud sunt disceptationes uestræ, quàm lites, & contentio, & prouocatio ad conuitia, & pugnas? cuiusmodi præceptorum uestrorum quidā perpetuo exercuit: aut irridens si quis calidi, uel frigidi mentionem faceret, tanquam balneatoribus magis, quàm medicis ea nomina cōuenirent: aut uehementer increpās, quasi longissime à medendi arte digressum: aut Erasistrati grauem illam autoritatem obijciens. Verum hęc ut primo auditu oblectabant, ita cum

B secundo & tertio audiui, molesta sane fuerūt, ceu scurris, quàm medicis magis congrua. Si enim semel autoritas eorum, qui ultra non esse procedendum iubent, legitimus testis esse ad demonstrationem putabitur, omnia iam meræ nugæ erunt, nec finis in disputatione ullus, nisi qui nunc uisitur, inimicitia, pugna, cōuitium. Quippe qui à logicis demonstrationibus digressi, credi quippiam cēsent, propterea quòd Herophilus, aut Erasistratus ita iussit, hos necesse est omnis generis conuitia pugnasq; sequi, admiranda scilicet disputationum quæ nunc habentur pręmia. Fingamus enim alius dicat, huic qui commode non concoquat, uentriculum frigidam & siccam intemperiē cōtraxisse, proindeq; humectandum, ac calfaciendum esse.

C alius, quòd naturalis eius habitus mutatus ad frigidius, & humidius sit, calidum siccumq; uictum adhibendum suadeat. tertius autem quispiā accedens, quod quæ comprehensa sunt, non recte sint dicta, id ne tentet quidem ostendere, sed tantum eos qui dixerint, obiurget, quasi superflua scrutentur, & testes adhibeat Erasistratum, uel Herophilum: nónne (ut dixi) dissidij hinc mutuiq; conuitij initium excitabitur? quippe illos cōtra necesse est Athenæum, & Mnesitheum, & Dioclem, & Plistonicum, & Hippocratem, & Philistionē, & sexcētos alios tales opponere testes. Si enim testibus decidenda lis erit, non modico hi uincent. Nam quod tum insalubris intemperamenti plures sint species, tum cuiusq; earum diuersa curatio, ubi nō

D Hippocratis modo, et plurimorum aliorum medicorum, sed etiam Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Zenonis, Chrysippi, & omnium illustrium philosophorum testimonio comprobarint: utiq; et q; citra naturam corporis exacte inuentam fieri nequeat, ut uel de morborum differentia quicquam inuenias, uel auxiliorum cōuenientium copiæ sis compos, ijsdem ipsis tum philosophis, tum medicis confirmabunt: hisq; non tyrannorum ritu, sicut isti, iubentibus, sed euidenti ratione probantibus. Contra hæc igitur, qui calidum, & frigidum, balneatorum, non medicorum dicunt esse uocabula, dicterijs uidelicet utentur, & risus mouebunt, moriones, phrygas, aut scholasticos narrantes. Quippe conscij sibi sunt non modo nihil demonstratione confirmatum scire: sed nec quid de

mum

mum demonstratio sit intelligere. Ergo ex his dicterijs necesse est oriatur dissidij initium. Vt enim primum omnium memorem quæ nugantes sine demonstratione dicere non dubitāt, cōsidera quo pacto necesse sit ex eo pugnā subsequi. Nam ubi contra dicta eorum nuda, & demonstrationis expertia, ac contra testes ipsos quibus credendū censent, alij tum celebriores, tum longe plures testes opponūt, necesse est, uel cedere, uinciq; utroq; nomine, & quòd demōstrare recusarunt, & quòd numero testium sint impares: uel perfricta fronte, Erasistratum omnibus illis testibus dicere maioris esse fidei. Siquidem hic necessum est alterum negare esse maioris fidei, aut Hippocrate, & Mnesitheo medicis, aut Aristotele, & Platone philosophis: alterum esse maioris fidei instare: deinde uarie ultro citro tam immodesta, contentiosaq; contradictione iactata, alterū eorum impelli, ut dicat non esse, alterum bene sanè, si tu Erasistratū in ordinē redigas. Hæc enim quotidie fieri in medicorū disputationibus: ò Hiero, uides. Ea uero semel data porta, omnia iam muliercularum uerba ingeruntur: & cum mutuis se maledictis asperserint, inutiliter amisso tempore discedunt. Atq; hanc turpitudinem non est ꝙ dicat aliquis non esse ab ijs qui demōstrationem fugiunt, inceptam. Fugiunt aūt multifariam, ut scis: alij cum grauitate tantum increpantes: alij scurrile aliquid cōmenti: alij in risum sannasq; disceptatione abrepta. Quòd si quis sermoni stare, demōstrationesq; audire audet, primum quidem omnino nō intelligit. neq; enim potest qui demonstratiuę methodi sit imperitus, eos qui ipsa utūtur intelligere. quòd si aliquatenus intelligit, at quòd dogma suū in quo est innutritus, propugnare omnino decreuit, contra tendere aggressus, dein deprehensus, quæ nec rite cludant, nec colligant, sed uana nugaciaq; sint dicere, irascitur, & deuouet Dialecticos, ceu malorū autores, quòd uidelicet pituitam à naribus ipsorum detergent, ipsisq; mederi conantur. adhibitis scilicet nō melle, & placentis, sed allijs, & cæpis, quæ etiā pituita tentatos gallinaceos sanare solent. Quippe millies affuisti ijs, cum à diuerse cludentibus argumentis non aliter quàm ab ipso allio, & cæpis cogerētur lachrymari. Nec te profecto latet, multos sæpe nobis priuatim fassos sentire iam se suam sectam, quàm sit absurda, nec tamen hanc posse publice mutare: cum alioqui, nec alia nossent, unde haberentur in precio, & iam uulgo propter hæc, & noti, & in precio forēt. Itaq; ob hæc ipse quoq; distuli cōmentarios De medendi methodo scribere, pro comperto planè habēs paucissimos huius tempestatis ab ijs adiutum iri. Etenim nisi magna quæpiam miraq; mutatio humanarum rerum fiat, actum de bonis studijs est, utpote confusis ac corruptis, nemine ueritatem ipsam, sed tantum scientiæ famam quærente. Optime enim profecto scis, ne quinq; usquam inuenisse nos qui esse potius q̃ uideri docti cuperent. Atqui nisi quis sapientiam ipsam propter seipsam expetat, ne tempus quidē ullum inueniet, quo se in Logica methodo exer-

A ceat. imò diuitijs, & famæ, & potentiæ ciuili inhians, in horum ambitu uitam omnem consumet. Ergo dimissis his, rursus ad propositū redeamus.

6 Est aūt ab initio propositum illud. qui oēm morborū numerum methodo non inuenerit, hūc maxime in ipsis medendi methodi foribus lapsurum. cum constet totidem esse medendi rationes, quot sint morborum ideæ. Ergo sic in enumerandis morbis egisse, ut neq; priuatis proprietatibus attētus infinitos statuat, nec in primis statim generibus subsistat, id in promptu cuiq; non est, sed ei tantū, sicut antea dictum est, qui in diuidendi methodis sit exercitatissimus. Principium uero diuisionis eorum est, ut etiā alibi diximus, ut essentię ratio rei diuidendæ constituatur. Igitur illud mon-
B stratū nobis est, morbū omnino unum ex ijs esse, quæ prçter naturā sint. Hęc aūt quatuor cum sint, actio offensa, affectus unde actio ꝓuenit, affectus ipsius causa, & quæ hunc subsequunt symptomata: siue functionē ipsam uitiatā, siue unde hæc prouenit affectum, morbum nominare uelis: nihil id medēdi methodum immutare ostēsum est, modo unum illud intelligat, primā ipsam curationē, quā etiā nōnulli continentē appellāt, affectus esse qui actioni incōmodat. Porro ostensum à nobis diximus, rationabilius hunc morbum appellari, nō tamen uetare nos quin si cui id cordi sit, actionis noxam morbum nominet: affectum qui hanc creet, morbi causam. Præsumpto igitur ꝙ morbus uocetur affectus is præter naturam, qui functioni officiat, inquisiuimus deinceps quot in uniuersum
C morbi essent. Vbi clarum obiter fecimus, si quis uia ordineq; processurus sit, nec (sicut uulgus medicorum facit) tyranni ritu imperaturus, huic primum inueniendum esse affectū illum qui functionis effectrix sit causa. Hunc sanè nos δυσκρασίαν diximus esse calidi, frigidi, humidi, ac sicci. Proindeq; primum morbum in similaribus esse, ex horum intemperie ostendimus. Alius quispiam corpusculorum, & meatuū symmetriam statuet, eoq; ex indebito meatuū ipsorum modo ægrotare animātes: Cæterum, si quis nec ipse actionis causam, in quonam entiū sit genere, audebit statuere, nec ijs qui statuunt cōtradicet, ac nihilo secius tamen ratione methodoq; se procedere arbitrabitur, hūc
D egregie improbū esse diximus: ut qui nec tutum se ab Empiricorum accusatiōe facere possit, & secum planè pugnet: quippe eiusmodi homines ex dimidio logicos esse, qui qua ratiōe phlegmone, scirrhus, œdema, & alia id genus fiant, multo labore disquirunt: lædi autem etiā citra hæc omnia ex sola intemperie actionem, non intelligunt: sed empirice talia curāt. Quisquis igitur quantum hi aberrent scire uolet, tū quot morbos transiliāt, quantoq; plures ignorent, q̃ norint, librum De morborum differentijs perlegat. Intelliget eñ Hippocratem primū omniū recta instituisse uia. Quæ cū à posteris absoluēda fuerat, nō modo nemo eorum absoluit, sed pleriq; etiā quæ probe fuere inuēta, corruperunt. Proxime aūt ut uiā quæ inchoata est ab eo, perficerēt absoluerentq;, Aristoteles, & Theo

phrastus accesserũt: & si fateri uerum oportet, potestate absoluerunt: cum cõstituerint aliud esse in corporibus similaribus morbi genus, aliud in ijs quæ instrumẽtalia dicantur. Quippe à similaribus functiones edi, eoq́ esse cuiusq́ instrumẽti unam tãtum similarẽ. Reliquas uero quæ cum hac quoduis instrumẽtum perficiunt, eas, usus alicuius gratia, illius quæ prima erat actionis causa factas esse. Sed & horũ tamen rursus cuiusq́ esse per se actionem, ueluti in oculis. Satius enim fortassis sit, quæ in alijs diffuse ostendimus, strictim hic cõmemoremus. Ipsum uisus instrumentum est crystallinus humor. reliquæ oculi partes, eius causa sunt factæ. Quarum omniũ usus narrauimus in decimo operis De partium utilitate libro. Cæterũ, quanq́ crystallini maxime causa omnes sunt factæ, singulæ tamen earum aliquam seorsum actionem sunt nactæ. ac uena quidem, & arteria, & neruus, toti animanti cõmunem. Membranulę oculi omnes cum sint nutrimenti participes, omnino naturalibus facultatibus sunt præditæ, ac perinde etiam functionibus quæ ab his proficiscunť. Quoties igitur crystallinus humor ex intemperie laborat, omnino lęditur oculorum functio. Cęterum, non est eorum, ut organa sunt, morbus. At quod hypochyma uocant, nullius similarium est morbus, sed oculi totius, ut instrumenti. Ad eundem modum, si in finibus uenarũ, quę in cauo iocinoris habẽtur, obstructio ex lentis, aut crassis succis subhæsit, digestio quidem in corpus per has morabitur, ægritudo tamen totius iocinoris, ceu instrumenti censebitur, nulla similariũ eius partium ægrotãte. Quòd si intemperies uenas eius infestauerit, ipsarum quidẽ illarum morbus primũ erit, ex accidente uero etiã iocinoris. Ac Erasistratus quidem in phlegmones substãtia tradẽda est lapsus. cum nec in particulis quæ phlegmone laborãt in finibus arteriarum, impactio necessario cernatur, nec arteriæ spiritũ tantum, cum in naturali habitu sunt, contineãt: ueluti in tractatione de his ostendimus. Si igitur phlegmone eius generis morbus sit, cuius autumat, & scirrhus eius generis, cuius ille opinať, & reliquorum singuli, sicut ipse obscure, & multi sequaces eius clarius explicare conantur: utiq́ solidas ipsas partes liberas propemodũ à morbis relinquit, nisi quatenus ulcerari, collidi, incidiq́ ualeant, atq́ id genus aliud quippiã pati. Laborare uero eas se totis, eiusmodi morbis, quales nos octo intemperantias ostẽdimus, id nusquã dicit. Atqui corpora uniuersa etiã quę difficillime afficiunť, ueluti ęs, lapis ferrũ, saltẽ calfieri, frigefieri, siccari, humescereq́ cernuntur: ut utiq́ mirum sit, si tantum arteria, & uena, & neruus, nihil eiusmodi sentient. Atq́ hoc etiã magis mirum, si patientur quidẽ, functionem tamẽ legitimã edent. ueluti (si ita fors tulit) in corde facultas quædã est, (ut ipse quoq́ Erasistratus confirmat) qua laxatur, & contrahitur. Hanc aũt lædi profecto oportet, si uiuenti animali cor sit exemptum, quemadmodum sæpe factum in sacrificijs uidemus. Quippe si non lęditur, perpetuo mouebitur, nec tantum ad tempus aliquod, ut nunc

A cernitur. Manifestum est igitur læsam esse, proindeq́ mouere desinere. Illud igitur cõsideratu non inutile erat, cum potest saltẽ facultas ea lędi, etiam antequam cor sit exemptum, quænam sit eius læsio, quænam alia, præter intemperiem. Nam neq́ figura eius mutata apparet, nec cauitas, nec ligamentum, nec osculum, nec alia ulla pars perdita, sed tantum naturalis temperies mutata. Ergo omnes hi similarium partium morbi omnino, ut dictum est, ab illo sunt omissi. Siquidem ubi sanguis in finibus arteriarum impactus actionem uitiat, id arterias ipsas quatenus instrumenta sunt, male habet. Vt uero similares particulæ sunt, octo quidẽ secundum nudas qualitates intemperies habent, octoq́ rursus cum fluxione. Oportet igitur, quisquis horum cum certa scientia demonstrationes

B cœpisse uelit, à libro De elementis incipiat. post deinde reliquos singillatim (ut dictum est) legat. Sunt uero proximi huic cõmentarij de temperamẽtis. Ab ijs proximus est, qui de inæquali intemperie inscribitur. Mox, qui de naturalibus facultatibus. Alijq́ qui de animæ affectibus sunt proditi. idq́ de unoquoq́ deinceps, & seorsum. Hos excipiũt qui de particularum usu sunt inscripti. Quos sequuntur qui de morborum, symptomatumq́ differentijs titulũ habẽt. Pleriq́ uero medicorum, nec tantum experientiæ applicantes animũ (cum tamen liceret ex Empiricorum institutione bonis esse medicis) & perfectioris rationis cupidi, cum aut ijs quæ citra demonstrationem sunt enunciata credant, aut uitiosis demonstrationibus fallan-

C tur, non solum nihil excogitant boni, sed etiam quæ per experientiam sunt cognita, corrumpunt. Siquidem ratio non leue momentum obtinet ad experiẽtiam, uel ornandam, uel corrumpendam. sed quantum recta ratio ornando adijcit, tantum, uel etiam amplius, uitiosa detrahit. Atq́ hæc me sæpe medicorum uulgo prædicantem audis, qui priusquã in methodis Logicis se exercuerint, uel cum demonstrare aliquid tentant, seipsos fallunt: uel cum diuidere quiduis in species, ac differẽtias, hic quoq́ imperitorum coquorum ritu nõ per articulos incidunt, sed conterunt, collidunt, ac dilaniãt, ueluti in eo quod nunc est propositum. Consulo igitur (ut scis) talibus omnibus, experiẽtiæ a-

D nimum intendant, cum non leue instet periculum ijs, qui supra uires aliquid moliuntur, ne & id non consequantur, & quæ intelligere aliàs possent, omnino amittãt. Ergo cũ ijs qui tum recto sunt ingenio, tum discere parati, ipsi rursus sermonẽ conferamus, illud tantum ex ijs quæ inter initia diximus, commonentes, non esse committendum, ut utraq́ simul confundantur, misceanturq́, & quæ per experientiam sunt inuenta, & quæ sola ratione sunt inuestigata: sed cum utrũq́ seorsum sit tractatum, post ambo coniungantur. Ergo cum ipsi de experimentali secta alibi egerimus, de Logica in his cõmentarijs disserere proposuimus. At mihi uideor ijs præsertim qui commentarios nostros De morborum symptomatumq́ differentijs perlegerũt, cum quibus scilicet mihi deinceps

sermo erit, iam clare ostẽdisse maxime in ipsis statim foribus lapsum Thessalum esse. Lapsus enim non leui lapsu, & Asclepiades erat, ubi inter initia de elementis corporis male sensit. Cæterum, multo & maiore & grauiore Thessalus. quippe qui omnes in uictus ratione morbos in duos similiter illi contulit affectus, multos uero medicinalium scoporum ademit, quibus ille est usus. Pessimum autem grauissimumq; illud admisit, quòd nec ipsas actionum noxas, nec affectus qui earum causę sunt, morbos censet: sed solis uacuationibus, uel statis, uel præcipitatis intentos esse uult, cum nec quid sit plus iusto sisti præcipitariue uacuationẽ, clare nos doceat. Quippe uel ad uires, uel ad causam, uel ad affectum, uel ad id quod per sanitatem semper est obseruatum, referri iudicium oportet. Ex quo factũ arbitror, ut pugna inter eius sequaces non parua sit orta, ut qui tum de reliquis omnibus inter se dissideant, tum de eorum quæ pathe uocant, & notione, & subsistentia. Verum si nunc de pugna eorum historiam moueam deflectam ad inutilia sermonem. Omnem igitur, deinceps sermonem faciam ceu cum illis agam, qui cõmentarios De morborum ac symptomatum differentijs, præterea de causis eorum legerint. ad hæc qui ea omnia quorum paulo ante memini, reuoluerint. atq; hinc ordiar. Quoniã actiones omnes à similaribus corporibus proficisci ostẽdimus, reliquas uero omnes singulorum instrumentorum particulas, usum quempiã ipsis præbere, duplex sane morborum genus erit: alterum in partibus similaribus: alterum in totis organis. In similaribus intemperãtiæ, in totis organis unum in figura spectatur, aliud in particularum numero, aliud in cuiusq; quantitate obseruatur, quartum in positura. Vtrarumq; uero partium, id est similarium instrumentaliumq;, communis est ipsa unitatis diuisio. Ergo sex in uniuersum morborum sunt genera. Vnum ipsorum similarium proprium: nempe intemperies. quatuor, ut modo dictum est, instrumentorum cuiusq;. & cum his sextum, quod tum similaribus, tum instrumentalibus est commune, ipsius unitatis solutio. Horum cuiusq; differentiæ ad ultimas usque species in libro De morborum differentia sunt traditæ.

7 His sic se habentibus, iam de medendi indicationibus est dicendum: sed hoc ipso indicationis uocabulo prius exposito. Quippe ipsam sequentis, siue agendi insinuationem, indicationem dicimus. Nam inuenitur quidem, & ab ipsa experientia id quod consequens faciendumúe sit: cæterũ, non ita quasi in præcedenti aliquo designatum. proindeq; nemo Empiricorum dicit id isto indicari: quanquã certe hoc sequi illud dicunt, & hoc præcedere illud, & consistere hoc cũ illo. Deniq; omnem artem horum obseruationem memoriamq; esse dicunt: nempe quid cum quo, & quid à quo, & quid post quid identidem sit uisum. Ergo ex ipsa rei natura ordiri, atq; ab ipsa quod sequens sit, citra experientiam inuenire, id est indicatione inuenire. Definito iam hoc quoq;, ac rursus quod ante diximus, ad memoriam reuocato, omnẽ medendi methodum seiunctam ab experientia procedere, nec recte facere eos qui ambas doctrinas Empiricam, Logicamq; in unum cogunt, atq; cõfundunt, quæ reliqua sunt, prosequamur. Fuerit autem omniũ quæ reliqua sunt, ordine primum, quod & proposita iam proxime sequitur. Sequitur autem primum ac maxime illud, quòd omnis medendi methodus, per indicationem fit. Quippe quicquid ab experientia seiunctum est, id totum indicatio nominatur. Quare quisquis conde re medendi methodum ad unguem parat, huic à primis est indicationibus auspicandum: atq; hinc ad eas quæ deinceps sunt transeundum: rursusq; ab his ad proximas. Itaq; pergenti, non prius desistendum, quam ipsius compos sit finis. Porrò, finis propositæ nunc nobis tractationis est, inuenire cuiusq; morbi remedia. Quod nam igit uiæ quę huc perducit, statuetur principiũ? Nempe morbi ipsius cognitio, qualis scilicet is natura sit, ut prius est ostensum. Quippe si id quod curatur is est, ratio profecto est ab ipso quoq; indicationes esse incipiendas. Ergo primum quæ generalis communisq; morborum omnium indicatio sit, inuestigandum est. ab hac deinde ad alias speciatim descendendum. Quippe necesse est omnes morbos unius eiusdemq; participatione morbos appellari: ueluti arbitror, & hominem, & bouem, & canem, & reliquorũ singula. Vnum namq; idemq; in omnibus hominibus habetur, cuius gratia omnes eandem appellationem hominis sortimur. Pari modo canibus unum idemq; omnibus inest, cui cogitatione innitimur, cum canem intelligere uolumus. Similiterq; in omnibus equis unũ idemq; inest, propter quod omnes equi dicuntur. In homonymis autẽ hoc clarius perspicere licet. Nam omnibus quadrupedibus animalibus, quæ latrãt, unum idemq; inest, utique quòd & quadrupedia sunt, & latrabilia. At marinis illis rapacibus belluis, quas ipsas quoque canes appellamus, unum rursus idemq; inest, quod terrestribus non est: ita ut his cum illis in canum natura nulla sit, nisi tantum nominis conuenientia. At hominis cum homine, ueluti Socratis cum Alcibiade, non nominis modo, uerumetiam eorum quę is insunt, societas est. Nam & animalia, & bipedes, & pedestres, & rationales, & mortales sunt. Et in summa nihil ulli singularium hominũ quà homo est inesse deprehendas, quod non et reliquis hominibus insit. Cæterum terrestribus canibus, ab ijs qui sunt marini, multa insunt diuersa: seu corporis spectes formam, seu animi mores. Quippe ille cicur est, hominisq; amans: hic insidiator, & ferus. Ille terrestris, hic marinus. Ille quadrupes, hic non. Rursus, ille latrabilis, hic ad latrandum minime habilis. At non terrestriũ canum hic latrabilis est, ille nõ: nec rursus hic quadrupes, alter non quadrupes: sed omnibus ipsis una forma inest, qua canes nominantur. Nec uero substantijs modo id inesse uidetur, uerumetiam ipsis accidentibus, uel ut affectus sunt, uel ut actiones, uel ut passiones. Verbi

A gratia, homo inambulans ab homine inambulante nihil differt secũdum ipsam inambulationem: sed nec ustus ab usto, nec cæsus à cæso, nec albus ab albo, nec niger ab nigro. Verum in maioris minorisq; ratione singuli horum non paruam obtinent differentiã, ueluti magis minusúe albus. Verum quatenus albus, unum idemq; cum altero albo possidet: ita nimirum, ut qua homo est, unum idemq; cum alio quolibet homine. Et in singulis deniq; significatorũ, unum idem omnibus inest. Ita igitur & ipsum ægrotare, & ualere se habent. Illud enim ægrotantibus omnibus inest, hoc ualẽtibus: utiq; unum idemq; utrunq;. Et ueluti nomine hominis unum, ita etiã nomine sanitatis unum significatur. Declarat autem & quotidianus inter nos sermo, quòd in quibus homonymia non est, in his unum est quod significatur. Si enim dicat B quispiam uulneratum sibi esse lapide caput, nemini qui audiat, sermo est obscurus, aut ambiguus: sicut est cum dicitur deuoratum esse à cane Coriscum. Siquidem à quo cane, statim rogabit auditor: propterea uidelicet quòd duo sunt canum genera: terrestre alterum, alterum marinum. At non quo lapide, aut quod caput, rogabit: cum & omnis lapidis qua lapis est, una species sit, & omnis capitis qua caput. Canis uero, ut canis, sanè nõ una: sicut nec linguæ qua lingua, quando & tibiæ, & calceamenti, & animantis pars lingua est. Ac si quem audias ministro iubentem, ut linguam afferat, incertum est quam linguam dicat. Sin uẽtrem, aut uesicam, aut iecur afferre iubeat, non item. Er- C go singulis significatis una certa subiecta res est: non tamẽ cuiq; uoci una res subijcitur. Interdum enim tantũmodo significatur per uocẽ, nec quicquam subijcitur. Verum de his quæ ita dicuntur disserere, præsentis propositi non est. Quibus autem nõ tantum significatur aliquid, sed etiam res aliqua subiecta est, his quotquot significata fuerint, totidẽ sunt & rerũ ideæ. Ac uocis quidem unum significantis, una necessario erit & rei species, numero tamẽ plures has esse licet: sicut α. Eoq; septem esse uocales dicimus: elementa Græcorum idiomate quatuor & uiginti: ad cõmunem uidelicet omnem speciem, quæ una est, referentes, non ad particulares, quę chartis, lignis, mẽbranis, & lapidibus sunt scriptę: quarum maximus nume D rus est, nec potis numerari, peneq; in infinitum extensus. nam possunt in toto temporis spatio infinita scribi, tum α, tum β, tum γ. Eodem modo & reliquarum literarum singulæ. Verum ea in uniuersum quatuor esse & uiginti numero dicimus, non particulares intelligentes, sed tantum species, quibus (ut arbitror) ipsa nomina indimus. Quippe non hoc quod in charta scribitũ, α dicitur: illud quod in ligno pingitur, non α dicitur: immo tum hoc, tum illud. idq; siue describas in terra, siue in lapide, siue scalpas, siue colorib. pingas. Sed nec pueros docet quispiam multa α, & β, & γ, & reliquorum singula: immo quodq; horum unum, simul autem oĩa uigintiquatuor. Simili genere, si equum unum puero indices, aut camelum: ubi

alium rursus equum, aut camelum aspexit, non rogat quod animal id sit, sed illum equum, hanc camelum nominat. atq; illum quem prius, cum hoc quem nunc cernit, eundem esse dicit, quãuis fortassis alter mortuus iam sit, alter (hic uidelicet quẽ cernit) supersit. Iam uinum homines heri hodieq; idem bibisse se dicũt: nempe specie idem. Interim tria se uina hodie bibisse narrant: aut etiam unum, ad speciẽ ubiq; respicientes. Præterea quindenas fores uno sigillo obsignatas, ad speciem scilicet in omnibus his sermonem referẽtes. Adeoq; est euidens, ac omnib. natura insitum, tum hominibus, tum brutis, ut aliud quid ceu in substantia subiectum, aliud ceu specie unum intelligant: ut uel asinorum (qui tamen omnium brutorum stupidissimi uidentur) aliud esse specie unũ, aliud numero, notitiam non fugiat. Conspecta namq; camelo, asinus se retrahit, et fugit, ac timet, si nunq; ante camelum conspexit. sin autem uidere iam assueuit, quamuis aliam aliamq; illi demonstres, tamẽ propter consuetudinem non amplius timet: sed ueluti unam speciem intuetur, & illam cui insueuit, & hanc quæ nunc primũ apparet. Ad eundem modum, nec homines timet, propter cõsuetudinem: sed hos quoq; uelut unam speciem uidet. Verum, si curatorem inspexit, non solum ut hominem, sed etiam ut hunc hominẽ agnoscit, & micat auribus, & caudam quatit, & rudit, & lasciuit, cum eum aspexit, utiq; indicãs se familiarem agnoscere. Hũc itaq; tum ut hominem, tum ut familiarem noscit. Eum autem quem primum iam uidet, ut hominẽ similiter, ut familiarem non similiter. Quare non nos modo, uerum asini quoq; iam aliud, ut numero idem, tum uident, tum etiam nõscunt, ac meminerũt: aliud ut specie. Ac Dionem curatorẽ (esto enim ita uocetur) aliter ut hominem, aliter planè, ut curatorẽ suum agnoscunt uernaculi asini, utiq; communem eius cum alijs hominibus speciem, ut hominis capientes: priuatam uero ac secretam, ut Dionis tantum. Ergo tantum abest, ut ueteres philosophos laudem, tanquàm amplum aliquid magnæq; subtilitatis inuenerint, quod idem ac diuersum, unum ac non unum, non solum numero, sed etiam specie sit inaudiendum: ut etiam ipsis asinis hoc inesse natura dicam. Sanè adijciunt ueteres philosophi non tantum numero, ac specie aliquid idem dici, uerum etiã genere. Verum id iam ad rem propositam non desidero. Mihi enim unicum illud satis facit, quòd ipsis asinis stupidiores ostendi, qui nõ concedunt aliud specie unum, aliud numero dici: magisq; his etiam, qui unum esse phreniticum, & unum Empiricum dicunt, unum tamen esse hominem non cõcedunt: aut qui non intelligunt specie quidem unum esse hominem, numero nõ unum, nec Socratem unum esse, tum specie, tum numero: Phreniticum autem specie esse unum, multitudine non unum: cum fieri non posit, ut Dion, Socrates, Theon, & Coriscus, pariter si ita fors tulit, phreniti laborantes, cũ quatuor sint, unus multitudine sint, sed specie unus, multitudine non unus. Absurdius autem multo

eſt quod Empirici dicunt, cum unum eſſe Empi-
ricum dicunt, deinde rogati quomodo unum di-
cãt eum qui uiuit, cum eo qui mortuus eſt, & eum
qui eſt in Græcia, cum eo qui eſt in Aegypto, mi-
rificum reſponſum afferũt. Quatenus (inquiunt)
Empiricus eſt, hactenus etiam unus eſt. Hoc ẽm
extremæ ſtupiditatis eſt, ſi adiectis illis quatenus
& hactenus, nec quæ ipſimet loquuntur, intelli-
gunt. Si enim hactenus Serapion, & Menodotus
unus ſunt, qua Empirici ſunt: profecto in alijs u-
nus non erunt. quãdo ſi omnifariam unus eſſent,
ſuperuacue arbitror, ac fruſtra addita eſſent illa,
quatenus & hactenus. cum prõptum eſſet ſimpli-
citer dicere unum eſſe Serapionem & Menodo-
tum: ita nimirum, ut ſi de ipſo tantum Menodo-
to loquens, adiectione non egeres, ſed abſoluto
ſermone diceres: Menodotus eſt unus. Ergo ſi u-
nus abſoluto ſermone eſt Menodotus, Serapion
autem & Menodotus non abſoluto ſermone u-
nus, ſed quatenus Empirici: omnino ꝓfecto ipſis
alia quæpiam inerunt quibus duo ſunt, & non u-
nus ambo. Efficiturq; hoc illud quod antiqui Phi-
loſophi dixerunt, aliud numero, & idem, et unum
eſſe, aliud ſpecie. nec eſſe mirum ſi Menodotus
Serapioni in aliquo idem ſit atq; unus, in aliquo
non idem, neq; unus. quatenus enim Empiricus,
idem. quatenus autem hic reſimus, ille naſo adun-
co, aut candidus, aut niger, aut magnus, aut par-
uus, non idem. Nunquid igitur ſic eſt uterque eo-
rum homo, ut uel naſo eſt adunco, uel reſimus:
an ſicut Empiricus eſt? An hoc quoq; puer intelli-
gat, quòd qua homo, unus ſunt: qua hic reſimus,
ille grypus, non unus? Num igitur extremi ſtupo-
ris eſt, aut pertinaciæ, aut neſcio quo nomine me-
rito appellem, fateri unum eſſe phreniticum qua
phreniticus, ſimili modo letargicum, & pleuriti-
cum: hominem uero, qua homo eſt, non unum?
Præterea Empiricum unum dicere qua eſt Empi-
ricus: equum uero, ut equus eſt, nõ unum? Cum
audire liceat Ariſtotelem, & Theophraſtum affir-
mantes, ſpecie quidem poſſe alterum alteri idem
eſſe, numero uero non idem. Atq; etiam ante hos,
illum qui ipſos huiuſmodi ſignificatorum diſtin-
ctionem docuit, audire dicentem nihil eſſe miri
unum eſſe multa, & multa unum. Quippe adeo di-
lucide omnem hãc diſceptationem Plato in prin-
cipio Philebi abſoluit, ut mihi uel ipſis ſtupidis ui-
deatur eſſe dilucidus. Aſini nanq; norunt, tum ho-
minem, tum camelum, tum bouẽ. præterea hunc
hominem quẽdam, hanc camelum, hunc bouem.
Eodem modo uiam norunt, non tantum abſolute
ut uiam: ſed etiam ut hanc aliquam uiam. Nam in
ingreſſu uię quam non nouit, aſinum ſtatue, atten-
deq; ut illam perambulet, ac totã peragat, in neu-
tram partem declinans, niſi ſicubi in diuerſa ſcin-
ditur, utiq; declarans ſe ſpeciem ipſam uiæ memi-
niſſe, & clare agnoſcere. Quippe inambulat eam,
quæ trita eſt. quatenus autẽ ignorat, fallitur. Neq;
enim ex recordatione eius, quæ inſectilis, unaq;
numero eſt, hanc quam non nouit, peragere po-
teſt. Manifeſtum uero eſt eum hãc uiam, qua nũc
A primum inſiſtit, quatenus uia eſt, ut ſpecie noſcen-
tem inambulare. quatenus uero numero una eſt,
eatenus ignorare, propterea quòd & nuſquam ad
non tritam diuertat, & qua in duas ſcinditur, ne-
ſciat utra ſit eundum. Quod tamen omnino non
ignoraret, ſi ſecundo, aut tertio, nunc per hanc in-
grederetur. Nam quoniã alterum nouit, alterum
nõ nouit, propterea uidelicet quod communem
uiæ ſpeciem cognoſcit, propriam autem huius,
uel illius ignorat: utique quatenus nouit, non fal-
litur. quippe qui tritæ inſiſtit. quatenus ignorat,
fallitur ſubinde in triuijs, neſcius quam eligat. Du-
plicem ergo cognitionem habent & aſini: com-
munium ſpecierum alteram, priuatarum alteram.
In ſumma, ſiue unam ſpeciem appellare commu-
B ne illud uelis, ſiue genus, ſiue communitatem, ſi
illius hanc quam ipſe nunc interpretor notionem
cuſtodias, de nominibus contendes, rem tamen
mutare non poteris. Et de nominum quidem im-
poſitione, alius fortaſſe quiſpiam tecum conten-
det, utiq; qui æque in rerum contemplatione, ut
tu parum eſt exercitatus. Cæterum, nos ſaltem nõ
contendemus. illud potius te monebimus memi-
niſſe, quod Plato ait: Multa enim unum eſſe, & u-
num multa. Mirificum ſanè dictum. nec facile eſt
contendere cum eo, qui horum utrumlibet ſtatu-
at. Etenim ſi hoc obſerues, non erit quòd conten-
das, ut nunc contendis, partim ignorantia, partim
adductus pertinacia. Sed ſiue quis unũ eſſe phre-
niticum dicat, unum eſſe conſenties: ſiue multa,
C ita quoq; conſenties. Simili modo & Empiricum,
& Dogmaticum, & Methodicum. Non ſanè &
medicum unum eſſe, ac multos dices. unum qui-
dem qua medicum, non unum uero particulari
multitudine. Non enim de Empirico loquens,
illud quatenus adhibebis, de medico loquens id
tolles. Neq; rurſus de medico loquens adijcies,
de homine loquens auferes. Nec phreneticum u-
num eſſe dices qua phreniticus, ægrotantem ue-
ro non unum. Siquidem hic quoq; qua ægrotans
eſt, unus eſt. Dediſce igitur tandem nugas illas,
quibus in alijs libris captioſe utens, cenſes oſten-
di tibi ipſum hominem ſolum, & ſeorſum à parti-
cularibus hominibus: tanquã ipſe oſtendere poſ-
ſis Empiricum citra Menodotum, & Serapionem
D & alios particulares Empiricos: aut etiam phre-
niticum ſeorſum à particularib. phreniticis. Vbi
igitur eſt error, undeq; hęc mutatio, ut aſinis adeo
ipſis ſint ſtolidiores? Nempe unde in alijs quoq;
infinitis falluntur. Quippe ubi à notionibus ad re-
rum ſubſtãtias tranſire tentant: deinde per Logi-
cæ contemplationis imperitiam falluntur, utique
ſubuertentes cum rerum addubitatione etiam ip-
ſas notiones. Siquidem excepit eos hic quæſtio
de generibus, & ſpeciebus, quæ non modo homi-
nes qui in Logicis methodis non ſunt exercitati,
ſed etiam niſi acriter intendant, aliquos ex ijs qui
ſunt exercitati poteſt fallere. Cæterum non opor-
tet propterea quòd de rerum ſubſtantia dubitant,
à manifeſtis recedere notionibus: nec putare con-
ſultum aliquid inueniſſe utroſuis, uel Empiricos

 ſi unum

A si unum dicant, nō adiecto quo significato unum sit: uel Methodicos si pro genere, uel specie, uel communi, communitatem usurpent. Mihi enim melius uisum est notione ipsa clare iam definita (nempe qua phrenetici sunt, hac esse omnes unū: qua uero hic iuuenis, ille senex, aut gracilis, aut obesus, aut uir, aut mulier, hac multos) ueteri elocutione de cætero uti, ac cum Aristotele, Theophrasto, & Platone loquendo periclitari, qui omnia id genus specie esse unum dicunt, multitudine uero non unum, non phreneticum modo, aut lethargicum, aut Empiricum, sed etiam Dogmaticum, & Methodicum, & hominem, & equum, & uirum, & mulierem, & reliquorū singula. quòd si ad particularia descenderis, ueluti hanc mulierem, quæ indicari digito potest, hanc sanè non possis specie
B quidem unam dicere, multitudine uero multas. Quippe hæc mulier, quæ indicari digito potest, una est utroque modo, & specie, & multitudine. quod etiam aliter numero dicere solemus. Hi uero ita non faciunt, sed alij cōmunitates nominât, ceu uero non magis dubitari de ijs, quàm generibus, & specieb. possit. Alij quatenus hoc quippiā est, unum esse dicunt. quatenus autem nō unum, nequaquam explicât. Etenim par erat hos quoq; quemadmodum ostendunt, quòd Menodotus, & Serapio, & Theodas, & Glaucias, & Apollonius, & Calicles, & Diodorus, & Heraclides, & Lycus, unus omnes sunt qua Empirici, ita rursus quē admodum non unus omnes, sed multi sunt, expo-
C nere. Siquidem in his exponendis alicubi planè deprehēdissent idem, tum unum, tum multa, non modo esse, sed etiā dici posse. Menodotus namq; & Serapio, qua Empirici sunt, unus sunt: imò uero & qua medici, & qua homines. Quid uero qua animalia? Nam id quæri ab his operæpretium est. Num hactenus quoque Menodotus & Serapio unus sunt? Nam si id negent, nec nos cōcedemus quatenus Empirici sunt, eatenus duos homines esse unum. Sin concedant hac quoq; duos esse unum, nempe quatenus ambo sunt animalia, protinus illud subijciemus: Recte igitur ab antiquis philosophis dictum est, aliud numero, aliud specie, aliud genere esse quod tum idem, tum unum est. Dehinc rursus interrogabimus, Phreniticus Menodotus, phreniticus Serapio, idem ne est, an
D diuersus. Si respondent eatenus unum phreniticum esse, unumq; & eundem ambos qua phrenitici, rursus percontabimur: Quid autem qua ægrotantes? num hac quoq; ambo unus sunt? Si negent, neq; nō illis cōcedemus qua phrenitici. Sin annuent, utiq; rem aliquam ponemus, cuius una sit species, de qua omnes homines morbi nomen enunciant. Non enim phrenitis res aliqua fuerit, cui una sit idea, atque eatenus omnes qui ea sunt affecti, unum efficiens. Morbus autem similiter unum non faciet eos, quos occupauerit. At nulla est, inquit, ita distincta species, aut animalis, aut morbi, sicut hominis, & phrenitidis. Quid ais improbe? An nihil tibi significare uidentur hæ uoces, animal, & morbus, sed similiter efferri, ut blityri, & scindapsus? An significant quidem, uerum nulla res substat, quæ uocibus respondeat, ueluti in Scilla, & Centaurus? an etiam significant, atq; id quod significatur, unum est? Quippe si nulla sit res, quæ ijs uocibus animal, & morbus indicetur, non recte dicis hominem esse animal, aut phrenitim morbum. Sin est res aliqua, & uere dicis, cum hunc qui aduenit, animal esse, aut phrenitim morbum, tum hunc qui decumbit, ægrotare: est utiq; omnino aliquid eorum, quæ ipsis insunt, de quo uocem utranque enuncias. Verum ad hæc intelligenda parum es exercitatus, tametsi ea ex primis sint, quæ in Logicis institutionibus tradantur. Cæterum, quid hoc ad ipsam ueritatem? Non enim profecto ex ijs quæ tu non intelligis, iudicanda ueritas est: sed ex ijs quæ quispiam intelligit, qui & natura prudēs sit, & ea didicerit, ac exercuerit, nec idem contentiosus sit: sed ueritatē amet, quorum nullū in te est, quanquā medius fidius haud scio, an ista natura prudentem desiderent. Quis enim nescit non idem significare Socratem, ac tresimum & caluum: sed Socratem totius esse subiectæ substantiæ nomen. reliquorum autem nominum nullum de tota corporis substantia dici: non simum, non uentrosum, non caluum: sed horum aliud figuræ nasi esse nomē, aliud defectus capillorum in capite, aliud magnitudinis esse uentris? Atq; hæc sunt, quæ respectu partium dicuntur. At si candidum aut nigrum Socratem dicam, de omnibus arbitror corporis partibus nomina pronunciem: cæterum non totam substantiam, sed unum ex ijs quæ illi accidunt, indicem, nempe colorem. Quinetiam si obesum dicam aut gracilem, durum aut mollem, hirtum aut glabrum, aut cætera id genus, quæ Socrati accidunt, ne sic quidem de omni eius substātia appellationes affero: sed unum aliquid eorum, quæ ipsi accidunt, ostendo. Ad eundem modum & sedere ipsum, & inambulare, & moueri, & dormire, & uigilare, & singula id genus nomina, de nulla profecto substantia dicimus. sed aliquid eorū, quæ Socrati insunt, his significamus. Quæ nimirum in superioribus uel actiones esse, uel passiones, uel affectus quosdam diximus. Satius ergo fuerit, nunc quoq; sub hac te formula exerceam, quemadmodum etiam in superioribus ostendimus, nō à nominibus, sed à rebus orsum. Incipe uero à teipso primum, æstimaq; simplex ne res sis, an composita. Vtrum ne pes sis, an nasus, an oculus, an caput. Cōstat enim nullum te horum esse, sed nec sine his. Verum & ex his & ex reliquis partibus uniuersis, quarum singulæ debitam habeant posituram, totus es cōpositus. Esto igitur tibi nomen Themiso. At cum Themisona claudum esse aio, eò quòd dico claudum, pedum affectum significo. Themiso uero totius est nomen. Quinetiam simus cæcusq; à parte dicitur Themiso. Fuluus uero & crassus non à parte, sed ab effectibus qui toti insunt, non aliter quàm inambulans, sedens, disputans, & uiuens. Num igitur intelligis non esse hęc totius substantiæ tuæ signa: sed alia à parte quapiam esse nominata

nata, alia ab uno affectu? Cum uero bonum te iustumue quispiam dicit, num etiam prospicis hæc esse affectuum nomina, qui in animo tuo consistunt? Atqui si noris quòd hæc ad portionem se habent cum albo & nigro (quippe sicuti ista corporis, ita illa animi affectionum sunt nomina) intelliges (arbitror) & artificem & artis rudem ab animi affectibus esse imposita. Iam si artifex unde nomen accepit scias, scies (arbitror) medicus quoque unde sit appellatus. At hunc si unde dictus sit cognoris, non est quòd magnopere labores, ut inuenias cui demum inditum sit nomen Empirici. Sanè ipsum quod à uobis exigo, nec adeo difficile, nec magnum est. Quippe ipsa prædicamenta diuidere, logicæ speculationis est initium, cuius esse uos omnino expertes, facile declarant ea quæ temere nugamini. Vel nunc igitur resipiscentes, posthac incipite quæ corpori accidũt nominare, ueluti quòd hic albus est & niger, aut certe uehemẽter calidus, adeo ut ægre ferre calorem possit. Deinde calorẽ qui adeo auctus sit, ut occasione eius corpus laboret, nec probè perfungi actione possit, permittite uolenti appellare febrem. Siquidem omnes homines eum qui ita sit calidus, febricitare dicunt. Nec sanè rem magnam facietis nomen mutantes, nisi quòd tempus uestrum perdetis. illud potius uir bone facito: Cum Themisonẽ febricitare dices, & Dionem febricitare, & multos deinceps ad eum modum febricitantes nominabis, perpende diligenter nunquid in ijs omnibus unum idemq; sit ipsum (ut sic dicam) febricitare, an diuersum. Inuenies enim unũ esse idemq; specie: multitudine autem quod etiam numero dicimus, nõ unum, cum aliter tibi nec ut respondeas fas sit, nec intelligas. Ergo qui febricitat, is qua febricitat, unus planè est: quãdo & qui delirat, quatenus delirat, etiam est unus. quid uero & qui simul febricitat & delirat? nunquid & is unus est, qua simul & febricitat & delirat? Sanè id neminẽ latere arbitror. Ponatur igitur ambobus ijs unum nomen, febricitanti dico ac deliranti, uoceturq; phreniticus, qui ita laborat. Quòd si non intelligis queãdmodum ambobus unum nomen sit positum, admonebo te fortasse nominum quæ ipse usurpas. Quippe equum aliquid appellas, nempe animal (ut ita dicam) hinnibile, siue quod ad hinnitum sit habile. An igitur interesse cẽses, equum dicas, an animal quod ad hinniendum sit habile? Ego sanè non censeo. Atqui si id ita est, ambobus illis nominibus, & animali, & hinnibili, quò utiq; breuior esset sermo, equum indidisti. Ad hunc etiam modum si quod pedestre & bipes animal sit, pro tribus nominibus uno interpretari uelis, hominem uocabis. Et sanè solutio cuiusq; nominis in suam definitionẽ, ad eum modum absoluitur. Quinetiam ut conijcias componasq; orationem in unum nomẽ, non aliter quàm iam dicto fit modo: cum uidelicet & simpliciũ cuiusq; notionem secundum ipsius nomen tenes, & simul ex duobus simplicibus rursus alteram notionem efficere compositam potes: mox illi nomen imponere:

A subinde rursus ipsi compositæ alio simplici adiecto, ubi ex tribus iam simplicibus unam notionẽ feceris, huic quoque nomen aliquod imponere. Quomodo, inquies, & qua ratione id? Equidem non grauabor exercẽdo eos, qui resipiscere à diuturna ista ignorantia non recusant, longius progredi. Calor, simplicis rei nomen est. præterea actionis læsio, simplex quædam res est. At tantus calor quantus iam actioni officiat, non etiam simplex res est, Quod si etiam totum uexet corpus, multo profecto minus iam simplex est. Ergo quò minus multis nominibus utantur homines, ad cõpendium alioqui natura procliues, eiusmodi calorem febrem uocant. Quippe expeditius dictu est febricitare Dionem, quàm tantum in toto corpore caloris habere, ut multas functiões corrumpat.

B Ergo cum affectum ipsum significare uolunt, febrim: cũ uero eum qui affectu laborat, ab affectu ipso nomen declinãt, uocantq; febricitantem, ad eum modum quo à candore candidum, & à nigrore nigrum. Itaq; compositæ rei nomen febris est, atq; hoc etiã magis febricitans. Simplex autẽ est delirium. Verum si simplex hoc cum composito copules, homo ipse phreniticus, affectus phrenitis nominatur. quemadmodum & homo ipse, ne animal rationale mortale dicamus, breuitatis causa homo est nominatus, ipso hominis uocabulo definitionis uim quandam comprehẽdente. Atq; id est quod ueteres Philosophi definitionẽ nominis dicere appellant. Cæterum non ducunt in infinitum, sed usq; ad simplicia subeũt. Nam cum hominem in animal & rationale & mortale solueris,

C postea ipsum animal solues in substantiam sensitiuam. At non ipsam substantiam amplius soluere poteris, nec etiam sensum. Quippe simplex primumq; est horum utrumq;. Quo fit, ut mihi mirari subeat de ijs qui phreniticum aliquem & hominem esse cõcedunt: morbum uero & animal esse non concedunt. Quippe quod perinde est ac si cõposita esse des, de simplicibus dubites: quasi non priora compositis natura simplicia sint. At non uidi (inquit) ipsum per se animal. Sed nec hominem insulse uidisti: & tamẽ teipsum ais hominem esse. An illud fateberis, animal autem esse te non fateberis? Nusquam (inquit) uidi per se morbum. Sed nec phrenitim unquam solam uidisti,

D sed in Theone, aut Dione, aut alio quopiam homine. Quare hoc planè puerile est, eo quòd nusquam morbum ipsum per se solum uideris, idcirco putare morbũ nõ esse. Quippe ita nec febrim, nec phrenitim, nec aliud quippiam id genus esse dabis, ut quorum nullum usquam ipsum per se solum uideris. Sanè expediebat potius non ita, sed ut dictum supra est, à rebus ipsis cœpisse, cogitationeq; ipsa spectasse quot essent in totum simplicia: mox proprio nomine cuiq; imposito, ex ipsis iam composita nectere. Ergo subiecto corpori unum hoc primum insit, quòd sentit. Num cui id inest, animal non appellabis? Non, inquies. Atqui de nomine hoc pacto hæsitabis. Sed nec sentiens corpus esse concedes? Iam ita de rebus ipsis falsò

opinaberis. At si & corpus aliquid sentiens esse, & nomen hoc animal de eiusmodi corpore dici cōcedes: audebis postea dicere animal nihil esse? Ergo nec album aliquid erit, nec inambulans, nec currens. quippe ab ijs quæ ipsi accidunt, dicitur corpus album, inambulans, & currens. Ipsorum uero accidentium hoc albedo, illud inambulatio, tertium cursus dicitur. Eodem modo sensus unū quid est ex ijs quæ corporibus accidunt: sentiens uero ipsum est corpus. hoc uero etiam animal nominatur. Quis igitur ubi sentiens corpus aspexit: omisso hoc nomine, animal, aliud quærat quod de eo dicat? Num corpus duntaxat intelligitur, tanquā Centaurus? an res quoque aliqua huic appellationi est subiecta? Patet proculdubio esse subiectam aliquam. Age quid sensus? intelligiturne tantum, an aliquid est eorum quæ corpori insunt? Mihi uero etiam id clarum esse uidetur: nempe sensum unū esse ex ijs quę corpori insunt. Atqui si neque corpus tantummodo intelligitur, sed etiam subsistit: nec etiā sensus, immò is quoque subsistit, quî fiet, ut ambo coniuncta cōpositum efficiant non ens? Nam id iam perridiculum sit, corpus quidem esse quid ac sensum, nihil tamen esse sentiens corpus. Sicut illud magis ridiculum: sentiēs quidē corpus esse, animal autē nihil esse: ceu aliud quiddam animal sit, & non hoc: aut quicquam intersit, oratione, an nomine indicare aliquid uelis. Aeque absurdum sit & morbum negare aliquid esse. Quippe si affectus nihil sit, morbus quoque nihil erit. Sin affectus aliquid esse detur, utique & morbus aliquid fuerit. Quicunque enim affectus functioni officit, is est morbus. At non potes (inquiunt) ostendere mihi ipsum per se morbum. Immò nec phrenitim uir bone, nec febrim, quæ tamen & ipsa esse fateris, sicuti multa alia. Nam micrologiam nominum, quam philosophi quidam scite sunt commenti, sed quæ omnem in uita loquendi consuetudinem subuertit, sic, ut ne ipsi quidem in suis ipsorum operibus ea uti possint, impræsentiarum omitto, ut qui & alibi de ipsis diffusius egerim, & in opere De elementis quæcunque sunt necessaria dixerim. Intelligo autem micrologiam, curiositatem illam, qua diuidunt in genera, græca illa τὸ ὄν, τὸ ὑπάρχον, & τὸ ὑφεστώς: latine ens, & subsistens, siue substans dixeris. quippe quæ indifferenter nobis tū hic, tum in sequentibus latine ponentur. Vt autem omnes in omnibus refutem, fieri omnino nō potest. Sed enim quòd nō modo propria morbi notio sit, sed etiam res aliqua subiecta quæ hāc appellationem sit sortita, satisfaciant ad præsens quæ hactenus sunt dicta. Clarius autem idem ipsum in progressu sermonis intelligetur, ubi de primis indicationibus absoluta disputatio erit. Quæcunque uero nunc dicta de morbo sunt, ea mihi & de symptomate, & passione esse dicta censeo. præterea sanitate, & integritate, & robore, & potentia, omnibusque alijs, quorum nomina & notiones de rebus quibusdam subiectis sunt dicta. Omnia nanque hæc corporibus insunt, partim ut affectus, partim ut actiones, partim ut passiones. Præterea quædam ceu naturaliter insint, quędam ceu præter naturam. Indicatio quoque ex singulis eorū seorsum præbetur, à plurimis tamē medicorū prætermissa.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SEQVENTIS.

Cap. 1 Methodicos conuellit, qui primam indicationem, quæ à morbo sumitur, tanquàm rem magnam & præclaram iactitabant: cum ea principium tantum sit unde medendi ratio proficiscitur, res ita facilis ut ne idiotam quidem ullum lateat, ut uerrucam tolli oportere, uulnus uel ulcus simplex glutinari, aluum fluentem sisti. 2. Sarcoticorū rationem pro explendo sinuoso ulcere cōsiderat: & in Thessaliorū ruditatem inuehitur. Multa enim de ratione & experientia dicit, & de medicamentorum cōpositionis inuentione: & de methodo sua circa oculorū curationē. 3. Redit à digressione ad propositū de cauo ulcere sanando. Et primū in bona tēperie & sanguine non uitioso carnē natura duce regenerari declarat. 4. De curatione uulneris quatenus est uulnus: de duplici cute, cum in hoc ulcere nō cōtinui solum solutio sit, sed etiam substātiæ cutis amissio. de differentia inter glutinatoriū medicamen & carnē generās. 5. De cicatrice inducēda. Et quod cutis quæ defluxerat, eadē repullulare non possit, sed summa tantū caro cuti assimilis fieri. 6. De supercrescēte in uulnerib. carne, Græci hypersarcosin uocāt, geminū uitiū, ubi & ulcus est & caro pariter supercrescit. 7. Anacephalæosis dictorū in hoc lib. Contra Empiricos & Thessalios. Quod nō quæuis natura eadē medicamenta requirat: nempe mollis & laxa, ut puerorū & fœminarum, & qui tenero sunt corpore, medicamentis minus siccantibus: dura, sicca & cōpacta, ut uirorū, iuuenū, agricolarum, nautarum uehementius siccantib. & astringentib. curatur. Docet itaque Methodico à cōmunitatibus suis descēdendum esse ad idiosyncrisiā. i. priuatā cuiusque naturā: quæ quamuis sit incōprehensibilis, eā tamen quod possimus diligentissime inuestigandā. Non. n. cōmunis homo, sed singulorū quisque curatur. 8. De cura ulcerū cum alijs affectib. cōplicatorum: & primum eorum quæ ulcerant carnē intēperie quapiā afflictā: quæ nisi primum emendetur, irrita erit ulceris medicatio. 9. Anacephalæosis prædictorū. Deinde, cum cōtrariæ fuerint in una cura indicationes, utra alteri præferri debeat. 10. Vlcerum affectus qui sint cōpositi: Nempe phlegmone iuncta ulceri putrescenti aut eroso aut gangrænoso, aut erysipelatodi, aut canceroso, aut dolenti aut indolenti. &c. Et quòd Empirici has ulcerum differentias non recte fecerint. Nam quod cōsistere seorsum & per se potest, id nō est alterius differentia. Sed magnitudo, æquabilitas, cū contrarijs, tempus & figura, cum accidētia sint, ulcerū differentiæ esse possunt.

Aliter.

Methodus curationis ulcerum non malignorum. Quo pacto medicamenta carnem generantia ab Empiricis inuenta sint. Caui ulceris curatio. Curandi ulceris indicationes à laborantis particulæ temperamēto sumi debere. Similarium corporum sanitatem in bona quatuor qualitatū temperie consistere. Quod omnia corpora ijsdem medicamentis non indigent: sed imbecillioribus quidem & mollioribus, molliora: robustioribus uero & siccioribus, uehementia cōueniūt.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS,

Liber tertius.

1 I igitur Hiero, indicatio quæ ab ipsa rei natura primum oritur, quod agendũ sit inuenit, necesse est remediorum initium ex morborum ipsorum natura sumi. Siquidem absurdum sit, aliud esse quod curãdi rationem præscribat, aliud quod curetur. Etenim indicare de se quicquã magis potest quàm de alio. Hoc autem clarius fiet in sequentibus. Verum quoniam omnibus in cõfesso est primas indicationes ex affectibus esse sumendas, certe laborandum pluribus frustra non est, ut hinc esse incipiendũ doceã. Illud potius mõstrare tentemus, neq; totum hoc esse, nec prorsus magnam aliquam partem, ueluti Methodici putant, sed minimam, & tãtum initium. Igitur ijdem ipsi aiunt calculũ qui in uesica sit, propterea quod toto genere præter naturã sit, ablationem sui indicare. Ad eundem modum pensiles uerrucas, & myrmecias, & atheromata, & steatomata, & meliceridas, et alia id genus. At intestinum quod iam in scrotum decidit, omniaq; quę luxata sunt, quod uidelicet loco ipso præter naturam se habent, reponenda se in suum locum docent. Atqui tantum abest, ut horum quippiã artificij cuiusquam sit, ut etiam priuatorum cuiq; patere possit. quippe qui membrum quod luxatum sentiunt, reduci in artus iubent: præterea uerrucam tolli, & ulcus ad cicatricem duci, & aluum fluentem sisti. Verum quibus hæc rationibus fiant, id sanè nesciunt. atq; id est quod adijci à medico debet. Itaque indicatio quæ à morbis sumitur, principium tantum est, & (ut sic dicam) carcer unde medendi ratio promouet, nulla prorsus ipsius medicinæ artis adhuc portio, aut certe nec magna nec propria, sed quæ etiam plebi sit communis. Ergo cui facultas est illa inueniendi, ex quibus perfici possit quod à prima indicatione suggeritur, is merito morborum est curator. qui si per experientiam inuenit, obseruator & empiricus est nominandus. sin ratione quadam & methodo, logicus, & methodicus, & dogmaticus. Ergo plebeius quidẽ (altius enim idem repetendum est) medicum adit reponi sibi membrum iubens, aut os quod forte fractum est, formari atq; componi, aut melicerida sibi tolli. Verum quo pacto horum quodq; peragetur, id sanè inuenire medicę artis est munus. Ac Empirici quidem per experientiã inueniri omnia contendunt. Nos partim experientia, partim ratione. cum neque illa inuenire omnia queat, neq; sola ratio. Veruntamẽ confusam mistamq; tradendam esse doctrinam nõ censemus, sed seorsum empiricam, & seorsum logicam, quò facile appareat quam ha-

A beat utraq; uim. Nunc uero de ea quæ ratione paritur, inuentione dicere statuimus. Num igitur est nobis methodus aliqua, qua usis inuenire prædictorum singula liceat? dico quod superuacaneũ genere sit, adimere: & quod motũ loco sit, id proprio loco reddere: & quod unitatis solutum sit, unire. An empiricen ad hæc requiremus? Ego sanè methodum esse aliquã, qua quæsita inuenias, B planè mihi persuasi: eiusq; principiũ esse id quod singuli morbi faciendum dictant. Vnitatis namq; solutio unitionem postulat. Ea in osse fractura dicitur, Græce κάταγμα: in carnosa parte ulcus: sicuti etiam uulnus, & ruptio, quod ῥῆγμα: & conuulsio, quod σπάσμα dicitur. Vulnus quidem solutio quædam ex uulnerando in carnosa parte relicta. Ruptio, & conuulsio citra uulnerationem facta. Prior enĩ carnosæ partis diuisio est, posterior neruosæ. His omnibus unitio moliẽda indicatur, quæ an præstari ubique possit, an in multis non possit, hoc utique internoscere primum iam artificis est. Quippe nemo plebeius nouit nec neruosam trãsuersi septi partem, nec intestina tenuia non posse quem indicant finem recipere. Sed & de præputio, & de tenui buccarum parte, quod similiter se C habet, idẽ ignorat. Præterea an caries in osse, quæ τερηδὼν Græce dicitur, sanari queat, sicut erosio in carne, compertum nõ habet. Iam an coalescere fractura possit, ueluti uulnus, pręterea an callo adglutinari possit, non intelligit. Pari modo in capitis fracturis uulgus omnino nõ nouit, sit'ne expectanda calli generatio, an aliter curandum. Porrò multo adhuc magis ignorat an corde uulnerato, aut pulmone, aut uentriculo, aut iocinore, fiducia sanationis sit. Nec in summa quicquã ultra primũ scopum uulgaris quisquam nouit. Itaq; hoc ipsum primum artis est opus, ut intelligas sperare'ne id quò tendis debeas, an secus. Eius rei duplex cognitio est, nec potest addi tertia. Altera per experientiam, cui longo usu est opus. Altera per ipsius rei naturam. siquidem hæc tum cuiusque particu- D læ substantiam æstimabit, tum actionem, tum usum, situm'que. A quibus procedens, non solum quod sanari non potest, præuidebit: sed etiã quod recipere sanitatem potest, de inueniendis ei remedijs deliberabit.

2 Constat autem quòd à simplicissimis incipiet. Porrò nihil est simplicius ulcere quod in summa carnosa parte sit. Huius ergo, siquidem ulcus tantum sit, curationis scopus unitio est. Sin etiam cum cauitate sit, duplex eius propositus est scopus: sicuti etiam duplex est affectus, nempe ulcus quod est unitatis solutio, & cauitas quæ ex amissa aliqua animalis propria substantia est contracta. In quo genere fieri sæpe nõ potest, ut alterius

propositorum scoporũ sis cõpos: ueluti si non modo caro ipsa, sed etiã subditũ illi os perierit. Quippe impleri ad unguẽ cauitas eiusmodi nõ potest, cicatrice induci certe potest. sed hæc ulceris sanatio est, cauitas aũt insanabilis remanebit. Hoc igitur ipsum aut per experientiã, aut rationis ope dignosci omnino oportebit. At Thessalus nec his utitur, nec tertiũ quicq; adijcit: & tamen nugari non erubescit. Sed id mittamus. Illud potius doceat imitator Thessali medicus, quo pacto cauũ in carnosa parte ulcus, nullo ex his quæ subsunt læso, sanabimus. Sarcotico (inquit) medicamẽto, id est, quod carne impleat, imposito. Bene sanè, magna facilitas, fortasse aũt stupiditas potius erat dicendũ, si cum sarcoticũ dixit, satisfecisse se quęstioni putat. Quippe si sarcoticũ iam scimus quid amplius requirimus? Dic nobis, quod illud sarcoticũ sit, quo es usurus? Thus reor, inquies, aut irim, aut aristolochiã, aut erui farinã, aut panacem. nam de siccis medicamẽtis principio mentionẽ faciã. Age igitur hæc medicamenta quo pacto inuenisti? Experiẽtia, inquis. Quid igiť est, quod per te amplius est adiectum? Siquidẽ quod cauum implendum sit, id quidem uel idiota nouit. at ex quibus id, & per quæ medicamẽta fiat, experiẽtia docuit. Thessalus uero nec ut empiricus, nec ut Logicus, medicamentũ id nouit. Vt empiricus, quia uidelicet nõ uult. Vt Logicus, quia nõ potest. Nam ego eum ut empiricũ id scire, planè noui. Cum enim duo sint omnis inuentionis instrumenta, (nempe experientia & ratio) qui quod inuentũ est nouit, sed tamen rationẽ eius dicere [in promptu] non habet, is prodit se per experientiã id inuenisse. Vt igitur quantũ erret intelligat, aurium nobis operam paulisper accõmodet. Volo em̃ paucis cum solius experientię professore agere. Etenim hunc quoq; dicere par est, quo pacto siccum hoc quod carnẽ producat medicamentũ inuenerit: quod utiq; Cephalicon nominãt. Porrò cõponitur id ex iride, & aristolochia, & eruo, & thuris manna [id est, purgamẽto thuris.] Est aũt & aliud quod pręter iam dicta corticẽ panacis recipit: sicuti etiã aliud cui elota cadmia admiscet. Dicat itaq; mihi, hæc quomodo sint inuenta. Et quid (inquit) attinet de inuentione eorũ quærere, ac non recte potius inuẽtis uti? Atq; hæc quidem initio statim respondent: Verum in congressu cum amicis: Sic enim ipsi uocant: interim ex somnijs inuẽta esse potuisse talia dicũt: interim forte fortuna aliud fuisse in aliud effusum: mox aliquẽ uti misto ausum. Cæterũ audaciæ eius spem nõ dicunt. Hæc igitur manifestæ sunt nugæ. Tertius his inueniendi modus planè est rationalis. Siquidem simpliciũ illorũ priuatim quispiã unũquodq; ut sarcoticũ expertus, mox carnem aliquando nõ facere cernens, ratione deprehendit non omni naturæ eorum quodq; competere. Si enim cui aristolochia ulcus carne non impleuit, huic thus contulit: cui autem thus non profuit, huic iris admota fuit utilis: rationabile erat (arbitror) non omnes ab omnibus similiter affici. Hoc ubi semel in ratiocinationem uenit,

A optimum factũ est uisum quamplurima eiusdem speciei in idem miscere, quo nulli corporis naturę deesset quod conueniat. Nam si aut corporis naturam inuenire possent, aut adhibiti medicamenti uim, non esset fortasse ijs tali uarietate opus, ut quibus unũ illud medicamentũ quod uni corpori cõueniret, inuenire in prõptu semper esset. Nunc cum ignorant utrũq;, parum recte omnia miscẽt: unum scilicet quod omĩbus naturis quadret, moliri medicamentum studentes. Hanc ego componendorum medicamentorum rationem primis illis medicis excogitatã arbitror, atq; ut antiquum inuentum recipio. Cęterum tantũ eam à uera medicinali methodo abesse reor, quanto certo rationabilior est trãsfusis in se mutuo cribris. Quippe

B nisi illud primum cogitet, solius se compositionis quæ ex similibus specie medicamentis conflatur, nõ eius quæ ex cõtrarijs initur, methodum dixisse: mox in eius miscellæ multitudine unũ fortasse esse medicamentum quod laboranti sit utile, fortasse uero nec unum, contra septem octóue quæ ex usu non sint, ita ut pluribus numeris obsit eiusmodi medicamentũ quàm prosit: hæc inquam nisi reputet, plus eum ignorare de re ipsa quàm nouisse dixerim. Oleum nanq; cauo uulneri infusum aduersissimum omnium medicamẽtum est: cum si ita mederi uelis, usu ipso intelliges sordidum ac male olens ulcus fieri. Quòd si tempus quoq; anni calidius sit, ac uitio mali succi homo laboret, aut fluxionibus obnoxius natura sit, aut etiam in

C uictus ratione delinquat: timor est, ne illi pars ea computrescat, in qua ulcus est factum. Timor uero est & si cera, siue sola, siue in oleo soluta utare. Atque hæc quidem putrescere ulcus facient. At si æruginem ad leuorem tunsam insperges, ea quidem nullo modo putrefaciet: dolorem tamen ac rosionem inferet nõ paruam. præterea exedet, ac phlegmonem excitabit. Quòd si largius utere, cõuulsionem quoque accerset. Quoniam igitur neque oleum, neq; ærugo, neque cera cauum ulcus implere carne potest: constat quòd ex ijs qui experientiam profitẽtur, nemo usquam ea miscebit. At ego sanè hæc miscebo. immo debita mensura non hæc modo uerum etiã alia mille pharmaca ex ijs quæ cauo ulceri sunt inimica. Quippe si non

D ijsdem facultatibus lædunt, sed quodãmodo contrarijs: imparia quidem immodicaq; profecto fuerint, ut ad cauum ulcus implendum. Verũ quemadmodum ex duobus temperamentis immodicis unum efficiatur moderatum, id in medicamentorum cõponendorum rationibus docuimus. Non est igitur difficile, ex oleo, cera, & ærugine, medicamentum quod carnem producat, cõficere. Si enim noris eiusmodi ulcus mediocriter siccandum esse, non siccare aũt nec ceram, nec oleum, utique intelliges nec alterũ seorsum, nec ambo simul cauum ulcus implere posse: immo uero nec æruginem solam, ut quæ immodice siccet. Ergo si omnia miscueris, modice siccum efficere medicamẽtũ poteris. Quis uero cuiusq; esse modus debeat, id mihi in libris qui De medicamentorum cõpo-

sitio-

sitione sunt inscripti, iam traditū est. Nunc quoq; si res postulet, indicabitur in sermonis progressu. Nam primum omnium abigendus mihi à sequentibus libris amethodus iste Thessalus est, sed indicato prius illi quantum à recto aberret. Nam prudenti uel quæ nūc dicta sunt, satis ostenderint qualis esse debeat medendi methodus. Verum nō est cum talibus sermo. Itaq; etiā necesse est cum istis adhuc disputemus, hinc sumpto initio: Omīs quę præter naturam est cauitas, impleri postulat. quare & quæ in carnosa etiam accidit parte. Ipsa uero impletio, inueniendorum remediorum finis quò tendit, est. Vt uero quæ impleat inuenias, & multa ratione opus est, & multiplici particulatim indicatione, & methodo rationali exacta. Etenim sæpe uidisti difficilia sanatu ulcera curare nequiuisse: nec eos qui experientiam profitentur (istos inquam qui remedijs scatent) nec etiā eos qui rationem sibi uindicāt omnes. quippe Thessalij isti quos Methodicos nomināt, sunt autem reuera à methodo alieni tanq; asini ad lyram, ne ad audiendam quidem eiusmodi speculationē sunt idonei: nedum quod rectum est, ratione inueniant. Vidisti autē subinde in eiusmodi ulceribus Empiricos quidem aliàs se ad aliud medicamentum transferre, cū nulla profecto ratio transitū ipsum mōstraret. Verum quoniā multa sunt experti, quæ cauū ulcus impleat, ipsam uero ut ij dem uocāt ἰδιοσυγκρασίαν, id est corporū proprietatē, in qua singula eorū pollere sunt uisa: nec dignoscere, nec meminisse possunt, ideo nunc quoq; ad quod transferent non intelligentes, sed sperantes in multis particularibus experiendis, obiter quod cōueniat omnino inuentū iri, aliàs ad aliud transiliunt, fortunæ potius ꝙ rationi eius quod conducat inuentione permissa. Similes his sunt, tametsi id uolunt, & qui ex Dogmaticis ad naturalia corporū principia subire ratione non ualuerunt. Quippe hi (ut ante ostēdimus) ex dimidio Dogmatici sunt, qui ne prima quidē elemēta assequi potuerūt. De istis uero amethodis Thessalijs quid etiā loquare? Soli igitur ij qui uera methodo curāt, tum singulis id genus ulcerib. idonea medicamenta et uictum aptum inueniunt, tū liquidissime rebus ipsis ostendunt quantopere cōducat, quantūq; ad medendū lumē præstet ipsa de natura tractatio. Etenim prætermitti negligiq; aliquando quod utile sit, ijs qui ab alio pharmaco ad aliud assidue transeunt, non semel tibi ostēdi, uno aliquo ex medicamētis quibus illi fuerāt usi eiusmodi ulceribus sanatis. Spreta uero eiusmodi medicamēti facultas ab ijs merito est, ꝙ uidelicet & propter intempestiuū usum nō solum nō prodesse, sed etiā obesse est uisum, & quòd in primo usu nihil aliquādo quod esset euidens, effecit. Vidisti porrò nō minus oculorū nos grauissimos dolores sanare aut balneo, aut uini potione, aut fomētis, aut sanguinis missione, aut purgatione, quibus nihil aliud adhibet medicorū uulgus, ꝙ medicamēta hæc quæ ex opio & mandragora & hyosciamo fiunt, maximam planè oculorum perniciē, utpote quę nulla re alia sublati ad

A præsens doloris speciem præstant ꝙ quòd ipsum sensum enecant. Multosq; nosti ab eiusmodi medicamentorū usu, cum liberalius fuissent admota, nunq; postea naturalem statū recepisse, sed ex his principio quidem obscure atq; ægre uidisse, tempore uero suffusione, quam ὑπόχυσιν uocant, uel pupillæ nimia dalatatiōe, quam μυδρίασιν appellant, uel tabe, uel corrugatione, quā ῥυτίδωσιν uocant, occupatos. Nosti profecto non minus & illud, cum ab ephebis usq; mecum sis uersatus, nec sub ullo me usquam præceptore uidisse eiusmodi opus, sed id per me ratione excogitasse, & ꝙ longo tempore aphorismum illum, Dolores oculorū meri potio, uel balneū, uel fomentū, uel uena incisa, uel purgatio tollit, considerauerim, quamq; ex
B reliqua Hippocratis diligētia sperarim ne in hoc quidem uel falsum quippiam, uel quod fieri non possit, præcipi, idq; fuisse quod me ad inquisitionem incitauit, quod ipsa Hippocratis insistēs uia, inueni quo pacto discernerem, quando, quomodoq; dictorū quoq; sit utendum. Qua ratiōe multis qui talia uiderunt, manifestum feci quanta medicinalis methodi uis, quantiq; mali occasio fuerint qui non seruata ueteri medicina, nouas sectas condiderint. Hæc sanè & uos præterea me, quanq; à principio recusantem, orando tamen impulistis omne hoc opus tractandum susciperem. Quod, deos precor, alijs quoq; hominibus alicui sit usui. Certe minimā spem habeo, propter eum qui nunc regnat bonarū artiū contemptum, diui-
C tiarum uero existimationis, & ciuilis potētiæ admirationē. Ad quæ quisquis se cōuertit, is nulla in re ueritatē inuenire poterit. Verū hæc prout deo placebit, ita finientur. At nos medendi methodum, quę ueteribus quidem exculta est, nunc uero neglecta iacet, pro uirili restituemus: repetita nimirū quam de cauo ulcere inchoauimus, disputatione. Ac de prima quidē inuentione eorū quæ eiusmodi ulcus carne impleant, satisfaciant quæ pauloante diximus, concedamusq; si libet Empiricis quæ dicūt omnia. Ad de inuentorū usu & sæpe tibi in ipsis rebus ostendi, et nunc nihilominus ratione demōstrare conabor, quemadmodū Empirici ubi solenne cuiq; medicamentū nihil profecit, apte ad aliud, certaq; ratione transire nesciant.
D Atq; id iure accidit. siquidē cū causam improsperi successus prioris medicamēti ignorēt, nec quò eam in secundo declinēt, habent. quippe cum causam ignorēt, cur munere suo medicina fungatur, nec cur fallant intelligere ualent. Hoc uero ignorato, neq; ad aliud transire rationabiliter possunt: quādo nec in illo uitare eandem causam possunt.

3 Agedū igitur ipsi iam Hippocraticā ueramq; caui ulceris sanandi methodum tradamus. Porro hanc ab ipsa rei substātia ordiri oportet. Itaq; quoniam in cauo ulcere id nobis proponitur, ut caro quæ perijt restituatur, scire licet generādæ carnis materiā, sanguinem bonū esse: opificem (ut ita dicam) authoremq;, naturā. Verum non satis est naturam simpliciter dixisse, nisi etiā quorū natura, sit adiectum, & ubi. Constat autē quòd subiecto-

rum

rum corporũ quibus superinduci caro debet, natura ipsa gignẽdæ carnis opifex est. Porrò cuiusq; corporis natura monstrata est ex calidi, frigidi, humidi, ac sicci temperatura consistere. Quare manifestum est iustum horum temperamentũ in subiectis particulis, quibus restituturi deficientẽ carnẽ sumus, opificis habere rationẽ. Ac primũ quidem in omni cauo ulcere duo illa consideranda nobis sunt, & quod subiectũ est, iustáne temperie sit, id est an secundum naturam se habeat, quippe monstratum est sanitatem in similaribus corporibus, ipsarum quatuor qualitatũ esse iustam tẽperiem, & præterea sanguis qui adfluit, bonúsne, ac mediocris sit. Si igit horum alterutrũ uitiosum sit, multi sanè effectus præter naturã existũt. Nobis tamẽ una cauitas in carnosa parte proponat. Fingamus igitur & sanã esse partẽ, & sanguinis cõfluxum citra ullum uel in qualitate uel quãtitate uitiũ. Porrò his ita se habẽtibus, nihil est pręterea quod obstet quo minus prima carnis generatio prospere contingat, idq; nullius externi medicamenti ope. Quippe causis ambabus unde nascitur præsentibus, nulloq; extrinsecus quod impediat obstante, nõ potest prohiberi carnis generatio. Verũ in ipsa primę carnis generatiõe duplex prouenire excrementũ necesse est, ueluti etiã in cõmẽtarijs De natura docuimus, ꝙ omnẽ qualitatis alimẽti mutationẽ alterũ crassius, alterũ tenuius excrementũ sequitur. His excrementis etiã per uniuersum corpus semper prouenientibus, quod tenuius est ipsa inuisibilis est perspiratio. quæ etiã subinde fit uisibilis quoties uel naturalis calor lãguet, uel nutrimẽto utitur ꝙ iustũ sit ampliore, uel motus quispiã uehemẽtior animali cõtingit. alterum est sordes, quæ in summo corpore nostro colligit. Quin etiã in ulceribus tenuius excrementũ sanies, Græce ἰχὼρ appellat: quod crassum est, sordes. Ac ex tenui quidẽ excremento ulcus humidũ reddit, ex crasso sordidũ, eoq; duplicib. medicamẽtis eget: utique ut humidũ est, siccãtibus: ut sordidũ, quæ ipsum se expurgent. Ergo cũ nullo unq; tempore natura cesset, certe nec tẽpus ullũ erit, in quo non ambo hæc in cauo ulcere colligentur. Quare nec tempus ullum erit, in quo nõ utrũq; medicamentorum genus desiderabit, utiq; & quod siccet, & quod expurget. Ac cuiusmodi quidẽ genere esse medicamentum debeat, inuẽtum iam est. Verum non est id satis. Siquidem specie aliqua inuẽta est opus, quæ sit ulceri admouẽda. Hæc igit quomodo & qua methodo inuenietur? Nempe ea, quæ in libris De simpliciũ medicamentorũ uiribus est tradita. Ostendimus nanq; in his quædã medicamenta siccare, quędam humectare, quędã refrigerare, quędam calfacere, nonnulla per coniugationem uel calfacere & siccare, uel frigefacere & humectare, uel calfacere & humectare, uel refrigerare & siccare: esseq; in singulis eorũ maioris minorisq; rationẽ, multitudine sanè infinitam: cęterum ad usum medicinalem limitibus qui facile cõprehendãtur, circumscriptam, primo quodam in his & secundo, & tertio, & quarto statuto ordine gra-

A duúe. Cuius igitur ordinis erit medicamentum, quod carni producendæ sit aptum: quodq; modice tũ siccare debere, tũ detergere proposuimus? Certe primi ordinis. Quippe quod super hũc fuerit, ita ut non modo humoris qui influit redundantiam consumat, sed etiam affluentem sanguinem ipsum populetur, id refici, carnẽ ceu materiã eius absumẽs prohibebit. Porrò talia esse ostensum est thus & hordeaceam, & fabaceã, & erui farinam, & irim, & aristolochiam, & cadmiã & panacem, & pompholygem. Omnia uero hæc tum maioris minorisq; discrimine inter se dissidere, tũ alia eorum simplices facultates uincẽtes habere, alia cõpositas, monstratum est. Siquidem aristolochia & panax tum cæteris plus siccãt, tum natura magis B calent. hordeacea fabarumq; farina multo his minus siccant, nec ullum calorem obtinẽt. Thus uero moderate calet, minus tamen illis siccat, adeo ut quasdam corporum naturas omnino non siccet. Erui farina, & iris, horum atq; aristolochiæ & panacis mediũ locum tenent. Verum quod sermo noster utiliter attigit, denuo repetamus. Quippe thus in humida corporis natura carnẽ producere potest, in sicca non potest. Scire nanque licet duas esse primarum indicationũ differẽtias: quod secundum naturã se habet, custodiã sui indicante, & propterea quæ similia sui sint postulante: quod præter naturã est, sublationẽ sui, eoq; cõtraria requirente. Perit enim quidq; in contrariũ, & à contrario. Atque ulcus quidem quo est humidius, eo C sanè medicamẽto quod magis siccet, indiget. Corporis uero natura quãto est humidior, tãto quod minus siccet, medicamentum postulat. Quare si qua sunt ulcera, quibus par est humiditas, quod in sicciore corporis temperamento consistit, utique magis siccari postulat: quod in humidiore, hoc sanè minus, quo natura naturæ interest. Siquidem productam carnem ei, quæ ante erat, similem esse oportet. Vbi igitur pristina siccior fuit, nouellam quoq; sicciorem fieri cõueniet, quare uberius hęc siccari, quantoq; magis sicca fuerit, tanto quod admouetur medicamentum, magis siccã facultatem habere debebit. At in humidiore natura tanto rursum ijs quę minus siccent medicamẽtis est opus, quanto caro ipsa minus est sicca. Thus igitur, ut D ad humani corporis naturã, eiusmodi obtinet tẽperamẽtum, ut temperatam & mediam naturam propemodũ adæquet, humidiorem aũt sensim exiccet, quemadmodum ea, quæ ad summum est sicca, paulo est humidius. Merito itaque thus in quibusdã tum ulceribus, tum naturis, pus quidẽ mouet, carnem non producit: in quibusdam etiã carnem producit. Itaq; si obseruaueris, rationi respõdere euenta deprehendes. In humidiore nanq; natura producere carnem potest, in sicciore non potest. Præterea in modice humidis ulceribus carnẽ efficere potest: in ijs quæ prehumida sunt, prorsus nõ potest. Vidésne igitur clarissime, qui recta methodo curare ulcus uelit, quot huic theorematis sit opus? Nam postq; inuentum est humorem omnino huic uitio inesse, utiq; siccans parandum me-

dicamentum indicauit. At quoniam ipsorum siccantium quædam magis siccant, quędam minus, partim ex ulcerũ diuersitate, partim ex ægri natura, quod expedit, est desumptum. Itaq; non modo de corporis natura meditatus sit, oportet, quisquis cõmode sanare ulcus debet: uerumetiã diligenter speculationẽ omnẽ de medicamentis didicisse, tum sicci humidiq; corporum temperamenti notas callere. Cõtemplare igitur quanta sit Methodicorum istorum pronũciandi temeritas, qui unum id sibi ad cauum ulcus sanandum satisfacere putãt, si sciãt quòd carne est implendũ. Non enim in hoc curandi ratio consistit, imò in eo inueniendo quod carne sit impleturũ. At quod implebit, iam (inquit) experiẽtia est inuentum. Dic proinde & quod sanabit, inuentũ experiẽtia esse: nec B frustra gloriare, nec methodũ extolle. Quanq; apud ipsos quoq; Empiricos experientia, quæ sine certa limitatione fit damnat. Scribũt nanq; in cõmentarijs De medicamentis, ad hunc modũ: Emplastrũ ad eos qui molli sunt corpore, & pueros, & mulieres. Norũtq; thus in naturis eiusmodi carnem in cauis ulceribus (modo aliud nullum symptoma sit) producere, eademq; implere. Vtrũ tamen eiusmodi corpora humida sint, atq; idcirco modice siccantia desiderent, an alia euentus causa sit, sanè nõ norunt. Rursus enim ad senilia corpora aliud scriptũ medicamentũ inuenies, aliudq; ad ea ulcera quæ ægre ad cicatricẽ ueniunt, orasq; prætumidas habent, quæ ὀχθώδη Græci uocant, multasq; alias discretiões in omnibus suis meden C di cõmentarijs scribunt, quibus quoad licet, ad curandæ naturæ proprietatem appositũ pharmacũ inueniũt. Quippe discretiões in quaque arte proprium à cõmuni secernere conantur. quãtoq; plura quis discreuerit limitaueritq;, eò propius ad proprietatem accedit. Ipsum uero ad unguẽ proprium nec scribi omino potest, nec dici. Eoq; tum Empirici ij qui in arte fuere diligẽtissimi, tum Dogmatici ferè omnes fatẽtur nullam scribi posse curationem ad unguem exactã. Sed id quod ad cõiecturam de laborãtis natura desideratur, illi ex proprio cuiusq; medentium usu, hi ex artificiose ratiocinando adijciendum affirmant. Nemo tamẽ eorum adeo fuit præceps, ut omi ulceri cauo unã se habere medicinam quæ carnem restituerit, profi- D teretur. Non enim apud ullum inuenies eiusmodi pharmacum, quod omne ulcus cauum sanet, immo pro modo humoris sordisq; atq; ipso laborantis temperamento, immutandum medicamẽtum esse. Missa ergo hic Methodicorum impudentia, age uideamus quid Empirici dicant, qui ex proprio cuiusq; usu exercitationeq; adijciendum aliquid censent ad propria laboranti inuenienda remedia. Siquidem (ut sæpe diximus) nulla est in arte medica nec res nec medela, quę specie dicibilis nõ sit. Sed q̃d nec dici, nec scribi, nec omnino præcipi potest, id quantitas in quoq; est. Nam in ulceribus humor & sordes dici possunt, quantitas in neutro dici potest. quanquam hic quoq; accedere propius ad indicandum eam studemus, exiguam

copiosamq; sordem dicẽtes, præterea tenuem, & crassam, & prorsus multam & admodum paucã, & mediocrẽ, & cõpetentem, aliterq; ad hunc modum uarie nominãtes: quò uidelicet quamproxime licet, ad quantitatẽ indicandã accedamus. Diligenter igitur attendas nunc uelim, ut intelligas quantum præstet methodo quid uis, q̃ sola experientia facere. Esto nanq; notum sit hoc uel illud pharmacũ ad cauum ulcus implendum facultatẽ habere in ijs qui, ut nos loquimur, humidiore sunt tẽperamento: ut autem obseruator & Empiricus ijs, qui molli sunt carne, ac mulieribus & pueris: deinde nunc tali admotum nihil prosit. Nos igitur cuius causa nihil profuit, inuestigabimus, atq; hanc in duo æstimãda reducemus. Nã aut parcius siccauit medicamentum, aut nimiũ, horumq; notas habebimus sordem & saniem. Nam si pluscùlum sordis sit, totumq; ulcus humidius, intra modum siccauit. sin purũ, & absq; humore cernitur, ultra. Statim igitur mensuram quoq; excessus defectusq; ex ipso notarũ modo intelligemus: tantoq; pharmacũ quod deinceps applicabitur, uel siccius, uel nõ tale admouebimus. Empiricus aũt si admotum cuipiã medicamentũ carnem non restituit, id quidem uidet: cæterũ ignarus parciúsne an nimium siccando id euenerit, transire ad alterũ non potest. Ad eundem planè modum & Erasistratus, Herophilusq; ex dimidio (ut dictum est) Dogmatici, male ulcus sanabunt. quippe qui ea tantũ uitia curare ratione tentant, quæ instrumentalium partium sunt propria. Vlcus (ut iam dictũ est) commune similarium instrumentaliumq; est. ideoq; id quatenus in similaribus prouenit, eatenus empirice curabunt. Quinetiã si ea curare tentent, quorum substantia omnino perijt, aut etiam manca curtaq; est: in his quoq; necesse est, à Logice curando multifariã aberrent. Si eñ quod perijt substantia quępiã similaris sit, necesse est eum qui regignendę huic consulet, totius esse naturæ peritum. Ac de his quidẽ post dicet. Illud interim clarissime ostensum arbitror, non esse cuiusque probe ulcus curare, primamq; omnium indicationẽ, quæ uel plebeijs patet, minimam esse curationis partem: Nam & calorem, frigus, humiditatem, ac siccitatem, actiuas qualitates esse, demõstratione accepisse necesse est: et deinde quę nobis tum De temperamẽtis seorsum dicato uolumine sunt scripta, tum quæ huc pertinent in alijs uoluminibus, omnia nouisse. Atque hactenus quidem de ulcere cauo sermo est habitus, ipsam tantum cauitatem curantibus nobis. Siquidem quæ ulceris propria curatio sit, nondum traditũ est. Perficitur autem ea quoq; iuxta eandem methodum. quippe quæ tum à laborantis partis temperamento, tum à medicamentorum facultate accipitur. Porrò ambo hæc à tractatione De elementis pendent. Etenim nisi illud in methodo concessum sit, quatuor qualitates genituræ corruptelæq; causas esse, nec methodũ inchoasse, nec prouexisse, nec absoluisse fas est. At uero ut illas agẽtes mutuo patiẽtesq; ostendas, id ad speculationẽ De elementis pertinet

net. Quod igitur in pręcedentibus ostendimus, id nunc præsenti sermone confirmatur. nempe nihil posse medicũ de ulla similarium partium agitare, sine naturali, quã uocant, scientia. Verum illic De similaribus duntaxat id est ostensum, hic iam sermo noster quodammodo insinuat, ne in ipsis quidem instrumentalibus cuiquam integram inuenire curationẽ licere, qui illam non attigerit. Porrò idem in toto opere etiã euidentius monstrabitur.

4 Verum ad ipsam ulceris quod solum consistit, curationẽ trãsire nunc tempestiuum uidetur. Fuerit autẽ solum, si nec affectus ullus simul adsit nec symptoma. Esto igit̃ quæ exulcerata est particula, nec fluxione uexata, nec malo succo uitiosa, nec omnino extra naturalem temperiem: sed nec ulla ei cauitas adsit, nec ulla cutis amissio. Nam id quoq; bona pars medicorum præterit, non intelligens postquã cauum ulcus carne iam impletum, ac plenum effectum, nihilo minus tamen hiat, duplicem adhuc particulæ affectum superesse, alterum substantiæ cutis amissionẽ, alterum continui solutionẽ. Ergo quoties unum id habetur, nempe cõtinui solutio, siue ea summæ est cuticulæ, (quã ἐπιδερμίδα uocant) siue cutis totius, siue etiã pariter subiectæ carnis, uitium quod ulcus dicitur, ita existit, postulatq; tantũ agglutinari. Quippe si cõmissæ simul sint cutis oræ, nihil erit in medio cutis generis diuersi. quemadmodũ in eo quod iam repletum est, planumq; redditũ. In hoc enim oræ ulceris se nõ contingũt, sed totius ulceratæ partis cutis perijt, quam utique restituere oportet. At in eo quod acuto aliquo est diuisum, una agglutinatio requiritur, nõ etiam cutis generatio. Quoties ergo ulceris simplicis propositũ sit inuenire curationem, præsumendũ in sermone est diuisam esse carnosam particulam citra ullius portionis amissionem. Nam latum quod cicatrice induci postulat, omnino cuticulã, quam ἐπιδερμίδα Græce uocauimus, desiderat. Hanc igitur tum gignere, tum sibi unire oportet. duoq; tibi hoc loco existunt, ad quæ sicuti in cauo ulcere consiliũ diriges, propterea quòd affectus ipse geminus in ambobus est. Quo igitur (ipsorũ inquiet forte aliquis) planum ulcus à cauo discernit, si & geminus utrobiq; est affectus, et geminus curãti propositus finis? Nempe multitudine amissarũ partiũ. Quippe in cauo ulcere non ipsa modo perijt cuticula, uerumetiã reliqua cutis natura uniuersa, & subiectæ carnis portio aliquãdo nõ exigua. In repleto ulcere caro nõ deest, exterius tamen cooperimentũ desideratur. At quæ eius generis ulcerũ curatio sit post dicemus. Nunc eius quod ulcus tantũ sit, nec alium ullum affectum adiunctum habet, quænã debita curatio sit, præcipiamus. Ergo quoniã hic sola diuisio proponitur, diuisorũ oras unà cõiunctas esse oportet. An non id solum, uerumetiã coniunctas manere? porrò bifariam simul manent, quæ commissa sunt, cum alia per se, alia ope aliorũ maneãt. Per se quidem, quæcunq; secum cõcrescunt ac coalescunt. Aliorum ope & quę colligantur, & quæ glutino aliquo tenentur. Ac quæ cõcrescant, om-

A nino mollia naturaliter sint oportet. Talis sane est tum caro ipsa, tum quæcunq; ex carne consistunt. Quæcunq; uero dura siccaq; sunt, eorum diuisæ partes coire simul nequeũt: sed glutinum aliquod uinculúmue, quo cõmissa maneant, requirunt. Et talium quidem corporũ sanatio in sequẽtibus pręcipietur. Nunc de ijs quæ uniri possunt, inceptum sermonem peragamus: hic quoq; ipsam coitionis coalescẽtiæq; causam inuestigantes. Est uero sicuti in cauis ulceribus ut caro producatur, ita in simplici ulcere ut oræ ipsæ secum coalescant, natura certe causa: adeo, ut si quæ dissident, in idem ad amussim cõponas, citra omnẽ reliquã extrinsecus molitionẽ coalescãt. Oriturq; tibi iam alius attendendus finis, nempe orarũ adductio: a quo orsus,

B quibus id efficias, inuestigabis. quippe aut uinculo ex duobus initijs circundato, aut sutura, aut fibulis (quas Græce ἀγκτῆρας uocãt) impositis, aut horum quibusdã, aut omnibus, quę diducta sunt, in idem adduces. Expedit autẽ quod circũijcitur, neq; molle nimium sit, & algæ ritu fragile, (βρυώδες Græce uocãt) quo uidelicet tutò cõtineat, neque rursus ita durum, ut premẽdo offendat. Tum uero ipsa circumductio nec ita laxa sit, ut nihil efficiat: nec ita uehemens, ut premendo dolorẽ excitet. Hæc si feceris, fueritq; ulcus solum citra uitiosum succũ, aut fluxionẽ, aut intemperiẽ, aut phlegmonem, aut aliud quodlibet uitiũ, proculdubio coibit. At si uel prę eius magnitudine fieri nequeat, ut disiunctæ ipsæ partes exactè ad imum usq; si-

C bi coniungantur, uidelicet nec sutura, nec fibulis, nec deligatura pertingere ad eas ualente, uel etiã sanies iam illic sit collecta, uel dolor quispiã adiunctus: eiusmodi ulcus ex sola partium cõmissione agglutinari omnino nõ potest, quando quod dolet, plus aliquid affluere facit: atq; etiã si quod affluit, pro iusto naturæ modo se habeat, attamẽ uires ipsæ partiũ quæ tum propter dolorem, tum etiam ex uulnere sunt imbecillæ, ne quod iustũ est ferent, sed ueluti ab iniusto grauabuntur. Atque hinc omnino superuacua sanies proueniet, mirũ etiam nisi & phlegmone. Iam uero si etiã citra dolorem sanies in medio adductorum labrorũ ulceris interuenerit, aut etiam locus quispiã medius interfuerit, qui sanie quidẽ sit uacuus, sed aere ple-

D nus: non potest eiusmodi ulcus sola dissidentium partium coniunctione glutinari, quãdo & sanies iam unionem dispescit, & quæ cõiungendis interueniunt loca uacua, interiorũ laterum frõtes prohibẽt se contingere. Quare illæ saltem ulceris partes ut coeant, etiam carne prius impleri naturæ opera postulant. Porrò hę adeo planè sunt exiguę, si modo diuisæ ulceris partes rite sint cõiunctæ, ut unius diei spatiũ desiderent, aut ad summũ bidui. Hoc igitur tempore medicamẽto opus est quod particulã siccet, ut & si qua sanies iam subsit, hanc cõsumat, & si qua in uacua loca influxura est, hãc prohibeat. Nunc igitur medicamentũ quod carnem producat, & mediocriter siccet, rursus mihi ad memoriã reuocabis, ut intelligamus sicciúsne eo esse glutinatorium debeat an secus. Sanè quod

carnem producit, si totum qui cõfluit sanguinem consumeret, ipsam materiam creandæ carnis sic adimeret. At glutinatoriũ aut omnino carnis generatione non eget, aut planè exigua. quare plus siccet, oportet, quàm quod carnẽ producit. Ergo tum hac ratione tenui quadam differentia inter se dissident, tum uero altera non parua, quatenus scilicet quod carnem producit, statim etiam detergendi uim obtineat oportet, quò non modo redundantiam humoris siccet, sed etiã sordem auferat. glutinatoriũ uero nec detergeat, nec expurget, sed contra prorsus substantiã omnẽ in idem cogat, cuiusmodi facultatem habent medicamenta ea quæ austera & adstringentia uocãtur. Hæc nanque in idem cogendi, ac stipandi, nõ detergendi, neque purgandi facultatem habent. Quo fit, ut ubi carni producendæ studemus, maxime cauendum sit à medicamento quod astringat, utpote quod sordem ulceribus arctius affigat, quàm ut facile possit absolui. Vinum igitur, omnis ulceris, qua ulcus est, optimum est medicamentum. Quòd si nec illud, qua ulcus, sermoni sit adiectum, idem tamen arbitror intelliges. Quippe recordationis tantum causa est additum, (ne quis obaudiat,) non sicut necessariũ aliquid definiens. Adeo si memorem te eorum omniũ quæ in proximo libro sunt tradita de rebus singulis tum nominandis, tum uero subiectis, præstiteris, nihil est quod talia tibi de cætero definiã. Illud tantum abunde mihi erit, si per singula eorũ simplices affectus à compositis secernam. De quibus mihi nonnihil prius est dictum, ac nunc nihilominus est dicẽdũ, nõ adeo mehercule rei ipsius causa, quàm quòd plerique medicorũ dictione ipsa decepti, cauum & æquabile, cruentum siue recens & inueteratum, sordidum & purum, liberũ phlegmone, & phlegmone impeditum, putant differentias esse ulcerum. Necesse igitur est distinguere quæ propriæ ulcerum differẽtiæ sint, & quæ aliorum affectuũ complexiones. Verum hoc posterius paulo. Sanè solennis ueteribus doctrina (quę utinam nunc esset in usu) maxime naturalis est. Quippe ij simplicis cuiusque affectus propriam curationem dicũt, præcipueque omniũ Hippocrates. Medendi nanque methodus ad hunc modũ bellissime procedet, si de singulis simplicibus seorsum præceperimus: post deinde de cõpositis omnibus alteram aliquam methodum indicauerimus. Veluti enim si duo uere essent in uictus ratione morbi, clausum & fluens, id est qui in retentione & fluore spectarentur, cum seorsum utriusque curationem dixissemus, de coniunctione amborum esset agendum, sicut Thessalus ipse censet: eodem (arbitror) modo quoniam ulcerum qua ulcera sunt, una omnino est species, tum phlegmonarum qua phlegmonæ sunt, altera item species una est, oportet ubi seorsum ulceris, seorsum rursus phlegmones curationem tradideris, post deinde ambas in idem coniungere. Id igitur si fecerimus, omne profecto ulcus tum siccari debere, tum etiam adstringi, pro dicta iam methodo inueniemus; nõ tamen detergeri. contra, cauitatem in carne siccari quidem postulare & abstergeri, minime autẽ adstringi. Quinetiam ad eundem modum quem prius diximus in cauis ulceribus, nunc ad portionem naturam corporis ęstimabimus, mollisne an laxa sit, an dura, sicca, & cõpacta. Siquidem prior quanto est humidior, tanto medicamẽtis minus siccantibus eget. Posterius quatenus est siccior, eatenus rursum quæ uehementius siccent, magisque adstringant, desiderat. Empiricus eñ (arbitror) hic quoque pueros, & fœminas, & qui tenero sunt corpore, memorabit, iuuenes, agricolas, & nautas his opponens. Cæterum cum non intelligit quòd in pueris & fœminis propter humiditatẽ temperamenti eiusmodi medicamenta uisa sunt conducere, rursus altera messoribus ac nautis propter siccitatem conuenire, nec cuiusque corporis curationem exactè cõijciet, nec erroris causam deprehẽdet. Quo fit, ut nec intelligat quemadmodũ se ad potius transferet, ubi parum cessit ijs quæ per experiẽtiam prius nouit. Hæc igitur summatim De glutinatorijs medicamẽtis diximus. Hinc uero altera quædam methodus succedit ad eorum pręparationem cõpositionemque pertinẽs. Siquidem cauo ulceri quicquid uolumus, statim applicamus: siue siccum id, siue humidum, medicamentũ sit. Licet enim omĩ parti ulceris ea tum inspergere, tum illinire. At in uulneribus quorũ maior est profunditas, id non licet. Quippe ubi semel oras coniunxeris, contingere quæ sunt in alto diuisa, non possis. Considerandum igitur est non modo, an siccãs adstringensque modice medicamentum sit, uerum etiam an peruenire ad imum ualeat. Nam & cerussa & lithargyrus siccant, adstringuntque modice: sed si ea cineris ritu circa uulnus inspergas, nihil proficies. Neque enim ad fundum peruenit medicamenti uis, quod ita sit siccum: humiditatẽ igitur quandam desiderat, quò simile emplastici sit, uel etiam humidioris cuiusquã medicaminis. Verum hæc operis eius quod De medicamentorum compositione præcipit, propria speculatio est, nõ eius quod De medendi ratione instituitur. Quòd si quid ea ad rem propositam indigebimus, id procedente opere attingemus.

5 Nunc ad ulcus quod cicatrice induci postulat, reuertar, de quo pauloante dixi eius quoque primum quò tenditur finem ex eodem esse genere, cuius est & caui. Quippe regignere aliquid opus est quod perijt, non tantũ unire quæ dissident: cæterũ diuersa ratio e hic gignere quod desit, quàm in cauo. quando hic sanguis, illic caro pro materia sit. Siquidẽ quod cauũ est impletur ex gignenda carne, quæ ex sanguine ortũ habet. At ad cicatricem perducitr quod iam est impletũ, ex gignẽda cute, quę ex subiecta creatur carne. Cęterũ caro eadem specie cum ea quæ perijt, gigni in cauo ulcere potest. Cutis talis omĩno qualis erat quæ perijt, prorsus restitui non potest. sed simile quiddam cuti, & quod eius officiũ suppleat, potest: non tamẽ planè cutis. Ac causa quidem cur sicuti caro adepsque regignuntur, ita cutis quæ prorsus perierit, regigni nequeat, ex naturalibus problematis est petenda.

quemadmodũ autem tum naturã, tum usum cutis imitemur, hinc accipiendũ. Eiusq; rei methodum iam tradamus. Quoniã tegere carnem naturali aliquo tegumẽto propositũ est: quippe id est ducere ad cicatricem ulcus, aut cutis nobis generãda est, aut summa caro cuti similis efficiẽda. Verũ ut cutis regeneret̃, fieri omnino nequit, quod superest igit̃ efficere est tentandũ. At quæ igitur huius efficiendi est ratio? Nempe alteratio. Quippe ut carnis pars quæpiã nõ amplius caro permaneat, sed ueluti cutis euadat, postulamus. Quo pacto igit̃ (inquies) alterabit̃? Profecto alicuius alterantiũ qualitatũ ope. Incidit eñ rursus hoc loco, uel nolentibus nobis, De elementis sermo, sine quo nec quod cicatricẽ inducat inuenire medicamentũ licet, nedũ quod carnis producẽdæ, aut agglutinãdi facultatẽ habeat. B Ergo quoniã cutis carne ipsa tum siccior est, tũ etiã densior, si carnẽ siccabimus & astringemus, cuti etiã persimilẽ reddemus. Habes medicamenti quod cicatricẽ inducit, summã. Verũ ea nõ satis facit. nam et glutinatoria tum siccabant, tum etiam adstringebãt. Ergo quo hæc ab illis distẽt, id, si ipsam rerũ substantiã inspicias, inuenies. Nam quoniã in glutinatione ulcerũ siccandum quod adfluit est, quò uidelicet affecta pars superuacuis uacet: in cicatrice ducẽdã nõ modo q̃d adfluit, uerumetiã humor qui in ipsa carne continet̃, est cõsumẽdus: multo profecto siccius quod cicatricẽ inducat, q̃ quod adglutinet, esse conueniet. quãdo glutinaturo unum id propositũ est ut eius quod secundũ naturã est, redundantiã consumat: C qui cicatricẽ inducet, nõ hoc modo, uerumetiam ut ei quod secundũ naturã se habet, aliquid deradat. Galla igit̃ immatura hoc loco, & malicoriũ, & Aegyptiæ spinæ fructus, modice siccantia pharmaca sunt. Chalcitis, & ęs ustum, & ęris squãma, & misy, & fissum alumẽ, multo his sunt ualentiora. Misy quidẽ & chalcitis præcipue, mitior aũt æris squama, atq; etiã hoc mitius æs ustum. Quod etiã si lauabis, utiq; minus mordens medicamentum habebis. Porro hoc quoq; ad speculationẽ de cõponendis medicamẽtis pertinet, quæ sanè medendi methodũ ordine sequit̃. Nam medicamentorũ facultates nosse, id quidẽ medendi methodũ præcedit, tractatũq; de his alibi est. Cõpositio uero medicamentorũ, medendi methodũ sequitur. D Quippe ubi hæc uniuersale præcepit, dico aũt siccandum, aut humectandũ, aut calfaciendũ, aut refrigerandũ esse: tum uel modice id faciendũ esse, uel ualẽter, uel leuiter, intelleximusq; cuiusq; simpliciũ medicamentorũ facultatẽ, hancq; per se & seorsum perpẽsam: tum profecto quo pacto quis ea cõmode ad usum miscuerit, cõsiderare conueniet. Existit igitur eo pacto duplex de medicamẽtis peritia, altera de eorũ uiribus, altera de compositione ac præparatione. Verum ad id quod superest methodi de ulceribus, redeundum est.

6 Superest aũt (ut arbitror) de supercrescente carne dicere, quã ὑπερσάρκωσιν Græce uocat pleraq; medicorum pars. Est porro is quoq; morbus ex eo genere, q̃d in quãtitate magnitudineue partium spectatur. Licet enim pro arbitrio uoces. Ex eodem genere & cauitas erat, de qua iam egimus. Ergo ueluti quod ulcus cauũ uocant, non unũ est uitiũ, sed pariter & cauitas et ulcus: ita ulcus quod supercrescentẽ carnẽ habet, nõ unus est morbus, sed simul caro supercrescens, & ulcus. Indicat aũt magnitudo quæ præter naturã est, primã indicationem, (quam etiam ueluti metam inueniendorũ remediorũ diximus) ipsius scilicet exuperantis ablationẽ. At hæc sola medicamentorũ ope perficitur, non opera naturæ: uidelicet contra q̃ in carne restituenda aut glutinatione se habuit. Hęc eñ naturæ ipsius sunt opera, pharmacis tantũ quæ actioni eius obstant, summouẽtibus. At supercrescẽtis carnis detractio, nullum quidẽ naturæ opus est, sed medicamẽtis perficit̃ quæ uehementer siccent. Porrò proxima sunt eiusmodi medicamẽta, tum ijs quę ualenter detergẽt, tum ijs quæ cicatricem inducũt. sic ut nõ pauci interim per errorem medicamentũ quod carnẽ minuit, uel pro eo q̃d sordẽ deterget, uel pro eo quod cicatricẽ inducit, accipiãt: ut (ne ab exẽplo nostro recedamus) misy, chalcitim si humidæ naturæ applicabis, potius carnẽ demere q̃ cicatricem inducere deprehendes. Vnde si quãdo ijs uti ad cicatricẽ inducẽdam in aliorum penuria cogimur, parcissime ipsis utemur: summũ tantum specillum in ea ad exactissimũ leuorẽ tunsa demittẽtes, ac post uelut tenuissimum quendã pollinẽ partibus, quæ cicatricẽ induci postulant, imponentes: quòd si minuere quę supercreuere, studemus, liberalius imponemus. Sanè ærugo magis etiam q̃ hæc minuere carnem potest, ita ut genus eorũ quæ cicatricẽ inducant, omnino sit egressa. At si illa etiã aduras, ut minus acria, sic ad cicatricẽ inducendã reddes magis apta. Si uero etiã laues, adhuc fient mitiora. Meministi uero (arbitror) & tu eius qui celebri illo uiridi medicamento sordidum ulcus citra rationem curabat, mel quidem ei admiscens, multis autem deinceps diebus æque sordidum reperiens, deinde inops consilij, nec habens quò se uerteret, (Accidebat enim ut non modo non purgaretur sordes, sed etiam ut de subiecta quoq; carne nonnihil unà detraheretur, & colliquaretur, propterea quòd medicamentũ ualentius q̃ pro laborãtis natura erat) plus deinde (ut erat egregius medicus) mellis assidue medicamento adijciebat, quò uidelicet adhuc ualentius purgaret, ceu nõ satis id medicamentũ prius adhibitũ fecisset. Eueniebat autẽ planè contra. quippe quantũ ille intendebat medicamenti acrimoniã, tantum caro subiecta colliquabat̃. Quod uero in ulcere ex liquata carne sordis apparuit, id medico, ceu medicamentum nihil efficeret, imposuit. Atq; huius quidem ignorãtia etiam in discernendi peritia erat, non solum in medendi methodo. Etenim si quammaxime similiter sordidũ ex utroq; medicamento ulcus deprehenditur: at certe cauitas maior ex ualẽti, & quod colliquat medicamẽto efficitur. Quinetiã labijs præaltis, rubrumq;, et phlegmone quodammodo affectum ulcus cernitur. Aliquando uero rosionem

quoq;

quoq; manifestam ex huiusmodi medicamẽto æger sentit. Quod uero minus q̃ par est siccat, nec mordet, nec quicq; efficit eorum quæ retuli.

7 Patere autem & in his arbitror Empiricum etiamsi experiẽtia quàmaxime distincta discretaq; utatur, transire tamẽ ubi quid non cessit, ad id quod expedit artificiose nõ posse. imò uni illi id licere, qui uera methodo (quã ipse nunc instituo) medetur. Quippe quã Thessalij isti amethodi methodũ profitentur, nomen duntaxat esse nudũ intelligis, omnis effectus uacuũ. Qui, cum tanta, tamq; multiplex saltẽ methodus sit in ulcere sanando, neq; Empiricorum discrimine ad inuenienda remedia sunt usi, neq; sicut Dogmatici ab ipsa rerum natura indicationẽ agendorũ sumpserũt: sed solum id, quod nec uulgares lateat, proponentes, nempe cauum ulcus carne impleri postulare, plenũ cicatricẽ induci, quod carne supercrescente luxuriat minui, sordidum expurgari, mundum cicatrice induci, recens agglutinari, ulcerũ curationis methodũ quandam explicasse se putãt. tantũ scilicet absunt, ut intelligant humidioribus naturis minus siccantes medicinas cõducere, siccioribus quę magis siccent. Ergo quod in tota disputatione nostra manifeste apparuit, id denuo resumendũ est: ut & nos illi quàmaxime simus attẽti, & reliqui omnes qui ueterem methodũ corrũpunt, quantũ aberret, clarius intelligãt. Incipiã uero ab eo ulcere quod carne impleri postulat, unũ id pro exẽplo proponẽs: quando etiã proxime de eo sermonẽ feci. Ab hoc de omni simul in uniuersum curatione loquar: Ergo illud non ratione modo, uerumetiã experientia considerantibus apparuit, non omnẽ naturam eadẽ medicamẽta requirere, sed infirmiores mollioresq; mitiora, ualidiores siccioresq; ualentiora. Ita uero tum in ijs quibus cicatrix inducebatur, se habebat: tum etiam quæ glutinatione egebant. Omnino enim nullum uehementiũ pharmacorũ ferunt molles naturæ. In eiusmodi uero sermonis nostri decursu perspicuũ planè fit, tum ægri naturam esse considerandã, tum cuiusq; hominis propriam esse curationẽ, tum supra hęc illud tertium. nempe quoniã cuiusq; naturæ proprietas ineffabilis est, nec exactissima scientia comprehensibilis, hunc esse optimũ cuiusq; particularis ægritudinis medicũ, qui iam methodũ quandam comparauit, ex qua & dignoscere naturas possit, & cõiectura consequi quę sint cuiusq; propria remedia. Porrò, existimare cõmunem quandam esse omniũ hominum curationẽ, sicuti stupidissimi Methodici putant, extremæ est demẽtię. Atqui illi ob id stata putant omnia medicinæ artis theoremata, hoc est eiusmodi esse quæ scientes homines faciãt, firmãq; sui notitiã præstent, ipsorũq; artem, notitiã quandam esse cõmunitatum, non proprietatũ, tanquã cõmunem & generalem hominẽ, nõ particulares curarent. Ergo sicuti in alijs omnibus statim inter initia sunt lapsi, sic in hoc quoq;. Siquidẽ curatur nõ homo cõmunis & generalis, sed nostrũquisq;, alius uidelicet aliud temperamentũ naturãq; obtinens. Hi uero unam esse omniũ hominũ curatio-

A nem existimant. Ego cõtrà, si cuiusq; priuatim naturam explorare ad unguem scirem, utiq; qualem fuisse Aesculapiũ mente concipio, talem me esse putarẽ. Sed quoniã id fieri nõ potest, certe ut quoad homini licet, quã proxime accedã, tum ipse me exercere decreui, tum alios ut idem faciant, adhortor. Ac conanť quidem quantũ possunt & Empirici, ut à cõmunibus secedere, ita propius ad ea quæ propria sunt accedere. Verũ quantũ hi quoq; ab eius rei perfectione absint, supra est dictum. Non ẽm hæc in pueris, uel mulieribus, uel senibus, uel mollem carnem albamq; habentibus, aliaq; id genus, pro certis discretionibus (sicuti illis placet) sunt ponenda, imò quemadmodum in humore & siccitate corpus se habeat. Ac Empiricos quidem

B medicos, tum ob alia multa, tũ ob id probare maxime conuenit, quòd accedere quantũ licet ad ægri proprietatẽ conanť. Post enim reliquas discretiones omnes quas adhibent, etiã quæ à consuetudine sumitur, adijciunt, tanq; hinc remediorũ quę ægro magis sint propria, cõpotes futuri. Dicetur autẽ à nobis in sequẽtibus De cõsuetudine fusius, ubi pro cognoscẽda proprietate laborãtis naturę, etiam discrimen à consuetudine priscis inuentum esse probabimus. Hanc itaq; cum reliquis Empirici recipiunt, & præter hanc, ipsum etiã medicum qui sæpe ægrum inuisit, q̃ eum qui non uiderit, cõmodius curaturũ aiunt. Postea tamen cum hæc omnia adiecerint, stabilem se atq; scientificã habere notitiã propriæ curationis ęgri adhuc nõ dicũt.

C At uero impudentissimus Thessalus illud modo unum intelligens, quod cauũ ulcus sit implendũ, cõstantia tamen & firma dicit esse medicinæ theoremata, quanq; hoc saltem omnes (ut ante iam dictum est) homines sciũt, nõ ij modo qui nũc sunt, postq; Thessalus iste alter uidelicet Aesculapius, in lucẽ hominũ uenit: sed etiam, arbitror, qui ante Deucalionem, & Phoroneũ fuerũt, si modo hi rationales erãt. Imò uero præter hoc quòd carne esse implendum cauũ ulcus nouerunt: etiã illud nõ ignorarunt, qui medicamenta nosset, quæ tale ulcus carne implerent, hunc medicũ esse. Atq; hęc si per experientiã sunt inuenta, constat empirice nobis esse curandum: sin ratione inuenta sunt, Logice. Non enim profecto aliud inuenit, alio autem

D nunc cõmode utetur. Verũ de eo nobis cum Empiricis lis est. Quod autem dicere cœperam, uera ipsa medicina de laborantis natura coniecturã fecit. Nominat, arbitror, id uulgus medicorũ Græcè ἰδιοσυγκρασίαν: omnesq; id incomprehensibile fatentur, ideoq; ipsam ueram medicinæ artẽ Aesculapio, Apolliniq; concedunt. Pendet porrò omnis hæc ratio ex duplici principio: Empiricis obseruatoribusq; ab ijs quæ manifeste apparent: Logicis autem, ab ipsis elementis. Nam quòd alij aliud medicamentũ prosit, etiam pueri iam fermè sciunt, & ratio pariter quæ ab elementis ducitur, id confirmat. Si nanq; quindecim differẽtias in hominum temperamẽtis ex minoris in ijs maiorisq; ratione, idq; in humida tantũ natura statuas, necesse profecto est medicamentorũ etiam quibus sis usurus,

quindecim differentias noueris, quarũ aliæ magis, A aliæ minus siccent, quo nimirũ quod cuiq; naturæ congruat inuenias. Quòd si etiã in sicciore natura alijs quindecim positis, ad has quoque pari modo alia quindecim medicamẽta requiras, habebis in totũ triginta medicamẽta, quę triginta naturis cõueniẽt. quibus uti is demũ solus cõmode poterit, qui in corporũ tẽperamentis diligẽter se exercuerit. Nunquid igitur si totũ corpus tẽperamento sit sicciore, ab ijs quæ magis siccent medicinis iuuabitur: si uero pars quæpiã eius, cæteris partibus natura sit siccior, quæ minus siccent requiret? An liquido patet hic quoq;, quæ pars siccius temperamentũ obtinuit, hanc etiã quæ magis siccẽt postulare: quæ humidius sit sortita, minus siccãtia. Atq; hoc totũ prætermittũt a methodi isti Thessalij, qui B unã omni particulę cõgruere medicinã putãt. Empirici autẽ quantũ in hoc Thessalios istos Methodicos superant, tantum à ueris Methodicis Logicisq; superantur. Habent enim profectò illi quoq; ab ipso scilicet usu edocti, aliud medicamentũ ad ea ulcera quæ in oculis accidunt, aliud ad ea quæ in auribus, aut articulis, aut carnibus, aut sola cute. Cæterum quod nec in ijs se transferre ad aliud possint, ex ijs quæ supra diximus, facile patet.

8 Quoniam autẽ & de his satis iam dictum est, rursus ad disputationis initiũ reuertamur, misceamusq; ulceri omnes qui simul cum ipso incidunt affectus, ab intemperie primũ orsi. Si enim exulcerata caro, uel prius etiã ex quauis occasione uel ipso ulceratiõis tẽpore iusto calidior frigidior'ue C est effecta, utiq; medelam exigit, quæ non modo moderate siccet, sed etiam intantum calfaciat, refrigeret'ue, in quantũ subiecta caro à naturali suo habitu recessit: cum fieri non possit, ut in ulcere, uel carnis productio, uel sinus impletio uel agglutinatio, uel cicatricis inductio, rectè unq; cedat, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat. nec frustra dictum supra est, hæc omnia naturæ esse opera. purgari tamen sordida, minuiq; supercrescẽtia, etiam carne naturalem statũ non seruante possunt, propterea quòd tantũ hæc medicamẽtorum sunt opera. Quocirca legitimi ulceratarũ partium tẽperamẽti, quoties eas uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere studes, maior tibi sollicitudo erit. Seruari nanq; debebunt naturæ mo- D tus, quos cõprehẽsorum singula comitanẽ. At aliàs nõ seruabunẽ, nisi prorsus se pro naturæ suæ ratione pars habeat. Veluti igitur si phlegmone cũ ulcere unà esset, priusquã hæc discussa sit, nemo id uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere tentarit: ad eundem (arbitror) modum etiam si sine phlegmone sola subsit intẽperies, nullũ horum fore prius sperabimus, q̃ illa sit sanata. Rursus igitur hinc indicatio quædã ad medicamentorum, quæ superius cõprehensa sunt, inuẽtionem oritur. quippe omnia ea siccãtia erant: sed dissidebant inter se pro intentionis remissionisq; modo. Cæterũ, definitũ antea non est, quatenus in calefaciendo frigefaciendoq; se haberẽt: sed methodus hoc quoq; inuestigare quodammodo cogit. Non enim tantũ an siccet, sed an etiam non ualde calefaciat, aut refrigeret, expẽdi oportet. Ergo altercũ, & mandragoram, & cicutã, ceu supra modum refrigerãtia fugies. tametsi siccant ea quoq; quantũ sit ulceri ex usu. Resina uero & pix, & asphaltus, quanq; modice siccant, tamen immodice sunt calida. Ideoq; eis nemo utetur solis, nec aliter, nisi cũ leuiter refrigerantibus admistis unũ ex omnibus medicamentũ fecerit, quod sit temperatũ. Si igitur hæc ita se habent, sicuti profectò habent, inspici etiã conueniet & circũdantis nos aeris temperiem. Siquidem ueluti medicamentũ quoddam, is quoq; corporibus nostris forinsecus incidens, ubi immodicus calore uel frigore est, sanationẽ moratur. Danda igitur opera est, ut medicamenta eius excessui occurrant. Ideoq; Hippocrates in calidioribus anni temporibus, ijs quibus frigidior facultas sit medicamẽtis utitur, calidioribus autem per frigidiora. Non ignoras profectò hic quoque ex stupidis Methodicis quendã fateri, quo pacto in calore, & frigore se habeat, qui ęgrum continet aerem se inspicere, nõ tamẽ anni tempora inspici permittere: quasi nomina ipsa temporũ anni prosint obsint'ue, nõ eorum temperamenti ratio: aut non huius causa ueteres medici ad ea respexerint. Verum quòd qui certa methodo curare ulcus debet, huic necesse sit, tum ad prima elemẽta uel maxime uenire, tum anni tempora, & corporũ temperamenta nõ in toto modo, uerumetiã in singulis partibus considerare, abunde monstratũ reor. Rursus uero repetendum hoc etiã loco est, quod prius diximus in indicatiõe, quę à sicco humidoq; sumitur. Nam sicut in illis humidior natura humidiora, siccior done sicciora medicamenta exigebat: ita nunc calidior calidiora, frigidior frigidiora requiret: contrariã scilicet ijs quæ prẹter naturam, & ijs quæ secundum naturã sunt, indicationẽ præstantibus. quippe quæ secundũ naturã sunt similiũ sibi indicatiua sunt: quæ præter naturã, contrariorũ: si modo illa seruari, hęc summoueri necesse est. Ac q; tum corporũ tẽperies, tum anni tempora, tum partium naturæ, cõsideranda ab eo sint qui probe ulcus sit sanaturus, clare me docuisse existimo. ad hæc, q; prima quidem medicationis indicatio à solo sumaẽ affectu, remedia tamẽ inde inueniri non posse, nisi prius ad corporũ elemẽta sit ascensum, & ęgri temperamentũ perpẽsum, nõ corporis modo uniuersi, sed etiam afflictæ particulæ: cum hoc quoq; ambientis tẽperie æstimata: quæ utiq; cum ad præsentes status, tum uero regiones extẽditur.

9 Quòd aũt contrariæ subinde in una curatione indicatiões sint, atq; has quemadmodũ tractare conueniat, latius quidẽ dicetur in sequentibus, non tamen alienum sit nunc quoq; paucis de ipsis egisse. Etenim quòd ægri temperamentũ sit humidius particula ipsa quæ laborat, siccior: aut contra quòd hæc sit humidior, totius temperamentũ siccius, mirandũ nõ arbitror. Pari modo in calore, & frigore, quòd contrario tẽperamento sit pars cum toto. Veluti igitur si totũ corpus medio temperamẽto esset, (quod esse optimum docuimus) nihil

plane

planè quantũ ad laborãtis naturã attineret, in medicamentis nouaremus: ita ubi uel siccius, uel humidius, uel calidius, uel frigidius iusto cernit, eatenus intendere uires medicamentorũ oportet, quatenus corpus ad naturalem intemperiem est uersum. Non eñ, arbitror, excidit nobis quæ naturalis intemperies sit, & quæ præter naturã. Dictum eñ de ipsis est in alijs, ac præcipue in libro qui De inæquali temperamẽto est inscriptus. Pone igitur totũ laborãtis corporis temperamentũ humidius esse, eoq; medicamenta desiderare, quæ minus siccẽt: ipsam uero ægrã particulam ex earũ numero esse quæ sicciores sint, (qualia esse diximus, quæ minus sunt carnosa, cuius generis sunt, quæ circa digitos, & articulos habent: preterea quę circa aures & nasum, & oculos, & dentes, sunt: ac ut semel dicam, ubi crebræ chartilagines, & membranulæ, & ligamenta, & ossa, & nerui sunt: adeps uero, & caro, uel omnino nulla est, uel perquã exigua) diuersa in his est ea quæ à patiente particula accipitur indicatio, ab ea quæ ex ęgri sumit natura. Quare si quanto ægri tẽperamentũ iusto est humidius, tanto particula iusto sit siccior: nec adijciendum, nec detrahendũ pharmaco quicq; est, sed tale adhibendũ, quale si ulcus in medij temperamẽti particula corporis mediocriter temperati cõsisteret, adhiberemus. Sin siccior debito particula tanto fuerit, quãto corporis temperamentũ iusto est humidius: utiq; in tantũ intendi siccitatẽ medicamẽti conueniet, quantũ particulæ temperamentũ totius temperamentũ excedit. ueluti si quatuor numeris sit exulcerata pars medio tẽperamento siccior, ægri natura gradibus tribus humidior, manifestum est particulã quæ nunc exulcerata est, siccius uno gradu desideraturam medicamẽtum, ꝙ quę pars sit temperata. Quòd aũt hæc omnia cõiectura sint accipienda, tum quod optime cõijcere poterit, qui in ratiocinãdo de his sit exercitatus, liquido patet. Ac in talibus quidem omnibus contrariæ subinde indicatiões uno tẽpore fiunt. Neq; eñ est quod de indicationibus quæ à calido & frigido sumuntur, etiamnũ dicã, utpote quæ ad portionem dictorũ intelligi possunt, in alijs uero, etiã temporibus statim indicationes separantur. oportetq; in principio præsertim curationis alterã cessare, alteram officio fungi. sicut exẽpli causa, cum ulcus cauũ simul sit, & admodũ sordidum. quippe affectus præter naturã in hoc triplex est, ulcus, cauitas, & sordes. Ordo uero sanationis à sorde expurganda ordietur, quòd uidelicet, nec glutinari quicquam, nec carne impleri potest, priusquã purum fuerit. Secundũ locũ exiget cauitatis sanatio. Si nanq; uel glutinabimus, uel cicatricem inducemus, uel (ut summatim dicã) curabimus ulcus, cauitatẽ implere nõ poterimus. Pone ergo nõ solũ tria hæc particulam obsidere, sed etiam phlegmonen, uel erysipelas, uel gangrænam, uel intemperiem aliquã simplicem cõpositam'ue. Num nam hic manifestum est, ꝙ nisi quis illam prius sanauerit, implere carne cauum ulcus nõ poterit? Quippe dictum supra est carnis generationem ex sana

A quæ subiecta sit, ortum habere. Ex ea uero quam phlegmone premit, & intemperata, & uno uerbo ægrota, caro gigni noua nõ potest. Ergo in omnibus eiusmodi complexionibus triplex tibi propositus finis erit. unus ueluti à causis sumptus eius quod post futurum est. alter ut quod rationem obtinet eius sine quo nõ. tertius eius quod ueluti accelerantium, & urgentium nominatur. Siquidem iusta subiectæ carnis temperies, causæ rationẽ habet, ut quæ cõcrescere secum quod ulceratum est faciat, & cauitatem impleat. Puritas ulceris rationem eius sine quo non, atq; hanc sordes interpellans, curationem moratur. Habet uero & ipsa cauitas ad ulcus rationẽ eius sine quo non. quando nisi cauitas prius impleta sit, induci cicatrice ulcus

B non possit. Ergo si ad hæc respexeris, ordinem sanationis inuenies. ueluti si phlegmone, & cauitas, & ulcus, & sordes, simul in eadem particula constiterint, primum phlegmonen, secundo loco sordem, tertio cauitatem esse sanãdam, & quarto ulcus. Ac in iam dictis quidem, tum ordo, tum agendorum inuentio ex his sumitur. Vrgentis uero indicatio inter ista non habetur: in alijs autem habetur. Nam affectus unde primum maximeq; imminet homini periculum, hic primus curari debebit: interim uero non primus modo, uerumetiam solus. ueluti si puncto musculi capite, cõuulsio quæ nulla conuenientium medicamentorum ui remittatur, superueniat: quippe præciso per transuersum toto musculo, cõuulsionem quidem sanaueris, aliquẽ tamen ex particulæ motibus uitiaueris.

C Ad eundem modum cum è uena, uel arteria, sanguis immodice profluit, si totum uas per transuersum præcideris, ulcus quidẽ eius sanare postea nõ poteris, periculum tamen quod ex profluuio sanguinis impẽdebat, sustuleris. Iam neruũ punctum sæpe cogimur transuersum pręcidere, quoties, uel conclusiones, uel deliria, uel ambo, magna ægreq; sanabilia, superuenire uulneratiõi cernimus. Pari modo, ubi luxatio cum ulcere in aliquo maiorũ articulorum incidit, ulcus sanamus, luxationẽ autẽ insanatã relinquimus. quando si hanc quoq; sanare conemur, cõuulsiones omnino sequentur. Tertius itaq; propositus medendi finis is est, qui ad id quod urget, dirigit: diuersus nimirũ à duobus illis

D modo dictis. Neq; eñ idem est, aliquid uel ut causam considerare, uel ut id quod rationem obtinet eius sine quo non, uel ut quod urget. Sed & quod urget, tum eiusmodi interdum esse, ut alium insanabilem affectum relinquat, dictum iam est: tum uero affectum ipsum non tanquã à nobis ipsis induci partim in neruo puncto, uel tendone, uel uasorum cuiusquam sanguinis profusione, partim in musculo cuius caput est uulneratũ. Nam ubi luxatio cum ulcere unà cõsistit, non ipsi affectum facimus, sed tantũ eum qui factus est, nõ sanamus. Dicetur uero de ijs accuratius in sequentibus.

10 In præsentia nanq; redire ad proprias ulcerum differentias placet, ac propositũ sermonẽ breuiter complecti: quò si qua ex his etiam indicatio remediorũ sit reliqua, eam nõ prætermittamus. Er

go phlegmone laborans, & putrescens ulcus, & quod exedit, & quod gangræna, & quod erysipelate affligit, & cancerosum & dolẽs, & indolens, quæq; alia id genus ueluti ulcerum differẽtias loquuntur, si quis Empiricã curationẽ prodens, nec aliud cogitans pertractet, non est cum eo contendendũ si ulcerũ ea differentias nominat. Millies enim dictum est nõ oportere de nominibus cõtendere. Sin tanq; artificiosum aliquid de indicationibus dicturus, docẽdus est omnes iam dictos affectus cõpositos esse. alias uero esse differentias simplicis soliusq; ulceris, & cui nullus alius adiũctus sit affectus. Nam si ab acuto aliquo facta tantũ diuisione forma eius quod uulnerauit, parti diuisæ impressa est, existent profecto sic multæ ulcerum differentiæ, obliquorũ, rectorũ, pampini modo retortorũ, hami ritu uncorũ, aliter quocũq; modo se habentiũ. Atq; hæ quidem differẽtiæ omnes à figura sunt. A magnitudine rursus pro maioris minorisq; ratione mille aliæ. Nam & magnũ & paruum, & maius & minus ulcus ulcere tum dicitur, tum uero est. Quinetiã breue & longũ, in summo residens, & in profundum penetrans. Atq; in singulis horum, tum quod magis tale, minusq; est, siue in spatij, siue in magnitudinis, siue quantitatis, siue quocunq; modo appellasse libet differentia. Quod si hæc ita se habent, omnino profecto & æquale ulcus, & inæquale, penes diuisionis profunditatem, erit. Quippe diffisso, ita sors tulit, per longitudinẽ femore, potest superior diuisionis pars alte descẽdere, inferior in summo corpore herere: aut cõtra, in summo esse quæ superior est, profunda quę inferior. Iam illa quoq; nẽpe diuulsum aliqua ex parte aut ex toto fuisse, & incisum fuisse, & ubi q̃d uulnerauit, oblique sub cutẽ se dedit, alteram ulceris partẽ in cõspectu esse, alterã sub cute latere, idq; uel ex supernis partibus esse, uel infernis, uel lateralibus: omnia hæc ulceris differentiæ sunt. Ab ipso tempore rursus aliæ ulcerũ differentiæ sumuntur, uetus, recens, exigui tẽporis, & diuturnum. Atq; in omnibus his ipsa maioris minorisq; ratio numerosa est. Atq; ab ipsa ulceris natura hæ differentiæ sumuntur, maxime quidẽ proprię quæ à substantia rei capiunt. Nempe quæ à figura dicunt, & à diuisionis magnitudine, idq; uel in lõgitudine, uel in altitudine, uel in ambabus dimensionibus: præterea æqualitate in his, & inæqualitate: extrinsecus uero accidẽtes, & quæ scilicet rationẽ obtinent eius sine quo nõ, tum à tẽpore in quo factũ ulcus est, (ita enĩ aliud recẽs, aliud uetus uocatur) tum ex eo quòd totum pars'ue cõspectum fugit, uel conspiciendum se præbet. Iam uero & à generationis ratione, eo quòd totum sit incisum, uel totum diruptũ, uel pars incisa, pars dirupta. Quòd si quæ in loco quoq; in quo est ulcus differẽtias censeas, ueluti si finis musculi, uel principium musculi, uel medium musculi, uel cutis sit quod ulceratum est, uel iecur, uenter'ue sit, in quo ulcus cõsistit: fuerint profecto & ipsæ ulcerũ differentię, nõ utiq; à propria ipsorũ natura, sed à locis in quibus cõsistũt desumptę. At cum phlegmone

A quis obsessum ulcus dicit, aut supercrescente carne pressum, aut cauũ, deinde similes ulceris differẽtias dixisse se ijs quas modo retuli putat, hũc necesse est in medẽdi methodo falli. Quippe Græce φλεγμαῖνον ἕλκος ex formula dictionis similem habet interpretationis figurã cum paruo ulcere: cæterum, quod significatur, simile nõ est. Siquidẽ profundum, aut summotenus factũ, cum de ulcere dicimus, propriam eius differentiã ostendimus. φλεγμαῖνον uero omnino ulceris differẽtia nõ est, cum possit phlegmone pars affici, etiam ubi ulcus non sit. Quo fieri arbitror, ut hic immutare dictionem liceat. Si enĩ accidisse alicui ulcus cum phlegmõe dixeris, propius ad rei naturã, & clarius interpretatus sis. non aũt si alij cum magnitudine, alij cum B paruitate factum dicas, quippe cũ & magis ex natura rei & clarius loquare, si huic magnũ accidisse ulcus, illi paruũ dixeris. Adeo si fieri possit, ut mutata dictio & rei naturæ cõuenientior, & auditoris clarior sit, cõmittendum non est quo minus id fiat. Quippe caput ad effugiendam in rebus deceptionẽ est, ut definita locutione utare. Quamnam igitur in talibus methodũ statuamus? Etenim tradenda quępiã præceptio est, ac ueluti scopus, quo semper intentis discernere statim liceat differentiam'ne alicuius affectus dixerit quis, an alterius affectus cõplexum. Esto igitur tibi discrimen hoc, Quod consistere seorsum, & per se potest, id nullius unq; alterius fuerit differẽtia. Ergo magnitudo, paruitas, æquabilitas, inæquabilitas, tẽpus & C figura, ex eorũ numero sunt quę alijs accidũt. Vlcus uero, & phlegmõe, gangræna, & putredo, singula seorsum, et per se cõsistere possunt. Sunt nãq; corporis nostri affectus quidã præter naturã, minime ea quæ affectibus necessario accidũt. Quippe omnibus his necessario accidit, ut uel parua sint, uel magna, uel æquabilia, uel inæquabilia, uel recentia, uel inueterata, uel euidenter appareãt, uel condantur, nec uideãtur. Phlegmone uero affici, ex ijs quæ ulceri accidunt nõ est, ueluti nec putrescere, nec gangræna tentari. Sunt enim hæc omĩa ex morborũ genere: siquidem affectus præter naturã sunt, & actionẽ uitiant. Alio rursus modo ulcus crucians, & ulcus sordidũ, ceu quædam ulceris differentiæ dicunt. Cæterum cõpositum quip- D piam hic quoq; indicatur, sed diuersa ratione q̃ ut phlegmone tentatum, aut putrescens ulcus dicebatur. Quippe hic affectus sunt phlegmone, & putredo: illic dolor, & sordes ex symptomatum sunt genere. Pari modo & cũ dicitur cacochymon ulcus, id est uitioso succo obsessum, aut fluxione uexatum, aut arrosum, causa cum affectu copulatur. Manifestumq; ex talibus est, methodi eius quę de medendo instituitur, primos ac simplices, sineq; ulla cõpositione morbos, ueluti elementa quædam esse. Quo magis in cõmentarijs qui De morborũ differẽtijs sunt scripti, omes eos enumerauimus. Sane nihil referat, primos, an simplices dixeris: quando quod primũ est, simplex est: & quod simplex, primũ, ideoq; etiam elementare. Indicatio uero curationis ex differentijs fit, sed non omnibus

nibus. Nã recens uetusúe ulcus nihil indicat quanquam indicare uidetur nonnullis. sed hi seipsos fallunt non aliter ꝙ in ijs quæ ad uictus rationẽ spectant, cum aliam initij, aliã incrementi, aliam summi uigoris, aliam remissionis indicationẽ esse dicunt. De quibus latius in sequẽtibus dicturus, nõ est quod nunc sim uerbosior. Verum quod tantũ ad rem præsentem sit satis, id adijciam. Recens ulcus cum omnino ab altero quolibet affectu est liberum, nec symptoma ullum habet adiunctũ, aliã putant indicare curationem, ꝙ uetus. Id uero non ita se habet. Siquidem quod ulcus tantum est, nec quicquã aliud: (est porrò eiusmodi, cui nec cauitas adest, nec dolor, nec sordes: quodq́ & omni alio affectu est liberũ) & ipsam tantũ ulceris sanationem desiderat: cuius utiq; propositus finis, uel unitio, uel agglutinatio, uel coitio, uel cõtinuatio est. quippe millies diximus licere appelles, ut lubet, modo rei nihil mutes. eiusmodi igitur ulcus, siue recens siue antiquũ sit sit, eandem semper curationẽ requirit, nihil planè propriũ indicante discrimine eo quod à tempore sumit. At si cauitatẽ alte reconditam sub cute habet, cõsiderare oportet utrum ea in superiore parte sit ita, ut sanies ex eo prona effluat: an in inferiore sic, ut illic sistatur. Eius igitur cui effluxus patet, eadem quę aliorum curatio est. Cui non est, huic ipsi moliamur effluxum quendã oportet. Eius duplex ratio est, aliàs tota cauitate desecta, aliàs in fundo tantũ aperta. Quando uero harũ alterutra sit ineunda, docebit tum locorũ ipsa natura, tũ uero ulceris magnitudo. Si nanq; & loca ipsa periculosam sectionẽ faciant, & ulcus magnũ fuerit, in fundo aperire magis expedit. Sin cõtra se habeant, perscindere pręstat. Deligatio uero eius incipiat quidem superne, sed finiatur infra, ubi scilicet patet effluxus. Quòd aũt differentia ea ulcerum, quæ à uulneratis omnibus particulis sumitur, ad indicandã curationẽ sit maxime opportuna, id in superioribus est dictũ. Verum ea quidẽ ut similariũ, hæc aũt cuius nunc memini, ut instrumentalium est indicatio. Sanè dicetur de ea quæ uel ut similarium corporũ, uel ut instrumentalium indicatio est, in sequentibus uberius. Nunc ad proprias ulcerũ differẽtias est redeundum, ac de ipso seu trãsuersum sit, seu rectum, seu profundum, seu in summo corpore, seu paruũ, seu magnum, definiendũ. Transuersa nanq; ulcera, eo ꝙ labra eorũ magis dissident absuntq́ à sese, coniungi diligentius postulant: ideoq; tum suturis, tũ fibulis in his est utendũ. Quæ uero per longitudinem musculorũ sunt facta, hæc si à duplici initio deliges, nec suturis, nec fibulis egebis. Sin aliter deligare placebit, uel fibulis, uel suturis utere. Sufficient aũt paucissimæ omnino suturæ. Et magna quidem ulcera, si recta ea quę prius dicta sunt, meministi, ijs quæ ualentius siccent medicamẽtis curabis. Parua uero, uel quæ moderate siccent, abunde sanauerint. Profunda uero ulcera, omnino etiã magna sunt, uoluntq; tum à duobus initijs deligari, tũ uero nec labra sua præpropere glutinari. At quæ profunda multũ lõgaq; sunt, ut duplici ratione sunt magna, sic duplicem quoq; indicationem præstant. Itaq; & quæ ualenter siccent, postulant: & ne immature labra cõiungas, & ut à duob. initijs deliges, & ut altis suturis consuas. Ad eundem modũ & si multæ simul differentiæ coierint, quarum sua cuiq; sit indicatio: si quidem inter se minime pugnent, omnibus uti maxime expedit. sin aliquatenus secum pugnent: quẽadmodum distinguere de talibus oportebit, dictũ quidem alicubi in præcedentibus est: locupletius tamen dicetur in sequẽtibus. Nunc enim finiendus hoc loco tertius hic liber uidetur. In quarto qui sequẽ, de ijs affectibus qui ulcera comitari plurimũ solent, disceptatio erit. Tradentur autẽ cum his etiam internarum causarum curationes.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI.


Cap. 1 Continuitatẽ solutã fieri in diuersis partibus, ut carne, osse, neruo, ligamẽto, uasis & musculis: & diuersis nominib. appellari. Simplices affectus à cõpositis discernẽdos esse, & cõsiderandũ qui nam & quot numero eiusmodi affectus coeãt, postremo colligit sub cõpẽdio ægre sanabiliũ ulcerũ species quatuor: aut. n. propter intẽperatã ulceris carnẽ, quæ uel in qualitate sola, aut etiã cũ tumore aliquo præter naturã efficiẽ: aut ꝓpter affluẽtis humoris uel qualitatẽ uel quantitatẽ difficilia sanatu fiũt ulcera. 2. Quõ quatuor iam dictis causis ægre sanabiliũ ulcerum occurrendũ sit. 3. Quod in affectibus manifestis nõ sit necesse ad curationẽ prænosci causas primitiuas siue externas: nisi illa præsens adhuc morbũ faciat, quã aliqui cõiunctã appellãt causam. Ad noscẽdos uero affectus, externæ etiã causæ inuestigãdæ sunt. 4. Indicationẽ curandi neq; in diuturnis ulceribus, quæ cacoethe potius dicenda sunt, neq; in ullo alio morbo, à tẽpore sumendã esse, sed ab ipso affectu. Et ꝙ in huiusmodi ulceribus labra partis exulceratæ non semp excidenda sint, nisi dura fuerint, callosa, liuida, & nigra: tũ eñ excidenda sunt, non statim tamen ut recẽs uulnus curãda, cũ caua etiã sint, contra Thessalũ. Postremo de uera medẽdi methodo in uniuersum: & à qua generali indicatione in quouis morbo auspicandum sit. 5. De uera diuturni seu maligni ulceris cura: & ꝙ desiccatio ei præcipue cõmoda sit. 6. De purgatione & phlebotomia quatenus à morbi magnitudine indicantur. Quẽadmodum eñ in ualido morbo, si uires constent, pueris exceptis, sanguis etiã nõ redundãs detrahitur: Sic etiam purgatio propter alicuius alterius ꝙ uitiosi succi abundantiã, sed morbi uiolentiã adhibetur. Item quæ phlebotomiæ loco usurpari possint. 7. De ulcerum differentijs, à situ, forma, acumine aut hebetudine sensus. De alijs eorũ differentijs dictum est lib. 3. cap. 9. & dicetur lib. 7. capite ultimo.

Aliter.

Methodus curatiõis ulcerũ malignorũ. Quot modi sint ulcerũ curatu difficiliũ. Methodus curatiõis ulceris curatu difficilis ꝓpter carnis intẽperiẽ. Vlceris curatio qñ cũ tumore præter naturã exulcerata est pars. Methodus curatiõis alterius affectus qñ praui humores ad particulã defluũt. Quo pacto in quibusdã morbis causam præincipientẽ cognoscere cogamur. Malignorũ ulcerũ curatio secundũ Thessali opinionẽ. Contra Thessalũ ꝙ à tẽpore indicatio sumi non debeat. Curatio ulcerũ malignorũ ex Hippocratis sentẽtia. Quod sæpenumero alter affectus ulceri adueniens, curationẽ quæ ulceri debeẽ, prohibet adhiberi. Curatio eorum quæ ulceri accidunt ex Hippocratis sententia. Quæ indicatio curationis ex partiũ situ ac figura sumẽda sit.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS,

Liber quartus.



1 VNVM esse morborũ genus, ipsam quoq; continuitatem solutam diximus. Hæc in omnibus animalis partibus incidit: non tamen unum nomen in omnibus sortit. Quippe quæ in carnosa parte, ulcus: in osse, fractura (Græcis κάταγμα) dicitur: in neruo, conuulsio. Græci σπάσμα uocant. Eiusdẽ generis sunt & quæ Græci ἀπόσπασμα & ῥῆγμα & θλάσμα dicunt. Illud in ligamẽto, hæc in uasis musculisq; ex uiolẽto ictu, uel graui casu, uel alio quopiam ualente motu excitata. Quæ uero ἐκχύμωσις Græce dicitur, plurimum unà cum contusione ruptioneq; incidit. Fit autem aliquando & ex oris uasorum apertione, quam ἀναστόμωσιν uocant, & ex ea quæ à nonnullis διαπήδησις dicitur, aliud utiq; tunc solutæ continuitatis est genus. Iam uero & ex erosione, quam ἀνάβρωσιν Græce uocant, soluitur interim in animalis partibus continuitas. Verum is iam mistus affectus est, ut qui aliud quoddam morbi genus adsciscat, quod in quantitate partium consistit: ueluti supra cum de cauis ulceribus egimus, est monstratum. Est enim horum ipsorum duplex ortus: aliàs ab excisione, sæpe ab erosione proueniens. Verum excisio quo pacto eueniat, non latet. Erosio si intrinsecus ab ipso animali prouenit, uitiosi succus soboles est. Sin extrinsecus, aut à ualentibus medicamentis fit, aut ab igni. Et sanè (ut dictũ supra est) diligenter attendere oportet, & simplices affectus à compositis discernere: cum simplici morbo simplex adhibenda curatio sit, composito non simplex. At quænam in cõpositis curandis tenenda methodus sit, supra est dictum. Cęterũ non tantum generalitatem eius didicisse, sed etiam in singulis eius partibus exercitatum esse oportet: cum in his quoq; alijs non paucis methodis (ut ita dixerim) particularibus sit opus, propterea quòd cuiq; morborũ speciei sua sit methodi species. Ergo quod reliquum est ulcerum curationis, in hoc lib. exequamur, hinc sumpto initio: Omne ulcus aut solũ est, ipsumq; per se, nullo nec cum eo simul inuadente, nec ipsum præcedẽte, aut sequẽte alio effectu: aut cum alio quopiam uno multisúe consistit. quorũ alij nõ modo statim ab initio ulcus excitarunt, sed etiã nũc maius efficiunt: alij eius sine quo non, ut ad curandi opus, rationẽ obtinẽt. Verum de his prius dictum est. At quæ maius ulcus reddũt, de ijs hoc uolumine agetur. Ac duplex in his curationis cõsiliũ est, ut uel eiusmodi affectus è corpore prorsus eximas, uel incõmodũ quod inferunt, uincas. Verũ hoc ubi exiguus planè affectus est, fieri licet. ubi magnus est, duci ad cicatricem ulcus prius nõ poterit, q̃ illi affectui remediũ attuleris. Ergo quinam & quot numero eiusmodi affectus sint, diligenter nobis considerandum est. inde nimirum sumpto initio, unde supra est cœptum. Omne ulcus, siue solum sit, siue unà cum cauitate, & subiectã sibi carnem naturaliter habere postulat, & ne quid inter oras conglutinandas intersit, quod tamen sæpe fit, ita ut pilus, arena, sordes, oleum, aliudúe id genus glutinationẽ prohibeat. Cæterum, hæc ceu symptomata quædam ulcerũ sunt, & quę morari sanationẽ, si sint, possunt: efficere, si non sint, nõ possunt. Subiectæ uero carnis affectus causæ rationẽ obtinet ad id quod efficitur. Quippe ex hac, & per hanc, tum quæ dissi-
B dent, glutinant: tum quæ caua sunt, carne implentur. ea ergo planè pro natura sua se habeat oportet, quò hæc utraq; cõmode perficiantur. Atq; ea recte quidem se habuerit, si id quod reliquis etiã omnibus est cõmune, proprium temperamentũ tueatur. Itaq; temperatam esse subiectam carnem ad ulcera tum glutinanda, tum carne implenda, prorsus oportet. Nunquid igitur hoc tantum satis est? An etiam sanguinem qui adfluit, & bonũ esse & mediocrem quantitate oportet? Mihi id quoq; multo maxime uerũ esse uidetur. Nam & qui corruptus sanguis est, tantum abest ut ad glutinandũ & carne implendum sit utilis, ut etiam ipse nonnunquam corpus erodat, atq; exulceret. & mul-
C tus humor cum in ulceribus excrementa creet, sanationẽ (ceu prius diximus) moratur. Atq; hi tres ægre sanabilium ulcerũ modi uidentur. qui ex intemperie subiectę prouenit carnis. qui ex uitio adfluentis fit sanguinis. & tertius qui ex mensura cõfluentis nascitur. An non ita facienda diuisio est, sed sic potius? Nempe ęgre sanabilium rebelliũq; ulcerum, alia propter ulceratæ carnis intemperiem, alia ob adfluentem humorem talia fieri. tum intemperiem rursus ipsam bifariam diduci, cum aliàs in qualitate sola naturæ modum egressa subdita caro sit: aliàs etiam cum accessorio quopiam tumore. Iam ipsum confluxum bipartito etiã scindi. nempe in confluentis succi, tum qualitatẽ, tum quantitatem. Interim uero misceri dictorum affectuum, aut aliquos, aut etiam pariter omnes. Por-
D rò tradenda est medendi methodus non omnium simul, sed cuiusq; seorsum.

2 Ac carnis quidem intemperies si squalens siccaq; uidetur, aqua temperata fouens humectansq; corriges. Quoties autem eo remedio uteris, esto tibi perfusionis humectationisq; meta, ut cum primum rubescit attolliturque particulæ moles, tum desinas. Quippe si ultra perfundas, quod attraxisti, id euocabis: itaque nihil profeceris. Quin etiam medicamentorum humectandi facultas plenior esto, quàm ut in sana carne præceptum est. Si uero humidior quàm pro naturali habitu caro fuerit, contraria ratio ineunda est, ac medicamentorum facultas ad siccius transferenda, aqua uero nullatenus admouenda: imò si lauãdum ulcus uidetur, uinũ, aut posca, aut decoctum

austeræ cuiusquam herbæ preparandum. Eo dem modo & calidiorem quàm par est carnis habitum refrigerabis, & frigidiorem calefacies. Agnosces uero horum utrunq; partim colore, partim tactu, partim laborantis sensu. quippe aliàs ustionē sentire se fatentur, aliàs manifestum frigus in particula, gaudentq; uel frigidis medicamentis, uel calidis. Et alijs quidem rubor leuis insidet, alijs color magis albicat. Verum hæc distinguere, propositi operis officium nō est, quippe in quo non dignoscendi, sed medendi methodum instituimus, sed consequentia quadam sermonis inuitāte digressi in hanc sumus. Rursus igitur ad ea quæ proposuimus, reuertamur. Partium quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ sunt, earum prius sanandus tumor est. Quæ uero omnis præter naturam tumoris curādi ratio sit, in sequentibus dicetur. Nunc quantū eius rei coniunctū cum ulcerum curatione est, tractabitur. Cū labra tantū ulceris decolorata duraúe plusculum fuerint, excidenda ea sunt ad sanā usq; carnē. Cū uero amplius progressus eiusmodi affectus est, deliberatio incidit, excidendumne omne id sit quod præter naturam uisitur, an spatio potius curandū. Proculq; dubio est ægri animū hoc casu consulendū esse. Aliqui enim longiore tēpore curari citra sectionē malūt: aliqui quiduis subire, dummodo citius sanentur, sunt parati. Aeque uero & mali succi qui ad exulceratam partē confluit, ut ulcerās quidē est, sanatio eius hic dicetur. ut malignus succus est, aut copia redundans, in proprijs ipsorū locis tractabit. Cum ergo qui exulceratis partibus influit succus, nec multo largior iusto, nec multo deterior sit, auerti hunc regeriq; cōueniet, adstrictis scilicet refrigeratisq; ijs particulis, quæ ante exulceratā sūt. Inchoanda quoq; deligatio est à laborāte ipsa particula, deducendaq; uersus sanam: ueluti in fracturis ossium præcepit Hippocrates: sed & quæ ulceribus ipsis admouentur pharmaca, siccent ualentius oportet, q̄ ea quæ simplici admouent̄ ulceri. Quòd si sisti compesciq; medicamentis influxus nequeat, causa eius inuestiganda est, atq; hæc prius adimenda. Ac si quidem ob partis quę fluxū recipit imbecillitatē aliquā id fiat, huic nimirū medendū est. Fuerit autem hæc ulceratæ quoq; partis propria quædam curatio. Sin propter sanguinis copiam, uitiosumue succum, uel corporis totius, uel alicuius suprapositarū partium, illa scilicet prius sunt corrigenda. Ac imbecillitas quidē partis propter quam plus iusto succorum illi influit, omnino ab intēperie prouenit, nō tamen ab omni. Eoq; fit, ut exulcerata caro nonnunq; intēperata tantū sit, non aūt imbecilla: nonnunq; utrunq;, & intemperata, & imbecilla. Quippe imbecillitatis affectæ partis ualentior intemperies causa est. Hanc autem, sicut prius dictum est, curabis utiq; calidam refrigerando, siccam humectando, frigidam calfaciendo, humidam siccando. quòd si per coniugationem frigidior pariter humidiorq; locus sit, calfaciendo pariter ac siccando. & in alijs ad eundem modum, uincentem uidelicet qualitatem contraria semper oppugnās. Huius rei ratio hæc est: Quicquid rectū est nō in animalib. modo plantisúe, uerūetiā alijs quibusq;: id symmetron est, mediūq;, & omnis uitiosi excessus expers. Cui enim nec demere quicquā, nec adijcere non partem aliquā, nō qualitatem possis, prorsus id recte se habet. Contra, quod demi sibi aliquid, adijciúe postulat, id iam ab optimo statu recessit. Ad quē utiq; redire aliter non est, nisi & quod superuacuum est tollat̄, & quod deficiēs est adiungat̄. Ac de ijs quidem quibus partes quæpiā abundant, deficiuntúe, alibi sermo erit. Vbi uero qualitas aliqua plus iusto inualuit, ibi & continuo uinci contrariam illi necesse, & continuo uitium corrigi ex ea quę uicta ante est, restituenda. Quippe refrigerās quod immodice incaluit, unà et quod deficit restitues, & quod superat diminues. Quare quę per intemperiem aliquā à naturali habitu recesserunt, eorum sanationem per ea quæ contraria uiribus sunt, fieri omnino est necesse. Atq; ad hunc modū caro, aliáue carnosa quæpiam pars quæ fluxione humoris ob imbecillitatem affligitur, sanari debebit. Vbi intemperiei affectum iam sanaueris, deinde etiam exulcerationis affectum sanabis: nō aliter planè nunc curata intemperie, quàm si citra ulcus incidisset. Quo manifestum fit, non esse ulceris, sed intemperiei propriam omnem eiusmodi curationem. Ad eundem modum si aut alterius cuiuslibet particulæ occasione, aut etiam totius corporis, cū in eo sanguis mali ue succi redundant, uitiosum aliquid exulceratis partibus influxerit, medendū prius est, uel ei quod fluxionis est causa, uel etiā toti corpori. Ita igitur & uarices qui sæpe supra exulceratū locū sunt, prius sanabimus, ut deinde mox ulcus sanemus. Etiā qui ex liene, aut alia quauis notabili parte laborant, ipsa prius parte percurata, mox ad ulceris curationem accedemus. Cæterum, nulla harum curationum ipsius est ulceris, sed alterius cuiusquam affectus, qui ulcus uel gignit, uel certe auget.

3 Nam illud quoq; iam definiri tempestiuum uidetur, nullam externarum, uel (ut nunc loquuntur) primitiuarū causarū curationis indicatricem esse, sed huius indicationē ab ipso affectu initium habere. quæ uero particulatim sunt agenda, hæc tum ab eo quod prima indicatio dictat, tum uero ab ægræ partis natura, tum ambientis temperie, quæq; alia sunt his cognata, inueniri. Nā (ut breuiter dicam) à nullo eorum quæ adhuc nō permanent, indicatio sumi eius qđ ex usu sit, potest. Sed propterea q̧ ad eū affectū noscendū qui omnino tum rationē, tum sensum lateat, sæpe cogimur de externa causa inquirere: opinat̄ uulgus hanc quoque sanatiōis rationē indicare. Quod planè secus est. Apparet id liquido in ijs quib. nosci affectus exacte potest. Siue enim ecchymosis, siue ulcus, siue erysipelas, siue putredo, seu phlegmone, in parte aliqua consistat, superuacuum est causam quæ horum quodlibet effecit inquirere, nisi iam etiam faciat. Sic enim simul quod iam factum est, curabimus: simul quod adhuc facit, facere inhibebimus.

Si uero

Si uero fecit illa quidem, cæterum iam abijt: utiq; quod factum est, curabimus. quod adhuc non est, nec si uelimus, summouere id possumus. Quippe rei præsentis est curatio: eius autē quod futurum est, prouidētia. Quod uero nec nunc lædit, nec læsurum timetur, id ab utroq; artis munere, tum eo quod curat, tum eo quod prouidet, excessit. Quare nec indicatio ab hoc ad curationē ulla, nec prouidentiæ ratio sumitur: sed uti dictum est, ad eos tantum affectus qui nostram notitiam fugiunt, externæ causæ cognitio est utilis. Empiricis tamen ceu pars totius syndromes, id est cōcursus, in quo curationem obseruarūt, externa causa interim sumitur. ueluti in ijs qui à rabido cane, & omnibus qui à uenenosis bestijs sunt læsi. Quinetiā ex Dogmaticorum quoq; numero ijs qui sine rationali indicatione, sola experientia curare se talia confirmant. Quippe his quoq; externa causa seu pars totius syndromes, id est concursus, quæritur. Iis uero qui ex priore usu uenenosarum animantiū uim norunt, atq; ab hac indicationē curationis sumūt: non sanè ad curationis indicationem conducit externa causa cognita, sed ad præsentis affectus cognitionē. Nam pone sciam scorpionis uenenum frigida ui esse, sumamq; ueluti à frigido remedij indicationem: nullo tamen signo intelligam talem esse in hoc corpore affectum: manifestum est si scorpiū percussisse didicero, quòd calfacere tum corpus totum, tum punctam ab eo particulā conabor, nulla amplius expectata experiētia, sed ab ipsa rei natura indicatione sumpta. Monstratū em in ijs libris est qui De medicamētis sunt inscripti, in quibus exercitatum esse censui quisquis ex his commentarijs fructum percipiet, nullam eiusmodi facultatem sine experiētia inueniri. Esset enim profecto felicitatis cuiusdam munus, si quis inspecto lithargyro, aut castoreo, aut cantharide, protinus eorum uires intelligeret. Verum sicut in omnibus peccata, tum ab ijs qui modum excedunt, tum qui citra cōsistunt, cōmittuntur: ita nimirum hic quoq;, ac δὶς διὰ πασῶν (ut in prouerhio Græco est) nō semel (arbitror) inter se discordāt, et qui neq; in hodiernum usq; diem affirmant sciri medicamentorum uires, idq; post tantam experientiam, & qui ex una experientia sciri eas censent. Nā & hoc præcipitanter inconsulteq; dictum est, si utiq; inconsultum est quod fieri omnino non potest: & illud hominum est, aut omnino attonitorum, aut planè litigiosorū. Verū de his plura expectare nunc non oportet, utpote de quibus dictum latius est, tum in tertio De temperamentis, tum in ijs libris, quos De medicamentis inscripsimus. Cæterum, (ut dixi) ad noscendos affectus aliquæ externarum causarum conferunt. Vbi uero præsentis affectus nihil latet, nulla iam externæ causæ est utilitas. Ac diximus quidem in superioribus, non esse in idem coniungendas utrasq; doctrinas, sed seorsum empiricen, & seorsum tradendam rationalem. Memoria autem tenēdum nunc quoq; est, quòd, quoniā propositum nobis in his cōmentarijs est solam rationalem tractare, quan-

A quam ad quæpiam horum quæ dicimus, non apponitur quod absolute uera non sint, sed tantum ea: Methodicorū sectę sententia: aliquem tamē id per se ratiocinari, ultroq; apponere debere. Nūc enim ipsi apposuimus nullam externarum causarum ad curationis indicationem conducere, sed ad effectus aliquando agnitionem, fatentes uidelicet externam causam ijs qui empirice quiduis curant, unam esse partem totius concursus. idq; siue ij ratione reliqua curant, siue omnia empirice. In ijs autem quæ deinceps scribentur, non erit necesse hoc adscribere. Rursus igitur ad propositum redeamus, indubitatum illud principium præsumentes, quo etiam in precedentibus sumus usi, ubi diximus primum scopum quò medicus tēdat, B affectum ipsum qui curari desideret, indicare: ex hoc uero & reliqua omnia sumi. Quòd uero cum hoc scopo nulla externę causę societas sit, ex ipsis maxime ulceribus à quibus sermo est ortus, intelligas. Finge enim ex eo quòd in partem aliquā procubuerit, natum ulcus esse. Quòd si sit, ex uitiosis prouenire succis manifestum est. Ita enim in morbis facere natura solet: cū corpus expurgat, omne excrementum ad cutim trudit. Atq; hanc quidem ulcerari, totum uero corpus purgari accidit. Quæ nam igitur est eiusmodi ulcerū sanatio? Nempe quæ reliquorum omnium, quibus nullus affectus malignus, quem κακοήθη Græci uocant, est adiunctus. Verum si hoc sic se habet, manifestum est nullam esse ad curationē à causa quæ ulC cus excitauit, indicationem. Atqui si uitiosus succus remaneret, omnino aliqua ab hac quoq; indicatio sumeretur. Verum alioqui etiam absurdum esset, si curationē postularet, quod amplius nō sit, aut si curationē indicaret, quod nullius indigeat. Quare dicere indicationem curationis, ab externa causa sumi, omnimodo est absurdū. Quoniam ergo non ab hac, perspicuū est ab ea quæ præsens est, indicationē fore. At qualis tandem ea est indicatio. Nempe ei qui exacte loquetur, quæ ad prouidentiam pertinet: (προφυλακτικὴν Greci uocāt) qui abuti uocabulo uolet, medicinalis. Quandoquidē ipsorum etiam ulcerū, siue tantū ulcera simpliciter sint, siue etiam cū cauitate, si quis diligenter æstimet, ex fugiendis prospiciendisq; ijs quæ naturæ officiēt, sanatio perficitur. Et in summa in D quibus quod efficitur, naturæ ipsius opus est, ueluti ulceris glutinatio, & ex carne impletio: in ijs ad eam quæ prouidet artis partē, omnis pertinet cura. Cęterum sanatio uulgo dicitur. Ideoq; etiam huius quæ prouidet partis artis in altero genere constitutū est quod morbosum affectum iam præsentē summouet: in altero, quod eum qui nōdum urget prohibet. Itaq; hic quoque iuniores medici de nominibus cōtendere se nō intelligunt. Par autē erat, si de rebus studiosi essent, illud inuenisse, duas esse functionum medici primas differentias: Aut enim eos qui nūc urgent affectus, ijs quę mouentur curant: aut eos qui non sunt, fieri prohibet. Ergo præsentes iam affectus tollere, siue amouendis ijs quæ naturæ opus impediūt, id fiat, siue

per

per medicamēta quid ipsi moliamur, omnes pro-
fecto homines curare dicunt: cauere autē ne acci-
dant, prospicere. Et sanè ea quę succorū uitio sunt
exulcerata, curāt ij qui ratione ac methodo artem
administrāt, simul illos purgantes, simul ea quae
naturæ motus impediūt, auferētes. Quorū utraq;,
qui exacte loquit, prophylactica uocat. Vetant
nanq; (ut in proximo ostēsum est lib.) omnia talia,
aut sordem ulceri, aut humiditatē nimiā uitiosam
ue innasci. Non est igit de nominib. anxie conten
dendum, sed methodus potius aliqua sanandorū
ulcerum tradenda. qualem (arbitror) ipse tum in
proximo libro, tum in hoc præcipio.

4 Ego nanq; uel stupiditatē Thessali demiror, ita
de ulcerū quæ cacoethe dicuntur, curatione scri-
bentis: Sūt aūt perq; necessariæ, & cōmunitates
ulcerum diuturnorū, ac non sanescentiū, aut post
cicatricem inductam redeuntium, ad hoc ut in ijs
quæ non coalescunt quidē, æstimet quid sit quod
prohibeat idq; tollatur. in ijs uero quę post cicatri
cem inductā renouant, ut cicatricē tenere cogas,
ex priore statu transmutans scilicet (sic enim τὸ με-
τασυγκρίνειν uertimus) uel patientē particulā, uel
etiam cōmuniter totū corpus: atq; ne facile patia-
tur, id præparans per ea quæ hæc faciant præsidia.
Atq; hæc quidem Thessalus cum in principio sta
tim libri De chirurgia proposuisset, postea de ijs
ipsis latius ad hunc modum scripsit: Diuturna ul-
cera & quæ non sanescunt, aut quæ ad cicatricem
perducta denuo reuertuntur, hæc indicant. Quæ
quidem ad cicatricem nō perueniunt, ut quæ coi-
tionem fieri uetāt, auferas, ac locum affectum no-
ues. Postquam simile recenti uulneri feceris, rur-
sus ut cruentum sanes. Quod si non processerit: ut
phlegmonem mitiges, & reliquam diligentiam
adhibeas. Quæ uero ad cicatricem ueniunt, & rur
sus se aperiunt in accessionibus quidem, & exul-
cerationibus, ut simili modo cures ijs quæ recens
phlegmone urget, ex ijs quæ mitigare solent ca-
taplasma inducens, idq; donec deferueat ira. ubi
deferbuit, adiuues ad cicatricem inducendam.
post hæc ut partes circumpositas late complexus
malagmate, quod ex sinapi sit compositum, rube
refacias, aut alio quopiam quod mutare possit,
ac ut minus malo pateant efficere. Quòd si ita nō
cessent, etiam totius communiter corporis curam
habeas, ipsum per uarias exercitationes, & gesta-
tiones, & uociferationes, adhibitis scilicet ea-
rum rerum peritis, ex priore statu transmutans:
etiam uictus ratione gradatim tum aucta, tum di-
minuta, principio à uomitione per radiculas fa-
cto. Vteris etiam albo ueratro, alijsq; omnibus
quibus utimur in ijs qui diuturni ægreq; summo-
ti morbi uictus rationi subijciuntur. Atque hæc
quidem est Thessali dictio. Operæpretium uero
est æstimare hominis uel stuporem, uel audaciam.
utique si recte se dicere sibi persuasit, stuporem.
sin conscius sibi nihil dicere, imponere omnibus
legentibus sperat, audaciam. Ex diuturnis ulceri-
bus quænam est, ô generosissime Thessale, cura-
tionis indicatio? Ego sanè neq; ex his, neque ex

A recentibus, nec omnino à tempore in ullo morbo
curationem unquam inueni, sed ex ipso quem sa-
nandū mihi proposui affectu. Prorsus enim si tem
pus spectabitur, tanquā ab eo indicatio sumatur,
alteram omnino secundus, alteram tertius dies in
dicationem dabit, ad eūdem modum, & quartus
alteram à quinto, & ab his omnibus sextus, & à re
liquis singuli qui post istos. Sic affectus quos cu-
ramus, non ultra nobis ad consideratonē propo
nentur, nec ab his indicatio sumetur: quo tamē ne
cogitari quidem magis alienum à ratione potest.
Quomodo ergo necessariæ sint diuturnorum ul-
cerū cōmunitates, ubi nihil indicare tēpus ipsum
per se potest? Non enim profecto ubi à malis suc-
cis ulcus eroditur, diuersam ex eo post quatuor
B menses indicationē sumemus ab ea, quā statim ab
initio sumpsimus. Ego sanè nec sinerem quidem
eiusmodi ulcus diuturnū esse, sed protinus in prin
cipio causam eius adimerē. Nam & nosse affectū
à principio plerunq; licet, & indicationem ab affe
ctu sumi est necesse. Tēpus uero quid amplius q̃
dierum numerum docere nos possit, non hercle
possum cōijcere: nisi id uoluit Thessalus, ad eius-
modi ulcera noscenda tempus omnino esse ma-
nendum. Verum sic primum idiota prorsus sit, si
uidelicet fatetur nō prius agnoscere se affectum,
quàm ulcus inueterauerit. Deinde illud quoq; a-
perte fateatur oportet, ex alio suggeri sanationis
indicationem, ex alijs præberi affectus notitiam.
Nam esto cōferat aliquid tempus ad agnitionem,
C certe indicatio curationis à tempore nō sumitur.
Quid enim ad rem pertineat, si quod ulcus inue-
terauit, adimere quæ coitionē impediant, & noua
re locū qui affligitur? Nam si propter afluxionem
malignā, quam cacoethe dicūt, uir inepte ulceris
labra hoc uel illo modo sunt affecta: quid cōmodi
erit, si ea excideris antequā fluxioni sistendæ con
sulueris? Videlicet ulcus latius efficies, ueluti nō-
nulli faciunt eorū qui similiter ut tu ulcera curant.
Siquidē causa quæ ea & dura, & callosa, prius red
didit, adhuc manente, nihil aliud ex his excidēdis
accedet, q̃ ulceris amplificatio. Quippe illa ipsa
quæ excideris, perinde et dura, et callosa, rursus e-
runt, atq; ea quæ prius. Quanq; ne id ipsum quidē
adiecit prudēs scilicet Thessalus, callosa, & dura,
D & decolorata exulceratæ partis excidēda esse: sed
absoluto sermone abscindi quæ coitionē morant,
iubet ac nouari. Ac siquidem summouere causas
quæ glutinationē morantur, suaderet, & uetus ea
ratio esset, nec ipse eum accusarē. Pręcipitur enim
ab omnibus ferè antiquis medicis quicunq; ratio
ne quadam, ac methodo de ulcerū curatione scri-
pserunt, causas quæ illa creant, abscindendas esse,
æque profecto ut cæterorum omnium morbo-
rum. Non enim (arbitror) in ulceribus manente
adhuc causa quę ea excitauit, hāc prius tolli expe
dit, in alijs morbis nō expedit: sed omnino in om-
nibus in quibus effectrix causa adhuc manet, ab
hac inchoanda curatio est. Quòd si, quæ coitionē
impediunt, non dixit de omnibus causis, quę eam
impedire possunt, sed de labris tantum, ueluti ex

ijs quæ

ijs quæ subijcit, ostendit: plus certe nescire, quàm scire eorum quæ ad ulceris curationem spectant, uidetur. Quippe fieri aliquando potest, ut & hæc causa sola sit, quo minus sanescat ulcus, potest etiam (ut dictum est) causa esse, & quæ citra tumorem præter naturam sit in exulceratis partibus intemperies, & quæ cum tumore quidē aliquo coniuncta sit, non tamen qui omnino sibi labra excidi desideret. potest & uarix superiacens, uel lienis auctio, uel in iocinore uitium aliquod, præterq; hæc omnia imbecillitas partis ægrę, quæ ipsa quoque intensa quædam est intemperies. quinetiam uitiosus in toto corpore succus, cacochymiam uocant, maxima scilicet causarum, quæ incommodare ulceribus possunt. Vexat sanè non minus ulcera, & succorum æqualiter se habentium exuperātia, quam plethoran uocant. Horum quodq; si adimi Thessalus iubet, laudo hominem, ceu ueteribus subscribentem. sin labra tantum, unum nouit ex multis, sed quod nec opiliones lateat. Quippe si opilio ulceris labra dura, & callosa, & liuida, & nigra, & alio quopiam notabili coloris uitio uideat, prorsus ea circuncidere non dubitabit. Est em̄ circuncidere res promptissima: maius uero quippiam, atq; artis egens, medicamētis sanare. Thessalus autem nec quæ labra molliri medicamentis possint, unquam nouit. quippe fatetur eum penitus hanc artis partem declinasse, ita utiq; ut ipse quoq; indicat, nec omnino experientiam rationalemûe scientiam de ullo medicamēto uisus est habere, quod ipsum quoque ex libro eius De medicamentis ostenditur. Verum de ijs quæ ibi non recte ab eo sunt prodita, in progressu operis dicemus. Nunc de diuturnorum ulcerum sanatione, quam in prius posita dictione tradidit, paramus disserere. Sanè melius fuerat non diuturna, sed cacoethe ea uocasse, tum naturam eorum narrasse, & causas generatiōis eorum exposuisse, curationemq; cuiusq; primum quidem communem omnium, quatenus ulcera sunt: qualem in tertio lib. descripsi. deinde priuatam cuiusq; pro efficientis causæ specie: ueluti in hoc libro docui. Hic cum nihil horum fecerit, & nouandum locum censet, & ubi instar recentis uulneris fecerit, ut cruenta sanandum. Hoc sanè quis in operibus artis exercitatus nō euidentissime intelligat ab eo esse scriptum qui nunquam ulcus curauit? Sanarène ulcus diuturnum, ut cruētum quisquam potest, ubi id simile recenti uulneri fecerit? Vtrum ne labris eius fibula adductis, an sutura coniunctis, an potius horum nullo, sed medicamento quod cruentis sit aptum, & cum hoc sola deligatura fretus? Quis est qui non norit ulcus omne cacoethes statim etiam cauum esse, utpote ex rosione natum? Nunquid igitur insulse Thessale fieri potest, ut coalescat cauum ulcus priusquam cauitas carne sit impleta? an non est hoc ut cruentum sanare? Ergo ipse tu frustra cauorum ulcerum curandorum indicationem nō esse glutinationem, sed impletionem scripsisti. Quod si etiam non esset ex se cauum omne ulcus contumax, certe dum (ut tu

A præcipis) excisis uidelicet labris, ut cruētum efficitur, ex necessitate cauum fit, maximamq; conquirit labrorum distantiam: adeo ut non uideam quomodo id glutines, & coire ut cruentum facias. Nam si adducere uiolenter labra, quæ plurimū distant, tentabis, phlegmonem necessario accersent, nec coalescent. id quod tantum intelligere mihi Thessalus uidetur. Subdit enim: Si non fuerint uicta, ut phlegmonem mitiges. Satius uero fuerat scribere: Cum non uincentur, ut phlegmonem mitiges. Nā necesse est nō esse uincenda. Verum ut hoc quoq; Thessalo donetur, atq; id transeamus, nec ualde anxie examinemus: illud cuiuis apertum est, quòd à communitate, quam ipsemet tradidit, prorsus recessit. Quippe si quod obstat auferemus, nihil amplius de communitate diuturnorum ulcerū, qua diuturna sunt, sumemus. B Sed detur hoc quoq;, uideamus quæ sequuntur. Scribit enim ad hunc modum: Quæ ad cicatricem ueniunt, & rursus se aperiunt, hæc in accessione & ulceratione similiter curabis ijs quæ recenter uexata phlegmōe sunt. Post hæc subdit: Malagmate quod ex sinapis semine fit, circumpositis partibus ruborē excitandum. Quid ais insane, etiam si acre & calidū sit quod influit, rubrefieri particulā ex sinapis semine oportet? ut quod in multo tēpore cōtrahere ex fluxione debebat, id statim ex tuo medicamēto obtineat, tota uidelicet ulcerata, atque erosa? Nam ueteres eas partiū imbecillitates, quæ uel ex frigore, uel plurimo humore citra manifestum calorē acciderāt, rubefaciendo curabāt. C Tu rubreficatione in omnibus deinceps uteris, primum nullo facto discrimine, propterne partis imbecillitatem, an propter fluxionis malitiam nō sanetur ulcus. Deinde ordinē inuertis. Nam cum sinapi particulam usseris, nec quicquam profeceris, tum ad corporis totius curationē accedis. cum cōtra (ut arbitror) tum ratione, tū experimēto de ijs sit statutū, ut toto prius corpore à superuacuis liberato, tum calidū aliquod acreq; medicamentū parti admouere sit audendum. Quippe eiusmodi medicamenta omnia cucurbitæ ritu ad se trahere à toto corpore sunt habilia. Itaq; nisi id prius uacuaueris, materiam fluxionis acri medicamento relinques. Hoc enim tum Empirici medici fatentur, D tū Dogmatici. hoc philosophorū optimi senserunt. Nam cum eorum quoq; meminerit Thessalus, non alienum sit eos citare testes. Quòd oculum recte sanare ante totum caput non licet, neq; hoc ante totū corpus: sic Aristoteles ac Plato, De morborum curatione senserūt, sanè & Hippocrates, & Diocles, & Praxagoras, & Plistonicus, & ueteres uniuersi. Thessalus uero solus non sic, sed primum ad medicamētū ex sinapi uenit. post de toto corpore solicitus est, ne hic quidem prudenter quicquā docens. Nam cum liceat corpore medicamento quod purget semel uacuato, mox salubri uictu ipsum reficere, hic uociferationū meminit, exercitationūq;, & gestationū, & uictus certo ambitu mutati, tū uomitionis ex radicula, mox summā his imponit, ipsum ueratrū. Idem scilicet

qui sine ullo magno negocio omnia sanare promisit. Ego uero ne intelligere quidẽ possum quomodo quisquã aut deterius, aut maiore tẽporis dispẽdio, aut inani magis opera ulcus sanauerit. Age igitur sicut usu nõnunquã uidimus, sic uerbis quoq; hominem fingamus, cui sanari ulcus cõtumax sit opus. Esto aliquis qui cętera quidem sit sanus, sed ex scabenda de repente quapiam particula ueluti brachio, pustulam statim excitarit, mox eadem ipsa particula iterum atque iterum pruritu uexetur, pustulaq; dirupta ulcus decolor inæqualiter erosum gignatur, atque hæc in tribus quatuórue diebus à principio inciderint. Dicat mihi hoc loco quispiam ex medicis, qui Thessalum imitantur, quónam pacto sanare eiusmodi ulcus conueniat. Ego nãq; cacoethes omnino id dico, & ob id qualis sit totius corporis affectus, statim considerabo. Inueniam namq; tum ex ulceris ipsius symptomatis, tum ex notis quas totũ corpus præ se feret, cuius maxime generis sit is qui redundat succus. Atque hunc medicamẽto protinus educam, nec protraham dum totus hominis cubitus affectũ quendam contumacem rebellemq; curationi cõtrahat. At Thessali sectatores ipsius uidelicet præcepta seruantes, primum expectabunt dum ulcus inueteratum sit, quò in mirificam illam inueteratorum ulcerũ cõmunitatem recidat. quasi non longe melius esset contumaciũ ulcerum, nõ autem inueteratorum cõmunitatem, quæ curationẽ indicaret, tradere. Mox duorum alterũ, aut excident, & ceu recens uulnus reddent, ac ueluti ad glutinandum partes eius adducent. aut primum quod ex sinapi conficitur medicamento utentur. Quo non proficiẽte, ad sublatas uoces, & gestationes, & reliquas exercitationes, & uictum per circuitus mutandũ confugient, ab ijs uomitionem ex radicula mouebunt. Quòd si his ulcus non sanabitur, ueratrũ dabunt. Sin nec id profecerit, hominẽ in Libyam ablegabunt. Nã id quoq; adijcere debuit Thessalus, post eximiã illam cõtumacium ulcerũ curationẽ. Quippe in uociferatiõibus, gestationibus, & alijs eiusmodi immoratur: quasi malum habitum corporis (quam καχεξίαν Græci uocant) non uitium humorũ (quam κακοχυμίαν dicunt) curẽt. Et quid miri si tum fatetur se ulcus cacoethes statim ut est natum non nosse, tum uero dum sit inueteratum, ac sæpe cicatricẽ ducat, sæpe se aperiat, expectãt, quo uidelicet quid facto opus sit intelligant: ubi etiam eos qui quoquo modo febricitent, accessionem quę tertio die futura nõ futura ue est, transire oportere censent? Adeo uidelicet ad unguem cõtemplationẽ de crisi pernouerũt, aut summũ morbi incrementũ futurum prospicere possint. Quid igitur sæpe accidit? Nẽpe tabescere in lectulis horum culpa homines, qui statim secundo die explicari potuissent. Quippe nõ semel nos, aut bis térue, sed sexcenties tũ ipsi multos febricitãtes simul ut prima accessio desiit, lauimus: tũ præceptores nostros id ipsum facere uidimus, intrepideq; de cętero uictitare permisimus, ceu post febri carituros, quos sapiens scilicet Thessalus, qui primã dia

A triton, id est tridui inediã excogitauit, prorsus arefecisset, totis (puto) tribus diebus fame cõfectos: mox dein (arbitror) modice scilicet in quarto die nutriuisset: ab hoc paulatim reficiẽs, uix sexto aut septimo ad cõsueta munia qui semel febricitasset, dimisisset. Adeo semper homines in morbis tabefaciunt, à quibus utiq; facile possent liberari. Nam cum paucissimis diebus sanari ulcus cõtumax incipiens posset, Thessalus id in annum, aut etiã longius tempus incurrere sinit. Manere namq; dum id cicatricem sæpe inducat, sępe etiam se resoluat, ut scias an contumax sit, mox ubi curationem inceperis, ne tunc quidem corpus statim purgare, sed primum medicamẽto ex sinapi, dein gestatione, & uociferatione, & certo uictu, post radicula, B ab his ueratro uti, hæc quid aliud quàm annum expectantis sunt? An per deum immortalẽ cum sex diebus, aut plurimũ septem posset homo curari: multos menses trahemus, quò uidelicet primũ an cacoethes ulcus sit sciamus, dein curationem inchoabimus? Et quæ demum necessitas erat propriam inueteratorũ ulcerum cõmunitatẽ tradendi, præsertim cum nihil ad curationem cõducat: licueritq; nõ inueteratorum, sed cõtumacium, nec horum me hercle cõmunitatem indicatricem, sed curationem scribere? Quippe accidit quibusdam tum ulceribus tum morbis, ut contumaces rebellesq; ad curandũ sint: nec tamẽ inde curationis indicatio sumitur, sed affectus ipse primã curationis indicationẽ suggerit. Ex ea uero & quæ sunt agen C da inueniũtur, ad eum modum quem ipse tradidi. Quare hoc est methodo curare: qđ nos facimus, ueteres imitantes, si modo methodũ esse oportet unam quandã uniuersalem uiam, quæ omniũ particularium sit cõmunis. Hic uero etiam in hoc fallitur, putatq; quicquid omnino in ijs habetur, qui methodo aliquid faciunt, ipsam methodum esse. Nam notitiã certe habeat oportet tũ similis tum dissimilis, qui methodo quiduis molitur. nõ tamẽ ipsum hoc methodus est, similis scilicet dissimilisq; notitia. neque hoc Aristoteles Plató ue affirmat, quos falsò Thessalus citare audet. Verũ hæc ad præsens refellere non attinet. Quare rursus ad medendi methodũ reuertor, promittoq; ostensurum me tum unum esse eius in omnibus curatio D nibus principiũ: tum uiam quę ab eo principio ad finem usq; ducit, in omnibus particularibus similem esse. Quare etsi in singulis morbis priuata quędam methodus sanãdi uidetur, cõmune tamen in omnibus genus unũ est. Auspicari nãq; perpetuo oportet ab indicatione quę ab affectu, cui mederi paramus, accipitur. æstimare uero ac discernere an causa quæ affectum excitauit, iam desierit. an nunc quoq; ipsum tum augeat, tum faciat. Dein, si desiit, ad eã quæ in tertio huius operis libro traditur, methodum est ueniendum. sin adhuc facit, ad eam quæ hic docetur. Quippe eadẽ hac methodo tum phlegmones, tum febris, tum omniũ uno uerbo morborum remedia inuenias: utiq; si nihil etiamnum fit, de præcedentibus causis non laborans, sed ab ipso tantum affectu ordiens. sin nunc

quocq; aliquid fit, duos tibi curationis fines proponens, tum alia deinceps, ut dictũ est, facies. Sed enim mirari stupiditatẽ eorum, qui Thessalũ sequũtur, est operæpreciũ: non utiq; quòd in talibus delinquũt, sed ꝙ dyspathias, & metasyncrises, & imbecillitates, & firmitudines, & alia id genus nomina nõ pauca proferentes, quæ per ea significẽtur, ne nunc quidem, si interroges, respõdere possunt. Nam quid sit quod in omnibus diuturnis ulcerib. Grece dicunt μετασυγκρίνειν τὴν ἕξιν, nec similiter inter se oẽs, nec clare, nec prudenter respondent. Atqui si uel antiquũ nomen esset, uel ab ullo Græcorum usurpatũ, ex ijs fortasis quæ illi scriberẽt, intelligi posset de quo id negocio dicerent. Nunc quoniã stupiditatis ipsorum propriũ est, utiq; ex Asclepiadis hypothesi natum, sicut & reliqua eorum placita, æquũ profecto est ipsi sua somnia interpretentur: unde scilicet quod Grece dicitur συγκρίνεσθαι τὰ σώματα καὶ διακρίνεσθαι, quasi misceri secernicq; corpora dicas, solis ijs qui corpuscula, & meatus, aut indiuidua, & uacuum, aut deniq; impatibilia, & inalterabilia, prima elementa statuũt, liceat usurpare; sicut certe usurpãt; & assidue ipsis nominibus utuntur. Quinetiã ipse Thessalus in canone, cum hæc principia cõfirmat, nouat quidem aliquid ibi quocq; præterea quæ à Themisone & Asclepiade sunt posita: ceterũ quod sentit, docet sane non obscure. Non enim prorsus sicut Asclepiades cum in symmetria quadã, id est competentia exiguorũ meatuum sanitatẽ, in ametria, id est, inconuenientia morbum cõstitueret, reditum ad pristinam meatuũ symmetriã sanationẽ putauit: ita Thessalus quocq; est arbitratus, sed totum exiguorum meatuum statum censet immutandum. Atque ex hac opinione processit metasyncriseos nomen, idem plane indicans potestate, quod Grece μεταποροποιήσεως, id est, exiguorũ meatuum status mutatio. Cæterũ non decebat ipsum in quibus fugere ab incertis obscurisq; iubet, & tantũ ijs cõmunitatibus quæ euidenter apparẽt, animũ intendere, in ijs quocq; Dogmaticorum uti nominibus. At noli (inquiunt sectatores eius) cum his utitur, dogmatice eum audire, sed ἀφελῶς, id est, simpliciter. Nam ita ferre suppetias ex sectatoribus eius quidã solent, uidelicet ad aliud rursus nomen nos reuocantes. nempe ἀφέλειαν, quam nos simplicitatem uertimus. quam ne ipsam quidem quid significet, ipse sane intelligere possum. Si enim sicuti ipsi hoc quocq; rursus exponunt, ad aliud scilicet magis friuolũ nomen nos remittẽtes, nempe Grece βιωτικῶς, quod ipsum rursus exponentes significari per id dicunt, idem quod uulgo hominũ similiter, utiq; tantundẽ fuerit ἀφελῶς ei quod non definite, nec exacte, sed sine omni tũ arte, tum scientia. siquidem loquũtur homines qui magis sunt ad loquendum præcipites, artiũ nomina sub sensibus quibusdã qui nullo fundamento nitantur: rogati uero quid significet, ostendere clare non possunt. Quod si hoc Thessalij isti accidere sibi fatentur, loqui se quæpiã, nec intelligere se exacte quæ loquantur, id ipsum profecto fatentur, quod nos

A illis obijcimus. Nam metasyncrisis illa, siquidẽ de immutanda poropœia, id est exiguorũ meatuum statu dicatur, certe intellectus aliquid habuerit, si significaueritq; rem aliquam, cæterum friuolã multis modis. nã nec ex corpusculis & meatibus corpora nostra constãt. nec si hoc uerum esset, posset tamẽ aliquis docere qua ratione sinapi meatuum illorum statum immutaret. nec si id quocq; ostẽdere aliquis posset, consentiens eorum sectæ esset, qui se apparentibus cõmunitatibus cõtentos esse dicunt. Ne igitur utantur hoc nomine, nec nobis negocia facessant. Licet enim & sine metasyncriseos nomine, diuturnorum ulcerum curationẽ alijs uerbis dicere, sicut Empirici faciunt. Quòd autem & in ἀτονίας, id est imbecillitatis uocabulo si-
B mili modo nugentur, monstratũ prius est in secundo libro. Si enim sicut Empirici nomen usurpant: aliud prorsus nõ significant, quàm ꝙ actio non seruatur. Sin autem facultates aliquas gubernare animal proponũt, quales tum nos asserimus, tum omnes ferè ueteres: preter id ꝙ Asclepiadis dogmatis contradicunt, etiã incerta, & de quibus parum inter autores conueniat, attingunt, quãuis ea fugere iubeant. Sed dic nobis Thessale clare, quid sibi uelit illud μετασυγκρίνειν? Si namq; exiguos meatus mutare: & falleris, & quæ incerta sunt usurpas. Si firmari sanamq; reddi corporis particulam, uel hominem totum: nihil hic præter nomen plus ꝗ Empirici doces. Quippe sciunt hi quocq; remedijs quibusdam admotis reddi hominem sanum: cæte-
C rum qua ratione remedia id faciant, utiq; nesciũt. Neq; enim an exiguos meatus mutet medicamenti facultas, neq; an symmetrian efficiat, neq; an totam patientis particulæ qualitatem alteret, potest Empiricorum quispiã dicere. Atq; illi saltem sunt modesti: ut qui unum se solum scire dicant, huic scilicet morbo in hoc tempore si medicamentum ex sinapi adhibeatur, sæpe notasse se utilitatem secutam. Non tamen methodos loquuntur, nec supercilium attollunt, nec tali sibi notitia placent, nec antiquis maledicunt, nec Hippocratẽ pro nihilo habent: imò uero ipsum laudant, fereq; omnia uere dixisse affirmãt. Hic uero Thessalus qui tũ hũc, tum reliquos omnes medicos contemnit, Empirica contumacis ulceris præcepta se scribere non in-
D telligit: quanq; si uel hoc cõmode faceret, utiq; aliquod operæpreciũ faceret. Atqui ne id quidem fecisse uidetur, cum ordinem remediorũ inuertat, & prius partis remedijs utatur, ꝗ totum corpus præparauerit. Nam hoc insignis inscitiæ argumẽtum est, cũ in uno eo ferè omnibus medicis conueniat, quãuis in plurimis dissentiant, ꝙ totum corpus uacuum purumq; ab excremẽtis ante sit reddendũ, ꝗ ulla pars ualẽtibus remedijs sit subijcienda. Nã siue experientia iudicare quis uelit, siue etiam ratione (tertiũ em̃ quo iudicet, neq; in alia quapiam arte, neq; in ulla uitæ parte quisquã habet) maximum esse incõmodum deprehendet: cũ, toto corpore suam curam requirente, priusquã illi sit prospectum, afflictæ parti acre aliquod & calidũ medicamentum sit admotum. Trahit enim ad se cu-

cur

curbitę more, ex toto corpore superuacua: atq; ita in graui parte affigit, ut ægre auelli possint. Quo magis operæprecium est Thessalios istos percontari, unde nam Thessalo in mentē uenerit de contumacium ulcerū curatione talia nugari, cum nec Empiricus quisquam ante, nec Rationalis ita scripserit: sed nec ipse Thessalus, nec eius sequacium quisquam eiusmodi remediorum ordinē aut cum experientia consentire, aut cum ratione, affirmare ausit. Adde ꝙ nec docere possunt quomodo tempus indicet, non aūt affectus. Sed neq; (quod hoc maius est) quomodo Thessalus, qui æstimandum cēset quid sit quod cicatricem ulcerum moretur, atq; id tollendum, non prorsus sit stupidus: simul cum hoc tantum satis esse non uideat, diuturnitatem aūt ulcerum nihil esse ad rem: simul cum non in ulceribus modo, uerumetiā reliquis morbis omnibus id esse faciendū, ueluti ueteres monēt, nō aduertit. Verū ad hæc nobis nihil respondent: sed semper nō recte intelligere nos dictitantes, tanq; uidelicet ipsi uel Hippocratis uel ueterū cuiusquā sententiā ad unguem intelligerent, recte Thessalum dixisse affirmāt diuturnorum ulcerum unam quandam cōmunitatem esse. Ita enim Hippocratem quoq; sensisse in libro De ulceribus, cum ita scribat: Etiam ab inueteratis ulceribus id agere ut sanguis crebro effluat, conducit, quomodocunq; uidetur opportunū esse. Fortassis ergo ad rem pertineat, tametsi non prædixerim me de Hippocratis mente hoc loco disserturum, uel summatim aliquid de ea perstringere. fuerit uero q̃d dicemus, non minus & priscorū sensus interpretatio. Hos namq; uiros, ceu nullius adhuc dogmatum sectæ addictos, sed pura & simplici mente studentes uti se quippiā ad sanitatē inuenire, credibile sanè est quædam usu, quædam inuenisse ratione: tum scripsisse quæ inuenerant, subinde nō adhibita inuentionis suæ ratione, aliquādo uero & adhibita: atq; id fecisse ipsius legentium utilitatis causa. Quippe ubi ad dextrū inuentorum usum conducturū posteris sperabant, si rationē inuentionis nouissent, tum eam diligenter prodiderunt. ubi secus, & superuacuam relatu putauerunt, & propterea omiserunt. Nam quòd sermonis cōpendium prisci in primis coluerunt, id omnes uel me tacēte iam norunt. atq; ob hanc maxime causam nō Hippocrates modo, uerumetiā reliqui priscorū medio interim trāsgresso, primo tertium adnectunt. Si enim primum secundi sit signum, atq; hoc tertiū ex necessitate sequitur: ita tertium primo subijciunt, secundum prætereuntes. Ostēdi uero persæpe tum reliquos antiquos, tum uero maxime omniū Hippocratē talia scripsisse. debetq; qui callere priscorum interpretandi genus uolet, in illis exercitari.

5 Nunc uero ipsum quod propositū est, tantum exponam. Nam quæ ulcera, omnibus rite decenterq; factis, tamē non sanantur: ea medici Græci κακοήθη, nos maligna, contumacia, rebelliáue dicimus. Diuturna autē prorsus fiunt, cum dūtaxat, ut ulcera sunt, curantur. Quæ uero sit ulcerum ut ulcera sunt curatio, in libro qui hunc præcedit, de

A finitum est. Hæc igitur ulcera & cacoethe, & inueterata & diuturna uocant, indifferenter his nominibus in ipsis utentes. Quinetiā ad noscendum ꝙ affectus ipse κακοήθης, id est cōtumax ad sanādum sit, unà cum alijs notis, etiam id ꝙ, peractis etiam quæ decet omnibus, diuturna fiant, aliquā portionē habet. non tamē aut ipsa diuturnitas, aut ꝙ diuturna & uocētur & sint, idoneam curationē indicat: sed ex hoc ꝙ male affecta sit ulcerata pars, licet colligere. hoc uero inuēto, & curationis ratio constabit. Quo, inquies, modo? Nēpe ubi tantum eæ partes quibus ulcus insidet, ita sunt affectæ, si has sanaueris. ubi totum corpus uitioso aliquo succo abundat, si hunc uacuaueris. Ac signum quidē uitiosi succi est ipsa ulceris diuturnitas. inuētio autem eius quod expedit, nō ex diuturnitate, sed ex

B succi uitio suggeritur. Quare tria hæc deinceps se habēt, signum, affectio, & curatio. Signum quidē ipsa diuturnitas. Affectus succi uitiū. Curatio eius uacuatio. Atq; hac ratione subinde ueteres inuenias medio prætermisso tertiū statim primo subijcere: ueluti Hippocrates fecit cum dixit. Tum ab inueteratis ulceribus confert, ut assidue sanguinē effluere facias, utcunq; id opportunū uidebitur: Nō utiq; curationē indicāte uetustate, sed sanguinis uitio. Quippe ipse mox subijcit: prohibet nāq; maxime quidē eiusmodi ulcera sanescere. Post uero etiam reliqua omnia, putredo sanguinis, & si quid ex sanguinis trāsmutatione est ortum. Quin etiam post paulo cum de ulceribus quæ ad cicatri

C cē non ueniunt, disserit. Nec si (inquit) quæ ulcus ambiūt, nigricēt, sanguine putri, aut etiam uarice fluxionē suppeditante, id genus ulcera coire possunt, nisi quę ulcus ambiunt, sana reddas. Post etiā de uaricum sanatione scribit. Ad hęc etiam purgationis meminit totius corporis, tū in alijs quibusdam uulneribus, tum ijs quibus cariē, quam sphacelon uocant, instare est metus. Præterea herpetibus, & esthiomenis omnibus, id est quę exedunt. Ita enim græce nominare solet ea quæ humor aliquis erodit. Iam uero in ijs quæ mox sequūtur, rursus ad hūc modum subiungit: In quocunq; ulcere erysipelas superuenerit, purgatio totius corporis adhibēda est. Et in summa, si curiose librum De ulceribus reuoluas, inuenies semper eum ab affectu

D indicationē sumere. uti uero interim & tempore, sed ad affectum noscendum. Quòd uero hęc ita se habeant, ex ipso libri ingressu agnoscas, qui talis est: Vlcera madefacere, quæcunq; ea fuerint, nisi uino non oportet. Tum causam adijciēs, ait: Nam siccum sano uicinius est: humidum uero nō sano. Et mox: Vlcus enim humidum est: sanum autem siccum. Ideoq; per totum librum cum totius ulcerum curationis scopū siccationē statuat, mox particularia inuenit, etiā scopi ipsius subinde nos cōmonefaciens. Cum enim ita scribit: Quodcunque ulcus acuto telo cæsim percussum ue diuisum est, medicamentum quod cruentis statim imponitur ἔναιμον Græci uocant, ac siccans & quod suppurare uetet, admittit. Fit enim effluēte sanguine siccius: Et rursus: Quæcunque probe & opportune

purgata, semper ad siccius promouentur, [ijs caro magna ex parte non supercrescit,] nisi si contusa sint. Et rursus: Si quod coire nequit, humecta caro in causa est. In his omnibus primi sanandorum ulcerum scopi nos admonet. Siquidem ulceris qua ulcus est sanatio, mediocris siccatio est. Cuius rei demõstratio in libro qui hũc præcedit, tradita est. Verum ulceris quod cum alio affectu cõiunctum est, cuius uidelicet præcedere curationem oportet, eius curatio ut ulceris solius non est, sed prior illius affectus, secũda ulceris. Nam siue phlegmone quæpiam, siue nigritia, siue ecchymosis, siue erysipelas, siue œdema, ulceratam carnem obsederit, primũ eius molienda curatio est. At uero quòd ulcus interim non solum non commode curatur, sed multo etiam maius redditur, id neminem lateat. Nam siue contusa fuerint circumposita ulceri loca, seu phlegmone, aliús ue tumor in his cõstiterit, propria eius affectus sanatio inuenienda nobis est: illud pro certo habentibus, fieri nõ posse ut ulcus sanetur, nisi locus in quo consistit, prius sit sanatus. Ac proinde Hippocrates ipse redigens nobis in memoriam ea quæ statim in libri initio tradiderat, tum quæ reliqua paulo ante sunt comprehensa, tum uero hæc adscripsit: Quodcunq; ulcus cæsim percussímue acuto telo est diuisum, medicamentum enæmon, & siccans, & quod suppurare uetet admittit. Sin caro aliqua telo tum contusa, tum cæsa sit, huic ita medendum est, ut quamcelerrime suppuret. nam & minus phlegmone urgebitur, & necesse est carnes quæ cõtusæ cæsæq; sint, putrefactas & in pus uersas liquari. postea nouam carnem nasci. Indicat enim hoc sermone manifeste solos eos ulceratarum partium affectus nõ esse siccandos, in quibus gigni quàm celerrime pus cupimus: utiq; q cum aliqua putrescẽtia pus fiat, obiter docens. Porrò omnia quæ putrefiunt, ex calido & humido sic afficiuntur. Ideoq; etiam ea cataplasmata, quæ ex hordei farina componuntur, ceu quæ calefaciant humectentq;, omnibus ijs affectibus quib. moueri pus expedit, admouemus. Hordei namq; farina ex aqua & oleo, itemq; panis ex aqua & oleo, præterea fomentum multæ calidæ aquæ, & tetrapharmaci compositio, omnia deniq; quæ calefaciunt & humectant, celerrime pus mouent. Ideoq; etiam ijs partibus quæ phlegmone infestantur, ubi uehemẽtius iam pulsitant, sic ut iam desperetur de horum citra pus curatione, ueteres omnes eiusmodi applicãt medicamenta: ante uero nequaquam. Atque hoc Hippocrates ipse aperte nos docet in memoratis iã uerbis, quibus iubet quæ sine contusione uulneratæ partes sunt, quammaxime siccare, quæ cum contusione quadam sunt læsæ, ijs quamprimum pus mouere. Quinetiam cum dixit: Quæcunq; ulcera non probe & ut conuenit expurgata, semper prius pullulare incipiunt, ijs maxime caro supercrescit. quæ uero probe &, ut decet, expurgata, semper ad siccius promouẽtur, ijs, nisi sint contusa, caro ut plurimum non supercrescit. Quippe hic illud nisi sint cõtusa, quod adijcitur, redigit nobis in memoriã,

A quod in superius proditis uerbis est, est dictũ. nẽpe oportere omnia siccari præter ea quæ contusa sunt. Neq; enim sicubi cataplasmate quod calfaciat humectetq;, illinũtur quæ phlegmone infestantur, ex prima ratione id fit, hoc est ut remediũ affectus, sed ut symptomatis mitigatio. siquidẽ ipsius phlegmones remedia sicciorum sunt uirium. Audi namq; loquentem Hippocratem: Cataplasmata œdematum, & phlegmones quæ in circa positis consistit, uerbascum coctum & folia trifolij cruda & epipetri folia cocta & polium. Quippe omnia hæc siccandi uim habẽt: ueluti in cõmentarijs De simplicibus medicamentis docuimus. Et compendiaria obsessarum phlegmone partium curatio per id genus præsidia obitur, quæ sanè uel affe-
B ctum prorsus summouent: uel si quid exiguũ q̃d suppuret, reliquerint: alterum medicamentum acre, quod educere pus queat, requiritur: uel si tenuis circumposita cutis sit, uelisq; celerius explicatum ægrum, sectio petenda est. cæterũ curatio phlegmones per hordei farinam dolorem lenire studentis est, non medentis, & contra malum pugnantis. Verum de talium differentia in sequentibus plenius docetur. Illa porrò mihi demonstrata manifeste puto, Hippocratem tum ulcera quæq; siccanda esse iussisse, tum hanc esse curationis finẽ sanxisse, ipso scilicet affectu indicationẽ præbẽte, non tempore. Quòd si quis hoc magis etiam sibi persuasum cupit, librum eius De ulceribus totum diligẽtius euoluat. Intelliget enim illud ipsum per-
C spicue, tum unam esse ulcerum omnium generalẽ curationem, nempe quam nos proximo libro docuimus: tum uero nõ minus illud, nullã esse à tempore nec in ulceribus, nec in phlegmone, nec deniq; in alio quopiã affectu indicationẽ. Quoniam uero in hunc sermonis locũ peruenimus, æquum est ostendere non modo horũ quæ iam retulimus fuisse inuentorẽ Hippocratem, sed etiam reliquorum omniũ quæcunq; hunc scire qui cõmode ulcus sit sanaturus, est opus. Videtur enim is non solum ulcerum quæ citra alium affectum cõsistunt, sanandorum rationem inuenisse, ut quæ in siccando consistat: sed etiã priuatim per species affectuũ cuiusq;. Nam aut uitiosus succus ad partem cui ulcus insedit, amplius non fluit, aut etiam fluit ac si
D non amplius fluit, ipsi tantũ quod laborat, succurrendum est, si quidẽ, uel liuidum, uel nigrum, uel rubrum conspicitur, scarificando, ac sanguinẽ emittendo. mox (ut ipsius uerbis utar) spongiã statim sicciorem magis quàm humidiorẽ superimponendo. neq; enim, arbitror, ignorabit quispiã particulam illam, q̃, negationis hoc loco uim habere, tanquam ita diceret, sicciorem, non humidiorem. post hæc uero etiam siccantia remedia applicãdo. ab his, si res postulet, rursus sanguinem auferẽdo, ac mox iterum talia peragẽdo, donec parta omnino sanitas sit. q si labra ulceris dura callosaq; appareant, etiam ea excidendo. Etenim de his quoque ita ait: Circularia ulcerum, si subcaua sint, circulo præcidere quæ disparata sunt, oportet, uel omnia, uel ex dimidio circuli secundum hominis longitu-

dinem

dinem. Scripsit uero & de tumoribus, qui coniuncti cum ulcere sunt, uniuersis, quemadmodum curādi singuli sint: simili modo & de uaricibus. quando horum quoq; occasione cōtumax ad sanandū ulcus redditur, quoniā aliqua ex his humiditas ad exulceratas partes defluat. Ad eundē modum & cum ex toto corpore humor confluit, totū purgare iubet, nusquam uidelicet in his indicationem à tempore sumēs. Nam & ridiculum planè sit adeo multas ac uarias sæpe etiam contrarias indicationes ab una cōmunitate fieri. Nam si etiam demus indicationem aliquam à tempore sumi: quæ tandem ea sit dicere par est, ac summa quapiam una eam cōplecti: ueluti in reliquis omnib. ipse quoq; Thessalus facit, nedum nos. Quippe unum illi perpetuo indicat adstricti corporis affectus. nempe ut remittatur ac relaxetur. unum rursus soluti, utique ut adstringatur. Quinetiam in ipsis ulceribus quod sordidum est, abstergeri postulat. quod cauum est, impleri. quod ęquabile est, cicatrice induci. cui caro supercreuit, hanc sibi detrahi. etiam eo ipso autore. Ergo sicut in horū singulis, ita in diuturnis quoq; alterum aliquid ad portionem ostendat quod unum sit. uerum non potest. Nam & excidenda ea præcipit. At quænā, quæso, sit ista rationabilis à tempore indicatio, tum remedio ex sinapi uti, de quo uanum illud nomen metasyncriseos usurpat. ab hoc ex radicula uomitu. & postremo, cum nihil ultra inueniat, ueratro? Verum hęc quidem (quemadmodum dixi) etiam in sequentibus plenius dicētur, ubi nihil usquam ullo in morbo à tempore indicari, sed signum id nōnunquam affectus esse docebimus.

6 Verum rursus ad Hippocratem reuertor. Quem sanè diligentiæ nomine admiror, cum in alijs omnibus, tum uero quòd scopum, qui medico ad indicationem non in uno alterò ue, sed prorsus omni morbo sit spectandus, non omiserit. Est porrò is qui ab affectus magnitudine sumitur, quem non modo Methodici prætermiserūt, (non enim est id mirum) sed etiam Rationaliū plurimi, atq; etiam Empirici (quanquam alio modo) oēs. Nam ubi in redundātis sanguinis (ut illi loquuntur) cōcursu, uacuationem à se obseruatam dicunt: manifeste fatentur ob nullius alterius eorū quæ in ægro uisuntur respectum, se ad uacuationē accedere. Neq; hoc dico propterea quòd etiam purgatio uacuatio sit, quam redundantis sanguinis concursus nō indicet, sed quòd etiam tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsam tamen sanguinis missionē interdum sit confugiendum: quando si ualens morbus sit cum uirium robore, nemo est qui sanguinē non mittat, qui utiq; in artis operibus sit exercitatus. Quippe ipsos Empiricos uidemus cum lapsus ab alto quis sit, aut aliàs plaga aliqua contusas uehementer corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quanq; idem homo paulo ante sanus fuerat, prorsusq; redundantię sanguinis expers. Ex quo patet nō hoc esse ꝙ mittendū sanguinē indicet, sed magnitudinem morbi, ac uirium robur, exceptis ta-

A men à sermone pueris. nam & alia ratione si quis etiānum sanus, nec adhuc quicquā læsus in sanguinis redundātis concursu sit positus, nō statim huic mitti sanguinem est necesse: imò alij satis facit inedia, alij cibi parcitas, alij soluta aluus, uel purgatio, uel frequentius balneum, alij sola exercitatio, uel multa frictio abūde fuit. Missio uero sanguinis ne ab ipsis quidem Empiricis, ijs qui ita se habent, necessario adhibetur. Ad eundē modū nec purgatio in sola uitiosi succi abundantia cōuenienter suscipitur, sed sicut missio sanguinis uel propter ipsius abundantiā, uel propter morbi magnitudinē: ita purgatio & propter abūdantiā alterius cuiusquā succi, & propter uim morbi adhibetur. Ac de sanguinis missione tum in alio libro egimus, tum uero

B in sequentibus agemus. De purgatione in hoc libro disseram. Desiderant enim ægri hanc nō modo, ut quod noxiū superuacuū quo urgentur, educat: sed etiā ut quod tum ad diuersum trahat, tum uacuet. Atq; ob eam rem Hippocrates tum in reliquis omnibus operibus, tum in eo quod De ulceribus prodidit, etiā morbi magnitudinē ad purgationis indicationē consyderat: Purgatio, inquiēs, per aluum plurimis ulcerū prodest. præterea uulneribus quæ in capite sunt accepta. itē quæ in uentre & articulis. ad hæc ijs in quibus ossi caries impendet. Pręterea quæ suuntur, & quæ exeduntur, & herpetibus, & reliquis quæ ulcera diuturna reddunt, etiā quæcunq; deligāda sunt, per aluum purganda sunt. His uerbis clare docuit ulceribus om-

C nibus & uulneribus quoties præualida sunt, purgationē esse utilē. Cum enim trifariā non hæc modo uitia, uerū etiā reliqua omnia grauia magnaq; reddantur: nempe uel propter afflictæ partis præstantiā, uel propter affectus magnitudinē, uel propterea ꝙ sunt cacoethe: cuiusq; horū seorsum uidetur Hippocrates mentionē fecisse, utiq; in capitis uentrisq; uulneribus præstantiā læsæ indicans partis. uentrem aūt hoc loco nō solum inferiorem intelligendum esse, sed etiam superiorē, patere cuiuis arbitror. Diuiso namq; quod inter collū & crura est trunco in duas capacitates maximas, prior sub thorace, secunda sub membrana quæ abdomini subtenditur, (περιτόναιον Græci uocant) continetur. Et sanè uulnus quod intra thoracem intrà ue

D etiam peritonæon penetrauit, non paruū periculum affert, potissimū si quid interiorū unà sit uulneratum. Quinetiā cacoethe statim fieri quæcūq; in articulis accepta uulnera sunt, id quoq; omnes ferè sciunt: Empirici quidē ex sola ipsa experiētia, cui soli attendunt: qui uero corporis naturæ scientiam comparare studuerūt, ex ipsa uulneratarum partiū natura. Vbi enim tendones, & nerui, & carne uacua, atq; ossea loca sunt: hic doloris, uigiliarum, conuulsionis, & delirij periculū instat. Tum hæc igitur uulnera, tum quæ suuntur, id est quæ adeo sunt magna ut suturis indigeāt, aut si non his, certe deligatura, purgationē desiderant. At uero iam dictum in proximo libro est, quæ magna ulcera sunt, ea uel suturis, uel deligaturis esse coniungenda. Quinetiam quibus corrūpendi ossis peri-

culum impendet, ea utiq; cum magnitudine phlegmones sunt. Iã quæcunq; exeduntur, ea tũ cacoethe sunt, tum malorum succorum soboles. herpetes quoq; à bilioso excremẽto ortũ habẽt, reliquáque quæ inueterant omnia, ex huiusmodi quapiã causa proueniunt. Quare in omnibus his non sine ratione purgare per aluum iubet. In progressu uero hæc insuper adijcit: In omni ulcere cui erysipelas superuenit, purgari corpus oportet qua parte ulceri maxime conducit, siue id per superna, siue per inferna sit, cuius etiã ipsius rei discrimen in libro De succis nos edocuit, reuellere nos iubẽs ad cõtraria, deriuare uero ad latera. quinetiã cum maxime influit, tum ad diuersa reuellere. dictũ uero & de hoc in eo libro est. Quare nunc quoq; si etiãnum fluxio ualenter irruat, reuellere ad contraria studebimus. utiq; si in superioribus ulcus cõsistat, per inferna purgantes. sin aũt in inferioribus sit, superiorẽ uentrem uacuantes. At si iam fluxio restitit, atq; in mẽbro inhæsit, deriuare per uicina magis expedit. cum & in propinquiora translatio sit, & purgãti medicamẽto promptior, tum accessus, tum attractus è uicino detur. Hanc uero rationem ad aliã quoq; artis partẽ spectare, nempe quæ De succorum medicatione præcipit, neminẽ latere arbitror. Proindeq; in sequẽtibus etiã repetere eam erit necesse, ac totam absoluere. Nũc illud docere uolo, tũ ipsam morbi siue uim, siue magnitudinẽ appellare uelis, pro indicatrice quadã sanguinis detrahẽdi, uel purgationis adhibendę, statuendã esse: tum uero Hippocratem hanc omniũ quos nouimus primũ, indicationẽ adinuenisse. Ac de alijs quidẽ morbis in sequentibus libris id ostendã, de ulceribus uero in hoc, qui in manibus est. Ac de purgationibus quidem mihi explicatum iam est. Nam cũ triplici genere morbus quisq; sit grauis, aut propter præcellentiã partis, aut propter affectus magnitudinẽ, aut propter ipsius cacoethian, omniũ horum meminit Hippocrates, ubi de purgatione egit. Quid igitur, dicet aliquis, nunquid etiam sanguinẽ detrahi interdum suadet propter has ipsas causas? Mihi uero id quoq; iubere uidetur, uerum breuiter, nec sine demonstratione: ueluti tum ipsi, tum reliquis antiquis mos fuit. Id ita esse intelliges, primum quidem si hæc eius uerba relegeris: Omni recens facto uulneri, nisi in uẽtre sit, expedit ex ipso statim sanguinẽ plus minús ue effluere, quippe phlegmone minus tentabitur, tũ ulcus ipsum, tum quę circumposita loca sunt. Post hæc autem si uerba quæ in libro De ulceribus ab eo sunt scripta, tum quæ in alijs omnibus libris sæpe proposuit, recorderis, debere scilicet imitatorẽ esse medicũ non tantum naturæ, sed etiam eorum quæ cum sua sponte ueniunt, conferunt: clare iam senis mentem intelliges de sanguine cum magna sunt uulnera detrahendo. Si namq; expedit in talibus sanguinem effluere, nõ autem effluxit, quod deest, ipse adijcias oportet. declarãt id ea quę subiungit. quippe hæc statim cum iã dictis uerbis copulat. Et ab ijs quæ inueterata sunt ulcera, ut sanguis crebrò fluat, efficere prodest, utcunq; oppor-

A tunum uidebitur, tum ab ipsis ulceribus, tum à circumpositis ulceri partibus. Nam quoniã prædixerat omni ulceri recens facto sanguinẽ emitti debere, cernens, nisi etiam de inueteratis mentionẽ faceret, fore ut ab aliquo putaretur de recẽtibus tantum, ita pronũciasse: idcirco illud recte adiecit, & ab inueteratis ulceribus sanguinẽ mittendũ esse. Ac si perpetuum est, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse, fixam uero iam in laborante particula uacuandam esse uel ab ipsa particula quæ affligitur, uel à maxime uicina, in promptu nobis et de sanguinis detractione colligere nunc est, q̃ in principio hæc è longinquo, postea ab ipsis exulceratis partibus sit emoliẽda. Quinetiã si ijs, quæ iam dixi, illud quoq;
B adijcias, nempe q̃ ipsum qui redundat succum uacuandum esse Hippocrates suadet, aliàs sanguinis detractionẽ adhibebis, cũ uidelicet is uincit: aliàs pharmacum quod ad bilem flauam, uel atram, uel pituitam educendam uim habet, dabis. Illius interim in omnibus his non immemor, non esse ulceris qua ulcus est ullam id genus curationẽ, sed uel uitiosi qui cõiunctus est succi, uel redundãtiæ, uel phlegmones, uel herpetis, uel eius generis alterius. Sed nec illius oblitus, q̃ aliquid interim ex ijs quæ ulceribus accidunt, indicationẽ propriã suggerat, ueluti magnitudo. Dictum aũt & de ipsis ulceribus est in libro qui hũc præcedit, ubi ulcerum differentias omnes, & quot, & quæ sint, & quæ sit uniuscuiusq; indicatio, exposuimus. Pręberi tamẽ
C uacuandi indicationem ab ipsa ægritudinis ui, in eo libro non dixi, propterea quòd & longiorẽ demonstrationem requirebat, & totius corporis curam cum ulceribus in eo non coniunxi. hic uero executus sum quantum ad rem propositã erat utile. Nam absolutus sermo de hoc genere indicationis, quam à magnitudine morbi sumi diximus, etiam in sequẽtibus restat. Pari modo de indicatione quæ ab ætate sumitur. preterea de ea quę ab humoribus sanandis accipitur: Ad eundem modum & quæ ab afflictis partibus indicatio exhibeť, consumatius in sequẽtibus libris tradetur. Nunc enim quod ab earum natura, id est tẽperamento, & substantia sumi ad curationẽ potuit, tantum diximus. Quæ uero tum à positu, tum à forma, itemq; usu,
D præterea sensus acumine, hebetudine ue, indicatio suggeritur, hanc nõ attigimus. Dicatur itaq; & de his, quantum sit ad ulcerum curationem utile.

7 Igitur quæ acuti sensus pars est, eam quam maxime citra dolorem curare tentãdum. Tradita uero eiusmodi dolorem sedantiũ materia est in ijs libris, qui sunt De simplicibus medicamẽtis inscripti. Quæ parũ acri sensu est: hæc, si affectus ita suadet, ualentiora remedia recipit. Et principis quidẽ membri robur seruari oportet: ueluti latius ubi de phlegmone agemus, docebitur. Quod tale nõ est, licet huic eam medendi rationem tutò adhibeas, quæ relaxando remittendoq; mitiget, χαλαστικὴν Græci uocant. Atq; hæc quidem in sequentibus fusius tractabimus. In hoc libro indicationẽ quæ & à positu, & à figura partium sumitur, tradenius, atq;

atq; ita quarto huic libro finē imponemus. Hinc igitur excogitatum est ei cui exulceratus uentriculus sit: medicamenta esse bibenda. Cui gula: nō semel, nec tota simul adsumēda, sed paulatim & assidue. quando ex transitu & contactu uulneribus, quæ hic sunt, utilitas accedit, non ex continendo, & diutius adhærendo, sicut ijs quæ in uentriculo sunt. Quinimo & quòd crassiora hęc, & magis lenta sint adhibenda, id quoq; à positu figuraq; est indicatum. Nam quoniam gula transitus quidam comestorum bibitorumq; est, idcirco remediorum eget, quæ adhærere, & undiq; quasi concrescere, & agglutinari possint, non autem quæ elui ac defluere sint prompta. Ac circa partes eius, ueluti cōcrescunt quæ crassa sunt: agglutinantur quæ lenta sunt. Quæ uero ulcera in crassis sunt intestinis, ijs quæ per sedem inijciuntur, remedijs magis egent. quippe cui magis sunt propinqua. Quæ in tenuibus habentur (quoniam & longinquiora sunt, & medio situ posita) ambo requirunt, & quæ superne sumuntur, & quę per sedem infunduntur. Sanè cōmunis omnium internarum partium indicatio est, ut ea eligantur quæ animalis naturæ maxime sint familiaria, siue ea cibi sint, siue medicamenta: fugiantur respuanturq; huic cōtraria. quanq; in ijs quę foris sunt ulceribus, innoxius etiā talium medicamentorum est usus, æruginis, ærisq; usti, & æris squamæ, & cadmiæ, & pompholygis, lithargyri, & cerussæ. Hæc igitur, & similia interioribus exhiberi non debebunt. Porrò proditum de natura horum est, tum in tertio De temperamentis uolumine, tum De simplicibus medicamentis. Eligenda uero alimenta sunt, siquidem ad cicatricem perducere, aut glutinare ulcus studemus, tum austera, tum glutinosa, tum quæ minime rodant. Sin emundare, quæ modice abstergeant. quod munus mel coctum præter cætera præstat. Austeræ uero potiones, & eiusdem rationis alimenta cuiq; sunt nota. Voco austerum id quod σύφον quoq; Græce, id est astringens dicitur. Acerbum uero quod intensum austerum est, Græce στρυφνόν. Quæ uero medicamenta citra internarum partium molestiam sumant̄, ea tradita sunt in his libris qui De medicamentis sunt scripti. Dicetur tamen & nunc eorum formula. Ergo internis ulceribus opitulantur hypocystis, & balaustium, & cytini punicorū, & galla, & mali coriū, & terra samia, & lemnium sigillum, & rhois rosarūq; succus, & acacia, aliaq; id genus quæ ulceribus internis præsidium adferunt, nec ullam uisceribus noxam inferunt. Danda uero hæc sunt ex aliquo adstringentium decocto: uel mali cotonei, uel lentisci, uel summorū rubi uitisue ramorum, uel myrti baccarū, uel deniq; ex uino aliquo austero. Non latet autem & de uini usu, quod cauendum id est ubi phlegmones suspicio adest, aliàs dari nihil uetat. Nec illud obscurum est, eiusmodi medicamina præparāda, ac iam dictis humidis excipiēda esse, tum uero tragacanthen, & gummi illis admiscenda: potissimū si quis ea ijs quæ in gula sunt, exhibebit. Sed & gargarizare quoq; iubendū est ei qui ad fauces et paristh-

A mia his utetur. At ad ulcus quod in aspera sit arteria, ut supinus quàm diutissime in ore teneat, ac omnes qui illic sunt musculos relaxet remittatq;, præcipiēdum. Influit enim sic sensim & paulatim de medicamento aliquid sensibiliter & manifeste in ipsam arteriā. Nam & cum naturaliter se habet, scire licet potionis nonnihil huc percolari. Sed ueluti in secunda ualetudine, ita nimirum in aduersa cauendum est ne largius influat, utpote quod tussim excitabit. Nam quoad humor undiq; iuxta tunicas arteriæ, ceu iuxta murum aqua descendit, tussim utiq; non cit. si quid per mediam spiritus uiā incidit, tusses statim excitat. Tum hæc igitur à situ & forma partium omnia sunt desumpta, tum uero non minus illud, quòd omnibus medi-
B camentis quæ thoracis & pulmonum ulceribus sunt destinata, mel sit admiscendū. quando si austera ijs duntaxat medicamenta exhibebis, ea in uentriculo morabuntur. Ergo digestionis eorū in corpus, instrumentum mel erit, ac celeris transitus, ueluti uehiculum: cum eo q; nec ulceri nocebit. Ad eundem modum quoties in uesica, & renibus uitium consistit, non solū mel ipsum, sed etiā eorum quæ urinas mouent quippiam, ulcerum medicamentis misceri oportebit. Illud quoq; patere, uel me tacēte cuiuis arbitror, exulceratas partes, tum ex earum substantia, tum functione, tum utilitate, tum positu, tum figura discerni. Monstratum autem id abunde est in libro De notis affectorum locorum. Verum non est de illis nunc locus. Rursus
C igitur ad medēdi methodum reuertor. Aio igitur non hæc modo, sed etiam alia non pauca ex figura partium posituraq; indicari. quippe quādo nec deligare commode ægram particulam possis, nisi prius uel ex figura, uel positura, uel utrisq; indicationem sumpseris. sed nec immittere in sedem clysteris fistulam cōmode queas absq; eius generis indicatione. Iam per penē inijcere medicamenta in uesicam sæpe necessum est. illud de cathetere apponere opus nō est, q; eo probe uti omnino nequeas, nisi & positum & figuram totius uesicę planè perspectā habeas. In talibus ergo omnibus clare patet, non parum ad totam curationē affectum ipsum locum indicare. In ruptis aūt, quæ ῥήγματα Græci uocant, plures indicationes in idē concur-
D runt. siquidem & quæ à positura capitur, rectè ad examen uenit. Nam propterea quòd & in profundo corporis sunt, & latent, idcirco diuersam curationem ab ijs quæ apparent, postulabunt. Quoniā uero cum ecchymosi quidem omnino, aliquādo uero & cum contusione circa ipsam præruptam carnem consistunt, idcirco plures curationes indicabūt. Semper enim pro affectuū numero, etiam medendi indicationes respondent. Ac docebitur quidem, ubi de phlegmone disseremus, locupletius, quòd ualentiora medicamēta requirant quæcunq; in profundis partibus laborant, quàm quæ in summo corpore sunt affecta. Nunc id saltem arbitror patere, quòd solui necessum est præsidiorū quæ foris applicantur, uim, ubi quod ab his iuuandum est, in profundo latet. quare intendere hanc

eatenus oportebit, quatenus per transitum ad pro fundũ exoluetur. Sanè ecchymosis omnis uacuationem pro remedio curationis indicat. quare cal facientibus huic & modice siccantibus medicamentis est opus. Quippe quæ uehementer siccãt, digerunt illa quidẽ in principio euidentius, quàm quæ sunt imbecilla: cæterum, nonnihil ipsius uitij scirrhosum difficileq; curatu relinquunt. Ac dicemus de his in sequentibus diligentius: sed & nunc quantum ad rem pertinet, abunde est dictũ. Quæ enim humectant calefaciũtq; pharmaca, præterea hæc quæ omnes iam Græce uocare χαλαστικὰ, id est relaxantia solent, atq; ex his quæcunq; ad siccius paulo uergunt, nec tamen adhuc clare manifesteq; extendentia sunt, quæ συντατικὰ uocant, hæc omnium sunt ecchymomatum remedia. Curandum uero est ut unà cum ruptis quæ in profundo hærent corpore, hæc tum uires magis habeant intentas, tum ipsa magis acria magisq; incidentia sint: tum (ut semel dicam) tanto efficaciora, quanto magis à cute ad profunda ecchymosis recesit. In talibus sanè nec cucurbitę usus sit inutilis. Id est instrumentum ad uiolentum attractum à medicis

A excogitatum. Cæterum, cum totum ecchymoma digestum per halitum est, siccare iam uehemẽtius ruptum ipsum permittitur, ac deligatura coniungere, omniaq; in summa facere quæ ut ulcus coalescat, efficiant. Ergo si euocatũ celeriter ecchymoma sit, facile coalescet rupta ipsa caro. Sin longiore spatio, sordes multa subnascens medium inter ulceris labra spatium occupat, ita ut iam coire ruptio non posit. Atq; inde adeo fit, ut qualibet leui de causa nos hæc sui admoneant. Nã siue quis obruit, siue parum concoxit, siue febri laborauit, siue se uehementius fatigauit, eiusmodi particulis ilico dolet. Nõ enim in idem coiere ruptionis labra,
B sed tantũ propè sunt admota. Quo fit, ut leue momentũ ea facile separet, & medium locũ superuacuo humore repleat. Et quid quæso, aliud q̃ assidue nouũ ecchymoma his gignitur? & primo illi, cũ uidelicet primũ caro est rupta, simile: nisi q̃ nũc ex tenui magis sanie cõstat, cum in principio è sanguine ecchymoma esset: ideoq; facilius etiam nũc q̃ intra initia digeritur. Hęc itaq; quæ hactenus diximus, disputationi de ulceribus satisfacient. Finemq; iam quarto huic uolumini impono.

ARGVMENTA LIBRI QVINTI.

Caput 1. Anacephalæosis omniũ quæ superioribus duobus libris tractata sunt. 2. De solutione cõtinui in partibus carnosis antehac dictum est: nunc de illa, quæ in arteria, uena & neruo contingit, solutione. Sed quoniam cum ea inest uisceri, aut instrumentali alicui parti, cura perfici nõ potest, ni prius sanguinem erumpentem sistas, percenset hic causas & modos, è quibus talis sanguinis fluxus originem trahere posit. 3. Sanguinem uulneratæ tum uenæ tum arteriæ coercere docet paro/cheteusi & antispasi, deligationibus & medicamentis.

4. De carne regeneranda postq̃ erumpens sanguis restrictus est. Et quando escharoticis, id est, crustam inducentibus medicamentis sit utendum: & quando indubitatũ malum, hoc est, secũdarium sanguinis profluuium sit expectandum. 5. De sistendo sanguinis profluuio è profundo corporis, ut ex utero, uesica, intestinis: Hactenus enim de apparentium partium profluuio dictũ est.

6. Curatur hic sanguinis fluxus ex erosione obortus: deinde diapedesis, postremo quod uenæ insedit ulcus.

7. Arterias sectas difficulter coire: Non tamen impossibile illud esse, sicut quidam ob siccitatem arbitrabantur: Nequaq̃ enim de unienda sectione arteriæ esse desperandum, ubi tum ipsa sit parua, tum hominis corpus natura molle. 8. De curatione ulcerũ pulmonis: quæ cura cum difficilis sit propter pulmonũ cõtinuum motum, & saniei purisq; uacuationem laboriosam, ea tamen ratione, quam hic præscribit, Galenus percurauit, dum cruentum adhuc uulnus esset, priusq̃ phlegmone excitaretur: quæ si semel inuaserit, exigua spes est eius postea cõglutinandi, Quia phlegmone soluta, pus & sanies ulceris eluenda sunt, tum præterea elui debent exulcerata loca: In pulmone autem neutrum omnino fieri potest. Nam una hic tantum reliqua expurgatio est, ea quæ per tusses fit. 9. Quòd etiam transuersi septi uul/

C nera conglutinari posint, quæ in carnosa eius parte fiunt: in neruosis autem insanabilia sunt. Similiter se habet in omnibus, quæ in peritonæo continẽt. 10. Perstringuntur Methodici cum Thessalo suo, qui utcunq; externis ulceribus mederi potuerint, neutiq̃ tamen ostenderunt quibus medicamentis interna uiscera oblæsa ulcerationibus queant subleuari. 11. Repetit quàm laboriosum sit pulmonibus exulceratis mederi, sumitq; hoc tum à forma, tum etiã à situ. Sed neq; medicamenta cõtingere ulcera possunt, quæ etiam per medium interuallum ferè uim suam amittant: adde q̃ ulcera respirando mouentur, & tussiendo lacerantur. 12. Vlcere offensam arteriam asperam, larynga & bronchum, & uniuersum uocis spiritusq; meatum persanare docet.

13. De curando profluuio sanguinis erumpentis ex pulmonibus uel ob tussim, uel ob catarrhum eò incumbentem. 14. Quomodo pulmonũ ulceri aliquis me/
D deri posit, si modo phlegmone nondum oborta fuerit, nec sanguinem etiamnum reijciunt. 15. Sectionem uenarum in uniuersum sustulerunt, Chrysippus, Aristogenes & Erasistratus: quorũ friuolas rationes Galenus partim hic, partim in libro de medendi ratione per sanguinis misionem euertit.

ALITER.

Quæ de ulceribus in carnosa parte accidentibus dicta sunt, breuiter enumerat: & ad ea quæ in instrumentarijs fiunt ulcera transit. De ruptione arteriæ & uenæ. Quo pacto per deriuationẽ sanguinis fluxus sisti debeat. Medicamẽta crustam inducentia, quæ ad fluxum sanguinis ualent. De lacte. De sputo sanguinis ex destillatione. De ulceribus in sede & pudendo, & eorum curatione. Diuisæ utcunq; uenæ aut arteriæ curatio. De sanguinis reiectione cum ab alijs partibus, tum à pulmone.

CL. GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.



VEMADMODVM quis ulce
rum curationem optime mo
liatur, cum duobus ante hũc
libris docuerimus, illud obi-
ter ostendimus, reliquos om
nes medicos, qui simplicium
in nobis particularũ elemen-
tis minime inquisitis artem
adeunt, non posse quicquam certa ratione sanare,
minimeq; omnium qui Thessali dogma profiten-
tur. Reliqui nanq; ea saltem ulcera, quę in diuersis
sint partibus, diuersis rationibus sananda censent,
ipsa nimirum experientia docti. Qui uero Thessa
lum autorem sequuntur, propter excellentem sci
licet sapientiã, omne ulcus quacunq; in parte ani-
malis sederit, similis egere curationis putãt. Quip
pe si cauum sit, impleri: si æquale, cicatrice induci:
si caro supercrescat, hanc detrahi: si cruentum re-
censq; sit, agglutinatione postulare aiunt. ceu ue-
ro qui hæc norit, eum recte mederi sit necesse. nec
sit hæc ratio etiam cuilibet è plebe cõmunis, cum
nemo sit qui horum quicq; ignoret. Cæterum nec
queadmodũ carne implendus sinus sit, nec quem
admodum ad cicatricẽ perduci quod impletũ est
debeat, aut cõprimi quod superauctum, aut coale
scere quod purum citraq; sinũ est, intelligũt. Sunt
enim eiusmodi opera tantum medicorũ, quæ uel
ratione, uel experientia, uel utriusq; ope sunt in-
uenta. Rursus igitur repetentes, summatim ea per
curramus, quò dicendorum caput cum dictorum
copuletur calce. Monstratũ est omne ulcus siccan
tia medicamẽta requirere. Cæterum, quod sinum
habet, ut minus sanè quàm reliqua, sic ea quæ præ
terquam q; modice siccent, etiam abstergendi fa-
cultatẽ obtineant, desiderare. Quod uero cõiungi
sibi labra postulat (cuiusmodi scilicet sunt quę me
dicis Latine cruenta, Grece ἔναιμα dicuntur) huic
tum quæ magis etiam siccent, tum uero quæ citra
abstersionẽ leuiter adstringant opus esse. Iam quæ
ulcera perduci ad cicatricem postulant, hæc non
solum magis adhuc siccantibus, sed etiã strennue
adstringentibus remedijs egere. Quòd si caro eo-
rũ præter naturæ modũ intumuit, acria & demol-
lientia (quæ eadem calida siccaq; necessariò sunt)
desiderare. Si quod uero aliud symptoma ulceri
adiunctum erat, ab eius natura curationis indica-
tio sumebatur: atq; ex hac rursus remediorum fa-
cultas petebaẽ. Si nanq; sordes innascerentur, quæ
hanc tollerent opus esse. eaq; omnia abstergendi
uim habere multo sanè maiorẽ, quàm ea quæ car-
ne implerent. Si uero copiosior in his humiditas
cerneretur, etiã quod magis siccaret medicamen-
to opus esse: cæterum, quod propriã speciem non
egrederetur. Ac si agglutinaturũ medicamentum
esset, siccans astringensq; id esse debere. si carne
impleturum, siccans et abstergens, atq; in singulis

A reliquorum, uti dictũ est. Si uero intemperata sub
iecta caro esset, primum eius intemperantiæ suc-
currendum esse: utiq; quæ siccior iusto esset, hanc
humectantibus. quæ humidior, siccantibus. tum
quæ calidior esset, refrigerantibus. quæ frigidior,
hanc calefacientibus. & si gemina qualitate esset
intemperata, pharmacum quoq; eligẽtibus quod
gemina qualitate esset contrarium. Quippe id om
nium quæ præter naturam sunt cõmune esse, non
posse ad naturam suam redire quicquã sine ijs quę
ipsi facultatem haberent contrariam. Consideran
das præterea & intemperantiæ causas hoc tempo
re esse, siue hæ totius corporis essent cõmunes, si-
ue quarundam partiũ propriæ, quæ uidelicet per
B societatem (quam συμπάθειαν uocant) exulcera-
tum membrum infestarent. Medendum uero pri-
mum esse causæ quæ intemperantiam adhuc foue
ret. post hanc uero, ipsi quæ iam facta esset intem-
perantiæ. Quippe hanc cõmunem indicationem
esse omniũ, quę ex causa quapiam oriantur. Osten
dimus autem tum ab ulcerum differentijs diuer-
sas præberi indicationes: tum eas quæ à laboran-
tis corporis temperamẽto sumuntur, diuersam ab
his habere rationem. Siquidem illę eum ex ijs quę
præter naturam sunt, sumantur, omnes contraria
esse adhibenda dictant: hæ cum ab ipsa natura ca-
piantur, similia. Nam si qua siccior pars est: ea ma-
gis siccari postulat. quæ minus talis est, ea minus
C est siccanda. Ad eundem certe modum, & de ca-
lefaciendo refrigerandoq; est præceptum. Nec il-
lud omisimus, ex præcellentia membri, aut con-
trario statu, iteq; ex sensu acri hebeteue diuersum
medicandi consilium peti.

2 Ergo quod reliquum est huius morborũ ge-
neris curandi, id nunc apponamus. Nos genus id,
lucidioris doctrinæ causa, unitatis solutionem ap-
pellauimus. nec refert si cõtinuitatis solutionẽ uo
ces. Incidit hæc nõ in similaribus modo, & simpli-
cibus partibus, sed etiã in cõpositis, & instrumen-
talibus. At uero remediorum indicationes aliæ à
similaribus sumuntur, aliæ ab instrumentalibus.
Quarũ ambas norunt qui methodum Hippocra-
D tis consectantur, propterea q; utrarunq; partium
naturam intelligunt: alteram autẽ duntaxat (nem
pe quæ ab instrumentalibus præbetur) qui Erasi-
stratũ, & Herophilũ sequunẽ. Quare in ijs qui se-
quenẽ sermonibus quæcunq; à calido, frigido, hu
mido, & sicco corpore morboue indicationes su-
munẽ, nullius certe methodũ hi habebunt. quę ue
ro à forma, positu, præcellentia, acri sensu, aut his
contrarijs, præbenẽ, has non ignorabũt. Illustrius
erit quod dicimus, si partes ipsas proposuerimus.
Quoniã igitur de ijs maxime ulceribus quę in car
nosis accidunt partibus hactenus abũde tractaui-
mus, nunc tempestiuũ uideẽ de ijs agere quæ in ar
teria, uena, & neruo cõtingũt: nec de ijs absolute,

sed

ſed ut in quouis ſunt uiſcere, uel deniq; inſtrumentali animalis parte. Ergo ſicuí arteria uenaúe magna uulnerata eſt, & copioſum ſanguinis profluuiũ continuo ſuperuenit, & glutinari id uulnus difficile quidem etiam in uena eſt: in arteria uero non ſolum difficile, ſed etiam quód fieri (ſicut nonnullis medicorum eſt uiſum) omnino fortaſſe non poſſit. Dicẽdum ergo uiciſsim de utriſq; eſt, ac prius de ſanguinis profluuio: ſecundo loco De glutinatione. Quoniã autẽ, & per anaſtomoſin, & per diapedeſin, ut mox docebimus, profluuia huiuſmodi fiunt, nõ alienum ſit propterea ꝙ curationẽ cõmunem habẽt, etiã hoc loco de ijs meminiſſe: tametſi ex alio eſſe morborũ genere uideantur. Sane profluit ex uena, uel arteria ſanguis, aut reſerato earũ ore, aut tunica earũ diuiſa, aut (ut ſic dicã) trãſcolatus, ſiue ſudoris modo trãſmiſſus. Porrò diuidiẽ ipſa tunica, tum ex uulneratione, tum cõtuſione, tũ ruptione, tũ eroſione. Anaſtomoſis accidit propter tum uaſis imbecillitatẽ, tum ſanguinis qui ad os eius impetu ruat copiã. ad hæc, acrẽ quampiam quæ illi extrinſecus incidat qualitatẽ. Diapedeſis uero ex tunica quidẽ ipſa rareſacta, ſanguine uero tenuato oritur. accidere præterea interim poteſt, & ex gracilium uaſorum ore adaperto. Dicẽdum igitur eſt de horũ affectuũ unoquoq; ſeorſum, ac primũ de diuiſione, quã uel ex eroſione, uel uulnere, uel contuſione, uel ruptione diximus accidere. Quæ itaq; uulnerãt, ea ſunt acuta, atq; ad ſecandum habilia. quę contundendo ſoluunt, ea grauia duraq; ſunt. quę rumpũt, omnia id tenſionis interuentu faciunt. Eſt autem ea intenſior actionis uehementia, & ſucci abundantia, non utiq; uiriũ reſpectu, ſed cum à uaſe ſuo non continetur. Item caſus ab alto. & graue quippiam durumq; incidens. Quippè eiuſmodi aliquid cũ uel uaſis uacuis, uel puſillam omnino rem continentibus in ſe inciderit: ſi durum ex oppoſito obiectum habet, contuſa reddit. at ſi plenũ uas ſit, prius id rumpit quàm contundat. cum ſit quod tum accidit, perſimile ac ſi utrem ueſicamúe impleas, atq; in hanc lapidem iactes. uel contra lapidi utrem uiolenter illidas. Sanè huic perſimile eſt quod accidit in caſibus ab alto. Quam nanq; rationem uter habet ad lapidem, hanc homo habet ad ſolum. Quiſquis uero ex maximo acutiſsimoq; clamore, in pulmonibus uas perfregit, is uiolentiæ actionis acceptum malum referet. Similiter huic, & qui ex eo ꝙ prægraue onus, aut humeris imponere eſt conatus, aut aliàs manibus attollere, uas fregit. Atq; hoc etiã magis, cui ex cõcitatiſsimo curſu, aut ualentiſsimo ſaltu, aut aliter particula ulla uiolenter extenſa, id accidit. Eſt enim id quoq; perſimile, ac ſi funem, aut lorũ, quammaximè diſtẽdas. Porrò perrumpi quoq; non pauca propterea quòd ſanguinẽ quẽ in ſe habent, non continent: potiſsimum cum flatulentus is ſit, indicio ſunt tum dolia, quæ ſæpe muſto rumpuntur, tum alia multa ualentiſsimorũ corporum.

3 Ac ſi ex uulnere, uel clamore, uel caſu, uel cõtuſione perruptum uas eſt, utiq; in his cauſa ipſa deſiit. Si uero ex abundantia, fieri poteſt ut uas etiam amplius rumpatur, effectrice ſaltẽ adhuc manente cauſa. Atq; in hoc quidẽ affectu uacuanda quamprimum abundantia eſt. abhinc ſanguis ſupprimendus. mox ulcus ipſum curandum. Vbi uerò effectrix cauſa iam deſiit, primũ ſiſtere ſanguinẽ expediet, poſt ulcus ſanare. Quomodo igiẽ ſanguinem ſiſtemus? obturato quidem quod perruptum eſt, auerſo autem atq; alíorſum trãſlato quod per id ferebatur. quãdo ſi id eo quo inter initia impetu confluat, oſculumq; uaſis pari modo pateat, citius planè moriatur animans quæ profluuio laborat, quàm ſanguis ceſſet effluere. Porrò ulcus ipſum claudeẽ, uel labris eius quæ diſsident in idem adductis, uel oſculo eius obſtructo. Adducẽtur in idem labra eius, tum noſtrarum manuum opera, ubi ſic ad manum ulcus ſe exhibet: tum per deligaturam: tum uero per ea remedia quæ refrigerent, & adſtringant. Neq; enim ſuere fas eſt arteriæ uenæúe uulnus, ueluti dixerint qui nullam à uulneratæ partis ſubſtantia naturaq; ſumi indicationem aiunt. Obſtruetur uaſis oſculum, & ſanguine ipſo concreto (qui θρόμβος Græce dicitur) & ijs quę foris illi imponuntur. Poſſunt aũt ſuperimponi tum carnoſæ ipſæ, quæ circa ulcus ſunt partes. tum in nonnullis uulneribus ipſa cutis. adhæc quæcunq; ipſi cõminiſcimur. Ea ſunt & linamenta, quos μοτοὺς Græce uocant, & medicamenta ea quæ idcirco quòd ex lenta craſſaq; ſubſtãtia cõſiſtant, meatus obſtruunt, (Græci ἐμπλαστικὰ uocant) præterea quæ cruſtam, quam Græci ἐσχάραν uocant, efficiunt. Quippe hanc quoq; ceu ſeptum quoddam huiuſcemodi ulceribus ueteres excogitarunt. Efficiunt hanc tum ignis ipſe, tum quædam medicamina quibus ignea uis ineſt. Atq; his quidem rebus obſtruitur uaſis oſculum. Auertitur autem ſanguis, atq; ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulſus. Illud παροχέτευσιν, hoc ἀντίσπασιν Græci uocant. Nam hæc quoq; Hippocratis inuenta ſunt, omnis ſcilicet immodicæ uacuationis communia remedia. Deriuatio ad uicina loca fit, cum id quod per palatum uacuatur, per nares deriuatur: reuulſio autem ad contraria cum ad inferna reuellitur: Rurſus quod per ſedem profluit, id per uuluam deriuamus, ſurſum uero reuellimus. Ita nanque & natura ipſa facere ſolet. Mulieri enim, inquit Hippocrates, ſanguinem uomenti menſes ſuperuenientes remedio ſunt. Hac igitur de cauſa ſi uel menſes confertim eruperint, uel ſanguis ab utero quoquo modo profluxerit, ſurſum reuelles, cucurbitam maximã ſub mammis defigens. Nam & hoc Hippocratis inuentum eſt. Eandem ob cauſam cum è naribus ſanguis erumpit, ipſum retinent maximæ in præcordijs defixæ cucurbitæ. Infigendæ autem ſunt ſi ex dextra nare profluit, ſuper iecinore. ſin ex ſiniſtra, ſuper liene. ſi ab utraque nare, ſuper utroq; ſunt imponendæ uiſcere. Quòd ſi reſolutus adhuc æger non ſit, etiam uena ex eo cubito incidenda eſt, qui profuſioni è directo reſpõdet. Vbi paulum detraxeris, mox unam horam intermittens, rurſus detrahes, poſt iterum

atq;

atque iterum, pro laborantis uiribus. Ad hunc modum A & reliquas omnes fluxiones (quippe cōmunis ratio est) tum ad contraria reuocabis, tum per uicina deriuabis. utique quae per aluū fluunt, ea uel per urinas, uel uterum transmittens. quae uero per urinas, ea uel per uterū, uel per sedē transferēs: pari modo quae per uterū erumpunt, uel per urinas, uel per aluum. quae uero in oculis, aure, uel palato fluxiones accidūt, eorum ad uicina deriuatio per nares est. Reuulsio uero in ijs quae supra sunt omnibus, deorsum semper agitur, sursum, in his quae sunt infra. Praeterea à dextris ad sinistra, sicut ab his rursus ad illa. similiter ex ijs quę intus habētur, ad ea quae foris sunt: cōtraque ab his ad illa. Ergo frictio contrapositae partis, potissimum per ea medicamenta quae calefaciant: praeterea uincula ualen- B tius adducta, ijs quae ad contrarium reuocant remedijs sunt adnumeranda. Non secus profecto & naturalium meatuū qui positi ex aduerso sunt, reclusio. Quae uero id prestare medicamēta possint, tradita eorū materia à nobis est in libris, quos De medicamentis prodidimus. sed de omni fluxione in sequētibus etiam libris tractare necessum erit. Nunc ad sanguinis profluuium est redeundum. Quippe de genere obturantium quodammodo est, & uinculum ipsis profluentibus uasis iniectū: ipsique nostri digiti dum ea cōmittunt, stringuntque. Est & alia huc pertinens ligatio, quam Graeci ἐπίδεσιν uocant. quanquam ipsum uas circulo non complectitur, sicuti uinculum: uerum cum ex parte complexu suo cōmittat quodam motu uulne- C rati membri dissidentia labra, & quae superimposita sunt contineat, merito inter claudentia remedia numeratur. Praeter omnia iam dicta, inter haemorrhagias remedia censeatur, & appositus uulneratae partis situs. Porrò appositus fuerit, si ad geminum hunc finem sit directus: nempe ut & dolore pars careat, & sursum spectet. Si uero uel prona spectet, uel doleat: non solum profluuium non sistetur, sed etiā, si non sit, prouocabit. Ergo qui nec norit, siquando astiterit ei cui ex uulnere sanguis profluit (de his enim primū agā) ilico digitū super os uulneris uasis imponat, blande innitens, ac sine dolore comprimēs: quippe simul tum sanguinem sistet, tum eum cōcrescere in uulnere faciet. Quin imo si uas unde profluitur, alte sit demissum, cer- D tius ipsius tum positū intelligat, tum etiā magnitudinē. praeterea, uena ne sit, an arteria. Post haec iniecto unco attollat, ac modice intorqueat. Quòd si ne tūc quidē sistitur sanguis: si uena fuerit, tenet citra uinculum sanguinē supprimere aliquo ex ijs medicamentis, quae sanguinis supprimendi facultatem habeant. Sanè optima horum sunt emplastica ea quae ex frixa resina, & farinae triticeae tenuissimo polline, & gypso, alijsque id genus, sunt confecta. Sin arteria sit, duorū alterum, aut uinculo amplectens, aut totum uas precidens, profluuium sistes. Sanè uinculū magnis quoque uenis inijcere interdum cogimur: atque etiam interdum totas praecidere utique transuersas. Incidet autem huius necessitas in ijs, quae ex profundissimo loco recte assurgunt: praesertimque per angustas, uel principes particulas. Quippe ita retrahitur ex utraque parte pars utraque, celaturque ac integitur à superiacētibus corporibus uulnus. Tutius tamen est utrunque facere, & uinculū uasis radici inijcere, & quod deinceps habetur praecidere. Radicem uasis uoco priorem eius partem, quae uel iocinori propior est, uel etiā cordi: haec in collo ab inferiore est parte: in brachijs & cruribus à superiore: in singulisque reliquarum partiū, prout ex dissectione intelligere licet, quam nec ipsam amethodi isti Thessalij admittūt.

4 His peractis, implendū carne uulnus quàm primum est prius, quàm uinculum à uase decidat. Nisi enim producta caro prius locum qui circa praecisam arteriam est, impleuerit: sed locus aliquis uacuus superfuerit, utique quod Graeci ἀνεύρυσμα dicunt, sequitur. Quam ob rem eo potius genere sanguinem sistentium utendum suadeo, quòd sua lentitia meatus obstruat, (emplasticon uocāt) quàm quod crustam efficit, propterea quòd & citius & minore cum periculo post ipsum impletur uulnus. Quippe periculum in altero est, ne si defluat crusta, rursum sanguinis profusio ex uase excitet. Optimum igitur omnium quae noui medicamentorum, quo etiam ad cerebri membranarum hęmorrhagias tutissime utemur, est, quod nunc subijciā: Thuris pars una, aloes partis unius semissi miscet. mox cum utendi tempus instat, cum oui candido tanto subigitur, quantum mellis reddat crassitudinem. hoc dehinc leporis mollissimis pilis excipit. deinde tum uasi ipsi, tum ulceri toti liberaliter imponitur, alligandum autem id forinsecus fascia est ex tenui linteo. Cuius fasciae primi quatuor quinqueue amplexus ipsi profluenti uasi inijcientur: abhinc uasis radicē uersus ducentur, in quibus uidelicet partibus radicem uersus ducere licet. Licet autem ferè in omnibus praeterquam cerebri membranis. His factis, ubi tertio die solueris, si tutò adhuc medicamen ulceri adhaeret, aliud rursus superimpones: ac ueluti linamentum id quod ex pilis factum inhaesit, madefaciens deligabis, ita ut initio deligasti. Sin prius sua sponte linamentum decidat, radicem uasis digito blande comprimēs, quatenus uidelicet nihil confluat, hoc quidem suspensa manu adimes, atque alterum impones. ad hunc modum quoad carne munietur, curare uas debebis, utique à principio ad finem usque particulam supinam seruans: custodito tamen in hac situs figura, modo. Vitandum enim ne dolor incidat, ac rursus profluuium excitet: cum nihil sit quod profluuium magis, quàm dolor proritet, & phlegmones augeat. Hoc medicamento multifariam utor, aliàs (ut dictum est) duplum thuris, aloe admiscens, aliàs pari modo ambobus utens, aliàs paulo superante aloen thure, aut etiam plusculo, sed nondum duplo: etiam mannam pro thure aliquando inijciens. Est autē manna medicamentum, quod magis quàm thus adstringat. Thus uero quàm manna magis emplasticum. Porrò constat in duris corporibus plus aloes esse immiscendum, in mollibus plus thuris. Eritque alterū eorum

magis adstringens, alterum lentitia & crassitudine sua tenuibus spiramentis magis inhærēs, quod ἐμπλαστικώτερον uocant. Itaq; etiam magis tenax, ac (ut sic dicā) resinosius deligas thus oportet, ubi magis esse emplasticum medicamētum studebis. id sane tum mollius est, tum albidius, tum quod mansum ritu aloes & mannæ non cōminuitur, sed partes suas sibi cohærentes defendit, ueluti mastiche. Verū hæc eius tractationis sunt propria, quæ De cōponendis pharmacis præcipit, quam in hoc opere non alicubi attigisse omnino non licuit. Siquidem aut nusquam nobis particularis exempli facienda mentio fuit, sed ipsis tantum uniuersalibus contentos esse methodis oportuit: aut si particularia poneremus, etiam preparatio eorum fuit attingenda. Verum (ut ante est dictum) eius generis remediorum quæ methodo sunt inuēta, uno alterou'e exemplo hic posito contentos esse conueniet. Id uero semper mihi teneri memoria uelim. Sed reuertamur rursus ad id quod dicendo parum absoluimus. Mentionem enim iam dicti medicamenti idcirco pluribus feci, quòd cæteris id omnibus prestare mihi persuasi, mirorq; si cui melius inuenire cōtinget. Ideoq; tum in cerebri membranis semper: tum in colli uulneribus eo utor: etiam ipsarum uenarum iugularium, quas σφαγίτιδας uocāt. utpote cum harum quoq; profluuium citra uinculum sistat. Non est autem in his cōmittendum ut in opere properes, ueluti quidam stolidi chirurgi faciunt: sed altera manu inferiorem uasis partem comprimes, aut complexus tenebis: altera medicamentum uulneri impones, ac blande ei apprimes, donec concretum adhæserit: mox deligabis superne deorsum, nō (ut in auribus) inferne sursum. siquidem radicem uersus uasorū ducere deligationem oportet, ac quod confluit reprimere. Sunt porrò & alia nō pauca pharmaca, quæ citra omnem dolorem emplasticam uim obtinēt: uerū nullum ita carne implet. Expedit autē quàm maxime in eiusmodi casu, ut priore medicamine cadente, caro circum uas ipsum sit producta. At quæ crustas generāt, ubi crusta decidit, magis nudam partem quàm pro ipsius naturali habitu derelinquunt. Est nanq; ipsius crustæ generatio ex subiectis circumpositisq; corporibus (ut sic dicam) semiustis: sic, ut cuiusmodi in hyemem extinctos hos carbones rem parāt, eiusmodi ipsæ cruste carnis exustæ sint reliquiæ. Quare quantum particulæ adustum ad crustam est, tantū profecto ipsi de naturali carne deperditur. Id itaq; omne particule decedit, cum crusta cadit. atq; ob eam rem nuda sineq; carne uisitur. Multisq; posteaq; crusta decidit, profusio sanguinis, que ægre supprimi potuit, superuenit. Quare in his quoq; quisquis methodo administrare omnia uolet, is tum modos omnes quibus sanguis supprimatur, longe ante considerabit, tum eum eliget qui minus sit cum periculo, utens non minus & reliquis omnibus quoties necessitas urgebit. Maximam autem necessitatem, uel crustificis medicamentis, uel ignitis ferramentis utendi animaduerti, ubi ex erosione pu-

A trescentis alicuius profluuium sanguinis concitatur. Quinetiam ubi in tali affectu totū quod computruit est sublatum, tutius est uel ipsius uelutira dicem adurere, uel certe crustificis medicamentis uti. Hac uero ratione tum in pudēdis, tum sede ad talem necessitatem sæpe deuenimus, q uidelicet hæ partes tum propter naturalē humiditatē, tū q excrementorum sunt canales, ex leui causa putrescant. id uero quò pro incrustantium pharmacorū delectu consilium diriges, erit non utiq; solus calor, sed cum quo adstringendi facultas sit coniuncta, qualis in chalcitide, & mysi, & atramēto sutorio, siue ustis his siue inustis utere, uisitur. Quæ uero ex calce non extincta conficiuntur, ea utiq; ualentiora his sunt: cæterum calx adstringendi uim

B non habet. Excidunt igitur citius quæ ab his fiunt crustæ, hærent autem corporibus diutius quæ ab adstringētibus. Quod utiq; longe est utilius: quando ita prius nascitur in imo earum caro, efficiturq; profluenti uasi uelut operculum quoddam. Vnde nec nosmet præcipites esse (ueluti nonnulli sunt) ad crustas, ubi hæmorrhagias periculū imminet, detrahendas oportet, nisi in illis tantū affectibus, in quibus propter putredinem candens ferrū corpori hominis admouere coacti fuimus. Appellāt nescio quo modo eum affectum omnes nūc medici Græci νομὴν à uerbo quod pascere significat, propterea q pergere pascendo id uitium ab ægris particulis ad eas quæ integræ sint, soleat: atq; harū semper aliquid ægris adijcere. Quare nō à substan

C tia indicate rei, sed ab accessorio appellationē indiderūt. Copia materiæ medicamētorū omniū, quæ hac predita facultate sunt, in proprijs cōmentarijs dicet. Proprios intelligo, & qui De simplicib. medicamētis, & qui De cōpositiōe eorū sunt scripti.

5 Ergo recensitis huius methodi qua sanguinis profluuia que ad manū sunt cures, capitibus: mox ad eorum quæ in alto sunt corpore, tractationem accingemur. Qui igitur è uasis profluit sanguis, aut propterea q amplius non cōfluet, sistetur, aut q occlusa diuisio erit, aut etiam propter utrūq; simul. id quod reor tutissimū. Porrò confluere prohibetur, & propter animi deliquiū, & cum ad contraria reuellitur, & cum ad uicina deriuatur, et per refrigerationē tum corporis totius, tum uero pre-

D cipue ipsius partis afflictæ. Hac enim ratione etiā frigida pota sæpe hæmorrhagias suppresit. Idem facit & frigida foris in fotu adfusa. Sed & pusca, & uinum acerbum, aliaq; quæcunq; uel adstringendi, uel simpliciter refrigerandi, uim habent. Clauditur ipsa diuisio, si uel contrahatur, conniueatq; id quod diuisum est, uel obstruatur. Sanè contrahitur tum adstrictione, tum refrigeratione, tū deligatura, tum uinculo exceptum. Obstruitur uel intrinsecus, uel extrinsecus. Et intrinsecus quidē, à sanguine cōcreto, Græci θρόμβον uocant. Extrinsecus tum hoc ipso, tum uero linamentis, & spongijs, & crustis, & medicamentis ijs quæ lentitia crassitieq; sua meatus obserant, (Greci ἐμπλαστικὰ uocant) ad hæc corporibus ijs quæ circumiacent, propius admotis. Quorum singula quemadmodum

dum perficientur, dictum iam est. At quæ de profundo sanguinis profluuia erumpunt, ea uinculo nec deligatura sanes, ueluti nec ignitis ferramentis, nec (ut semel dicā) ijs quæ diuisum ipsum corpus partemúe contingere machinamur: imò per reuulsionem, ac deriuationem ad uicina. præterea cibum potionemq; qui et emplasticam uim habeant & refrigerent, & medicamenta quæ adstringant. Habes uero uberem talium materiem in proprijs operibus. Quæ uero à partibus indicatio sumitur, ea cōmunibus quæ iam dictæ sunt curandi indicationibus, ueluti auctarium in singulis affectibus accedit. siquidem instrumentis aliquando utimur, pro partis ipsius proprietate, alijs ad uterum, alijs ad uesicam, alijs ad omnia intestina crassa. Quippe in hæc, per clysterem: in uterum, per ea quæ μητρεγχύτας Græci uocant, idoneorum aliquod medicamentorum immittimus. Sic & in uesicam per in directum foratas fistulas. Sanè rariora ex his profluuia sanguinis fiunt: sed tamen aliquando fiunt: & quanq; non profusione ipsa, periculosa, at certe ob diuturnitatem nō sine periculo. Siquidē quaternis diebus uidimus è uulua profluere sanguinem, nec potuisse ullo remedio sisti, quoad quarto die plantaginis succo utentibus nobis prorsus constiterit. Est porrò id medicamen & ad ea quæ ex erosione excitantur sanguinis profluuia utilissimū. cui etiam ualentius aliquod hoc casu medicamentum, aliàs aliud ei miscere soleo, utiq; ad totum respiciens affectum. id quod semper est faciendū, ac pro maximo documēto in omnibus habendum. Nam in his ipsis quæ ex uulua, uesica, et intestinis profluuia citant, ęstimari debebit ipsius profusionis quantitas: ut uidelicet hanc iam uel ut primam, uel ut secūdam indicationem curationis habeamus, nec tamen obiter totius affectus non habētes rationem. Nam si perruptum uas aliquod magnum est, aut uehementer reclusum hiat, utiq; adstringentibus medicinis est opus ueluti balaustio, & hypocystide, & rhoe, & omphacio, & acacia, & gallis immaturis, & malicorio. Sin uel exiguum uas est, quod perruptum est, uel modice reclusum, sic ut non multus sit qui in eo profluit sanguis, etiam aloe, & manna, & pini cortex, & lemniū sigillum, & spinæ Aegyptiæ fructus, & crocū, & lapis hæmatites, aliaq; id genus ex uino nigro austero utilia medicamenta sunt. Quòd si nec genus id uini præstò sit, nec plātago, nec solanum, (quippe hæc quoq; sunt idonea) coquemus in aqua & rubi germina, & cynosbati, id est canini rubi, & myrti, & lentisci, & hederæ, in summa omniū quibus astrictoria uis inest, siue radix sit, siue fructus, siue cortex, siue germē. ideoq; etiam astringentium malorū, maximeq; cotoneorum, itemq; myrtorum, & mespilorum decoctum idoneum ad proposita præsidium est.

6 At si ex erosione profluuium quoddam incidit, nō est id magna ex parte profusius: sed exiguū & paulatim effluens. eoq; Pasionis, uel Andronis, uel Polyīdę pastillis utendum est, aut etiam (ut dictum est) nostro, ex charta constante, qui genere eandem uim obtinet, cæterum magis potentē. Sistunt enim hæc erosionē. si tamē etiā toti corpori sit consultum, ut prius est dictū. Sin profusior hæmorrhagia sit, ijs quę uehemētissime adstringant, utendum medicamentis est, quoad uehemēs eius impetus frangatur. mox deinde admiscēdi illis pastilli sunt, postea ad ipsos solos ueniendū, cum aliquo ex ante dictis succis aut decoctis. At uero quæ extrinsecus profluenti particulæ admouentur, tum adstringentia, tum citra adstrictionem frigida, hæc ipse (ueluti plerisq; medicorum) non ubiq; probo: sed mihi cōtra omnino quàm fieri res postulat, ipsum sanguinem intrò cōpellere, ac uenas quæ in alto sunt, implere uidentur. Vidimus enim quosdam eorum qui ex pulmonibus sanguinem reijcerent, ex thorace refrigerando manifeste læsos: æque ut qui sanguinem uomuerūt, nonnullos, φ uenter foris esset refrigeratus. Eodē modo & eorū quibus ex naribus sanguis profluxit, aliqui ex capitis refrigeratione deterius habuerūt. Ergo nec omnino, nec sine discrimine, nec omni tempore, loca quæ circa particulam, unde sanguis profluit sunt posita, refrigeranda suaserim, imò posteaq; in alia prius auerteris: ut exēpli gratia, in naso, ubi sanguinis missione (ut diximus) sis usus, uel artuū frictione deuinctioneq;, uel ad pręcordia defixis cucurbitis. Quin ne sic quidē ad frontē et caput ilico refrigerantibus utendum, sed prius est ad contraria reuellendum, utiq; affixa in summa ceruice cucurbita. Quippe duplex est in sanguinis ex naribus ꝓfusione auersio: & quæ est ad totius corporis inferna: & quæ est ad capitis posteriora. propterea uidelicet quòd ipsę nares, & in superiore, & in anteriore parte sunt sitæ. Aduersatur aūt ei quod supra est, id quod infra: & ei quod post habetur, id quod ante. Verū de sanguinis profluuio uel hactenus dictum abunde sit. Patet nāq; & diapedesin quā uocant, refrigerantibus adstringentibusq; esse curandam: & si propter tenuitatē sanguinis aliquando incidat, crassiore uictu. Is uero cuiusmodi sit, dicetur in sequētibus. Dictumq; iam ad quendam modum est in libro qui De attenuante uictu est scriptus. Iam uero ad memoriam affectuum curationē est redeundum. Ergo quod uenę insedit ulcus, ubi ad manum est, eandem desiderat curationem ijs quæ in carne accidunt, de quibus, duobus ante hoc uoluminibus disputaui. Nam siue ex recenti uulnere factum est, id agendum est, ut medicamentis ijs quæ enæma uocant, coeat. siue ex erosione, quæcunq; dicta de rebellium ulcerum curatione sunt, ea prius ratione discernenda. mox ut opere perficiantur, tentanda. Quinetiam ubi uinculo uas sis cōplexus, aut medicamentis sanguinem supprimentibus, aut ferramentis ignitis usus, illudq; tibi curationis propositum restet, ut quę circa ulceris labra sunt, carne impleas, ijsdem omnino medicamentis utere, quę in methodo sinuosorū ulcerū nobis sunt præcepta.

7 De arteria autem uulnerata iam dictum est, nonnullis medicorū uideri nō posse fieri ut coeat. Atq; id asserunt aliqui quidem sola experientia se

contẽtos professi. alij uero etiam ratione usi eiusmodi. Siquidem duram esse ac cartilagineam aiũt alteram arteriæ tunicam. talium uero nihil posse in unum coire, cum sit mollium tantũ corporum in unum coeundi habilitas. ut tum in externis uidere licet, nullo nec lapide cum lapide, nec testa cum testa unquam coeunte. tum uero in nobis ipsis, quando nec cartilago cum cartilagine, nec os cum osse coalescat. Non enim fracta ossa per unitionem cohærent, sed per callum eum, quem πῶρον Græci uocant, ceu glutino iunguntur. Igit̃ nos quoq; ab experientia nostra primum incipiamus, in mediumq; proferamus ea, quæ ipsi uisu usurpauimus. Vidimus em̃ in mulieribus et pueris tũ cõglutinatas arterias, tum carne undiq; circũdatas, idq; in fronte, malleolo, & articulo brachij, summæq; manus medio. Simile quiddam aliquãdo & agresti contigit iuueni, dum sanguinem sibi mittendum ueris tempore curaret, quod nostratibus maxime est in usu. Cum enim medicus qui uenam incisurus erat, brachium hominis deligasset, contigit attolli uelut in gibbum arteriam. itaq; hãc pro uena medicus diuisit. Exigua sanè incisio erat. sanguis autem flauus & tenuis & feruidus statim eiaculabatur, idq; cum quodam ueluti saltu. Ac medicus quidem, ut erat admodum iuuenis, et operum artis parum peritus, uenã se incidisse putabat. Ego uero cum quodam alio ex ijs qui aderãt medicis, utiq; seniore, ubi quod accidit aduerti, præparato ex emplastrorum genere quod sanguinem supprimit medicamento, tum incisionem curiose cõiunxi, tum super medicamen ilico imposui, ac spongiam mollissimã extrinsecus super hoc deligaui. Mirante uero qui arteriam inciderat, insolitam nostram in hoc casu prouidentiam, indicauimus homini rem factam, sed posteaquam incisi hominis diuersorium exijssemus, iussimusq; ne, uel solueret nobis absentibus, uel ante quartum diem id aggrederetur: sed ut erat deligatũ haberet, spõgiam duntaxat desuper madefaciẽs. Postea uero quàm in quarto soluentes planè conglutinatam incisuram inuenimus, rursus idem medicamen imponere iussimus, tum simili modo deligare, nec multis postea diebus soluere. Atq; ita percurata est huius hominis incisa arteria, sola omnium quas in cubito incisas uidi. Nam reliquis omnibus aneurysma, alijs maius, alijs minus superuenit. Ac quẽadmodum quidẽ aneurysmata curare conueniat, in progressu dicetur suo loco, utiq; cum reliquorum omnium præter naturam tumorum curatio tradetur. Nunc cœptam disputationem absoluamus. Siquidem arteriæ natura difficultatẽ quidẽ durioris tunicæ suæ conglutinandæ prorsus indicat, non tamen eiusmodi quæ euinci omnino nequeat. Neq; enim ita est sicca duraq;, ut os uel chartilago: imò longe his mollior, ac magis carnosa. Quo utiq; minus de unienda sectione eius est desperãdum, ubi tum ipsa sit parua, tũ hominis corpus natura molle. Videtur autem experientia quoq; ipsa rationi subscribere, cum & in pueris & in mulieribus propter corporum humiditatem et mollitiem, eam ui-

A derim glutinari, & in uno iuuene, cui (ut dictum est) exigue erat incisa. Cum uero sanatu difficilior sit arteria quàm uena, non tamen est medicamentorum admodum diuersus in utraq; usus, imò specie planè idem maioris minorisq; ratione euarias. Quippe tanto siccioribus medicamentis eget arteria quàm uena, quãto ipsa est suapte natura siccioris temperamenti quàm uena. Quòd si carnem circa gigni est opus, eadẽ ambæ requirunt. Siquidem ad eundem modum prouenit carnis generatio in his circũdandis, quo in cauis ulceribus prouenire est traditũ. At quæ in utero, uesica, uel intestinis uenæ arteriæq; sunt, cum eadem genere medicamenta ubi exulceratæ sunt, requirant, etiã instrumenta quibus infundantur, metrenchytas, id B est uterinos clysteres, & syphonem rectum, & clysterem desiderant. Ad ea uero quæ in recto intestino sunt ulcera, etiam per uesicam, cui sit fistula recta ad finem annexa, inijcere liquatũ medicamen tepidum licet. Variabitur itaq; remediorum consistentia pro instrumẽtorum specie. neq; enim fas est eiusmodi instrumentis crassa medicamenta infundere: sed liquidiora postulant, atq; idcirco mediocriter plerũq; calida. Proinde sicca medicamẽta, magis sunt idonea, quàm ea quæ liquabilia uocantur, quoniam facile uel plãtaginis, uel alterius eius generis succo, misceantur. Eiusmodi medicamenta sunt & crocum, & pompholyx, & aloe, & quæ κεφαλικὰ Græce dicuntur. in ipso autem primo producẽdæ carnis tempore quod suppressionem C sanguinis continenter excipit, etiam lemnia terra salutare auxilium est.

8 At quæ in pulmone hæserunt ulcera, difficiliora ad curandum sunt. Quibusdam uero nõ difficilis modo eorum curatio, uerumetiam quæ perfici omnino nequeat, uidetur: idq; tum ratione coniectantibus, tum experientia. Ratione, quoniam pulmo inter uiscera propter anhelitum perpetuo sit in motu: cum utiq; quietẽ requirant ea quæ sint sananda. Experiẽtia, quòd neminem unquam eorum qui ita sunt affecti, sanatum uiderint. Atq; de experientia quidẽ (nam hinc cœpisse par est) dubitare fortasse licet, propter agnitionẽ. Nos enim uidimus alium ex eo quòd maxime uocem in clamore intendisset, alium quòd ab alto cecidisset, a- D lium in palæstra percussum, non solum statim grauissime tussiuisse, sed etiam simul cum tussi alios unam duasúe, alios plures heminas sanguinis spuisse. Qui uero ita erant affecti, aliqui omnino sine dolore erant, alij in pectore dolebant. Quinetiam sanguis ijs qui doluerant, nec confertim reiectus est, nec multus, minusq; tum ruber tum calẽs, ceu è longinquo ueniens. At quibus citra dolorem est reiectus, ijs & confertim, & plurimus, tum ruber feruensq; expuebatur, clare docens quòd nõ procul ueniret. Porrò aliam dubitationem facit, nec hanc leuem, ipsa sanguinis ex thorace in asperam arteriam transsumptio, propositã uidelicet à medicis, ijs qui transmitti eum per membranã quę pulmonem inuoluit, posse nõ putarunt. Forteq; (nisi multis eorum qui ita sunt affecti, tum statim ortus dolor

dolor, tum uero quibusdam eorum phlegmone superueniens quæ postea suppurauit, manifestũ indiciũ præbuissent in pectore cõsistentis affectus) pronunciassent sanguinem ex pectore per fauces nunquam reijci. Nunc uero his indicijs confusi, à pectore quidem uenire cõcedunt. Cæterum dum aliam uiam quàm per pulmonis membranulam inquirunt, multa eaq; absurda proferre coguntur. quamuis in ijs quos ἐμπύους Græce uocant, ipsum pus quod medio spatio inter pectus & pulmonẽ contineri ipsi fatentur, uideant (arbitror) apertissime ex pulmone expui. Nos uero in ijs quibus erat in pectore tantus abscessus, ut etiam ossium aliquid carie corrumperetur, manifeste ipsis ostendimus mulsam quæ iniecta in pectus fuerat, ex pulmone expui. Sanè nouimus in urbe Roma, loco profecto fluxionibus maxime obnoxio, eiusmodi affectus in pectore non raro constitisse: ut necesse fuerit ipsum os quod affectum fuerat, excidere. In plurimis uero etiam membrana quæ costis intra subtenditur, unà cum corrupta costa inuenitur putrefacta. Solemus ergo in curatione, mulsa per ulcus infusa, iubere aliquando quidem ut inclinati in laborantem partem tussiant. sępe uero molliter cõcutere. interim etiam organo quod pus extrahit (πυουλκὸν Græci uocant) educere quod intus ex mulsa reliquum est. Hoc facto, ubi tum pus uniuersum, tum etiam saniem ulceris eluisse confidimus, mox medicamenta inijcimus. Ergo in eiusmodi affectibus si quem in medio pectoris ac pulmonis spatio humorem reliqueris, statim hunc tussi eiectum contemplabere. Mirandi profecto sunt ij, qui de uia per pulmonem hæsitent, quo pacto non magis hæsitent, quemadmodum crassus sanguis in fracti ossis callo effundatur. Nam & ipse qui effunditur, non paulo naturali est crassior, & cutis substantia longe utique crassior pulmonis inuolucro est. Quod igitur diximus, cum uel casu, uel præualida acutaq; uoce, uas aliquod in pulmone rumpitur, citraq; dolorem confertim sanguis feruens floridus multusq; cũ tussi expuitur, scire licet in uiscere uulnus esse. Aggredienda uero curatio est, prout nos sæpe sumus aggressi. quibus utiq; non raro successit. Igitũ laboranti ipsi iniungendum est, ut nec magno utatur respiratu, ac semper agat silentiũ. præterea uena cubiti interna protinus incidenda. à qua bis terq; postea sanguis est detrahendus, utiq; eius auertendi causa. tum artus omnes fricandi uinciendiq;, ita uti ipsi solemus. ubi hæc sunt facta, primũ posca tum diluta tum tepida potui est offerenda. quò si quis in uiscere thrombus, id est cruor concretus latitet, resolutus expuatur. atq; hoc nihil uetat bis terue ternis horis facere. Ab ijs uero etiam aliquod eorum quæ tum emplasticam uim habẽt, tum adstringunt, medicamentum exhibendum. idq; aut ex posca diluta primum, aut ex malorum myrtorumúe, uel alicuius eiusmodi adstringentiũ decocto. Rursusq; uesperi medicamen hoc similiter dandum, circumciso, si ualentior sit, omni nutrimento. sin aliter, sorbitionis quod satis est, exhi-

A bẽdum. Maxime uero ad rem pertinebit, si etiam postero die, modo fortis cubans sit, parum sanguinis ab incisa iam uena rursum detrahatur. tum uictu medicamentisq; eodem modo in quartum usque diem utatur. pectore interim, si æstas sit, undiq; melino rosaceoúe madefacto: sin hyems, nardino unguẽto. Quòd si emplastico aliquo uti medicamento placet, habes à nobis optimum, quo etiam ad reliqua uulnera cum fiducia utare. constat id ex bitumine et aceto, alijsq; quę illis misceri medicamentis solent, quæ enæma barbara à medicis dicũtur. Quòd si mulieri mederis pueroúe aut deniq; corpori, quod mollis sit carnis, quod ex chalcitide fit, satis habile medicamentum fuerit, cuius uires in primo libro eorum quæ De medicamen-

B torum compositione inscripsi, explicauimus. Hac nos ratione multos ad quos statim ut malum senserũt, accessimus, percurauimus. Quippe hoc maximum est, cuiq; te attentum esse magnopere oportet, an uidelicet statim à ruptura uasis facta curationem incipias, quò cruentum adhuc uulnus priusquam phlegmonem excitet, glutines. Nam si ea semel inuaserit, exigua spes est eius postea glutinandi, in longius tamen trahere potest tempus. Quòd uero eiusmodi ulcera uel difficulter, uel planè nunquã curari possint: hoc in causa est, quòd phlegmone soluta, eluenda pus ulceris & sanies sunt. Atq; ex utero quidem & uesica tum sua sponte excernuntur, quoniã uidelicet pronis delabi licet, tum elui pręterea à nobis possunt. In pul-

C mone neutrum omnino fieri potest. Quare omnibus quæ huic loco hærent ulceribus, una reliqua expurgatio est, ea quæ per tusses fit. At si rectè his tum reliquam omnem quietem suasimus, tum uero ut sensim respirarent, nec quicquam loquerentur, ut uulnus glutinaretur, iniunximus: quæ potest tussientibus esse sanationis spes? Non igitur propterea quòd in perpetuo propter respirationẽ motu uiscus id est, desperata curatio est, uelut qui ante nos fuere senserunt, sed propter saniei & puris uacuationẽ. ideoq; si statim quis sit aggressus, ac iam dicta ratione medeatur, coeunt. sin phlegmone prius occuparit, difficilem incertamq; curationem recipiunt: quãdo pus & sanies prorsus totaq; ex spatijs pulmonis non expelluntur, & tus-

D sis ægras partes ualde lacerat. At quæ ex pectore educuntur, triplex cõpendium præ ijs quæ ex pulmone uacuantur, habent. Nam & uasa ipsa multo sunt minora, & sanies in spatium interius effluit. et in summa magis carnosum pectus est quàm pulmo. Nam asperæ arteriæ substantia, quæ admodũ carnis expers siccaq; est, nulla alia animalis in parte inuenitur. quæ etiam ipsa in eiusmodi reiectionibus rumpi solet, cum si qua reliqua uena uel arteria sit rupta, ipsis asperis illæsis manentibus, per solas osculorum (ut sic dicã) coapertiones translatio sanguinis fit. Itaq; nec calidus in talibus, nec ruber, nec multus sanguis emittitur. Ac uidentur quidem prima saltẽ fronte leuiores eiusmodi affectus, ut qui copia uacuationis minime terreant. sunt uero uel ob hoc ipsum grauiores. Quippe cõ-

cretus circa ruptum uas cruor, cui facilis transitus in asperas arterias non est, glutinationē prohibet.

9 Simili modo & transuersi septi uulnera, quæ foras nō perueniunt, in carnosis quidem partibus subinde coalescere sunt uisa, eius motu nō obstante. Quæ in neruosis eius hærent, insanabilia sunt. Sanè difficilis grauisq; curatio est etiam eorū quę in carnosis sunt partibus, si has iam phlegmone occupauit, Idq; non ipsi modo diaphragmati, uerum etiā omnibus quæ intra peritonæon sunt contenta, quòd in ea scilicet sanies defluat. Cæterum danda opera est, ut ea quacunq; ratione siccemus, tum per ea pręsidia quę extrinsecus imponuntur, tum per ea quæ ex aqua uinoúe tenui bibunt. Porrò horum maxime idonea sunt, & quæ propterea quòd ex seminibus fiunt, διὰ σπερμάτων Græce dicuntur, & quod solenne nobis est, quoq; in pectore perforato semper utimur, quod ex casia componitur. Cæterū tum hæc, tum irrigationes quædam foris applicanda, quæ eiusmodi uulneribus sunt accōmodata, ad tractationē De medicamētis pertinent. Hic methodos tantum tradimus, quæ præsidiorū indicent genus. Quare si quando quędam à nobis particulatim pro exemplis adhibeantur, hæc addita claritatis causa fuisse existimandum.

10 Rursus igitur propositas methodos repetamus, monstremusq; quantum generalis omnium ulcerum curatio per singulas animalis partes speciatim immutetur. Hinc nāq; discemus præcipue quidem id quod in toto opere est propositū. nempe minime in curationibus errare, uelut appendicem uero, etiam eorum qui se Methodicos uocarunt, audaciam. Qui (si quid mihi, qui nec ad gratiam quicquā, nec ad odium loqui soleam, est credendum) cum omnium ipsi medicorum maxime à methodo sunt alieni, damnant (quatenus saltem scribunt) non solum reliquos ueteres, sed etiā ipsum omnis nobis methodi autorem Hippocratē. Ac Empiricus quidem omnia quæ nos per indicationes inueniri ostendimus, ea dicit per experientiam sibi cognita. Cum uero præter indicationem & experientiam nullum inuentionis organū tertium præterea sit, isti neutro utentes, tamen appellandos se Methodicos censent. Ergo sequantur nos, & nunc saltem ostendant ulceribus omnibus per singula membra curandis unam esse sanationis rationē. Audiamus homines quo pacto ulcus curent, aut quales indicationes ab eo sumāt. Num alias ullas, quàm quòd planum cicatrice sit inducendum, sinuosum carne implendum, cruentum glutinandum? At quo pacto inueniam quod cicatricē inducat, & quod carne impleat, & quod coalescere faciat? Ne labora, inquiunt, sunt enim inuenta. Atqui haud scio an recte, aut an omnia. Fieri enim potest, ut uel ex deteriorum nota quędam inuenta sint, potiora inuenta non sint: uel ut quæ inuenta sint, melioraq; esse uideantur, etiam ipsa sint mala. Indeq; adeo accidere, ut quædam ulcera prorsus non sanentur, quædam longiore spatio, & cum dolore, & famis cruciatu minime necessario. Neq; enim audet quisquam nouam aggredi expe-

A rientiam, priusquam sibi persuaserit priorē curandi rationem recte se damnasse: ueluti in ijs ulceribus quæ in pulmone consistunt, quæ ne agnouisse quidem omnino fas est citra dissectionū actionumq; notitiam, quorum nimirum utrūq; auersantur. Cæterum concedatur ad præsens cognosci ab istis Thessali sectatorib. ulcus, quod pulmoni insederit. Nunquid igit. sicuti hoc illis concessimus, sic etiam & quod sordidum sit intelligant, an purū, an æquale, an sinuosum, an saniei, uel puris plenum, concedemus, uidelicet uel ex diuino afflatu, uel per insomniū ea uidentes? An hęc quoq; quomodo agnoscant percontabimur? An uero citra horum agnitiones, pharmacum quoduis exhibere concedemus? Ego nanq; existimo primum expurgandam esse immundorū ulcerū sordem. implenda uero carne esse quæ pura & sinuosa sint. rursus pus saniemq; expurganda quibus hæc circum hæreant, mox ita cicatricem inducēdam. Isti uero haud scio quonam modo talia ulcera sanauerint. nam Thessalus de his prorsus non scripsit, ne uidelicet uel ignorantiam suam, uel incōstantiam proderet. Quippe uel rationi parum consona, & falsa de his dicent: uel si quis uera dixerit, eorū indicationē ex membri substantia, præterea situ formaq; accipiat necesse esse. Nam esto ulcus in pulmone sordidum purumq;, & cum phlegmone, & sine phlegmone, & sinuosum, & planum dignoscere norint. etiā illud scire eos detur, quanquam ne eius quidem, tametsi minimi, inuentionem sibi

C uindicent, nempe quòd tale ulcus uiridi medicamento expurgetur, Machærionis (si libet) uel Isidis. nihil enim refert. Respondeant igitur mihi, si ulcus in uiscere hæserit, quid facient? Num uiridis medicamenti aliquid deuorandum dabunt? Omnino ridicula res est. Sed dicant, undenam medicamen id in pulmonem deferēdum sciunt? Quòd si id quoq; sciant, illud certe intelligere non poterunt, an ipsam uim suam quam in extrinsecus positis ulceribus habuit, seruabit. At esto sciant hæc quoq;, quòd & eandem tuebitur uim quam in externis ulceribus obtinuit, & quòd sordes deterget: certe an tussim mouerit, intelligere non poterunt. cum tamē nisi per tussim sordes expurgetur, nullus sit detergentis medicamenti usus. Ergo id

D quoq; istis detur. at illud saltem effugere non possunt, quin diuersam curationem in ulcere femoris & ulcere pulmonis adhibeant. Siquidem alterum aqua perluunt, alterum tussibus expurgant. Pone uero rursus ulcus qđ in pulmone sedit, crasso esse pure circumdatū. Nunquid tum quoq; uiride medicamen exhibebunt, an mel potius lingere iubebunt? At id dicant, undenam inuenerint. Non enim profecto id respondebunt, quoniam tenuandi incidēdiq; uim quandam obtinet: cum ipsi à facultatibus eiusmodi disquirēdis ultro diffugiant. Sed nec quòd Empiricis in eiusmodi notarū concursu inuentum est mel prodesse, propterea istis, sicuti illis, eo uti fas est. Primum, quòd experientiam contemnunt. deinde quòd Empiricus in eiusmodi concursu, quæ nam sit in pulmone affectio

ctio, ignorare se fatetur. cęterum, quæ conducant, se per experientiam obseruasse. At Thessalo non satis est curare quod omnino non norit, sed ab affectuum indicatione procedit. Sane si omnia illi scire donemus, sicuti prius, non minus quàm nos: at nunquã profecto effugiet, quin in diuersis corporis partibus curationis species mutetur. Non enim eadẽ curationis species profecto est, aut mulsam in uterum propter sordidum ulcus infundere, aut mel comedendum exhibere, aut spõgia ulcus detergere. Cæterum, hæc adhuc parua: illa planè maxima sunt. Fingamus diutinum ulcus citra phlegmonem in multis esse partibus, oculo, aure, naso, ore, femore, uentre, utero, sede, pudẽdis. Fingamus & illud, si placet, ulcus eiusmodi uel planũ omnino esse, uel exiguo minus planum. Respondeantq; nobis isti sectatores Thessali, qui hęc nusquam discreuit, quomodo id cicatrice tegemus. Nempe eo medicamine quod ex cadmia conficitur. Id enim ulceri quod in femore constitit, belle cicatricem inducere potest. Sed num igitur & ei quod in audiendi meatu constitit? Dicam fortassis incredibile, cæterum dijs ipsis notum. Deprehendi aliquando quendam ex sapientissimis istis Thessali sectatoribus sic ulcus medicantem diuturnũ, cum citius homini auris putruisset, ac uermes creasset, quàm medicamẽto quod ex cadmia componitur, inductum cicatrice fuisset: cæterum, permisso homine pluribus diebus medicamento similiter uti, postea quàm in dies grauius auris oleret, & sanie impleretur, etiam incredibilius quiddam q̃ prius, ausum uidimus. quippe ratus meatum ipsum in profundo contraxisse phlegmonẽ, confugit ad tetrapharmacum, quod plane multo magis augere putredinem partis debuit. utpote quod siccare ulcus prorsus non potest, maturare phlegmonem potest. Ergo ubi hoc medicamento ad affectũ sanandum uno die est usus, ut facile uideres id maxime esse contrarium, & multiplicata statim saniei uis est, & fœtor intolerabilis obortus. Itaq; qui propinqui laborantis erant, contingere amplius aurem Thessalium non sinebant. Ille uero præ impudentia stultitiaq; uolebat non modo medicamenti tetrapharmaci aliquid inijcere, uerumetiam extrinsecus cataplasma relaxans imponere. At cum eum propinqui hominis abigerent, timerentq; ne in magno periculo æger foret, nos unum diem amplius permitti Thessalio asino curationem exorauimus. Erat autem profecto postridie tum sanies multo copiosior futura, tum odor grauissimus. quo die tentaui an fieri posset, ut sententiam Thessalij aselli mutarẽ, ne omnes perderet ægros, imò aliquos iam, tametsi paucos, seruare aliquando posset, tam aliena scilicet ab omni uera methodo deserta secta. Ergo sic agere cũ homine sum orsus. Nunquid (inquam) phlegmone tibi esse uidetur in intimo meatu, proinde relaxantibus uteris auxilijs? Ille tum ita esse magnopere contendit, tum aliter esse non posse. An igitur (inquam) aliquando ulcus quod cum phlegmone cõiunctum esset, aceto acerrimo cum glaucio cu-

A ratum uidisti? Minime gentium (inquit) imò si quis pastillis andronijs ex aceto liquatis utatur, etiam conuulsionẽ fortasse accersat. Ergo (inquã) si quis alio quopiam medicamẽto, quod sit andronijs multo ualẽtius, ex acerrimo aceto utetur, idq; ad aurem ita propinquam cerebro inuolucrisq; eius particulam, nunquid planè te autore cõuulsionem accerset, si phlegmone præsertim aliqua subsit? Hæc tum ipsi, tum ijs qui adstabant uniuersis recte dici sunt uisa. Ergo quantum (inquam) ad ipsarum partium habitũ spectat, quæ ea quæ ad summum siccent, desiderant, tametsi nunc curatione tua sint ueluti effœminatæ, iam tali medicamento uterer. Nunc quoniam plures iam dies male ipsas assuefecisti, transferre eas ad contrarium uno impetu, & semel non licet. Nam tibi ac Thessalo contemnere consuetudinem licet, non minus quàm
B partium naturam: nobis autem non licet: sed primo die aceto utar cum glaucio: secundo utar andronio: tertio ad ualẽtius aliquod quàm ipsum sit andronium, transibo. Atq; hoc tribus quatuorúe diebus usus, si mihi uehementius etiã medicamentum requirere ulcus uidebitur, eo etiam uti nõ dubitabo. Extrinsecus uero (inquam) imponam capiti ea parte qua auris infestatur, nõ me Hercules sicuti tu, cataplasma quod relaxare potest, sed eorum medicamentorum aliquod quę uehementissime siccare possunt. cuiusmodi est quod ex salice conficitur: aut etiam ipsum andronium ex aceto illiniam: aut ex ijs aliquid quæ hoc magis siccent.
C Nam quoniam particula cui medemur siccissima est, necesse est ualentissime siccetur. Indicat enim ueluti uitium ipsum, ut curetur, sibi applicandum esse contrarium: sic particula ipsa quod sit sibi simillimum. Itaq; & prout dixi, egi: sanauiq; hominem, nullo potẽtiore requisito remedio. Quibusdam uero qui potentiora desiderabant, quibus uno alteroúe anno ulcus aurem infestauerat, ualentius omnibus iam dictis medicamentum adhibuimus. Id fuit ferri scoria tusa, cribrataq; tenuissimo cribro, mox in tenuissimum ueluti pollinem leuigata, post cum acerrimo aceto ad mellis sordiũq; crassitudinem cocta. Cõstat autem multiplex esse debere in mistione acetum. Verũ (quod sæpe iam dixi) materiæ medicamentorum copiam ex alijs
D cõmentarijs petes. Nunc quæ ad methodum spectant, absoluantur. Nam audiendi locus quoniam est siccissimus, idcirco medicamentis eget, quę uehementissime siccent. Quorum nullum reliquarũ partium cuiuis applicasse expedit, sed oculo exulcerato collyrium fortasse quod ex thure conficit. naribus uero quod multo sanè magis siccet, quàm ut oculis cõueniat, minus uero quàm ut auri quadret. Itaq; & prius comprehensi omnes pastilli utiles sunt, & medicamen quod ad Musam refertur, aliaq; generis eiusdem. Vlcerum uero quæ in ore accidũt, quæcũq; admodum sunt humida, ea medicamẽtis egent, quæ uehemẽter siccent, ueluti diphrige, tum ipso per se, tum ex melle, & uino, & mulso. præterea ea quæ iris dicitur, & quæ anthera, hisq; uel siccis, uel ex melle, uel mulso, uel ui-

no. Vtile uero ad talia est & Musæ medicamē. præterea rhois succus, & omphacium, aliaq́ quæcunq́ strenue siccant. Quid enim materias percensendo morer? At quæ simpliciora oris ulcera sunt, hæc sanare commode possunt, etiam medicamenta quæ modice siccāt, ueluti hæc ipsa quæ propterea ꝙ in assiduo sunt usu, στοματικὰ Græce sunt dicta. Ea sunt quod ex moris cōficitur, & quod ex rubi fructu, & quod ex succo corticis iuglandium uiridis, atq́ etiā his magis qđ ex musto, & cupressi sphærulis componitur. Quæ uero in ore admodum humida ulcera sunt proxime ossa, unde carie tentari ossa periclitentur, hæc propter ossium naturā quę sicca est, uehementissimis medicamentis indigēt. Itaq́ ego iam cōprehensos pastillos semper leuigo, ac siccū ipsum medicamentum superimpono.

B 11 Porrò dicta paulo ante sunt, & ad uesicā, & uterum, & intestina, & pulmonem, idonea medicamentorum genera, quibus sit in singulis utendum. genere quidem medicamenti ab ipsa curandarum partium substantiá desumpto, sed cum affectu prius etiam æstimato: modo uero utendi eius, tum à forma, tum etiam situ. Hinc nanq́ excogitati sunt, & oricularij clysteres, quos ὠτεγχύτας uocant: & uteri clysteres, quos μητρεγχύτας: & recti syphones, quibus in uesicam aliquid infunditur, quos καθετῆρας dicunt: & ipsi clysteres. Hinc rursus quæ in uentriculo, pectore, & pulmone, ulcera consistunt, per ea quæ eduntur, ac bibūtur, esse curanda. Quæ uero in intestinis, bifariā. Nam quę uicina uentriculo sunt, his per comesta, & bibita succurritur. quæ uero inferius sunt sita, per ea quæ inijciuntur. quando neq́ ad ea quæ uicina uentriculo sunt, subire potest quod per sedem infundit, nec integris uiribus ad inferiora pertingere quod per os sit ingestum. Ideoq́ etiam quę ulcera in thorace, & pulmone cōsistunt, tum difficilius ijs quæ sunt in uentriculo sanantur, ut quorum situs longius absit, atq́ idcirco medicamentorū uis remittatur: tum propter hoc ipsum multo ualentiora ea quæ deuorentur præsidia requirunt, quàm si ipsis statim ulceribus admouerentur. Indeq́ adeo excogitata medicis sunt, ubi expurgādum ex pectore, & pulmone pus est, fortissima, quęq́ maxime dissecent pharmaca, taliaq́ omnino quæ si ulcus in uentriculo esset, ipsum exacerbarent. Quinetiā ꝙ hęc per tusses expurgentur, non aliunde quàm ex forma particularum est desumptū, ꝙ hę nullum talem exitū habeant, qualē uterus, uesica, sedes, auris, nasus, & os. Hinc etiā fit ꝙ uentriculus utrinq́ expurgari possit, sursum per uomitū, deorsum secundū naturā. Quippe hoc genus indicationū ab instrumentalibus quatenus instrumētalia sunt, est sumptū. sicuti quæ siccandū esse docent, ab ipsarū similariū substātia sumūtur. Ab ipsis uero morbis rursus tales, ueluti ab ulceribus (quoniā de his disputatio erat) & ꝙ siccanda sint, ut supra est comprehēsum. & ꝙ qui è uētriculo eluere pus uolunt, non sine periculo uomitū mouēt, sicuti si aliter infixā illi pituitā per oxymeli ac radiculam detergerent, sed tutius deiectione utuntur, cum uomenti

A periculū sit, ne & quod exulceratū est, dilaceret, & succū quempiā inutilē ex uicinis attrahat. Quo nomine (ut dixi) & ulcera quę pulmoni insident, difficillima sanatu sunt: ut quæ nec citra tussim expurgare possis: & si tussim excites, laceraueris. Itaq́ quasi per mutuas operas, malū ijs in orbē redit. quippe cum quę lacerata sunt, rursus phlegmonem excitent: secundo rursus phlegmonen ipsam maturari, & pus expurgari desiderāt. Quare ex omnibus sanandi difficultas his exorit̄. & ꝙ ea quę idonea ulceribus medicamenta sunt, contingere ulcus, sicut in uentriculo, nō possunt. & ꝙ per medium interuallum ferè uim suā amittunt. & pręterea ꝙ respirādo pulmo semper mouetur, & tussiendo lacerat̄. Itaq́ cum in pulmone ruptū uas est, scire aperte licet, nisi protinus anteꝗ phlegmone excitetur glutinatū sit, id postea insanabile fore.

12 Cæterū, ulcera quæ in asperę arteriæ interiore sunt tunica, & potissimū quæ summæ eius parti quam λάρυγγα uocant, sunt uicina, aut etiam in ipsa, hæc & curationem recipiunt, & nos nō paucos eorū qui ita sunt afflicti, sanauimus. Sanè curationem eorum hinc maxime inuenimus. In grauis huius pestilentiæ initio (quæ utinam aliquando cesset) iuueni cuidam, cum nouem iam dies ęgrotasset, totum corpus ulceribus scatebat, ueluti omnibus ferè qui euaserant. Eo die etiam tussiebat paululum. Postridie uero ubi se lauerat, ilico & uehementius tussiuit, & tussi expulit crustulam, quam Græce ἐφελκίδα uocant. Erat q́ homini sensus manifestus ulceris in aspera quæ in collo est arteria,
C prope iugulum nati. Quin aperto quoq́ hominis ore, fauces eius inspeximus, nunquid in ijs alicubi ulcus esset, sed nec sic inspectantibus apparuit uitium, & planè laboranti sensus eius aliquis manifestus ex comestorum bibitorumq́ trāsitu fuisset, si illic ulcus fuisset. Quinetiam ex aceto, & sinapi, certioris notitiæ causa, quædā ei deuoranda dedimus: sed nec horū quicꝗ eum momordit, & sensus doloris manifeste in collo erat. Quo loco etiā adeo irritabatur, ut tussire impelleretur. Suasimus itaq́ reniti quātū posset, nec tussire. Quod et fecit, eo certe facilius, ꝙ exiguū erat quod proritabat. et nos omnib. modis operā dedimus, ut ulcus ad cicatricem perueniret, foris medicamentū aliquod
D quod siccaret imponētes: tum cubanti supino humidum aliquod ex ijs medicamentis quæ ad eiusmodi ulcus facerent, exhibentes: ac iubentes id in ore continere, paulatimq́ permittere in asperā arteriā defluere. Sic igitur faciens, sentire se manifeste aiebat adstringentis medicamenti circa ulcus uim: siue ea uis huc per distributionē transmissa est, siue medicamē ipsum roris specie in arteriā ad ulcus defluxit, & tanꝗ percolatū est. Erat aūt nec æger ipse medicinę imperitus, sed ex ijs quidā qui ex usu, & exercitatione empirice medicabant̄. Ergo sentire se aiebat, tū medicamentū in arteriā defluere, tum tussim quoq́ aliquando mouere. Obluctabat̄ tamē plurimū, ac tussim cohibuit. Igitur ipse quoq́ sua sponte Romæ quidē ubi correptus fuerat, triduum etiamnum post nonū diem est moratus

ratus. post hoc conscenso nauigio, primum per flu
men ad mare nauigauit. quarto die post naui per-
uenit ad Tabias, ususq; est lacte, quod & mirificā
plane uim habet, nec sine causa prædicatur. De cu
ius usu aliquid dicere oblatum nunc tempus uide
tur: nec de eo tantum quod apud Tabias habetur,
uerumetiā alio omni. Neq; enim ijs modo qui Ita-
liam incolunt, est succurrēdum: sed quoad fieri po
test, qui ubiuis habitant gentiū. Igitur ad lac quod
in Tabijs habetur, cōmendandum multa concur-
runt, & locus ipse satis editus, & aer illi circunda-
tus siccus, & pascuū pecoribus salubre. Atq; hoc
quidem alibi quoq; arte præparare licebit, si quis
in colle modice edito herbas fruticesq; serat, qui
salubre simul adstringensq; lac reddant, quorum
exempla paulo post dicentur. Cæterum, ut ambi-
entem aera similem reddas, fieri omnino nequit.
Eligere tamen simillimum ex ea quę datur aerum
copia licet. Simillimus autem is fuerit, cui eadem
adsunt quę illi. Altitudo collis mediocris, uia à ma
ri ad ipsum xxx. stadia, ampliusq; aliquid, sed non
multo. Locus autem ipse uersus mare. Nempe Ta
biæ in imo maxime sinu est, qui inter Surrentum,
& Neapolim conspicitur: magis tamen in latere
quod ad Surrentū pertinet. Porrò totum id latus
collis est satis magnus, lōgitudine ad Tyrrhenum
mare porrectus. Inflectitur autē leuiter collis hic
ad occasum: nec in meridiem in totum plane pro-
currit. Ergo hic collis à uentis ijs qui ab ortu flant,
Euro, Subsolano, & Borea, tutum defendit sinū.
Cōiungitur illi in imo sinu alter collis nō paruus,
quem & ueteres Romani in historijs, & qui nunc
diligentiores sunt, Vesuuium nominant. Celebre
nunc nouumq; nomen Vesbium est, omnibus ho
minibus notum, propter ignem qui in eo ex terra
summittitur. Quæ res non parum mihi ad ambien
tis aeris siccitatem conducere uidetur. & alioqui
præter ipsum ignem, nec stagnum propinquum,
nec palus, nec fluuius alicuius momenti usquam
in sinu habet. Omnibus uero uentis qui ab Arcto
ad æstiuum occasum perflāt, Vesuuius collis obij
citur, multusq; cinis ab eo ad mare usq; peruenit,
reliquiæ uidelicet materiæ, tum quæ in eo combu
sta est, tum quæ nunc etiam uritur. Omnia hæc ae
rem efficiūt siccum. Licet porrò & alibi terrarum
eligere collem simili modo siccū, scilicet nec lon-
ge à mari, nec adeo magnū, ut uentorū impetui sit
expositus: nec adeo humilē, ut subiectorum cam-
porum halitum prompte recipiat. Caueatur autē
ne ad Septentrionem sit uersus, ita enim esset auer
sus à sole. Quòd si etiam in temperato orbis loco
collis sit, ueluti is qui ad Tabias cōspicitur, longe
magis ad rem pertineat. Hoc in colle sunto herbæ
quidē agrostis, & lotus, & polygonon, & meliso-
phyllon. Frutices uero lentiscus, & arbutus, & ru-
bus, & hedera, & cytisus, alijq; his similes. Atq; ita
tibi collis præparetur. Pecora uero quę in colle ad
Tabias pascuntur, boues sunt. Estq; eius animalis
lac spissum, ita ut asinorum tenue. Ego uero ne q̄d
lactis genus usui desit, ex uaccis crassum, ex asinis
tenue, ex capris medium: & boues, & asinos, & ca

A pras in pascua depulerim. Veteres uero etiam mu
lierem lactantem ijs qui phthoe consumerentur,
adstare uoluerunt. Quorum sententiæ ipse quoq;
accedo, & quòd familiare id sit, & quòd priusquā
ab ambiēte refrigeretur, id sumi uoluerint. Porrò
hoc tibi de lactis usu pro maximo præcepto sit, ut
ij quibus eo est opus, omnino id astante animali
statim mulctum bibant: etiam melle iniecto, si cui
cogi in uentriculo solet: quòd si ipsum descende-
re ad aluum citius cupis, etiā sale. Atq; ille quidem
adolescens cum ulcus in arteria ex pestilenti mor
bo haberet, sanatus est: ac post eum similiter alij.
Alter uero adolescēs annos natus circiter decem
& octo, cum multis diebus ex destillatione labo-
rasset, primum quidē sanguinē floridum cum tussi
B expuit, non sane multū: postea uero etiam tunicæ
ipsius partem quæ tegens intrinsecus arteriam, in
fauces & os per ipsum arteriæ caput (larynga uo-
cant) ascēdit. Videbatur autem mihi tum ex cras-
situdine eius coniectanti, tum ægri sensu, ipsius la
ryngis esse interna tunica. Quinetiā læsa illi ex eo
uox est. Atq; hic quoq; longiore quidem tempo-
re, sed tamen sanatus est. Cæterum qui ex pestilen
tia hoc uitio laborarunt, propterea mihi facile sa-
nati uidētur, quòd præsiccatū ijs præpurgatumq;
totū corpus fuerit. quippe cum & uomuerint ex
ijs nonnulli, & omnibus uenter profluxerit. Atq;
cum ita iam uacuati essent, ijs qui euasuri erant, pu
stulæ, quas exanthemata uocāt, nigræ toto corpo
re confertim multæ apparuerunt, ulcerosæ quidē
C plurimis, omnibus certe siccæ. Eratq; intuenti per
spicuum reliquias eas esse sanguinis, qui in febri
putruerat, quas ueluti cinerem quempiam natura
ad cutim trusisset: sicuti alia ex superuacuis nōnul
la trudit. Verum medicamentis ad eiusmodi exan
themata opus non fuit, cū siderent sua sponte. Ad
hunc modum alijs quidē, quibus uidelicet exulce
rata summa pars fuit, decidit ipsa ulceris crustula,
quam ephelcida nominant. deincepsq; quod reli-
quum fuit, propinquū sanitati erat. ac post unum
duós ue dies ad cicatricē peruenit. alijs, quibus sci
licet ulcerata summitas non est, exanthema quidē
ipsum, & asperum, & scabiosum erat: decidit uero
ueluti squamma quædam. ac dehinc omnes fuere
sani. Nihil itaq; miri si etiam ij quibus eiusmodi ex
D anthemata in pulmone sunt orta, propter ulcerū
siccitatem sunt sanati. Quod namq; in cęteris ulce
ribus uniuersis supra mōstrauimus curationis esse
propositum, hoc iam ijs quæ ex pestilentia sunt or
ta, præstò fuit. Omnia namq; sicca, & aspera fuere,
plurima quidem scabiei, quædam uero etiā lepræ
similia. Ergo cum experientia rationi attestetur ul
cerum curationem hunc unum habere finem, ut
siccentur, poterit quispiam ex ijs qui sanguinē ex
pulmone reijciunt, seruare permultos, ita, ut nos
fecimus. Ac quemadmodum quidem medēdum
ijs sit qui notabile in pulmone uas fregerunt, in-
de adeo quòd ab alto sint lapsi, uel immodice cla-
marint, uel pondus supra uires sustulerint, uel q̄
durum & graue magnumq; aliquid extrinsecus
ipsorum pectori inciderit, dictum prius est.

13 Quemadmodũ uero qui ex catarrho sanguinem reijciunt, commodissime tractetur, nunc dicemus, proposita claritatis causa curatione, quã Romę in splendida muliere peregimus. Hęc namque cum eiusmodi sermones audisset, quales nũc de ijs qui sanguinem ex pulmone reijciunt, habuimus, deinde cum ex catarrho quodam, aut tussi uehemẽti, paululũ quiddam per noctem expuisset, illico ad me misit, sese obsequuturam promittens per omnia, quicquid tandem ipsam facere uellem. Audiuerat uero ante id tempus, nisi quis ilico præsidiũ strenue afferret priusquã ulcus phlegmonen contraheret, eum operam amissurũ: atque hanc esse præcipuã eorum qui sanguinẽ reijciunt, interitus causam. Igitur incidere mulieri uenã, quæ iam quatriduum propter catarrhum propemodũ sine cibo egisset, non placuit: sed iussi ut acri uteretur clysteri, tum crura manusque calfaciẽti pharmaco plurimum fricaret, & uinciret, mox caput raderet, cui deinde medicamen quod ex palumbium stercore constat, imposui, interpositisque tribus horis in balneum duxi, ac laui, nullo caput cõtingẽs pingui. Dein caput idoneo pileo cõtexi, & pro eo qui tum erat temporis statu, nutriui sola sorbitione. Post quam statim fructum aliquem autumnalium austerũ dedi. Deinde cum dormitura esset, quod ex uiperis conficitur medicamentum dedi [theriacen uocant] circiter quatuor menses ante cõfectum. Habet enim id ætatis adhuc præualentem papaueris succum qui in antiquatis ignauus redditur. ideoque & somniferũ est, & fluxiones tum siccat, tum leuiter crassat. Finito uero prorsus catarrho, liquido apparebat, tum ex respirandi specie, tum sonitu semel excitatæ tussis, pulmonẽ purgatione egere. Cæterum, exhibere hanc non placuit secundo saltem die. sed in omni taciturnitate & quiete muliere seruata, tum artubus eius perfricatis uinctisque, iussi reliquas quoque omnes partes perfricari, excepto capite, quod adhuc ex medicamẽto incalescebat. rursus autem uesperi dedi theriaces ceu fabæ nostratis magnitudinẽ. Erat uero quod pridie acceperat, hoc lõge amplius. Postea uero quàm hac quoque nocte probe dormiuisset, tertio die mane mel coctũ exhibui, ac diligenter in quiete seruaui. Procedente uero die totũ corpus similiter perfricui, ac ptisanæ cremorẽ cũ pane exiguo pro cibo sumere iussi. Mox quarto die mane quidem dedi medicamentum, quod ex uiperis fit, sed quod iam in ætate uigoris esset, idque cum optimo melle. Capiti uero mulieris eodẽ pharmaco (quod uehemẽter tum siccat, tum calefacit) imposito, ac deinde ipsa lota, nutritaque modice ualentius iã pulmonẽ expurgare in quinto sum aggressus. Ac dehinc rursum rursumque ex interuallo ad caput quidẽ cõsueto cerato quod thapsian recipit sum usus. Totã uero corporis curã, in gestatione, frictione, ambulatione, lauandique abstinentia, ac uictu, tum moderato, tum uero boni succi, ad reficiendũ direxi. Hæc itaque mulier recte se habuit, minime lactis opẽ requirẽs. Alteri uero adolescẽti, cui nõ ex destillatiõe, sed ex refrigeratis spiritus instrumẽtis or-

A ta tussis fuerat, cum sanguinẽ & ipse ad dimidiam heminam reiecisset, statim uenam incidi, ac bis eodem die ex ea sanguinẽ detraxi: deinde rursus postridie bis, sed artuum frictione & uinctura priore die usus, ad uesperam dedi pharmacum nostrum quod, diaspermaton dicitur. Secundo die post alteram detractionẽ imposui toti pectori ceratum, quod ex thapsia conficitur: mox uesperi, ne supra modum calfaceret, id auferẽs. Tertio die rursus ad tres horas imposito, hominẽ laui. Cibaui aũt similiter tribus his diebus: prioribus quidẽ duobus, sorbitiunculis, tertio uero ptisanæ primum cremore, deinde pisce statim aliquo qui & facilis concoctu esset, & simplici ratione præparatus, adiecto. Dedi quoque medicamentum diaspermaton, & secun-
B do, & tertio die similiter ad uesperã. quippe quod & somnum conciliat, & sensum doloris eleuat, & siccandi uim habet. Tum uero cum & spiritui delegatæ partes in naturali temperamento essent, & totum corpus uacuatum, ac nulla phlegmones suspicio circa ruptũ uas superesset, expurgare cœpimus. Mox bibito medicamento quod uiperas habet ætatis iã uigẽtis, ad Tabias dimisi. Sic ego oẽs qui primo se die mihi curãdo permiserunt, sanaui.

14 Qui uero post duos, aut tres, non omnes: sed aliquibus eorum insanabile ulcus fuit. Quotquot autem phlegmone sic occupauit, ut iam febricitarẽt, horum nullus est in totum persanatus. Sed qui postea sic per omnia præsidia rite transie-
C runt, ut siccaretur ulcus, ij tantum saltem lucrifecerunt, ut illud nec ultra progrederetur, nec maius fieret, sed siccatum, ac callo duratum, longiore uita frui hominẽ sineret. Ex ijs uero qui ulcus in pulmone habent, ij demum insanabiles mihi esse uidentur, qui ex succi uitiosi erosione id possident, quorum aliqui ceu salsilaginem sputum suum sentire se aiunt. Nam lõgo arbitror tempore omnino opus esse, ut succi corrigatur uitium. In tempore uero necesse est duorum alterum, aut siccando ulcus, ceu callum fieri, eoque fore omnino insanabile: aut non siccãdo, tũ ipsum putrescere, tũ quæ circa sunt depascere, atque ita spatio pulmones putrefacere. Porrò multi ex ijs qui eiusmodi succũ uitiosum congessissent, cum ex eo tussirent, nõ tamen etiãnum sanguinẽ reijcerẽt: huic nostræ prouiden-
D tiæ compotes facti, prorsus sunt persanati. Oportet autẽ in principio nullius rei æque esse solicitũ, quàm ut neque tussiãt, neque ex capite aliquid in pulmonem defluat. Cauetur id triplici præsidio. purgatione primum, secundo medicamine quod diaspermaton dicitur, tertio ipsi capiti prouidendo. Quod purget, diuersas facultates habeat oportet. cuius generis nostrę sunt pilulæ quæ ex Aloe, Scamonia, Colocynthide, Agarico, Bdellio, & Gummi Arabico conficiuntur, ad plures uidelicet excremẽtorum purgãdas species. Sanè satisfaciãt ad usum, & quæ sine gũmi cõponunt. Postea uero si res postulabit, etiã ijs quæ nigrã bilem expurgent, utare. Capiti prouidebitur cerati usu quod fit ex thapsia. Atque hæc quidẽ in principio peragenda sunt. post uero reficiẽdus æger salubriter est cibis boni succi

succi, frictione, inambulatione, & balneo. Traduntur autẽ de his methodus in idoneo operis loco. Porrò ij sunt qui maxime lac requirũt, neglectoq; eo, omnium maxime sunt insanabiles. Cæterum, de mittendo his sanguine scire illud licet. Quicunque parũ habere sanguinis uidebũtur, ijs ad quendam succum probiorem (sicuti prædixi) reductis detrahere sanguinem poteris, tum rursus reficere, eosdem etiam rursus purgare, ac rursus reficere. denuoq; si res suadet, sanguinem mittere, potissimũ quibus ueluti limus quidam uitiosus, & crassus totus est sanguis. At qui ualidi sunt, multiq; sanguinis, ijs statim à principio est detrahendus.

15 Horum quæ retuli, uel modo, uel ante, siue ea inueni ipse, siue iuxta Hippocratis uiã usurpaui, nihil planè nõ examinatũ, ac iudicio cõprobatũ est, sed per experiẽtiã omnia iudicata, in quibus erroris pericula ipsi pertulimus. Fructũ ex eorum usu habituri sunt quibuscũq; artis opera sunt curę. Siquidẽ alij ueri sunt, alij sophistarum sermones. Quanquã quid sophistas memoro? Cum etiã non contemnendorũ medicorũ aliqui, etiã qui integra uolumina De sanguinis reiectione prodiderũt, alia quidẽ multa, et parua recte perscripserint, maximorũ aũt auxiliorũ nullius meminerint, parum intelligẽtes per multa illa & parua quæ recte admonent, longũ ipsis ægrotis comparandũ interitũ. Per hęc aũt tria, qui plane deplorati non sunt, omnes seruãtur: per sanguinis missionẽ, & purgationem, & ea quæ caput roborant. Sanè in sequentibus cum de succorũ curatione præcipiemus, dicemus de sanguinis missione diligẽtius. Minime igitur (sicuti medicorum nõnulli cẽsent) à paruis incipiendum auxilijs est. nec sicut illi dicunt, sentiendum, ista scilicet prius esse tentanda. mox si nihil profecerint, aggredienda maiora, nam in morbis in quibus periculum non impendet, uera ea opinio est. at ubi moriendum ægro prorsus est, si phthoe semel exceptus sit, alienissimum à ratione est à minoribus inchoasse. Nã sicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita illa quoq; sententia recte est dicta: nempe ad ultimos morbos ultima prorsus remedia maxime ualere. Quanã igitur inductus opinione Erasistratus in talium affectuum principio segnis tardusq; est, post diligẽs cum perijt occasio? Nam sanguinis missione cum sanguis reijcitur, nusquã prorsus utitur, uitiosissima ratione inductus, sed nec purgat quẽquã, nec caput siccat. Quibus nimirum si quis phthoe occupari periclitãtes fraudet, quãuis reliqua omnia probe peragat, nihilo plus arbitror agat. Nam sanguinẽ mittere recusat, ac solis artuũ deuinctionibus ad eum auocandũ utitur. quò (ut ipsemet ait) ad phlegmones tempora sat nobis sanguinis supersit, nec propter inopiã eius ægrũ nutrire cogamur. Sed heus tu Erasistrate, dicat arbitror aliquis, si post uenam ruptã phlegmone iam pulmonẽ occuparit, nõ est quod speres hominẽ sanandũ, propter ipsas quas paulo ante cõprehendi rationes. Quare amplius opera tua non egebit, proditus uidelicet per te interitia. Quippe idẽ facis quod gubernator, qui

A ubi per eius incuriã euersa nauis est, uectorum cuipiam asserem in manum dat, indeq; salutẽ comparare suadet. Sed Erasistratus fortasse existimabat phlegmonẽ esse ex ijs quæ necessario uulnus comitentur. Verum si ita sentiebat, in magna planè erat ignorantia, cum uidere cuiq; liceat sexcentis eorum qui quotidie singulari certamine decertãt maxima citra phlegmonẽ glutinata uulnera, sic, ut secũdo uel quarto die sint omnino in tuto. Nos uero etiam plurimos ex ijs qui uas in pulmone ex casu, clamore, plagá ue rupissent, priusquam phlegmone in uase rupto excitaret, curauimus. Quòd si horum quoq; pulmones phlegmonẽ inuasisse asserit, ipse suis ipsius placitis repugnat, simul princeps uiscus quod maxime uicinum cordi sit, B phlegmone laborare affirmans, simul hominẽ febri carere, iteq; rupta phlegmone nihil expuisse. Ergo à nobis quoq; inuicẽ audiat, nec fieri posse ut glutinetur ulcus si phlegmone pulmonem inuaserit, omninoq; si inuaserit, febricitaturum, ac purulenta deinde cum phlegmone soluitur, tussi expuiturum. Ergo si quis nec febricitabit nec tussiet, nec saniem aliquam ex ulcere & phlegmone spuet: quæ ratio est ut huius inesse pulmoni phlegmonẽ dicas? Itaq; tum hoc maximum certe præsidiũ nõ recte ab eo damnatum est, tum purgatio sine ulla mentione prætermittitur. Ac nec ullum pharmacon quod efficax sit, contra ullum ex cõprehensis generibus ab eo est positũ. Quin siue caput fluxionem mittat, eo statu seruabitur. siue ex intemperie C ipsorum spiritualium tussis incidat, etiã ipsa sic manebit. Ergo Erasistratus statuario illi adsimilis uidetur, qui reliquis omnibus partibus scite perfectis, statuam reliquit cæcam. Nam quæ, quæso, reliquæ pulchritudinis gratia, cũ oculos desideres? Postea si dijs placet, cum tanti uiri maxime aberrent, egregius uir Thessalus, qui artẽ ne nouit quidem, Methodicum se censet appellandũ. Ac nunc fermè omnes sectatores eius sanguinem mittere uidemus, tum alijs ægrorum non paucis quibus non solum non utile, sed etiam noxium existimare id præsidij oportebat, præsertim si proprijs ipsi hypothesibus staret: tum uero ijs qui sanguinem, siue hunc per uomitum, siue etiam cum tussi reijciunt, modo ualentes uires habeant. Sed quomodo D cohærebunt hæc secum, ut uenam ubi sanguis reijcitur, incidere iubeant: & in commẽtarijs suis scribent remedium id adstrictis uitijs conuenire? Ergo ne se Methodicos amplius nominent, sed Empiricos, si eiecta ratione quam esse rectam putabant, experientia utuntur ad inuenienda præsidia. An igitur in ijs quidem clare deprehenduntur nec Methodo, nec omnino ratiõe aliqua quicquam facere: ubi uero partes inutiles esse ad curationis inuentionem aiunt, non multo magis? Atqui si quis ad memoriam reuocet ea quæ de auribus, naribus, oculis, ore, pectore, pulmone, præterea utero, uesica, & uẽtriculo, diximus: errare eos tota uia uidebit. Talis igitur erat qui ad phlegmonem quæ in pudendo erat macedonico medicamento est usus, ac cum eo etiã cataplasmate quod

relaxandi uim habebat, nempe solenni hoc quod A ex pane, aqua & oleo conficitur. Etiam alius quidam illi persimilis, qui ad sedē exulceratā ijsdem est usus. Verū de talibus ubi de phlegmonis disputabitur, agemus. Cæterum ulcera quæ citra phlegmonē in pene sedéue cōsistunt, nullum cataplasma desiderant, sed medicamen quod cicatricem inducat. nō tamen me hercles eius naturæ quæ ulcera quæ in carne sunt inducere cicatrice possit, immo quæ tanto magis siccare possit, quanto hæ partes sunt carne sicciores. Quinetiam quod magis admirere, ipsorum quæ in pene sunt ulcerum magis etiam siccari postulant, & quæ in toto cole hæserunt, & quæ extra hunc etiam finem eius qui glans dicitur infestant: minus uero quæ in præputio sunt: atq; etiam his minus, quæcunq; in reliqua B sunt cute, quæ totum colem uestit. Cum igitur humidum in glāde ulcus quidam ex amethodis istis medicis, istis inquam Thessalijs, sanare aliquando non posset medicamētis ijs quæ epulotica uocantur, id est quæ cicatricē inducunt, adhibuit in consilium me. Vbi igitur ex me audiuit longe sicciore medicamento particulam egere, propterea quòd siccioris naturæ esset, primum non credidit. ut uero coactus necessitate est aliquo ex nostris medicamentis uti, tribus diebus sanatum ulcus est. perspicuumq; erat medicum non tam fuisse de salute hominis lætatum, quàm inde adeo tristatū quòd in mala disciplinæ secta fuisset educatus. Siquidē medicamen quod ex papyracea charta combusta fit, hoc scilicet nobis usitatum, id genus ulcerum sanat. sicuti etiam anethum ustum simili modo inspersum. itemq; cucurbita sicca atq; usta ad eundem modum. alia præterea multa ex ijs quæ uehementer sicut illa siccant. Si qua uero eiusmodi ulcerum sine madore sunt, ac recentia, ijs sola aloe salutare medicamen est. Inspergitur autem sicca, sed in tenuissimū ceu pollinem redacta. hæc uero etiā quæ in sede cōsistunt sicca ulcera probe percurat. Simillimam huic uim habet & cadmia uino elota, & sicca. Ab hac quoq; nō longe abest argenti spuma λιθάργυρος Græce dicta. Deinceps uero molibdæna sequitur. Omnibus uero tum minus infestes doloris, tum nullo minus efficax pompholyx est. Sin humidiora sunt, ipse per se pini cortex, itemq; lapis hæmatites idoneus est. Quòd si profunditas quæpiam ipsi adsit, ubi exiccata fuerint, dictorum alicui tantulum mannæ admiscendum est, quantum sit ad carnem gignendam satis. Neq; igitur horum quicquam uel per somnium norūt, qui istius sunt alienæ à methodo sectæ, cum omne ulcus, in quacunq; animātis sit parte, eandem postulare curationem opinentur: neq; etiam quemadmodum suere quædam ulcera oporteat, ueluti ea quæ in abdomine contingunt, de quibus in sequenti libro cum ijs quæ restant uniuersis, agetur.

ARGVMENTVM LIBRI SEXTI.

Caput 1. Vlceris indicationem esse unitionem: & C q in diuersis partibus unionis solutio diuersis nominibus appellatur: in neruo tamē arteria, & uena sectis propriam appellationem non habet. De nominibus nō oportere esse solicitum. Contra Thessalum. 2. Curatio simplicis compunctionis in neruo, Quod ea medicamenta postulet, quæ & tepidum calorem excitent & ualenter siccent: quæq; substantia sua trahendi uim habeant, & cum hoc sint partium tenuium. 3. De neruis non punctim sed cæsim uulneratis. Contra Thessalum. De transuerso nerui uulnere. De neruis contusis. Neruus totus præcisus curationem communem habet cum ea quæ aliorum est ulcerum. 4. De medicamentis quæ syndesmis, id est ligamentis solent mederi: & alijs neruεæ naturæ partibus, ut sunt nerui, tendones, abdomen, omentum, & intestina quouis modo ulcerata. 5. Prolixo hoc capite Galen. primum tria ossium continuitatis solutionis discreta nomina (caulidòn, schidacidòn, raphanidòn) intnrpretatur. Fracturæ curandæ finis primus est unitio. Secundus, si per siccitatem partium uniri nequeunt, interuentu alicuius glutinentur: Quod si hoc etiam fieri non possit, malum est insanabile. Deinde in transuersis & longis fracturis deligaturarum modos proponit, & perspicue tradit qua arte fieri queat, ut fracturæ uel per unitionem, uel per porum, uel sine poro coalescant. 6. Fracturæ caluariæ quomodo curentur tum per organa tum per medicamenta apposita.

Aliter.

Methodus curationis quæ debetur neruis, & tendonibus uulneratis, punctis, contusis, & denudatis. De uulnerib. quæ in peritonæo fiunt. De interiorib. peritonæi uulneribus quæ usq; ad abdomen & omentū pertingunt. Curatio affectuū qui ossibus accidunt.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS

Liber sextus.



1 ON dubito fore nonnullos quib. esse prolixus uidebor, qui unum hactenus morborum genus, quemadmodum methodo curetur, exponam. Par est autem non tam mihi longitudinem hanc imputēt, quàm ijs qui parum intelligentes quæ rectissime ab Hippocrate sint scripta, ea calumniari sunt conati, quos ne quemadmodū ulcus quidem recte curent, scire ostendi; nedum D quod maius sit quicquam. Atq; ipsum quidē morbi genus, cuius una species ulcus est, seu continuitatis, seu unionis solutionem uoces, nihil referat. illud monstratum est, methodum curādi eius, in quocunq; corporis membro sit, quæ quidem ab affectu ipso sumātur indicationes seruare communes: quæ uero ex partibus præbeantur, alias atque alias habere. Cum enim in carnosis particulis inciderit, nominatur quidem ulcus. habet uero curationis indicationem omniū quidem quæ præter naturam sunt cōmunem, sui scilicet ademptionem

nem. quam uero ceu affectus præstat, ut per contraria tollatur. quam ut diuisio est, unitionē. Quippe generatio huius uitij in diuisione unitatis consistit. Ideoq; in osse uocatur fractura, Græce κάταγμα, in neruosis fibris σπάσμα. in musculis, ulcus & ruptio, quorum differentia prius iam dicta est. Idem tamen morbus cum in neruum & arteriam, & uenam inciderit, nullam propriam appellationem est sortitus. mutuatur aūt interdū ulceris, interdum uulneris uel ruptionis appellationē. Cæterum parū esse de nominibus solicitū debere eū cui rerum scientiam inuenire sit propositū, sæpe iam diximus. Itaq; huc potius nominib. neglectis properemus. quando non ex horum exquisita impositione, sed ex appositis remedijs ægro salus paritur. Rursus igitur reuocandum ad memoriam est B quemadmodū audacissimus Thessalus, cum nullam curandi ulceris methodum tradiderit, omnes tamen dixisse se arbitratur. Siquidem quòd sinuosum ulcus postulet impleri, & simplex glutinari, hæc nec idiotis sunt ignota. Quemadmodum tamen methodo quis pharmaca inueniat, quibus uel impleatur quod sinuosum est: uel glutinetur, quod simplex est, hæc uulgus non nouit. at id est quod medicis considerandum proponitur, atque in eo alius alio est præstantior. Quippe ueluti in præcedentibus ostendimus, & inueniet recte remedia, & inuentis recte utetur quisquis in medendi methodo est exercitatus.

2 Vt enim iam aliquid persequamur quod precedentibus sit deinceps, fingamus quempiam C ad nos uenire cui tantū cutis acu sit puncta. Hunc hominem, si is sit cui facile ulcera sanescant, etiam si citra medicamentum nudoq; membro ad opera cōsueta dimittas, nihil sentiet mali: sin cui difficulter sanentur, primum quidem dolebit. post etiam tum pulsu particulam infestabitur, tum phlegmone. Ac Empiricus quidem examinando percontandoq; hominis naturā discet. Nos uero tum ex eiusmodi examinatione omnibus his usi quæ per experientiam inueniātur: tum nihilominus ex ijs notis quas de boni succi maliq; naturis habemus, præterea de ijs qui acris hebetisq; sunt sensus, tum plenitudine grauatis, modiceq; se in succis habentibus, nō ignari q̄ qui uel plethoricus est, uel uitiosis succis premitur, uel acris est sensus, uel horum D quibusdā omnibus ue premitur, phlegmone tentabitur. qui contra est affectus, nihil mali sentiet. atq; hęc prospicientes, non equidem medicamen quod glutinet imponemus, cuiusmodi plurima sunt eorū quæ enæma uocant, (ea sunt quæ recentibus statim applicātur uulneribus) imò molle & blandum, & quod dolorem mitiget. siquidem ubi magna diuisio est, ibi studium impēdi debebit, ut magis siccātibus remedijs labra ulceris uniantur, atq; coalescāt. ubi aūt acu stilo ue facta diuisio est, id duntaxat curandum est, ne phlegmone particula tentetur. Atq; ex hoc manifestum est cruentorum ulcerum indicationē, quæ à Thessalo est prodita, nihil nos maius adhuc docere, quàm sit cuilibet è plebe notum. Nō enim scire quid fieri oportet, id magna res est, ut quod omnibus hominibus natura insit, sed quibus rationibus illud efficias, id uero scire artificium est. Nam si nauem quispiam sit ædificaturus, scimus profecto omnes, etiā qui nauium fabri non sumus, quo loco poni guberna cula debeant, quo loco puppis, quo prora, ac reliquorum quiduis. cæterum nihil nobis hęc ad rem conferunt, utpote nescientibus quemadmodum ipsa struantur. Aeque & qui ædes molitur, utique nō ignorat nec quòd iacienda primum parietum fundamenta sint, nec quòd super his erecti minimeq; inclinantes erigendi sint parietes, nec quòd super his strui tectum oporteat, nec quòd ostia, & fenestræ, singulæq; reliquarum domus partiū proprijs collocandæ sint locis. uerum hæc ad domum ædificandam quid conferant, quoad ipse fabrilis artis ignarus ea fabricare nesciat? Vni igit Thessalo omnium hominum sapientissimo, nosse quid fieri oporteat, ad artificiosam notitiam satis esse uidetur. Sed nos per superius cōprehensa monstrauimus id esse operū quæ ex artibus expectentur, ueluti principium quoddam, nōdum aliquam eorum propriā partem, sed quæ etiam sit cuiuis è plebe communis. Quippe primæ in omni arte indicationes omnibus hominibus natura sunt præstò. Quare si hæc satis sunt ad opifices faciendos, nihil uetat quin & naues ipsi ædificemus, & materiam fabricemus, promptumq; sit omnibus tum calceos facere, tum uestes, tum domos, sed & architectos esse, & cithara personare, & rhetoricari. Verum non ita se res habet. nec qui uulneratæ parti naturalem unitionē esse moliendam nouit, is medicus est, sed qui quibus id rebus perficiat, intelligit. quanquam ne hoc quidē ipsum per se satis est, si quis etiam quo pacto his sit utendū nesciat, sed qui uiam omnem curationis eousq; percalluit, & ipsum consequi destinatū finem queat, is demum est qui mederi nouit. Ergo istis amethodis Thessali æmulis illud accidit, ut cum maiora uiribus audeant, nec ad ea quę consequi alioqui possent, accedant. Quippe cum dudum stilo quidam uulneratus in manu esset, ita ut tota diuisa cute aliquid neruorum qui suberant, pungeretur, sapiens scilicet Thessalius in principio emplastrū quoddā imposuit, quo sæpe in maximis uulneribus usus prospere fuerat. Putabat eīm (arbitror) omne uulnus eandem curationem requirere. Phlegmone uero oborta, ad cataplasma quod ex farina tritici componitur se conferēs, atq; interim hominē tabefaciens, intra septimū diem iugulauit. Nec sanè cōprehendere numero est, quot, ubi in Pęonias istorum manus incidere, conuulsione perierint: quo si dijs placet, sanctio illa Thessalia seruetur, omne cruentum ulcus similiter esse curādum, idq; partibus ijs quæ laborent, nullam indicationē conferentibus. Cæterum uera ipsa methodus, non perinde atque hæc Thessali est amethodus: immo potest uel nūc etiam post tot tantosq; medicos non solum meliora medicamenta quàm prius fuere, sed etiā uniuersum curationis modum inuenire. Nemo enim statim ab initio ijs usus quæ nos inuenimus, ex nerui

uulnere in conuulsionem incidit. Aduerti nanq; ubi punctus neruus esset, ei ex sentiendi quod obtinet acumine, necesse esse tum dolorē incidere, quàm reliquis partibus maiorem, tum ex necessitate phlegmonen consequi: nisi quis et medelam dolori inueniret, & phlegmones generationem prohiberet. Rationabile igitur mihi est uisum, cutis quidem uulnus apertum inglutinatumq; custodire, quò per id ex neruo uulnerato sanies efflueret. totum uero corpus superuacuis humoribus liberare, ac ne quis dolor uulneratam partem urgeret, in primis sollicitudinē habere. Itaq; etiā medicamenta excogitaui nō pauca, quæ uulneri imposita ad utrunq; mire sunt comparata, tum ut dolorem mitigent, tum ut exitum saniei patefaciant. Tutius uero fuerit etiam si quis cutem latius incidat, ac totum corpus sanguinis missione inaniat, utiq; si fortis sit uirtus. Si uero uitiosis succis repletum corpus sit, protinus purget. Aqua uero calida quanquam reliquas phlegmonas ualde mitigat, uulneratis tamen neruis est inimicissima, cum præsertim eorum substantia ex refrigerata concretaq; humidiore materia sit condita. Omnis enim eiusmodi constitutio per ea quæ simul calefaciunt & humectāt, resoluitur ac putrescit. Itaq; ab aqua calida eos qui ita uulnerati fuerant, omnino prohibui, utilius iudicans oleo calente fouere, propterea quòd demonstratum à me est, hoc quoq; si frigidum applicetur, tenues meatus obstruere: sin calidum, digerere. Porrò fugi ex huius quoq; generibus & crudum, quòd ὠμοτριβὲς Græce dicitur, & quod deniq; adstringendi uim haberet. Delegi autem tenuissimum, cuius generis Sabinum est; quod etiam utilius fuerit, si bimum trimum ue sit. Quippe id quàm recens magis per halitum digerit, quoq; magis est antiquum, hoc semper magis digerere est potens: uerum dolorem minus sedat. In pharmacis autem huc omne consilium direxi, ut esset eorū facultas tum tenuis, tum modice excalfaciens, & quæ siccare citra dolorem posset, cū sola hæc trahere ex profundo saniem, neq; cōtracta neq; demorsa particula possit. usus sum autem primum terebinthina resina, tum per se, tum etiā paulum euphorbij admiscens. Et per se quidem in pueris, & mulieribus, & generaliter ijs qui molli essent carne. Cum euphorbio uero in ijs qui dura. Non secus autem & propoli, non per se modo uerumetiā cum euphorbio ipsam molliēs. Quod si durior esset, cum tenui quopiam oleo. Quin & sagapeno in duris corporibus sum usus, utiq; cum oleo & terebinthina id miscens. Sed & opopanace ad eundem modum quo & sagapeno. Mihi uero & lachryma cyrenaica non inutilis fore uidetur, si quis emplastrum ex ea faciat, cuiusmodi est quod nos ex euphorbio composuimus. Verum nondum id experientia, quemadmodum reliqua omnia, cōprobauimus. Quippe præcedere oportet eam quæ à uera methodo proficiscitur remediorum inuentionem, huic uero experientiam ad certiorem etiam fidem subscribere. Siquidem ex tali methodo etiam sulphur, quod ignem exper-

A tum nō sit, quodq; lapidiosum nō sit, sed omnino tenuium partium, ei cui neruus uulneratus esset, conducturum sperauimus, tātum eius tenui oleo miscentes, dum quod ex utrisq; mistum erat, sordium haberet crassitudinem. In [illegible]ioribus uero durioribusq; corporibus etiam ii ad mellis spissitudinē redigas, sic quoq; iuueris. Nam id quoq; comprobatum experientia est. Quinetiam lotam calcem similiter oleo admistam his applicandam excogitauimus. quæ etiam si mari lauetur, magis proficiet. Lauatur optime per æstatem in æstu caniculæ. Quòd si bis tér ue eam laueris, utilius medicamen efficies. Quo pacto autē talia præparanda sint, ex cōmentarijs quos De medicamentorū compositione edidimus, intelliges. Nūc mihi tantum dixisse sufficit, me tum hęc tum alia multa medicamenta aduersus neruorum uulnera inuenisse,

B cū nec sub aliquo magistro ea usurpata uiderim, nec in ueterū alicuius aut medēdi libris, aut quos De facultatibus cōpositionum ex propria sapientia inscribunt, prodita: sed ex ipsa rerum natura indicationes sumpserim. Id quod propriū esse medici methodo utētis existimo. Mirificus autē Thessalus, cum ne unum quidē medicamentū inuenerit iam pridem materiā eorum notā esse affirmat. Atqui multorum medicamentorū quæ nos excogitauimus, non modo Thessalo, & qui ante eum medici fuerunt, materia nota nō est: sed nec ijs qui post eum in hunc usq; diem fuerunt. Siquidē ipse cum accersitus aliquādo essem ad quendam quià

C Thessalijs istis amethodis medicis putris fuerat factus, ac cernerem eum cataplasma, quod ex triticea farina fit, impositurum: ubi nullum ad pręsens mihi medicamentū erat, poposci ex pileario quodam quē uideram ægri uicino aquam lixinā: tum coquens in ea farinā hordeaceā, non autē sicut illi in oleo & aqua triticeā, imposui. Postea uero farinam erui simili modo coctam, iam phlegmone inflāmato & putri ex bella horum curatione neruo imponēs, uindicaui ab ea putrefactione hominē. Verū de ijs quæ cū phlegmone putrescunt, alia disceptatio sequet, eaq; diffusa in opportuno operis loco. De neruis uero uulneratis satisfaciāt, quę dicta iam sunt. Et sane ex ijs quę ipsi inuenimus, plurimi uno illo emplastro utuntur, quod ex euphor

D bio, & cera, & fricta resina est cōpositum. Cui nescio quomodo aliqui sinopidis aliquid postea miscuerunt, aliqui ochræ, quò uidelicet fucatum, unde componatur, lateret: ægre ferentes, si meum id esse uideretur. Verum non est à principio sic à me compositum. Miscuerint fortassis ei nonnulli & è salis flore aliquid, aut aliud quippiam tale, quod colorem eius immutet, nec uim eius minuat. Potest quis per ignorantiā etiā tale aliquid immiscere, quod facultatem eius immutet. Verū nos illud ex cera, resina terebinthina, pice, & euphorbio, composuimus, immiscētes ex cera partem unam, ex terebinthina, & pice, utriusq; partis unius dimidium, sic ut quod ex utrisq; conflaretur, ceræ par esset. licet autem interim ut & plus sit quod ex ambobus miscetur, quàm cera. licet rursus et alterum

eorum

eorum tantum ceræ admiſcere. Quinetiã in penuria terebinthinæ tum liquidam ex dolijs, tum etiam frictam cõmode admiſceas, non minus etiam his et abietinã immittas. Strobilina uero duris tantum corporibus idonea eſt: ad mollia uero immiſcenda nõ eſt. Si itaq; liquidã reſinam immiſcebis tunſum cribratumq; euphorbium reliquis immittes liquatis. Eſto uero pondus eius, ceræ pars duodecima, etiam plus aliquãdo, ubi ſcilicet ualentius efficere eſt in animo. Sin ſiccam, ſicuti quæ fricta eſt, utiq; olei puſillum deſiderabit euphorbiũ. Quare ego tum id cum oleo cõtundens, ac ad ſordium ſpiſſitudinẽ redigens, mox reliquis poſt liquationẽ refrigeratis terens miſceo. Sæpe etiã tantulum aquæ immiſcui medicamẽto conficiendo, quantum immiſtis ipſis liquandis tũ abſumi, tum euaneſcere prorſus potuit. Verũ omnia huius generis ad tractationẽ: De medicamẽtorum cõpoſitione magis attinent. Nunc ſuffecerit, ſicuti antea fecimus, indicato quale eſſe debeat medicamẽti genus, pauca particulatim exempli cauſa apponere. Vberem nanq; omniũ materiã in opere De ſimplicibus medicamentis inuenies. Præparare autẽ debebis, ut in opere de eorũ cõpoſitione eſt traditum. Nunc igiť ſatis eſt hoc tantum dixiſſe, atq; ad alia tranſire. Vulnerati nerui curatio medicamenta poſtulat, quæ & tepidum calorem excitent, & ualenter ſiccent: tum quæ ex ſubſtãtiæ ſuæ natura & trahendi uim habeant, & tenuiũ ſint partium. Sanè non ad medicamentorũ modo uictusq; inuentionem ipſa medendi methodus proficit, ſed etiam ad ipſum inuentorum uſum. Nam ueluti in ſuperioribus oſtẽdimus, quiſquis citra methodũ quæ ulceri apta medicamenta ſunt, molitur, eum ne minimo quidem eorum probe uti poſſe: ita & nunc oſtendere licet. Siquidẽ intellexiſſe quanto pere affectũ uel ſiccauerit, uel calefecerit, uel mitigarit, uel laceſſerit medicamenti applicatio, is demum potis eſt qui methodo quadã curat. idem uero ipſe ſolus etiam intẽdere ea quibus inter initia eſt uſus, uel remittere nouit. Cum nanq; quod Διʼ εὐφορβίου, propterea ꝙ euphorbiũ accepit, uocant, quidam uulnerato neruo ſtatim impoſuiſſet, idq; ſubinde prius proſpere fuerat expertus, tertio die indicauit mihi uulneratam partem tum dolẽtem, tum phlegmone tentatam, miratus medicamen nihil contuliſſe. Percõtatus igitur laborantẽ ſum, num primo die cum impoſitum medicamentum eſſet, calorem quempiam ueluti ex Sole ſuauem ſenſiſſet. is ſe quicquã eiuſmodi ſenſiſſe negauit. Rurſus itaq; percõtabar & medicũ quãto iam tẽpore præparatũ apud ſe medicamentũ habuiſſet, ac quos eo ſanaſſet. Ille plus anno apud ſe habuiſſe: ſanatos uero à ſe aiebat pueros duos, & adoleſcentẽ unum. Cum aũt & de corporis habitu adoleſcẽtis rogaſſem, albũ eum, molliq; corpore fuiſſe affirmabat. His ergo auditis, cũ intelligerem ut ad propoſiti adoleſcẽtis tẽperiem euphorbiũ deeſſe, poſtulans tum ipſum emplaſticũ medicamẽtum, tum etiã euphorbiũ, ſumensq; ex his quantũ ad ea inter ſe miſcenda ſatis putaui, iuſsi manibus

A medicamẽtum ſubigere, ac euphorbium diligenter cõtundere. poſtea ꝙ hæc facta ſunt, miſcere ea ſimul iuſsi. Ipſe uero oleum Sabinum utiq; ſubantiquum modice calefaciens, foui uulneratã partẽ. Reſectoq; leuiter puncturæ quod conniuebat foramine, impoſui medicamẽ, iniunxiq; homini inediam. Medico uero præcepi, ut ueſperi rurſus eũ ſolueret, ac ſimili modo quo me uiderat, oleo uteretur. Atq; his peractis apparuit poſtridie pars ægra & ſine dolore, & ſine phlegmone. intellexeruntq; qui huic operi aderant omnes, uerißimũ eſſe (quod nos ſæpe uſurpamus) non eſſe adeo magnum quod medicamen præſtare poſsit, niſi nactum ſit qui eo dextre utatur. Eſt aũt dexter uſus, qui tali planè methodo qualem ipſi iam ſæpe B in commentarijs qui ante hunc ſunt, oſtendimus, procedit, omnium medicamentorum uſu ad calidum, frigidum, humidũ, & ſiccum, ueluti ad normas relato. Quam nimirũ methodum non ſolum amethodi Theſſali ſectatores probe tractare non ualent: ſed nec Eraſiſtratus nec alius medicorum quiſquã qui corporũ elementa, aut prorſus nõ inueſtigarunt, aut alia ꝙ quæ comprehenſa à nobis ſunt, poſuerunt. Sed de his hactenus.

3 Si autem non punctus, ſed planè cæſim uulneratus neruus ſit, conſiderandum eſt quo pacto facta uulneratio ſit, utrumne per tranſuerſum neruum, an per longitudinem eius: tum uero quantũ præpoſitæ diuiſum ſit cutis. Proponatur igitur primum multum eſſe cutis adapertũ, adeo ut neruus C nudus appareat, isq; per directum non per tranſuerſum diuiſus. Huic neruo nullum iam memoratorum medicamentorum quæ ex euphorbio ac ſimiliter acribus, emplaſtri ſpecie fiunt, applicabis. nudatus nanque non feret eorum uim, ita ut cum interpoſita cutis erat, tulit. Optime igitur eo caſu calce elota in multo oleo ſoluta utere. Salutare uero eſt & quod ex pompholyge medicamẽtum fit, ſi in largo roſaceo ſit liquatum. quod utiq; melius fuerit, ſi tum roſaceum ipſum, tum oleum ſalis ſit expers. Siquidem nudato neruo, omnis curationis conſilium huc tibi dirigendum eſt, ut minima cum mordicatione ſicces. Poſſunt uero id præſtare planè paucißima medicamenta. Eſto igitur hoc caſu calx ſalubri aqua æſtatis tempore ſæpe elota. Eſto præterea (ut dictum eſt) & pom- D pholyx elotus, ita uidelicet ut elotus habetur in eo compoſito medicamento quo publice utimur, quodq; alia elota in ſe non pauca continet. Quippe quæ ex metallis conſiſtunt, ea elota eſſe omnia oportet, ſi modo citra morſum illum ſint ſiccatura. Salubre uero medicamentũ eſt & quod ex melle ſub emplaſtri ſpecie componitur, utique cum ex optimo fit melle. Solui uero & id roſaceo oportet, quod tum reliquis conditionibus ſit optimum, tum ſalis omnino expers. Quinetiam ceram quæ eiuſmodi medicamentis ſit miſcenda, elotam eſſe cõuenit. Aeque & ſiquid terebinthinæ reſinæ inijcies, hæc quoq; elota ſit oportet. atque hac magis ſi alterius cuiuſquã reſinæ quid immittes. Quippe medicamentis omnibus quæ laueris,

acris mordensq; sanies eluitur, atq; abstergitur. Si A uero robustus sit qui uulnus accepit, & cui corpus sit à superuacuis humoribus mundum, in hoc fas est etiam ualentioribus remedijs nonnullis uti: ueluti ipse aliquãdo cum id genus uulneris in carpo accepisset iuuenis quidam philosophiæ studiosus, alioqui corpore bene habito, & tum in æstiuo sole perusto, ex Polyidæ pastillis sapa solutis, postea super calida aqua tepefactis linamenta imbuta imposui. nam id quoq; uel in primis semper habendum curæ est, ne quid ex ijs quæ uulnus contingent, frigidum sit. quandoquidem ipsa laborãs pars & sensilis maxime est, & principum partium primati continua, & temperamento suo frigida, quorum omnium occasione & ex facili à frigido offendit, & suã offensam impertit cerebro. Quòd B si ex ijs fuerit quæ in musculos perueniant, etiam conuulsionẽ facile accersit. Siquidem monstratũ est musculos uoluntarij motus instrumenta esse. Idem fore & in tẽdonibus expectabis, ijsdem de causis. Ceterum cum memoratũ remedium tum uulneri ipsi iuuenis imposuissem, tum uero partium quę supra erant, non parum eodẽ complexus fuissem, quę circa axillas, collũ caputq; eius erant, omnia calente oleo assidue madefeci. Detraxi uero illi & primo statim die sanguinẽ scarificata uena. In quarto igitur hic quoq; iuuenis recte habuit, adeo ut & rugosum, & paruum, & contractum ulcus iam cerneretur. Veruntamen cõsultius uisum est, usq; ad septimũ nihil nouare, post quẽ diem plane redditus est sanus. Sanè oleo perfundere C tale ulcus non oportet, præsertim cum ut nunc cõprehensum est, curat. Nam oleum pastilli huius uiribus est aduersum, ac sordidũ ulcus reddit. Neque enim parum interest, nudóne neruo oleum, an per interpositam cutem admoueas. Abluenda igitur à uulnere sanies est molli lana specillo circũ uoluta, Madefacere uero lanam si placet, ne scilicet sicco ulcus attingas, sireum, id est, sapa suffecerit: quam & hepsema uulgo apud nos in Asia uocant. In hac igitur lanam intingẽs, mox exprimẽs ulcus detergebis. Esto uero hęc quoq; ipsa tepida primis maxime diebus. Quòd si omnia ex sententia successerint, etiam uino dulci madefacere citra periculum licebit. uerum dulce id omni mordente qualitate careat, cuiusmodi tum therẽũ est, tum D scybelites, atq; ab his quod caryinũ uocant. Quæcunq; uero & dulcia pariter & fulua sunt, ueluti falernum, inutilia sunt. quippe acria sunt talia, ac supra modum calida. Vlcere uero iam ad cicatricem ueniente, quæ alba planè sunt & tenuia, nec multam aquam tolerãt, nec odora sunt, ea dulcib. præstant. Aquæ uero usum ad neruum uulneratũ semper fugies, sicuti etiã relaxans cataplasma. Ad iam dicti uero pastilli usum propè etiã accedit, & medicamẽti usus, quod diachalciteos uocãt, quo publice utimur. Liquari uero etiã hoc debebit æstate rosaceo, hyeme sabino oleo. Descriptum aũt est medicamentũ hoc in primo De medicamẽtorum cõpositione. Polyidæ uero pastillus, uel trochiscus, uel quomodocũq; appellasse libet, omnibus ferme notus est. Cuius si copia nõ est, Andronis, uel Pasionis, pro eo est sumendus, uel noster, qui etiã omnibus illis est ualentior. Sanè iam dictũ est robustis corporib. ualentiora medicamẽta, imbecillis mitiora esse adhibẽda. Ista & uera methodus inuenit, et experiẽtia cõfirmat. Thessalus uero cũ suis unà sophistis in alto throno residens ἐν κελομύξοις ἀνδράσι .i. inter pecuinos & brutos homines (ut Cercidas ait) in pretio erit, dũ suis rationibus cõfirmat omnis ulceris recentis eandẽ esse curationẽ, neq; hanc ullã ex partiũ natura indicationem sumere. Vnus tamen magni in eius sapientia nominis, admirandã uulneratorũ neruorũ curationẽ excogitauit. nã protinus eos totos præcidit, ne admonito quidẽ qui uulneratus fuerat. quanq; in hoc quoq; à secta sua desciuit. Siquidẽ par erat uel & musculos uulneratos, & arterias, & uenas, & aliud quiduis totum præcideret: uel nec neruũ. Alioqui sic qđ fugiunt, id facere deprehenduntur, ut diuersam pro discrimine partiũ indicationem accipiãt. Verum hos iam mittamus, ac de transuerso nerui uulnere agamus in quo maior cõuulsionis metus impendet, phlegmone scilicet à desectis fibris ad nõ sectas cõmunicata: cæterum cõuulsione ab ipsis nõ sectis excitata. Ac quæ ad ulceris curationẽ attinent, his quoq; sunt eadem. Cæterum, detrahere largius sanguinem, ac tenui magis, quàm in illis uti uictu, tum in quiete omnino ac lectulo molli hominẽ continere oportet, tum oleo calenti ubertim in axillis, collo, tendonibus, ligamentis, & capite, uti. Quod si uulneratus neruus ex ijs sit qui in crure habentur: sicuti cum in manu erat, alæ, ita in his bubones largo oleo imbuendi: tum per totam spinã ad collum, & caput ascendendum. Contusi uero nerui, ubi cum his unà cutis quoq; contusa exulcerataq; est, medicamenta postulant quæ in siccando quidẽ commune nerui ulcera sanantiũ consilium seruent, cæterum quæ partes quæ per contusionẽ à se dissideant, contrahere cõstringereq; sint apta. Qui uero absq; cutis simili affectu sunt contusi, hos oleo calente cui euocandi ac discutiendi facultas insit, sæpissime perfundere oportet, ac totius corporis similem curam habere. Semel hoc incidere uidi, sanauiq; id mature, ipsa ex oleo perfusiõe. Verum unà cum cute neruos contusos sæpenumero uidi & propter eius symptomatis frequentiam athletæ ipso usu edocti habent cataplasma quod exoxymelite & fabacea farina conficitur, quod planè salutare medicamentum est. At si dolor unà cum contusione uexat, etiã picem liquidã immiscere, ac bene concoquere, tum calens medicamentum imponere oportet. ubi uero magis siccãs efficere uoles, erui farinã inijcies. Quòd si ut amplius quoque siccet desiderabis, irim illyricã immittes, aut myricã. Totius aũt corporis cura his quoq; cõmunis est. at si totus pręcisus neruus sit, metus præterea nullus instat: mutila tamẽ particula manebit. Curatio uero eius cõmunis est cũ ea quę aliorũ est ulcerum, quamq; unã Thessali imitatores norunt. Ergo de neruis hęc abũde sint dicta. Phlegmonæ

uero

uero quæ his superuenient, queadmodũ curãdæ sint, ubi de phlegmonis agemus, docebitur. A

4 Ligamenta uero (quæ Græci συνδέσμους uocant) cum simillimã habeãt tendonibus speciem, ualentissimorum remediorũ uim tolerant: ꝙ nec ad cerebrũ pertingãt, & sensus sint expertia. nam nerui omnes alij ex ipso statim cerebro ortum habent, alij spinali interueniẽte medulla. Tendones quoq; quoniam cõpositam eorum esse substantiam ex neruo ligamentoq; ostendimus, quatenus nerui participes sunt, eatenus ex cerebro oriũtur. Necuero minus quàm ipsi nerui conuulsionem accersunt. Ligamenta uero cum ex osse ortũ habeant, quæcunque rotunda sunt, ea neruis adsimilia sunt, duritie tamen plurimum dissidẽt. Verum in eo quòd alba sunt, & exanguia, & cauitate carentia, & in fibras diuidũtur, similitudo illis cum neruis, & tendonibus constat. Ergo ubi teretia ligamenta tendonesq; uisuntur, qui dissectionũ sunt ignari, neruos eos imaginanť, potissimũ qui multo duriora ea neruis esse nõ intelligunt. At ubi lata sunt, ibi ea à neruis diuersa esse intelligũt. quanquam ne id quidem omnia. cæterum ipsa à sese discernere nõ ualent. Verũ tu qui præsertim cuiusq; trium partium naturã perspectam habes, tum uero et formam, & quam in toto corpore posituram obtinẽt: in quocunq; membro uulnus fieri contigerit, statim intelliges neruus ne sit qđ in eo uulneratum est, an ligamentum, tendôue. Et de nerui quidẽ ac tendonis curatione iam dictum nobis est. Ligamentum uero uulneratum si id est qui ab osse ad os permeat, & maxime sine periculo est, et quod siccans quibuslibet medicamentis, nihil hominẽ offendes. Sin id qui in musculum se inserit, quanto est neruo & tendone minus periculo opportunum, tanto utiq; nisi rite curetur, reliquis ligamentis magis terrere debet. Horum nihil peragi methodo ab ijs medicis potest, qui indicationem quæ à particulis sumitur, utilem esse ad ulcerum curationem negant. nec ab ijs qui id quidem confitentur, sed tamen cuiusq; particulæ naturam ignorant, quæ nimirum (sicut ostendimus) ex ipso elementorum constat temperamento. Verum ij quanquam nihil aliud, saltem quę ex instrumentaria partium constitutione indicantur, intelligũt. Thessalus uero, & qui sequaces eius sunt, etiã hæc ignorant. ueluti statim si diuisum abdomen tam alte sit, ut intestinum ex eo procidat, nec quemadmodum id reponere conueniet. nec si omentum exciderit, abscindendumne id sit, an non. nec an uinculo id excipiendum, ac secus. nec an suendũ uulnus sit, necne. nec si suendum sit, qua ratione suendum, quicquã intelligunt. ut quæ ne nos quidem intelligeremus, nisi ex dissectionis ratiõe omnium quæ istic cõtinentur partium naturam didicissemus, quã etiam exponere necessum est, nõ claritatis modo gratia eorũ quę dicenda sunt, sed etiam probationis. Cutis intrinsecus omnib. antestat. hæc uero in membranam finitur. A cute, medio circiter loco, neruea tenuitas musculorum (quam ἀπονεύρωσιν Græci uocant) gemina tenditur, membranarum ritu. Eas pleriq; anatomicorũ duas esse minime norunt. cum & unà cohæreant coalescãtq; sic, ut labor sit eas separasse, & summa præterea sint tenuitate. Post has deinceps habentur duo musculi recti, & carnosi, qui à pectore ad ipsa pubis ossa perueniunt. Atq; hæc quidem memorata omnia, & sibi cohærent coalescuntq;, & quod conflatum ex ipsis est, Græci, qui quemadmodum diuisum uentrem sui conueniat, prodiderunt, ἐπιγάστριον, id est abdomen nominarunt. Quod uero hoc deinceps excipit, ab illis quidem uocatur περιτόναιον: putantibus uidelicet unum, & simplex id esse corpus, minimeq; cõpositum, sed falso. cum id cõpositum ex duobus corporib. sit, quorum utrunq;, & exangue, & neruosum sit. Verum alterum eorum neruosa tenuitas eorum musculorum est, qui per trãsuersum se agunt. Alterum mẽbrana prætenuis uelut aranei tela, quæ utiq; uere est peritonęum. Ac tale quidẽ in medio sui est abdomẽ. partes uero eius quæ utrinq; ad latus ad quatuor quasi digitos recedunt, hę statim à cute obliquos musculos habẽt: priores quidẽ qui à pectore demittunť: secũdos qui ab ilibus ascendunt. deinde post hos transuersum musculum, sub quo est peritonæõ. Ergo & minus periculi in hoc loco, ꝗ in medio est, cum tenuem eiusmodi membranam qualẽ aponeurosin uocant, nullam habeat, & sutura in medio difficulter administreť. quippe cũ & procidant hac parte maxime intestina, & ægre inibi contineri queant. Qui enim constrinxerant cõtraxerantq; ea, recti illi carnosiq; musculi erãt, quos ex pectore, ad pubis ossa demissos diximus. Ergo quoties horũ aliquis est uulneratus, duplici de causa procidere intestinũ est necessum. à partibus quidem quæ sunt ad latus, propterea ꝙ musculis qui istic sunt, constringitur. à medijs uero, quòd nec musculũ eum qui cõtineret, habet etiamnũ ualidum: & ꝙ locus opportune ad procidentiam est cõparatus. Quòd si maius etiã uulnus fuerit, tum plura necesse est intestina excidere, tũ difficilius denuo immitti. porro alia ratione parua uulnera tractatu sunt difficilia. Nã nisi quod procidit, ilico in locum suum reponas, inflatur, surgitq; in tumorem, quo euenit, ut per angustum foramen immitti nequeat. Minus igitur in eiusmodi uulnerationibus graue mediocre foramen est. Atq; hęc quidem præscisse oportet. Proximũ est, ut queadmodũ quis hoc genus uulnerum cõmodissime contrectet, consideremus. Nam Thessali præceptum quo censet enæmis ea præsidijs glutinanda esse, parum satisfacere manifestius puto, ꝗ ut quenquã latere qui compos sit mentis, possit. Quoniã igitur principio id agendũ est, ut intestina quę exciderunt in suum locum recondantur, secundo loco ut ulcus suatur, tertio ut medicamen imponas, quarto ut ne qua præstãtior pars simul afficiať prospicias, age iam de primo horum agamus. Cum igitur triplex (ut dictũ est) discrimẽ horum uulnerũ in magnitudine sit, propriã à quoq; indicationẽ sumere tentemus. Esto aũt principio uulnus adeo paruũ, ut inflatũ iam quod excidit in testi-

A testinum cõprimi non possit. Nunquid igitur hoc
loco alterum è duobus est necessum, aut flatum e-
ducere, aut uulnus ampliare? Præstiterit aũt (ut ar
bitror) prius, si modo id consequi liceat. At non
alia potius ratione id consequare, quàm si causam
unde excitata inflatio est, summoueris. Ea igitur
quæ demum est? Certe ambientis aeris refrigera-
tio. Itaq; etiam sanatio ex calfaciendo petetur. Er-
go spongia molli & ex calente aqua madenti, ac
mox expressa calfacere intestinum cõueniet. Pre
paretur uero interea uinum austerũ calidũ. quip-
pe id magis calefacit quàm aqua, ac robur intesti-
no acquirit. Quòd si huic etiam præsidio intestini
inflatio non cesserit, incidendum peritonæi tantu
lum est, quantum ei quod excidit reponendo sit
B satis. Apposita porrò ad eiusmodi incisionẽ sunt
ea quæ Græci συριγγοτόμα uocant, id est quæ ad fi
stulas incidẽdas sunt cõparata. Scalpelli uero qui
bus acies utrinq; habetur, aut quibus cuspis acu-
ta est, omnino fugiendi sunt. Situs uero laboranti
appositus fuerit, cum in inferiore parte factũ uul-
nus est, si sursum uergat. cum uero in superioribus
si deorsum. Vnum aũt utrobiq; cauetur, ne quod
exciderit, ab alijs quicquã intestinis degrauetur.
Itaq; ex hac ratione cõueniet, ut si in dextris uul-
nus sit, corpus in contrariam partem inclinetur.
sin in sinistris sit, in dextram: sic ut quæ uulnerata
pars est, semper altiorem locum occupet. Atque
hoc tum in magnis, tum etiã in mediocribus uul-
neribus conducibile fuerit. Quippe id omnibus
C cõmune consilium est. Cęterũ, repositio intestino
rum in suũ locũ, ubi ex magno exciderunt uulne-
re, planè ministrũ postulat dextrũ. Debet enim u-
bi manibus suis totum uulnus extrinsecus appre-
henderit, intrò reprimere, tum cõstringere, ac exi
guum semper sueti prænudare. quinetiã id ipsum
quod assutum est, modice cõprimere, quoad totũ
persuatur. Iam uero quæ commoda ratio suendi
abdominis (γαστρορραφίαν uocant) in talibus uul-
neribus sit, deinceps doceamus. Quoniam coire
coalescereq; cum peritonæo oportet abdomen,
incipiẽdum quidem à cute est, atq; ab externo in-
trorsus acus inijcienda. Vbi uero tum cutem, tum
rectum musculum totũ transierit, præterito quod
ei subest peritonæo, per reliquũ peritonæum eam
D ab interno extrorsus protrudes, atque inde per
reliquum abdomen ad interno extra transmittes.
Vbi hoc penitus transmisit, rursus ab externo in-
trorsum idem abdomen est perforandũ. Mox ubi
peritonæum quod illi quoq; subhæret, præterie-
ris, atq; ad contrarium ueneris, hoc quoq; ab inter
no extrorsus perpungendum, unaq; cum eo totũ
ipsi cõiunctum abdomen. Deinde ab hoc rursus
incipiendum, atq; id cum cõtrario peritonæo cõ-
suendum. ac rursus uicina quoq; cute transmissa,
iterũ ab ea parte acus introrsus est inijcienda, con
suendumq; abdomen id cum cõtrario peritonęo,
etiam inibi uicina cute transmissa. Atq; hæc iterũ
iterumq; facienda, quoad totũ uulnus similiter cõ
suerimus. Interuallum uero quod suturis inter-
uenit, quod ad compescenda pertinet ea quæ sub

sunt, breuissimũ esse postulat. Quod uero ad firmi
tudinem ipsius cutis quæ in interuallis suturarum
est, necubi rumpatur, breuitas parũ tuta est. Qua-
re utriusq; uitato excessu, eligenda mediocritas in
ter utrunq; est. Iam hoc quoq; omnium ulcerũ cõ
mune quodãmodo est: sicuti etiã ipsius quo suun
tur fili consistentia. Nam quod iusto durius est, cu
tem rumpat necesse est, quod mollius, ipsum pri-
us rũpitur. Aeque uero si proxime summas oras
acum transegeris: quod reliquum est cutis, quoni
am minimũ est, dum uiolenter adducitur, cogitur
perrumpi. Si plurimum ab ijs recesseris, multũ cu
tis inglutinatũ relinques. Hæc tãetsi omnium sunt
ulcerũ cõmunia, maxime tamen fugiẽda in abdo
mine suendo sunt. Ipsa uero abdominis sutura, aut
iam dicto modo administrabit̃, utiq; si quis huc
studiũ dirigat, ut peritonæum abdomini coalesce
re faciat. uix ẽm cũ eo coalescit, utpote neruosum.
aut (sicut nõnulli faciunt) qui quæ cognatæ natu-
ræ sunt ea cõmittunt, utiq; peritonæo peritonæũ,
abdomini abdomẽ. Id fiet ad hũc modũ. Oportet
à uicino nobis abdomine incipere, atq; ab exter-
no introrsum per id tantũ acum transmittere, post
præteritis utrisq; peritonæi labris, ex aduersa par-
te ab externo introrsus per utrunq; eius labrũ acũ
reuocare, deinde rursus hanc reuocare, atq; ab in-
terno extrorsum per aduersum abdomen traijce
re. Hic modus à publico, & exprõpto, quo uideli
cet uno adactu per quatuor labra acũ transmittũt,
hoc discriminis habet, ꝙ totum peritonæon intra
abdomen prorsus abscõdit. Deinceps uero de me
dicamentis præcipiamus. Sanè hæc quoq; eiusdẽ
esse materiæ debebunt, cuius sunt ea quæ enæma
dicuntur. quęq; aliarum quoq; partiũ unire uulne
ra in superioribus cõmentarijs ostendimus. Deli-
gatio uero extrinsecus, uel pręcipue in his necessa
ria est. Quarta uero curationis in his pars nõ pau-
lo ab alijs dissidet. siquidem quod inter bubones,
& axillas est, id totũ molli lana ex oleo mediocri-
ter calido imbuta circũdare oportet. Satius item
fuerit et si per clysterẽ intestinis aliud simile infun
das. Quòd siquid ipsorũ intestinorũ sit uulneratũ,
quæ extrinsecus fieri debẽt, omnia similiter, ut di-
ximus, sunt peragenda. Cæterũ quod inijcit̃, uinũ
nigrũ, austerũ, & tepens erit, eoq; magis si totum
perforatum usq; ad internũ meatum sit. Ac crassa
quidem intestina facilia sanatu sunt: econtrario
difficilia quæ tenuia sunt. Ieiunum tamen omni-
no incurabile est, tum propter magnitudinẽ mul-
titudinemq; uasorum, tum quòd tunica eius præ-
tenuis neruosaq; est. adde quòd tum bilem synce-
ram hoc intestinum recipit uniuersam, tum ꝙ om
nium iocinori maxime est uicinũ. Ventriculi ue-
ro quę carnosæ partes infernæ sunt, curare cũ fidu
cia tentabis. Nam fieri potest etiã, ut bene cedat,
non solum quòd hæ crassiores sunt, sed etiã quòd
sanantia medicamenta facile hoc loco ipsius sub-
sistant. At quæ in ore eius ac gula ulcerũ sunt, dun
taxat contactu medicamentorum in transitu fru-
untur. Quæ uero in ore eius sunt, ijs sensus quoq;
acumẽ sanationi obstat. Verum quanam ratione

uentriculi uulnerati, aliorũq; exitialium uulnerũ A
Hippocrates sanationẽ moliatur, ab ipso peti est
satius. Ego nanq; non eo cõsilio ut nemo Hippo-
cratis libros legat, ad hoc opus scribendũ accessi.
Verum quoniam is mihi primus idonea usus esse
uia uidetur, nec tamẽ eam totam cõpleuisse, cum
quædam minime limitata, quædã imperfecta ob-
scuraq; ab eo prodita inuenire liceat, idcirco ipse
tum omnia ea lucide explicare, tum quæ parũ di-
screta sunt distinguere, tum quæ deficiunt supple
re studui. Vbi igit aliquis se in his nostris primitus
exercuerit, tunc se ad liberos Hippocr. legẽdos
cõferat: ac tum eius De ulceribus librum relegat,
tum quæ de uulneribus exitiosis scripsit. Porrò si-
mul maximum adiumentum ex his nostris libris
habebit, simul certo intelliget neminẽ methodi- B
cæ sectæ quæ nomine specioso se uenditat, re aũt
maxime est à methodo aliena, cõmode ulcus sana
re posse: sed nec reliquorũ Rationalium quempi-
am, quicunq; parum cognitis similariũ partiũ ele-
mentis, artẽ aggredi censent. Quippe nesciunt hi
quoq;, rationalẽ simpliciũ animalis partiũ curatio
nem, ut qui ab instrumẽtalib. tantũ indicatiões su
mant. Cæterũ paucis etiamnũ cõtra Methodicos
additis de istis quæ in uẽtriculo accidũt uulneri-
bus, aliò stylũ cõferemus. Vulnerato peritonæo
excidit subinde omentũ, q; primariáne pars sit, an
nõ primaria, uel ex quibus cõdat, uel quã habeat
actionẽ usumue, hi cõpertum nõ habent. Itaq; si
iam liuet, aut nigricat portio ea quæ excidit, ibi
quid faciant, audire est operæpretiũ: utrumne prę C
cident, an intra peritonæon remittent. Omnino
enim, uel ab ipsa experiẽtia quid agendũ sit, intel-
ligent, uel ab ipsa particulæ natura indicationẽ su
ment. Atqui refugiũt hæc utraq;. Eam quidẽ quã
experientia suppeditat cognitionẽ, dum ueneran
dum scilicet hoc sectæ suæ nomẽ methodũ extol-
lunt: eam uero quæ ex particulæ natura suggerit,
q; nec substantiã eius norunt, nec actionẽ, nec u-
sum, dũ à dissectione ceu inutili abhorrẽt. Itaq; ne
sciũt sitne ex ijs quę necessariæ ad uitã sint, an quę
necessariæ quidem non sint, non tamen omnino
infimæ notæ: sed nec an cũ eius affectu simul affi-
ciẽda pars aliqua primaria sit, an secus. adde quòd
nec an uasorum quæ in eo continentur, aliquod
possit per sanguinis profusionẽ hominem interi-
mere. nec si quis post nigrũ eius abscissum, quod D
integrũ est uinculo cõplectat, quò sanguinis pro-
fluuium declinet, an id ipsum periculo ulli sit futu
rum: nam leui saltem intuitu omentum neruosum
uidetur. proinde nisi quis exacte naturã eius habe
at cõpertam, nunq; audebit uinculo uti, cõuulsio-
nis scilicet metu. Horũ cum nihil mirifici isti Me-
thodici intelligant: ubi nigrũ redditũ omentũ est,
sanè dicere quid agendum sit, nõ possunt. At nos
(arbitror) possumus, qui cum usum eius nõ adeo
esse animali magnũ, substantiãq; eius ex mẽbrana
tenui ac arterijs uenisq; cõpositã sciamus, horum
tamen initia ex maximis orta, tum arterijs, tum ue
nis intelligamus: sanguinis quidem profusionem
cauebimus, coafficiendos uero neruos non time-
bimus. proinde id quod supra nigricans positum
est, uinculo excipiemus, quod post uinculum est,
amputabimus: atq; ut in imo fine iam cõprehen-
sæ gastroraphiæ uinculi fines pendeant, curabi-
mus: quò nimirum facile eas cũ uulnere suppuran
te computruerint, recipiamus.

5 Ac de reliquis quidẽ corporis partib. dictũ ab
unde sit: nunc de ossibus agendũ superest. qñ his
quoq;, de quo nunc agit, morbus accidit, quẽ uni
tionis siue continuitatis solutionem appellamus.
Huic cũ in hanc inciderit partẽ, propriũ nomẽ in-
ditum græce est κάταγμα, omnibus ferè homini-
bus qui græce loqui norũt, tritum. ἄπαγμα nãq;,
medicorum appellatio propria est, plebi inusita-
tum. Solent autẽ ita nominare quoties ossis finis
qua parte maxime cũ alio cõmittit, abruptus est,
sed & è fracturis ipsis quæcũq; fracti ossis partes
iam prorsus separarũt, eas καυληδὸν factas græce
dicunt. Patet uero eiusmodi diuisionẽ per trãsuer
sum esse factã. ueluti alterã esse, quæ per longitudi
nẽ magis sit facta. in qua uero nõ omino separant
à se partes sic affecti ossis, sed uelut per rectitudi-
nem finduntur. quod genus σχιδακηδὸν fieri dice
re solent. Non desunt ex medicis iunioribus qui
adeo ambitiose omnes fracturarum differentias
proprijs interpretentur nominibus, ut etiã aliquã
ἀλφιτηδὸν, id est ad polentæ speciem fieri dicant:
non contenti oratione os quod uarie sit fractũ, ex
plicasse. At non Hippocrates huius fuit sentẽtiæ:
sed quoad fieri licuit, usitatissimis utens nomini-
bus, oratione interpretari nõ est grauatus nõ has
modo fracturarum differẽtias, uerũetiã earũ quæ
in capitis ossibus eueniunt. Ac si ad eum modũ de
omi uitio egisset, profecto breuis mihi proposita
tractatio fuisset. Nunc cũ plurimorũ uiam qua sit
insistendum indicarit, sed quæ particulatim sunt
agẽda, inchoata indefinitaq; reliquerit, necessum
est in illis immoremur. nec tamen etiã illa præteri
re iustum fuerit: sed quæ tradita illi perfecte sunt,
ea summatim cõmemoremus. quibusdã uero de-
monstrationẽ adijciamus, utiq; ijs quę ab eo ratio
ne parũ sunt munita. eorũ præterea quæ parũ sunt
definita, quædam definiamus. & quæ inordinata
sunt, ea in ordinem disponamus. postremo ex ijs
quæ ille parũ lucida reliquit, quibusdã lucẽ adda-
mus. Verũ si in singulis uerba eius adscripsero, ex
positorij cõmentarij longitudinẽ liber noster ha-
bebit. Nec deerit fortassis aliquis, qui immodicã
lõgitudinẽ nostrã hic merito accusabit: qui de hac
in tertio, & quarto uolumine parũ merito est quæ-
stus. In his eñ necesse fuit mihi multa Hippoc. ex
eo lib. qui De uulnerib. inscribit, loca apponere,
quib. reliquis medicis ostẽdere cuiusmodi res sit
methodo quadã ulcerũ curationẽ conscribere. In
libro aũt quo De fracturis præcepit, quis adeo est
stupidus ut doctrinã eius omnem, ceu lucidã pla-
neq; absolutissimã nõ suspiciat? Quòd si quis etiã
unus uidelicet alterue dicat parũ se id opus mira-
ri, his oportunissime respondeatur illud poetæ:
hos unum atq; alterum permitte tabescere. Quæ
nam igitur sit fracturæ curandæ uera methodus,

quamq; ipsa rei natura præscribat, iam tempesti- A
uum dicere uidetur: atque hinc sumpto initio.
Quoniã fracti ossis soluta partium cõtinuitas est,
utique finis quò tendet is qui eas curabit, saltem
primus, unitio est. Quòd si is per affectarum parti
um siccitatem perfici posse nõ uideatur, restat al-
ter, qui est ut alterius cuiusdam interuentu gluti-
nentur. qui si nec ipse comparabilis aduertitur, in
sanabile esse uitium dixeris. Quòd igitur coalesce
re nequeat, tam durum os, quàm id quod in iuue-
nibus & adolescentibus, & uiris, multoq; magis
in senibus cernitur, id profecto uel cuiuis patere
potest. Potest certe illud tantũ unitionẽ recipere
quod abunde molle est: cuiusmodi conspicitur in
puerulis. Quòd aũt alia quapiã interueniente sub
stantia seu glutino quodã agglutinari colligariq; B
secum separatæ fractis ossis particulæ queãt, hinc
maxime speret quispiã. Monstratũ est omnẽ ani-
malis particulam propriũ ac simile sibi trahere ali
mentum. Id si uerum est, ossium certe idoneũ nu-
trimẽtum, & crassius, & magis terreum, quàm ali-
ud quoduis nutrimẽtũ in toto animali fuerit. Nõ
est igitur nec à ratione alienum, nec quod fieri o-
mnino nõ possit, ut quod ex hoc ipso proprio ali-
mento redundat & in labris fracturæ concrescit,
suo ipsius interuentu illa quoq; cõglutinet. Quin-
etiam ita usu euenire conspicit, subscribitq; spei
quam ratio suppeditat, etiã experientia ipsa. Itaq;
considerandum deinceps est quanam potissimũ
ratione corpus hoc quod fracturis innascit, quan-
tum qualeq; sit, prouenire possit. Nam quòd nec C
quantumlibet, nec qualecunq;, sed quod medio-
critatem in utroq; seruet requirimus, id planè est
euidẽs. Porrò huius symmetriæ, tum qualitate, tũ
quantitate inuenta, deinceps est ut qua maxime
quis utrunq; assequat rationẽ ipsam quærat, Sed
nec tẽpus quo hæc effici cõueniat, minus necessa
rium quæsitu est, utrũne statim à fractura facta, ue
luti statim in uulneribus moliebamur unitionem,
an id cõmodum tempus non est, sed aptius aliud
requirendum. Sanè inuenias hoc quoq;, sicuti &
reliqua oĩa ex ipsa rei natura edoctus. Quænam
igitur est ipsius rei natura? Nempe os fractum sub
aliqua paulo ante cõprehẽsarũ differentiarũ. Age
igitur uideamus, nunquid à singulis differentijs
aliquid desumi ad eius curationẽ possit: ab ea quã D
καυληδὸν, id est per transuersum fieri diximus, or
si. Dissident sic à se in hac fracti ossis partes, ut è
directo non iaceant. Quare patet primum id esse
agendum, ut in directũ agantur: tum eorum quæ
deinceps sunt, aliquid geratur. Sanè eum sitũ ha-
buerint, si quis ea quæ sic dissident, integræ partis
exemplo usus, in contrarium adducat, à qua nimi
rum certissima indicatio trãspositionis eorũ erit.
Fieri eñ potest ut tum prorsum, tum retrorsum,
tum in hanc partẽ, tum in illam mẽbri facta trans-
latio sit. Quæcunque igitur retrorsum magis sunt
acta, ea prorsum impelli conueniet: nec minus al-
teram quoq; fracti ossis partem modice, ad con-
trarium retrudi. Contra, quæ prorsum sunt e-
mota, hęc rursus ipsa quidem retrorsum, reliquam
uero partem sensim duci prorsum. Eodem etiam
modo, et eorum quæ ad dextram sunt detorta, me
dicatio est, si ad sinistram ducantur: contraq; eo-
rum quæ ad sinistram, si mutent ad dextram: sem-
per scilicet altera parte modice in cõtrarium acta.
Cæterum in adducendis cõtrario motu partibus,
ne quæ frangantur earum extantiæ, non leue peri
culum est. Neq; enim (ueluti in serra desectis uisi
tur) leuis est utriusq; partis finis. Nam si illæ fran-
gantur, non poterunt ad amussim secum coaptari
fracti ossis fines, duplici de causa. Nã siue ipsa fra-
gmenta inter partes cõiungendas interciderint,
non sinent ea quę adaptantur, se contingere: siue
quid forte ossium extra ceciderit, nec sic quidem
eorum quæ effinxeris, exacta coniunctio erit, sic
ut pristinam unionem imitentur, quippe quæ so
lum tum demum erit, cum ossis extãtiæ in suas ca
uitates fuerint reconditæ. Quòd si semel cõminu-
tę perierint, necessum est inter applicata simul os-
sa uacans interueniat spatium, in quod sanies col-
lecta, atq; in tẽpore putrescens, totũ pariter mem
brum secum corrumpet. Atq; ob hæc quidẽ, quæ
dissidẽt ossa, è directo admota esse oportet, quod
commode certe fieri nequit, nisi retrorsum prius
sint tracta: ἀντίτασιν uocant. Oportet igitur aut
manibus ipsis, utiq; si paruum sit membrũ, aut uin
culis circũpositis, aut unà cum ijs etiam instrumẽ
tis, cuiusmodi nos Hippocrates docuit, antitasin
ossium facere. Postea uero q̃ abunde retracta fue
rint, nec ullus supersit metus ne se in adducendo
tangãt, tum in directũ opponere uinculaq; remit
tere, ac musculis ipsis diductorũ in idem cõmissio
nem permittere: interim uero te ipsum quoq; ma
nibus subseruire, ac sicubi aliquid paulum subsul
tet, corrigere, atq; formare. Ab ijs secundum, quò
diriget, fuerit, ut immotũ prorsus mẽbrum consi-
stat, ne quid eorũ quæ effinxeris moueatur. quan-
do ita necesse est ea rursum dissidere. Ac si ipsi qui
dem ægrotanti, ut quietudini membri prospiciat,
iniunxeris, uigilans fortassis probe id curauerit:
at dormiens omnino membrum mouebit. Vt igi
tur non dormiẽtis modo hominis, sed etiam ad de
sidendum, itemq; cũ cubile resternitur surgentis,
eorum quæ formata sunt, positura seruet, tuta de-
ligatura complecti fracturã oportet, quæq; fracti
ossis partes secũ coarctare adamussim possit. At
uero cũ laxior deligatura ossibus moueri permit-
tat, arctior uero cõstringẽdo, dolorẽ excitet: dan-
da opera est, ut uitato ambarũ incõmodo, utriusq;
fruamur cõmodo. Id fiet, si quod nimiũ est, decli-
nabimus. Ergo nec adeo arctare deligaturã debe-
bimus, ut iam cõprimat: nec remittere ut laxa sit.
Ac siquidem æqualis esset crassitudinis mẽbrum
quodq;, utiq; latissima fascia esset commodissima,
utpote quæ totum æqualiter continenterq; ex o-
mni parte fractum os cõplecteretur. Sed quoniã
id non est, pectori quidem latissimam licet cir-
cumponas, artubus certe & iugulo nõ potes, sed
in talib. utilior est angusta, ut pote quæ nec rugas
contrahet, & totius membri cui circundata est, cu
tem continget. Verum si paucis complexibus fra-
cturam

cturam continet, parum tuta est. Quantum igitur securitatis ex angustia deficit, tantũ ei ex iniectionis numero, & uersus integrũ deductione est adijciendum. Sed quoniã deligationum quæcunq; citra dolorem carnem constipant coarctantq́;, id uirium habent, ut ex ijs partibus quibus primũ iniiciuntur succos exprimant, in eas, in quas ipsæ sunt finitæ reponant, atq; figant: non alienum à ratione arbitror deligaturæ principiũ super ipsam fracturam iniici, abhinc uero ad reliquum membrũ dispensari. Etenim qui cõtra deligat, is ab integris ad ægram partem sanguinem compellit. Atqui si ab ægro loco incipiat, in integrum finiat, non solum innoxia eiusmodi deligatura in ijs quæ diximus erit: sed etiam utile quiddam cõtulerit. quippe cum nullam circum fracturã sinet excitari phlegmonem. cuius rei curam habere in primis oportet. timendum enim est ne tum ex illa in diuersum retractione, quam membrum in suam formam effingentes administrauimus, tum uel magis ex eo quod causæ quæ fracturã faciunt, plerunq; circundatam ossibus carnẽ constipando cõtundendoq́; prius lædunt, magnæ subsequantur phlegmonæ. Nec sanè mirer, si phlegmones quiddã simile etiã ipsis fractis ossibus ad portionem accidat: quãdo etiam quæ parum probe sunt curata, magis humida, q̃ pro natura sua manifeste cernantur, ubi uidelicet unà cum uulnere os perfractũ sub aspectus notitiam uenit. Quinimmo nec ossis caries, quem sphacelon uocant, ex alia occasione oboritur, quę ipsa totius ossium substantiæ corruptela quædam est. Non igitur negligendum quin totum superuacuum humidum ex omĩbus quæ circa fracturam habentur partibus, exprimas. Incipies itaq; ab ægra parte, ac cum bis ter'ue circũdederis, inde sanum uersus progredieris. Siquidẽ qui ita deligat, & ab integris ad laborantẽ partem sanguinis confluxum arcet, & quod iam collectum in ea est, exprimit. Cum uero duæ partes sint quæ & recipere aliquid à laborãte particula, & trãsmittere ad eam possint, utiq; quæ superiacent, tum propter multitudinẽ, tum magnitudinem ad ambo magis sunt habiles. Extremæ uero propter contrarias conditiones exiguum quidem aliquid, uel recipere, uel transmittere possunt. multum uero nec ægris partibus sumministrare, nec ab ipsis recipere. quocirca cum duas primas fecerit Hippocrates deligaturas, priore quidem tum quod in laborãte particula cõtinetur, ad superposita expellit: tum quod ex his confluit, repellit. reliqua uero primis quidem complexibus, quos super ipsam fracturam facit, itemq; fasciæ ad inferna progressu, eò quædam extrudit, quædam ne quid illinc confluat, prohibet. Reliquis deinceps omnibus, quibus uidelicet ab infimis partibus sursum recurrere deligaturã censet, ut eodem uidelicet loco cum priore finiatur: tum ad superiora repellit, tum confluxũ ab ijs prohibet. Muniunt igitur ac stabiliunt fracturam, nec phlegmonen oriri sinunt prima duo lintea. non tamen ea quæ dicta sunt, ad ambos hos usus satisfaciunt, præsertim sola. Vnde ad eorũ quidem tute-

A lam Hippocrates præsidium excogitauit, ut splenia una cum exterioribus fascijs adhiberent, quæ hæc quoq; ipsa stabiliant. Ne autem phlegmone oriatur medicamento quopiam ex ijs quæ phlegmonẽ prohibẽt, uti iubet, quale nimirũ est ceratũ liquidũ. Hæc igitur omnia ratiõe ut cõprehensum est dictante, sunt inuenta. & præter hæc ipsa repositionis figura, quæ ipsa quoq; geminæ indicationi subijcitur, priori quæ ex solis communibus notionibus pẽdet alteri quæ ex curandorum organorum naturali cõstitutione prẽstatur. Prior igitur eam quæ maxime à dolore abest, eligendam figuram suadet, quò nec phlegmonen particula cõtrahat, & æger persistere in una ea diutissime immotus possit. Secunda quæ ex curando-

B rum sumitur natura, arterias, uenas, neruos, & musculos quàm rectissimos poni prẽcipit. Sed & cõsentiunt inter se hæ indicationes: quãdo & rectissima cuiusq; partis figura maxime est à dolore aliena: & quæcũq; magis quàm alia est à dolore libera, ea maxime naturalis membro est: brachio quidem angulosa, quæ ἐγγώνιος Græce dicitur. cruri uero quę paulo minus porrecta est. Porrò ad dolorem uitandum non modo naturalis habitus cuiuis instrumento est utilis, uerumetiam cõsuetudo quoque conducere nonnihil uidetur. Atq; hæc quidem figuræ in qua custodire membrũ cõueniat, inueniendæ ratio est. eadẽ porrò inueniendæ figuræ ratio est & in distensione, & cum in naturalem situm aptantur fracti ossis partes. Etenim

C expedit, ut in rectissima atq; à dolore alienissima forma membrũ tum distendas, tum in naturalẽ habitum coaptes: multoq; etiã magis ut sub eadem figura tum deliges, tum ad quietẽ reponas. Siquidem sub alia deligare, in aliam uero mutare, nõ dolorem modo incitare potest, uerumetiam ossa intorquere. nam si eorum quæ præcapta sunt in cõmentarijs, quos De musculorum motibus scripsimus, obliuio obrepsit: necesse est ubi figura mutatur, alios musculorũ tendi, ac uelut contractos rotundari, alios solui, ac remitti. Ergo ubi tendũtur, tum premi eos à deligatura est necesse, tum ex cõpressione ipsa dolere. ubi uero tẽsio remittitur, ea in parte deligaturã esse laxam, fracturamq; fulcimento destitui. Horum igitur omnium causa tum

D extendere, tum effingere, tum deligare, tum reponere una ea figura, quæ doloris minimum habeat, præcipue est studendum. Atq; ad primũ quidem opus, quod in fracturis molimur, nullum iam relictum est præceptum. Soluere autẽ ex Hippocratis sententia tertio die debebis, quò in mẽbro præter solitum cooperto, nec dolor nec pruritus creetur, nec eius quod iam infixum fracturæ est, perspiratio prohibeatur, cuius occasione non modo noxius pruritus quibusdam accidit, sed etiam cutem ex acrimonia saniei erosam exulcerari. infundendũ igitur tantũ tẽperatæ aquæ est, quantũ ad euocandã eiusmodi saniẽ est satis. Quod si rursus quoq; simili modo facies, utiq; septimo id à primo die facere debebis. Apparuerint uero iam omnia, modo nihil impediat, phlegmone libera, ac q̃ pro

naturali habitu magis aliquãdo gracilia. Tum igitur licebit & ferulas circũponere, et soluere ex maiore interuallo. Nam antea cũ phlegmone scopus uinceret, tutũ nõ erat ferulis premere. Nunc cum ea desiit, ac stabilire fracturã est opus: sane non incõmode his utare. Sed & soluere ex maiore interuallo licet, uidelicet nõ desiderãtibus pręterea partibus saniẽ excernere. Quinetiã callus quẽ πῶρον Gręci dicũt, felicius ita prouenerit: quãdo ad hũc gignendũ (sicut dictum est) cogi cõcrescereq́; aliquid proprij ossium alimẽti oportet. Nõ est igitur hoc à labris fracturæ eluendũ, aut foras euocãdũ, quod certe assidua solutio faciet. At uero nec tanto interuallo intermittendũ, ut nescias queãdmodum fractura procedat. Vidimus enim nõ semel cũ ualenter siccarent̃ ossa, ægre prouenisse callũ.

B Expedit igit̃ istis tertio uel quarto die modice aquam calidã infundamus, hanc metã finiẽdæ perfusionis habẽtes, cum carnes in rubrũ tumorẽ attolluntur. Atq; in his quidẽ priusquã subsidere incipiãt, desistendũ est. Contra ubi digeri quid uolumus, non prius est desistendum q̃ quod ex perfusione intumuit, subsidat. In quibus uero quo minus callus in fractura proueniat, humiditas abundantior obstat, ibi hanc siccare (sicut prius est dictũ) cõuenienti deligatura, & perfusiõe aquæ quę uel minima omnino sit, uel plurima, conabimur. Quippe minima cũ prius desistat q̃ aliquid cõfluat, & qui ad manũ humores sunt, per spiritũ digerit: & qui in alto sunt, modice liquat. Expedit autẽ ita solui liquariq́; ea quę per deligaturã sunt expellenda. Plurima uero digerit, plus q̃ attrahit. Sane

C cõstat in ea quidem deligatura quæ exprimet, minus esse arctandos fasciarum fines: in ea uero quæ ad nutriendũ est cõparata, nec minus hos arctandos, & uniuersos circunductus laxiores faciẽdos. Quoniam autem non solum quo tempore subueniendum callo gignẽdo sit, sed etiam quo pacto, est inuentum: reliquum fuerit de uniuersa uictus ratione præcipere. Ac quòd in principio quidem sit tenuissime cibandum, id ubi de propria phlegmonarum curatiõe agemus, dicetur. Porrò monstrabitur, & quòd uenam incidere interdum oportet, & per uentrem superuacua expellere. At quo tempore callus gignitur, nutriẽdum corpus est cibis boni succi, & qui multũ nutriãt, ex quibus pro

D uenire succus soleat non solum bonus, sed etiã tenax, ex quali fieri callũ maxime expedit: quippe cũ ex serosa humiditate ac tenui gigni prorsus nequeat. Ex crassa uero, sed quæ fragilis sit, ac pinguitudinis expers, gigni quidem poterit nõ segniter, cæterum tempore siccescens, friabilior atque ita fractioni obnoxius reddet̃. Magnitudo calli ea sit quæ & ossibus tuto uinculo sit, nec musculos tamẽ comprimat. Nam qui minor iusto est, hic ossa parum reddet tuta. qui maior est, dolorem musculis inuehet. Attendendũ uero diligẽter est, ut uel promoueat̃ si minor iusto proueniat: uel inhibeatur, si immodice increscat. Sũt uero quib. hæc efficies, ipsius perfusionis, tũ quãtitas, tum uero qualitas. pretereaq́; ciborũ quantitas, ac medicaminũ

A quæ illi extrinsecus imponuntur facultates. Ac de perfundendo quidem & uictus ratiõe supra est dictum. Ex medicamẽtis uero quæcũq; emplasticã substantiam habẽt ac modice calfaciunt, ea callos tum promouent, tum uero augent. Quæ uero digerendi uim obtinent, ea magnos iam callos diminuũt. Si uero nec augere callum, nec minuere studes; sed eo sicut ultro prouenit, es contentus: medicamento aliquo eorũ quæ cruẽtis adhibent̃ uulneribus, utere. quæ cum modice siccent, etiã coagulari ac concrescere mediocriter callum faciunt. Ac de transuersis quidẽ fracturis hæc satisfaciant. De longis uero reliqua omnia ad eundẽ se habent modũ: cæterum cõprimendæ hæ magis in ipso fracturę loco sunt, tum quod recessit, retrudendũ introrsus est. Quæ uero cõfracta multifariã sunt, potissimum cum ulcere quemadmodũ fieri plurimũ solet, ijs splenia circũdãda ascię ritu incurua Hippocrates præcepit, eaq́; uino imbuta tum austero, tum nigro, æstate potissimũ. Quippe putrescunt siue oleo quis utatur, siue cerato: cum postulent amplius quàm reliqua siccari, utpote uitio ipso reliquis maiore. Quinetiam medicamenta quoq; omnia ex siccantium sint numero: sicuti ille præcepit, sed simul modũ ipsum siccationis definiẽs. Et enim ex enæmis eiusmodi esse pharmaca uult. Quòd si protinus ab initio quis ipsis utat̃, tale esse debere enæmon suadet, quod imbui sit aptum. Ac reliqua quidem omnia ex illius pręceptis sunt peragenda, non in ijs quæ dicta sunt modo, uerũ etiam siue nudatum os desecari serra postulet, siue fragmenta quæpiam uel teipsum eximere, uel expellenti naturę subseruire oporteat. De ijs uero quę cruribus supponuntur organis, quos σωλῆνας Græci uocant, quæcunq; Hippocrates addubitauit utenda'ne sint, nec'ne, & omnes norunt, & laudandas esse rationes censeo. Quod autem neotericis inuentum est glossocomon, quo maxime tempore gignendi calli utimur, laudãdum id quidem quãtum aliã quamuis eiusmodi machinarum ducimus. Verum nõ uidetur id Hippocrates nouisse, quanquã aliàs in organis, quæ usui forent, excogitandis non indiligens. At uero quod cruribus subijcitur instrumẽtum, rectè illis excogitatũ est: quòd per unicũ axẽ, qui in fine machinæ ad infernam eius partẽ est collocatus, contrariũ nixum toti mẽbro gemina tensione efficit. Nominat̃ earum altera (quæ utiq; membrum tendit in directum) Græce εὐθύπορον, id est in rectum procedẽs: quæ uero prius sursum, mox deorsum, ea μεταληπτική Græce dicitur, quasi translatiuã dixeris. Obeũtur ambę per laqueorũ circumplexum. Porrò aptissimus in hunc usum laqueus est qui duas habeat appendices. Hic igitur cum in partibus membri quę infra fracturam sunt, iniectus est, priorem siue euthyporon efficit tẽsionem, brachijs scilicet ipsius axi circumpositis. Cũ uero in partibus quæ supra fracturã sunt, idem laqueus imponitur, metalepticen tensionem efficit, abactis uidelicet ipsius brachijs prius sursum, mox deorsum. Quippe hæc quoq; circũdanda axi sunt. Porrò circũactum ac

ueluti flexũ brachiorũ laquei qui à superiorib. partibus ad inferiores agiĩ, per trochilia fieri oportet quę in lateribus glottocomi sint posita. Licebit & solena uoces eiusmodi machinã & cũ adiectione sic, solena mechanicũ, aut glottocomõ mechanicum. Verũ de instrumentis uberius præcipiemus, quãdo de luxatis agemus, ubi etiã de uarietate deligaturarũ quæ superimponunĩ, non minus dicetur. Nunc uero postq; de mechanico solene mentionẽ feci, qui plurimũ cruri commodat, tum aliàs cum reponiĩ, tum uel magis cum æger cubile mutat, aut etiã è uentre aliquid excernit: nõ ab re fuerit, quò nihil tractatiõi de eo desidereĩ, multo magis illud glottocomon laudare, cuius alterũ laterũ itemq; tabellulã in qua pedem collocãt, quò nulli nõ quadret membri magnitudini, mobilia faciũt. Ac de reliquis quidẽ fracturis etiã hæc nosse, cum ijs quæ Hippocrates præcepit, sat fuerit. De ijs uero quę in capite accidũt, Hippocrates certe integrũ uolumẽ scripsit, ubi omĩa præcipit quæ in his sunt agẽda. & nos cum huic operi finẽ imposuerimus, enarrãda eius opera aggrediemur. Ad præsens uero quoniã in his cõmentarijs, & quæ supra ea quæ ille dixit sunt inuẽta, adijcimus, & quæ indefinite dixit definimus, necesse est primũ de cauis excisorijs scalpris quos Græce κυκλίσκυς uocant, mox de ijs quos à lenticulæ specie φακωτός uocant, post hos de angustis scalpellis, demum de medicamentorũ usu, aliquid agamus. Ergo de fracturis caluariæ quædã usq; ad secundã laminam, quã Græce διπλόην uocãt perueniũt. quædã usq; ad internã ossium faciẽ. quædã etiã simplices fracturę. quædã cõtusiones. quædã uestigia eorũ quibus inflicta plaga est. Quæ igitur simplices fracturæ ad secundã usq; laminã perueniũt, ijs quos modo diximus angustis scalpellis indigent. Expedit autẽ hos ut numero multos, ita magnitudine impares esse, necubi desit quod operi sit commodissimum. postea uero nudato prout fieri solet uitiato osse, utendũ primo quidẽ latiore, secũdo loco, eo quod illo est angustius, mox ita reliquis deinceps usq; ad angustissimum. Hoc uero in ipsa diploe est utendum. Post hęc tum protinus, tum ad finẽ usq; siccis medicamẽtis est medendum. Quæ ob id ipsum κεφαλικά Græce, id est capitalia, sunt dicta. Ea cõponunĩ ex iri illyrica, & erui farina, & manna, & aristolochia, & panacis radicis cortice. in summa, omnib. quæ extergere citra morsum possunt. ipsa namq; generatio carnis, naturę opus est. Itaq; ægro ad eam rem nihil opus est arte medica. Vt autẽ quæ prouenit caro, coalescat, circumhæreatq; omni ossis parti, id inde maxime eueniet, si neq; sordes super eo sit, nec oleosa quæpiã pinguitudo. Id igitur est quod ęgris medici ad carnis productionem præstant, ut totus locus siccus sit, tum quælibet uitiati ossis pars planè pura. Atque hæc quidẽ omniũ fracturarũ cum caro in his produci incipit, cõmunia sunt. Ex fracturis uero quæ ad cerebriusq; mẽbranas peruenerunt, si simplex tantum fractura sit, iam dictis scalpellis angustis utendum. Sin cum contusione aliqua, quod contusum

A est, excidi debebit, idq; uel terebellis prius in circuitu perforatũ, mox deinde scalpris admotis, uel protinus ab initio cycliscis. Ac quæ per terebellã quidem ratio fungitur, parum tuta est, propterea quòd dum audacius eam tractant, durã membranã quæ ossi substerniĩ, non raro uiolant. Quod uero per cycliscos opus administratur, ne id quidem omĩno uitio caret, cum quatiat immodice caput, quod potius quietẽ postulat. Mihi igitur hic quoque placet, si magnæ sint fracturæ, & ossa quæ fracta sunt, uehementer mota, cycliscis uti. quippe paucis excisionibus facies lenticulatis excisorijs locũ. Sin firma plurimũ ossa sint, foranda terebella sunt. Quidam aũt quo minus usquã aberrẽt, eiusmodi terebellas excogitarunt quæ mergi nõ possint, quas ab argumento ἀβάπτιστα dicunt. Circum
B currit enim parum supra terebellæ acutam cuspidem circulus quidam parũ extans. Sanè expedit cõplures id genus præparatas habere, ad omnem caluariæ crassitudinẽ. Nam crassiori longior terebra conueniet, (uoco autem ita cuius spatiũ quod inter summam est cuspidem, & circulum qui extans circumcurrit, maius est) tenuiori breuior. est autem huic quoq; quod interest inter cuspidẽ & quod circumcurrit, minus. Aliqui uero (siue illos his timidiores, siue cautiores appellem) etiam ijs quas χοινικίδας, id est terebella caua uocant, sunt usi. Tu uero si neq; improuidus eorum quæ fallere possunt, sis futurus, neq; plusquã satis est timidus, cõmodissime cycliscis utere. & primo quidẽ
C aggressu, latioribus. postea magis angustis, donec ad crassam membranã perueneris. Cæterũ quod excidi oportet, id totum circulo cycliscis nudandum non est, sed ex ea maxime parte qua fractura est grauissima. Nam præter alia, etiam membrana ipsa ab ossibus quæ uehementer sunt afflicta, celerrimè recedit: adeo ut nullus sit metus eam, quę iam seiuncta est, tetigisse. Si uero unam semel nudaueris partẽ, ac scalprum qui in cuspide præfixã habet obtusam leuemq; lenticulæ speciem, aciem uero per longitudinem erectam submiseris: ubi latam partem lenticulæ super membranam statueris, feries malleolo, ac sic caluariã diuides. Eueniẽt enim ita agentibus quæ requirimus omnia. Nam mẽbrana, ne si dormitãs quidẽ quis agat, latæ tan-
D tum lenticulæ parti occurrens uulnerari potest. Quæ sicubi adhęreat caluariæ, huius quoq; adhærentiam innoxie dirimit ipsa lenticulę rotunditas. Subsequitur uero præeuntẽ eam à tergo ipse scalper caluariã secans. Quare nec qui minus cum periculo, nec qui celerius perficiatur, forãdi modum alium inuenias. Maxime tamen hunc in uehementissimis fracturis laudabis. quas utiq; recentiorum nõnulli medicorum Græce ἐγγισώματα & καμαρώσεις nominant. Eggesomata quidẽ, quæ in medio sui membranę innituntur. Camaromata uero, quæ eandem ipsam partem, exaltatã habent. Cæterum qua primum ab integris fracturæ partibus diduci ęgra incœpit, intrò magis recedunt, ac mẽbranæ innituntur. Quippe celerrime in talibus quod ægrũ est, totũ exciditur: utpote cum promptius

ptius subintret lẽticulati scalpri finis in ijs quę plurimũ à naturali habitu recesserũt. Quinetiã instrumento, quod ὀστάγραν uocãt, aliquibus ossiũ quæ uehemẽter sunt cõminuta, uel exaltatis, uel cõuersis: ea potissimũ parte, ut demittat lenticulatũ scalprum præparabimus. Quo facto, succedunt deinceps omnia quibus est opus, cum securitate simul ac celeritate: ut fermè dixeris celebre illud dictũ in reliquis quidẽ omnibus probe se habere, Dimidium facti qui bene cœpit, habet. Hic uero non totius dimidiũ, sed uel totũ, uel paulominus totũ habeas, ubi lenticulatũ scalprũ immiseris. Atq; hæc optima est fracturarũ quæ in caluaria sunt, manualis tractatio: quam χειρουργίαν uocãt. Quantum uero excidere cõueniat eius quod affectũ est, deinceps exponã. Quod uehemẽter est cõfractũ, id totum est auferendũ. Sin uero ab eo fragmẽta quędam longius excurrant, (quemadmodũ aliquãdo cernitur accidere) hæc persequi ad finẽ non expedit: illud persuasum habentibus, minime futurum ut ex eo noxa sequatur ulla, modo reliqua omnia rite sint peracta. Nos eñ non semel aut bis, sed planè persæpe sic facientes uoti cõpotes fuimus. Indicatio uero agendorũ hic quoq; ex natura ipsarum partiũ affectarũ sumministrata est. Nam deligaturam quam in alijs fracturis ceu maxime phlegmonas arcentẽ ratio inuenit, capiti adaptare nõ possis, itaque nec quod affluit reprimi, nec quod in ægris partib. cõtinetur, exprimere queas. Sine quibus præsidijs nec reliquorũ ossium ullum seruari sanum potest. Nam pone in brachio ad medullam usq; fractum os esse, neminemq; postea pro fracturæ legibus id deligasse, omnino necessum erit saniem, non solum quæ foris sub cute & sub musculis est collecta, sed etiã quæ in medulla cõtinetur, tum ipsam primũ ac maxime corrũpere, tum cum ipsa os uniuersum, quando etiã nunc quoq; omnibus rite peractis aliquãdo talia contingunt. Quomodo ergo nõ uel magis in capite ea accidant, cũ nec deligaturã quæ fracturis debetur admittat, & omis sanies prona feratur, sic ut super membranã uniuersa coaceruetur? In alijs igitur fracturis deligatura cum rite adhibetur, tantũ abest ut superuacuam aliquã humiditatẽ colligi in læso osse patiatur, ut etiã gracilius ꝙ pro naturali habitu mẽbrũ reddat. in capite uero ratio quæ per deligaturã est excogitata, nec potest ita tum os ipsum cõfractũ, tum quæ illi circũstant siccare, ut neq; phlegmonen cõtrahant, neq; penitus ullam efficiant saniẽ: nec medicamentũ est ullum, quod uel in alijs quidem partibus citra deligaturã os fractum quatenus nunc dictum est, siccũ atq; ab superuacuis purum reddere ualeat. Necessum igitur est nobis primum fracturę aliquid nudare: quo uidelicet detergere & abluere saniem à mẽbrana liceat. post uero cum phlegmones tẽpus præterijt, omniaq; sicca ad unguem sunt, carnẽ producere, ac cicatrice locũ includere. Non est hic sermo nudus, rerumq; uacuus, cuiusmodi est ille sophistarũ, qui operum artis nescij quærunt cur capitis fracturæ callũ non ducant. Ducũt enim, uiri boni. Vosq; tam demen

A tes estis, ut eorum quæ non sunt, tanꝙ sint, causas assignetis. nouimus enim aliquando sincipitis os fractum, quod autẽ os huic ossi protinus succedit, tẽporis os uocatur, in quo ipsas squamatim cõpactas commissuras esse accidit. in eo luculenta fractura longissime pertinebat, quam ipse equidem minime contingens, sed tantũ sincipitis os excindens, hominem sanaui, sic ut nunc quoq; multos iam annos uiuat. Quòd si sincipitis quoq; os dimisissem, putruisset citius quæ illi suberat cerebri mẽbrana, ꝙ callum fractura duxisset. Nam si nulla ex læsis partibus sanies intrò conflueret, superfluum esset os excindere. Ergo illi prout solent nugẽtur. Ego uero in alia similiter se habente fractura cogitaram supernum os dimittere, ac quod à lateribus B erat quò sanies deflueret, eximere. mox cũ & crassitudinem eius & duritiam æstimassem, utilius fore iudicaui supernũ os potius eximere, ꝙ ob defluxus solicitudinem cerebrum ualenter concutere. Cogitaui præterea accidere posse ut si à latere magnum fieret in ossibus foramen, promineret fortassis hac parte cerebrũ. Est porrò & in lateribus non uno in loco etiam neruorũ, horumq; non leuis momenti, quidam exortus: cum in supernis capitis ne minimus quidem usquam oriatur neruus. His admonitus abstinui ab eximendo osse, quod in latere capitis esset. At callum semper duxit, modo rite curaretur. Ac iam quod disquiramus, hoc ferè superest, quænam sit postquã foratum os est, tum medicamentorũ, tum uniuersæ diligentiæ no- C stræ pręcipua omniũ ratio, utrum'ne blandissima, & quæ maxime uoluptati cubantis subscribat, ueluti qua nunc pleriq; utũtur. an quæ huic maxime est aduersa, nempe quæ per medicamenta quæ uehementissime siccẽt, perficitur. cuiusmodi & Meges Sidonius laudat, & ciuis quidam noster semper est usus, sic, ut etiam emplastrum quod Isin uocant, ilico nudatæ membranę imponeret, & super hanc foris oxymeli. Sanè is senex erat satis exercitatus in hac artis parte: cæterũ neq; alium quempiam his usum uidi, nec ipse uti sum ausus. Tantũ tamen testificari Eudemo possum (nam id seni nomen erat) magis fuisse seruatos qui ab illo curabãtur, ꝙ qui ab ijs qui blandis utebantur. Aggressus uero fuissem aliquãdo ipse quoq; experiri eiusmo- D di curationis rationẽ, si perpetuo in Asia mansissem. Sed cum Romæ plurimũ agerẽ, ciuitatis morem sum secutus, permissa ijs quos chirurgos uocant, maxima eiusmodi operum parte. Cæterum ipsam rei naturam æstimans, talem quãdam determinationem longa nostra experientia confirmatam cõcipio. Qui auditorius meatus dicitur, non solum usq; ad cerebri duram membranã pertinet, sed etiã neruum contingit, qui in ipsum à cerebro descendit. Is autem quanꝙ ita positus in uicino, tamen uehementissima (sicut dictum prius est) medicamenta tolerat. Nihil igitur miri sit, si post forationes crassa cerebri mẽbrana anteꝙ notabiliter phlegmone occupetur, ualentissimis gaudeat medicamentis, ceu siccam naturaliter substantiam habens.

ARGVMENTA SEPTIMI LIBRI

Cap.1 Procemium. Quòd posteriores hos libros aliquandiu posthabitos propter immaturũ Hieronis obitũ,cuius nomini priores libros cõsecrauerat, rursus studiosorũ & præcipue Eugeniani flagitatiõibus uictus in manus reuocarit. 2 Nectit hunc librum superioribus rationem reddens ordinis sui. Carpit Erasistratum,qui phlegmonem perperam describat, & causas affectuum non inquirat,sed partium imbecillitatem tantum,cum idiotæ cuiuis manifestam causetur. 3. Intemperiei curatio generatim. 4. Particulatim & per exempla docet de uetriculi alia atq; alia intẽperie curãda. 5.Temperies & cõstitutiones uẽtriculi in genere inuicẽ cõfert: & omniũ periculosissimam pronunciat siccã, utpote immedicabilem si exquisite talis sit. 6. Prolixo hoc capite seorsim intemperiẽ siccã,siue affluxu substãtiæ.i. sine materia factam,medicari docet. 7. Cura malæ tẽperiei siccæ & frigidæ uentriculi. 8. De curanda intẽperie uentriculi calida & sicca. 9. Cura intemperiei calidæ & humidæ. Fit etiã collatio inter hanc & calidam & siccam. Item quæ cura medeatur humidæ soli: & quænã frigidæ & humidæ. 10. Anacephalæosis omniũ dictorum hactenus de prauis uẽtriculi tẽperamẽtis. 11. Hactenus egit de praua dispositione uẽtriculi, quæ sine affluxu humoris cõtingit: hoc et sequente capite de ea dicturus, quæ cũ affluxu sit. 12. Curatio ueteris intẽperiei unà cũ uicioso humore in cauo uẽtriculi eiusq; pelliculis immerso. 13. De cura prauæ cõstitutiõis per medicinã, sũpta indicatiõe ab oblæsa particula corporis.

Aliter.

Curatio morborũ qui partibus similarib. cõtingũt, & præsertim uẽtriculi, quo in uniuersum exẽpli loco utitur. Curatio uentriculi mala tẽperie laborãtis citra humorũ multitudinẽ. Curatio uẽtriculi mala tẽperie uexati ex uitiosis humorib. in eo cõgregatis. De lacte & melle, & quo pacto is, qui ficciore tẽperie laborat nutriendus sit. Quo pacto uentriculus curari debeat, si quando à prauis succis obsideatur, qui in eius tunicis sint imbibiti. Vniuersales ratiões quæ ad ea pertinẽt, de quibus ipse particulatim exempli uice disseruit.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS,

Liber septimus.



MEDENDI methodũ, Eugeniane charissime, quã olim in Hieronis gratiã scribendã susceperã, posteaq; illum subito longũ iter ingredi coactũ, non multo post diẽ obijsse nunciatũ, ipsi quoq; persequi destitimus. Tu eñ mihi conscius es, neq; hoc me opus, neq; aliud ullum, popularis auræ studio fuisse aggressum: sed quò uel amicis gratificarer, uel meipsũ simul utilissima ratione ad rem propositam exercitarem, simul ad obliuionẽ senij (ut Plato inquit) cõmentarios mihi reponerẽ. Quippe multitudinis laus, cõmodum ad usus nõnullos instrumentũ uiuentibus aliquãdo est: mortuis certe nihil prodest, sicut neq; uiuentiũ quibusdã. Nã qui uiuere in trãquillo optarũt, ac fructũ ex philosophia ceperũt, & ijs quę corpori curãdo sufficiũt sunt cõtenti, ijs utiq; impedimẽto nõ paruo est apud uulgus fama, ut quę eos à rebus pulcherrimis plus iusto trãsuersos auferat: ueluti me quoq; non ignoras ab ijs quæ sunt molesta sic nonnunq; tædio affectũ, ut bono interim spatio ne tangere quidem librũ possim. Ego uero (haud scio qua ratione) ab ipsa usq; adolescentia mirifice, siue inspiratus, siue furore percitus, siue quomodocũq; dixisse libet, & uulgi famã contẽpsi, & ueritatis scientiæq; studio flagraui, nullã esse hominib. nec honestiorẽ nec diuiniorẽ possessionẽ ratus. Atq; ideo nulli librorũ meorũ nomen meũ præscripsi: imò uos (sicut ipse testis es) rogaui ne me immodice (ut soletis) apud homines laudaretis: nec nomen meũ operib. quę proderẽ, inscriberetis. Ob hęc igitur oĩa etiam medẽdi methodus quã inceperã à me est deposita, cũ capita inuẽtorũ breuib. cõmentarijs mihi ipsi scripsissem, nec ullã pleniorẽ docẽdi rationẽ etiamnũ adiecissem. Nunc quãdo & tu, & alij ex amicis nõ pauci exigitis quę subinde me opere in ægris peragere uidistis, ut ea in cõmentarios redigã, adijciã huic operi quod reliquũ est.

2 Ergo in horũ commentariorũ tertio, quarto, quinto, & sexto quẽadmodũ similariũ instrumẽtaliũq; partiũ communẽ morbũ curari cõueniat, scripserã, idcirco nimirũ ab eo auspicatus, q; & cõspectior reliquis esset, & euidenter omnes prope modũ priores medicos qui certa methodo artem tradere polliciti, amethodi in ipsis curationibus deprehenduntur, cõfutaret. Nam cum ab Hippocrate discesseris, qui nobis omniũ salutarium præceptorum semina præbuit, reliquorum certe nemo uel conatus est genus hoc morbi methodo curare. Postulant autẽ & quæ Hippocrates ipse reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminẽt cõmode, tum augeant, tum perficiant. Id autẽ fecisse ante nos neminẽ, sed plerosq; etiã semina quę reliquit, corrupisse, ijs qui animum aduerterunt, clare monstratũ arbitror. Itaq; hoc morbi genus uel cõtinuitatis solutionẽ, uel unitionis, uel qualitercunq; est libitũ appellare cuiq; permisimus: quando de nominib. nec in hoc opere nec in alio medicinaliũ ullo laboramus, sed quo pacto artis maxime finem consequamur. Reuertamur autem nũc ad morbum eum qui omnium est primus, nempe qui in similaribus nascitur, quibus scilicet primũ animantis functiones referuntur acceptæ. Siquidem mõstratum in alijs operibus est quemadmodum instrumentaliũ quamq; partiũ aliquid agere dicamus, ueluti oculum uidere, aut crus ambulare. Esse enim sicuti id quod præcipuum est actionis crurum, non cruris totius, sed musculosi in eo generis: sic uisionem non oculi totius, sed crystallini in ipso humoris, ac in reliquis quibusq; organis ad portionem. Porrò ostensum in secundo horum uoluminum est, genus hoc morbi non solum cognitu esse maxime necessarium, sed etiam neminem ipsum ratione curare posse, qui prima corporis elementa non norit. Præterea non intellige-

re ea quæ dicant, nonnullos eorũ qui Rationales se nominant, quoties imbecillitatẽ esse dicunt uel uentriculi, uel intestinorum, uel iocinoris, uel oculorum, uel alterius cuiuslibet partis. Si namq; infirmitatem impotentiamq; ad naturale opus, ita nominãt, nihil plus plebeio intelligũt. quippe quem dicere audias imbecillũ sibi uentriculum esse. non eñ concoquere eum uel minima leuissimaq; quæ sumpsit. Quòd si imbecillitatem quæ est in uentriculo, affectum quempiam esse aiunt, interpretentur quæso nobis quem'nam demum hunc esse uolunt, quemadmodũ in phlegmone fecerunt. nam empirico sat fuerit, si symptomata laborantis particulæ exposuerit. nempe tumorẽ præter naturã, & renixum, & pulsatilem dolorẽ, & tensionem, & luborẽ, aliaq; id genus. imponitq; nonnunq; breuitatis docendi causa cunctis simul collectis unũ nomen, sicuti comprehensis iam phlegmonẽ. Dogmatici uero non itidem: sed ipsam morbi naturam inspiciunt, quam symptomatũ illorum collectio necessario sequitur. Siquidem Erasistrato uidetur sanguis qui in arterias incidit, ubi spiritu impellitur, in exitu earũ impactus hærere: idq; phlegmone esse. At par (arbitror) erat uel Erasistratũ ipsum, uel aliquem ex sectatoribus eius, simili modo affectũ qui in imbecillitate cuiusq; partis subest interpretari. Tanquam enim de phlegmone in quid'nam trãslatus naturalis partis habitus sit, explicuit: ita ratio exigebat, ut & translatio cuiusq; particulæ in imbecillitatẽ, ab eo explicaretur. Nõ enim cum pro naturę ratiõe est affecta, ad propriã actionẽ est imbecilla: sed accessit omnino aliqua præter naturam occasio, quæ eam dissoluit deiecitq;, & mortuæ similẽ effecit, quã utiq; nec Erasistratus dixit, nec Herophilus, nec alius quispiam medicorum, qui de primorum corporum natura ausi aliquid pronunciare non sunt.

3 Cæterum, immorandũ in his diutius non est, cum præsertim abunde prius mõstratum sit & genus hoc morbi utilissimũ esse quod à medicis disquiratur: & qui cõmode id sit tractaturus, huic necesse prius esse de elementis cõsiderasse. itaq; qui nobis habendus sermo est, is totus ex prius demõstratis elementis absoluetur, de quibus unum (ut scis) uolumen edidimus, quod de elementis secundum Hippocratẽ, inscripsimus. Sanè eadem opinio de corporis natura est tum Diocli, tum Mnesitheo, tum Dieuchi, tum Athenæo, tum probatissimis ferè quibusq; medicorũ, itidem ut præstãtissimis philosophorum: ut qui ex calido, frigido, humido, & sicco mista putent tum alia corpora uniuersa, tum uero animantium in primis. Cæterũ ei qui de his omnibus primũ pronunciauit, demonstrauitq;, iustum arbitror reddere quod inuenit. Ideoq; & nos ea secundum Hippocratẽ elemẽta uocamus: etiam si maxime Chrysippus, Aristoteles'ue aut alius quispiã medicus philosophus'ue similiter de ijs sit opinatus. Ergo quoniã unaquæque animalis particula propriã actionẽ edit, quæ tantum ab aliarum actionibus differt, quantũ ipsa particula ab alijs quæ illas edunt, est diuersa: Differt uero ab alijs particula quæque eo quod calidior, uel frigidior, uel siccior uel humidior sit, aut quòd binis horum quibuslibet sit affecta: qui tueri actionem uult, hic temperamentũ earum custodiat oportet. Custodiet autem, si id quod ad calidius est cõuersum, refrigerabit: quod ad frigidius inclinatum est, calfaciet. Pari modo si quod ad siccius est alteratũ, humectabit: & quod ad humentius est uersum, siccabit. Rursus quoq; si siccabit pariter ac calfaciet quod humidum est redditũ, & frigidum: siccabit & pariter refrigerabit quod humidius simul & calidius euasit: & in reliquis duabus cõiugationibus ad portionem. Semper enim pro eo quod exuperat, inducendum eousq; contrariũ est, quoad particulam in symmetrian, & naturalem habitũ uindicaueris. Ac genere quidem, omnis ægritudinis, quæ in similarib consistit, iam dicta mihi medendi est methodus. Cum eñ octo earum sint differentiæ, ueluti in libris De morborum differentia est traditum, octo nimirũ erunt & medendi rationes, quarũ una (quò medendis consilia diriguñt) curationis meta cõmunis est, ipsius similaris corporis alteratio: quãdoquidem etiam morbus ipse ex intemperie & naturalis temperamenti alteratione est ortus. At quæ mẽbratim medicatio agitur, ex his duobus cõficitur. nempe materiæ copia, & huius congruo usu. Ac medicamẽtorũ quidem copiam, tum ex libro De simpliciũ medicamentorum uiribus, tum ex eo qui de eorũ compositione præcipit methodo, haurias licebit. Eorum quæ ad uictum pertinent, rationẽ hinc sumimus. Sed & quemadmodum cuiusq; particulæ intemperiem agnoscere oporteat, ex tribus operibus intelligas. primo eo quod De tẽperamentis, secundo eo quod De partibus afflictis, deinde eo quod Ars medica inscribitur. Non est igitur ad ea quæ nunc ordimur, ijs qui prudentes natura sunt, ac cogitationem in primis exercitarũt, multis præterea opus. cui neutrum horum adest, huic certe ad præsentem disputationem non parua re est opus. Quòd si in prauæ doctrinæ secta præterea sit altus, hic geminum tempus requirit: alterum in quo prauas opiniones dediscat, alterum in quo melioribus se exerceat.

4 Sanè te scimus & ex ijs quæ in uniuersum dicta sunt, particularia per te inuenire posse: & alioqui multos id genus morbos à nobis percuratos uidisse, sic, ut utraq; ratione particulariũ tractationem minus requiras. Sed quoniã (ut Plato ait) nõ possunt quæ scripta sunt, nõ è manibus excidere: quò si quando liber in alterius non exercitatæ rationis manus deuenerit, facilius hũc doceat, adijci particularium quæpiam oportet: ex quibus etiam protinus clare id quod proxime dixi, intelligetur fieri posse, ut per teipsum particularia inuenias. Siquidem ipse ea per meipsum õmia inuestigaui, ratione ipsa uiam monstrante: quando si præceptores secutus fuissem, ipse quoq; uẽtriculo imbecillis suasissem, ut cibis adstringentibus, & subamaris uterentur, uino quoq; similiter austero, præterea absinthio, & quod ex mali cotonei conficitur suc-

succo, alijsque eiusmodi quæ deuorantur medicamentis. At uero quod ad ea pertinet quæ extrinsecus applicantur, primũ perfundi uentriculum ex absinthio & oleo crudo iussissem: mox hapsum lanæ, tum ex ijsdem ipsis, tum uero ex unguẽtis melino, & mastichino, & nardino imponi: ab ijs cerata tum ex ijsdem cõpositũ: post alia pharmaca, utique ceratis ualentiora, quæ à medicis uocantur epithemata. Ea tum ex dictis unguentis, tum ex ijs quæ similem uim obtinent medicamẽtis cõponuntur. In quibus est aromatum quoque multitudo nõ parua: spica nardi, & amomum, & calamus aromaticus, & iris, & ladanũ, & malabathri folium, & styrax, & bdellium, & opobalsamum, & balsamum, & xylobalsamum, reliquusque aromatũ catalogus. Quòd si horum nihil profecisset, cõmune omniũ
B remedium, quibus imbecillitas nocet, in fine adhibuissem, nempe rubrificationem, (φοινιγμὸν Græce uocant) quæ uel per thapsiam, uel sinapi, uel tale aliquid excitatur. Deinde ad usum aquarum natura calidarum ablegassem. Quippe ultra hæc Empiricus nihil nouit, ueluti cõmentarij eorum docẽt. Quintus uero ijs qui de cruditate, aut inappetentia quererentur, primũ quidem exercitari suadebat, tum esse quæ et cõcoctu quàm facillima essent, & non multa: quibus hæc nõ contulissent, cogebatur ipse quoque ad Empiricorũ dogmata cõfugere. Nam quis nescit quemadmodũ calidum, frigidum, humidum, & siccũ mordere sit solitus, balneatorum esse nomina dictitans? Sine quibus tamen methodo curare partium imbecillitatem
C omnino nõ est. Quare per hos nihil obstitit, quo minus ipse quoque eadem instituissem uia in eiusmodi affectibus sanandis. Verum ratio me docuit octo imbecilli uentriculi curatiões. Vidisti igitur & tu quosdam uno die, uel potius hora, frigidæ potione leuatos, quorum alijs non modo aquam dedi fontanã recẽtem, sed etiam quę niue esset refrigerata, ueluti Romæ præparare solent, calfaciens scilicet prius, quam ipsi δηκόκταν, id est decoctã appellant. Cibos præterea ad eundem modum refrigeratos identidẽ me illis permittere uidisti. in quibus est & quam melcam uocãt, unus is quoque Romæ laudatorum ciborum. ueluti etiam aphrogala: sed & frigidæ facultatis fructus, similiter refrigerans. ijsdem dedi & ptisanam probe coctam, pa
D ri ratione refrigeratam: aliaque id genus sexceta. In quibus unam rem mihi proposui, ipsam scilicet refrigerationem. Vetui autem absinthium & quicquid adstringeret contingere, ueluti alios rursus à refrigerantibus abduxi. Calfeci autem omni ratione, uinum uetus ex eorum genere quæ facultate ualde calfaciunt exhibens: (cuius maxime generis sunt Falernum, & Surrentinum) tum nutrimẽtum quod calfaciendi uim haberet, cum largo pipere. In nonnullis omne consilium curationis ad siccandum direxi: dabamque ijs tum cibos qui natura essent sicci, ac probe assati: tum prorsus exiguũ potum. Iniunxi autem & adstringẽtium omnium usum, quem unum qui illis citra rationem medentur, norũt. Alium uero non pridem, qui iam adeo

A siccatus fuerat, ut simillimũ habitum præferret ijs qui marasmo marcescũt, sanaui, cõtrarijs omnino exhibitis ijs quæ egregij isti medici suaserãt. Quippe nõ ex alia occasione eò periculi uenerat, (cum inter initia exiguã intemperiẽ ex siccitate quę madefieri postulabat, habuisset) quàm quòd ij qui eũ curandum susceperunt, tum absinthio potantes, tum amaros asparagos, & bulbos edẽdos dantes, itemque mala cotonea, & cestiana, & punica, post quoque ubi uenter nihil horum continebat, etiam rhois succum bibere cogentes, tum quæ paulo supra dixi extrinsecus imponentes, paulo minus omnis madoris expertem reddiderunt. hunc nos sanauimus omni ratione humectantes, ipsique materiam inueniẽtes ex ea methodo quæ in opere De medicamentis est tradita.

5 Nam sicuti in libro De demõstratiua inuẽtione dixi, numerosis medicorũ inter se dissidijs undique cõfusus, ubi me ad iudicãdum de his cõuerti, intellexi prius in demonstratiua methodo exercitandum me esse. Quod cũ multis deinceps annis fecissem, singula ipsa dogmata subieci: atque prout inuentorum indicatio me ducebat, ita curationes institui. Verum quoniã id non omnes saltem possunt, expediet ipsis scribi per octo curandi indicationes particularis materiæ comparandę meditationes, à uentriculo rursus sumpto initio, quoniã huius primum mentionem modo fecimus. Ac facillimæ quidem ad curandũ alterationes sunt, quę ex calido & frigido consistunt, propterea quod maxime actiuis qualitatibus corriguntur. Aegrius curantur quæ in humido siccoque habentur, quod imbecillis & (ut sic dicã) magis materialibus qualitatibus eorũ curatio perficitur, potissimũque cum humectandũ esse requiritur. Ac tẽpus quidẽ caloris frigorisque reparãdi, par quodãmodo est, securitas tamẽ impar. Nisi enim cũcta quæ ei quod curatur circundata sunt corpora, ualida planè sint, metus est ne ab ijs quæ refrigerent, noxam cõtrahant nõ leuem. In reliquis duabus qualitatib. securitas similis est. Tempus curationis in sicca intemperie multo amplius. quippe quod senium in sanis est, id sicca intemperies est in ægris. Itaque etiam insanabilis est, si prorsus sit consummata.

6 Est autem prorsus consummata, ubi solida similariũ partium substãtia reddita est siccior. Nam est & altera siccitas, utique cum ea quorum substantia ex humore cõcreto cõstat, sicut caro & adeps, sunt liquata. Etiam tertia, cum propria humiditas unde partes nutriũtur, omino est absumpta. Continetur ea in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsus, de qua dictum alibi sæpe est. Hanc igitur inserere particulis sine nutrimẽto non est. Ideoque difficillima est omnium eiusmodi affectuũ curatio. Diuersa ab ijs siccitas est, quæ in proprijs cuiusque particulæ exilibus arterijs uenisque cõsistit. Prouenit & hæc ex sanguinis penuria. Omnibus itaque in his siccitatib. maxime cõtrarius est austerorũ usus, siue ea cibi sint, siue potiones, siue etiam medicamenta. quippe quæ si quid in ijs superest naturalis humoris, id absumunt, par

tim ebibentia, partim in sinũ uentris per exiguos meatus exprimentia, partim ad cõtinentes partes trudentia. Curabis igitur ipsas, si meatus qui contracti sint, dilataueris: ac quod in uicinas particulas est compulsum, reuellas. prӕterea singulas similarium partium propria humiditate, humectantis nutrimẽti ope repleas: ueluti nos quẽ memorauimus à medicis siccatum, curauimus. Is in ea cõtrarietate quæ in frigido & calido consistit, nullã euidenter uincentem habebat intemperiẽ, nec in uniuerso corpore, nec in uentriculo: siccus tamen & gracilis admodũ est redditus, propterea quòd uẽtriculus eius ex sicca intemperie imbecillus male cõcoxerat. Huic namq; omne curationis consiliũ huc tendebat, ut humectaret tum uẽtriculus ipse, tum reliquũ omne corpus. Quibus autem singillatim agendis, quibusq; maxime materijs sim usus, ut uoti compos essem, non sit ab re dicere. Domũ ei paraui maxime balneo uicinam, quales multas esse in diuitum domibus non ignoras. Ab hac statim in balneum super linteis mane intuli, utiq; ne si ipse se moueret, tum siccaretur, tum antequam commodum esset, exolueretur. Horum enim alterum contrariũ affectui est: alterum moram in balneo minuit. Longissime namq; in aqua uersari hominẽ expedit. ideoq; etiã natatiões utiliores sunt quàm parui aluei, quos πυέλους Græce uocãt, atq; ex ipsis natationibus potissimũ quæ propinquæ sunt foras egressui, quò scilicet illi ab aqua foras non longa sit uia. Nam aerem balnei in ijs qui ita sunt affecti, haudquaquã desideramus. Esto autẽ aqua ad unguẽ temperata. cum quæ frigidior est, latenter frigus corpori infirmo insinuet. calidior autem cogat cõstringatq; tenues meatus, ac denset. At nos eos cũ coacti sunt, remitti, laxari, ac dilatari postulamus. quod temperatæ aquę qualitas præstat, utpote quæ iucũdissima cum sit, naturam ad explicãdum se, atq; ad dulcedinem quam præstat, quoquo uersus extendendã prouocat. contraria uidelicet ratione ijs quæ sunt iniucunda: ab ijs enim recedit, fugitq; ad profundũ. Quo minus mirum est ex offendentium contactu stipari, cõstringi, ac durari corpora, tenuesq; eorum meatus cogi, ac densari: contraq; ijs scilicet quæ iucũda sunt, succedere contraria, utiq; fundi ac molliri corpora, dilatariq; meatus. Ab eiusmodi lauacro statim asininum exhibui lac: sed inducta in ipsam qua iacebat domum asina. Quippe sic mihi persuaseram maxime quidem celeriter hominem sanandum, si fieri posset, ut ipse asinam sugeret: sin id grauaretur, expedire ut quàm minimo tẽpore in aere ambiente lac moraretur, propterea quòd celerrime mutari sit aptũ. utiq; genitalis seminis ritu, quod nec ipsum aliquandiu extra propria uasa, si modo suas uires seruabit, morari patitur: sed uel in ipsius maris, partibus contineri, uel ipsius fœminæ partibus situm esse postulat. Et sanè utilissimum lac est cum ex ipsis mamillis quis hauserit: ueluti Euryphon, & Herodotus, [& Prodicus] cẽsent. qui tantam in eo ad corpora reficienda fiduciã habuerunt, ut etiam qui phthoe contabuerãt, ex ipsa mu-

A lieris papilla lac sugere iuberẽt. Verum cum hoc plurimis non placeat, melius est calens adhuc ex mamillis id in ægri uentriculum, quamocyssime transferre. Ac optimũ quidem, utpote cognatũ, muliebre lac est. Sed quoniam id exhiberi sibi ceu pueris pleriq; recusant, utiq; ceu asinis, asininum ipsis dari conueniet. Id enim reliquis omnibus ad propositum affectum est utilius. quippe cum tenuissimũ sit, & minime coagulatur, et quoquouersus ocyssime in corpus digeritur. Eget autem horum utriusq; cui uentriculus laborat, utiq; ne coaguletur, cõmunis commodi gratia, omĩbus enim id est incõmodum: ut quoquo uersus digerat, propterea quòd & celeriter nutriri est opus, & quòd uię per quas alimentum transit, iam cõniuent. Igi-

B tur tum lac ipsum per se est his dandũ, tum etiam mellis tepidi pauxillulum immiscendũ. Maxima uero habẽda cura est in eiusmodi affectibus de utriusq; bonitate. Quod igitur mel colore flauo est, & odore suaui, tum purum adeo ut totum pelluceat, ac gustanti parum acre iucundissimũq;, præterea tam sibi cohærens ut si digito attollatur, continuum sibi nec intercisum ad humum defluat: id omnium est optimũ. Si uero abrumpitur, nec demissum ad terram usq; cõtinuitatem seruat: id aut crassius iusto est, aut tenuius, aut partium dissimilium, Greci ἀνομοιομερὲς uocãt. Voco autem partium dissimilarium, (quod sanè & nomen ipsum indicat) quod ex dissimilibus partibus est cõpositum. Deprehendas autem id, si diligentius inspi-

C cias, aut crassitudines, aut humiditates habere innatãtes, quæ nec inter se sint similes, nec etiam toti. Cerosum itaque magis mel est quod & crassius est, & cui tales quæpiã crassitudines innatant. Excrementosius uero ac perfici concoquiq; difficilius, tum quod totũ liquidũ est, tum in quo multæ in partibus sparsæ apparent humoris guttæ. Porrò in quo uel ceræ qualitas aliqua, uel propolis, uel id genus alia gustu deprehẽditur, adeo nõ est optimum, ut etiam malum sit. Quippe nullam penitus alterius cuiusquam rei eminentem in se continere qualitatẽ debet. Quocirca quod thymum planè redolet, non probo. Est enim id concoctu difficilius, nec planè quodammodo mel. Quanquam nõ ignoro à quibusdam id laudari, eoq; fie-

D ri ut nonnulli uenditores incisum thymum illi inijciant, quò id redoleat, uideaturq; optimum. Ipse tamen quod tam improbe thymum olet, non laudo: multoq; minus si cui iniectum thymum sit. Quod autem confusam quandam qualitatẽ odore gustúue præfert, id non uitupero. Ad eundem modum & lac nullam externam qualitatem odore gustúue præ se ferat, sed esto quamdulcissimũ, & sibijpsi continuũ, & prout lacti conuenit splendens. super omnia, quoad eius fieri potest, similes habeto partes. Namq; hãc dotem, ueluti mel optimum, ad perfectionem non recipit. Quo uero tale fiat, & idoneis nutrimẽtis alendum animal est, & exercitationibus mediocribus admoueudum: & pullus si quem lactat, auferendus. Quòd autem ætatis quoq; maxime florentis esse debeat, id neminem

minem latet. Curandū item ut quàm optime concoquat, contemptis uidelicet ijs qui si asinis quoque uictus rationem præscribemus, ridebūt. Si enim Veneti, & Prasini studiosi sectatores, equorum stercora, quò intelligāt quemadmodum alimenta concoxerint, odorantur, tanquam ex eo omnem eorum bonā habitudinem cogituri, multò profectò magis nostrum fuerit pro hominis salute nihil tale non prospicere, atq; herbas animali quæ non admodū sint humidæ, fœnumq; & hordeū quod sit mediocre, obijcere: sed nec illa omittere, ut asinæ corpus siccemus, & fricemus, & detergamus, & mūdemus. Porrò si liquidiora, & graueolentiora, & flatus plena excreuerit, planū profectò est non concoxisse probe. Quare aut detrahendum aliquid de alimento est, aut exercitationi aliquid adijciendum, aut qualitates immutandæ, aut refrigerationis frictionisq; cura uarianda. Sin duriora reddat animalis aluus, ad cōtraria est inspiciendum, atq; illorum aliquid immutādum. Nam si ipse omnia quæ considerāda circa animal sunt, cuius lacte usuri sumus, deinceps persequar, totam tuendæ sanitatis artem cōmemorem, quam teneat necesse est, quisquis idoneum lac præparabit. nunc uero dici opus nō est, cum alibi de ea traditum sit absolutissime. Sed ad propositum reuertor. Ac mihi iam rursus memoria repetes hominem, qui & lauatus est, & lac sumpsit. Hunc itaq; ad secundam usq; lauationem quiescere permittemus, tum modice fricabimus, & pinguiter: utiq; si lac quod sumpsit, iam ad unguē confecit, id quod tum ex ructu, tum uentriculi mole licebit conijcere. Modicū uero temporis inter primam & secundam lauationem interuallum erit, si quatuor, aut quinque æquinoctialium horarum spatiū intersit, scilicet si tertio adhuc lauare paras: sin aliter, plurium. Sanè tertio lauabis, si multis lauatiōibus fuit assuetus. Hi namq; & delectantur, & iuuātur, si sæpe lauent. Quinetiam post quanq; lauationē hominem ungemus priusquam se uestiat. Quippe conducit ad renutritionem id quoq;, sicut & frictio. Reddita uero de horum omniū facultate ratio est in libris, qui De sanitate tuenda sunt scripti. non tamē inutile fuerit nunc quoq; summatim ea repetisse. Nam siue cuilibet parti corporis temperatam infundas calidam aquam, siue frices, siue laues, siue aliter quomodocunq; calfacias, idem fieri cernes quod Hippocrates de ijs dixit, quibus aqua calida desuper infunditur. Nam primū attollitur, mox gracile efficitur. Ideoq; ubi carne implere quodlibet corpus studemus, id eatenus calfaciendum nobis est, dum intumescat. Vbi uero digerere, & uacuare cupimus, eatenus cōtinuandū est, dum quod prius intumuit subsidat. Sanè qui eiusmodi operibus præficitur, solicite attentus esse debebit, potissimumq; ubi carne implere studetur. Nam digerendi certe tempus adeo late patet, ut, etiā si uelis, in eo non aberres. At carne implendi planè præceps est occasio. Siquidem cum primum intumuerit, tum est desistēdum. At intumescere hoc singulis corporibus suum est. Non enim

A fieri potest, ut qui nunc nobis propositus gracilis est, ita intumescat ut illi qui sani sunt: immo postquam leuiter intumuit, protinus digeritur. Itaque attendendū diligenter est, ne clam te elabatur propositus temporis articulus. Siue igitur hominem qui extrema gracilitate est, perfrices, sufficiat tibi solus rubor. siue laues, satis esto mediocris calor. Si quid ultra peragas, resolues hominem magis, quàm nutries. Vngendum uero post lauationem oleo est, ne uidelicet plus iusto digeratur, sed obstruantur exigua cutis spiramenta. idem protinus & siccitatis remedium fuerit: & aduersus incōmodum quod ab aere ambiente contingit ueluti munimentum. Ac siquidem delectatur lacte, post secūdam quoq; lauationem id exhibebis. sin aliter,
B ptisanam diligenter coctam, aut alicam ptisanæ ritu præparatā. Hinc ubi rursus quieuerit, ad tertiā reducendus lauationem est, aut ilico ad cœnam. Sit autē præparatus illi panis purus, & qui curiose in furno sit coctus, & tū fermēti, tum salis quod satis est habuerit. Obsonium quoq; ex saxatilibus piscibus, aut ex albo iure asellus. Præterea alæ testes'que gallinacei, qui lacte sit altus, idonei sunt. Quorum si copia non est, alijs utendum. Ad eundem modum & perdicibus, & auiculis montanis, & mollis carnis, uescendum. Vitanda autem & quæ palustria sunt, & quæ carne sunt dura. Et (ut paucis alimenti summā complectar) sit coctu facile, & nutriens, minimeq; glutinosum, atq; excrementosum. Porrò omnium quos nouimus, cibo-
C rum maxime nutriens suilla caro est. Verum non æque, ac prędicta cōcoctu facilis est: præterea glutinosum succum crassumq; generat. Alioqui nec alio esse habitu potest quod in summo sit nutriēs. Quippe adhærere id debet, & firmiter affigi, non autem præ tenuitate diffluere. Non tamen ad propositum affectum uti hac conuenit. Si enim nutrimētum ipsum seipsum cōcoqueret, ac in partes digereret, præterea alendis partibus assimilaret, & quibus alimento plurimo est opus adhæresceret: proculdubio maxime nutriente cibo esset opus. Verum quoniam non aliud est quod nutrimentū desiderat, aliud quod ipsum conficit: sed quod nutriendum est, ipsum sibi & nutrimentum attrahit, & mutat, & cōcoquit, & adiūgit, & adsimulat: ad
D duo nimirum nobis in opportuno cibo eligendo spectādum esse dictat: unum ipsius cibi naturam, alterum uires suas proprias insitasq;. Itaque ex his illud patet, nec planè quod maxime nutriat, optimum esse ijs corporibus quæ refici magis egent, utpote quibus concoquendi facilitas non est: nec etiam quod facillimum concoctu est, cum scilicet ipsum nequeat maxime esse nutriens. Cum igitur hæ indicationes ex aduerso pugnent, committendum non est ut dum alteri nimium sis intentus, alterius omnino obliuiscaris: sed utriusq; memor, quo ad licet utrunq; misceas, quod mihi pręceptū ubiq; memoria teneri uelim. Iam uini tum qualitatem, tum quantitatē memoremus: utpote quod maximam ad talia uim habeat: quando uno hoc in potu utendum censeo omnibus, quibus refici

A corpus est opus, modò non febricitent. Esto igitur uinum (quod exempli loco dicatur) quale est Sabinum in Italia, Arsinium uero in Asia, ac (ut summa quadam ac generatim comprehendam) quod aquosum quidem alioqui est, cæterum leuiter adstringit. Aquosum natura appello uinum, quod tenue est, & purum, & ὀλιγοφόρον, ut Hippocrates Græce nominauit. Est autem ὀλιγοφόρον quod si diluatur, minimam sustinet aquæ mistionem. Id est sanè imbecillissimũ, & ut in uinis aquosissimum. Nam quod plurimum aquæ in mistura sustinet, id tum uehementissimũ tum ualidissimũ est. Eiusmodi uinum Hippocrates οἰνῶδες, hoc est (ut uerbi uim exprimam) uinosum nominat. Verum ab hoc cauendũ est, quoniã imbecillas uires feriat. At quod aquosum natura est, cæterũ austerum, id percõmodum est, quòd & ab aquæ imbecillitate recesit, & uini noxam nõdum habet. Ad B hæc itaq; respiciens, tum ætatem eius, tum temperamentum inuenias. Quippe quod nouellum est, id tum aquosius, tum uero imbecillius quodãmodo est quàm ut uino cõueniat. Adde etiàm quòd ægrius concoquitur, ac magis excremẽtosum est. Antiquius uero, ut uinosius est, ita uehementius est quàm ut propositis sit ex usu. Quocirca citius sexto anno nobile Sabinũ idoneum nõ est, quòd & diutissime in stomacho, ac uẽtriculo innatet, & fluctuatiões faciat. Nobile uoco, quod austerum est, non Sabinum modo, uerumetiam Adrianum, & Albanum, & Arsiniũ, & Titacazenũ, omniaq; id genus. Dictum namq; fusius de omnibus uinis C seorsum est. Ad has igitur ueluti metas respiciens, etiam misturam eius cum aqua temperabis. Quin etiam exactius cõiecturam de iam dictis facies, si uitiorũ aquæ capita memoria tenueris. Porrò pendent ea ex frigiditate eius oĩa, cuius culpa & in præcordijs diutissime morat, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & ita uẽtriculi resoluit robur, sic ut deterius proinde cõcoquat, sed nec digerendo per corpus alimẽto aliquid magnopere conducit. At uero memoratorũ uinorum uirtutes, comprehensis iam aquæ uitijs, aduersam quodammodo naturã habent, cum nec inflent præcordia, immo si inflata sint, subsidere faciant, nec inibi morã trahant, propter caloris mediocritatem. Adde quòd cum digestionis uias a- D periant, & pariter impellant, ac nutrimẽtum sursum agant, ad celeritatem deductionis in corpus conducũt. Sunt præterea boni succi, & ad miscenda concoquendaq; ea quæ in uentriculo & uenis sunt, idonea. Iam uires quoq; organorũ adaugent, & expellendis excrementis uiam faciũt. Eoq; fit, ut etiam talia uina præter cætera urinas moueant, quãdo & ipsa totum corpus celeriter transeunt, & impetu cursus sui excremẽta secum expellunt. Ac dictum quidem alibi diligẽtius est de uinorum facultate, æque ac ciborum. Conuenitq; ut qui artem methodo tradi sibi studet, omnis materiæ uires prius prædidicerit, nec expectet ut eas in singulis affectibus audiat, sed simul ac curationis tantum speciem norit, debitam uictus rationem inuenire posit. Ego uero ijs consulens, qui ueritatis discendæ sunt auidi, eiusmodi doctrinam attingere saltem non grauabor: quò scilicet qui minus exercitata cogitatiõe sunt, exemplis à generalibus ad particularia, ueluti manuducti descendant. Ergo quod reliquum est, apponendum. Potionis is modus erit, ut nec in uentriculo innatet, nec fluctuationis ullius sensum inuehat. Ciborum uero, potissimum si fieri potest, ut ne grauẽt quidẽ ipsum. Quod cum difficile sit, uel fortasse eiusmodi quod uitari in imbecillo uentriculo omnino nequeat, proximũ est ut quàmcitissime grauis esse desinat. Ab hoc tensio inflatioq; præcordiorũ uitandæ ijs sunt. Quòd si tale quippiam primo die inciderit, pro magnitudine symptomatis ad portionem detrahẽdum postridie de cibo est. sin rectè omnia cedunt, paululum adijciendum. Ad eundem modũ & in tertio die, uel demere, uel adijcere cõueniet, cum præcedente conferentibus. Atq; ita semper omnia pro renutriendi reficiẽdiq; ratione, motionibus, gestationibus, inambulatiõibus, prout corporis incrementũ procedit: administrare etiã reliqua omnia pro refectoria uocata ratione adijciẽtibus. Quæ sanè genere à proposita ratione nõ differt, sed in eo q; sub illa perinde totum corpus est affectũ, sicuti sub hac uentriculus. Accidit autem sic affici corpus in diuturnis potissimũ morbis: utiq; cum natiua cuiusq; partis humiditas, ex qua prima nutritur, propemodũ omnis exhausta iam est. nam ut solidarũ ipsarum siccitas corrigatur, id fieri omnino non potest, sicuti nec senium: ueluti in libro De marasmo docuimus: hanc uero humiditatem etiam si oĩno sit absumpta, regigni modo dicta uictus ratione licet. Atq; in alijs refectionibus uẽtriculus egregie præter cętera nõ afficit: in proposito aũt affectu morbus est ipsius uẽtriculi. Tempore uero totũ corpus, utpote parum probe nutritum, macescit. Quo rationabilius est exquisitiorem hos uictus rationẽ requirere, propter concoctionis imbecillitatem. Cæterũ, cum meliores sunt affecti, transferendi sensim sunt ad renutritoriã refectoriamq; uocatam uictus rationem, ἀναληπτικὴν Græci uocant. Id fiet si pluribus, & frictionibus, & gestationibus, quàm ante utemur. Mutanda uero interea est, & ciborum tum qualitas, tum quãtitas, sic ut tum plures, tum ualentiores, q̃ prius exhibeantur. Ac tempore procedente, cum ad sanitatis statum prope uentum iam est, seponẽda sunt ptisana, & lac, præterea sorbitio ex alica, ac ad consuetos cibos ueniẽdum. post etiam pisces detrahendi, nisi si in consuetudine fuerunt, ac uolatilibus cibandum, tum suillas carnes esse, à pedibus in ptisana elixis incipiẽt. post uero etiã imum crus rectè sumant, ab hoc etiã reliquas partes. primũ quidem iuuenis porcelli, qui si hyems sit, etiam pridie iuguletur. Nam hesternum, quàm recens necatum, facilius concoquitur. Aestate sat fuerit, si mane immolatus porcellus sit, ac circa Solis occasum comedatur. Quippe quod in superioribus suasimus, cum ualentius alimentum uesperi exhibendum censuimus, id semper obseruare studebimus

debimus

debimus: utique non leue percepturis cōmodum ijs qui ita cibabuntur, quod sanè diligentius inspiciēs agnosces. Satius enim est à principio rem cœpisse. Quoniam qui ita se habent, plurimo nutrimento indigent, nequeunt autē uel quod mediocre est concoquere, paulatim hos & sępius cibare melius fuerit. Atq; idcirco fieri non potest, ut semel eos cibasse sit satis, sed nec bis, quoad scilicet sunt gracillimi. Atq; hac de causa ipse ter eos cibare sum solitus. Verū quando iam manifeste meliores facti apparent, etiam bis nutriuisse sit satis. Ergo tantam exhiberi primam cibationem est rationabile, quātā priusquā secūda sumat, tota prorsus erit cōcocta. Id cōtingere ualentiori alimento nō potest. Quare primo loco leue sumendū his est, quò uidelicet cōcoquatur celerrime, & excremētum eius discedat, & uacuus purusq; uentriculus secundum excipiat. At quoniam nō solum quies, & somnus, sed etiam longius tempus huius naturalem administrationē excipit, rationabile est ut ualentiores ciborū hoc maxime tempore offerantur. Itaq; etiam athletæ omnes sic faciunt: qui eum usum non solum aliqua ratione inuenerunt, sed etiam longa experientia cōprobarūt. Sed enim & quod illi faciunt, nihil mali sit, si ij qui cōualescentium uictu utuntur, etiam faciant, ut ilico post cœnam non bibāt, uidelicet antequā cibus fuerit cōcoctus. Siquidem innatant cibi si bibāt, ita ut eos uentriculi corpus propter interpositum humorē non contingat. Verum si sitibundi fuerint, prohibere eos in totum ut graue est, ita nec expediens: sed tantillum indulgendū, quod & molestiam soletur, & sitim leuet. Postea uero quàm nutrimentum cōcoxerint, abunde bibere sunt sinēdi. Quippe celerrime si ita faciāt, per corpus digeritur. Mane uero post somnum cum deiecerint, & paulum inambulauerint, modice sunt fricandi. Est autem modica his frictio, quæ eatenus administratur, dum corpus incaleat, mox gestationibus utendum: deinrursus tum lauandi sunt, tum fricandi, idq; intra meridiē, aut planè circa ipsum meridiem: quò uidelicet inde ad uesperam abunde spatium interueniat. Quòd autem & de domibus in quibus cōualescens nutritur, habenda in primis cura sit, potissimū ne frigidiores calidiores'ue iusto sint, superuacuum dicere arbitror: pari modo & de alijs eius generis, quæ inuenire sibi quisq; sine nostra opera potest, doctus uidelicet non solum ex his quæ hic, sed etiam quæ in opere De sanitate tuēda sunt dicta. Est namq; conualescentiū uictus ratio media quædam inter eam quæ sanorum propria est, & quę ægrotantium. Quare difficile non est ex ijs quę de utraq; sunt prodita, ut per seipsum quis mediam inueniat. Nam sicut nec aliarū rerum, ita nec uictus una omnibus species in consuetudine est: cum alijs semel esse, alijs bis: & alijs citius, alijs ad uesperā incepisse cibum, moris sit. Iam cibus ipse alijs piscis plurimū est, aut deniq; aliquid ex mari, alijs olera magis, aut deniq; hortensia, alijs poma, alijs legumina, alijs nuces, alijs aliud quippiā, alijs quadrupedum carnes, atq; harum alijs aliæ, alijs

A auiū, idq; alijs aliarū. Quinetiā caseo & lacte utuntur nonnulli plus, quàm cæteris cibis, generaliter quidem caprarum, uel boum. Sunt tamen qui & aliorum animaliū. Bibunt quoq; alij calidum, alij frigidum, & uinum uel liberaliter, uel parcius, uel omnino nullū, uel hoc genus, uel illud. Ad ea igitur reducēdus quisq; est, quibus insueuit. Scriptū autem diligentius de consuetudine seorsum est. Nunc illud dixisse abunde sit, nō modo in conualescentium uictus ratione, sed etiam in morbis magnam partem ad totius uictus medicamentorūq; inuentionē ex consuetudine sumi. Ratio enim totum genus indicare potest. Materia cum ex alijs quæ retuli, tum uero ex consuetudine nō minime est sumenda. Sed & naturarū inspiciēdæ sunt pro-
B prietates. Noui enim quosdā, qui si quod uigilantiū opus nocte obire fuissent coacti, dormire præterea nō poterant. Talibus igitur ut noctu bibant, consulendum nō est: ne uidelicet ea occasione uigilare coacti, maximā inde noxam sentiāt: Siccat namq; totum corporis habitum uigilia, eoq; infestissima est ijs qui ex siccitate laborāt. Sunt & qui si ptisanam gustent, protinus nauseent. Eadem in quibusdam facile acescit. Esse uero aliquos qui facile carnē bubulam cōcoquant, iam unum ex publice iactatis est. præterea alios esse qui ad alios cibos potusq; recte se aut nō recte habeant. Non solum autem ex his materiæ quæ ad uictū pertinet, copia suggeritur: sed etiam ex regione & tempore. Scriptaq; iam hæc sunt à multis qui me præces-
C serūt, quo minus ipse istis insisto, qui ideo tantum ea commemoro, ne quid uidelicet sit omissum. Quod uero ab omnibus iunioribus medicis est omissum, id persequar, nempe quemadmodū affectus corporum methodo curentur: eam methodum ueteres (ut ante dixi) probe inchoarunt, nemo tamē eorum ipsam absoluit. Verum rursus ad propositum redeundum. Siccæ intēperies ubi solida ipsa corpora contigerunt, siquidē in una quapiam parte cōsistant, ueluti nunc in uētriculo propositum est, nunquam ad perfectionem sanabuntur, nec in eum statum qui ante morbū fuit, reuertentur. Sed quod dici in cōsuetudine uulgo solet, re scilicet ipsa edocto, id talibus maxime intemperantijs accidit, morbum uentriculum afflixisse, &
D in reliquā uitam imbecillum reddidisse. Quippe senum ij uentriculum obtinent priusquam consenuerint: quo fit, ut facile ex leuibus lædantur causis, perinde ac senes, nec probe concoquere possint: quo euenit, ut etiam totum his corpus deterius se habeat. Ad eundem modū & si alia quauis afficiantur parte. Quòd si ipso etiam corde sint affecti, celeriter arescunt, uocatq; ariditatē siue marasmum eiusmodi Philippus ex morbo senium. Is igitur marasmus breui mortē affert. Proxime huic qui ab iocinore est inceptus. Mox qui à uentriculo. Qui ab alijs particulis ortum habet: tanto sanè tardius, quanto quælibet harum minoris est præstantiæ ꝙ illæ. Si uero leuiter cordis corpus siccatum sit, senescunt quidem celeriter: cæterū plures annos trahunt, ꝙ qui uehemēter sunt læsi. Ad eun

dem modum in iocinore & uētriculo ceu dictum est: ac in reliquis omnibus ad portionem. Cæterum uictus ratio eadē genere est tum in hac siccitate, tum in illa quæ solam eam humiditatem absumit quæ solidas nutrit. Præterea etiam in tertia quam supra memorauimus siccitate. Facillima uero omnium sanatu quarta est, in qua uenæ succo sunt inanitæ. Immo hic affectus ut frigiditas potius habitus curatur, quàm ut siccitas: uel (ut clarius loquar) frigiditatis respectus in hac siccitate exuperat, periculumq; in ea uertitur. Siccitas secundum locum obtinet, habetq; proinde sanationem tum expromptã, tum celerrimam. Siquidem si biduo quis uictus rationem his caute exhibeat, modice calfaciens, & tutò nutriens, statim in tertio pleniorem uictum citra noxã admittunt: multoq; id magis in quarto & quinto. Atque hoc sanè erat, quod Hippocrates præcepit: Quę longo spatio extenuata corpora sunt, ea segniter reficere oportet: quæ breui, breuius. Scire autem licet, solidorum corporum siccitatibus, si perdurent, succedere necessariò frigiditatem. Quippe permanere siccitas ipsa per se non mutata oppositione quę ex calido & frigido consistit, non potest. Celerrime enim ex nutriendi defectu refrigerantur partes, propterea scilicet quòd ex calido succo sanguinis nutriuntur. Sed quod inter initia dictum est, nunc siccitatis curationem executi sumus, & quæ ab initio sola est contracta, & quam nulla diutissime secuta est notabilis frigiditas.

7. Ergo proximū fuerit frigiditatē illi copulare, quæ euidētes quidem habeat notas, cęterū magna non sit. Est itaq; curationis cōsilium non simplex, ut prius: cū non modo tibi ut humectes danda sit opera, sed etiã ut calefacias. Quare intendendum acriter est ad præsidiorū materiã, necubi imprudentes ijs quæ humectant, ea quæ nimium calefaciant, adiungamus: quippe his uehementer siccandi uis subest. Iam uero quãtitas noxæ in utraq; intemperie ad materiæ inuentionē potest uiam ostendere, ut iamiam maximę quidem siccitatis sanationē modo perscripsimus. Modicę uero adeo scrupulosa uictus ratione non indigent, quandoquidem nec uires ipsis funditus sunt collapsæ. Etenim nulla alia de causa difficilis redditur ualidę siccitatis in corpore cōmoda curatio, q; quòd refici quidem corpus postulat, cibus uero per se coalescere cū eo nō potest: sed eius quod nutritur, operam qua præparetur requirit, quod est imbecillū. Ergo cum id modice siccū fuerit, propterea quod uires nō penitus cōciderunt, uberius cibare licet: nec metus est ullus ne à modo aberres. Quo magis ipsi de difficillima intēperie disserere instituimus: ac in ea ueluti exēplo studiosos exercuimus. Hinc namq; orsi ipsimet, ad mediocres siccitates corrigēdas idoneã materiã inueniēt. Proponatur autē & nūc siccitas quidem similis priori, copuleturq; ei frigiditas. Ergo calefaciētis materię admiscendū iam dictis tantum erit, quantum particula ad frigus inclinauit. Proponamus igitur eam primum modice refrigeratam. Ergo ijs quæ paulo an-

A te retulimus, in lactis quidē usu mel uberius adijcietur. Vinū uero, quod quidem ad genus spectat idem, cæterum quod minus aquosum quàm prius & plurium annorum sit, dabimus. Quinetiã esculenta omnia calidiora exhibebimus, idq; nō naturalibus modo ipsorum temperamentis, uerumetiam recētibus qualitatibus. Nardino præterea unguento ungendus assidue uenter est, sicut nunq; remaneat siccus. Sin id unguentū non adsit, mastichinū satisfecerit: sed & opobalsamo eum perungas, tum ipso per se, tum uero cum iam dictis misto. Quòd si corpori ea magis adhærere studebis, etiam ceræ aliquid admiscebis. Si uero etiã aer ambiens sit frigidus, lanam ex his imbutã impones. Quinetiã chiam mastichē in opobalsamo aut nardino unguento liquans, B lanã inde madentē uentriculo impones. Sanè utilius fuerit, si quod madefacies, etiã optima sit purpura: qualis est tyria, quãdo et adstringi ipsum modice, et cutis eius meatus obstrui expedit. Siquidem quæ rarum habitum faciunt, & relaxant, ea tum digerūt succos, tum particulas frigidis extrinsecus aduenientibus obnoxias reddunt. Quæ uero ualenter adstringunt, ea siccant. Quo fit, ut medicamentum quod eiusmodi corpora excalfaciat, id nec euocantem uim habere expediat, nec adstrictoriam multam sibi immistam. Memineris enim uelim tum eorum quæ in ægris es contēplatus, tum quę in opere De medicamentis es edoctus, nempe acerbã qualitatem sua quidem ipsius uirtute & refrigerare & siccare. C quòd si cui ualide calfacientiū sit admista, quod ex ambobus compositū est, minus quidē in calfaciēdi munere efficere q; alterum: siccando uero non minus quàm utrunq;. Maxime contraria faciunt ijs quæ præcepimus, nostri temporis medici: qui siccæ parti, & quæ nutrimento male fruitur, compositum sæpe medicamentum ex calida & acerba materia imponunt. Est autem eorum quæ στρυφνὰ Gręce dicūtur, [nos inopia cōmodioris uocabuli acerba diximus,] nullum profecto modice adstringens, ideoq; nec modice siccans: quo uidelicet magis prohibenda ea in iam dictis affectibus sunt. At uero si cum siccitatis intemperie multa frigiditas sit, sic ut fortius calfacere subigat, omnium primū intemperamenti genus ad memoriã reuocabis, D quippe quod omniū grauissimū esse ostēdimus. Quocirca ad corrigendū quoq; esse difficillimum, multaq; solicitudine egere, id minime est ignorandum. Abstinere uero simili modo à cōprehensis prius materijs tentabis, sperans scilicet fore ut longiore tēpore per tutiores sanetur affectus. Sunt porrò tutiores hæ, (nã repetere ea quæ sunt tam necessaria, est satius) In nardino unguēto solues mastichem chiam quãpinguissimã, ac purpura excipiens uteris. Eritq; utilius, modo copia eius sit, si opobalsamū adieceris. Dandū præterea uberius cū lacte mel est: sed detracta prius spuma: quò & minus sit excrementosum, & magis nutriat. Quinetiã mel ipsum coctū, per se optimum nutrimentū frigido uētriculo est, ita ut calido aduersissimum. Atq; hæc ambo meminisse in primis oportet

tet,utiq; plurimis medicis ignota. Ac neque aliquid frigido corpori melle potius expetere, neq; ad calidũ magis respuere. Ergo plurimũ huic affectui pro nutrimẽto mel optimũ esto: sed quod prius super prunas ex quercu uitéue ad summũ candentes,fuerit decoctum, ac curiose despumatum. Vinum aũt eligẽdum semper est antiquum: eoq; antiquius, quo maior fuerit frigiditas. Tum si res postulabit,totũ genus immutandũ:ac primo loco Adrianum, mox Tiburtinũ, aliudúe similis generis eligendum:uetera quidem omnia: cæterũ non adeo ut amara iã sint.Siccant eñ quæ amara sunt, immodice.Sanè optimũ medicamentũ talibus omnibus sit,quo picatores quotidie utunť:ergo illi nire eo totũ uentrem cõueniet, ac post auelli, priusquam refrigeretur. Atq; hoc si bis uno die deinceps feceris,abunde erit, sæpius aũt non expedit: quando ita per halitum digeras, non sanguine bono particulã impleas. At nos ex propinquis locis attrahere,non id quod continetur educere studemus.Idẽ omnib.particulis quæ ex nutrimento fructum non sentiunt,(ἀτροφοῦσι Græci uocãt)mirificum medicamẽ est si quis eo moderate sciat uti. Sed & calfacere uentriculum, ita ut in qualitate calorẽ eius non intendas, sed q̃ maxime naturale eius temperamentũ tuearis, ac substantiam inaugeas:id ex leuissimis in eiusmodi affectu consilijs non est.Efficit hoc in uictu simul cum ijs quæ iam dicta sunt,maxime uinum. Ex ijs uero quæ uentri extrinsecus applicanť, boni habitus puellus unà sic accumbãs, ut semper abdomen eius cõtingat. Sunt qui catellos pingues in hũc usum habeant, neq; id in aduersa modo ualetudine, uerumetiam in prospera. tales itaq; ijs qui propter siccitatem quoq; solam imbecillum uentriculũ habent, sunt idonei. Seruandumq; ante omnia est ne puellus humecta sit cute. Qui enim noctu sudore perfunduntur, refrigerant potius quàm calefaciant.Nocent præterea tali affectui & calida fomenta: quæ quidem sicca sunt,eo quòd rorem similarium corporum depascunt:quæ humida sunt, quòd hũc digerunt, potissimum ubi largius his utimur: præterea quòd nimis rarum frigoriq; opportunum corpus efficiunt. Ac de hac intemperantiarum coniugatione hactenus sit satis.

8 Ab hinc multæ ut propositũ est,siccitati iuncta caliditas esto non admodũ multa. In eiusmodi intẽperie primũ curationis modũ seruabimus:sed uini uim,mellisq; copiam diminuẽtes, non solum non augentes:ita ut mel prorsus non degustetur, uinum uero exhibeať quod minime sit antiquũ. Iam cibos apponemus sub lactis tepore: sed si æstas est, sub aquæ fontanæ frigore. Sed & uentriculum ungemus oleo tum crudo,tum melino. Ac multo sanè magis si pluscula caliditas sit, ipsum uinum tum aquosius exhibebimus, tum sub eo frigore quod fontis aqua per medium uer exhibet: illud nobis persuadentes, eiusmodi affectum ad portionẽ esse febrem. Quippe quod illa uel in toto animali uel in corde est,id propositus nũc affectus in uentriculo est. Atq; ipse scio me unà cum

A præceptoribus primũ omnium uidisse hominem quendã maturæ ætatis nõ paucos iam menses uexatum:sed nec eorum quisquã affectũ eius intellexit,nec etiã ipse.postea uero cũ iam medẽdi [eius affectus] methodũ inuenissem, uenit mihi in mentem hũc utiq; illum esse affectũ, quẽ olim fueram cõteplatus.Melius aũt est rem etiã exponã. Quippe utilis omnino erit ijs qui audierint, nõ secus ac fuit mihi. Homo erat quadraginta annos natus: medio,dum ualebat, crassitudinis, & gracilitatis habitu.Is siti uehementer affligebatur,ac calidam auersari se dicebat,cũ illi frigidã nemo daret,tametsi hanc impense flagitabat.febricitare tamẽ medicis nõ uidebatur, & uẽtriculus, quæ sumpserat, tribus aut quatuor horis post excreuit simul cum potiõe.Itaq; gracilis iã effectus,est ac periculo ꝑpinquus, minime uidelicet adiutus ab austeris acerbisq; tum cibis,tum medicamẽtis.Sumpsit uero & post cibum, austerum uinum is homo, cum nec ultra sitim toleraret,ac(ut aiebat)mori mallet quàm in cruciatu uiuere, aquam frigidam simul multam super cibum hauriens protinus sitire destitit, paulo uero pòst plurimũ euomuit. Ab hinc horrorem in toto corpore sensit: pluraq; operimẽta poposcit, cum prius omnia abijceret. tunc igiť reliquum totum diem id fecit,noctemq; totam in quiete egit, cooperimentis se fouens. Venter uero circa mediam noctem semel excreuit, quæ mediocriter erant compacta.Itaq; nec siticulosus prçterea erat. Postero autem die tum coloratior multo,tum firmior est effectus. Ac deliberabant iam medici an hominẽ lauare expediret:alij quidem suadentes,alij dissuadentes. uicit autem sententia eorum qui lauare suaserunt. Itaq; etiam lauatus citra offensam est,ac modice cibatus, tum melius ei quàm pridie uenter cõcoxit.Questus autem est ꝙ difficulter transglutiret, uisumq; omnibus est propter uomitum, qui præter consuetudinem inciderat,uellicatã illi gulam fuisse, ac proinde male habere. Cæterum ut etiam secutis diebus symptoma permansit,cõstabat nobis omnibus uentriculi imbecillitatẽ esse sanatam, gulam autẽ esse perfrigeratam. Nec sanè mirandum erat,sicut potione illa quod immodice calfactum erat,ad mediocritatẽ est reuersum:sic quod mediocriter calebat fuisse refrigeratũ.Cæterum gulam eius nemo potuit sanare:sed uitio in uitiũ mutato,tandem mortuus est. Alium uero huic similẽ non paucis annis post uidi, cum omnẽ uentriculi intemperiẽ discernere iã possem. Visum igiť est mihi statim maiore conatu refrigerandum esse, priusquam homo magis extenuatus simile quippiam priori ex refrigeratiõe pateretur. Tutius igitur uisum est primũ refrigerãtia medicamẽta,quæ præcordijs imponuntur,experiri.Quo facto, æstus sanè uẽtriculi est remissus: cæterum homo suspiranti similiter respirabat, tanq; ægre totum thoracem moueret. Quin ipse quoq; interrogatus, talem quampiã sentire se offensam fatebatur. Aduerti itaq; illi transuersum septum refrigeratũ esse: proindeq; abiectis refrigeratorijs, foui locum oleo calido.Cum autem re-

spiratio statim naturalē motus sui ordinē recepisset, à fouendo destiti. Statui aūt hominē longiore spatio moderate refrigerare. Ergo & quæ extrinsecus applicui, infra magis imposui à septo umbili cū uersus recedēs: & cibum potionēq; omnē (excepto lacte) sub fontanę aquę frigiditate exhibui. Atq; ita longiore spatio sanatus est, nusquā alibi offensus. Sciri tamē illud ante omnia debebit, ubi ualide in ambabus qualitatibus immutata quæuis particula est, omnē eius actionē perire: nec facile quod sic est affectum, ad suam naturā reuerti posse. Vbi uero altera tantum qualitas plusculum immutata est (ueluti nunc siccitatē fiximus) reliquarum aliqua mediocriter se habet, utiq; qui ita affectus est, sanari potest.

9 Proponamus itaq; rursus exuperare intēperiem calidam, huic aūt adiūctam esse modo humiditatem, modo siccitatem, sed mediocrem utrāq;, ac prius humiditatem. Hanc intēperiē minore metu aqua frigida curabimus: quando minime ex ea lædentur uicinæ partes, quæ mediocriter se habeant. Nam in siccis affectibus necesse est nō ea modo quæ proxima sunt, sed etiam totū corpus gracilius reddi. Ventriculo autem ipso nondum siccato, ut nūc est propositum, nec totum attenuatum esse corpus potest: quare nec frigidæ potu lædi. Si cubi uero adeo uehemēs caloris intēperies uētriculum occupet, ut usq; ad cor ipsum perueniat, febricitare hominē necesse est. Quo minus mirū est si eiusmodi intemperiem maius periculū insequitur, sanatio tamen genere eadem est. tradetur aūt postea, ubi de febriū curatione disseretur. Qui aūt cum siccitate coniunctus calor est, eadem genere remedia poscit: cæterum non adeo securus est refrigerātiū usus, propter eas quas retuli causas. Humida uero intēperies, siue sola cōsistat, siue cum calore frigoreue coniuncta sit: omniū facilime curatur. Et quoniam tres hæ intēperies creberrime uentriculū affligunt, suntq; curatu facillimæ, harū curationē in memoria habent quicunq; absq; methodo, hoc est uia & ratione, morbis medētur: ac ad alias eam intemperies (ut dictū est) transferūt, ignorantes uidelicet plures esse. Sunt porrò ipsius humidæ intemperantiæ cum sola consistit, remedia, cibi qui citra ualentem calefactionem refrigerationémue siccent: præterea consuetæ potionis parcitas. Eius autem quæ cum caliditate cōiuncta est, adstringentium & ciborum & potionū usus. Sint aūt & hi austeri sine calfactione. Quin & frigidæ potio eis est ex usu. At eius quæ cū frigiditate est cōiūcta, optima prēsidia sūt, acria omnia, quib. admisceri debebūt quæ acerba, sed citra manifestū frigus sint. Optimū est & his præsidiū exigua potio, atq; ea uini cuiusq; insigniter calentis. constat aūt id minime nouum esse. Ad portionē uero eorū quæ comesta & bibita sunt, etiā reliqua omnia quæ foris applicantur, adhiberi debebunt. Et quoniā de his abunde tractatū est: repetito rursus sermonis initio, capita eius colligamus.

10 Calida ergo intēperies refrigerāda est, frigida uero calfacienda. Similiter humida siccanda, et

A sicca humectanda. Quòd si per copulationem aliquam duarū qualitatum intēperies consistat, miscenda amborum consilia sunt, ac quæ humida calidaq; est, siccanda & refrigeranda; quæ uero humida & frigida, siccanda ac calfacienda. Ad eundem modū sicca & frigida humectāda ac calfacienda. sicca uero & calida humectanda & refrigeranda. Scire uero licet omnium harum pessimam esse inter simplices siccam, in compositis siccam simul & frigidam. Atq; hoc loco finem habeant uētriculi intēperies, quas scilicet intrinsecus nullus alit superuacuus humor.

11 Deinceps ad eas quæ ex eiusmodi quapiam occasione fiunt, stilum conuertā. Sæpe igiť in ipso B sinu uentriculi cōtentus humor, qui aut calfaciendi, aut perfrigerādi, aut humectandi, aut siccandi, aut etiā horū aliqua per coniugationē efficiendi naturam obtinet, intemperiē creat: interim uero & in ipsas uētriculi tunicas (ut ita dicā) imbibitus siue impactus. Ergo prior affectus si semel cōstiterit, per uomitū expurgatus, facile quiescit. Sin rursus ex alia quapiam uel alijs particulis humor confluit, diligēter discerni indiget. Curatio uero post effectricis causę cognitionē statim se exhibet. Dictum eñ nobis est tum alibi, tum uero in ijs quæ De differentijs febriū scripsimus, cōfluere nōnunquam ex alijs in alias particulas id quod in his redūdat: ueluti ex capite ad oculos. Quo casu oportet curata ea parte, quę transmittit, duntaxat firmitati prospicere oculorū: quò uidelicet eorum quę C ad sese cōfluūt, minus prōpte quicq; admittāt. Ita igitur & in uentriculi affectu oportet ubi id quod superuacuum transmittit inueneris, omnem huc curā conferre: de uentriculo aūt tantisper esse sollicitum, ne quæ cōfluant, prōpte recipiat. Id quod duplici (ut arbitror) ratione fiet: una omniū fluxionum cōmuni, quippe quę ab adstringentibus repercutiuntur. altera uero nō minus ipsa quoq; omnium partiū quæ ad bonam habitudinē reducuntur cōmuni: nempe ex ipsarum temperieíue mediocritate. Ergo primū inspiciendū totūm corpus est, an excrementosum, an plethoricon, id est nimia æqualium humorū copia redundans, fluxionem uentriculo immittat. Secundo loco si id nō uidetur, singulæ partes expendendæ. Atq; in toto D quidē corpore æstimando, tū redundantiæ, tum excrementorum notas, & ex opere De sanitate tuenda & ex libro De plenitudine didicisti. Super has tamen illa quoq; æstimabis: primū quidem in mulieribus an naturaliter nō purgētur: mox in uiris an excretio aliqua consueta his retenta sit. Plerisq; enim ora uenarū quæ in sede habētur, uacuare superflua sunt sueta. Alijs profluens è naribus sanguis aut uomitus, aut alio quopiam loco in certis periodis uas aliquod reclusum. Noui eñ tum in ore, tum in faucibus id multis contingere. Non desunt quibus & per uentriculū sanguinis expulsio certo tempore fiat: potissimū ijs qui cū uehementē exercitationē deposuerunt, à priore tamē uictu nō destiterunt: aut etiam artuū toto aliquo sunt priuati, ueluti etiam Hippocrates indicauit.

Sunt

Sunt quibus diarrhœæ & choleræ certis interuallis omnem corporis redundantiã adducãt. Ab his illud æstimandũ, quãnam uictus ratio e sit usus: utrũne frequẽti cruditati aut satietati inciderit, idq; in ociosa uita, ac præcipue præter cõsuetudinem: an cõtra. Illud deinde perpendendũ, an aliud membrum corporis certo tẽporum circuitu uexari solitum, nunc nõ uexetur. Alijs enim articularis morbus, aut coxendicis, aut podagra: alijs cephalæa, aut etiã fluxio aliqua, quæ in oculos uel aures procubuit, nunc migrauit ad uẽtriculum. Nõ paucis uero catarrhi & coryzæ (id est destillationes per guttur & nares) quæ assidue uexabant, conuersæ certo tẽpore ad uentriculi loca sunt. His igit omnibus consideratis, siquidẽ ex minus momẽtaneis trãslatio facta est, quod superfluum est, rursus ad ea reuelles. Sin ex ijs quæ maioris sunt momenti, ambobus simul consules eum semper summouẽs affectũ, qui fluxionẽ excitet. Fiet id si omnes corporis partes ad bonam habitudinem reducamus: ac omnes naturales expulsiones fluxiles semper reddamus. Hæc queadmodũ efficere possis, in opere De sanitate tueda est præceptũ. Nec illud latet, si propter æqualiũ in toto corpore succorũ redundantiã uentriculus fluxione tẽtatur, totũ corpus uacuandũ esse. Simili modo si ꝓpter mali succi abundantiam eam purgãdam esse, atq; hinc ad uentriculum ueniendum. Prorsum enim cum plures iam dies delata in eũ superuacua sint, aliquid uitij ex malitia eorũ contraxit. Itaq; non intẽpestiue qui ita laborat, absinthij potione utet. Sed nec quæ postea adhibenda prouidentia sit, quoad uẽtriculo pristinũ habitum recuperaris, latere arbitror. Quippe si quo temperamento noxiæ fluxionis, intemperie aliquando laboret, corrigi nimirũ per contraria præsidia postulat. Facillimum uero est eiusmodi noxam corrigere, ubi paucos durauit dies. Nam si inopia eius qui curasset, longiore spatio permansit, aliquando tunicæ eius malo succo implentur: aliquando ipsa similaris earum substantia intemperata non leuiter effecta, similis curæ indiget ei quam prius De intẽperantijs in hoc libro retulimus. Reliquum igitur est, ut exponamus quemadmodum curari succus uitiosus debeat, qui in uentriculi tunicis est receptus. Sunt porrò ad eiusmodi affectus idonea pharmaca genere quidem ea quæ modice purgant, sic ut eorum uis super uentriculi & intestinorum loca non ascendat: aut si quid ultra, uasa tantũ in mesenterio cõtingant. Speciatim uero quæ ex aloe componuntur, sint aptissima. Etiam si illa præstò nõ sint, aloe ipsa per se. Hæc itaq; nõ elota ualẽtius uacuat: elota purgat quidem minus, sed roborat uentriculũ magis. expedit ergo paratam habere, quam omnes medici picran, id est amaram uocãt. atq; hanc dupliciter confectam: utiq; ex aloe elota & non elota. Admiscentur autem huic cinnamomum, et xylobalsamũ, & asarũ, & spicanardi, & crocum, & chia mastiche. Sunto aũt horum cuiusq; drachmæ sex. solius aũt aloes drachmæ centum. Præstantissimum hoc medicamentũ est ad uiciosos succos

A qui in tunicis uentriculi habentur. utiliusq; est eo sicco ex aqua uti duum paruorũ cochleariũ mensura, ubi mediocriter ac medio quodam modo eo uti studemus. nam maximus eius modus ac absolutissimus est duorum non utiq; paruorũ, sed magnorum potio in aquæ temperatæ cyathis tribus: minimus unius parui. Vtendum uero hoc tẽpore & ptisanæ cremore est, qui primus à balneo sumetur. Nam medicamen ipsum solito purgantiũ medicamentorum tempore dabitur. Post id uero ubi modice inãbulauerit, & modice se mouerit, de reliqua uictus ratione nihil est immutandum. Sunt qui reponunt medicamentum, excipientes id despumato melle. Et fit quidem ita durabilius: cæterum non perinde ad propositos hoc loco affectus utile, cum & minus uentriculum roboret, &

B magis aluum deijciat. Verum quibus lenta pituita uentriculo est infixa, ijs prius exhibenda sunt quæcunq; hanc dissecent. post deinde purgandũ. Quòd si ad uomẽdũ sunt idonei, nõ inutile sit per radiculam ex oxymelite uomere. Sin uero nec lentus humor sit nec crassus, utiq; abunde sit à ptisanæ solius cremore uomuisse, item à mulsa. Quo casu sumendum utriusuis plus est, quàm uel nutrimenti uel etiam deiectionis causa sumeretur. idoneum uero est & si mulsa in qua incoctum absinthium sit bibatur. Nam id quoque tenues succos quicunque uidelicet in ipsius uentriculi ore continentur, commode deorsum impellit. Sanè communis est totus hic sermo qui De temperie agit,

C cum sanitatis tuendæ præceptis, ea scilicet sui parte qua de parum firmis actionibus disputat. Non enim profecto ea qua de perditis, aut uitiose functis agit. Quippe pars illa à sanitatis tuendæ contemplatione planè seiuncta est. Imbecilla uero actio prout magis minusue talis est, aut ad sanitatis tuendæ, aut ad medendi tractationem pertinet. leuiter quidẽ impedita ad priorẽ, grauius ad posteriorem. Discernitur utraq; ex eo ꝙ à cõsuetis actionibus obeundis propter noxæ magnitudinẽ uel desistatur, uel nõ desistatur. Dictũ aũt & de his est in opere De sanitate tueda: ꝗ utiq; celerius trãseunda eorũ tractatio nũc est: presertim omĩ methodo, qua uẽtris intẽperies sint curãdę, iã perscripta siue hę firmius ei ex mora inheserint siue leuius.

D 12 Nec uero illud latere puto, esse aliquando mistum ex tribus iam dictis simplicibus in uentriculo affectum, ita ut & ipsæ solidæ partes intẽperie laborẽt, & mali succi ita uẽtriculo sint infixi, ut elui ex facili nequeant, & alij in interno eius sinu cõtineant. Potest nanq; interim fieri ut primus cũ secundo cõsistat. potest & secũdus unà cũ tertio. potest & primus cum tertio, sępe etiã omẽs simul. Pro quibus methodũ quam prius De uulneribus tradidimus, ubi omnes affectus simul coniunximus, ad memoriã reuocabis. Quã nunc quoq; apponere nõ sit inutile. Primũ nanq; in eiusmodi cõplexu æstimabis à quo maxime discrimẽ ægro impendere uideat. Secundo loco quid quæue ex his causæ rationẽ obtineant, & quæ ab ipsis efficiant. Tertio quæ sanari ante alia possint, et que nõ possint

sint, ueluti de ulceribus quæ unà cū phlegmonis A cōstitere, ostēdimus. Vbi nanqꝫ à quoqꝫ affectuū non leue periculum instat: ad id quod urget, dirigi primum curantis cōsilium debet. Vbi aliud efficiens est, aliud quod ab eo efficitur: ipsa causa spectanda. At ubi curari hoc ante illud non licet: ad id quod ordo dictat, est respiciendum. Atqꝫ in eo quidem curationis cōsilio quod ab urgēte initur, affectus magnitudo perpendenda est. Ea triplex est, alia quæ ex lęsæ actionis præstantia spectatur. alia quæ ex propria affectus essentia. & tertia præter has quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. In eo uero cōsilio, quod ex causæ ratiōe initur, animaduertendū est quidnā eorum quę inter se cōiuncta sunt, augere aut gignere reliqua possit. Quæ rursus uel gignant, uel incrementum ab eo accipiant. B In eo uero quod ordo pręscribit, quid ante qđ, uel quid cū quo, uel quid post quid, sanari possit. Fingatur igit̃ in uentriculū defluere ex cerebro superfluū quendam humorē frigidū, atqꝫ eius occasiōe intemperiē quādā in uentriculo contractā iam esse: quin potius malū iam succū per totū eius corpus media omīa similariū particularum spatia occupasse. In eiusmodi cōplicatis dignatiōe maior est intēperies, propterea uidelicet ꝙ et ipsa tēperies. propriæ uero essentiæ ratione quodcunqꝫ utiqꝫ tale fuerit, circa propositū in sermone ægrum. Ac ponatur ad præsens maximus trium affectus esse succorū, qui in tunicis uentris continentur. Esto (si libet) ut idem quoqꝫ affectus morsus sensum faciat, atqꝫ ex eo ipso animi C defectum & sudores quosdam cum syncopes dissolutione accersat: ita uidelicet, ut quatenus supra uires est, reliquis sit maior. Constat igitur primam esse adhibendam curam, ut ei ꝙ uires resoluit, occurratur. Deinde quoniam omnium maximum propriæ essentiæ ratione hoc finximus, utiqꝫ ad id primum te uerteris, ac primū id sanes. Vbi id mediocriter se habuerit, ac neqꝫ uires amplius labēt, neqꝫ plurimum uitiosi in uentriculo sit: tum nimirum ad causam accedes, illud pro comperto habens, non posse ad perfectionem ullum affectum sanari, manente adhuc ipsa unde natus est causa. Ordo autem curationis, modo contraria inter se remedia, sicut in phlegmōe & ulcere, indicat: (ostensum nanque est quæ phlegmonem sanant, ea maius reddere ulcus) modo alteri affectui nihil D nocet, sicut in proposito nunc casu. Qui eñ educit humorem qui in sinu uentriculi continetur, is humorum qui in tunicis continentur, alimentum adimit: æque & qui cerebrū ita sanat, ne quam sensibilem redundantiā creet, is ueluti fontē fluxiōis in uentriculum destruit. In his ergo ordo curationis cum ordine causarum cōsentit, quanqꝫ in alijs dissentit. Cæterum, quod ex magnitudine spectatur, id distingui prout dictum est, debebit. Ac primum quidem id agendum est, ut ei quod maximum est, propriam medicamentorum materiem accōmodes: deinde pro causarum ordine totum cures. Etenim cū neqꝫ copia notabilis excrementorum in uentriculo sit, nec eorum quæ in capacitate eius continentur, nec eorū quæ in tunicis, sed neqꝫ mordicatio quæ uiribus officiat: tum omniū primum sanandum ipsum cerebrum est. Ab hoc sinus ipse uētriculi uacuandus extergēdusqꝫ est: postea ipsæ tunicę expurgandæ: postremo intēperiei est medendum. Dicta uero prius sunt cuiusqꝫ horum medicamēta. Itaqꝫ nec prolixus habendus adhuc sermo est, sed finis iam libro imponendus. Omnium enim reliquarum partium intemperies similiter ijs quas in uentriculo proposuimus, sanabuntur. Semper enim comparandum remedium est quod sit affectui contrarium: ac illi remediorū indicatio quæ à laborantis natura sumitur, adijcienda. de qua dictum in superioribus iam est: dicetur tamen in sequentibus uberius.

13 Necessum uero erit & nūc paucis de ea mentionem facere. Prima quidem indicatio à laborantis loci temperie sumitur, quæ calfaciendi, refrigerandi, siccandi, uel humectādi, uel aliquid horum coniuncte cum alio faciēdi mensuram præscribit. Secunda ex eo sumitur, ꝙ actio eius omnibus animalis partibus sit cōmunis, aut ꝙ cōmunē uirtutē sumministrat. Tertia, ab ipsa partis figura. Quarta ab ipsius positura, cuius portio est ad uicinas animalis partes societas. Tum præter hæc omnia, ipsa sentiendi, uel acrimonia, uel hebetudo. Ac dicetur quidem in sequentibus de singulis horum latius, nunc paucis ea transcurramus. Quæcunqꝫ calidiores natura partes ex frigore laborant, hę & liberalius & diutius calfieri postulāt: sicuti etiam quæ frigidiores natura sint, si ex calore laborent, refrigerari: & sicciores, si ex humiditate male habeant, siccari. Ad eundem uero modum & humectari quæ humidiora naturaliter sunt, ubi ex siccitate laborant, tum uberius, tum diutius postulant. Quippe eatenus redeat ad naturam eorum quodque necesse est, quatenus à natura recessit: ac ueluti quadam uia retroferatur quæ in diuersum agat ei, quæ facta in ipso est, transmutationi. Contra uero pars quæ calidior natura est, si calido morbo ægrotat, exigua breuisue temporis refrigeratione eget: sicut quæ frigidior est calfactione. Ad quem modum in humidis quoqꝫ & siccis se habet. Siquidē paruus est in eiusmodi in id quod præter naturam est lapsus: & rursus in id quod secūdum naturam, reditus. Vnde etiam minus periclitantur quicunqꝫ cognato naturæ suæ morbo laborant. Non latet uero & quòd sicubi coniugatæ intēperies inciderūt, eatenus hæ reduci ad naturā postulant, quatenus à natura recesserunt. Atqꝫ ita quidē à tēperamento laborantis partis, auxiliorum indicatio sumitur. Ab eo uero ꝙ actio eius oīibus animalis partibus utilis sit, aut paucis quibusdā, aut uni sibi, in ijs intemperiei generibus quæ absque humore infestant, utique nihil ex hac indicatione sumitur. Nam & refrigerari, & calfieri, & siccari, & humectari, & per coniugationem quiduis horum pati singulæ particulæ pro morbi portione requirūt. In his tamen quæ ex humoribus sunt ortæ, si particula soli sibi inseruiat, audacter uacues licet, prout affectus suadebit, sed

bit, sed tamen etiam uirtuti attentus. Sin necessarium opus eius sit omnibus animalis partibus, ue luti uentriculi, & iocinoris, non leuis habenda sollicitudo de robore uirtutis est, ne hanc magna semel uacuatiõe usus dissoluas. Est porrò cõmune opus, & uenarum, & arteriarũ, & cordis, & thoracis, & renum, & utriusq; uesicæ, tum eius quæ loti um excipit, tum bilem: cum uasis etiam quæ ab utraq; procedunt. Cerebri uero opus, cum sani sumus, ad uoluntarias actiones necessarium est, ijs scilicet instrumẽtis quibus eiusmodi actiones obimus: Cum ægri sumus, necessarium non est, nisi ijs tantũ quæ ad respiratũ sunt deputata. Reliquorum uero organorum actio certe non est: ministerium tamen est ad uitam necessarium, ueluti pulmonis, & asperæ arteriẹ, & faucium. Ergo ex eiusmodi particulis quãplurimum uacuare redundantiam licet, prout uolueris. Ex uentriculo uero, & iocinore utrunq; uacuare non licet: sed cum cautione, ut ne quid uirtuti officias. Quoniã aũt non par est actionum dignitas ad ægros seruãdos, sed aliæ magis his, aliẹ minus utiles sunt: utiq; ad portionem actionũ dignitatis etiã cuiusq; partis prospiciendũ est robori. Maxima igitur est cordis officij dignitas, atq; ægrotantibus maxime omnium necessaria. Cerebri uero ad uitam quidem par est momentũ: nõ tamen par robur eius in ægrotis requirimus, cum necesse omnibus nõ sit neruorum ac musculorũ opera uti. Itaq; abunde fuerit, si tantum eius seruatum sit, quo respirationis munus sit obeundum. At uero iocineris opus omnibus particulis pernecessarium est: non tamẽ adeo saltem perpetuam necessitatẽ habet sicuti ipsius cordis. Ad portionẽ aũt iocinoris, etiam uentriculi opus se habet. Intelligens ergo omniũ particularũ, tum functiones, tum usus, quos in alijs cõmẽtarijs tradidimus: haud difficulter inuenies, quatenus cuiusq; robur custodiri oportet. Ad eundẽ uero modum & quæcunq; partes alijs autores facultatum sunt, harum quoq; robur seruare decet pro facultatis earũ usus portione: quo uidelicet animalis partibus subministrent. Sanè de his particulis illud (arbitror) didicisti, cerebrum neruis ac musculis, cor arterijs, iecur uenis suppeditare uirtutem. A figura uero indicatio ipsius modi uacuandi excrementi suggerit, ad hunc modũ: Vẽtriculus uomitu deiectioneq; inanitur. Intestina deiectione tantum, sicuti etiã iecinoris caua. Renes uero, & uesica, ac iocinoris gibba, si multo uitioso succo sunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria (κατωτικὰ Greci uocant) expurgantur. sin mediocri, per urinales meatus. Cerebrũ uero per palatũ, & nares, & aures. Pectus & pulmones per asperã arteriam, & fauces. A situ indicatio dabit, tũ ad solidarũ intẽperies, tum aũt ad succorũ uitium sanè non leuis. Nam qui per summa corporis intẽperie laborant, ijs medicamenta quẹ intẽperies requirit, applicabimus. Quibus autem in profundo corpore intemperies est, in ijs rationem interualli inibimus. Si enim medicamentis ijs utere quæ intẽperies requirit, utiq; multo imbecilliora, quàm pro usu tuo ad locum affectũ perueniẽt. Iam ad uacuationes quoq; nonnihil situs indicat, dum societatem laborantis particulæ cum alijs docet. Nam nisi illud compertum haberemus, quòd cauo iocinoris subijcitur uẽtriculus, & ieiunũ: tum quod ieiuno ipsi tenue intestinum succedit, id uero colon excipit, ac colon quod appellant rectum: utiq; inuenisse illud non licuisset, quòd iecur, & per aluum, & per uomitũ expurgari possit. Cæterũ aptior sit prior uacuatio, tanquam usu iam calentibus intestinis iocinoris superflua tolerare. Nõ spernenda uero indicatio est, & ea quã sensus partiũ, acuitas hebetudoq; suppeditant: quãdo omne medicamẽ contẽnunt quæ tardi sunt sensus, etiã si non leuiter mordeãt. At quæ acuti sunt sensus, eorũ uires dolore resoluuntur. Expedit igitur has nec confertim, nec semel ualentibus auxilijs mederi tentes, sed tutò potius in tẽpore. At ubi tardus est sensus, in his etiã celeriter obire quod iustum est licet, semel usis remedio quod sit idoneũ. Verum quod supra dixi de locorũ indicatione, latius disceptabitur in sequentibus, idq; eo præcipue loco, quo De tumorum præter naturam curatione agemus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI OCTAVI.

Cap. 1. Proponit quædam in genere de ratione medendi febribus. 2. Exorditᷣ ab ephemera febre, & corporibus huic obnoxijs ꝓpter halituosos uapores nõ facile transpirabiles, siue cutis stipationẽ. Ad hæc sermonẽ accõmodat & alijs febribus: ac simul diatritarios reprehẽdit, docẽs quãta pericula fames febrientib. accersat. De cibis qbusdã obiter, ptisana, alica, piscibus, auibus, terrestribus. 3. Quõ medendũ sit animæ affectionibus, frigori, ustioni, lassitudini, unde diaria febris cõtrahitur, per olea, frictiones & balnea. Meminit etiã instituti sui, quo peruenit ad tantã in medica arte cõsummationẽ. 4. Cura diariæ factæ ex obstructione ꝓpter fuliginosa succorũ excremẽta, per phlebotomiã, purgationẽ, & detersoria medicamenta. 5. Diariæ febris curatio, quæ ex crapula & ciborũ auiditatibus contingit, maxime ubi in nidorulentã & fumosam qualitatẽ cibi corrũpuntur: rarius aũt, quando in acidum. 6. Cura ephemeræ ex bubone. Contra diatritarios. 7. De diarijs quæ ingruunt intemperiei calidæ & humidæ. De acquisito habitu uel bilioso, uel calido & hũido. 8. Quæ tẽperies plus soleat esse febri obnoxia quæ minus: quæque faciliori momento uergere possit ex diaria in putridam. 9. Victus rationem sumendam esse ex temperamenti indicatione.

Aliter.

De febrium diariarum differentia, & quas ob causas contingere soleat. Quæ naturæ promptius à diarijs corripiantur. Quos febricitantes cogamur nonnunquam etiam inter initia accessionum cibo reficere: quibus si à medicis inedia iniungatur, quãtum inde lædantur. De frigidæ exhibitione. Methodus curationis eorum quæ uentriculo accidunt. Et sunt.

Oris uentriculi imbecillitas. Si uentriculus intus uritur: Si aluus fluit: Si appetentia sit deiecta.
Si uenter omnino astringetur: Si rosione uexetur:
Si flatuum copia adsit. Si cruditas in acidam qualitatem sit mutata. De febrium diariarum dignotione & curatione.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, Liber octauus.



1 QVEMADMODVM uero febres quoq;, non secus q̃ alij morbi qui ex intemperie in nobis consistunt, quosq; in præcedēti libro narraui, methodo curentur, tempestiuū nunc dicere uidetur. Quòd igit Eugeniane charissime, simplicium ac primarum partium (quas Aristoteles similares uocat, natura ex calido, frigido, humido et sicco, inter se mistis cōstet, uno uolumine ostendimus, in quo De elemētis secundū Hipp. disputauimus. Quòd uero ex eo quòd hæc calidior sit, illa frigidior, uel humidior, uel siccior, uel simul horum aliquibus copulatis affecta, simplices ac primæ particulæ inter se differāt, id in libro De temperamentis est assertum. At in libro quo De morborum differentijs agitur, duo in uniuersum esse morborum genera, quæ in simplicibus animalis particulis oriantur, docuimus. Alterum quod etiam secundis, & compositis, & instrumentalibus sit commune. Vocauimus autem id unitionis solutionem. Alterum ipsarum peculiare, quod in calidi, frigidi, humidi, & sicci intemperie consistat. Esse autem ex intemperantijs ipsis quæ quidem in una sunt contrarietate, simplices: quæ in ambabus, compositas. In ea itaq; quæ est inter calidum & frigidum oppositione, duas esse simplices intemperies. Alteram, ubi quicquā tanto efficitur, quàm ante erat, calidius, ut eius lædatur actio, Alteram, ubi pari modo inualuit frigidum. In ea uero oppositione quæ est inter humidum & siccum, alteras etiam geminas, nempe humidam & siccam. Copulatis uero inuicem simplicibus, alias existere quatuor, humidam & frigidam, humidam & calidam, siccam & frigidam, siccam & calidam. Traditæ uero sunt & causæ, quæ has intemperies generent, in alio libro, in quo morborum causas reddidimus. Sanè unus quispiam morborum est quos intemperies creat, & febris: utiq; cū adeo immodice auctus calor est, ut & hominem offendat, & actionem lædat: quando si neutrum adhuc efficiat, quantumuis sit homo nunc quàm ante calidior, nondum tamē febricitare eum monstrauimus. Quoniam autem quicquid præter naturam in nobis oritur, siue speciale nomen sortitum sit, siue generale, id extra corpus non est, sed tum pleuritis, tum phlegmone, tum morbus, tria simul in uno cōsistunt corpore, uerbi gratia, Dionis: Indicat autem & horum quodq; propriam indicationem æque profecto ut eius quod maxime omnium speciale est, ipsæ differentiæ: ob hæc utilius uisum est seorsum de Febrium differentijs tractare, quò omnibus prius præparatis, sermo nobis hoc loco citra omnem eorum qui parum recte de ijs scripserunt, refutationem absolueretur.

Reuocemus igitur ad memoriam discriminis earum capita, quò propriam ex unaquaq; indicationem sumamus. Est igitur una earum differentia illa, in qua causa adhuc adest febrim creās, aut febri excitata iā desiit. Altera uero qua uel (ut Græci loquuntur) hectica febris est, quæ iam facta est: uel etiam (ut aliquis eorundem dixerit) schetica. Nam quoniā eos affectus qui facile discutiuntur, ἐν σχέσει Græci uocant: qui tales non sunt, ἐν ἕξει: concedendū est dilucidioris doctrinæ causa, etiā B febrium ipsarum eas quę ægre discutiuntur, hecticas: quæ facile, scheticas nominari. Dicendūq; febrium alias facile solubili affectu esse, perinde ut percalfactum in sole lignū. Alias difficile solubili, ueluti quod igni eatenus excalfactū est, ut iam accendatur, & fumū edat. Hæ sunt primæ febriū differentiæ, quas ubi cum summis primum indicationibus iunxerimus, mox ad magis illis speciales ueniemus. Prima enim omnis febris indicatio ueluti à morbo est, ablationē eius præscribens. Secundo uero ceu abs tali est morbo, quæ non absolute sublationem, ut prior, sed certam quandā sublationem indicat. Nam cum febricitantes ex intēperie laborant, necesse est sanationē quoq; eorū intemperantiæ depulsionem esse. Omnis autem C excessus per contrariū excessum sanatur. Etenim id quoq; ante est ostensum. Quare febrilis quoq; intemperantiæ excessus per contrariū excessum sanabitur. Est aūt febrilis intēperantiæ excessus in caloris abundantia. Huic ergo ad temperamentū uia erit per id quod refrigeret. Itaq; si iam præsens febris est, sed causa quæ eam excitauit, iam desiit: huc tantum sanandæ eius consilium dirigetur, ut refrigeretur. Quare quærenda nobis talis materia est, quæ cum redundante calore paria refrigerando faciat. At si in generatiōe adhuc febris est: causa quæ eā accendit, submouenda est. Sin pars eius genita est, pars in gignendo adhuc est: utiq; consulendum est. Primum quidem submouendo quę eam accendit causam, deinde extinguēdo quæ ab D hac accensa est febrem. Ergo nisi quis ad unguem memoria teneat, & quæ causæ febres generent, & in quo cuiusq; corporis affectu: is nunquam methodo febri prospiciet.

2 Dictum nanq; est in ijs corporib. meatuum constipationem febrem excitare, in quibus quod transpirat halituosum non est (ἀτμώδης Græci dicunt) cuiusmodi uisitur in ijs qui boni sunt succi: sed mordax & acre, fumi fuliginiúe non absimile. His igitur corporib. saluberrima est ex aqua dulci, & temperata lauatio, tum frictio quæ rarefaciat, & exercitationes mediocres, & uictus, qui dulces efficiat succos. Aduersissima uero sunt lauatio frigida, & aluminosa, & lauationis abstinentia, & exercitatio acuta, & frictio, uel planè nulla, uel dura, & uictus mali succi, & uigiliæ, & ira, &

tristitia, & cura, ustioq; in sole, & fatigatio. Verũ de reliquis post dicam. De stipatione uero meatuum, unde digressus sermo est, liquido scire licet solam eam, si reliqua omnia desint, accendere febrem posse. Si itaq; eiusmodi naturas à cõuenientibus sibi lauationibus prohibeas, protinus febricitant. Vidisti autem profecto quo tempore Romæ nobiscũ egisti, aliquos ita laborare. In quibus qui mirificã diatriton transmittere eos in cibi inedia censent, ipsi difficillimas febres faciunt: quando protinus in primæ accessionis inclinatione, in balneũ eos ducere oportebat, ibiq; sinere crebro, si uellẽt, nedum semel, aut bis lauare. Ego namq; reliquis omnibus omissis, eum tibi in memoriã re uocabo, qui in aquis aluminosis (quas Albulas uocant) lauerat, ac ex eo cute densata, post cœperat febricitare. Quippe satisfaciet is pro claritate sermonis nostri, ueluti exemplũ. Sane hominẽ inuisebant medici quidã non incelebres, alter Erasistratius, alter Methodicus. uisum autem est ambobus hominem à cibo cõtinere. Quod tamen nos, cum post illos digressos superuenimus, non permisimus: sed statim in balneũ perductũ, & tepẽti oleo largissime perfusum, tum blãdissime perfrictum, quamplurimũ temporis in calidi solij aqua uersari iussimus. Mox egresso, ac frigida ex consuetudine uso, tum sindone cooperto, cõsidere paululum ad uires recreandas præcepimus. Postea denuo in balneum perducto, ac rursus similiter tum uncto, tũ perfricto, ac in calida morari iusso, dein rursum educto ac frigida merso detersoq; exhibuimus cibum. protinus quidẽ, ut egressus est, atq; aquã bibit, ptisanæ cremorẽ: dein paruo interuallo lactucã: ac post hãc ex simplici albo iure pisciũ aliquid eorum qui molli sunt carne: cuiusmodi saxatiles sunt oẽs, & aselli quos uocant. Porrò non alienum sit, quò nihil narrationi desit, omnia recensere. Tẽpus anni erat quo hæc agebantur, paululũ post caniculares quos uocant dies. Homo ipse circiter quinq; & triginta annorum, colore nigello, & habitu corporis gracili, atq; hirto: tum qui tangentibus etiã cum ualeret, manifeste calorẽ exhiberet mordentẽ. Vrinas quoq; habuit abunde flauas: ac si plusculũ cibo abstineret, etiã mordentes. Aluus assidue sicca erat. Tum quæ excernebat, exigua acriaq; & sicca. Mores animi ad irã & cogitationẽ propensi. Ipse pauci omnino somni, & qui perpetuo de uigilijs quereretur. Hic quodã loco quo negociorũ gratia concesserat, albulis (quæ haud longe aberãt) est usus septima (ut aiebat) diei hora: ac ter quaterq; se lauit, salubriter sibi cõsuluisse ratus. Hinc quoq; ubi rursus in agrum se recepisset, ac cibum sumpsisset, & paululũ indormisset, uenit ad urbẽ sero uespere: ubi destitutus idoneo balneo nocte febricitauit. Cũ aũt tertia fere diei hora con templati eum medici essent, iusserunt nõ eum modo diẽ, uerumetiã posterũ totum per inediã transigere: quo tertiæ diei noctem obseruarẽt. Atq; his dictis abierunt. Nos tum lauato, tum ut prædictũ est, cibato: ministris præcepimus, si medici uesperi uenirent, quiescere hominẽ dicerent: eosq; sta-

A tim remitterent, ac postridie mane redire iuberẽt. Vt uero abierũt, rursus hominẽ simili modo lauatum, ac cibatũ, ijs ipsis quæ egimus, dormire probe fecimus. Accedentes autẽ mane postridie medici: censuerunt etiã eo die cibo illi abstinendũ, etiam si quãmaxime sine febri prorsus esset. Illo uero promittente se facturũ quod iuberẽt, scis quantus illis digressis risus sit excitatus, quem nos paulo post superuenientes deprehendimus. Nõ fugit uero nec quomodo cum laborãte ipso sit actum. Nã quoniã (inquam) cum ualeres, bis lauare solebas, ac medici cibum tibi omnino circumcidunt: nec illis iure in totum obsequẽdum esse, et aliquid eorum quibus per sanitatẽ es usus, immutandum arbitror. Eo uero putante me sibi suadere ut laua- B ret quidẽ, sed non bis: tum paratum se affirmante quicquid iusserim exequi: ergo (inquam) neq; inediã tolerabis, neq; lauabis bis. si quidẽ et laborasse mihi uideris iam triduo, et calfactus uehemẽtius à sole fuisse. Propter igitur laborẽ (inquã) & ustionem, unã te adijcere lauationẽ ad duas oportet, ac ter mihi audientẽ lauari: quoniã id mihi facturum te pollicitus es. Ille subridens, dura (inquit) imperas. Cæterum quoniã stare pactis est iustum, faciã quæ iubes. Quæ uero medici post hęc egere, nosti planè quãto erant digna risu. Bis iã lauatus fuerat, pransusq; dormierat, cum circa occasum solis ministrorum quispiã adesse medicos nunciat. Hic uero febricitare se simulat: ac ueste circundatus inuolutusq;, quo minus bibisse uinũ ab ipsis depre- C henderetur, amico cuidã mandat, medicis, si quid percõtentur, pro se respõdeat. Erãt autẽ de more, ubi inuolutum curiose hominẽ etiã cum capite uiderẽt, primum illud solenne ipsis rogaturi, quota hora accessio inuasisset. Cum autẽ amicus respondisset, fermè ne unã quidẽ integrã ex quo cœpisset, intercessisse horã: cum horroré ne, an frigore cœpisset, rogant. Eo cum horrore respondẽte, tangunt hominẽ iam corpore propter risum, & operimentum madentẽ. Itaq; ubi hominẽ laudassent ꝙ sibi obtemperasset, nec quicquam ante tertiæ diei accessionẽ deliquisset: ob id ipsum (inquiũt) nunc te deseruit horror, estq; sudoris indicium, ac multa humiditas circa cutem, quæ haudquaq; euenisset, nisi inediã tolerasses, & triduum trãsmisisses. Iussis D igitur propinquis, si quæ guttulæ illi manarẽt, diligenter detergerẽt, ne frigore afficeretur: tum mane se redituros præfati discedunt, ne tum quidem post sudores iusso homine nutriri. Visæ nãq; sunt illis noctes eo tẽpore breues, utiliusq; esse postridie mane nutrire. Digressis igitur ipsis, perfusus sudore iuuenis, ita ut inuolutus uestibus fuerat, in balneum cucurrit, ac tertio lauit: & similiter est cibatus. Postridie priusq; aduentarẽt medici, egressus domo dedita opera est ne se deprehenderent. Itaq; cum paulo post uenirent, & egressum intelligerent: mirati inter se sunt, quid tandem hominẽ egredi subegisset iam bidui passum inediã. Ergo si hoc uno male ab eiusmodi medicis ægri afficerentur, ꝙ pluribus diebus in cubilibus detinerent, cũ liceret sine intẽpestiua hac inedia multo citius ad

consueta uitæ munia redire, esset profecto uel id A pergraue. Verũ lõge grauius est quod accidit. Cũ enim memoratæ naturę ubi sub tali uictu regunť, grauissimis occupentur febribus: qui hanc iniungunt medici, nihil mihi à carnificib. differre uidentur. Nõ enim ueluti qui humidi, ac boni succi sunt ubi in febri diaria trãsmittere mirificã diatriton coguntur, unũ id tantũ patiunť incõmodum, ꝙ frustra crucianť: sic etiã naturæ iam cõprehensæ, imò ex longiore inedia acerrimis acutissimisq; corripiuntur febribus: à quibus promptus est in hecticas transitus: atq; ab his rursus in torridũ marasmum. aut si os uentriculi facile iniurijs patet, in eum qui συγκοπὴν, id est animi defectũ infert. Audisti eñ subinde nõnullis talium medicorum dicentẽ me, licere ipsis euidenter intelligere quantum mali cõ B mittãt, dũ eiusmodi naturas in inedia custodiunt, si uelint, dum sani omnino sunt, biduũ eos inediã iubere tolerare. Cernent enim ilico febricitantes, idq; ob nihil profecto aliud ꝙ̃ famem. Siquidẽ cui nec suberat prius quicquã in corpore quo grauareť, nec quicꝙ̃ illi interim accessit extrinsecus noui, is planè ex inedia febricitauit. Quãdo enim (ut dictum est) non unus, alter ue sic intemperatorũ, sed planè oẽs ubi inediã tolerarunt, & balnei solio abstinuerunt, febri corripiuntur: ne uel leuis quidem amplius relinqui nobis suspicio potest, quasi ob aliud quippiam & non inediam febricitarint. Quibus nanq; in corporis temperatura siccũ præualet humido, & calidum frigido, his corporis habitus gracilis, hirsutus, et nigrior est, ac reliquis tri C bus intẽperamentis quæ hoc sunt minus calida, tactu calidior aduertiť: plurima quoq; his flaua est bilis, urinæq;, ac deiectio bili satura, & pulsus magni, & somni leues & pauci, & animi impetus uehemens. Ergo recte horum Hippocrates, tum generalem uictus formulã cuiusmodi esse cõueniat, tum quot & qualia symptomata in eiusmodi homines incidant, nõ solum ubi totum diem in cibi inedia trãsegerint, uerumetiã ubi altero cibo, qui pro prandio datur, abstinuerint, prodidit. Quippe in sexto De populatim grassantibus morbis, ita inquit: in calida natura refrigeratio, aquæ potio, quies. In libro autẽ De acutorũ uictu, quem aliqui aduersus cnidias sententias inscribunt, cum de ijs disputat qui solitum prandium dimittunt, etiã huius D naturæ hominum meminit, πικροχόλους eos græce, quasi amaræ bilis homines, ab redundante scilicet succo nominãs. Habẽt uero eius uerba se ad hunc modum: Sed & qui bis die comedere cõsueuerũt, ij si nõ prandent, ægrotãt, tum imbecilli & infirmi fiunt, ac timidi ad quoduis opus. præterea cordis siue oris uentriculi dolorẽ sentiũt. Siquidẽ suspensa illis uiscera uidenť, & calidum, pallidumq; mingunt, & deiectio uritur. Sunt præterea quibus os amaricat, oculi cauantur, tempora palpitant, & extremæ partes frigent. Hæc ubi prædixit, mox alia quædã, tum de cœna, tum de nocte, ad finẽ sermonis ait huiusmodi notæ homines (quos πικροχόλους uocant) tum unicũ in die uictum, tum inediã, ꝙ̃ alios homines difficilius ferre, unã nimirum in eo li-

bro exponens partem eorum, quæ in sexto Epidemion monuit in uniuersum: nempe ꝙd ad uictum spectat. Nam refrigeratio quã calidis naturis suasit, efficitur cum ex alijs quibusdam, tum non minime ex cibi exhibitione. Qui nanq; originalem temperaturam parum moderatam habẽt, horum insitum calorem, si squalens acerq; est, cibi mitiorem minusq; mordentem reddunt. Sanè illud nõ latet, & boni succi, & exquisita debere esse quæ his exhibeantur nutrimenta: non tamen ea quæ boni succi, propterea ꝙ exiguum huiusmodi substantiæ in se habent, nominẽtur, ac nutrire nequeant, imò quòd utile plurimum in se contineant. Sunt namq; & maluæ, & brassicę, & betæ, & lactucæ, & deniq; omnia olera, & fructus, nutrimenta, cum substantia in his habilis ad alendum cõtineatur. Verum sicut in his exiguum est quod nutrit, non exiguum quod est inutile: ita in pane puro, & ouis, & carne, & alica, plurimum est quod nutrit, minimũ quod est inutile. Quòd si id inutile quod admistum utili est, præterquam quòd non nutrit, etiam acrem, aut acidam, aut acerbam, aut amarã, aut deniq; uitiosam quampiam qualitatem habet: non modo non proprie nutrimẽta sunt, sed etiam medicamentosę facultatis non parum in se habẽt. Expedit igiť tales homines illis nutrire cibis, quicunq; nec medicamentosam ullam sensu perceptibilem uim habeant, sed nec ipsum quod nutrit plurimum: quando hoc quoq; si exuperat, uitio non caret. Principio nanq; nec quæ in uentriculo eorum agitur concoctio est exacta, nec, si uentriculus ea superet, quæ in uenis obitur, est absoluta. Quòd si hic quoq; haud magnus sit error, saltem tertiam (quæ singulis partium propria est) difficile fuerit in omnibus illis rite perfici. Cõueniet profecto huic, & ut frigidum humidumq; quodamodo ei nutrimentum exhibeas, ubi corpus tum calidius, tum siccius solito est redditum. Quare commodissimus huic est ptisanæ cremor ad unguem coctus, in quo nullum sit superfluum condimentum: utpote qui & refrigerare, & humectare, ac si ne siti seruare hominem potest: cum eo ꝙ nec halituosum, nec humidum, nec siccum detinet excrementum. Voco halituosa quæcunq; per cutim foris effluere sunt apta: Humida, quæ per uesicam: Sicca, quæ per aluum. Quippe à uincenti in singulis eorum substantia, nomina ipsis imposui. Quòd autẽ nullum horum retinebit ptisanæ cremor, manifestum est. Quæ enim per aluum excrementorum deiectiones sunt, eas adstringentia retinere solẽt. Quę per urinas, & uniuersam exeunt cutim, hæc detinent ea quæ exiguis meatibus inhærent: ἐμπλαττόμενα uocant. præterea quæ ualenter adstringunt, ea στρυφνὰ Græci uocant. Ptisana uero nec exiguos cutis meatus obturãdi, nec astringendi uim habet ullam. Ac ꝙ non adstringat quidem, uel gustus ipse docet: cuius unius est proprium, quod adstringendi uim habeat, discernere. Quòd uero nec cutis meatibus lẽtitia crassitudinẽ ue sua inhæreat, id ratiocinari ex alijs eius effectibus est promptum. Nam siue sordidum corpus extrinse-

cus

A cus ptisana defrices, utiq; sicut aphronitrum, & mel deterget. Siue ex uentriculo per uomitum educere mediocrem pituitam uelis, nihilo minus mulsa utilem ptisanæ cremorem experieris. Addi tum tamen in dictionem est, mediocrem: quoniam si multa & uehementer glutinosa, & crassa pituita sit, hanc radicula ex oxymelite, nō mulsa aut ptisana detergere est habilis. Est sane & aqua mulsa ad omnes ante dictas expulsiones idonea. Verum nec sitim restinguit, ut ptisana, & in amara bili abundantibus naturis facile uertitur in bilem. Optimū igitur (ut prædiximus) in eiusmodi temperamentis nutrimentum est ptisana. Proximum ab hoc alica, cui paululū aceti ad faciliorē distributionem sit adiectū. Tertium, quæ sine aceto liquida est, non crassa: B qualem nonnulli præparant adsimilē pulti. Iniecisse uero huic, dum coquitur, aliquid porri satius est. Nam quòd tum anethi, tum salis aliquid necessario habebit, neminem latet. Quinetiā in clibano coctus panis utilis est cibus: sicut etiam è piscibus saxatiles omnes. Nec ipsis minus aselli: nisi si prope lacum, aut magnum flumē, quod in mare decidat, depasti, humidā magis glutinosamq; habeāt carnē. Proxime asellos sunt solea & torpedo, itemq; lupus & mulus, post mugil è pelago. Omnis aūt piscis deterior est, qui prope lacum qui mari coniungitur, aut magni fluminis ostium pascit. Ex uolatilibus autē optimę sunt perdices, ac montanę omnes auiculę. Ab his gallinacei, & phasiani, & iuuenes colūbæ. Sed nec hæ C tamen intus claudendæ, cum excremētosa sint omnia quæ exercitatione carent. Excrementosa uero non minus sunt, tum lacustria, tum palustria omnia. Quo fit, ut etiā ex ipsis suillis carnibus optima sit mōtana. Ab his deinceps hœdi sunt. In omnibus iam dictis fugienda, tum uetula, tum recens edita, sunt. Illa nanq; duriora, cōcoctuq; difficiliora sunt: hæc immodice humida, & excrementosa: ac potissimū quæcunq; ex animaliū generib. sunt, quæ naturaliter humida sunt, ut oues, suesq;. Verum de omniū ciborū facultate alibi præcepimus. Nunc ueluti alia in hoc opere, sic ista quoq; exempli causa sint dicta. Siquidem propositū nobis in hoc est, non tanquā in ijs quę De alimentis, & medicamētis scripsimus, materias inuestigare, sed so- D las facultates generales. Nihil autē profecto referat, generales ne facultates, an uniuersales, ipsas appelles. Reuertamur ergo rursus ad propositū. Quibus acre aliquid quotidie transpirat, ij, si cutis ipsis stipetur, prompte febri corripiunt. Stipāt uero hanc tum quæ adstringunt omnia, ueluti paulo supra memorauimus de Albulis aquis: tū quæ lentitia crassitudinē ue sua exiguis meatibus inhęrēt. Aliquando aūt ipsius cutis immoderatior siccitas exiguos ipsius meatus densat. Proinde qui œnanthe in balneo utebatur, hunc nos uidisti quo tempore inæqualitatē sentire se quereret, uti uetuisse. Simili modo et qui largo uino, cū oleo exiguo utebatur: itē, qui lentiscino, tum cum densitudinē sentiebat, hunc quoq; de cætero (ut scis) uti prohibuimus. Inhibuimus nō minus & eū qui quotidie insolabatur, & eum qui puluere utebatur. Alteri uero qui iam ad inæqualitatē febrilē peruenerat, uehementiā remittere frictionis iussimus. Iā aliū (ut scis) curauimus mirantē quo pacto una lauatiōe, ac debita frictiōe horridā eius multorum dierum inęqualitatē dissoluerimus. Vtebatur aūt et ille adstringente oleo: hoc inquā iure propter alios usus celebri: Hispanū uocant. Hoc igitur mutantes, ac Sabino tū pinguiter, tum molliter uberius perfricantes, ac bis lauantes, ilico sanū reddidimus. Nō solū igitur hæc omnia uitanda ijs sunt qui fumidū & fuliginosum è corpore exhalāt: sed etiā quę glutinosum, & quæ crassum gignūt succū, quādo hęc paruis meatibus inhærentia transpirationē morātur. Retinent nō minus (ut dictum est) trāspirationē, & quæ cutim immodice siccant. Multos siquidem talium cum sole uterentur, alios uero cū uberiore nitro, alios cum sale, aut exercitatiōe multa, aut frictione dura, præterea frictione sicca (ξηροτριβίαν uocāt) & puluere, & horū occasione quotannis ægrotarent, ipse testis es, ut ab his prohibitos, multis iā annis sanos seruauerimus. Sunt aūt merito eiusmodi præcepta, tū ualentiū, tū eorū qui de ualetudine querunt, cōmunia. Nō enim ei quæ iā facta est febri cōsulunt: sed ei quæ nunc in generatione est, prospiciunt, tollēdis scilicet ijs quæ illas excitāt causis. Quippe quæ adhuc in generatione febris est, dū aufert causa, ipsa unà interit. Quare quæ in libris De sanitate tuēda de eiusmodi tēperamentis sunt prodita, ea omnia ad eos qui febricitare incipiūt, siue id sanationē appellasse oportet, siue ꝓuidētiā, sunt trāsferēda. Siquidē sanamus id febris qđ iā inuasit, etiā si exiguū est. Prospicimus nequid amplius proueniat, adimentes causam.

3 Veluti uero iā dictarum maxime naturarū, & cum ualent, & cū de se querūtur, illud cōmune cōsiliū est, ut fluxile & trāspirabile undiq; corpus reddatur: ita illud quoq;, ut tum uigilias, tum irā, tum tristitiā, tum curam, tum ustionē, tum frigus, tum lassitudinē fugiāt, cū promptissime post hæc, eiusmodi temperamenta febri capiant. Sanare uero ea quoties ex aliqua dictarū occasionū febricitarint, oportet, partim similiter ijs quos ex stipata cute laborare diximus, partim dissimiliter. Quippe in prima accessione inclināte ducēdi in balneū oēs sunt: tum pinguiter simul ac molliter fricādi ij quidē, qui ex aliquo quod cutim adstrinxit, laborāt: sicuti dictū est. qui uero ex siccitate, fricādi quidem & ipsi, sed parcius: lauādi aūt uberius. Respiciendū uero semper ad uirtutis modū est in omnibus eiusmodi auxilijs. Atq; iræ quidē, & tristitiæ, & uigiliæ, ac curæ, nec frictionibus, nec lauationibus multis indigēt. Sed omnibus qui ex eiusmodi occasiōe febricitarint, oleum infundendū tepidū large est, cui minime adstringēs uis insit: tum paululum fricādi, atq; cōsuetudine lauādi. Vstio uero protinus ab initio refrigerationē desiderat, tū crebriorē lauationē: minime uero aut oleum largū, aut crebram frictionē. Sint aūt quæ refrigerent, & rosaceū, & omphacinū, quod etiā (arbitror) omotribes, id est crudum oleum nomināt. Vtiliora ue-

ro ex his ſunt quæ nihil in ſe ſalis omnino habent.
Efficies hæc magis frigida, ſi ita uas in quo conti-
nentur, in puteo ſuſpendas, ut aquam tangat. Præ
terea ſi defluxus frigidæ aquę uaſi ſe illidat, magis
humorem refrigerat. Quod ſi largius refrigeratã
cupis, uas niue circundabis. Infundere autẽ ſinci-
piti, ſublata in altum manu, per mediocrem lanæ
modum oportet. Hæc uſq; ad inclinationem faci-
ens, in balneum duces. Si uero qui memorato eſt
temperamento, de quo omnis hic ſermo eſt, ex fri
gore febricitet, etiam ducendus ad balneum in re
miſsione is eſt. Si aũt cum grauedine & diſtillatio
ne febricitet, priuſq; hæc concocta ſint, lauandus
non eſt. At qui ex uſtione febricitant, ij uel cũ hæc
adſint, lauari debebũt: ueluti in libris De ſanitate
tuenda oſtendimus. Poſt lauacrũ uero, iiſdem qui
bus ante, madefacienda amborum capita ſunt: eo
rum quidem qui ex uſtione febricitarunt, refrige-
rantibus: qui ex frigore, calfacientibus. Sunto aũt
& hæc poſt balneũ mediocria: cuiuſmodi irinum
eſt, & nardinum unguentũ. Verum de his immo-
randum pluribus non eſt, pręſertim in libris De ſa
nitate tuenda iam proditis. Sed ſuffecerit dixiſſe
reliqua ſimili modo in febricitantibus eſſe facien-
da, quemadmodum in uſtis & refrigeratis citra fe
brem, facienda præcepimus. Non tamen quouis
tempore lauandos febricitantes eſſe, ſed in acceſ-
ſionis remiſsione. Pręterea qui ex uſtione febrici-
tant, ijs intendendã quæ ex refrigerãtibus cõſtat,
curationẽ eſſe. ijs uero qui ex frigore, eam quæ ex
calfacientibus conſiſtit, remittendã. Reliquũ autẽ
fuerit, ut cõmunitatem ac differentiam in uictu o-
mnium comprehenſarum conditionum in propo
ſito temperamento, ubi febri diaria laborat, expo
namus. Omnium igitur cõmunis uictus ſpecies
eſto, quæ & boni ſit ſucci, & concoctu facilis, &
quę nuſq; exiguis cutis meatibus inhęreat. Sed ijs
qui exuſti ſunt, cum eo quod refrigeret, etiam hu-
mectet. Pari modo ijs quos ira male habuit. Iis ue-
ro qui refrigerati fuerunt, cum eo quod calfaciat
modice. Iis qui peruigilio, & triſtitia, & nimia cu-
ra ſunt affecti: ꝙ humectet ac ſomnum conciliet.
Ad eundẽ modum ijs qui fatigati ſunt, magis nu-
triẽs. Iis qui refrigerati ſunt, minus nutriens. Reli-
quis qđ mediũ ſit amborũ. Vinũ uero ipſe cõſci-
us es omnibus me eiuſmodi [naturis] concedere:
ſed quod tum aſpectu, tum uiribus ſit aquoſum. Id
enim ad omnia utilius ꝙ aqua eſt, utpote quod &
cõcoctionẽ iuuet, & urinas ac ſudores prouocet.
Conſtat aũt & Hippocratẽ non in diarijs modo fe
bribus, uerumetiã in acutis, ex ijs quæ De acutarũ
uictu prodit, uinum dare. At in ſexto Epidemion,
ſiue ipſe ſit, ſiue Theſſalus eius filius, uinũ calidis
temperamentis prohibet: idq; non modo cum fe-
bricitant, ſed etiam per ſanitatẽ. Quippe in calida
natura ſuadet tum refrigerationẽ, tum aquę potio
nem, tum quietem. Niſi forte copioſius utendum
eſſe aqua ꝙ uino eiuſmodi naturis ſuadere eũ di-
xeris: quemadmodũ nonnullis placet. Hoc igitur
ſeorſum per ſe diſquiratur. De potione uero frigi-
dæ decidendũ. Ego igitur cenſeo eius generis na-

A turas, & dum ualent, eiuſmodi potione magnope
re iuuari: nec in diaria febri ijs quibus in uſu fuit,
eã circuncido. Si quis uero non adſueuit, huic per
febrem dare non inceperim, niſi priſtina plane ſa-
nitate prius reddita. Quod ſi uel propter timidita-
tem, uel propter conſuetudinem à pueris, uel fal-
ſam opinionem, frigidam timeat: tum opere homi
ni perſuadeam, obſeruans in æſtate cum æſtuat:
tum oratiõe poſt opus. Nã ubi poſt uſum eiuſmo-
di potionis liberatus ſtatim ab urendo æſtuãdoq;
eſt, uiſusq; firmiorẽ ex eo ſtomachũ ꝙ ante habe-
re, tum uentriculus illi bilioſum deiecit, & probe
concoxit, ac corpus, cum ea iterum iterumq; uſus
fuerit, reficitur, tum uero alijs quoq; ei indicatis,
quibus ſimili ratione cõtuli, expoſuerim primum
B quidem illud eſſe omnium longe uerißimũ, ꝙ cõ-
traria contrariorũ ſunt remedia. Proditum aũt mi
hi de hoc prius eſt: mox illud, ꝙ temperamentum
eius ſanitatis ſymmetriã egreſſum morbo eſt pro-
pinquum. Tum ꝙ ſanitas eiuſmodi corporum du
bia eſt, ac potius in affectu, quam ſcheſin uocant:
quàm in habitu, quam hexin. Præterea ꝙ ſi boni
temperamẽti eſſet, hoc illi omni ſtudio tuerer: cũ
uero uitioſi ſit temperamenti & naturæ, in melius
immuto. Porrò dictum & de his fuſius eſt in libris
De ſanitate tuẽda. Vnde nec immorandum mihi
hic multis eſt eos imitanti ſcriptores, qui cum pau
ca prorſus ſciant, ipſa in omnibus libris inculcant.
Id enim nõ multa eſt docere, ſed multa ſcribere, &
multas chartas conſumere, cum liceat paucas: ac
C multum temporis nulla neceſsitate cõterere. Itaq;
nec notas diariarum febriũ hoc loco deſcribo, ut-
pote iam prædictas mihi in ſecundo De criſi pro-
pemodũ uniuerſas: ſi quæ uero reliquæ fuerunt,
etiã in primo De febriũ differẽtijs proditas. Quin
etiam in libris De pulſibus, quantũ ex ipſis ſit uti-
le, expoſuimus, ſoli (ut ſcis) omniũ qui ante nos fu
erũt. Idq; adeo (arbitror) clare, ut nec puerũ quod
tradidimus, lateat: cum Archigenes (ut oſtendi-
mus) non docuerit, ſed deblaterarit plurima tum
in opere De pulſibus, tum in eo quod De febriũ
ſignificatione inſcribit. Tanquam autem eum qui
in aluminoſa aqua ſe lauit, medici uſq; ad tertium
diem cibo abſtinere iuſſerunt: ad eundem ſcis mo
dum neminẽ eorum qui uel exuſti fuerũt, uel laſ-
D ſati, uel alia quapiã ex iam dictis cauſis febri tenta
ti, lauiſſe, aut nutriuiſſe, priuſq; diatriton tranſmi-
ſiſſent. neceſſe eñ profecto eſt & me diatriton di-
cere, ne in hoc quoq; nugis eorũ me exponã, dicẽ
tium aliam eſſe tertij diei acceſſionẽ, aliam ipſam
primã diatriton. quippe hactenus eorũ nugas pro
ceſſiſſe, ipſe aliquando audiſti. Sed ſiue primũ dia
triton, ſiue aliud quiduis appellaſſe uelint, non ſe-
mel nos bis ue aut ter, uerum ſæpius ꝙ ut memi-
niſſe poſſimus, tum in primo ſtatim die ad ueſpe-
rã eos qui diaria febri laborarũt lauimus, tum uel
magis in ſecundo, imò etiã in ipſo tertio, ceu pau-
lo ante diximus de eo cui ſtipata cutis fuerat. Ve-
rum hanc cauſam rarenter uidi febrem accendere
(itaq; etiã hanc maxime tractandam deſumpſi) u-
ſtionem uero & laſſitudinem, & cæterorum ſingu
la

la planè sæpe. Vidisti aũt eos oẽs quarto die mane ad solita redire munia: ac medicis qui ipsos tertiũ diem prorsus in cibi inedia exegisse fuerant opinati, occurrere. Itaq; etiã mirãti tibi ac quærenti quid demũ causæ esset, cur uel nunc saltẽ eiusmodi medici ab ijs quæ perperã opinantur, nõ recedant: cõueniẽter (ut arbitror) respondi, ꝙ neq; ueram speculationem noscerẽt, & nunc eam incipere discere erubescerent. Aliqui tamen (ueluti cõfitentem aliquãdo ex ijs quendam, idq; cum lachrymis, ueritatem nobis solis audiuisti) nec uitæ sibi necessaria aiũt adfutura, si qui eos scire aliquid existimãt, discentes iam uideant. Verum tu hoc semel audisti. Deos autẽ omnes testor, multos id mihi sæpe soli confessos, idq; lachrymantes, ac infelicitatem suam deplorãtes, ꝙ sub malis præceptoribus tempus perdidissent. Iuroq; tibi rursus deos, illud ꝗq; mihi persæpe in cõdiscipulis dictũ esse, cum essem adhuc ætate adolescẽs. Nam cum mihi mos esset, ubi aliquis me de secta aliqua num sana esset percontaretur, dicere, me respondere non posse, nisi reliquorũ omniũ dogmata didicissem, ac methodum quampiam mihi comparassem, qua quod potius esset discernerẽ, nõ pauci ex cõdiscipulis qui hæc audierãt, mihi responderunt, me & excellenti natura, & singulari propter patris mei liberalitatem esse eruditione, tum & ætatem ad discendum idoneam, & impensas unde disciplinis uacem suppeditatas habere: secum nõ ita agi, qui & rudes in primis disciplinis essẽt, nec acuto ut ego ingenio, nec quod impenderẽt habere. itaq; cõtentos esse oportere ijs quæ nunc nossent, qualiacunq; ea forent. Minime igitur mireris cur plerosq; medicorum nõ pudeat diatriton in ore habere, etiã si sexcenties nos præsagire in ægris uiderunt, diariã ne febri laborarent, an ea quæ tertio quarto ue die accessionẽ aliquã esset habitura. Illud potius æstima ꝗd Hippocrates monuit, homo aliàs ingenio maxime philosophico: Cum peracutus morbus est, statim cum ultimos labores infert, tum tenui ad ultimum uictu necesse est uti. Vbi uero nõ, sed licet liberalius cibare: tantum est de ultimo remittendum, quãtum morbus ultimis est mitior. Labores nanq; dicit omnia quæ hominem offendunt: ultimos uero maximos, quales utiq; in summo uigore fiunt. Iubet aũt reseruari in id temporis summã uictus tenuitatem: nihil profecto docẽs diuersum ab eo quod alibi dixit: Cũ in summo uigore morbus est, tũ uictu uti tenuissimo est necesse. Atqui fieri non potest ut summam uictus tenuitatem ad summi uigoris tempus differas, nisi inter initia cõieceris circiter quotum diem in uigore morbus sit futurus. sed & insanire Hippocratem dicunt, qui hæc scripserit: & tametsi nos opere ea ostẽdimus, omnia potius putãt ꝙ posse quempiam in prima aliquãdo accessione certam notitiam affectus ipsius ægrotantis habere. Ego uero nec in omnibus ægrotantibus fateor exacte me scire in primo die affectum, nec ullam diariam me febrem posse fugere. at uero ut nihil in uictus ratione primis saltẽ diebus pecces, hoc satis est, si discernere diariam à

A reliquis queas. Ac propterea quarto die, in quo illi hominem quem iam siccarunt, primum nutrire incipiunt: nos ad consueta dimittimus: ac à diarijs in acutas febres transitũ fieri hac uictus ratiõe prohibemus: cum si quis aliter cibet, excipient necessario iam dictas naturas ardentissimæ febres. Sunt enim aliæ naturæ quibus aut nihil, aut nõ magnopere incõmodet tot dierum inedia: sicut ẽ diuerso aliæ quibus nõ modo innoxia, sed etiam utilis est trium dierũ inedia. Verum de cæteris naturis post decernam. Propositum uero nunc nobis ab initio temperamentum inediæ in summum ducunt discrimen, in quacunq; iniungantur febri, nõ solum ijs quas modo commemoraui diarijs.

4 Etenim si propter obstructionem aliquan- B do (ut dictum est) morata transpiratio est: si parua ea sit, qui recte deterserit, secundã fore accessionẽ uetabit: sin mometanea, nõ possis ita promittere. Quòd si & multi, & crassi, & glutinosi impacti succi sint, quæ hos excipit febris, fieri nõ potest ut intra fines diariarum consistat. quando ex necessitate huic in mali succi naturis ea quæ ex putredine humorum accenditur, succedet. Nam in alijs saltẽ temperamentis, quæ in sequentibus exponã, excitari ex tali causa potest citra humorum putredinẽ aliqua cõtinẽtis febris species. Porrò capere eiusmodi sermones omnino non potest, qui prius in memoratis operibus non sit exercitatus: ac potissimum in eo quod De febrium differentia inscribitur. Nam ubi obstructio quæpiã mediocris est, ob C quam febricitant quibus uitiosus est succus: in primo die, atq; etiam secundi aliqua parte nullum est in pulsu putredinis signum, ęque ut nec cruditatis in urinis. Protracta tamen inclinatione, nec amplius pro ratiõe, sicut post summũ uigorẽ inceperat, cedente, suspectus affectus est: ueluti ẽ diuerso in quibus ad dissolutionẽ festinat, uel halitus aliqui uel sudores exierunt, uel multa bona urina, cum signis in pulsu bonis: in ijs ꝓculdubio diaria febris est. Sed quę ex parua oritur obstructione, ea (ut dictum est) saltem inter initia similis diarijs est. Protracta tamen inclinatione, suspecta redditur: quãuis putredinis indicia in pulsu adhuc nõ appareãt. Quippe nisi uitiosus succus penitus transpiret, necesse est putrefiat. Ergo ut transpiret, maiore iam D auxilio est opus. Ac siquidẽ uel puer uel senex sit, sanguinẽ detrahere non licet. Inter has ætates: ubi robur ægro nõ deest secanda uena est, etiã si plenitudinis signa nõ adsunt. Præstat enim uitiosi succi maiore parte emissa ad detergendas obstructiões accedere: cum alioqui metus sit, si obstructiõibus liberandis priusq; uacuaueris studeas, ne ipsas magis impingas. Ac soluũt quidẽ obstructiones, quę detersoriã facultatẽ obtinent, seu foris cuti sint admota, seu intrò in corpus accepta. Periculũ uero est etiã ne quæ foras trahunt, unà cum ijs quæ obstruunt, etiã aliud quippiã attrahãt, & quæ ab interno sursum feruntur, aliquid secum ex ijs quæ in uasis cõtinentur, rapiant. Quod ipsum si tenax sit & crassum, obstructionẽ planè geminabit: sin aliter, multitudine certe sua non parum omnino nocebit

cebit. Cernimus enim aliquando etiam quod multum est, cum simul totum confluit, obstruendo hęrere, infigiq́ꝫ, nõ minus quàm ea quæ glutinosa sunt & crassa: quod si per meatus angustos est transitus, multo profecto magis retineri. Quò igitur & his iter liberũ, & quæ foris admouentur, attractio tuta sit, utilissimũ est corpus inanisse. Quinetiam fumosa fuliginosaq́ꝫ succorũ excrementa quę transpirant, succis ipsis imminutis pauciora restabunt. Quare inde quoq́ꝫ minor reddetur febrilis calor, sic ut foras transpirare si exiguę obstructiones sint, queat. Ergo cum suspicio erit cutim esse ex obstructiõe occlusam, (id quod tum ex eo conijcies, quòd nõ fuerit in primæ accessionis remissione uacuatio satis magna, tum quòd similis sibi perdurauerit remissio) si homo ex nulla manifesta febricitauit causa, etiã certius argumentum obstructionis habes: sin ex euidẽti aliqua causa, fieri potest, ut duæ simul coierint causæ. nam si altera tantũ causarum nempe quam externa impressit, subesset, imminuta remissio fuisset cum sensibili alicuius expulsione. Haudquaquàm igitur differendũ est sanguinis aliquid ita laborantium mittere, scilicet tum ad uirtutis, tum ad obstructionnis modi portionẽ. Discernetur aũt obstructionis magnitudo ex ipsa magnitudine febris: ut quæ ex maiore obstructione maior, ex minore minor inciderit. Vbi uero modice uacuaueris, haud multo post aut nutrimentum aliquod, aut pharmacũ ex ijs quæ detergeãt, exhibebis. Sunt porrò non multa quæ in febribus id pręstent. Sed sicut dictum prius est: in alimentorũ ratione sunt ptisana, & mulsa: in pharmacorũ, oxymeli, & quæcunq́ꝫ incoquere in mulsa licet, ceu calaminthã, & hyssopũ, & origanum, & serpillũ, & irim, & apium. Verum hæc omnia iusto sunt calidiora, ideoq́ꝫ febres accendunt, ita utiq́ꝫ ut uinum. Oxymeli uero solũ nec febres accẽdit, & strẽnuę deterget, sic ut ea quæ glutinosa crassaq́ꝫ sunt, dissoluat, & meatus obstructos liberet. Porrò inter mulsam & oxymeli medium locum habet quod ἀπόμελι grece dicitur: cuius plurimus in Peloponneso est usus. Nõ immerito arbitror & saccharum inter hęc numerandũ. Ex hoc uictu seruabis quantum de febrili calore minuit. Etenim si tertio die mane uideris minimũ esse quod de febri relinquitur, ac neq́ꝫ putredinis humorũ in pulsu nota subsit, neq́ꝫ in urina cruditatis, suspecta uero hora qua primo die febris occupauit, extra meridiẽ sit, audacter hominẽ quamocyssime lauabis, longe ante sextam horã. Abunde tamẽ sit, si intra tertiã horam lauationẽ cõpleueris. Ad eundẽ modum & si decimã horã suspectã habueris, usq́ꝫ ad septimã laues licet: cum tres æquinoctiales horas quatuor ue inter balneũ accessionisq́ꝫ tempus imponi, abunde, sit satis. Debet aũt in balneo corpus prius unctum ac moderatissime frictum, mox detergeri extrinsecus, abluiq́ꝫ. Sanè detergentiũ materiã expositam habes in cõmentarijs ijs, qui de medicamẽtis sunt conscripti. Deligenda uero semper sunt, quæ ad rem propositã sint accõmoda. Quippe distincta in his sunt, tum quæ magis, tum quæ minus deter-

A gent. Sed & nunc exempli causa pauca dicemus. Moderatissime detergẽt tum erui farina, tum hordei, tum fabarum. Præterea mulsa quæ sit aquosa: magis uero quàm hæc, iris, & panacis radix, & aristolochia, & mulsa quæ mediocri est mistura: uelu ti etiã hac magis, quæ meracissima est. Fit hæc ubi mista melli exigua est aqua, sicut liquatũ mel exiguos cutis meatus facile ingredi possit. Possunt autem uel hac magis detergere tum spuma nitri, tũ nitrum ipsum, tum aphronitrum. Sit autẽ nitrum oportet quod ex tenuibus partibus cõstet, cuiusmodi Berenicium est. Si uero lapidosum sit, uri id læuigariq́ꝫ diligenter debebit. Mel aũt purissimũ, acerrimumq́ꝫ, cuiusmodi eius Hymettium. Est aũt & sapo ex ijs quæ maxime detergere ualeãt. Atq́ꝫ

B hæc satis multa detergentiũ materiæ exẽpla sunt. Tempestiuum enim est iam ad ea quę post balneum adhibentur, accedamus. Sunt autẽ ea minime multa, Nam præter aquam quæ parum apij incoctum in se habuerit, nihil his est offerẽdum. Licet quod inter balneũ et suspectas horas spatium erit, trium fore horarum conijciamus. si uero circa uesperã aut duabus horis citius quàm primo die accessio inuadet: tum lauisse mane liceat, tum cibasse, sed tantum ptisanæ cremore. Deinde si suspectæ horæ nihil prorsus afferant, & lauare rursus si uelit licet, & cibare, ad eas quas diximus cõsiderationes intento. Sin aliquid eueniat, & cõferendum id est cum accessione quæ primo die inciderat, & tum urinæ cõsiderandæ, tum pulsus sunt. Quæ omnia

C profecto mediocria apparebunt, ubi exigua relinquitur obstructio. Quare ipsum et lauabis quarto die, et cibabis, ad iã dictas cõsiderationes spectãs: sperabisq́ꝫ nihil quinto die superuẽturũ. At si magna obstructio facta sit, ea febris ex diariarum genere nõ erit. Quare in proximũ differatur librum, cum in hoc de diarijs tantum agere statuerimus.

5 Quoniã igitur diariæ febres in propositis corporum temperamentis sæpenumero etiã cibo rum cruditatibus succedunt, proximũ fuerit de ipsis differere. Ergo pessima quidẽ in eiusmodi temperamẽtis cruditas est, citissimeq́ꝫ febrẽ accendit, in qua cibi in nidorulentã & fumosam qualitatem corrumpuntur. quãdo ea quæ in acidam uertit, ut raro talibus naturis contingit, ita minus nocet. Di

D cemus aũt de utraq́ꝫ seorsum, incipiẽtes ab ea quæ sæpius his incidit, & magis lædit. Ea est (ut diximus) nidorosa quędam ac fumosa. Quæ utiq́ꝫ si aluus lubrica est, minus est noxia. Sin adstringitur, grauis est. Siquidẽ ex adstrictione eius uitiosę naturæ in febres prompte incidũt, ac potissimũ cum neglecto cõsilio in lectulo domi manendi, ad solita cõuertuntur opera. Febricitant aũt nonnulli & ex ijs, quos diarrhœa ex cruditate male habet. Quibus utiq́ꝫ non minime proritatur febris ex desurgendi frequentia. Quòd si etiam rosio, aut dolor, aut calor immodicus in uẽtriculo & intestinis sit, hinc utiq́ꝫ uel longe magis affectio febrilis increscit. Est aũt eorũ quibus clausa aluus est, & quibus fluens, non eadẽ sanatio. Itaq́ꝫ etiam seorsum de utrisq́ꝫ agetur. Apparebit enim sic tractãtibus non

solum

solum quatenus differunt, sed etiam quantum ambobus sit cõmune. Si igitur ea tantum quæ corrupta fuere, uacuata esse uidentur, tum lauandum, tum nutriendũ in remissione febris est: sed ijs quæ circa uentriculum sunt, prius cõsulto. Sin ita multa inanitio aut prius facta sit, aut nunc etiam in homine duret, ut uirtus iam defessa sit, satius est omissa lauatione cibare: sed consulto prius ijs quæ circa uentrem sunt. Consuletur ita laborantibus, si modo uacuatio amplius non duret, fomento ex oleo & absinthio. Expedit autem tingi absinthiũ, quo minus nidore offendat, feruẽti aqua. Quòd si quis morsus, aut doloris sensus in uẽtriculo adhuc supersit, imponi illi peniculus post fomentũ debebit, qui uel calidus sit & siccus, uel ex oleo in quo absinthiũ incoctum fuit, madens, ac plurimũ expressus. Satius autẽ fuerit, si nardini unguẽti quod curiose sit factũ, facultas sit, ex eo peniculũ eodẽ modo imbutum uentri imponere. Iam multo etiã satius sit, si purpura marina is sit: atq; etiã longe optimum si optima sit tyria. Quippe tenuiorem adstringẽdi uim habet tum ea purpura, tum optima nardus, ita ut uis earum siccando, calfaciendo, ac robur inserẽdo, in corpora quę circa uentriculum habent, alte penetrare possit. Quòd si os uentriculi (quod stomachũ appellare solemus, abutẽtes nimirũ appellatione) imbecillius sit: etiã tanta portione chiæ mastiches in nardino tunsa, unde sordium crassitudo existat, madefactã ex eo purpurã imponemus. Esto aũt abunde calẽs taliũ quodq;, cum primum imponit. Quippe quæ tepida sunt, omnia uentriculi firmitudinẽ dissoluunt. Non autem te fugit solere me unguenta calefacere in uase duplici: utiq; coniecta prius in uas maius, aqua feruente, quando aliter calefactis uitiatur eorum facultas. Cæterum fluente adhuc aluo, utilius est optimo recenteq; melino simili modo quo nardino uti. Vtile autẽ ad omnia talia est & mastichinum. Non in postremis accõmodata sunt eiusmodi uentriculi affectibus & unguenta ea quæ ad gratiam delicatarum mulierum fiunt. hæc inquam pretiosa quæ Romanorum luxus uidetur inuenisse, appellationesq; Romanas dedisse. Nominãtur enim tum spicata, tum foliata. Si uero qui affligitur, peniculum oleo imbutum, siue ob consuetudinem, siue delicias recuset, licet cerato idem efficias. Est autem in eiusmodi usum optimum, quod ex cera fit Tyrrhenica in unguẽto nardo liquata, cui postquam refrigeratum est, aloes ac mastiches mollissimus puluis est admistus. Debet autem singulorum hic esse modus: ceræ ac nardi partes pares: aloes pars octaua: sic etiam & mastiches: uel (si placet) huius paulo aliquid plus. Quòd si cerato aliquid è sumptuosis his unguentis admisceas, præstantius medicamẽtum habebis. Si autem uentriculus intus uritur, ita ut affectus quidã phlegmonæ similis in eo consistere uideatur, utilius est ceratum quod ex melino conficitur. Sunt porrò alia medicamenta non pauca. Alia quidem ex œnanthe, alia ex hypocisthide, & balaustijs, & palmularum carne confecta, quæ uentriculo tum refrige-

A rando, tum uero firmando sint idonea. Horum ergo quod ad rem præsentem sit cõmodissimum, id deliges, ijs quas memorauimus cõsiderationibus intentus. Cibandi uero his sunt: fluente quidem etiamnum uentre, polenta, & pane quem Græce ὀξυλιπῆ uocant, qui utiq; minimum aceti habeat, non sicuti in dysenteria & diutina diarrhœa præparare solemus. Inspergere aũt polentam debebis aliàs aquę calidę ubertim: aliàs, ubi scilicet uenter adhuc plus iusto excernit, uel mali punici, uel pirorum, uel malorũ succo, potissimũ cotoneorum. Quòd si iucundius laboranti erit, etiã decocto ex piris, aut malis, aut myrtis, præparato, polentã inspergẽs. Sin uenter non amplius excernit, suffecerit tum alica similiter ptisanæ præparata, hoc est a-

B ceti habẽs pauxillũ: tum ex ea sine aceto sorbitio: tum gallinaceorum testiculi, & saxatiles ex albo iure pisces: præterea fructuũ aliquis ex ijs qui adstringãt, uel solus, uel cum pane. Hos uero uel magis etiam uentre adhuc fluente dabis. Quòd si appetentia careant, sic ut cibos auersentur: (incidit nanq; id non paucis eorũ quos diarrhœa ex cruditate male habet) etiam de medicamento quod ex succo fit cotoneorũ, unũ aut duo cochlearia danda his sunt: aut si huius copia nõ est, eius qđ ex carne eorũ cõponitur. Tradita uero eius generis medicamentorũ cõpositio est in libris De tuenda sanitate. Atq; ita quidẽ in prima remissione, ijs qui ex cruditate febricitãt uentre excernente, mederi cõuenit. Si uero omnino uenter adstringit: pertra-

C ctatis prius præcordijs, mox toto uentre, considerabis diligẽter num cibus in gracile intestinũ, aut in colon, descenderit. Deinde ægrũ interrogabis, qua maxime in parte uel morsum uel grauitatem sentiat, qualesúe habeat ructus. Vbi ex his cõpertum habueris, in quanã totius uentris parte nutrimentum cõsistat: si in superioribus partibus pendet, aliquid diatrion pepereon dabis, nõ medicamẽtosi illius, sed eius qđ in opere De sanitate tuenda ceu & simplicissimũ, & ijs qui cruditate laborarent aptissimum, laudauimus. Post deinde pręcordia, omnemq; uentrẽ perfundes. Hoc uero, etiam si inferius descẽderint quæ uitiosa sunt, facies, pluris minorisq; ratione id uarians. Siquidem plus & temporis & perfusionis exigunt ad præparationẽ

D eorum quæ deinceps sunt agenda, quibus in superioribus uentris corruptum nutrimentum adhuc manet. Sin motum id notabiliter ad inferiora sit, adiuuandũ aut glãde subdita, aut leui per inferius infusione est. utiq; si morsus simul adsit, hunc mitigantibus. si flatus, hunc cõprimentibus: sin neutrũ fuerit, ex melle, aqua, & paululo olei, id quod subter infundet facientibus. Vbi uerò uehementior morsus urget, Sabinũ oleũ in quo aliquid seui anserini sit liquatum, est utilius. Si uero eius copia non est, gallinacei seui. Sin nec huius facultas est, caprini. Quòd si huius quoq; penuria est, inijciendum oleo parũ cerę est, potissimũ elotæ. Flatus uero sanandi sunt oleo in quo ruta, & semina quæ flatus discutiunt, fuere incocta: cuiusmodi sunt apij, & cumini, & marathri, & sinonis, aliaq; id genus.

Vacuata uero aluo, nutriendum protinus in cæte
ris quidem ijs quos memorauimus similiter est, a-
motis tamen ijs quæ adstringant. Ac si quidē pri-
mo die ad uesperam hæc egeris, aut etiam noctis
qualibet hora: etiam secundo die similem adhibe
bis prouidentiam. In quo etiam si planè desiit fe-
bris, lauari hominem sines. Ac ubi in sequenti no-
cte quietus citra offensam dormierit, sanum iam
hominem prorsus existimabis. Si uero qui crudi-
tati successit dies, cum sequente nocte febrē attu-
lerit: ueluti in secundo die, ita tunc & accurandus
& nutriendus homo est. Si uero & nox tertiæ diei
febrile quiddam paulùlum afferat, ne sic quidem
formidandū, sed hos quoq; postridie lauabis, nu-
triesq́;, ac reliqua omnia in illis ut ante definitum
est, ad portionē exequeris. Sanè mutationes cru-
di alimenti in acidam qualitatem, nec incidere in
eiusmodi naturis cernuntur, nisi admodum raro,
idq́; ex cibis qui prompte acescunt: nec febrē ac-
cendere diariam, æque ut nec tarditas concoctio-
nis: quando sicubi propter talem cruditatē febri-
citant, quibus amara bilis in temperamento abun
dat, obstructionis & humorum putredinis suspi-
cio est. De qua postea diligētius definiam, cum de
putredine agam. Nunc huic de diarijs febribus di
sputationi hoc adiecto, ad alia transibo. Fumidus
uapor ex tarditate concoctionis, aut cruditate in
qua ructus sentiuntur acidi, nunquam excitatur.
Quippe frigidi halitus abs talibus succis defluūt,
hiq; omnino paucissimi: minime autem uapores
multi fumidiq; ac fuliginosi: cum nec in ijs quæ ex
tra sunt aliter aut fumū edi aut fuliginem uideas,
quàm fumum ex materijs (ut ita dicam) semiustis,
fuliginem ex immodice assis ustisq;. Est nanq; fu-
ligo uapor terrestis. Fumus mistio quædam ex ter
restri aqueaq; substātia. Verum non est quod hoc
loco audire expectes, aut quemadmodum ijs qui
tarde concoquunt, aut ijs qui acidum ructant, sit
prospiciendum. Est enim de his tractatio ad opus
De tuenda sanitate pertinens. hic tantū earū crudi
tatū mentionem faciemus, quas febris subsequit.
Quoniam igitur diaria febris cruditates quæ cum
acido ructu sunt, non cōsequitur: quæ uero ex pu-
tredine humorū oritur ea quandoq; sequitur, non
sine ratione in eam tractationem quæ de illis insti
tuitur, distuli de his cruditatibus pręcipere: sed ne
tunc quidem eo modo quo in Sanitatis tuendæ li
bris. In illis enim diximus quænam per sanitatem
agenda sint illi qui cruditate laborat: hic uero quę
nam in ijs febribus, quæ cruditati superueniunt.
6 Dicta mihi fermè sunt de diarijs febribus uni-
uersa: quando qui ex bubone febricitāt, medicos,
quid sibi sit agendum, nè consulunt quidem, sed
ubi tum ulceri quod bubonis occasio fuit, tum po
stea buboni ipsi prospexerint, in remissione eius
quæ inciderit accessionis, lauantur. Ac si quis tum
diatriton uel nominet, omnes irrident, scholasti-
cumq; appellant: natura (puto) ipsa intelligentes
id transmittendum non esse, quod omnino non
erit. Censentq; etiā in omnibus ijs quæ sensum fu-
giūt, tales debere esse medicos, quales ipsi sunt in
A ijs quæ sensui apparent. Porrò in omnibus tales
esse, nihil est aliud quàm intelligere quando sit in
tertio accessio futura, & quando futura non sit.
Quinetiam qui refrixerunt, aut usti sunt, aut fati-
gati, aut tale quippiam passi, postea uero febricita
runt: hi ubi in remissione talem status quietē qua-
lis erat per sanitatē sentiunt, ne tunc quidē eos qui
diatriton nominent, ferre possunt. Quod enim u-
surpare sæpe soleo, quemlibet priuatū qui secun-
dum naturam se habeat, quouis sophista ueriores
opiniones habere: hoc etiam in diuinissima istorū
diatrito uidere licet: ut quæ ab omnibus qui natu-
raliter se habent, sit irrisa. Nuper enim è plebe qui
dam qui in splēdida cœna prolixius sibi epulis po
tuq; indulsisset, uenit domum errabundus, ac ma-
B nu deductus. Cum autē ea quibus grauabatur, in
uentriculo eius fluitarent, omnia ea euomuit: &
per noctem quidem febricitauit. Dormiuit aūt in
magnā partē sequētis diei. Postea surgens, ac pau
lulum inambulans, lauit, risitq; eum qui sibi diatri
ton manendam suaserat: illo nanq; autore etiā po-
stero die inediam tolerare debuisset. Vt autē (res
ipsa monebat, & ipse sua sponte faciebat) lotus &
modice cibatus, post somno deditus, eoq; inoffen
se fruens, mane surrexisset, ad consuetaq; redisset,
etiam in ipsa diatrito in qua eum tolerare inediam
oportuisset, si diatritarijs medicis paruisset, (ita e-
nim eos per iocum eleganter nominauit quidam)
& quidem cum cœnatus iam ex consuetudine ho
mo esset: accedens facetus ille risum excitauit, cō-
C memorans quemadmodū eum qui tertio ante ue
speri uomuisset, oportuisset etiā biduo inediā sic-
cū, ac anxietate plenū tolerare, ad horasq; spectan
tem pro diatritariorū iussu decumbere. Sunt enim
(arbitror) uel plebi non obscura, quæ præter rerū
euidentiam temere audentur. Atq; inde merito a-
lios medicos, alios græce logiatros, id est uerbis
tenus medicos esse dicunt. Quomodo enim non
iure hac appellatione censeantur, quia ea nesciāt,
quæ nemo è uulgo ignorat? Quomodo non meri
tissime irridendi carpendiq;, qui etiā cū talia igno
rēt, Hippocrati se præponūt? Verū illorū stupidi-
tatē ne Mercurius quidē ipse cū Musis sanauerit.
7 Absoluta uero in ijs naturis quibus amara bi
lis redundat, (in quibus scilicet elementum frigi-
D dum uincitur à calido, & elementū humidū à sic-
co) de diarijs febribus disputatione ad aliud cor-
porum temperamentum transeamus, quod nihil
minus ꝙ supra dictū uitioso est succo, in quo scili-
cet calidū pręualet frigido, & humidū sicco. Maxi
me enim omniū putredinis morbis hæc intempe-
ries exposita est, propterea ꝙ per ipsam sanitatem
proxime putredinē accedit: ueluti tum ex sudori-
bus conijcere est, qui grauiter his olent, tum uero
ex urinis, deiectione, atq; etiam ipsa expiratione.
Etenim qualis est hircorū, talis est & taliū natura-
rū temperies. Ideoq; prōpta est ex qualibet occa-
sione, tum alijs morbis, tum uero febribus corripi.
Nā qui hac intemperie sunt: cū stipata cutis eorū
est, effugere febrem non possunt. Sed nec cum ua-
lentē cruditatē cōtraxerunt, aut perusti [in sole]
fuerunt

fuerunt, aut tale quippiam aliud passi. Ac uitiosis quidem habitibus stipatio cutis plurimũ esse incõmoda solet. Ideoq; quibus amara redundat bilis, non minus quàm qui ad putredinem sunt proni, (σηπεδονώδεις, id est putredinosos Græci uocant) febribus ijs quæ ex stipata oriuntur cute, patet. At ab nidorosis cruditatibus, quæ humidæ & calidæ naturæ sunt (quas modo putredinosas propterea uocaui, q; succi facillime in ijs putrescant) promptius lædentur. Nam de obstructione quid attinet dicere? quam idcirco maxime febres accedere diximus, q; putredinẽ in ijs, quæ nõ transpirant, corporibus creet. Verũ de eiusmodi febribus post agemus. Sanè diariæ omnes promptissime in iam dictis temperamentis accenduntur: idq; ex qualibet earum causarum quas modo in amara bili uitiatis naturis retuli: curationemq; persimilem illis habẽt, ac in paucis omnino dissidentẽ. Nam cum hæ humidiores naturæ sint, magis ferũt quàm illæ famem sitimq;. Itaq; minus lædentur hæ, si quãdo fame per diatritarios crucientur, si modo libera ipsis transpiratio nõ desit. Atq; idcirco balneum hi, ceu quod cutim eorum laxet, uel magis, uel certe non minus quàm qui amara bili abundant, requirunt, ceu quod humectet, nõ requirunt. Quæcũq; uero de eiusmodi natura sunt dicta, eadem de acquisito habitu dicta esse censendum. Aliqui enim quibus boni sunt natura succi, coeũtibus aliquando eodem tempore pluribus siccantibus corpus calfacientibusq; causis, in amaræ bilis uitiosum habitum mutantur. Da enim uenisse hominem æstatis tempore in regionem calidam & siccã, esse prętereà eodem tempore statum cœli calidum ac siccum, tum uesci eum cibis calidis siccisq;, cogitare quoq;, ac tristari, & uigilare, & irasci, & quamplurimum laborare: fieri autem potest, ut idem homo per id tempus uenere sit usus frequenti, & in sole, maiore ex parte uersatus, & medicamẽta quæ siccent calfaciantq; biberit: ueluti aliqui Theriacen, nonnulli Ambrosiam, alij Athanasiam. Scimus enim profecto, medicamenta à iunioribus medicis eiusmodi nominibus uocari. Cui ergo omnia iam dicta per æstatem cõtigerunt, hunc necesse est calidum & siccum reddiderint, ac propterea eo habitu qui amara bili abundet, quamuis antea optimi succi fuerit. Itaq; etiã ex omnibus supra dictis causis facile febricitabit. Ad eundem modum & si quis naturaliter boni sit succi, ac locum temperatum incolat: si illinc se in alterum locum qui calidus sit & humidus ueris tempore transferat, idq; statu cœli calido humidoq;, tũ omni uictus ratione calida humidaq; utatur: is quoq; similiter illis qui natura sunt putredinosa, tum cæteris tentabitur morbis, quibus illi, tum febricitabit nõ solum alijs sicuti illi ex ijsdem causis febribus, sed etiam non minime diarijs, de quibus nunc instituimus.

8 Cum uero octo intẽperies in uniuersum sint, ut ostendimus, opportunissima ad febres est calida & sicca. Ac nisi quis hanc, ut dictum est, cibet, ocyssime in ea mutatur diaria febris in acutã, Propinqua huic est, præsertim quod ad febrẽ attinet, quamuis ad alia sit deterior, calida intemperies & humida. Tertia ab his intemperies est simplex illa in qua oppositio altera recte se habet, utiq; quæ ex humido & sicco constat, in altera calidum exuperat. Quippe opportunior est hæc quàm cæteræ quæ sequuntur, tum ut omnibus supradictis occasionibus lædatur, tum ut ex diarijs in plurium dierum febres transeat: nihil enim alienum fuerit eas sic appellare. Huic proxima est, quæ in calido & frigido debitum modum seruat, cæterum siccum elementũ habet humido præualens. Ab hac deinceps media omnium est, scilicet quę mediocritatẽ in utraq; oppositione seruat. Quatuor quę reliquę sunt intemperies, neq; facile febribus occasione iam dictarũ causarũ patent: neq; diaria tentatæ, si inediam tolerant, in pluriũ dierũ febres transeunt: imò aliquæ saltẽ earũ ubi redundantiã humorũ citra corruptelam contraxerunt, (cõtrahunt autem eiusmodi intemperies assidue) utilitatẽ ex inedia sentiunt: ac potissimũ quæ frigida est & humida. Ab hac quæ humida est. Tertio loco quæ frigida. Quarto loco quæ sicca est & frigida. Siquidẽ post diarias febres discussas ubi coactus quispiam nulla necessitate est mirificam diatriton trãsmittere, alia quidẽ nulla in frigidis temperamentis ex inedia febris excitabitur: lędetur tamen ipse siccus & frigidus corporis habitus quàm maxime: ut nisi longo tempore redire ad naturã qui ea sunt intemperie, non possint. Cæterum, si quod forte fortuna his adsit acquisititium humorum uitium, fieri potest ubi in fame & illoti per triduum custodiunt, ut ex diarijs in plurium dierum febres immigrẽt. At quę sicca quidem corporis natura est, sed in altera cõtrarietate temperata: ea in longioribus inedijs gracilescit magis, q; quæ sicca est & frigida: reficit tamẽ facilius, cum idoneũ nacta est uictũ.

9 Enimuero eiusmodi omnibus uictus ratio alterãda est, multo profecto magis quàm ijs de quibus primũ omniũ est dictũ. nempe calido et sicco, item calido & humido. Quippe qui frigidus & humidus natura est: quoniã calido siccoq; in utraq; intemperie contrarie est affectus, contrario nimirum utetur uictu. Melius tamen est non absoluto sermone contrario dicere, sed ex solius temperamenti indicatione: quãdo ex eo q; eadem febri febricitant, non diuersam, sed omnino eandem sortientur indicationẽ. Dictum nanq; sæpenumero iam est, id quod secundum naturã est, similia semper postulare: quod pręter naturam est, contraria. Siquidem quod naturaliter se habet, custodire: quod pręter naturam est, tollere oportet. Porrò febris omnis pręter naturã est: ideoq; uictus rationẽ humidam frigidamq; exigit. Temperamẽta uero ipsa, aliàs similia, aliàs postulant contraria. Quæ enim uitio carent, similia perpetuo, quippe quæ seruare expedit. Quæ uitium habent (ueluti in opere De sanitate tuenda est dictum) aliàs similia, aliàs contraria. Idq; merito accidit, cum nec ad unguem naturaliter se habeant, (quomodo enim essent uitiosi?) nec prorsus pręter naturam, quando qui sic attemperati essent, perpetuo ægrotarent.

Ergo

Ergo similia desiderant, tũ in alijs de quibus mox dicetur, tum uero in ulceribus omnibus. Monstratum enim id sæpenumero iam in superioribus est. Contraria uero, in eo uictu qui per sanitatem adhibetur: ueluti De sanitate tuenda docuimus. Sed neq; hęc perpetuo, sed tũ cũ corrigere intemperiẽ eorum studemus. Quippe duplex nobis in ijs, qui sani sunt, finis proponitur. Nempe uel corpus sanum in pristina eius temperie tueri, uel etiã hanc meliorem reddere. Sic igitur arbitror in ijs qui diaria febri laborant cibandis, uel uni febrili affectui contrarium, uel etiam ipsi laborantis intemperamento desumam. In ea tamẽ natura quæ haud dubie in medio temperamento est, ab ipsa febri contrariorũ indicatione accepta, eatenus humidũ frigidumq; uictum adhibebimus, quatenus siccius calidiusq; quàm ante iam redditum corpus apparet. Verum hoc tum perspicuum, tum indubitatũ est. Reuertamur autẽ rursus ad intemperatas naturas. Nam quoniã eas (sicut De sanitate tuenda est proditum) licet & quales accepimus seruare, licet & ad melius transferre: satius arbitror est, cum planè ualent, non cum ægrotant, uel de se queruntur, uictus illis rationem mutare. Gaudent enim naturæ cõsuetis semper: ut & Hippocrates euidentissimis argumentis in libro De acutorũ uictu adstruxit, & in omnibus qui se secundum naturã habẽt, manifeste apparet. Quòd nanq; qui sibi iam displicent, extra cœtum eorum qui secundum naturam se habent, sint ponendi: id nemo qui compos est mentis, dubitet. Cæterum, ij an prẹter naturam se, an non naturaliter solum habeant, id utiq; quis æstimandum duxerit. Atqui si ex ipsa cõsuetudine indicationem aliquam sumi conueniet: siquidem multo iam tempore intemperatas naturas cõtrario uictu ei quę uicit intemperiei cibauimus, ita etiam & cum parũ ex sententia se habẽt, faciemus. Sin minus, quæ similia temperamento suadet indicationẽ prẹferemus. Ita uero et Hippocrates mihi sentire uidetur, ubi ait: Humidus omnis uictus febricitantibus est idoneus: potissimum aũt pueris, & alijs qui ita cibari sunt sueti. Febricitantibus enim inquantum febricitant, ex ipsa contrariorum indicatione humidus uictus cõducit: pueris ex similium. Eodem autẽ modo & eam quæ à consuetudine præbetur, quo eam quæ ab ætate datur, accepit. Nam & ętas cum ex ijs sit, quę natura nobis insunt, similem sibi uictum postulat: & quæ à consuetudine indicatio sumitur, sic sumpta est sicut ea quæ ab ætate. Quippe seruare quoq; hanc iubet, perinde ac proprium ætatis temperamentũ. Itaq; etiã nos tum ex omnibus quæ circa ægrũ spectantur, eius quod conducit inuentionem moliri: tum quando indicationes omnes secum cõsentiant, & quando inter se dissentiant, inspicere semper conueniet. Omnibus enim cõsentientibus, unã prorsus uictus speciem cõstituemus. Dissidentibus uero inter se, quæ ualentiores, ac plures sint, præferemus: ita ut uictus species quam hæ præscribãt, prẹferatur: sic tamen ut ne contraria sit neglecta. Porrò prælatio hæc aliàs utrisq; in unius auxilij mate-

A riam mistis perficit, aliàs seorsum sumptis. Ac cõmunis quidem hæc ratio est omnium quæ inter se cõplicatæ sunt, contrariarũ indicationũ. Quomodo autẽ hanc ad usum conferre oporteat, cum aliquando ipsi morbi coeuntes sint cõtrarij, aliquando morbus unus sit, sed qui contrariam indicationem subijciat, aut naturali laborãtis temperamento, aut ei quod nunc acquisierit: præterea ætati, & consuetudini, & regioni, & anni tempori, in ipsa particulatim tractatione ostẽdam. Nũc ergo cum propositum nobis hoc loco sit unicuiq; memoratorum intemperiei generũ idoneum inuenire uictum: cõmunis quem cœpimus methodi modus, ueluti sub exemplo examinetur. Pone enim correptos febri esse duos homines, in regione natos eB ducatosq; temperata, nunc in ea non esse, imò alterum in calida, & sicca: alterum in humida, & frigida. Præterea, eosdẽ diuerso esse, tum temperamento, tum natura, tum cõsuetudine, tum ætate: etiam sub diuerso (si placet) & anni tempore, & statu cœli ægrotare: sic ut alter calidus siccusq; natura sit, ac tali uictus rationi in totum insueuerit: præterea iuuenis sit, & hyeme ægrotet, idq; in humida & frigida regione, ac statu cœli simili. Alter humidus et frigidus, simili uictu assuetus, tum puer ętate, ac æstate, in calida siccaq; regione, ac simili cœli statu laboret. Quæ nam igitur in utroq; horũ indicationes? Nempe quę à febricitando sumitur, cõmunis amborum est, ac quæ refrigerent, & humectent, desiderans. Reliquorum nulla est præterea cõmu C nis. Siquidem priori & propter naturam, & propter ætatem, quæ simili sibi uictu fuere assuetæ: sicciores calidiorisq; tẽperamenti cibus idoneus est. Idemq; propter & anni tempus, & statum cœli, & regionem, conuenit. Non enim quæ ab his suppeditatur, indicatio similia desiderat, sed contraria. Alteri ex propositis, propter ætatem, & naturam, & consuetudinem, similia ipsis exhibẽda indicantur, propter ætatem quidem humida, modiceq; calida, propter naturam, & cõsuetudinem humida, & frigida, propter regionem & anni tempus, & statum cœli, contraria: quæ & ipsa nimirum sunt tanto temperatis frigidiora & humidiora, quanto regiones ipsæ sunt calidiores temperatis, & siccio res. A consuetudine enim semper est indicatio si-D milium, quoad scilicet ægrotant homines. At ab ætate, natura, regione, anni tempore, & statu cœli, ubi temperata hæc sunt, similium semper præsidiorum est indicatio, siue ualeant homines, siue ægrotent. Contra, ab intemperatis anni tempore, statu cœli, & regione, contrariorum est indicatio. Cæterũ, ab ætate & natura non absolute, sed cum consuetudine. Porrò, nihil in contrarijs indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinẽ eorum quæ ad indicationem coierũt, quam utiq; in libris De sanitate tuenda duplicem esse ostendimus. Alteram quæ ex ipsorum, quæ indicantur, dignitatibus censeatur. Alteram quæ ex ipsorum (ut sic dicam) proprijs substantijs spectetur. Quas ex conferendo cum mediocri, & quod secundum naturã est, accipiẽdas esse testati sumus. Nisi enim

ita quis indicationũ potestates examinet, nequeat A sane mensuram uictus inuenire. Cum enim refrigerandum humectandumq; esse febris perpetuo indicet, reliquorum uero quodq; prout dictũ est: ubi concors eorum indicatio est, nullum exhibetur negocium: ubi discors, pro pluribus ac potioribus formari uictus ratio debebit. Siquidẽ in modo propositis, ex eo quòd febricitant, cõmunis refrigerantium ac humectantium indicatio præstatur, non tamẽ ex cæteris. Sed cuius tum ætas, tum temperamentum, unà cum consuetudine, tum regio, tum anni tempus, & cœli status, humectantia refrigerantiaq; exhibẽda indicant: hunc haud dubium est nõ solum humectandũ refrigerandumq; esse, sed etiam nec leuiter hæc, nec utcunq; facienda esse, imò planè magnopere ac uehementer om B nibus scilicet indicationibus idẽ dictantibus. Cuius uero reliqua omnia refrigerantem quidem humectantemq; uictum, quemadmodum & febris non indicant, sed contrarium ipsi, calfacientem scilicet & siccantem: utiq; ambiguitas pugnaq; indicationũ inter se oritur, quò casu magnopere opus est, tum numerum indicationum, tum magnitudinem simul conferas. Quippe quæ à febri sumitur, ea reliquis, quando omnes cõtrarium faciendum præscribunt, numero quidem inferior est: magnitudine tamen quæ ex dignitate, aut potestate, aut quomodocunq; appellasse libet, spectatur, utiq; superior est: potissimum si longe à natura recessit. Quippe duplex tũ magnitudo illi accedit, & quæ ex febris genere prouenit, quæ omnibus est com- C munis: & quæ propria, suaq; ipsius est. Siquidem & quia febris, plus cæteris omnibus solicitos nos habet: & quia præterquam quòd febris est, etiam magnitudo illi notabilis accessit: idcirco contrarias indicationes inducit, atq; obumbrat. Sin parua fuerit, fas est reliquas omnes unà cõiunctas cũ ea cõferri, atq; expendi. Ac siquidẽ pares uideantur, neq; febris indicatio præferetur, sic ut humectandum & refrigerandum sit: neq; etiam reliquorum, sicut calfaciendum ac siccãdum sit: imò media uictus ratio ubi ita se corpus habet, eligenda erit. Sin altera indicatio exuperet, tantum recessisse à temperato & medio uictu par est, quantum ea quæ pollent, sua contraria superant. Ergo tum exercitatum in his omnibus, tum natura prudentem esse medicum conueniet: quò cuiusq; indicationis potestate diligenter cõsiderata, omnibusq; inter se collatis, unam idonei uictus summã, quæ laboranti sit cõmoda, comparet. Ac diariarũ quidem febrium indicationes ex his generibus capiuntur: raroq; accidit si alicubi à laborantis uirium modo: cum febrium quę pluribus diebus affligũt, indicationes, tum uirium respectũ necessario adhibeant, (non enim leue in his cõsilium est, quod à uiribus petitur) tum causarũ quæ ipsas excitant: exceptis tamen hecticis, utpote quas nulla accendit causa: quemadmodũ nec corpus id quod iam habitu calorem ignis in se suscepit, siue id lapis, siue lignum sit. Illud nanq; cõmune cum diarijs habent, quòd uidelicet non amplius fiant. Differunt autem in eo quòd diariæ in leui (ut sic dicam) affectu (κατὰ σχέσιν Græci uocant) calorem habent: hecticæ in habitu, qui ægre soluatur. Licet etiã dicas eam quoq; quæ à uiribus sumitur indicationẽ, tum in reliquis omnibus morbis, tum in diarijs febribus semper adhiberi: nobis tamẽ in præsenti disputatione opus ea nõ esse: propterea q̃ ex prima quidẽ ratione nõ indicet, ex accidẽti uero indicet. De eo uero accidente in sequentibus differemus.

ARGVMENTA LIBRI NONI.

Caput 1. Connectit hunc librum præcedenti. De transitu diariarum in alias duas febrium species. Differet plura in hunc modum lib. 10. cap. 2. 2. De synocho, id est, continente febre: & quod ineptum quidem atq; solœcum eius uocabulum sit, receptum tamẽ apud ueteres Græcos, ne innominatum hoc genus febris maneret. Diuisio eius in putridam, & nõ putridam. Quòd nulla obstructio tam pertinax sit, quin foris effluat aliquid tenuati humoris: unde in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. 3. Iterum de synochi diuisione, in non putridam, quæ subijci potest naturæ ephemerarum: & putridam, cum in omnibus uasis ac potissimum maximis æquabiliter succi putrescunt. Alia eius diuisio, in acmasticum, homotonũ, & paracmasticum. 4. Synochi non putridæ primum, deinde putridæ exempla ob oculos ponit. Iterũ de tribus differentijs continentium febrium, & de sanguinis missione. 5. Quur præsentaneũ in synocho febre sit remedium missio sanguinis, iterũ admonet: secus enim suffocationis, uel animi deliquij lætalis periculum esse. Ambientis item aeris statum animaduertendum esse diligenter ostendit. Duplicem esse plenitudinem. Item quàm salubris, tempestiuus frigidæ potus in his affectibus esse soleat: & idem intempestiuus quàm pestifer. De indicationibus uenæ sectioni necessarijs. Ratio ordinis, quem hic in febrium curatione secutus est. 6. Neminem ullius artis scientiam adsequi, nisi & methodum aliquam habuerit per uniuersalia Theoremata, & in particularibus exemplis, nimirũ in ægris singulatim, sese exercuerit. 7. Euincit contra sophistas à uiribus etiam petendam esse interdum indicationem. Quanquam enim prima statim ab affectu sumat indicatio: opponitur tamen huic interdum ea quæ à uirtute sumitur, antendixis inde dicta. Concedit autem non esse perpetuam: sed aliàs maxime necessariã esse: aliàs mediocriter: aliàs exiguũ quid conferre: aliquando prorsus omitti, sicut accidere solet in reliquis omnibus quæ aliquid faciendum indicant. 8. Hippocratis laudes prædicat (quem aliarum sectarũ medici contemnebant) quòd inuenerit quidem D rationem, sed non absoluerit. 9. Breui hoc capite repetit Galenus, in diarijs febribus indicationẽ curatiuam non considerari à uirium cõstantia: cum hæ nunquam nõ satis sint ualidæ in ephemeris. Proponit item uelut argumenta quædam & numerum earum indicationũ, quas in sequentibus capitibus copiosius expediet. Sumuntur autem ex ipsa corporis temperie, cõsuetudine, regione, ætate, anni tempore, & statu cœli. 10. Quatenus indicatio à uiribus petatur: & primum de animæ facultatibus in quibus uita est sita, cuius custodiã à uiribus indicatio sumpta efficit. Recẽset itẽ q̃ multos uiderit cũ uitæ dispendio ad syncopen usq; sectione uenæ ab imperitis adhibita fuisse periclitatos. Quid agendũ ubi uirtus imbecillis est, affectus autẽ uacuationẽ requirit. 11. De peculiari phlebotomiæ indicatione, præsertim à uirib. Vtilẽ naturæ seruãdũ esse sanguinẽ, inutilẽ eliciendũ. 12. Hoc etiã perbreui capite Galenus cõstãtiæ curatiuarũ indicationũ submonet. Quædã puta sui custodiã indicare, quædã uero amotionẽ. Quod simplex est, simplicem

plicem quoque indicationem habere: Non simplex uero, non simplicẽ. Verbi gratia, Frigidum calefieri tantũ postulat: calidum, refrigerari: Calidum & siccũ, refrigerari simul & humectari. 13. De summa laude & necessitate uirtutis: & indicationem ab ea sumptam, nõ ex curatricium indicationum numero, sed uitalium esse. Quibus modis uirtus conseruari possit, quaque serie ab indicatione uirtutis ad alias indicationes peruenire liceat. 14. Colligit indicationes omnes in tres: Primam, à morbo uel constitutione præter naturam, quæ se tollendã indicat: Alteram à corporis temperamento siue cõstitutione naturali, quæ se tuendam indicat: Tertiam ab ambiente nos aere, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest: ut sit causa sine qua non. Particulatim uero intelligendum est, ægri quidem temperamentum quale sit, ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aere. Ambiẽs uero aer qualis sit, ex regione, anni tempore, & cœli statu. 15. Quod etiam tria hæc indicationũ genera ad duo redigi possint, nempe morbum & sanitatem: quorũ ille se tollendum, hæc se tuendam indicat. Et quia ij affectus contrarij sunt necesse est

A per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio. Vnde rursum una tantum generalis curationum indicatio erit, nempe contrarietas. Cæterum ut contrarium adhibeamus sub debita mẽsura, inuestigare oportet corporum temperamenta: quæ quidem deprehendes partim ex libro de temperamentis: partim ex ætate & anteacta uita: quæ rursus in uitæ exercitio & uictus ratione consistit: præterea in hac regione, hoc anni tempore & hoc aere & consuetudine: à quibus omnibus facile particulares indicationes petuntur, de quibus plura seorsim agit. 16. Necessariam & minime leuem esse indicationem quæ à consuetudine sumitur. 17. De indicatione ab ætate & temperamento. Postremum etiam præter alia coaceruat, quicquid indicationum uspiam haberi potest. Ratio ordinis omniũ huius Methodi librorum.

ALITER.

B Quæ sit utriusque generis febrium synocharum generatio: & qua methodo curandæ sint. De indicatione quæ ab ægrotantis uiribus sumenda est. Quo pacto à consuetudine indicatio sumi debeat. Omnes in uniuersum curatiuos febrium scopos enumerat.

GALENI METHODI MEDENDI,

ID EST DE MORBIS CVRANDIS,

Liber nonus.



1 IARIARVM ô Eugeniane curationem, in libro qui hunc præcedit, exposui, totius propositi operis octauo. Est autẽ huius febrium generis unica accessio, uno plurimũ die ex ipsius saltem natura circumscripta. Quippe quęcunque, uel per medicorum ignorantiam, uel ægrorum intemperantiam, uel ministrantium errorem in eiusmodi febribus cõmissa, in aliud ipsas genus transferunt, hæc non secundum propriam ipsarum naturam eueniunt. Nõ enim est profecto mirum, si per ea quæ delinquuntur, nõ solum porrigatur, aut in aliud genus transeat morbus quiuis, sed etiã cum prius non esset, nunc excitet. Nam cum ijs qui integri sunt, delinquere non sit tutũ: haudquaquam id ægris sine discrimine contingat. Reliqua uero cum sint genera duo: (ueluti in libro De febrium differentijs est ostensum) alterum ex humorũ putredine nasci docuimus: alterum quod iam solidas animalis particulas occupauit, hecticũ nominant. Transeunt sæpe autem diariæ febres, ueluti ostendimus, in utrunque genus, nisi quis eas cõmode tractet. Veluti autem in ceteris rebus omnibus quæcunque uno genere comprehensæ societatem in naturis habent, ac propterea mutuo in se transire ualent, tertia quædam formula in transitu ipsarũ existit, quæ neutrius extremitatum formam plane exhibet: ita nimirum & in diariarum febrium transitu imagineris licet alterũ quoddam genus in transitu exoriri, quod neutri extremitatũ sit idem. Ac primum quidem de hoc differendum esse mihi uidetur: quo sicuti reliqua etiã ipsum tum protinus noscatur cum incidit, tum sic inhibeatur in primo ortu, ne aut ægre sanabile, aut insanabile, postquã auctum est, euadat. Cæterum, medium id cum inciderit, nec nosse ij possunt, nec sanare qui extremitatum quarum est medium, speciem ignorant. At tibi qui præsertim non solum diariarum, sed etiam reliquorum duum generum notas intelligis: ubi uel diariarum notę aliquatenus sunt alienatæ, uel reliquarum notæ simul apparent, haud difficile fuerit iam transitum suspicari. Ergo ex adustione, cruditate, lassitudine, uigilia, animi perturbatione, uel bubone qui ex euidenti aliqua sit causa,

C nunquam ad tertium usque diem progredietur febris accessio, nisi quid delictum circa laborantem sit. At quibus stipatio febris occasio est, ijs etiã ultra hũc porrigi accessio potest. Nam quoniam stipatio, uel obstructis exilibus meatibus, uel conniuentibus, uel etiam corpore ipso immoderatius densato accidit: merito (arbitror) diximus ex frigore & balneis quæ uel contactu refrigerent, uel facultate: præterea pharmacis similis generis, pari modo ijs quæ cutim siccent, ueluti sole feruente, nec minus etiam ijs quæ densent, ueluti dura cum ijs quæ frigefaciant frictione, & detineri intra corpus ceu fumida fuliginosaque excrementa, & ab ijs febrem accendi: uerum ex his densationem quan

D dam corporum ipsorũ fieri, ac ueluti exiguorum meatuum cõniuentiam: obstructionem uero uel propter glutinosos, uel crassos, uel copiosos succos incidere: quinetiam febres quascunque uel conniuentia meatuum uel recens corporum densatio excitant, has & desistere post primam accessionẽ, si quis recte eas tractet, & uere diarias tũ esse, tum appellari: at quę ex obstructione creatur, si hęc pusilla sit, solui ipsas quoque similiter ut alias diarias, si quis eas legitime sanet. Sin ualẽter impacti humores sint, sic ut ualentius aliquid quod eos eximat, desiderẽt: eas febres porrigi ultra unum diem necesse est, ac diariarũ febrium genus uideri egressas. Quomodo enim dici ultradiaria febris potest, quæ in tertium usque diem extenditur, quando ex ipsa nominis ratione in secundo eam desistere par

erat

erat? Dictum enim supra est, uiginti quatuor horas esse sic appellatæ diei spatium: utiq; ut cum nomine diei, nox quoque unà comprehendatur. Atqui si neq; humor putrescẽs subsit, nec corpus ipsum febrilem calorẽ, ut habitũ susceperit: à duobus generib. diuersum sit oportet. Aut ergo aliud præter tria iam dicta genus esse in prima febrium diuisione dicendũ est: aut appellatione pro nihilo habita diarias ipsas nominare oportebit. Neq; enim profecto de substantia ipsa taliũ febriũ est diariæ uocabulũ. Verũ cõuenienti nomine destituti, clarioris simul breuiorisq; doctrinæ gratia, ab eo qđ sæpius eis accidit, nomẽ indidimus. Ac natura quidẽ eadẽ his est quæ diarijs, nomẽ aũt nõ idem.

2 Siquidem in quibus una accessio ab initio ad finẽ perpetuo manens, in multos dies porrigitur, eas febres synochos, id est continentes appellant: non illi quidem græco nomine usi, cęterum solœcismum cõmittendum potius rati, quàm formam ipsarum sine nomine linquendam. At non sicuti idea una eiusmodi febriũ est, à qua synochos eas nominant, ita & natura simplex unaq; est. Quædã nanq; earũ manifestam habent putredinis notam, quædam prorsus non habent, quas nimirũ ex diariarũ febrium genere esse diximus. Cum enim accessionis remissio ex feruentium humorũ transpiratu contingere soleat, non transpirant autẽ in uehementi stipatione: necesse est multorum dierum fieri accessionem. Igitur ubi in tali febri nulla subest occasio, quæ alterius accessionis principium excitet, ultra hoc ꝙ multorum dierum febris est, nec inuasionẽ alicuius febrium significationis facit, sed permanet ab initio ad finẽ una febris, quæ nec quotidianæ, nec tertianæ, nec quartanæ nótã præferat. Cæterũ cum me audis dicentẽ, ubi uehemẽter stipata corpora sunt, cohiberi intra corpus febrilem calorẽ: non ita factam prorsus densitudinẽ putandum est, ut nullum ex ijs humoribus qui tenuati admodũ sint, effluere foras sinat: cum nec si de ossibus ita dixeris, id uerum sit, nedum carne & cute. Verum cum à feruentibus humoribus uapor attollatur plurimus, effluat autem foras exiguus: hunc qui relictus est, febrem seruare est necesse. neq; id modo propterea ꝙ ipse manet, sed etiam propterea quòd quæ proxima sunt, adurit.

3 Quoniam igitur ex duobus his seruari febris potest, & ꝙ totus uapor non transpiret, & ꝙ idem uapor ea quę contingit, etiam excalfaciat: necesse est tres esse in synochis febribus differentias: nempe uel pari permanente magnitudine ea, quam in prima accessione summam habuit, uel adijciente semper exiguum aliquid, diminuenteúe: atq; hæc uel æqualiter faciente, uel inæqualiter. Ac si quidem quod accenditur, ei quod transpirat par fuerit: nec augeri, nec minui febrilis calor cernetur: sed perinde sibi similis permanebit, ac si nihil illi adijceretur, aut demeretur. Quippe ad ęqualitatis custodiam, nihil interest seruetur ne eadẽ assidue substãtia: an ei quæ uacuatur, par fiat ea quæ adijciatur. Verum si altera earum uicerit, utiq; si quæ uacuatur: minui febrem necesse est. Sin quæ adij-

A citur: omnino increscere. Sed nec illud sanè quenquã latet, ꝙ cũ ex febribus altera magis minusúe quàm altera, tum augetur, tũ minuitur, id ob exuperantiæ imparitatẽ necessario accidat. Nam ubi aliàs ampliore mensura, aliàs minore uel febrium generatio, uel trãspiratio exuperat, nec ijs quæ augentur omnibus par esse auctio, nec ijs quæ minuuntur demptio omnino potest. imò plurimã esse, tum excessus, tum defectus differẽtiã est necesse. Atq; unum quidẽ hoc (siue genus, siue speciem, seu quiduis aliud appellare libet) σωόχων, id est continentium febrium est, quodq; ex eadem cum diarijs natura cõstat. Alterum est ubi in omnibus uasis, ac potissimũ maximis, æquabiliter succi putrescunt. Eiusmodi febriũ in gracili & frigido cor-
B pore neutra consistere solet: sed plurimũ in ijs qui sanguine abundant, & corpulentis gigni cernuntur: quando nec obstructio citra putredinem excitare febrem ualet, nisi id quod non transpirat, & copiosum sit, & calidum: nec humorum putredo in omnes quæ inter inguina & alas intersunt uenas, æquabiliter ac cito porrigi in frigido habitu potest. Debent enim quæ putrescunt, tum calida humidaq; esse, tum uero difficilem transpirationẽ habere. Eoq; fit, ut nec in frigida ætate, nec in frigido corporis temperamento, siue id ab initio constitit, siue modo frigidum sit factum, continens excitetr febris: sed nec in gracilibus, uel qui raro sunt corporis habitu. Imò tum ætate, tum natura, tum acquisititio temperamento, quę calida sint, ac prę-
C cipue si & carnosus, ac multo sanguine affluens, & denso corpore æger sit, aut etiam calidis excrementis refertus. Proinde fit, ut qui ita febricitant, ijs & pulsus maximus sit, & æqualis, & uehemẽs, quibus etiã arteriæ habitus, nec durior quàm pro natura est, nec mollior: celeritatis tamẽ frequentiæq; eò peruenit, quò febris ipsa magnitudinis. Atq; hæc quidẽ ambarũ sunt cõmunia: alteri uero priuatim putredinis insunt notę: idq; tum in lotio, tum pulsu, tum caloris ingrata qualitate.

4 Ac tibi exempli causa redigã in memoriam adolescentes duos, quos unà mecum uidisti. Erat alter eorum liber, & palęstræ peritus, alter seruus, haud inexercitatus ille quidem, cæterum in palæstra parum uersatus, nec tamẽ ad quotidiana quæ
D seruum deceant, tum exercitia, tum opera tractanda, non idoneus. Porrò liber continenti citra putredinẽ febri laborauit, seruus continenti cum putredine. horũ utriq; quænam sit adhibita curatio, non intempestiuum dictu nunc arbitror, quando quidem in exemplis exercitari quiduis discentes maxime expedit. Neq; enim satisfaciũt ad exactã cognitionẽ uniuersales methodi. Sunt autẽ exemplorũ ea pro potioribus habenda, quæ ipsi oculis usurpauimus: quando si omnes qui docere scribereúe aliquid sunt aggressi, ea prius operibus ostẽdissent: prorsus paucula quędam falso dicerentur. Nũc uero pleriq; alios docere tentant, quæ nec ipsi unquam fecerunt, nec alijs ostenderunt. Cætera uulgus medicorum nihil miri est, si cõtemptis bonis moribus, opinioni sapientiæ magis quàm ue-

ritati inhiat. Verũ non sic fuit ratio nostra. Non enim heri, aut nudiustertius, sed statim ab adolescẽtia philosophiæ studio capti, primũ nos ad eam cõtulimus. Mox patris euidenti insomnio moniti ad medicinæ studium excolendum uenimus, ac per totam uitam operibus magis quàm uerbis utriq; studio incubuimus. Quo minus mirũ est, si in quo tempore alij totam urbem salutando lustrant, & cum diuitibus cœnant, ac eosdem comitãtur, hoc omni sedulo nos laborantes, primum quidem omnia quę ueteribus pulchre sunt inuẽta, didicimus: mox eadem opere tum indicauimus, tum exercuimus. Ergo qui palęstræ peritus iuuenis erat, ubi febricitare hora prima noctis cœpisset, postridie eũ mane circiter horã diei tertiam uidimus. Cum autem inuenissem febrẽ admodum calidam, sed pul- B sus æquales, & maximos, & celeres, & frequẽtes, & uehementes, tum caloris qualitatẽ quæ tactum minime morderet, iam uero & urinas tum crassitudine tum colore à naturali habitu non multum alienas: audiens præterea hominem circiter triginta dies exercitationis consuetudinẽ intermisisse, pridie tamẽ exercitasse se uehementius, cæterum non multum, sumpsisse autẽ solitos cibos, atq; eos concoxisse, quamuis tarde & ægre, utpote cum febris uespere occupasset: cum igitur rubicũdus plenusq; homo appareret, atq; etiã plenitudinis sensum se percipere diceret, faciẽte interim quodam eorum qui aderant, de uena secanda mentionem, uisum nobis est eius auxilij considerationem in aliud tempus remittere, simul ut certius sciremus C cuius generis febris esset, simul necessariò propter eam, quæ præcesserat, cõcoctionis tarditatẽ. Cum autem uesperi similem uigorem tueri febris est uisa, ceu nihil sensibiliter remittẽs, suspicio iam erat synochon esse, hancq; ex obstructione, & sanguinis abundantia, & præ carnis copia stipatione. Ac cum parem magnitudinem per totã noctẽ febris seruaret, postero die uisum est medicis omnibus, qui eum inuiserant, sanguinẽ esse mittẽdum. Discordia uero orta de tempore, & uincẽtibus qui id in sequentem diem differendum suaderent, febris per totũ eum diem euidenter uisa est uigorẽ suum augere. Mox tertia sequente nocte, alia quidẽ accessio minime incidit, quæ primæ ad portionẽ re- D sponderet: erat tamen æstus ipse laboranti intolerabilis: urgebatq; tum tensio totius corporis, utpote repleti: tum capitis pulsatio: atq; ob hæc grauis uigilia: iuuene in aliam alias se figuram iactante. Itaq; cum ultra ferre non posset, hora noctis circiter octaua mittit ad me ministrũ, rogatq; ad se ocyus ueniam. Ipse annuo, atq; abeo: inuenioq; febrem calidissimã, pulsumq; qualem prædixi. Quoniam autẽ nec in hoc, nec in lotio, nec in ipsa caloris qualitate indicium aliquod humorũ putrescentium apparuit: optimũ factu uisum est uenã incidere, anteq; putredo inciperet. Aufero itaq; ab homine eo usq; de industria sanguinẽ, quoad animo linqueret: maximũ planè ubi ualentes uires sunt, continentium febrium remedium. id quod tum ratione, tum experientia didici. Primũ nanq; in contrarium statum agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratũ. Hoc uero nemo inuenire potest neq; quod ipsis ægris, neq; quod naturæ quæ animantes gubernat, iucundius utiliusúe sit. Postmodum in eiusmodi corporibus, necessariò superuenit alui deiectio, nonnunq; etiã bilis uomitio. Quas res statim à toto corpore madores sudoresue excipiunt. quæ nimirũ omnia cum huic quoq; contigissent, protinus febrẽ extinxerũt: sic ut quidam ex ijs qui aderant, iugulasse me febrẽ per iocum diceret, unde omnes risimus. Verũ quò narrationẽ omnẽ absoluã, nihil mali erit paucula addidisse. Post duas nãq; à sanguinis missione horas paulo nutrimenti dato, ac iusso quiescere, discessi. Quinta uero hora reuersus, tam profundo somno indormientẽ inueni, ut tangentem me prorsus nõ sentiret. Cum uero & ministri adeo illi altum somnum fuisse dicerent, ut nec cum madores eius abstergerent, expergisceretur: suasi ita facerent: esse nanq; hominẽ iam prorsus à febri liberum. Reuersus autem & decima rursus hora, etiam tunc dormientem inueni. Egressus autem iterũ ad alios uisendos ægros, redeo hora prima noctis, non tamẽ ut ante tacens, sed uoce de industria sublata, quò ægrum à somno excitarem. Quod cum ita accidisset, ubi solo ptisanæ cremore ipsum nutriui, abij. Cuius modum postero die augens, tertio lauatum dimisi. Ac quæ ad hunc pertinebant infirmum, ita sunt gesta. Quæ uero ad alterum, nunc dicam. Is cum toto die multum laborasset, deinde lauatus paucula comedisset, cœpit nocte febricitare, totũ etiam cõtinuans sequentem diem. Hunc nos post secundam noctem uidimus in cæteris quidẽ omnibus iam dicto iuueni similiter affectũ: uerũ putrescentium humorum euidentes præbentem notas. Itaq; uena quoq; huic protinus incisa, usq; ad animi defectum uacuauimus. Post id, idoneo interposito spatio, cibauimus primum mulsa, deinde una interposita hora, ptisanæ cremore. Atq; hæc omnia intra quintam acta sunt horã. Cum autem similis sibi perseueraret febris, synochõ eã fore ex putredine expectauimus, itaq; accidit. Quippe cum eam secunda noctis hora pari magnitudine cerneremus, tertiæ diei accessionem, futura ne esset, an secus, diligenter obseruare uolebamus: cuius in septimã horam noctis suspicio erat. Itaq; cũ summo mane superuenissem, inueni quod expectarã. Nam nec tertiana inciderat accessio, Febrisq; remissior paululo q; uesperi fuerat, apparuit. Vt autẽ rursus hominem meridie uidi, eratq; iam certissimum & febrẽ decreuisse, & synochon febrẽ esse, sed quæ [assidue] decresceret: satius uisum est tum quoq; hominẽ similiter nutrire. Quarta uero exacta nocte, manifeste minor etiã quarto die erat. Quo rursus quoq; ad eundẽ modum homine cibato, aduertimus tum illo die toto, tũ quæ hunc secuta est quinta nocte magnitudinẽ remittere, sic ut quinto die liquido planè appareret minor esse febris q; ante. Itaq; ad portionem minuentis se febris, urinæ quoq; concoctio processerat. Eratq; haud obscurum septimo (id quod factum est

est) finienda. Hanc igitur plane continentē ex humorū putredine febrē, & quę assidue decresceret, uidimus. Multas uero alias continentes conspeximus: quarum aliæ crescentes, aliæ similē tenorem seruantes erant. Illas ἐπακμαστικὰς, has ἀκμαστικὰς uel ὁμοτόνους Græci uocant. Aliæ, ceu quam modo memorauimus, decrescentes, quas παρακμαστικὰς dicunt. Aliæ rursus in primo die putredinis notas habuerunt, aliæ in tertio, aut certe ad summū quartū: idq; alias medicorum ipsorum inscitia, qui sanguinē nō miserant: alias laborantium ipsorum timiditate. Siquidē eorum qui ex sola obstructione febricitarēt, nemo in putredinis febrē incidit, qui prius sanguinē miserat, quē, ubi ualida uirtus subest, & ætas permittit, usq; ad animi defectū mittere expedit. Vbi horum alterum non satis respondet, tutius est quantum satis uisum fuerit, tantum principio detrahere: quod defuit, iteratione supplere. Etenim hoc præsidio omisso, qui ita febricitant, in summū discrimen ueniunt: nisi si eos uel uirium robur, uel largum sanguinis profluuium, uel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiat. Et tamen nonnulli ex medicis sunt, qui tametsi manifestissime uideant naturā sanguinis profluuio non paucos eorū qui sic periclitētur, seruare: tamē sanguinis missionē fugiant, nullam nec experiētiam nec uerā rationē secuti. Cæterum hos mittamus, disputato præsertim contra illos abunde uno integro libro, qui est De sanguinis missiōe cōtra Erasistratū scriptus, ipsi uero ad propositū reuertamur.

5 Erat uero in præsenti disputatione propositū de ijs febribus disserere, quę ex stipatis per obstructionē meatibus oriuntur, quas, si sine putredine cōsistant, ex diariarū esse genere dixi. Sin ijs putredo aliqua uel ab initio statim, uel postmodū superueniat, ubi in omnibus uenis, ac præcipue magnis ea constitit, cōtinentes excitari febres, ubi in unica animalis parte, accessiones quæ certo ambitu repetant. Verū de his postea. Quòd autē & bis arbitror, & ter, & sępius, iterumq; dicendum est: qui ita laborant, si recte curabuntur, ijs sanguinis missio est adhibenda: quando quibus corpus ex succorum abundantia inhabile ad transpirationē iam redditum tantum caloris congessit, ut inde iam febricitet: ijs tantū sanguinis est detrahēdum, quantum uires tolerant. Pro certo quoq; habendū, nisi ijs qui hoc per naturam sunt habitu, id adhibeatur præsidium, fore ut uel suffocentur, uel certe syncope prehēdi omnino periclitentur: nisi (ut dictum est) eos uel uirium robur, uel plurimus sudor, uel largum sanguinis profluuium, à morte uindicet. At illud uel me tacente cōstat, ijs præsertim qui librū De plenitudine studiose perlegerunt, quanq; & nunc quoq; à me dicetur, nō esse nunc nobis de ea abundantia sermonē quę ad uirtutē cōparatur, (quippe quę nec sic obstruit uenarum ora, ut refrigerationē prohibeat, nec tunicas earum distēdit, nec ruborē, nec tumorem inuehit, multoq; minus uel carnis uel cutis trāspirationē moratur) uerum de ea quæ cōtineri à uasis ultra nō ualet, quæq; ob id ipsum tum perrumpere uasa tum recludere so-

A let, reliquaq; modo dicta symptomata inducit, obstructionē, distentionē, tumorē, ruborē: de hac inquam mihi omnis sermo tum habitus est, tum uero nihilominus habēdus. Siquidē copia hæc dum bonitatem suam seruat, ut pariter augeri cum robore uirium est nata: ita si quando has grauat, nec de cætero augebitur, & bonitatē naturæ amittet. At si naturalem semel bonitatē amiserit, fieri nequit, ut non putrescat: quandoquidem nec aliud ullum ex ijs quæ foris sunt, humidū calidumq; corpus manere imputrescibile cernimus. Ergo festinare ad sanguinem detrahendum oportet, quò uasorum natura ex transpirando uentilandoq; naturalem temperiem seruās humoribus eo quo inter initia modo dominetur: quādo si ad intemperiem B uersa laborabit, metuendum est ne hi putrescant. Excitatur autē intemperies in ea ex febris calore. quem si quando rudis quispiā medicus auxit, non uacuata stipationis causa, in incerto reliquum omne remedium est. Vbi nāq; emitti abundantia postulat, calor autem refrigerari, pugna discordiaq; inter ipsa sanādi oritur remedia: scilicet ijs quæ refrigerent, quamuis temperiem naturæ concilient, saltem abundantiam intra corpus detinentibus: quæ uero rarefacienda cute hanc educant, omnibus calfacientibus: sic ut si abundantiam emittere uelis, febrem augeas: si febrem refrigerare, abundantiam moreris. In hanc consilij inopiam deueniunt, qui statim à principio non uacuarunt, Erasistrati persuasione inducti, qui nec spontanea san-C guinis profluuia potuit imitari. Optimū igitur factu est (id quod nos semper in re quaque facere ui disti) statim non numero dierū, sed uni uirium robori, in febribus eius generis attentum esse: quippe quod si seruatū est, nō solum sexto septimoue, sed etiā sequentibus diebus sanguis est mittēdus. Quòd si curare aliquādo infirmū cogeris cui non solum antea secādæ uenæ remediū prætermissum est, sed nūc quoq; uel per medicorū ignorantiam, uel ipsius laborantis propinquorumue eius timiditatē procedente tēpore mittere sanguinē prohiberis: ad frigidā exhibendam accedes, sed diligenter ante discernens, quantū ex ea nocumentū contingere possit. Nam si id aut exiguum erit, aut nullū: offerēda potui est, quæ prorsus sit gelida, quan-D tum bibere ægro libet. Quinimo magis id audebis, si frigidæ potioni insueuerit. Sin magnū timetur incōmodū: ab hac quidem abstinendum, atq; alijs auxilijs quibus obstructio eximatur, & abundantia uacuetur, & febris feruor deferbeat, utendum. Porrò incommoda, quę frigidam potionem intempestiue immodiceq; exhibitā sequuntur, in his consistunt, quòd lentos crassosq; humores, siue hi obstructiones, siue putredinē, siue phlegmonen, siue qualis erysipelas, aut scirrhus, aut œdema est, affectū creauerint, attenuari digeriq; prohibent. Ergo quoties ex his febris accēditur, atq; ad eos uacuandos frigida data nō conducit, ad præsens quidem non paruū affert leuamen, propterea q; iam accensam febrē extinguit: uerum cum causa eius adhuc perstet, aliam denuo accendi est ne-

cesse, atq; ea quæ præcessit, nonnunq; difficiliorē, A propterea quòd densatum ex frigida corpus est. Atq; hæc una noxæ species est minime cōtemnenda. Altera talis est. Multę laborātis imbecillæ particulæ, siue ita se ex naturali intemperie habeant, siue ex uitio adscititio, à frigida lęduntˀ. Alij nanq; gula adeo uehementer est affecta, ut uix deglutiret. Alij uentriculus, sic ut uix concoqueret. Alij ipsum uentriculi os, aut iecur, aut colon, aut pulmo, aut septum transuersum, aut renes, aut uesica, aut tale quippiā aliud à frigida percussum, ad proprium opus infirmum est redditum. Nonnulli autem ex intēpestiua immodicaq; eius potione, non multo interposito tēpore, nec postmodū, sed ilico difficultate spirādi, & cōuulsione, & tremore corripiuntur: ac toto (ut semel dicam) neruoso genere lædūtur. B Nec ignoro quin formidolosum te ad frigidam offerendā ijs quæ memoraui redderem, nisi ea me usum subinde uidisses, semperq; cū successu, nec ægrū in ullo manifeste læsisse. Quibuscunq; enim in principe particula tumor aliquis ē phlegmones, œdematos, aut scirrhi genere constitit: ijs frigidam offerre nō oportet. Sed nec ijs quibus obstructio putridusue humor non cōcoctus incōmodat. Quòd si euidentes percipis absq; iam dictis tumoribus concoctionis notas, illud duntaxat æstimabis, sit ne pars aliqua temperamento adeo frigido, ut in hanc noxa procūbat. Porrò erysipelas, quod uerum erysipelas sit, non aliter sanaueris. At si mistum cum phlegmone sit, in hoc cōcoctionis expectandæ sunt notæ. Atq; hæc latius q̄ C pro re nunc proposita, cum postmodum etiā forte necessum erit de frigida exhibēda mentionem facere. Nunc enim altera continentiū febrium ex sola obstructione est orta: altera uero etiā cum putredine per omnes uenas. Cum ergo cōcoctionis humorum in ijs notas uideris, de quibus dictum abūde in libris De crisi est, audacter frigidam dabis: quippe solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatos iam humores aggreditur: ita ut qui utiles sint, atq; ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat, inutiles uel per uentrem uel per cutim eijciat. Quòd si etiam frigidæ assuetus æger fuit, magna cum fiducia frigidam exhibebis: ipsa scilicet experientia iam doctus omnia uiscera eius occursum familiariter tolerare. Omnino nāq; D si quod frigidum adeo esset, ut ab hac offenderetˀ, id per sanitatis tempus euidenter offensam suam ostēdisset. Nulla uero per sanitatē particula quicquam ab hac læsa, nec etiam inter febricitandum quicquam lædetur. Vbi nanq; nonnulli aquæ frigidæ potioni non assueti, tamē propter ardentem febrem eam bibere coacti, nullum incommodum senserunt: multo profecto minus eorum qui assueuerunt quisquam lædi debet, cui etiam quasi pro munimento maximo accedit ipsa caloris copia. Hic nanq; cum in uasorum sinibus plurimus contineatur, utpote tum aerea in his substātia, tum etiam succis omnibus inflammatis, quantum ab frigido patitur refrigeratus, tantū rursus calfaciendo in ipsum agit. Ideoq; minus tuta ijs qui exiguū sanguinem carnemq; obtinent, frigidæ potio est. Celeriter nanq; ad solidas animalis peruenit partes, nulli quod eius uim frangat occurrens. Eo etiā fit, ut hecticæ febres nec perinde eam quę prorsus sit gelida, nec multam desiderēt: ceu quæ extenuatis omnino, exiguiq; sanguinis corporibus incidant. Verum de illis post agetur. Maxima uero cōtinentium febrium remedia, hęc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida. Verum illa nullo non tempore, modo uires sustineant. hæc cum & in pulsu, & urinis, cōcoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autē est maxima. Attendenda uero cum uenæ secandæ indicationibus sunt, tum quæ eā præcedunt, tum uero quæ omnino excipient. Nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tēpore differre uenæ sectionē iubebis, quantum satisfacere tum ad eorum concoctionē, tum ut excremēta descendant, uidebitur. Sin sequetur necessario uacuatio quæpiam, tantū illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantum est per eam uacuandum. Itaq; si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu, ipse satis fore uidebitur qui solus, quod requiris, uacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minus, tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas. Veluti autē in his ad ipsam naturalē uacuationē, quæ sensu usurpetur, nō leuiter attentū esse oportet: ita alibi uel ad naturam ipsam, uel ætatē, uel cœli statum. Sunt enim nonnulli ad exhalandos digerendosq; corporis succos natura propensi. Pueri certe propter ætatē perpetuo. Cœli uero status ubi calidus nimiū est & siccus. Voco cœli statum ipsam ambientis nos aeris temperiem, sub qua & anni tempus, & regio cōprehēditur: quando horū quoq; utrunq; ex ambientis temperie indicationem mutuatur. Propensi autē ad digerendos corporis succos sunt, quicūq; natura sunt humidi, magisq; si accedat caliditas. Præterea qui raro corporis sunt textu. Ad hæc, quibus os uentris aut amara bili abundat, aut imbecillum est, aut supra modū sensile. Atq; hæ quidē indicatiōes sunt, quæ sanguinē detrahendū dehortanˀ. Contra postulant, unà cum affectu cuius causa primū requirebaˀ, habitus durus, densusq;, & uno uerbo qui haud facile digeritur: tum ambiens humidus frigidusq;. Sanè merito quædam sanguinē mittendum adhortanˀ, quædā dehortanˀ. Siquidē ea pro uacuatione omnino suscipitur. At eorū quæ comprehensa sunt, quædā transpirationes moranˀ, quædam promouent, & quædā ad uacuandum prompta sunt, quædam secus. Sanè transpirationem corporum prohibent, tum meatuū stipatio, tum circumdantis nos aeris humiditas & frigiditas. Contra promouent ea quę his sunt cōtraria. Eorū autē quæ uacuanˀ, quę calida humidaq; ac tenuia sunt, ea celerrime digeruntur. Contra quæ crassa, glutinosa & frigida sunt, ægre transpirāt. Atq; hæc quidem ad rem propositam de missione sanguinis, ac frigidæ aquę potione, nō ignorasse expedit. Quarum utranq; metuentes non paucos medicos uidisti

disti, utiq; imperitos. Quorum alteros αἱμοφόβους, id est, sanguinis mittendi timidos: alteros ψυχροφόβους, id est frigidæ exhibendæ formidantes, sic græce nominamus: sicut qui à rabido cane sunt morsi, ὑδροφόβους. Sunt enim proculdubio horũ quoq; aliqui præ dogmatis sui studio, non leui in rabie. Ergo relictis his, quod initio institutum nobis fuerat, prosequamur: ad memoriã reuocantes, quemadmodum sermo noster occasione communium quorundam in ipsis accidẽtium, à diarijs uenit ad continuatas. Quoniam enim obstructionis affectus, cum & ipsa exilis est, & rite curatur, diariam febrem efficit: cum uero uel propter magnitudinem, uel medici inscitiam, consuetum diariarum tempus excesit, aut cõtinentem, aut aliquam earum quæ certo ambitu repetunt: merito nos de ea quæ diarijs cognata est, continenti febre disputatio excepit: propter has uero protinus & de hac quæ cum putredine humorũ erat. Visumq; satius est uel claritatis, uel exercendi legẽtis causa, unius ægroti in utroq; febriũ genere mentionẽ facere.

6 Igitur quoniã hæc nobis peracta sunt, ac per ea demonstratum euidenter est (id quod in præcedenti hunc libro ad calcẽ est dictũ) oportere in alijs febribus quæ amplius diariæ non sint, nõ modo ab ijs rebus quæ in illo præcipiantur, faciundorum indicationes peti, sed etiam ab ea causa quæ febrem excitet, ac laborantis uiribus, ad uniuersalem denuo exercitationem reuertamur: pro comperto habentes non licere ullius artis scientiã nancisci, nisi & methodum quandam habueris per uniuersalia uocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris: cum neq; fieri posit, ut sine multiplici in ægris singulatim exercitatione, quod ex usu sit facias, nec sine uniuersalium cognitione probe exercitatio procedat: quippe cũ in uniuersalibus methodus, in particularibus exercitatio consistat. Tanq; igitur qui iter aliquod ingredi student, utroq; inuicem utuntur crure: qui altero claudus est, uno duntaxat utitur, & longo spatio, & sæpe errans, uiam peragit: ita sane & qui finem cuiuslibet artis cõsequi parat, duobus his ueluti cruribus, uel instrumẽtis, uel quomodocunq; appellasse libet, uti debebit: in uniuersalibus theorematis, methodo: in particularibus, exercitatiõe.

7 Reuersi igitur ad methodum, nũc age de ægrotantis agamus uiribus, conferant ne ad curationẽ hæ quippiã, an plane nihil, ceu nonnullis est uisum. Videtur tamen eorum qui inutilem uirtutem esse ad curationem inueniendam dicunt, non propria operũ artis disceptatio esse, sed logica potius, ac sophistarum. Aiunt enim ab eo quem curamus affectu, faciendorum indicationem præstari, haudquaq; à uiribus. Ergo & anni tempus, & regionem, & statum cœli, & ætatem, & consuetudinem, & corporum temperies inutiles esse eadem scilicet ratione dicunt. Postea cum mutare curationẽ propter hæc coguntur, immemores eorum quæ inter initia dixerant, quædam eorum contraria aliquãdo indicare aiunt ijs ad quę curantis cõsilium dirigitur; quædam ad præsidiorũ materias

A esse utilia, quemadmodũ & animalis partes. Etenim in illis quoq; eadem utuntur stropha: in principio sermonis inutiles eas esse ad curationis inuentionẽ asserẽtes: post ubi redarguuntur, ad curationis quidem indicationẽ inutiles dictitantes, ad materię tamen mutationem, uel inuentionem, uel differentiam, uel qualitatem (nam nec nominant eodem omnes modo) necessarias esse fatentes. Itaq; quod modo dixi, nunc quoq; repetam: nempe q̃ egresi ex eo quod in arte est utile, in logicam disceptationem ueniunt. Est nanq; artis utilitas, auxilia quibus æger sanetur, inuenire, quo illi relicto, de nominibus litigant ἐνδείξεις & ἀντενδείξεις (quasi indicationes, & indicationũ contradictiones dicas) item cõmunitates, & scopos, &
B auxiliorum materias, aliaq; similia loquentes: scilicet hac nominum diuersitate purgasse se, pro ijs quæ falso affirmauerant, arbitrantes. Ego uero minime ueto nominibus quibus libitum sit uti. Meminisse tamen eos uelim eorum quæ ab initio proposuerunt. Ea sunt auxiliorum inuentiones. Ad quas quicquid conducere quomodolibet uidebitur, id fatendum est ad curationẽ esse necessariũ. Sic igitur & uirtus necessaria ne consideratu in ægris à medico sit, an non, indagemus. Ego enim sæpe maxime esse necessariã aio: sic ut quæ circa ægrũ administrantur, omnia ferme eius unius causa fiant: aliquando mediocriter necessariam, sic ut aliquid ex hac quoq;, ad ea quæ facienda sunt, consilij petatur, non tamen præcipua faciendorum ratio huc omnis referatur. Possum rursus ostendere
C tibi, uirtutem adeo exiguum ad inuenienda remedia conferre, ut propter exilitatem etiam lateat. Aliàs uero prætermitti, ac silentio præteriri, quasi prorsus ex utiliter considerandis non sit. Verum quod accidit in uirtute, id in reliquis omnib. quæ aliquid faciendũ indicant, usu uenit. Nam aliquando aliud eorũ alio minus aut plus ualet. Aliquando adeo est ualens, ut solum indicare uideatur: aut ita imbecillum, ut omittatur.

8 Hęc igitur dum doceo, adsis animo uelim, illud habens in memoria, quod nec in alijs ullis curatio, quæ per methodũ agitur, consistit: nec alius ante nos quisquã omnia ea ordine definiuit: quanquam etiam ab Hippocrate uia est inuenta. Hæc enim ipsa quæ ego nunc enarraturus sum, ille cu-
D rationem indicare primus omnium scripsit: uerũ, ceu primus inuentor, nec debitum omnibus ordinẽ dedit, nec cuiusq; indicationis dignitatẽ ad unguem finiuit, & quasdam in ipsis discretiones omisit, obscureq; plurima pro antiqua dicendi breuitate est interpretatus. Præterea de cõplicatis affectibus paucisima omnino pręcepit. Ac, ut breuiter dicã, omnẽ ad medicationẽ uiã aperuisse mihi uidetur, sed ita tamen, ut ea curã diligentiamq; ad absolutionem desideret. Veluti nunc quoq; uidemus quasdã ueterum in terris uiarũ, quibus pars quæpiam est uel lutosa, uel lapidibus sentibusúe impedita, uel moleste ardua, uel periculose prona, uel feris obsessa, uel propter magnitudinẽ fluminum inuia, uel longa, uel aspera. Itaq; cum sic se

haberent omnes in Italia uiæ, eas Traianus ille refecit, quæ quidē earū humidæ ac lutosæ partes erant, lapidibus sternens, aut editis aggestionibus exaltans: quæ senticosæ & asperæ erant, eas expurgans: ac flumina quę transiri nō possent, pontibus iungens: ubi longior ꝙ opus erat uia uidebat, aliā breuiorē excindens: sicubi uero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens: iam si obsessa feris, uel deserta erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens, tum asperas complanans. Itaq; mirari nemo debet, si cum uiam rationemq; medendi ab Hippocrate inuentam esse sim testis, ipse tamē hoc opus scribere sum aggressus. Neq; enī ceu ea planè nō esset inuenta, sed ueluti quę proxime diximus desideret, ad hęc cōscribenda uenimus: nemine priorū qui eam methodū absoluerit, ante me inuento: quādo alij omnino eam nō nouerant: alij cū nossent, nō potuerūt tamē qđ defuit adijcere. Nō deerant qui incognitā esse umbraq; inductā, ac prorsus è medio sublatam uoluerūt. ij uero qui fuerint, in sermonis ꝑgressu dicet.

9 Nunc quod promisi, aggrediar, omnesq; deinceps medicandi indicationes exponā. Vtile autem ad claritatem eorum principium sumetur ex reuocatis ad memoriam ijs quæ in proximo libro disseruimus, cum de diarijs ageretur. Videbatur enim in illis prima, ac (ut sic dicam) maxime præcipua faciendorum indicatio esse, quæ affectum ægrotantis amouendū suadet: æque ut in sanis prima esse quæ statum eorum seruandum monet. Verum hic sicut per similia seruatur, ita per contraria perimitur. Conferre præterea ad auxiliorū inuentionem diximus, tum ipsam corporis temperiem unà cum cōsuetudine, tum regionē, tum anni tempus, tum cœli statum. In quibus uero morbis egregius aliquis in una parte animalis affectus subsisteret, ueluti ex adustione in capite, à parte quoq; ipsa aliquam faciendorum indicationē sumi. De uiribus tamen, uel causa quæ affectum creet, in eo libro nihil est dictum, propterea quòd nec uires in diarijs febribus egregiam ullam prouidentiam requirant, utpote quæ omnino ualidæ sint: nec affectus ullus in uera diaria subsit, qui eam uel gignat, uel augeat. Nam utroq; modo loqui licet.

10 Verum nunc prius de uiribus præcipiam, deinde ad causas quæ febrem excitant, accedam. Gubernant animal (ut in libro De Hippocratis & Platonis dogmatis est mōstratū) tres diuersi inter se generis facultates, toti corpori ex suo quodā ueluti fonte quæq; distributa, eas Plato animas uocat, propriam cuiusq; substantiam inueniens. Est enim earum quædam ad nutriendum animal necessaria, ac cum stirpibus cōmunis, quę iecur ueluti pro fonte habet: canales uero ab hoc in totū corpus sparsos, ipsas uenas. Hanc seu appetitricē, seu naturalem, seu altricem uoces, nihil interest: ueluti nec si animam, aut facultatē. Altera est quæ non modo ut stirpibus, aut uita præditis, sed etiam ut animalibus anima est insita. Hæc sedem in corde habet, ipso quoq; insiti caloris quodam ceu fonte. Ab hoc fonte canales arteriæ sunt. Vocaturq; hæc

A multis sanè nominibus. Nam & facultas siue uirtus uitalis, & facultas siue uirtus animosa, & anima animosa ac uitalis dicitur. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domicilium habet. Ea uoluntarijs actionibus unà cum sensibus præsidet. Vtitur & hæc particulis quibusdā ceu canalibus, nempe ipsis neruis: sensum motumq; per hos in totum animal transmittens. Ergo has facultates seruare, nihil planè est aliud quàm uitā seruare. Siquidem monstratū est, qualibet earum amissa, necesse est reliquas quoq; unà perire. Ac propterea in opere De sanitate tuenda, huc omne consilium direximus. In hoc uero quod est De methodo medendi, primū propositū & ei quod in opere De sanitate tuenda proponit, ad portionē respondens, morbi

B est sublatio: quando cuiusmodi in illo sanitatis est tuitio, eiusmodi in hoc est morbi sublatio. Quorū utriq; unum est commune, ipsa scilicet uitæ custodia. Quæ nimirum in illo De sanitate tuenda opere, sanitatis custodiam sequebatur. Quod enim secundæ ualetudinis tuendę gratia geritur, idem statim & uitā tuetur. At in hoc opere aliter se habet, propterea quòd quæ affectiones præter naturam in nobis discutiunt, ea non omnino uitam custodiant. Quippe aliqua eiusmodi prędita sunt facultate, ut si immoderate aut intempestiue utare, uitam adimant. Siquidē in sanguinis missione (quā usq; ad animi defectum faciendam esse paulo ante diximus, quò flamma in cōtinentibus ex meatuum clausura febribus extingueretur) non par-

C uum merito subsequetur incōmodum, nisi opportuno tempore, aut debita mēsura fiat. Duos nanq; in ipsis medicorum manibus perire uidi, qui postquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt. Multi uero etsi non protinus, at postea propter uirtutis infirmitatem perierunt. Quos si quis citra eius resolutionem uacuasset, minime perijssent. Quinetiam aliqui in morbos inciderunt longos postquam immodica inanitione resoluta naturalis uis fuit. Alijs, cum immodicæ uacuationis noxam sarcire non potuissent, in omne reliquum uitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius. Ex qua refrigeratione facile ex quauis occasione læsi, alij decolorati, ac malo corporis habitu uixerunt: alij ex eo ipso in mor-

D bos deciderūt exitiales, aquam intercutem, & orthopnœan, & iocinoris ac uentriculi imbecillitatem, & apoplexian, & deliria. Ergo cum uirtus tantopere necessaria sit, eam autem lædant omnia uacuantia remedia, si quis scilicet ijs parum moderate utatur: utiq; aduersæ inter se faciendorū indicationes in talibus corporibus sunt, in quibus affectus quò expugnetur, notabilem uacuationē desiderat: uirtus autem hanc ferre non ualet. Verum cum sæpe ex uacuatione uirtus nihil læditur, hinc sumitur inconsideratis & temerarijs medicis occasio ut eam prætermittant, ceu nusquam quicq; indicet. Falluntur autem (ut dictum est) propterea ꝙ non intelligunt alterius cuiusdam rei causa uirtutē esse spectandā, nec quicq; ad affectū amouendum indicare. Quemadmodū igitur in ijs qui

ualent, semper ea comitatur, quæ sanitatis gratia A administrantur, nec est quicquam inuenire quod sanitatem tueatur, quod idem uires corrũpat: sic in ægrotantibus aliquando ijs succedit, quæ uelu ti in perniciem morbi administrantur: aliquando ab ipsis soluitur. Si nanque abundantia paulo uiribus superior fuerit, utique ex moderata uacuatione adeo nullum accedit uiribus incõmodum, ut etiã maximum comparetur cõmodum, quod eas premebat sublato. Sin quò affectus sanetur, multa uacuatione est opus, resoluatur autem ex tãta inanitione uirtus, non modo rursus homini non proderit: sed etiam maximum illi periculum afferet. Porrò in ijs continentibus febribus, quæ ex stipatione meatuum accenduntur, quoniã ualida plerunque uirtus est, citra periculum uacuatio adhibetur. In B alijs uero morbis maxime est periculosa, ueluti si ea forte incidit in corruptela humorum. De qua tempestiuum est mentionem facere: quò omnes mittendi sanguinis indicationes in hoc libro decidamus. Ergo quod corruptum est, id alienum à natura est. quod tale est, id se auferendum dictat. Si igitur cum uiribus imbecillis corruptela incidit, utique quod affectus remedium est, id cum uirtutis custodia pugnat. Siquidem affectus uacuandum esse præcipit, idque uel uena incisa, uel purgatione. Harum autem neutrã ferent imbecillę uires. Quoniam igitur in omnibus eiusmodi repugnantijs incerta succurrẽdi ratio est, aliàs insanabilis omnino affectus relinquet, aliàs spatio, & ægre, idque si magnũ nactus sit medicũ, sanari poterit. Oportet nã- C que ubi indicatiões ita sibi aduersanẽ, et paulatim quod uitiosum est uacuare, & paulatim inuicẽ quod salubre est pro eo reponere. Vocãt medici eiusmodi uitiosi succi curationem græce ἐπίκρασιν.

11 Memineris uero mihi ad ea quæ dicenda sunt, etiã quorum causa uenæ sectio petitur. Nam quoniã hæc sanguinis uacuandi causa adhibetur, sanguis autẽ utilis naturæ est: utique probe hanc administrari cõueniet, sic ut quod inutile naturæ sit, emittat. Fit autẽ sanguis naturæ inutilis bifariam, uel cum propriam qualitatẽ ad unguẽ nõ seruat, nec amplius nutrire sicut prius, cum utilis esset potest: uel ita multitudine creuit, ut aut uires premat aut tum uenas, tum arterias, uel distendat, uel findat, uel obstruat. Ac in his quidem missio sangui- D nis utilis est, ceu uacuantium præsidiorum una: in alijs, ceu quod humorum uehementiorem impetum ad diuersam partem reuocet, uel ad latera deriuet. Postulat autẽ semper ualẽtes uires, quæ modo uacuationis eius respondeat. Ad hæc igitur respicientes sanguinẽ detrahimus, aliàs semel, aliàs bis, uel ter, uel sæpius, ueluti in sequentibus patebit. In præsentia uero illud manifestum fecimus, uirtutem uacuantia remedia aliquãdo citra noxã ferre: utpote nec adiutam ab his quicquã quod sit æstimandũ, nec uero læsam. Sæpe uero magis minus ue, tum iuuari, tum lædi. Præterea, quoties notabilis illi ex uacuantibus auxilijs noxa incidet, toties patere ipsam quoque tunc utile aliquid ad considerandum indicare: æque utique ut cum manifeste iuuabitur. Vbi uero ex ijs quæ affectũ summouent, nec cõmodum illi accedit ullum, nec incõmodum: ibi uelut inutilis prætermittitur.

12 Porrò una semper est quæ ab hac præstatẽ cõferentis indicatio, ueluti etiã reliquorum omnium. Nã quicquid pro natura sua indicat, id unum semper indicabit, ceu quod unam habeat naturã. Atque id unum, si quod indicationẽ facit, simplex est, ipsum quoque simplex erit. Sin illud est cõpositum, hoc quoque erit compositum. Sane quædã sui custodiã indicãt, quędam amotionẽ. Siue aũt hãc indicẽt, siue illã: quod simplex est, simplicẽ quoque indicationẽ habet: quod non simplex, etiam non simplicem. Idcirco in superioribus semper simplicem intemperiem simplicẽ indicationẽ præbere diximus, ueluti in frigiditate caliditatem. Nõ simplicem uero, etiam indicationem suggerere non simplicem. Calidam enim siccamque intemperiem curationem sui per ea quæ humectent & refrigerent, moliendã indicare. Ergo uires quoque unam rem semper indicabunt: utique sui custodiam.

13 Quibus ergo (roget quis) rationibus seruabitur? Nempe potissima ratione ex eo quod de substãtia earum uel inanitum, uel alteratũ est, corrigendo. Secundo loco ex prohibẽdis ijs quæ ipsarũ substãtiam uacuare alterareue possunt. Comprehensa uero inter ea quę alterant, breuitatis causa sint, & quæ earum unitatẽ distrahunt. Hęc itaque cum uires perpetuo indicent, in ualentibus (sicut dictum est) consensus agendorũ omnium ad ipsarum perennitatem est: in ægrotãtibus autem non semper. Quo tempore æstimari debebit, quod uel magnitudine, uel dignitate (ut prius est dictum) præualeat. Maxima igitur dignitas ipsarum est uirium, quãdo uiuere ipsum nobis ex harum custodia constat, utpote cum uitam aut ipsas esse uires, aut earũ actiones sit necesse. At uita ipsa nihil esse prius in animãtis corpore potest, propterea quòd nec sanos esse citra uitã licet. Virtus ergo omniũ prima custodienda hominibus est: seruabitur autem si nec eius substantia inaniatur, nec tanta altẽratione alteretur, ut ea corruptioni sit propinqua. Atque huius custodiæ pars est, ubi uel temperiem ipsam præsentem seruamus, uel absentem inducimus. A uirium indicatione proxima est, quæ ab affectibus, quos curare proponimus, datur: postea deinceps reliquæ. Quicquid igitur indicationi, quam uires præbent, aduersatur, id secundi est loci, ac posterioris ijs quæ illæ præcipiunt. Quæ uero cum ijs quæ uiribus cõducunt, in idem competunt: hæc utrunque calculum referunt, & eorum quæ primæ (ut ita dixerim) sint notæ, & eorum quæ secundæ. Itaque hæc citra controuersiam sunt facienda. Quæ uero aduersantur, aliquando administranda prorsus non sunt, aliquando paulatim. Quippe si quem curare studes affectum, is uacuationem requirit, uires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore quo uires reficimus eorum quę affectum sanent, nihil plane ægrotanti exhibebimus. Vbi uero eò roboris peruenisse eas cõijcimus, ut nihil aut parum ex uacuãdo sint

lædendæ, tum est ad affectus quoque curationẽ accedendum. Prima igitur omniũ indicatio est, quæ à uirtute sumitur. Verum non sic prima, ut quæ curationem doceat: cum ex numero curatricium indicationum non sit: uerum (ut ita dixerim) uitalium, [siue quæ ad uitæ custodiam pertinent.] Nã neque ut ualeamus, nec ut à morbis liberemur, ab ea quicquam primum desumimus: sed ut uiuamus. Additum autem in sermone est illud, primũ, quòd ex accidente aliquando uirtutis roboratio ad affectus curationem conducit. Verum id in sequentibus docebimus.

14 Nunc ad pensum rursus redeamus, in paucas summas compendij causa rem omnem cogentes. Medicatoriæ indicationes à morbo ipso sumuntur, à corporis temperamento, & tertio ambiente nos aere. Quòd si aliæ quædam antea sunt positæ, uel postea non hæmodo, uerumetiam alię dicentur, omnes tamẽ ex ijs in partes diductis natæ uidebuntur. Siquidem corporis temperies quę illo tempore fuit, quo ægrotare id cœpit, quęque ad inueniẽda remedia est utilis: ex natura, ætate, consuetudine, & ambiẽte nos aere ortum habet. Ambiẽs uero ipse eiusmodi est redditus propter tum regionem ipsam, tum anni tempus, tum cœli statum. Ergo cum unum sit eorum utrunque, ex pluribus tamen tale efficitur. Affectus uero hauquaque in causas diduci est aptus, sed in differentias. Nam aut in similaribus consistit partibus, aut in instrumentarijs. Ac in similaribus quidem, uel simplex est intemperies, uel composita. In instrumentarijs circa simplicium partium, uel posituram, uel formam, uel numerum, uel magnitudinem, tum quæ horum singillatim traditæ sunt differẽtiæ, cõsistit. Hæc itaque tria illa prima sunt, quæ curationem indicant: nempe ambiens ipse cum geminis corporis, siue affectionibus, siue constitutionibus libitum est appellasse: una naturali, altera quæ præter naturam sit, quę sanè morbus est. Nõ posse autem plura esse genera indicationum, quæ ad medendum pertineãt, quàm tria quæ modo diximus, ex ipsa rerum substantia scire licet. Nam morbus & sanitas, corporis sunt affectus: ille se tollendũ, hæc se tuendam indicãs. Ambiens uero is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest. Hic igitur causæ sine qua non, obtinet rationem. At uero cum id quod ægrotat alteramus, nisi constat quousque sit mutandum, utique quando sit ab alterando desistendum, non intelligemus. Generatim igitur in omni curatione agendorum indicatiões in his ad summum tribus consistunt. Membratim uero (ut supra est comprehensum, aliquæ simplicium particularum sunt propriæ, aliquæ compositarũ. Eorum ergo quæ in simplices incidũt partes, unũ est intemperies ea quæ in calido consistit. Hæc cũ in totũ diffusa corpus est, febris nominatur, ideoque omnis febris qua febris est, humectatio refrigeratioque remedia sunt. Ac si sola hæc sit, ad refrigerandum humectandumque omne medentis consilium ueluti ad finem dirigitur: ita ut nihil sit quod præterea ad curationẽ desideret, nisi ut materiæ inue-

A niantur, quæ huic proposito sunt idoneæ: materia uero inuẽta, ut opportunũ tempus ex quatuor febris temporibus captes: quantitatẽ uero, ex cõferendo cum naturali habitu morbũ. Quippe quantũ is à naturali habitu recessit, tantũ opus est ægrũ refrigeres & humectes. Sanè ambiens si contrariã morbo tẽperiẽ habet, è præsidiorũ numero unus est: sin similẽ, ægritudinaliũ causarũ est unus. Quoniam aũt reliquas materias, tum deligere, tum fugere licet, quam aũt ambiẽs præstat, fugere non licet, imò necesse est præsenti cœli statu uti, idcirco huic quoque attenti esse cogimur: qui utique sæpe cũ ijs quæ morbus facienda suadet, (ut diximus) est cõcors, sæpe discors, & qui cõtra moliatur. Habe-

B bit ergo (ut diximus) ambiens rationẽ modo materiæ sanantis, modo causæ morbũ fouentis. Quippe cum humectari refrigerarique morbus postulat: si hæc prẽstat, sanitatis materiæ rationem obtinet. Sin calefaciat & siccet, morbificis causis est annumerandus. Vbi igitur cũ medendi indicationibus cõsonat, pro gratia est habendũ. Sicubi aduersat, inhibenda eius noxa est: scilicet reliquorũ auxiliorum humiditate, ac frigore intensis adauctisque. Sedulo igitur agendũ est, ut ambientem, quoad fieri potest, qualẽ esse expedit, præpares: scilicet humidiores frigidioresque domos, tum deligens, tum uero præparãs: sicut è diuerso si frigida sit humidaque morbi species, quæ calfieri siccarique postulet: & eligendæ, & præparandę domus sunt, quæ calfaciãt, & exiccent. At deligendas quidẽ dico, quæ ex se

C ipsis eiusmodi sunt. Præparãdas uero, cũ arte nostra molimur per æstatẽ subterraneas eas, & ad septentriones uersas, ac pauimenta earũ assidue humore aspergẽtes: tum ut ex euripo aliquo aura inspiret, machinantes. Flores præterea, ac germina, quæ frigidæ, humidęque facultatis sint, per aerẽ projcientes: per hyemẽ uero cõtraria horũ moliẽtes, prẽsertim ubi morbus (ut prędictũ est) suadet: ubi non suadet, excessus tantum utriusque temporis remittentes. De quo mihi aliquid necessariò postea est dicendum. Nunc auxiliorum materias indicare non decreuimus, sed methodos docere.

15 Quare rursus ad has disputationẽ reuocemus, doceamusque quẽadmodũ & paucæ & multæ pro diuersa sectione curatoriæ indicationes sint:

D quando & tres uniuersas (ut proxime docuimus) facias licet, in pauca capita tota summa reducta: et qualibet earũ rursus diuisa, ex ipsis multa efficere. Id quod etiã iam monstratũ est. Quin & ipsarũ sectionũ quãlibet rursum diducas in membra licet, donec ad insectile uenias. Iã primas quoque illas tres, quas memorauimus, fieri potest ut redigas ad pauciores, sic ut duo eorũ quæ curationẽ indicẽt, omnino capita sint: nempe prẽsens affectus, quẽ morbum nominamus: & qui prius fuit, quem sanitatem & naturalem habitum diximus. Neque enim aliud est ipsa sanatio, quàm præsentis in corpore uitiosi affectus in naturalem habitũ mutatio. Cum autem contrarij hi affectus sint, necesse est per cõtraria fiat eorum alterius in alterũ translatio. Atque ita rursus una sola erit curationum maxime generalis

neralis indicatio, nempe contrarietas. Ergo hinc
rursus sumpto initio, age particulares indicatiões
disquiramus. Quoniam id quod ægrotat, ei quod
ualet, est contrarium: utiq; per contraria est ab illo
in hoc uia. At quomodo (inquies) in contrarijs in
uenietur modus? Nõ enim satis est calido affectui
admouisse frigida, nisi id debita fiat mensura: cum
alioqui metus sit, si intra modum id fiat, ne morbi
reliquum quippiã relinquatur: sin modum exce-
das, contrarium genus morbi inducas. Qui enim
supra quàm par est, calidum morbum refrigerat: is
sanitatis mediocritate transmissa, alium excitabit
morbum, qui sit frigidus. Quod quò minus acci-
dat, naturam curandi corporis scias oportet: quò
quantum morbus ab illius symmetria discesserit
intelligens, mensuram refrigeranti præsidio impo
nas. At fieri non potest, ut quantum à se inuicem
distent inuenias, nisi compertũ habeas quàm esset
corpus, aut humidum, aut frigidum, aut calidum,
aut siccum cum ualeret, quantumq; ex his excesse
rit postquam ægrotauit. Quippe quod plurimum
à naturali habitu recessit, id uehementibus eget
contrarijs: quod non plurimum, leuibus. Sanè plu
rimum recessit frigidus morbus à corpore natura
calido ita ut è diuerso calidus à frigido. Minus re-
cessit tum calidum à calido, tum frigidum à frigi-
do. Quare ex utrisq; indicatio curationis præsta-
tur. Verum cum materiæ reliquorũ præsidiorum
omnium electio in nostra potestate sit, eius uero
quam ambiens præstat, in nostra manu non sit, ra-
tio est ex hoc quoq; propriam quãdam indicatio-
nem sumamus. Cæterum, quoniam nosci ad un-
guem oportet corporum temperamenta, id uero
est planè difficile: utiq; tentandum est, tum ex ijs,
quæ in libro De temperamentis sunt scripta, ea in
uenire: tum uero ultra hæc, quò magis scientifica
notitia sit, ex ætate, & tota anteacta uita, quæ nimi
rum in uitæ exercitio, & uictus ratione consistit:
præterea, in hac regione, & hoc anni tempore, &
hoc statu cœli, conuersatione. Si nanq; natura gra
cilis, & tangenti calidus, & biliosus, & propensus
ad irã, & hirtus sit: calidus hic siccusq; natura est.
Non tamen necesse est, nunc quoq; cum ægrota-
re incepit, eundem planè habere affectum. Fieri
enim potest, ut in desidia uixerit, idq; cum frigidis
humidisq; potione & cibis, ad hæc etiam cum bal
neis post cibos, & multo somno: preterea in regio
ne humida & frigida, & hyeme in qua frigidus &
humidus exuperabat cœli status. Rursus fieri po-
test ut horum præcesserint contraria, id est cal-
facientia & siccantia: idq; per singula dictorũ iam
generum. Ergo si quo ad præsens temperamen-
tum noscendũ deficimur, id ex præeuntibus ipsis
supplebimus. Ex illo uero inuento, administran-
dorum indicatio suppeditabitur.

16 Ac dictum quidem prius est ubi de frigi-
da exhibenda præcepimus, illud quoq; ex ijs unũ
esse, quæ consideranda tum essent, nunquid parti
cula quæpiam cui frigida natura esset, lędi magno
pere ex eius potione posset. An igitur fas est in æ-
grotante homine cuiusq; particulę temperamen-

A tum inuenisse absq; ijs notis, quas in libris de ipsis
retulimus? Atq; illi quidem nec inquirunt, nec no
runt, sed iuxta prouerbiũ, uno calapodio omnes
calceant. Nos certe (quibus inquirendi cura fuit)
illud inuenimus, φ per plures ac cognitu difficiles
notas cuiusq; membri temperamentum coniectu
ra potius φ scientia inueniatur. Si igitur notis mul
tis & paruis aliqua certior apparuerit, nõne abie-
ctis illis hanc pro omnibus accipiemus? nemo id,
arbitror, qui mentis est compos, negabit. Atqui si
omnes temperamentorũ notas in unum colligas,
hæ longissime absunt, ut parem ei quam consue-
tudo præstat, fidem faciant. Si enim antea per sani
tatem quispiam frigidam perpetuo biberit, neuti-
quam nec in iocinore, nec uesica, nec uentriculo,
B nec alio quopiã talium offensus, planum est & ua
lida illi esse hæc omnia, nec nunc à frigida lędẽda.
Non est igitur φ paruũ quiddã, atq; ad spectandũ
leue ad inuentionẽ remediorũ consuetudinẽ exi-
stimemus, ueluti nec ad sanitatem tuendã. Nemo
enim adeo est stupidus, ut magnopere ex frigidæ
potione læsus, hanc in diutinum usum duxisse ue-
lit: propterea φ lęsus interim, atq; ab ea euidenter
ægrotans, omnino abstinebit. Ergo sicut alia non
pauca quidam medici præter cõmunes sensus, ita
illud quoq; effuderunt, φ nulla nec salubris inue-
niendi uictus, nec ægrotũ curationis, ex cõsuetu-
dine sumatur occasio. Videtur enim nõ sicut alia
quædã exiguã leuemq;, sed maximã, ac maxime
principalẽ uim habere: ut quæ singulorũ corporũ
C naturã ostendat. Sanè ipsi uia rationeq; ab ea pro-
cedentes fatemur nos partiũ affectũ inuenire, de-
in ex illo rursus ad faciendorũ indicationem ueni
re. Empiricus uero præterire se naturæ inquisitio
nem profitetur: quippe quod per eã cõsecuturus
fuisset, id iam se habere: intelligere scilicet se, nõ lę
di à frigidæ potione ægrotãtis corpus: id uero esse
quod nobis ab initio proponatur, nõ ut naturam
noscamus. Post (arbitror) nos quidem ueluti am-
bages frustra secutos merito taxet, eos uero qui in
totum inutilem esse consuetudinẽ dicunt, ueluti à
cõmuni sensu alienos iuste accuset. Quid igitur, in
quies, eis respõdebimus nos qui methodo artem
cõdimus? Nempe quid aliud φ φ uera dicunt de
ijs cõsuetudinibus, quæ adeo euidentẽ utilitatem
D offensam ue ostendunt? quippe quas nemo uel an
te methodũ non nouit. At reliquarũ quasdã, quæ
scilicet paulatim magnũ cõtrahunt incõmodum,
nõ æque licet per experientiã inuenire. Dictũ aũt
fusius de eiusmodi cõsuetudinibus est in libris De
sanitate tuẽda. Vnde si in frigida quoq; exhibitio-
ne cõsuetudo citra methodum satisfacit: nec nos
profecto experientiã fugimus: imò omnẽ quam
illi, utilitatem ab ea capientes, etiã extrinsecus prę
ter hanc adijcimus, (qui saltem id possumus,) eam
quę à rerum natura suggeritur indicationẽ. In hoc
uero libro methodi rationẽ sequẽtes, fatemur lon
giore uia idem inuenire, quod breuius inuenire ei
tra rationationẽ liceret. Siquidem cum sæpe iam
uidimus non paucos ex ijs qui febribus ardenti-
bus premerentur, cum iam mediocriter concocti

humo

humores essent, statim ex frigidæ potione febre liberatos, quãuis ei potioni parum assueti fuissent: multo (arbitror) magis in ijs qui assueuerunt, utilitatem fore citra noxam ullam sperabimus.

17 Habes itaq; nunc etiam de cõsuetudine rationem etsi ex incidenti oblatam, tamen satis definitam. Est enim ea quoq; unum quiddã eorum quæ curationis rationẽ per corporis ægroti naturam intercedentem indicent, quemadmodum & ætas. Siquidem ipsa quoque temperamenti interuentu indicationem præstat, ueluti puerorũ: quæ cum humidam & calidam temperiem habeat, facile digerit. Adsis enim animo uelim ad ea quæ de corporum diuersitate hoc loco dicam. Lapidum substantia constans stabilisq; propter siccitatẽ & frigus est. Ad eundem modum æris & ferri, & auri, & uno uerbo omnium, quæ ex terra sunt corporum. At quæ humida calidaq; sunt, eorum substantia celerrime in ambientem dissipatur, aliàs in halitum sensibilẽ soluta, aliàs in perspirationes quæ uisum fugiant, sed ratione deprehendantur. Atq; hæ corporum naturæ ueluti ex diametro, (ut Græci loquuntur) id est longissimo interuallo à se distant. Reliquarum omnium illæ quæ frigidæ ac siccæ proxime accedunt: ægre quidem per halitum digeri possunt, minus tamen ægre quàm ferrum, & lapis, & adamas. At quæ calidæ & humidæ sunt uicinæ: hæ promptius quidem digeruntur, atq; exhalant: cæterum, minus hę quoq; ꝙ aqua calfacta. Nam citra calorem non potest in halitum digeri corpus ullum, substãtia eius coacta densataq; manente: sed nec per calorem omne, imò quod habile est in halitum resolui: tale porrò est quod humidum est. Ergo puerorum substantia omnium facillime digeritur, ac dissipatur, propterea quod est omnium humidissima: nulla uero frigidior. Quo minus uacuantis præsidij eget, cũ habeat ex seipsa unde naturaliter uacuetur. Fit aũt profecto & propter calidam siccamq; regionem, & tempus æstiuum, & statum cœli impense calidũ & siccum, notabilis per cutim uacuatio. Itaq; etiam huius causa ijs qui sanguinis detrahendi egent, aut prorsus uenam nõ secabimus, aut parum detrahemus. Sane erũt in hac quoq; detractione multi scopi à medico spectandi, natura ab initio, cõsuetudo, ætas, locus habitatiõis, anni tempus, cœli status. Ad hæc, ægritudinalis quem curamus affectus, aliaq; ratione ante hunc laborantis uires. Cum uero affectus numerosi sint, cuiq; eorum sua est curationis indicatio. Quippe à calido indicatio est refrigerandi: à frigido calefaciẽdi, ac à reliquorum quolibet contrarium applicandi. Quare cum octo intemperamenta sint, octo etiam erunt morborum, quibus simplicia corpora sunt obnoxia, particulares indicationes. Vltraq; has una eius affectus, qui etiam instrumentalium est cõmunis, cuius nullum apud priores nomen fuit. Sed nos qui eum interpretari sumus coacti, cõtinui solutionem appellauimus, ostẽdimusq; cõmunem curationis indicationem hic quoq; esse unitionem. At uero quæ ex hoc rursum in partes diducto particulares consistant, hæ quatuor uoluminibus sunt proditę, nempe tertio, quarto, quinto, & sexto huius operis. At nunc quidem institutum De intemperamentis sermonem, etiam in sequentibus libris persequar. Hoc absoluto, ad instrumentalium partium morbos conuertar: ostendamq; secundum eandem methodum in ijs quoq; tum primas omnium curationis indicationes (quas utiq; generalissimas appelles licet) tum quæ ex harum sectione nascantur, deinde rursus quæ ex illis oriantur, donec ad eas quæ ultra sectionem non admittant, peruenero. Hanc etenim omnis constituendæ artis methodũ Plato nos docuit. Verum De instrumentalibus postea (ut promisi) dicetur. Nunc (si prius, in qua parte propositi operis simus, admonuerimus) præsenti iam disputationi finem idoneum imponemus: Est igitur unum morbi genus, quod similares, & simplices animalis uexat partes, quam intemperiem uocãt. Huius aliquas differẽtias ex corporibus nuda qualitate alteratis prouenire docuimus: Aliquas cum materia quapiam, quæ in ipsa confluit. Rursusq; ambas incidere, uel in unicam animalis particulã, uel plures, uel etiam totum corpus. Ergo cum in operis huius libro septimo intemperies eas, quæ alteratis tantum qualitatibus in partibus proueniunt, pertractarim: in duobus deinceps libris ad eas quæ in totum se animal extendunt uenientes, primum agere de febribus placuit. At quoniã harum ipsarum aliquæ adhuc fiunt, manente scilicet in corpore causa quæ eas excitauit: aliquæ factæ iam sunt, sed quæ eas accendit causa iam abijt: satius uisum est de ijs primum sermonem facere, utpote simplicem primam curationis indicationem habentibus: deinde illas quoq; stilo aggredi, quarum in corpore causa subsistit.

ARGVMENTVM LIBRI DECIMI

Caput 1. Quod tria præcipua sint, quæ in febribus præcipue hecticis agendorum indicationem nobis præbeant: una, febris ipsa: altera, effectrix causa: tertia, uis ipsa naturalis. Hæc tria inter se conferas: & si eadem remedia desiderent, ea adhibeto: sin contraria, & indicationes pugnent (ut cum ea quæ causam adimerent, febrim exasperarent, & contra) unam è tribus præferas, quæ sit ualentior, reliquis interim non neglectis. 2. Repetit transitum diariarum febrium in putridas ob medicorum imperitiam. Deinde obstructionum modos, quibus diaria gignitur, recẽset: simul cum his exponẽs, ubi uirium imbecillitas uacuationum auxilia prohibeat aut admittat. Contra diatritarios. Indicatio à uiribus. 3. Iterum contra triduanũ ieiunium, & historia febricitãtis calidi sicciq; & biliosi iuuenis, à diatritarijs in extremum periculum deducti, ab ipso restituti. 4. Adhuc de noxis intempestiuæ inediæ: & quod febricitantes nonnullos (de illis loquitur qui calida & sicca corporis constitutione sunt: non illis qui ob copiam uel obstructionem uel phlegmonem uel humoris alicuius putredinem febriunt, quos neq; in accessione, neq; circa inclinationem febris tuto nutrias) ab initio accessionis cibare conueniat, uel paulo ante accessionem. Obiter etiã causas reddit concussionis, horroris, ulcerosi sensus siue inæqualis. 5. Perstat in dogmate cœpto de febribus ex calida & sicca causa, adsimili etiam natura

tura & temperamento: quibus aduersissimam docet esse mediam: & historias quasdam refert. 6. Pergit in præscribendo uictum calidi & ualde sicci temperamenti febri obnoxij. Cōtra diatriton. Conuenire ptisanæ cremorem & ex farre sorbitionem adhibere identidem, & panem, & aquæ frigidæ potum: nisi phlegmone, aut putris humor facessat negociū: tum enim frigida abstinendum est. Hæc omnia ferè repetuntur infra, lib. 11. cap. 15. 7. Per capita colligit quomodo medendum sit hecticæ febri, per sex remediorum genera: quorum tria foris adhibentur, nempe aer qui nos ambit, pharmaca quæcunque humectandi & refrigerandi uim obtinent, & tertium dulcis aquæ solium. Intro sumuntur, cibus & potus, & inspiratus aer. Hæc omnia ordine tradentur per sequentia huius libri capita. 8. Primū aerem præscribit hecticis, nempe frigidum in uniuersum quatenus per anhelitum inspiratur, eo quod calorem qui est in corde refrigeret. cor enim primū est quod afficitur. Vitandum aūt ne extrinsecus circūambiat ægrū: Quia cum denset cutem, putrescentiū humorū effluxus transpirare prohibetur. In calce, quædā signa proponit quibus hectica cognoscitur. 9. Extrinsecus hecticā laboranti applicanda sunt quæ humectant & quæ citra uehementē adstrictionē refrigerant, si ntque corporis substantia tenui. Cuiusmodi medicamen simplex cum inueniri non queat, necessario nolimus uelimus compositionem pluriū efficere cogimur. 10. Balnea quam egregie conferant hecticis, prolixe docet. 11. De uictu & nutrimento hecticorum. Carnis nomenclatura. De colliquantibus febribus.

Aliter.

Vnde febres hecticæ oriātur, & qua ratiōe curari debeāt. Quæ ad balneorū uires ptinēt, omnia in uniuersū enūerat. Quæ sint remedia refrigerādo & humectādo idonea

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST
DE MORBIS CVRANDIS
Liber decimus.



1 ERGO in diarijs febribus simplex quidā est in corpore præter naturam affectus, utpote causis quæ primum eas excitarunt, iam ademptis. In quibus uero causa quę eas accendit, adhuc manet, in ijs nec affectus simplex, nec sanatio est. Siquidem quod febris iam receptum in corpore est, id ex propria ipsius curandi indicatione discutere oportet. quod adhuc est futurū, id propulsare, ac ne fiat uetare. Vetabitur aūt, si quę id excitat causa, prorsus sit summota. Itaque in diarijs faciendorum indicationem ex ipsa febre maxime capiemus, sed cum illa, naturā, & ætatem, & consuetudinem, præterea anni tempus, cœli statum, & regionē, & uires simul expendentes. In reliquis quę accessionis suæ causam intus habēt, prima indicatio ab ipsa sumetur causa. Itaque si febrium quæ multos dies cōtinuant, recte ostendimus putredinem esse causam, hæc nimirum sananda est prima: sed nec interim extinguendæ febris, quæ per eam accensa est, ratio nō habenda. Ac siquidem in idem consentiant, & quæ febrem extinguunt, & quæ causam oppugnant: in quod utraque conspirant, cū unum sit, sine cunctatione agēdum est. Sin febris, quæ iam accensa sit, sanatio, causam quæ hanc excitauit, est auctura: aut quæ causam summouent, febrem exasperabunt: diligens habenda consideratio est de remediorū specie. Sanē diligenter considerauerit, qui totam deliberationem in tria hæc æstimanda diuiserit, febris ne sola curanda sit, non solicito de causa: an causa oppugnāda, minime curanti de febri: an plurimum quidem remediorum ad alteram earum sit adhibendum, non tamē altera neglecta. At quod primo quidē loco est dictū, probare nō debemus: quando si quibus præsidijs id quod febris semper gignitur, oppugnamus, ea effectricem eius causam auxerint: planè nec generationem eius aliquādo inhibebimus, nec magnitudinem minuemus. quippe & generatio eius, effectricis causæ speciem imitabitur: & magnitudo cum illa pariter inaugescet. Quod secūdo loco diximus, si id distinguemus, poterit esse non incommodum. Nam si intolerabilis ægro magnitudo febris sit, committendum non est, ut per ea quibus causam adimimus, febrē augeamus. Simul enim arbitror utrunque, & febrim sustulerimus, & hominem. Sin ita mediocris sit febris, ut quo tempore contra causam tantum pugnas, obruendę interim uires ægrotantis non sint: utique contemnendus is modus nō est. Non contemnendus autem nec tertius est, qui contra id cuius maius momentū est, instare iubet: nec tamen alterius omnino negligentē esse. Sanè plerunque causæ maior est uis. Fieri tamē aliquando potest, ut ea sit febris magnitudo, quæ præsentem perniciem, nisi occurras, afferat: quo casu oportebit hac prius summota, deinde ad causam accedere. Atque hæc mi Eugeniane decidenda tibi inter initia statim de cōtrarijs indicationibus sunt. Cum autem in ijs examinandis nō parum uisa est ad hominis salutem momēti habere uis ipsa; utique de ea quoque non leuis ad agendorum inuentionem consideratio est habenda. Ita fit, ut tria prima sint quæ in propositis iam ob putredinē febribus agendorum indicationem nobis præbeant. Vna febris ipsa. Altera effectrix eius causa. Tertia uis ipsa. Cæterum, priora duo summouenda sunt, tertium est tuendum. Erit igitur rursus hic quoque eadem tibi consideratio quæ paulo supra, ut cum uiribus, tum febrem, tum causam inuicem conferas. Mox si eadē ambo remedia requirēt, ea prompte exequaris. Sin indicationes pugnabūt, unam præferas, uel quæ à uiribus sumitur, uel quæ à causa, uel quæ à febre: ac quæ cæteris sit ualētior, hāc magis sequaris, nec tamē cæteras negligas. Ex hac nanque discretione doceberis primum causam, febremque profligare, ubi uidelicet conijcis harū remedia uires posse ferre: rursus primam roborandam uirtutem esse, ubi hæc imbecillior est, quàm ut causæ febrisque præsidia sustineat. Quinetiam omnia pariter sub coniecturam agi licet, ueluti paulo supra De febri, & de causa monstratum.

2 Ergo cum tria hæc sint, ad quæ attentum

te

te esse in propositis febribus curandis oporteat, febris ipsa, huius efficiens causa, & ægrotãtis uires: inuentiq; præterea sint generales indicationũ modi, quos etiam generales uniuersalesq; dicimus: transeundum arbitror, nunc est ad præsidiorũ differẽtias, quæ specialia particulariaq; sunt: sed mentione de diarijs repetita, quandoquidem ab ipsis in eas quæ plures dies continuent, aliqui transeũt. At uero cum in has trãseãt, una quidẽ ratione maxime cõmuni, ipsa medicorũ inscitia: duabus magis priuatis, quòd ipsarum febrium uel causa effectrix iam abijt, uel etiãnum manet: de utrisq; seorsum est dicendum. Porrò abijt effectrix causa, quoties ab ira, dolore, uigilia, cura, æstiuo sole, fatigatione, & bubone iam sedato excitata citra stipationem febris est. Manet quoties uel ab externa causa, uel ab ipsa febre stipatio aliqua facta est. Nam & frigiditas, & adstringentium usus, per mediam stipationem semper febrem excitant. Vstio præterea nonnunquã corporis habitum constipat. Iam ipsum febris principium, ubi cum horrore inuasit, stipationẽ subinde fecit. Quinetiam glutinosi, & crassi, aut etiam copiosi succi, ubi mediocriter obstruxerunt, diariam aliquãdo febrem accendunt: utiq; cum idoneum sortiti sunt medicum, ut supra est indicatum. Sanè dicuntur idcirco id genus febres omnes diariæ, quia solui (quod utiq; ex ipsis est) uno die sunt aptæ, cõputata cũ hoc una & nocte: queadmodum cum dicimus, mensem esse triginta dierũ, & annũ trecentorũ sexaginta quinq;, & hoc gestum esse ante tres dies, aut gerẽdum esse post quatuor. Cæterum nõ est idem ipsarum omnium affectus, sed ab aliquibus inseparabilis stipatio est, ab aliquibus minime inseparabilis, sed uel ut plerunq; simul adest, uel ambigua sorte, uel raro. Inseparabilis stipatio est ijs qui ex aluminosa aqua, uel chalcanthode, uel tali quapiam alia, aut ex frigore, aut leui obstructione febricitarunt. Plurimũ uero ijs adest, qui ex ustione febricitant. Ambigua sorte, ijs qui ex fatigatione. Quicunq; uero ex ira, uel tristitia, uel uigilijs, uel pertinaci studio, uel cruditate, uel bubone febricitãt, ijs raro adiuncta stipatio est. Atq; harum omnium febrium nulla (quod utiq; ex ipsa sit) ad secundam usq; accessionem perdurat: sed intra quatuor & uiginti horas omnino desinit. Aut siquando earum aliquæ (quod tamen rarius fit) longius trahunt, duę ijs accedunt causæ, quæ ipsas solui uetant. Earum una frigus est, quod uel ex ambiẽte aere, uel ex unctione quapiam extrinsecus admota proueniat. Altera, egregia ista diatritos est, si qui uidelicet hanc transire medicorum inscitia coguntur. Quòd si & ambiẽs aer calidus sit, & nemo ex medicis qui diatriton suspiciunt, ad ægrotantem accedat: febris quidẽ post primam accessionẽ finietur, idq; cum sudore, uel madore, uel transpiratu qui halituosus sit. Aeger autem ubi se liberatũ à febri senserit, ad cõsueta munia redibit, lauãs, ungensq; se: aut etiã, si agrestis quispiam mõticola sit, his omissis comedens. Ac uulgus quidẽ, sicuti multa alia, utiq; ab ipsa rerum natura edoctũ, melius quàm sophistæ agit: ita & in diarijs febribus omnia sibijpsi præstare sufficit, presertim ubi citra ualentem stipationẽ cõstitere. Vbi uero cum eiusmodi inuaserunt, qui infortunati sunt, in medicum aliquẽ incidunt eorum qui diatriton efferunt. Qui fortunati, in eum qui ipsos & lauabit, & nutriet, cæteraq; omnia pręstabit, quibus stipatio soluatur. Sæpe namq; (ceu dictum est) ex leui obstructione cum cutis latente densitudine, quæ uel ex uitiosa lauatione, uel alio quopiam est contracta, diarijs nonnulli febribus sunt correpti. Quo tempore nisi quis celeriter obstructionem summouerit, in plurium dierum febres transeunt. Est nanq; eiusmodi febris (quantum ex ipsa est) earum quæ plures dies infestant, & quæ diariæ sunt, communis. Cæterum propter causæ paruitatem, unius diei efficitur: sicut etiam propter magnitudinẽ, multorum interim dierum. Verum accessio eius ab initio ad exitum usq; una est, modo ne ipsam excipiat ea, quæ ex putredine humorum nascitur. ergo quoad nec in pulsu, nec in calore, nec lotio, putredinis adhuc aduertitũ nota, atq; ex sola obstructione ortum habet, utiq; ipsa obstructionis solutio eius est sanatio: quemadmodumq; hanc soluere cõueniat, ante est dictum. Multæ igitur apparẽt diariarum esse febrium particulares differentiæ. Vna quando iam prorsus abijt effectrix ipsarum causa, ueluti ustio. Altera, quando hæc etiam adest, sicut stipatio, cuius duæ mõstratæ sunt differẽtiæ: nempe exiguorum meatuum densitas, & de qua nunc agimus obstructio. Sanè densitudo ipsa aliàs ex siccitate prouenit, ueluti post feruores, aut fatigatiões, aut iras. aliàs ex frigore, eoq; uel simplici, uel cum adstrictoria ui. Quæ queadmodum inter se differant, in libro De medicamentis est præceptum. Iã uero obstructionum ipsarum alia est, quæ ex abundantia, alia quę ex qualitate succorũ, scilicet qui aut lẽti, aut crassi sint, incidit. Præferetur autem inter remedia, in ea quam copia facit, sanguinis missio. In ea quę ex humorum qualitate cõsistit, attenuantium usus. Qđ uero ex uiribus consilij petatur, ut in diarijs sanè est exiguum: ita in ijs quę pluribus diebus urgent, satis magni est momẽti, eoq; maioris, quo hæ sunt longiores. Enim uero ubi naturaliter se uires habent, ne minimum quidem in plurium dierum febribus uacuationum usum morantur. Vbi non naturaliter se habent, (uoco autẽ nõ naturaliter cum infirmiores quodãmodo sunt) pro magnitudine imbecillitatis impeditur uacuantium auxiliorum usus. Sanè rarius accidit ut protinus in primo secundò ue die uires imbecillæ cernantur. Accidit tamen interdum, uel propter ægrotantis malum corporis habitum, uel propter senium. Nonnullis etiã fatigatio, ubi tristitia uigiliæq; præcesserunt, et inedia per totum secuta est diem, dein febris priusq; homo cibaretur, circa uesperã occupauit, & nox insomnis est acta, uires magnopere resoluit.

3 Nec alienum sit, si tibi talem ægrotum describã, in quo primum ausus sum ratione ipsa mihi uiam monstrante, & diatriton contemnere, & uirium rationem habere: posteaq; alios, quos in simili casu

casu uidi, audacter eodem modo quo illum, curare. Siquidem primum periculum postquam ijs quæ ab indicatione sunt inuenta subscripsit, ad secundum usum reddit magis animosos. Ergo iuuenis qui febri est correptus, annos natus erat quinque & uiginti, gracili corpore & musculoso, uelu ti canis: tum sicco calidoq; omnino temperamento. Iam idem exercitatione quodammodo delectabatur, & alioqui cogitabundus, & industrius erat. Is peregre agens, cum nuncium parum gratum accepisset, & tristatus est, & propere se accingens ad urbem festinauit. Ac priore quidem die & fatigatus est modice, & lotus cœnatusq; in quodam diuersorio quieuit, sed maxima ex parte sine somno. Postera die etiam magis festinauit, ac longa uia, & sabulosa, & squalente, tum sub feruente sole confecta, hora prope septima & semisse peruenit in urbem. Ibi cum ea quorum causa maturasset, meliora audiret: in gymnasium lauaturus proficiscitur, dein unctus, una cum quodam eorum qui aderāt iuuene perfrictus est. A quo cum ut paululum dimoueret, prouocaretur, orta inter eos contentione, (qualia sæpe incidunt ijs qui exercitationibus indulgent) plus iusto est exercitatus, eratq; iam immodice siccus. Egressus uero gymnasium, inuenit amicorum quosdam pugnantes, quos dum dirimit, imprudens in aliam exercitationem non leuem incidit, dum alios eorum diuellit, alios impellit, alios complectitur medios, alios ut iniurios increpat, ac pro ijs qui iniurijs affecti essent, irascitur, adeo ut domum se in summa siccitate reciperet, lassitudinem, inæqualitatemq; sentiens. Aquam igitur ex consuetudine bibens, ubi nihilo se leuatū, sed inæqualitatem sibi intendi sentit, hanc quidem uomuit. Ratus autem utilius adhuc cibo abstinere, accubuit, ac quieti se dedit hora ferme diei undecima: quod cum fecisset, ac nocte tota febre diuexatus uigilasset, postridie quoq; quieuit usq; ad meridiem, sperans se somni aliquid consecuturū. Quo tempore cum eum medici quidā diatriton colentes, inuiserent: tum quidem homini satis magnā esse febrem aiebant, uesperi autem se illum reuisuros. Itaq; & uesperi cum redirēt, ac febrem inclinatam cernerēt: ne tum quidem nutriendum censuerūt, quamuis etiam id alius quidā medicus suaderet, immo strenue restiterūt, adijcientes, si quidē sine febri esset, fortasse cibum daturos: febricitante adhuc minime id facturos. Quinetiā cum tertio die mane redirent, etiā tertiæ diei accessionem transmittendā censuerunt. Erat (ut prius dictū est) suspecta hora illius diei undecima. Ergo digressis illis, ipse accessi, ac faciē iuuenis cōtemplatus, uidi talem esse qualem in Prognosticis Hippoc. his uerbis pingit: Nasus acutus, concaui oculi, ac reliqua quæ deinceps ab eo dicta scimus. Itaq; cum omnino mihi persuaderem fore, ut tum in hecticam febrem, tum quam μαρασμώδη uocant, homo nisi cibarēt, incideret, sorbitionē ex alica quamprimum paro, atq; exhibeo. Et tamen quamuis hac sumpta, cum accessio suo tēpore circa undecimā inuaderet, sic

A extremis partibus perfrixit, ut calfieri hæ uix possent, & pulsus illi paruus rarusq; quāmaxime fuit. Qua ex causa illi etiā quarto die tum mane tum uesperi cibum dedi, quo scilicet & uires repararē, & corpus humectarem. Erat nanq; cutis eius ceu corium arida. Vbi aūt febris tenuis, & similis perseuerauit, statui deinde quinto die nō simplici sorbitione hominē cibare ut ante, sed alica ex aqua calida, citraq; cōditurā, iniectis in eā mali punici granis. Est nanq; is optimus cibus billioso stomacho. nam & roborat hunc malū punicum, & alica cum diutissime in uentriculo citra corruptionē maneat, sensim concoquitur, nec acescens, nec innatās. Quæ uitia accedere sorbitionibus aliquando solent. Incidit uero, & in ipso quinto principium

B accessionis simile. Itemq; cum & sexto & septimo eum simili ratione cibassem, in octauo rursus simile principiū præcedentibus fuit. ubi nimirū uel amentiā, uel pertinaciā, uel haud scio quid dicam, eorū qui in principio hominē trāsmittere tertiæ diei accessionē sine cibo iusserāt, porsus intelligere licebat. Nam cum cunctis euidenter appareret nunq; peruenturū eum ad quartum fuisse, si nutritus ante accessionē tertij non fuisset: illi & tū eum, & secutis etiā diebus non recte nutritum aiebant. Cæterum cōmittendū nō erat, ut eorum redarguendi studio, ægrū quis non exhibito in ipso accessiōis die cibo proderet. Igitur nono die similiter hominē nutriens, cernēsq; in accessione pulsum eius redditū q prius erat firmiorē, cæterum

C imbecillitatem illam adhuc præferentem cum extremarum partium frigore, nō potui sustinere medicorum illorum meras nugas, sed undecimo die præfatus prius ægrotantis amicis fore ut ipso die intelligerent hominem hactenus nostra opera fuisse seruatū, permisimus illi præterire accessionis horas. Ego cū & sine pulsu omnino in ipsis esset, & frigus eum uehemens totius corporis premeret, sic ut nec loqueretur amplius, & uix impellentem sentiret, conuocati in unū medici omnes qui ab initio uideramus, ab ægrotātis propinquis propemodum sumus discerpti. Ego quidē q ob pertinaciā ultro ægri salutē prodidissem: qui diatritō colebāt, propter ignorantiā & stupiditatē. Ac illi idem pallidiores frigidioresq; quàm ipse æger, cō

D silium quoddam fugæ captabant. Quod ego prospiciens aulę ostium obserari iusseram, & simul amico cuidam clauem seruare. Post medius eorum stans, iam inquam uobis constare planè arbitror, quis hactenus hominem seruarit. Seruabitur aūt & nunc nostra opera. Neq; enim si peiturū omnino in hac accessione putassem, à cibatione destitissem. Sed quoniā ex præcedenti iam uictu tantum illi roboris superesse noueram, ut tolerare accessionem posset, permisi accessionis horas sine cibo transmittere. Ac satius quidem fuisset multo ante hominem nutrire. Verum quò & istos redarguam, & quibusdam his auscultantium, qui confici à nobis iuuenem, q illam occasionē omiserim dicunt, persuadeam, nunc illis ostendam, uel in accessione ipsa ęgrotantes quosdam nutriri debere,

nedum ante hanc. His dictis, ac diductis hominis maxillis, infundo ex angusti oris uasculo, cremoris ptisanæ tres cyathos: paulo autem post albi & tenuis uini, modiceq; calida diluti, duos cyathos. Post quos & sustulit oculos, & tum audire, tum loqui, tum præsentes nosse cœpit: cum ante ueluti lignum aridum porrectus sine uoce ac sensu iaceret. Rursus itaq; dato ex uino quo dixi modo diluto, pane ad comedendum exiguo, prorsus hominem reuocaui, quem ut rursum ad institutam ab initio uictus rationem reduxi, & tertij decimi diei accessionem facile tolerare uidi: in quartodecimo rursus mane cibaui, ac post circiter horam octauam laui: deinde rursus liberalius cibaui, ac mox uinum bibendum exhibui. Idem uero & in duodecimo & tertio decimo fecerã. In quinto aũt decimo rursum cibaui mane. Cũ uero facilius tũ quoq; accessionẽ ferret, in sextodecimo denuo laui. Cæteraq; circa hominẽ peregi sicut in præcedentibus diebus. At ubi in decimoseptimo minime grauis paruaq; accessio fuit, audacter hominẽ de cætero sub cõualescentium uictus ratione habui. Hic æger non paucos semimalorum, ac non penitus asinorum docuit etiam ante accessiones ipsas nonnunq; esse cibandum, uel si duarũ horarum intercedat spatiũ: ac multo magis ante accessionẽ tertij. Ostẽdi aũt tibi & in prima ipsa accessionis inuasione eiusmodi homines nutriendos. Dico aũt eiusmodi homines, in quibus corporis intemperies ad siccũ & calidum conuersa febres accendit. Porrò hoc quoq; plerisq; medicorũ fortasse sit incredibile. Sed siue rationi ipsi fides est adhibenda, siue operibus, nos fidem ambobus facimus. Operibus quidem, dum homines ijs monstramus, qui si biduo patiantur inediã, necesse est febricitent: ita scilicet ut nõnulli ubi concitati ad iram sunt, uel mœrore uel uigilijs affecti. Euidentissime enim tum in conualescentibus ex diutino morbo talia fieri cernuntur, tum ijs qui calido & sicco sunt temperamẽto. Quã uero ratio ipsa fidẽ huic rei facit, alibi iam dicta est. Dicentur tamen & nunc eius rei summæ.

4 Mordẽs halitus & succus ubi per sensibilia corpora fertur, horrores & inæquales totius corporis cõcussiones (ῥίγη Græce dicunt) facit in ijs quibus cute stipata, quæ prius transpirabant, iam sunt retenta. Quoties enim fuliginosa sunt, febres accendunt. Ergo eiusmodi halitus & succos, tum multa & uehemens dimotio, tum uigiliæ, & ira, et dolor, & cura, augent: tum proxime ab istis unum illud per se interdum augere eos sufficit, utiq; si cibum quis non sumpserit. Efficitur enim corporis habitus in ijs naturis, quæ facile amaram bilem generãt, ex longa inedia biliosus. Si igitur tum id incidat, tum æger motu quopiam ualentiore quàm pro uiribus usus mordentium excrementorũ impetum confertim foras excitarit: necesse est (ueluti in Symptomatum causis ostendimus) uel concussionem quam modo dixi, uel horrorem subsequi. Ac concussio quidem ista succedet propter eorum quæ feruntur excrementorum, tum mul-

A titudinem, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem, tum laborantis uirium infirmitatẽ. Nam & quę multa paucis, & quę qualitate sunt insigni, ijs quæ non sunt, mordent magis. Pari modo & quæ cum celeritate feruntur, ijs quę tarde. Iam uires ubi ualentes sunt, omnia contemnunt ac tolerant: ubi infirmæ sunt redditæ, uel abs quouis offendũtur. Horror fiet ubi & qualitas eorum, & impetus uelocitas est remissa, tum copia minor: ac potissimum cum uires tristanti obsistunt. Si uero iam dicta largius remittantur: ne horror quidem fiet, sed uel ulcerosus quidam sensus, uel tantum inęqualitas. Ergo coeuntib. omnibus iam dictis, quod uehementissimum est oritur: utiq; supradicta totius corporis concussio. rursus remissis omnibus, nullus ex transitu excrementorum fit sensus. Quòd si

B quædam sint, quædã non sint, & quædam maiora sint, quædã minora: in eiusmodi mistionibus media latitudo om̃is, quæ inter id quod maximũ est, quod ῥίγος Grece uocari diximus: & minimũ, qui est nullus omnino excrementorum sensus, efficitur. Itaq; nihil mirũ est, si dictarũ causarum quælibet uel per se, uel cum alijs iuncta, alij inæqualitatem, alij ulceris quempiã sensum, aut horrorẽ, aut dictam concussionem afferre uideatur. Nam pone uires imbecillæ sint, corpus ipsum admodum sensile, (quippe id quoq; ostensum est non parum ad eiusmodi symptomatũ generationem conferre) habitus autem corporis gracilis, & temperamentum biliosum, stomachusq; similiter bi-

C li affectus: tum his omnibus accedant inedia cibi, & uigiliæ quæpiam, & tristitia, & solicitudo: ad hæc progressus à domo, qui ex urgente quapiam causa, sit necessarius: postea his ꝓpositis (id quod aliquãto fieri uidisti) det sedulo operam, ut plus itineris per urbem re ita postulante festinus peragat: nũquid huic ex eo qui excitatus est mordentium excrementorum motu, primũ quidẽ inęqualitas quædam, mox uero etiam horror prompte incidet? quòd si motum quoq; continuet: uel cibum sumere non anteuertat, protinus etiam febris? Equidem ita febricitantes aliquos ostendi tibi, maxime ex ijs qui è lõgo morbo conualuerãt. quorum cum uni forte fortuna occurrissem, qui mox ante horrescere cœpisset: ut rẽ exposuisset,

D dato ex uino diluto pane, continuo horrorem inhibui. Verum hunc (ut scis) per uiam in officinã quãdam perductum, febricitare prohibui. Alios uero qui prius se domũ suam recepissent, in ipso principio horroris, uel paulo posterius cibauimus. Atq;, ut semel dicam, quibus incipientis adhuc accessionis aderant symptomata: ijs omnibus panẽ ex uino diluto ac calente mature exhibẽs, et horrorem statim inhibui, & febrem prohibui. Quanto uero hos citius cibaueris, tanto scilicet magis febrem prohibueris. Quòd si paululum aliquãdo morere, utiq; febris ne tum quidem, calor tamen multus ijs aduenit: simillime plane ijs qui per uehemẽs frigus facto itinere, reuersi domũ, calidis sunt nutriti. Quippe si plusculum morere, maiorem calorem sentient, talemq; ac tantum, ut

dubites

dubites an hunc febrem appelles. Sin duæ horæ ab initio inæqualitatis interpositæ sint: nutries tunc quoq;, modo horror adhuc duret, prædicens tamen ꝙ hi febricitabunt, cæterum innoxia febre & cui cutis mador succedet: quo facto tum lauare tum rursus nutrire debebis. Quòd si horror præterierit, ac iam planè febricitent, cibandi id tẽporis non sunt, sed decrescẽte iam accessione, ilico sunt nutriẽdi, integritate nõ expectata. In nullo nanq; squalido affectu cõmode finitur accessio, priusq; illi uel ex lauacro, uel humido uictu, humectatio accesserit. Hæc ergo omnia cum operibus indicarem: qui me uel laudabant, uel æmulabant, scilicet quòd supra eorum opinionem erant quæ egeram, παραδοξοποιόν quòd paradoxa facerẽ, (ut scis) uocabant. Cum uero ratione de ijsdem differens, docerem aliquos ante accessionẽ esse cibandos, aliquos in ipsa, idq; uel inclinare iam incipiente, uel etiã in ipso summo uigore: tum παραδοξολόγον me, quòd paradoxa dicere uiderer, appellabant. Ergo quid facias his hominibus, quibus nec opere, nec ratione persuaderi potest? At, inquiunt, fieri nequit, ut eiusmodi affectus quis agnoscat. quo modo igitur nos eos agnouimus? Videturne cuipiam fieri nõ posse, ut calida & sicca intemperies agnoscatur, uel quæ ab ortu usq; fuerit, uel quæ in præsenti tempore talis sit reddita? Mihi sanè tam uidetur facile, quàm has ipsas agnouisse literas. quid illud uero, si huic non sit adhuc in succis putredo ulla, illi uero sit, non posse uobis uidetur hoc discerni? Mihi posse uidetur. Nam & ex pulsu, & urina, & ex ipsa nonnunquam quæ in calore est qualitate, euidẽter id discernimus. Quòd si propterea quòd nec ipsi quicquam discere uolunt, nec sese exercitare, scientibus parum credũt: quid uetat quo minus tum geometris ipsis, tum arithmeticis, tum reliquis artificibus omnibus nihil credant? Misso igitur hoc genere hominũ, rursus seriem sermonis nostri persequamur.

5 Calidis ac siccis naturis aduersissima res inedia est, ac febriũ paratissima causa. Voco naturas calidas & siccas, nõ solum quæ à primo ortu tales ex proprio tẽperamento sint, sed etiam quę posterius ex calido siccoq; uictu, & plurima dimotiõe, & uigilia, & cura, & tristitia, & regione calida siccaq;, & tẽpore æstiuo, & cœli statu calido siccoq; sint acquisitę. Sanè licet & citra tẽporis anni mentionem, in eiusmodi sermone statum cœli solũ nominare. Verũ si altius repetam, id quod dico magis credes. Calida & sicca tẽperamenta, siue ea ex prima origine talia sint, siue ex uictu, & immodico labore, et animi perturbationibus, & regiõe, & cœli statu, inedia uehemẽter lædit. In hac dictione, ipsis saltẽ uerbis, omissum est anni tẽpus: potestate tamen omissum nõ est, utpote quod in cœli statu comprehenditur. quando calidus in summo siccusq; cœli status iam dictã tẽperaturã efficit. Hic autem status alio anni tempore quàm æstate planè incidere non potest. quando nec autumno, nec in uere, multoq; minus in hyeme fieri potest, ut calidissimus simul siccissimusq; cœli status fi-

A at: sicut nec humidissimus pariter frigidissimusq; in alio quàm hyeme. Ob hæc igitur ipse quoq; aliquãdo prætermisso anni tempore, cœli statu sum contentus. Liceat tamẽ cuiq; nominibus quibus uelit uti: modo à rerũ natura non discedat. Est porrò rerum natura, qualem & modo diximus, & nihilominus nũc dicemus. Nam quæ maxime sunt ad curationem necessaria, eademq; maxime ignorata: nec Hippocrates ipse idẽtidem repetere grauatur. Igitur inedia siccis calidisq; corporibus, ualentibus quidem noxia est: ijs uero qui in calida & sicca æstate febre laborant, quæ scilicet ex ustione, aut labore immodico, aut uigilijs, aut cõprehensis iam animi motibus sit contracta, non tantum noxia est, sed si quicquam aliud, planè perniciosa: quippe uel in febres ardentes ex ea incidũt: à quibus nisi prius mors occupet, in hecticas migrant, atq; ab his in marasmũ: uel protinus ab initio ardentibus præteritis, in hecticas. Maxime tamen (ut dictũ sæpius est) siccos calidosq; affectus statim à principio hectica corripit: sicuti mulieri accidit, quæ autumno ex tristitia & uigilijs febricitare cœpit: perseuerauit autem ad plurimũ hyemis. Hanc quarto die (ut scis) uidimus, deprehendimusq; statim hecticam esse febrẽ, cum alia quã humores excitarant coniunctam. Curatio autem una tum fuerat, ut frigida tempestiue & moderate daretur, consuetæ scilicet hanc per sanitatem bibere. Verũ alijs curatio huius erat cõmissa: quare nobis silere est uisum. Alteri uero qui eodem tempore ægrotarat, & se nobis cõmiserat: quoties nutritus est, fontanæ planè gelidæ dedimus interim binos cyathos, interim ternos: quando frigidam simul multam sibi dari, qui ita sunt affecti, citra noxam non ferunt. Quocirca utilissimum est, ubi febris ideam perspexeris, in prima statim accessione minore cũ periculo, copiosiore frigida uti, corporibus ad ualidam siccitatem nõdum perductis. Qui enim in feruoribus sub canicula ex ira febricitauit, (iuuenis autẽ hic erat siccus & calidus) ubi in prima accessiõe duas frigidæ heminas bibisset, statim quidem uomuit flauissimã bilem, non multo autẽ post etiam deorsum excreuit. Deinde cũ rursus post cibum aquæ circiter heminam similiter sumpsisset, iam febricitare desiit. Non defuere tamen medici, qui cum nullam à principio febris speciem agnoscerent, sed postea cum iam præterijsset occasio, intelligentes uel in hecticam, uel etiam in marasmoden febrem ægrotantẽ incidisse: frigidam bibendam, nos imitantes, præbuerunt. Sed nemo metam attigit. Nam magna solicitudo habenda est in ijs qui ita se habẽt, de frigidę potionis mensura, de qua paulo post dicemus, ubi propositę disputationi finem imposuerimus. Quippe æger is quem ante descripsimus, exemplo omnibus est quibus propter siccitatem à principio statim dari cibus debet, etiam si febricitare iam incipiant. Nam cum accenditur in his febris propter mordentem acrimoniam excalfacti attenuatiq; ex sole & inedia & laboribus succi, maximũ eius remedium est humidum nutrimentũ: sicuti è di-

(margin letters B, C, D appear beside the right column)

uerſo ubi ob copiam, uel obſtructionẽ, uel phlegmonem, uel (ut ſemel dicam) humoris alicuius putredinem febris eſt orta, maximo malo eſt cibus. Atq; hos quidẽ nec in inclinatione febris citra noxã nutrias, nedũ ipſa acceſsione inuadente: illos uero omni certe tẽpore, ſed potiſsimũ per inclinationẽ. Me quoq; ſubinde uidiſti eos qui ex abundantia, & qui ex phlegmone laborarent, ſub lõga inedia tenuiſſe ſic ut prorſus ante ſeptimum diem non cibarẽ, ſed ſola mulſa contentus eſſem, uiribus ſcilicet ualẽtibus. Quoſdam eorũ, quibus uidelicet uires ualidæ non fuerant, aut ſtomachus biliofus, aut imbecillus, aut plus iuſto ſenſilis, ſolo ptiſanæ cremore uſq; ad ſeptimũ diem traxi, quo morbus in ſummo eſſe incremento debuerat, aut etiam omnino per criſim diſcuti. Sunto igitur tibi B à primo ſtatim die in omni ęgro ſpectãda duo illa quæ Hippocrates iuſſit, à quibus cibandi conſilia petas, morbi ſummus uigor, & ægrotantis uires. Poſtea ſi tranſiri ſummum incrementum ſine omni cibo poteſt, in cibi abſtinẽtia hominẽ ſeruabis. Sin exiguum adminiculum requirat, abunde erit ſola mulſa. Quòd ſi maius deſiderat quàm ſit ex mulſa, ptiſanæ cremor ſatis erit. At ſi fas non eſt ſummũ morbi incrementum, aut tenui uictu, aut inedia tranſmitti: id agendum, ut homo ſtatim in primæ acceſsionis inclinatione cibetur. Aliquos uero eorũ (ut dictũ eſt) & cũ inuaſura adhuc eſt, & cum incipit, cibabis. Sint porrò hi ſicco temperamento ac calido, aut à primo ortu, aut certe illo tẽpore oportet: tũ uiribus neceſſario imbecillis: C neq; eñ fieri poteſt, ut abunde ſiccũ calidũq; corpus cũ febricitet, uiribus ſit ualentibus. Si tamẽ cũ eiuſmodi febri ac corpore, momentanei membri phlegmone ſit coniũcta, omnino æger morietur. nam id quoq; prædixiſſe me ſemper, nunq; uero falſum, ipſe teſtis es. Magisq; id certum eſt, ſi pulmonis, uel membranæ quæ coſtis ſubtenditur, uel uentriculi uel iocinoris phlegmone ſit. Etẽñ quæ has partes phlegmonę occuparunt, non modo ijs qui tam imbecillis ſunt uiribus, ſed etiam ijs qui ualentiores ipſis ſunt, mortiferæ eſſe ſolẽt. Vnaq; ſalus tum pleuriticis tum peripneumonicis, adde etiam ſynanchicis, id eſt qui angina laborant, eſt ipſum uirium robur. Nõ ſecus uero & quibus uel iecur, uel uentriculum, phlegmone obſidet. Nam D quod ad phlegmonen quæ in ijs eſt partibus ſpectat, minime planè eſt cibandum. quod ad uirium infirmitatem, utiq; ſæpe. Ita neceſſario aut uires reſoluentur, aut phlegmone augebitur. Atq; hęc mihi latius fortaſſis q̃ pro re ꝓpoſita ſunt dicta, qui præſertim hoc libro ſtatuerim de febribus quæ abſq; phlegmone infeſtant, diſſerere. Cęterum tractationis conuenientia fecit, ut quatenus neceſſarium eſſet, digrederemur.

6 Denuo igitur redeamus ad febres, quæ iam comprehenſis febribus ſunt affines, quas nominare hecticas ſolemus. Nam qui ſupra ſcriptus à me iuuenis eſt, hectica febri laboraſſet, ſi mirificã diatriton tranſigere fuiſſet coactus: niſi tamen prius ab ijs qui abſq; methodo uictus rationem ordinare conſueuerunt, fuiſſet interemptus. Proponatur igitur alius quiſpiam cui cum ſupradicto cætera quidem omnia ſint eadem, uires tamen tanto ſint ualentiores, ut tridui inedia tolerata duret. Neceſſe eſt hunc, ſi modo ita cibetur quemadmodum cibant qui diatriton extollunt, in hecticam incidere. Nam hi primũ in quarto ipſum cibarent, poſt in ſexto, mox in octauo, deinde in decimo: quippe talis eſt (ut ſæpe uidiſti) eorum cibandi formula. Prima quidem cibatio poſt primam diatriton, reliquæ alternis diebus. Protinus autem (arbitror) & ex artomelite, id eſt pane ac melle ſiccaſſent eius præcordia: nam id quoque ex legibus eiuſmodi medicorum eſt, ſiue phlegmone ui ſcus aliquod laboret, ſiue ſecus. At quemadmodum quidem eos cibare qui ita laborent, inter initia conueniat, ſupra eſt dictum: ſed nihilo tamen ſecius nunc quoque ſummatim repetetur. Quoties uel ex laſsitudine, uel ira, uel pluribus curis, uel uigilijs, uel triſtitia, uel longa inedia, uel uniuerſis unà (ſicut in ſupra deſcripto iuuene) coeuntibus, ſiccatum corpus eſt, ac febris inuaſit, quę & aridã reddat cutem, & igneum habeat calorẽ, utiq; hunc talem timor eſt febri hectica correptũ iri, potiſsimũ in ęſtate, ac cœli ſtatu calido ſiccoq;. Oportet autem quamprimum ptiſanæ cremore, & ſorbitione ex alica nutritum, paneq; poſt oblato, aquæ frigidæ potione hominẽ cures: quippe protinus extinguitur ac ceſſat omnino febris, modo (ut dictum eſt) nec phlegmone aliqua ei ſit adiuncta, nec putridus humor. Nam ſi horũ uteruis ſit, attendere diligẽter oportet ac diſcernere, quo primum tẽpore aquam frigidam dare homini ſit audendum. Ego enim talium quoq; nõ paucis dedi, tutius eſſe ratus plegmonas in pręſens augere, quàm ſinere hominem hecticam febrem incurrere. Vbiq; igitur (ut ſemper dicere ſoleo) curatio dignotionem prænotionẽq; cõſequitur. Siquidẽ & dignoſcat quod pręſens eſt, & prouideat quod ex eo futurũ eſt, oportet, qui uolet notabilis efficaciæ remedio uti. Si tamem magnum fore incõmodum uel humori putri uel phlegmonę conijcies, à frigida quidem danda abſtinebis: refrigerantibus autem remedijs quæ foris applicantur, uteris, modo ea ſuper os uentriculi aut tota præcordia, modo ſuper pectus imponens: ubi ſcilicet plurimum ſubeſſe caloris maxime iudicabis. Sanè diximus ijs qui ita laborant, balnea quoq; eſſe nõ incõmoda. Dico ijs qui ſiccato plurimum corpore ſunt, et ex aliqua earum quæ dictæ ſunt cauſarũ, citra humoris putredinẽ febricitãt. Monſtratũ uero nobis eſt in ijs quę De febribus ſcripſimus, phlegmonas quoq; propter putredinẽ humorũ qui in ipſis habent, febres ſubſequi. Quocirca ſi quando dicam febribus quæ ex putredine accendunt, tale quippiam conducere uel non conducere, etiã eas quæ à phlegmone excitantur, in communi putredinis genere cõprehenſas intelliges. Sicubi uero deinceps utraſque nominare uideris, ſcias eas quæ ex phlegmone, ab ijs quæ ex ſola putredine ortũ habent, tũ diſcerni. Cuiuſmodi autẽ ſit phlegmones

affectus

affectus, tum in libro De inæquali intēperie, tum uero in eo qui De tumoribus præter naturam est inscriptus, docuimus. Admonuisse tamē & nunc te non sit inutile. Cum sanguis calidus copiosior in aliquam animalis partē procubuit, maiora eius uasa protinus distendunt, utpote abundantiæ continendæ non sufficientia. Ab his deinceps quæ minora sunt. Mox ubi nec in ijs satis cōtinentur, exudat foras in ea ampla spatia quæ inter uasa sunt, sicut etiam omnia quę in composita carne habentur, loca occupet. Atq; hæc quidem est phlegmones affectio. Possunt uero & sine hac in ipsis uasis humores aliqui putrescere, idq; aut in una animalis particula, in finibus ipsorum impacti, aut etiam in totis eorum capacitatibus quę inter bubones & alas sunt, comprehensi. A B

7 Cum igitur (ceu diximus) citra putredinem squalenti corpori febricitare contigerit, caput totius curationis, in ijs remedijs quæ refrigerent & humectent, statuere oportet. Porrò duplex genere est harum rerū prima materia. Vna eorum quæ foris incidūt. Altera quæ intro in corpus sumuntur, quæ sanè & προσφερόμενα id est, sumenda uocantur. Extrinsecus corpori incidunt tum aer ipse qui nos ambit, tum pharmaca quæcunq; humectandi refrigerandiq; uim obtinēt: & tertium præter hæc, dulcis aquæ balneum. Intrò in corpus sumuntur quæ eduntur ac bibūtur, & inspiratus aer. Ab his generibus tentandū est propositis hoc loco febribus tum humiditatem, tum refrigerationem cōparare. Verum refrigeratio quoniam per efficacissimam qualitatem inducitur, et parui temporis est, & periculosa: cōtrà, siccitatis per ea quæ humectent curatio, ut longi tēporis est opus, ita minus est quàm refrigeratio, periculo exposita. C

8 Igitur dictas sex materiæ differētias deinceps iam examinemus, ab ambiente exorsi. Hic igit si tēperatus est, qualē se exhibet, utiq; tali nobis est utendum, nihil amplius de eo solicitis. Sin admodum calidus est, uel admodū frigidus, pro calido inducendus arte cōtrarius est, subterraneis inuentis domibus, quæ & frigidissimæ sint, & maxime perflatæ, & ad septentrionē uersæ, tum auris quibusdam, quæ ipsis sint iucūdæ, opera nostra paratis: aliàs ex euripis, in quos se deijciāt multi aquarum torrentes: aliàs aqua frigida de uasis in uasa translabente. Iam hoc statim etiā somniferum est. D Præterea domo assidue aqua quæ prorsus frigida sit, aspersa, ac rosis plurimis humi fusis, aut uitiū capreolis, aut ruborū summitatibus, aut lentisci ramis, aut deniq; reliquarū quæ refrigerēt stirpium aliquibus. De quibus etiā prius est dictum. Turba quoq; hominū ingredi prohibita: nā id quoq; domum calefacit. Atq; ita quidē calidissimū aerē refrigerare, qui scilicet in æstate calida & sicca accidit, est tentandū: quandoquidē in hyeme calidissimus esse nō potest, sicuti nec frigidissimus in æstate. At si quis modice frigidus est, hoc esse contentos oportet, nihil aut machinātes, aut de tēperie eius alterantes. Qui uero frigidissimus est, utique quatenus respirādo attrahitur, admittēdus est, ut

qui calorē qui est in corde, admodū refrigeret: nō tamen quatenus extrinsecus ægrū cōtingit: quippe densat cogitq; cutim, ac putredinosorū humorum effluxum transpirare prohibet. Siquidē per pulmonem, quod rarum uiscus est, difficile nō est ut tū qualitas ipsius, tum etiā substantia ad cor facile perueniat. At per cutim fieri nequit, ut eius uel qualitas, uel substantia ad cor perueniat, utpote prius densatam. Nam quod in libris De simplicium medicamētorum facultate, de ijs quæ uehementer adstringunt, est dictum, id hic quoq; reuocari ad memoriam debebit, ac sciri qui nimium frigidus aer est, hunc cutim densando, semper sibi ip si uiā præcludere. Scire tn̄ licet maius fore ex frigida inspiratiōe cōmodū, q̄ ex cute densanda incōmodum: præsertim cū operimentis hāc calfacere licet. Porrò utēdum maxime eiusmodi aere est in ijs hecticis quibus primum quod afficitur ipsum est cor, æque ut si uētriculus primū esset afflictus, ipsi per comesta & bibita esset succurrendū. Huic enim illa cum integris adhuc uiribus occurrunt: si cuti cordi inspiratus aer. At iocinori ex inspirato aere nulla certe utilitas accedit, à comestis uero et bibitis minor planè quàm uentriculo: cæterū, aliquando non obscure aduenit. Cōmunis autem omnium sanatio est per ea quæ extrinsecus applicata refrigerant & humectant. Atq; ob hæc quidem uiscera magna ex parte hecticas marasmodesq; febres accidere contēplati sumus. Superueniunt tamen aliquando & pulmonum sicco calidoq; intēperamento. Attamen opportunum eiusmodi febribus id uiscus non est, utpote humidū laxumq;. Incidunt præterea & pectori, & pingui mēbranę, quod μεσαραίου dicitur, & ieiuno, & colo: interim uero & utero, & renibus. In septo uero transuerso marasmum non uidi: hecticam sanè febrem uidi, & hanc semel quidē planè absolutam, sæpe uero citius interimentem quàm planè esset completa. Eiusmodi nanq; affectum & spirandi difficultas, & delirium excipere solet. Ex quibus magna ex parte prius moriuntur, quàm hectica prorsus sit perfecta. Est autem eorum agnitio facillima, tum ex pulsus duritia, tū ex eo quòd præcordia plurimū trahuntur sursum, tum ex difficultate spirādi, quæ illis est & inæqualis & uaria: quippe aliàs quàm maxime paruum & frequens spirant: rursum aliquando manifeste spiritum tardant: dein subito quem admodū gementes respirarunt, quem duplicē spiritus intromissionē, quasi superinspirantes, uel duplicem foras missionem faciunt, ueluti superexpirantes. Respirant uero hi sæpe & reliquo thorace toto, non sensibiliter modo, uerum etiam notabiliter, tum opertas scoptulas quas ὠμοπλάτας uocant attollētes aliquādo admodū raram et magnā respirationē edunt: utiq; cum delirij malum præcipue dominatur. Verum præsentis instituti nō est, uel laborantium partiū notas, uel earum causas referre. Quare denuo ad curatiōes reuertamur, æstimemusq; quas uires præpositę iā materię aduersus hecticas febres habeāt. Sanè diximus iā nonnulla de aere, tum calido, tum frigido, qui præci-

pue quidem est utilis, cum quod primũ afficitur, ipsum est cor: quamuis confert & in reliquis febribus non parum, quandoquidem in his quoq; necesse est cor similẽ intẽperiẽ recipiat, citra quam nec marasmus, nec hectica, nec reliquarũ ulla febriũ cõsistere potest. Quo facile apparet etiã pulmones, ubi scilicet ij sunt qui primũ patiunt̃, plus cæteris omnibus refrigerantẽ aerem requirere.

9 Sequitur iam ut de ijs medicamentis agã, quę extrinsecus admota humectẽt, & refrigerent. Porrò horum quoq; ea deligenda esse, quæ citra uehementem adstrictionẽ refrigerent, neminem latet. Talia eñ prætérq; quòd nõ humectãt, etiã demittere frigiditatẽ suã alte nõ ualent, propterea q̃ cutim cogunt, ac coarctant. Optima uero sunt quæ non modo citra adstrictionẽ refrigerant, sed etiã corporis substãtia sunt tenui. Ac quæ quidẽ absolutissime tenuiũ partium sit substantia, exacte frigidam inuenisse, fortasse non est. Dixi exacte, propter acetum, quod cum omnium (quæ nouimus) potestate refrigerantium planè tenuissimarum sit partium, admistam sibi aliquam caliditatẽ habet. Præterea corpora quæ contingit, siccat, quamuis ad imaginationẽ sit humidum. Quo fit, ut ad eos affectus quos humectari & refrigerari expedit, solo eo nõ utamur, sed tanto aquæ frigidæ admisto, ut possit bibi. Cęterum quanq; corpus quod absolute tenuium partium sit, & simul frigidum, inuenire non est: attamen deligi materias oportet, quę ad eiusmodi medicamenti compositionem maxime sint idoneæ. Ac dictũ quidem latius de his est in opere De medicamentis. Dicetur autem in exemplis nonnihil & nunc, quò in hoc quoq; genere membratim sis exercitatus. Incipiam autem ab eo medicamine quod omnium quæ humectẽt ac refrigerent, est simplicissimũ, quo etiam aduersus erysipelata utor, & phlegmonas in pudẽdis, utiq; inter initia, priusq; depascens aliqua subindicetur putredo. Debebit autem ad id pręparata esse cera quamoptima, & elota. Sanè optima fuerit, uel alba pontica, uel quæ ex atticis sit fauis. Esto aũt & rosaceum, quod ex oleo sit à nõnullis uocato omphacino, ab alijs crudo, quodq; citra salem sit confectũ. Maxime uero ad rem pertinebit, si & ipsum oleum tenuium prorsus sit partiũ, cuiusmodi Sabinum est. Cum uti uoles, ambo mista liquator in uase duplici. Factoq; liquido cerato (cuiusmodi scilicet erit quod triplum aut quadruplum ad ceram rosaceum habet) postquam ipsum fuerit refrigeratum, miscetor ei paulatim in mortario tantũ aquę quantũ in se, dum cum ea mollitur, accipere possit. Expedit aũt & ceratũ ipsum prius admodum esse refrigeratũ, atq; etiam quæ huic miscebitur aquam esse frigidissimam. Abũde autem ceratum refrigerabis, si cum modice coiuit, totũ uas in quo cõtinetur, in aquam frigidissimã dimittas. Quòd si aceti quoq; admodum tenuis ac clari paululum adijcere uelis, utiq; magis adhuc tum refrigerans, tum humectans medicamentum efficies. Non debebit autem medicamentum hoc eo usq; super ægrum corpus manere dum manifeste incaleat, sed

A assidue subinde mutari. Aliud medicamentum. Oxalidos, aut oxylapathi succus cum exigua polenta mista excipiatur duplicato peniculo detrito, affatimq; frigidum & ipsum imponat̃. Quòd si eiusmodi peniculi occasio nõ sit, tum linteũ duplicatum & madefactũ refrigerãdæ particulæ impones. Quinetiam portulacæ, & semperuiui, & uuæ immaturæ succus, similiter polentæ miscẽtur. Ad hæc lens palustris, & uiridis tribuli, & polygoni, & lactucæ, & intybi succus, aliaq; quæcunq; refrigerare est dictum, cum tenui polenta. Præterea sine polenta licet integris herbis tunsis uti. Iam uero quod epithema ex pinguib. fit palmulis, quas πιέντὸς Græci uocant, salutare medicamen est. Porrò coquere oportet harum carnẽ, omni membranoso exempto, aliàs ex solo claro aceto, aliàs B aqua ipsi admista: atq; hac ubi tenera satis reddita est, tunsa uti. Quòd si parũ molli crassitudine uidebitur, præstiterit iam dicti aliquid admiscuisse cerati. Quòd si rosacei quidpiã dictorum singulis aliquãdo miscere uolueris, nihilo inutilius pharmacum habebis. Esto autem quod admiscet̃, tum minimum, tum & simplex & perfrigidũ, & quod factũ ex oleo sit salis experti. Sanè quoties simplex rosaceum, aut aliud quiduis id genus dico: quod sine aromatis est cõfectum intelligi uolo. est uero salutare ad talia medicamẽ & rosarũ succus frigidus, unà cum polenta. Salutares uero sunt & ipsæ rosæ tunsæ. Præterea stirpium quæ moderate adstringunt, germina trita. Ad quem modum uti aliquãdo licet & herbis quę mediocriter adstringãt, C ueluti solano. Verũ eiusmodi medicaminũ materiam in alio opere reddidimus uniuersam. Nunc abunde pro exẽplis sunt quæ iam dicta sunt. Porrò utendum his est, nõ (sicut uulgus facit) toti impositis thoraci, aut toti uentri: immo illi maxime quod primo est affectũ. Neq; eñ necessum est, ut aut cũ eo quod refrigerari ualẽter desiderat, etiã id refrigeres quod prorsus non desiderat: aut ante iustum tempus refrigerare desistas, timens uicinã aliquam particulam lędi. Ego nanq; hominẽ scio, qui imposito præcordijs refrigerãte medicamento, difficultate statim spirandi laborarit. Alterum uero qui protinus tussierit. Atq; paulo post utriq; finitũ symptoma, ubi quod refrigerauerat, est ablatum. Quòd si adeo strenue refrigerare non studebis, habes quæ id modice efficiant, adhærentiũ medicaminum, ac cerati speciem referẽtium, magnam copiam, quorum non materiæ modo uim, sed etiam compositionis methodum didicisti. Verum ego cum iam sentiam mẽsuram præsentis instituti me excedere: ad ea quæ tractationis series proxima exhibet, conuertar. D

10 Proxime uero se è iam dictis exhibet consideratio de balneo, tũ ipsius rei causa, tũ uel magis propter Philippũ, qui hecticis quas μαρασμώδεις uocant, ipsum noxium putat. Ipse igitur quid tum de omĩ balneorũ ui, tum etiam quæ ad eos qui hectica & marasmo laborant, uel (ut semel dicam) omĩbus est accõmoda, in hoc maxime libro quid sentiam explicabo. Memini nanq; me & supra in diarijs

diarijs febribus illa laudare, & in septimo huius operis libro, in ijs qui cruditate propter siccam uentriculi intemperiem laborabant atque extenuati erant, sæpe utendas iubere. Cæterũ de uniuersa earum ui, nullo alio libro disserui, sed in hunc seruaui: ubi et de ijs agitur quibus efficacissimus earum est usus, & quibus Philippus ea interdicit. Atque prius quidem ubi De ulcerum curatione egimus, indicata causa est cur propriæ cuiusque morbi indicationes sint ignoratæ. Dicetur autẽ nihilo secius & nunc, utpote tum ad ea quæ nũc paramus, tum ad ea quæ dicenda sunt, utilis. Cum enim unus in corpore affectus est, eius curationem inuenire, si non ratione, certe experientia haud difficile est. Vbi uero connexi duo tres'ue sunt, præsertim qui maxime cõtraria inter se auxilia requirant, fieri nequit ut experientia, quod agendum sit, inueniat, imò nec facile ratiõe. Siquidẽ et substantiã cuiusque affectus ad unguẽ nouisse oportet, & propriã curationis indicationẽ à quoque affectu cepisse. præterea quem primũ omniũ, aut magis: quem rursum minus, aut secũdo tertiòue loco curare cõueniat. Hæc igitur causa est cur uulgo medicorum ignotum sit, & quòd febrium omniũ, qua febres sunt, propriũ remediũ refrigeratio sit, siue ea talis actu sit, siue potestate: & quòd alia multa ex accidenti refrigerando, febrium sint remedia. De quibus & dictũ nonnihil in præcedentibus est, & in sequentibus dicetur. Quædam nanque remedia cõplicatam quodãmodo duplicemque facultatem habẽt, ita ut & prima ratiõe proficiant, & ex accidente. Quod genus & balneũ est. Nam frigidę potio per se quidem proficit, utpote actu refrigerans. Succus autem uuæ immaturæ potestate refrigerans medicamentũ est. Atque hæc quidem ambo refrigerãt primum, id est per se ipsa, nec intercedẽte alio. At sanguinis missio (ueluti prius indicauimus in febribus cõtinẽtibus, quas synochos uocãt) nõ primũ, sed ex accidenti calidam aliquando intẽperiem sanat. Ad eundẽ modum & clyster, & purgatio, & fomentũ [ex calido liquore], et cataplasma quod digerat, ac concoquat. Vtranque uero facultatẽ in se cõprehensam habet propositũ nunc in sermone balneũ: utpote ex partibus uaria facultate præditis cõpositum. Quippe ingredientes in aere uersantur calido, postea in aquã calidam descẽdunt, mox ab hac egressi in frigidam, postremo sudorẽ detergent. Potest autem prima eius pars materias per totũ corpus, tum calfacere, tum uero liquare: præterea quæ inæqualia sunt æquare, & cutim rarefacere, & multa quæ sub hac ante detinebãtur, uacuare. Secũda eius pars ubi quis in sicco corporis affectu ea utitur, potest madorem utilem solidis partibus immittere. Tertia balnei pars potest, ubi quis frigida utitur, & totũ corpus refrigerare, & cutẽ densare, & uires firmare. Quarta uero corpus per sudores citra refrigeratiõis noxã uacuare. Ergo cum hæc omnia circa hominis corpus efficere ualeat dulcis aquę temperatum balneũ, & præter hæc etiam si quis intẽpestiue lauetur, tum horrores, tum cutis densitatem, tentandum nobis est

A omnia deinceps distinguere: ac primũ de illis sermonem facere, qui cum in balneo se lauant, horrore tentanť. His eñ una (ut sic dicã) cõtinens excitati symptomatis causa est. Aliæ quæ hanc præcedunt, multæ. Sanè horroris causam esse dico mordentiũ excrementorũ cõfertim actorũ citatiorem motũ. Proinde quibus horũ est abũdantia, caro uero, ac cutis densæ, siue balneũ sint ingressi, siue steterint in sole, siue quoquo modo, uel gestati, uel perfricti, uel exercitati, uehementius sint dimoti, utique ijs horror incidit. Contrà, quibus hæc pauca sunt, & corporis habitus, ut remittetur laxeturque à balnei calore, promptus, ij nõ modo nõ horrent, sed etiam meliores redduntur: utpote excremẽtis per id uacuatis. Quo rationabilius nec in febrilis B significationis principio, nec in incremẽto quisque ægrotantem lauit. Quippe densata est hoc tẽpore coarctataque & cutis ipsa, & quæ sub hac habẽť carnea substãtia. At in febris inclinatiõe, uel incipiente, uel procedẽte, uel amplius progressa, & nos sæpe, & alij medici nõnulli multos sæpenumero ægrotos lauãtes nõ parũ his cõtulimus. Porrò quando inclinatione incipiente, aut iam progressa, aut etiã in summo incremẽto (interdũ enim id quoque accidit, tametsi raro) æger in balneũ sit ducendus, in sequentibus definiemus. Nunc cum de generali facultate singularũ partiũ disserere institui unũ omniũ primum exponã. Dicoque multos eorũ qui cruditate laborant, plures uero eorum in quibus mordentiũ excremẽtorũ abũdantia subest, omes præterea qui uel in febrili significatione, uel in C ascensu, etiam omnes qui summo sunt incremento, præter admodum paucos, siue hi sint in balneũ ingressi, siue steterint in calido sole, siue exercitationes, frictiones, gestationes'ue tentauerint, merito horrescere. Singula nanque horum cõfertim & impetu agi excrementa subigunt. Cum igitur tam adhuc densa lauantis cutis sit, ut ad primũ ambientis aeris occursum nequeat naturalem suum habitum recipere, sed maiore ad id spatio indigeat, excrementa uero foras uersus ruant uniuersa, & retineri illic ea est necesse, & qua sub cute sunt aceruata, & qua per carnes feruntur, mordere. Porrò in libris De causis symptomatũ indicauimus mordentia excrementa, ubi per sensibilia corpora ferũtur, D tum cõcussiones, quas ῥίγη uocant, tum horrores excitare. Ergo quamobrẽ horreãt in balneis omnes qui ante sunt comprehensi, iam causas inuenimus. Pari modo, & cur nõ horreãt quibus aut nullum est in corpore excrementũ mordens, aut tantillum ut facile uacuetur. Ergo de his deinceps loquamur, propter quos etiã de ijs qui horrent, meminimus. Si quis enim balneũ ingressus nõ inhorruit, sed remissa est illi rarefactaque cutis, huic planè necessario prædicta succedent, excrementorũ uacuatio, æqualis per totũ corpus calor, exiguorum meatuũ rarefactio, tensorũ relaxatio, densatorũ fusio. Ac uacuatio quidẽ excrementorũ, omni febri est utilissima. Pari modo, & rarefactio, & relaxatio. Fusio tamẽ & calor non itẽ. Sed calor omni febri est inimicus: quando refrigerari, non calfieri febrium

brium affectus postulat. At fundi æqualiter, id solidis quidem animalis partibus nõ est alienũ. Succis certe nõ perpetuo est utile. Sed quoties in animali, uel phlegmõe quæpiã, uel affectus phlegmonę similis constitit, uel utrauis abundantia, siue ea quæ ad uires cõfertur, siue ea quæ ad uasorũ capacitatẽ, omnium profecto inimicissimum. Ac phlegmone quidem, cum calefacti, & liquati succi ad ipsas cõfluunt, augentur. Tunicæ uero uasorũ impares abundantia, quæ iam ex liquatione spiritu est impleta, distendũtur, ac uires hoc ipso male afficiũtur. Ergo calidis his siccisq; affectibus, de quibus agebamus, emissio mordentium est salubris: liquatio enim eorũ est citra periculum: calefactio tamen noxa non caret. Atque hæc quidem ex prima balnei parte ijs qui ita laborant prouenire, modo tẽpestiue balneo utantur, memoria teneamus. Transeamus modo ad secundã eius partem, quæ erat id quod proprie lauacrũ uocant. Ergo in hac sicut ex humectatione iuuantur, sic ex calore nihil illis cõmodi accedit. Accedamus & ad tertiã, in qua & refrigerant̃ innoxie quæ fuerant excalfacta, & uires firmãtur. Si qua uero & laxata, & iusto plus sunt remissa: ea in naturalem redeunt mediocritatẽ, id q̃d quarta balnei pars indicat. Quippe quibus omnia rite sunt adhibita, ij post frigidæ usum adhuc sudant, & omnia ipsis excrementa uacuantur. Itaq; ex omnibus quæ de balneis retulimus, una summa colligit̃. quòd uacuatur quidem quicquid in corpore, uel fuliginosum, uel fumidũ fuit. cõsistunt aũt in naturali symmetria, tum caro ipsa, tum cutis, solidarũ partiũ ariditas corrigit̃: & calor nõ modo is qui ex lauacro accessit, uerumetiam qui prius fuit ex frigidæ usu summouet̃. Maximo huius rei documento est status, qui ex eiusmodi balneo redditur, postq̃ in sole feruẽte iter fecerimus. Quippe accedimus ad id, ne loqui quidem, præ linguæ, & fauciũ ariditate, ualentes, totumq; corpus stipulæ ritu aridũ habẽtes. At egressi è frigida, ilico omnia pro naturæ habitu recipimus: nec febrili calore uexati, nec siccitate afflicti, proptereq; loquentes, ac plurima sitis parte leuati. An igit̃ euidẽtius adhuc balnei uires in sicco & calido corporis affectu cognoscere desideras? Ego sanè non arbitror. Licet aũt cui placet, experiatur quod incõmodum sequat̃, ubi tali peracto itinere non lauerit. Aut ẽm statim febricitabit, aut multo plenus tędio, grauato scilicet capite, perseuerabit: potissimũ si frigida calorẽ nondũ extinxerit. Multi tamẽ iuuenes eiusmodi cõfectis itineribus, ubi ilico se in aquã frigidã proiecerint, iuuant̃: ac potissimũ qui ualentib. sunt uiribus, & frigido solio assueti. Ita uero & ruri faciunt, ubi q̃ balneæ non sunt, in stagna, uel flumina seipsos cõijciunt, nullo medici suasu, sed ipsa gubernãtẽ corpus natura ad id quod conducat impulsi. Quæ eadẽ etiã ratione carentibus animalib. instinctũ inserit ad eorũ quæ offendunt cõtraria. Siquidẽ ea quoq; ubi æstu uexant̃, frigida se lauãt: sicuti etiã ubi frigore urgentur, calida cubilia sibi inueniũt. Eodẽ cõtrarietatis studio, etiã cum esuriũt, comedũt: & cum sitiũt, bi-

A bunt: reliquaq; om̃ia naturæ impulsu obeũt. Ac si certã febricitantiũ naturæ notitiã haberemus, nõ (arbitror) dubitaremus eorũ aliquos assidue in aquis frigidis citra balneũ lauare. Nam q̃ sint quidã qui eam desiderẽt, uel ex ijs quos iuuit, cõstare potest, ut quibus frigida lauatio haudquaq; cõtulisset, nisi eo tẽpore recte ad eã dispositi fuissent. Verum quoniã exacta nobis dispositionũ notitia nõ est, ac maxima ex errore impendet noxa: utique eiusmodi præsidia recusamus, potissimũ in febribus hecticis, quãdo per has, & pauci sanguinis, & nudũ carne, & expers adipis, redditũ corpus est. Nullũ enim hi solidarũ partium munimen habẽt, q̃d frigidæ occursum sine noxa excipiat, sed protinus similarib. ipsis partib. occurrit, à quibus om̃es animantiũ actiões obeunt̃. Iuuenis uero cui abun- B de sit carnis, ęstatis tẽpore, atq; in febris summo uigore, modo nulla uiscerũ phlegmõe subsit, si in frigidã se cõiecerit, sudabit. Quòd si frigidæ lauationi sit assuetus, securus remedio utet̃. Verũ de eiusmodi corporib. post aget̃. Qui aũt ex calida, & sicca intẽperie, hectica febricitãt, ac potissimum qui iam marasmodes fiunt, ijs ubi tale præsidiũ petũt, tutũ non est in totã conijci: ęque ut nec gracilibus & imbecillis, qui ęstate calida & sicca lõga uia peracta, refrigeratiõe indigẽt. Nam neq; his tutus est frigidi solij usus, nisi prius fuerint in balneo ęqualiter excalfacti. Quippe simile quiddã nobis accidere uidet̃, cum in frigidũ soliũ post balneũ ingredimur, ei quod ferro accidit cum tingit̃. Etenim tum C refrigeramur, tum roboramur: queãdmodũ & illud, ubi candẽs iam redditũ frigida mergit̃. Atque huius rei causa ad imbecilla corpora inuentæ sunt balneæ, quæ ea pręcalfaciãt, atq; ad frigidũ solium præparent. Non dissimile quiddã faciunt & qui sine balneo frigida utunt̃, cũ scilicet se ab exercitatiõe in eam saltu demittũt. Siquidẽ cuiusmodi nobis est balneũ, eiusmodi illis est exercitatio: ut quę non tantum calfaciat, sed etiã insiti caloris motũ à profundo corpore extrorsum cõcitet, sicut & frigidæ impetui occurrat, & quo minus uiolenter in profundũ ruẽs uiscerũ aliquod feriat, aduersetur, atq; prohibeat. Nã neq; ipsam frigidæ substantiã, neq; eius qualitatẽ om̃ino integrã usq; ad uiscera pertingere, est salubre: imò & satius & tutius est D solam eius qualitatem per distributiõis modum, citra substantiã ad profundũ permeare. Iam qui hectica febricitãtes ad balneũ accedunt, nisi in frigidam sint demissi, nihil iuuantur. Qui ẽm aliter febricitant, eorũ solidæ partes nondũ difficile separabilem calorẽ obtinẽt. Itaq; etiam ex sudoribus, unà cum insensibili transpiratu, abunde his remedij est. Et sanè diariarũ febriũ ipsam propemodũ substantiam uacuari per hæc contingit. In ijs uero qui ex siccitate & caliditate febribus hecticis urgentur, solidarũ partium affectus cãdenti ferro est similis. Quo utiq; minus eos in balneis calfecisse dũtaxat humectasseq; cõtenti esse debemus. quippe cum sic alimentũ, incremẽtumq; febri prębuerimus. Immo melius erit, ut mersis in frigidã extinguamus calorẽ. At in hoc metus est ne corpus in

diuersa transferas, ac frigidũ reddas. Quis hoc ne- A
gat? Nõ tamẽ propterea uitio dandũ est quòd pro
spere ex præsidio succedit. Nec propterea ꝙ men
sura eius deprehendi est difficilis, prorsus est dese-
rendum. Siquidẽ si aliter liceret, tum ceteras hecti
cas febres, tũ marasmodes sanare, cõsultius esset tu
tiore uia insistere. Nunc quoniã totum curationis
momentũ in refrigerãdo humectandoq; cõsistit,
omnibus uero refrigerãtibus auxilijs propter cor
poris horũ gracilitatẽ noxa imminet, necessarium
arbitror Thucydidis esse consiliũ, agẽtes aliquid
uel periclitari. Quibus em̃ alia salutis ratio nõ est,
& quæ unica uidetur, ea dubia est: necessum arbi-
tror his est aduersos periculis ire. Sed nec error ip-
se, aut mortiferus est, aut irremediabilis. Siquidẽ
quos in extinguẽda febre aqua frigida in contra- B
riũ affectũ transtulit, hos licet in toto quod sequit̃
tẽpore calfaciẽdo sanare. Iam nec periculũ par est,
nec frigidi affectus, nec etiã ipsius remediorũ. In-
dicauimus nãq; tũ prius in huius operis septimo,
tum in lib. De marasmo, tum ante hos in libris De
tuenda sanitate, fieri nõ posse ut solidarũ partium
siccitas cõsummata sanet̃. Quòd si fieri id posset, u
tiq; fieri posse ut nõ senesceret qui ea uictus ratiõe
uteretur. Si igitur insanabilis solidarũ partiũ sicci-
tas est, tum expeditissima in eam per hecticas fe-
bres uia patet, melius est hominẽ in frigidã intem
periem trãsferre, ac cui curationẽ adhibeamus ha
bere: Quippe qui id fecerit is postea noxã oppu-
gnauerit. Qui uero pestiferã insistere uiam sinet,
is desperatã ægrotanti salutẽ fecerit. Quanto itaq; C
satius est aliquid nõnulla fiducia, uel cum pericu-
lo facere, ꝙ spe adempta certo perire: tanto profe
cto satius est potẽtibus præsidijs pugnare, ꝙ nihil
agere. Ergo ilico eos qui hectica febricitãt, omni
ratiõe refrigeremus, anteꝙ progressi in marasmũ
peruenerint. Quẽ aũt marasmus planè iam occu-
pauit, hunc sanare ne tẽtaueris. Nam etsi calorem
eius extinxeris, attamẽ siccitas quæ relinquit̃, se-
nectutis ritu hominẽ cõficiet, tantisper nimirũ ui-
cturũ quoad solidę eius partes reniti aduersus sum
mã siccitatẽ ualebũt. Atqui maluerit fortasse pro-
pinquorũ ægrotantis aliquis, atq; etiam ægrotans
ipse, aliquo spatio in senis habitu uiuere, ꝙ ilico
mori. Itaq; curare hos quoq; cũ præfatione expe-
dit, ac in alterũ transferre marasmũ, quẽ iam nomi D
nare seniũ ex morbo insueuimus. Licebit em̃ his
non tantũ plures dies, uerũ etiam menses uiuere.
Ego nanq; cũ iuuenẽ quendã qui ita laborabat, sa
nassem, reficiens deinde, ac senilẽ eius imbecillita
tem pro senũ ratione tractans, non solũ in mẽses,
sed etiã annos uiuũ seruaui. Nec est ꝙ hic eiusmo-
di marasmi curationẽ audire desideres: utpote tũ
in huius operis septimo, dum siccas & frigidas in-
temperies sanauimus, traditã potestate: tũ operis
De sanitate tuenda ea in parte quæ senibus alẽdis
est delegata. Præsens aũt liber nõ marasmorũ, sed
hecticarum febrium curationẽ docendam promi
sit. Ex quo genere sunt & quæ μαρασμώδεις græ
ce dicuntur. de quibus tũ alia nõ pauca diximus,
quæ non modo rationis, sed etiã usus iudicio pro-
bauimus, tũ illud scilicet non oportere balneũ (ut
Philippus facit) formidare: qui cautius fortassis
eo utitur, ad eum modum quo in cæteris solemus
febribus, quas uel phlegmonæ, uel putrescentes
succi accẽderunt. In his enim nihil offendes, etiam
si in frigidã ægrum non merseris, sed eum (ut mos
est) perfundas primũ tepida, post ea quę ueluti ex
sole tantũ æstiuo tepet, mox hoc etiam paulo ꝙ
illa frigidiore. In hecticis uero febribus, id quod re
medium affert, calidæ solium non est, sed frigidæ,
ad quam balneæ ægrotantis præparãt corpus, æ-
que ut reliquorum omnium qui per sanitatem la-
uantur. Porrò non propter id modo uidetur mihi
Philippus ignorare, ꝙ salubris res balneum sit in
ijs qui marasmode hectica laborãt, ꝙ tam extenua
tos in frigidę solio tingere nemo audet, aut saltem
ultimã aquã ipsis frigidã infundere: sed etiã quòd
sæpe altera cõiuncta febris est, quæ uel ex humo-
ris putrescẽtia, uel phlegmone sit excitata, tũ uero
quòd tali hectica laborãtium mortiferũ est uitiũ.
Ac propterea quidã non rectè omnia quæ his ex-
hibentur, culpãt, cũ non sit illis imputanda culpa,
sed affectui. Ergo recensitis denuo quæ diximus,
huic disputationi finẽ imponemus. Quicunq; he-
ctica febre laborant, atq; ex his præcipue qui iam
marasmode hectica febricitant, modo his alia nul
la febris uel ex solo putrescente humore, uel cum
phlegmone sit adiuncta, eos omnes audacter la-
uabis, sed prorsus citra omnẽ laborẽ: ne uires re-
soluas. quod ipsum cũ noceat uehemẽter occasio
fit balnei culpandi. Quod citra laborẽ dixi, id ita
intelligo. Volo ęger in balneum super lectulo de-
portetur. paratamq; ad manum habeat calentem
sindonem, super quam, in prima trium domorum
balnei nudatus trãsportetur. Sint autem quatuor
qui hanc teneãt, à quoque fini unus. Ac si quidem
prima domus satis calida sit, æger in ea nudatus, in
secundam portetur: sin tibi frigidior uidetur, non
nudus, sed coopertus, uel alia sindone minime fri
gida, uel tali aliquo inuolucro. Constat autem &
sindonem eam qua portabitur, esse ualentiorem
oportere. Aut si imbecilla per se sit, duplicari eam
erit satius. Esto autem media domus non tantum
situ media, sed etiã temperie: tanto, scilicet, prima
calidior, quanto est tertia frigidior. In hac domo
oleum tepidum esto, quo æger super sindone illa-
tus protinus perfundatur. Hoc facto tertiam in-
grediantur domum, ducantq; hominem ubi so-
lium est. Sic ut per tres balnei domos duntaxat
transierint: Per quas nec celeri gradu transibunt
ij qui ægrum portãt: sed tantisper in prioribus do-
mibus morabuntur, dum in altera trãsferatur tan-
tum à lectulo. In media uero dum perfundatur o-
leo. Esto autem & aer cuiusque domus, nec sum-
mo calore, nec etiam frigens: sed admodum tem-
peratus, & modice humidus. Id fiet, si aqua tempe
rata ex labro sit liberaliter proiecta, sic ut perfluat
per omnes domos. In ipsa uero solij aqua medio-
criter moretur, idq; in sindone sustentus, nulla in-
fusione aquæ, cuiusmodi in alijs uti solemus, adhi
bita. Immo nec capiti eius infundi quicquam ue-

lim: cum sit satis id quoq; bis terue una cum toto corpore in aqua mergi, demissa mediocriter deorsum sindone, ac rursum per quatuor iuuenes qui eum portant, leuata. Mox hinc eductus, in frigidã semel totus tingatur, ne uel breuissimo quidẽ spatio illic moratus. Porrò qui eum portãt, tum reliqua omnia curiose esse edoctos cõueniet: tum celeritatẽ tingendi, nõ documẽti modo, uerumetiã præcepti loco præter cætera habere. Protinus uero alter paratam habẽs sindonẽ ipsi inijciat. Tum in lectulo collocatus, primũ spõgijs detergeatur, deinde mollibus linteis. Nec cõmittent qui eum detergebũt, ut uiolentius eũ cõtrectent, sed quoad fieri potest blandissime. Post hæc unctũ ac uestibus amictũ, rursus super lectulo in domũ ubi cibatur, reducent ac nutrient. Sanè dictum supra est in horum commentariorũ septimo, ubi siccã uentriculi intemperiem sanauimus, domũ balneo debere coniungi. Ac de balneis quidem satis (quod ad rem propositã spectet) hactenus.

11. Sequi prædicta uidetur, ut de nutrimenti facultate præcipiam. Sanè humidũ esse, ac frigidum quod hecticis febribus sit conducturũ, nemo nescit. Eiusmodi uero sunt, tum ptisanæ cremor cum frigidus sumitur, tum alica similiter ptisanæ cremori condita. Id uero est ex aqua, & exiguo porri, & anetho: tum sale, oleo, & aceto. Cõmodus præterea ijs qui sic laborant est, & exiguus in aqua frigida panis. Cęterũ, nullius horũ pura frigiditas esse debebit, sicuti potiõis. Quippe hęc maturè tum incalescit, tum per corpus digeritur. Illa cum plusculum tẽporis in uẽtriculo morentur, ipsum fortassis refrigerant, si fuerint immodice frigida. Vbi uero febris iam diu moram traxerit, dandum quoq; asininũ lac est, sed diligenter obseruato ne in uẽtriculo cogatur. Id uero interim ipse nos ęger docebit, utpote suæ ipsius naturæ peritus. Interim id à nobis inueniẽdũ est, paulatim ad eius usum accedentibus. Ac expedita quidem ratio est ad symptoma declinandũ, si mel illi admisceas, aut salis quo uescimur exiguũ. Cęterũ abstinendũ (quoad fieri potest) in hecticis febribus à melle est: atq; idcirco etiam à mulsa. Quippe protinus uertitur in bilẽ, & sicciores acriorisq; caloris febres reddit. Dandus itaq; principio est asinini lactis non plus cyathus, ueluti à me datũ uidisti: sed inducta in ipsum cubiculum asina, quo nullum tẽpus interponatur, sed æger id protinus bibat, contẽplantibus diligenter nobis, ac cõferentibus arteriæ motũ qui à sumpto lacte agitur, cũ eo qui ante id sumptũ fuit. Si enim corruptũ sit, paruos & inequales inuenies pulsus, cuiusmodi in oris uẽtriculi cõpressione accidere nosti. Sin aũt corruptũ nõ sit, et maiores et ualẽtiores redditos inuenies. Itaq; etiã licebit, cũ postea exhibebis, modũ lactis dimidio cyatho adaugeas, ac deinde rursus aliũ dimidiũ adijcias, sicq; sensim usq; ad mediocrẽ modũ addas. Modi uero non lactis tantũ, sed etiã reliquorũ ciborũ omniũ metæ quibus attentus eris, in septimo huius operis, ubi uẽtriculi sanauimus intẽperies, sunt traditæ. Nam cum primũ in eo libro siccã eius intẽperiem hacte-

A nus inueteratã proposuerimus, ut totũ iã corpus gracile reddiderit: indicauimus quo pacto quis simul ambo probè sit sanaturus, tũ uentriculi intemperiẽ, tũ corporis gracilitatẽ. Ideoq; fortasse sit satius, quò minus multa scribamus, ad illũ te librum pro reliquis omnibus cibis remittam. Cum eñi similes affectus sint, similia nimirũ remedia postulant. Verũ quãto hecticarũ febriũ affectus est calidior, tãto utiq; frigidiora requirit auxilia: & simul maiorem solicitudinẽ ne ualẽtib. auxilijs utẽtes quicq; lædamus. At qui iam marasmo urgẽtur, eos sicut dictũ est, lauabis. Quos uero hectica premit, nondum tamen marasmo tentantur, eos licet etiã sine sindone subiecta laues, utpote uirib. adhuc ualentes. Inferri tamen & hos in domũ uel super lectu-
B lo, uel saltẽ alio quopiam ferculo conueniet. Mox ipsos seipsis ingredientes ad calidam duci, quò in ea morentur. At qui ex his minus sunt ualentes, eos nõ tutũ est permittere in frigidã natationẽ descendere: sed foris potius ipsos perfundere, primũ tepida, secundo frigida. Esto aũt tunc præparata in labro aqua frigida (quanta. s. ex eo semel hausta perfundere simul totũ iam lauatum possit) ea frigiditate ut nullã euidentẽ qualitatem nec prorsus frigidarũ nec tepidarũ aquarũ præferat, sed qualem ea quæ fontana uocatur, quæ & frigoris quod fert, & teporis qui resoluit, est in medio. Ac si quidẽ omnia curiose administrabunt, tum quod ad balneum, tum quod ad nutrimẽta spectat: utiq; sanandi iam eius quem marasmus cõsumit, spes est. Sin
C error uel in uno committatur, is reliqua subuertit omnia. Quippe cum exitialis horum affectus sit ne leuissimũ quidẽ errorem tolerat. ac si quis taliũ est seruatus, huic carnosam portionem marasmus occupauerat. Ipsis uero solidis siccatis fieri nequit, ut homo prorsus persanet: sed omnino uel statim eũ febris ipsa iugulauerit, uel postq; in eũ affectum est translata, quẽ seniũ ex morbo uocamus. Nam primũ eiusmodi febris propriã partium humiditatẽ, ex qua nutriuntur, depascit. Hinc uero ad carnosum genus transit, quod circa tum fibrosas tum mẽbranosas partes solidorũ corporum hæret. Ita deinde ipsas solidas populatur. Siquidẽ in singulis simpliciũ ac primarum quas uocant partium (ut in dissectionibus es contemplatus) alia
D portio substantiæ eorũ est ueluti fibrosa, alia membranosa, alia carnosa, sicut exẽpli causa cum uena unam tunicã habeat, & eam tenuẽ, licet fibras in ea inuenire multas, quę sint araneosis quibusdam interstitis cõtextæ, quibus utrisq; ipsa propria uenæ substantia adnascitur. Hęc alia in alijs partibus habetur, nec ullum commune nomen est nacta. Cæterum docẽdi causa nihil uetat eam carnosam substantiam uoces: uel certè huius particulę quandam carnem, quæ in uentriculo quidem sit alia, in iocinore alia, similiter in arteria & musculo. Vocatur aũt caro tãtum ea quæ in musculo est, reliquarum nullam homines carnem uocãt præterquam admodũ pauci: sed quæ in uisceribus, ceu iocinore, renibus, liene, & pulmone uisuntur, eas παρεγχύματα (quasi affusiões dixeris) grece uocãt. Quæ in

intestinis, uentriculo, stomacho, & utero sunt, sine nomine relinquunt. Tu tamen de nominibus non laborabis. Illud potius intelliges, singularum particularum substantiæ molem ex tali maxime completam esse natura, quæ utique (ut in sinuosis ulceribus uidere licet) & perire, & regigni potest. At uero nec fibrosa, nec neruosa membranosaúe natura eandem generationẽ habere cernitur. Nec contingit eiusmodi singularũ partium fibras à malignis febribus liquari, sicuti carnes: quando animal ipsum priusquam hæ prorsus sint siccatæ, intemerint. Sanè sunt & quas marasmodes febres uocant, uniuersæ ex earũ genere quæ colliquant. Sed in eo differũt, quod quæ portio carnis in his colliquatur, ea semper uaporis uice digeritur: in illis defluit in uentrem. Cernitur hoc etiã in carnibus, B dum in craticulis torrentur, euidenter fieri. Siquidem ab aliquibus plurima liquatio defluit, deciditque in prunas largiter. Aliquãdo nihil omnino, quod utique sentias, defluere uidetur, etiã si par sit prunarum subdita copia. Quippe feris suibus, aut nihil omnino, aut planè minimũ est quod defluat: cicuribus uero plurimũ. Quantoque magis uel adipe uel carne animal abundat, tãto profectò quod ab ipsis carnib. dum in craticulis torrẽtur defluit, cernitur copiosius. Ad eundẽ itaque modum in calidissimis febribus si carnes humidæ ac molles cum C adipis copia fuerint, eas sensu liquari deprehendas. Sin sine adipe & siccæ sint, in marasmodes febres transeunt. Clarissimo huius rei argumento sunt infirmi, qui per aluum, quod liquatur, excernunt, qui nisi prius uel morbi uiolentia, uel medicorum inscitia moriantur, in marasmodes febres incidũt. Siquidem quoad materiã uberem habẽt, hanc colliquãt. ubi illis tum adeps, tum caro mollis defecit, duras & ęgrè liquabiles carnes siccant, à quibus propter siccitatẽ nihil defluit: ueluti nec ab ijs quæ sale sunt siccatæ, si quis has quoque torrere parãs pari cum alijs igni admoueat. Nam & sicciores earum carnes reddentur, & corij ritu durabuntur: nec defluet ex his ulla sensibilis liquatio. Hæc igitur cum scias: etiã colliquantium febrium ijsdem methodis curam ages, tum ad frigidam exhibendam quamprimum properans, tum ijs quæ humectent & refrigerent nutriens. Mulsam uero inimicissimam censebis, qua tamen uti plerosque medicorum in eiusmodi febribus uides. Verũ de colliquantibus febribus differere in posterum licebit, æque ut de ijs hecticis febribus quæ in pestilentijs contingunt, cuiusmodi ea est quæ nunc publice grassatur. Dicetur nanque & de hac inter pestilentes febres. Reliquarum uero tum hecticarum, tum quas marasmodes uocamus, abunde mihi sanationis methodum tradidisse uideor.

ARGVMENTA VNDECIMI LIBRI

Cap. 1. Argumẽta trium præcedentium librorum & præsentis. Inquirit curatorias indicationes febriũ, quæ ex putrescenti humore excitãtur, & duas statuit: unam ab affectu, alterã ab ægrotantis temperie. Cap. 2. Exemplis declarat quo pacto in usum accõmodari debeãt indicationes speciales, ex magis generaliũ sectione inuẽtæ, & ab effectu sumptæ: ut in paradigmate febris. Potes enim dicere absoluto sermone, febrem per contraria sanandam esse: siue per ea quæ sunt contrario tẽperamento, aut per frigida: Vel diuidendo dices febres sanandas esse per ea quæ effectu frigida sunt, aut per ea quæ potestate, aut per ea quæ ex accidenti refrigerãt, aut etiã ista omnia coniungendo. Cap. 3. De iudicationibus quæ à uiribus febrientis in putrida febri sumi possint. Et primum in genere, quòd uirtus sui custodiam per similiũ exhibitionem, ut morbus ablationẽ per administrationem contrariorũ præscribat. Cap. 4. Viam præstruit curandæ febri ex putrefactione: cuius etiam causas hic D deliniat, ut supra lib. 9. cap. 3. Nempe quæ putrescũt calida humidaque esse, & difficilem transpirationẽ habere.

Cap. 5. Quæ à uiribus in febri proposita indicatio sumatur: Nempe si uires ualentes sint, audacter uacuãtib. præsidijs utendum esse. Item etiam tenuissimo uti uictu licere: Dum uero sint infirmiores, non licere sine graui noxa. Instituit etiam continua febri laborãti tempus cibi offerendi: & inter alia nõ interdicit frigida potione.

Aliter. De nutrimenti in febribus quantitate, qualitate, tempore. Cap. 6. Continuã febrim accensam ex putredine humorũ aliquo docet conuenire cum diaria quidem, quòd unicam habeat accessionem: cum interpolata uero, tũ quod similiter ex putredine oritur, tum quod pluribus diebus perdurat. Synochi autẽ lib. 9. cap. 2. & 3. dictæ febres, duo cum diarijs communia habent, nempe accessionem unicam, & putredinis absentiam. Cap. 7. Febrium putridarum differentiæ generales & propriæ indicationes ad curã earundẽ febriũ, quæ ex putredine nascuntur. Cap. 8. De generatione & natura putredinis: quomodo ei inueniendũ sit remedium, & quomodo causæ transpirationis prohibitæ oppugnentur. Et primum de calore natiuo. Cap. 9. Febrium continuarum cum putredine cura per cibũ, potum, pharmaca, potiones, lauacra calfacientia & refrigerantia. Conferendas esse indicationes à febre, putredine, & eius causis. Cap. 10. Inuentis iam indicationibus, per methodum resolutiuam, quod ad curationem pertinet sic administrandum est. Duæ statim indicationes se offerunt putridam curãti, una à febri ipsa, altera à putredine: utraque duplex, respectu scilicet, ad id quod præsens est curandum, & altero ut inhibeatur id quod in generatione est. Iam putredinis quod in generatione existit perspiratio obstructione impedita facit: quam curabis & quod retentũ est uacuãdo per ea quæ obstructionẽ aperiunt, & quod retinendũ est prohibendo per ea quæ cõpescunt affluxum. Cap. 11. Curationem celeriorem futuram, si nullum symptoma oboriatur, quod contrariam priori sanationi præcedentis capitis exigat. Sin minus, uel periculosa, uel tarda erit cura. Plurima sanandi instrumenta paranda esse: uix enim unum aliquod inuenias quod citra ullam noxã magnifice prosit. Cap. 12. Per digressionẽ autem uerissimam esse hanc sententiam, Quòd contraria contrariorũ sint remedia. Cap. 13. Perstat in repetẽdis morborũ, causarum, & symptomatũ generibus: quibus exactius intelligendis tertius & 4. de symptomatis liber legendus est. Glutinosis opponendum quod detergat.

Quando contraria, quando rursum similia adhiberi conuenit. Continentiũ ex obstructione febriũ in uniuersum septẽ indicationes producẽdas esse. Cap. 14. De phlebotomiæ usu in cõtinua febri putrida. Cap. 15. Cõtra diatritarios. Localib. medicamẽtis non esse præterquã in corpore uacuato & puro utendũ. De repercutientiũ & resoluentiũ cataplasmatũ usu & loco. Ventriculum & iecur in omni febri astringentibus esse corroborandum, quod sequenti etiam capite prosequitur.

Ignauiã prodesse aliquando imperitis, ueluti cum lineamentis seducti, affectum iocinoris tribuant præcordijs aut contra. Cap. 16. Multa medicamenta, & ferme uniuersi humani corporis insignibus uisceribus opitulantia, ponit ob oculos. Quibus cataplasmatis doctiores etiã nostri sæculi medici fouere pergunt affectus internos uentriculi, iecinoris, splenis atq; aliorũ curãdos.

Cap. 17. De uictu instituendo in phlegmonis uentriculi & pectoris: & cataplasmatum consideratio quæ congruãt mẽbris spiritualibus: Et de cucurbitis. Cap. 18. Cucurbitulas ante totũ corpus uacuatũ phlegmonis cerebri uetat adhiberi. Reprimẽtia uero (cuiusmodi est rosaceum) ab initio admittit: quibus commodũ admiscet, ut altius descẽdant, acetum: Quod etiam hodie medici imitantur. Cap. 19. Qui meatus aut qui pori sint aperiendi & fluxiles reddendi, pro quorumuis uiscerũ apostematum superfluitatibus expurgãdis. Cap. 20. Breuitatis suæ tractationis in phlegmone interna curãda rationem reddit. Deinde balnei in febre curanda maxi- A mam utilitatem recenset: quod in quauis febri usurpandum decernit, si horum triũ nullum obstet, horror, imbecillitas alicuius præcipui uisceris, multitudo crudi humoris in primis uenis, nẽpe quæ circa iecur, & mesenterium sitæ sunt. Aliter, De balneorũ & cataplasmatum relaxantium usu noxaq;. Cap. 21. De tẽpore uictus administrandi in febribus capita quædam: ut, Vbi phlegmone iecur aut uentriculum præhendit, perniciosum est ante accesionem cibare. Vbi calor siccus & squalens est, statim humectare uictu oportet: Vbi citra siccitatem urens, expectandum donec calor seremittat: &cæt.

Aliter.

Febrium curatio quæ ex humorum putredine oriuntur. Quo pacto curanda sit humorum redundantia, & eorum crassities. De cataplasmatis & perfusionibus, quæ uiscerũ inflammationibus applicãtur. De B balneorum scopis.

GALENI METHODI MEDENDI ID EST DE MORBIS CVRANDIS,

Liber undecimus.



FEBRIVM quas putrescens accẽdit humor, primæ remediorum indicationes dictæ prius sunt. quo loco eas queãdmodũ & duas & tres efficias, docui, etiam si uelis unam. Nunc uero quod in alijs febribus fecimus, ut ex primis generibus C diductis, ad ultimas usq; species diuidendo perueniremus, idẽ & in proposita differentia facere tentemus. illud prius admonentes, quod etiam in libris De pulsuum differentia ostendimus, siue primas differentias, siue prima genera, siue maxime generales ideas, siue quomodocũq; aliter appellare libeat, modo exactam rei notionẽ serues, nihil interfuturũ. Ac febrium quidẽ ipsarũ quemadmodum eas, quas diarias uocamus, cures, in horum cõmentariorũ octauo exposui. pari modo & quẽadmodum cõtinentes, in libro qui illum sequitur. atq; etiã quemadmodũ tertias, hecticas scilicet, in eo qui illi succedit, qui totius operis est decimus. In quibus non propria modo cuiusq;, sed etiã communium pleraq; explicaui. Nunc quemadmodũ quæ ex putrescẽtibus humoribus excitentur, me- D thodo sint sanandæ, aggredi statui. Quæ curationem indicant, prout in duo diuiduntur, affectus quem curamus, & partium ægrotantis temperies sunt. Licet autem ea (ut dictum est) & una summa interpretemur, dicentes unam esse omniũ morborum cõmunem curationis indicationẽ. nempe cõtrarietatẽ ipsam, qua rursus diuisa, duas existere: morbo scilicet ex ijs qui sibi contraria sint, adhibẽda remedia indicãte: laborantis uero temperie, unã cum ipso morbo, cõtrarietatis mensuram definiente. Porrò dictum in illis est ambientẽ quoq; nos aerem unã efficere indicationẽ posse. & cum primã sectionem in duo tantum facimus, ambientem uel ægritudinis causis, uel sanitatis annumerandum esse. At uero cum sanitatis causæ sint omnia quæ sanitatẽ efficiunt, una certe earũ est quod auxilium remedium'ue uocatur, quod pro uarijs rationibus & ultima & prima sanitatis causa recte dicitur. Quippe tempore ultima erit, propterea q; tempore & natura & ars & fortuna priores eo sanitatis causę sunt. Prima uero est, quatenus id laborantis corpus tangit, alteratq; eius affectũ, ac propter alterationem quam id facit, cum ægra corpora ad sanitatem perducuntur, ars & artifex sanitatis causæ fiunt, non quòd hæc morbos primũ summoueat, sed quòd alia materia ad id cõmoda intercedente, quod auxilium appellatur. Siquidem sanguinis missio, quam phlebotomiam uocant, ipsa quidẽ per se hoc quod iam dictum est, nomẽ possidet. At cum homini malũ affert, ex causis fit morbificis: contrà cum prodest, ex sanis. Ac propterea cum proficit, uocatur auxilium, sicut profecto omnis materia quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore iuuat, auxiliũ dicitur. Ad eundẽ modum & ambientis propriũ pro natura sua nomen est aer. Relatus tamen ad nos: aliàs auxilium, & sanitatis causarum una efficitur: aliàs ijs cõtrariarũ, nempe morbificarũ. At quoniam aeri tum ex præsente cœli statu, tum anni tempore, tum regionis natura, suæ in humido, sicco, calido, & frigido mutationes accedunt: ex illorum rursus uno quoq; aliæ particulares indicationes oriũtur. Ac fortuna quidẽ, & ars, & artifex, materiarũ interuẽtu agũt: natura uero per seipsa. Ea ex tribus his partibus cõstat, ex spiritus, & earum partiũ, quę uere dicũtur solidæ, substantia, (quas alibi ex semine genitali conditas esse monstrauimus) & tertia ab ijs carnosa, quæ cuiq; particulæ est sua. Singulę autẽ iam dictarum triũ propriam pro natura sua tum qualitatem habent, tum quantitatem. Ac qualitas quidem earũ ex cõgrua temperie humidi sicci, calidi & frigidi consistit. Quantitas uero solidarum partium par semper manet, sed ijs qui adhuc inaugentur, numero duntaxat: qui uero absoluti iam sunt,

etiam magnitudine. Carnosæ uero substantiæ magnitudo uariatur, etiam si præterea non augeatur animans. Pari modo & spiritus substantia tantum non quolibet momento, tũ minor, tum maior cõspicitur. Ergo etiã supra ea quæ indicationes præstare prius diximus, uirtus uel sola ijs tribus substantijs, quas modo comprehendimus, simul enumeratis additur: uel si temperamẽtum seorsum sit discretum per se. Atq; hoc ipsum rursus bifariam quoq;, ut ostensum est, scinditur, & in originalem naturam, & in acquisititium affectum: sic nimirũ, ut ex istis, & alijs quę prius dicta sunt, propria quędam cuiusq; remediorum sit indicatio. Sæpe autem adscita temperies ad efficientes causas reducta, illis indicationem concedit.

2 Ad hunc itaq; modum ex ætate, uitæ studijs, & consuetudine, indicationẽ remediorum suggeri diximus, cõsentireq; inter omnes iam dictas indicationes. Siquidem in ijs quæ magis sunt generales, cõtineri semper quæ magis sint speciales. Agi uero in usum quæ magis sint particulares, scilicet ex magis generalium sectione inuẽtas. Prima nanq; omniũ curationis indicationũ quæ ex ipso qui curat̃ morbo accipitur, contrarietatẽ præscripsit. At quoniã morborũ plura sunt genera, cuiq; eorũ sua erit contrarietas. Verũ cætera in præsens omittãtur. Proponatur autẽ nobis ad præsentẽ disputationẽ dũtaxat, morbi quẽ curamus genus in intemperie esse positum. Id igitur per contrariam ipsi intemperiem sanabitur. At quoniam uniuersi febrium generis intemperies est calor, nimirum per frigiditatem curabitur: sic omnes indicatiões inter se concordant. Nam siue dixerimus absoluto sermone febrem per contraria sanandã esse, siue adiecerimus, per ea quæ contrario sunt temperamento: nulla pugnantia in sermone erit. Similiter nec si per frigida sanandam febrem esse dixerimus. Sed nec si diuidentes id dicamus aliquando sanare nos febrem per ea quæ actu frigida sunt, aliquando & per ea quæ potestate, aliquando & per ea quæ ex accidenti refrigerant: aut etiam ista coniungẽtes, nulla pugnãtia cum ijs quæ dicta sunt in sermõe erit. Pari modo nec si quis dicat, quæ actu, potestate, uel ex accidenti calfaciãt, ea febres deteriores reddere quàm prius fuerant. Contrà quæ actu, potestate, uel ex accidente refrigerent, ea febres sanare. Quippe indicatio quæ ab affectu sumitur, in tot numero particulares indicationes est diducta. Hæ uero rursum ipsæ particulares indicationes materias inueniũt, iuxta eas methodos quę in opere De medicamẽtis sunt traditæ: quando illarum principium id est, in quo finita est curandi affectus diuisio. Ac maxime quidẽ propria in soluendo morbo intelligitur curatio, sed per abusionem etiam circa mistum genus, tum ex uera curatione, tum prouisione, quam προφυλακτικὴν appellant. Ac diariarum quidem febrium, & hecticarũ, uera & propria curatio est. Earum uero quę ex putrescẽtibus excitãtur humoribus uocata curatio, προφυλακτικὴν quoq; sibi adiunxit, cuius officiũ est causam, quæ morbum creat, adimere. Sanè nomi-

A natur hæc ipsa quoq; artis pars, curatrix, quæ utiq; ab ea quæ pure syncereq; prophylactice dicitur, in eo distincta est, quòd sub hac iam sensibiliter ex ipsa causa morbus est genitus, in prophylactice uero est futurus, atq; nominibus quidem quisque prout uolet utatur: (id enim semper monere oportet) sed remediorũ indicationem quæ à rebus singulis præstetur, seruet: quando si uel unã aliquam earum prætereat, ad portionẽ tum magnitudinis illius, tum facultatis, curatio claudicabit.

3 Porrò quemadmodũ ab affectu ad materias præsidiorum peruenimus, eodem modo ab singulis reliquorũ generũ primorum descẽdendum ad eas est, ueluti à uirtute. Nã ea morbo ceu aduersatrix est opposita. Propositũq; medico est huic omni ratione opitulari ac subuenire. Ergo quis primus est à uirtute scopus, aut quęnam indicatio prima? Nam hic quoq; loqui pro arbitrio possis, scilicet uirtutem ipsam unum scopum ac primum statuens: quod uero ab ea indicat̃, alterum & secundum. Itaq; cum monstratum sit uirtutem sui custodiam præscribere, sicuti morbum se tollendum, erit rursus in uirtute secundus scopus, ipsius custodia, sicut in morbis, ipsorum sublatio. At uero custodia similium exhibitionem indicabit, sublatio cõtrariorum. Quoniã uero uirium substantia tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis cõpletur: ex ijs quæ similia sunt, moliri cuiq; suam διαμονὴν, id est custodiam conueniet. Spiritui ex respiratione ac trãspiratione, &, qui ex sanguine

C attollitur uapore. Liceat uero hic quoq; uolenti, uel græce ἀέρωσιν, quasi aerationem dicas, uel sanguinis attenuationem, uel in halitum solutionem, uel utcunq; libuerit appellare. Solidorum uero generi, ex solido nutrimento. Carnoso generi, per eã naturam quæ in medio humidorum ac solidorum corporum est. Porrò cuiusque horum modum ex conseruandæ substantiæ modo inuenies, qualitatem uero ex ipsius temperie. Cum uero horum cuiusq; uel optima temperies sit, uel aliquatenus uitiosa: quæ quidẽ optima est, semper seruari debebit: quæ uero omnino uitio non caret, hæc in sanis quidem uel seruanda est, uel alteranda: in ægris uero seruanda est, ea ipsa scilicet ratione qua prius ostendimus maximam esse à consuetudine indica-

D tionẽ, quippe uel temperamentũ originale ipsam seruare, uel adscititium inducere. Præstari uero (ut prædictum est) modi auxiliorũ indicationem ex eo temperamento quod iam præsens sit: ita nimirum sicut ex ætate, non quam æger prius habuerit, sed quã nunc habeat. Cum uero diuersitas non parua sit in partium animalis temperamento, propriam cuiq; mensuram fore eorum quæ ipsi sint similia. nẽpe ei quæ terrea magis est, eorũ quæ magis sint terrea. & ei quæ humidior est, eorum quæ sint humidiora. Ad eundem modum & ei quę magis aerea est, eorum quæ plus huius substantiæ in se habeant: sicut calidiori, eorum quæ magis substantiæ igneæ participẽt. Hinc uero iam materias particulares omnes in cibis, potione, aere, & omnibus peragi solitis, inueniendas esse. Vbi uero se cum

cum pugnauerint indicationes aliquæ, superius comprehensa methodo ad ea quæ agenda sint inuenienda utendum esse: perpensis scilicet eorum quæ indicent, tum magnitudine, tum dignitate. Ostendimus enim eligendas eas indicationes esse, quas digniora maiora'que indicantia præscribent. ac dignitatem eorum, uel uitæ uel sanitatis respectu iudicandum. Magnitudinem uero duplicem esse, uel propriæ substantiæ ratione, uel declinationis à naturali habitu. Ergo ab his iam methodis agedum exercitemur in genere febrium, quod ex putredine nascitur.

4 Quoniam putredo uel æqualiter in omnibus subsistit uasis, uel in maximis, maximeq; principalibus, (ea porrò sunt inter alas & inguina) uel una quapiam particula quæ uel phlegmonen in se habet, uel etiã citra phlegmonen, ueluti in foco quodam principium febris in se cõtinet: in singulis his differentijs seorsum exercitari conueniet. Ac primum eam tractandã proponemus quæ uel in maximis uasis, uel simul omnibus consistit. Quæ igitur ex tali affectu oritur febris, planè necessum est synochon, id est continentẽ esse. Nec fieri potest ut ea sanetur, nisi inhibita prius putredo sit. Porrò ea inhiberi, causa manente, nõ potest. Quare summouenda ipsius causa est: si modo putredo ipsa prior, mox post ipsam febris sanari debebit. Ergo quæ causa putredinis est, quę se per omnia uasa æquabiliter diffundit? Sanè reuocare in memoriã prius cõueniet quænam aliàs putredinis indicata sit causa: ac deinde cur pari modo in omnibus animalis partibus fiat, inquirere. Ergo ostensum est, ubi morborum causas reddidimus, illa tantum putrescere corpora, quæ cum calida humidaq; natura sint, neq; perflata, neq; uentilata, in calido humidoq; loco maneãt. Quòd si in motu sint, uentilenturq; ac perflentur, posse ea non putria integraq; seruari: potissimũ quæcunq; corpora sua ipsorum natura reguntur, ut animalium & stirpium. Ea nanq; (sicut in opere De naturalib. facultatibus est proditum) ab initio congenitos secum motus habẽt, quibus superflua excernant. Ostensum nõ minus & in alijs duobus libellis est, quanta sit tum respirationis, tum pulsuum utilitas ad perflatum uentilationemq; corporis, atq; eius natiuũ calorẽ tuendum. Itaq; si quid in eo manifeste putrescere debebit, dictas transpirationes impeditas esse oportet. At uero qui fieri potest, ut illæ per totum animal sistantur, nisi uel finibus uasorum stipatis, uel tota cute? Porrò accidere in finibus uasorũ stipatio potest, uel ex uehementi extrinsecus refrigeratione, uel ex succorũ qui contenti in ipsis extrorsum cõfertim ruerint, crassitudine, multitudine, uel lentitia. Accidit hoc illis & ex ijs exercitationibus, quę in palæstra uel aliàs obeuntur, & itinere laborioso, uel ambientis statu, cum ex rigore in æstum subito est mutatus. Nonnullis uero feruentes ex ira succi, ac foras simul impetu ruentes, dictas stipationes effecerunt. Quisquis igitur propositam sanaturus est febrem, hic simul causam eius adimat oportet, simul calorem qui in animali excitatus

A ab ea est, refrigeret. Ac quemadmodum quidem ille sit refrigerandus, prius est dictum. Causam uero adimi oportebit propria cuiusq; naturæ inuenta contrarietate: utique si ex frigida causa stipatũ densumq; redditũ corpus est, relaxato eo, omniq; ratione rarefacto: sin ex obstructione ita est affectum, hac reclusa. Quod uero recludet, hic quoq; ad contrarietatis indicationem attentus inuenies. Vbi nanq; abundantia humorũ est, hos uacuabis. Vbi crassi sunt & glutinosi, tenues eos ac fluxiles efficies. Si plures causæ aliquando coibunt, omnibus per contraria occurres. Siquidem fieri potest, ut & coarctatum corpus sit, & exigui meatus densati, & multi simul ac lenti humores subsint. In eiusmodi autem causarum complexu, si recte quæ B prius comprehẽsa sunt, meminimus: cœpisse à sanguinis missione conueniet: ac abundantia uacuata, tum ad extenuandos humores uenire: ab hoc ad remittenda quæ sunt constricta, & rarefacienda quæ sunt densata. Atq; hęc quidem à morbi affectu indicatiue sunt sumenda.

5 A uiribus autem (quoniam has cibi, potiões, & spiritus certa mensura & apta qualitate exhibita, seruabunt, inuentus autẽ est quantitatis eorum modus ex uirium substantia: qualitatis uero à temperamento) nimirum æstimari debebit, quemadmodum uires quę corpus regunt, in his se habeãt. Quippe si ualentes sint, audacter uacuãtibus presidijs uteris. Hæc autem ab affectu morbi fuere accepta. Sin infirmiores sint redditæ, uacuãtia reme C dia cautius administrabis. Sed & nutrimenti modus hinc tibi est desumendus. Quippe cum uires legitimum robur suum habent, & morbi summus uigor breui futurus expectatur, tenuissimo uictu licet uti. Cum sint infirmiores, non licet sine graui noxa. Sed adijcere ad nutrimenta tantum oportet, quantum est de robore uirium imminutũ. atq; ex his scopis accipiendus est nutrimenti modus. qualitas uero, ex morbi affectu, unà cum solidorũ corporum, quod tum est, temperamento. Ab affectu, si is obstructio est, quæ extenuet. A naturali ipsorum temperie, unà cum consuetudine, prout etiam prius est definitum. Tempus uero nutriendi, quod quidem ad reliquas spectat febres, quæ ex putredine oriuntur, in progressu sermõis dice D tur. Quæ uero unicam tantũ à principio ad finem accessionem habent, (de his nanq; præsens est sermo) in his facilis toleratio & consuetudo spectari debebunt. quando cibus illis eo tempore est offerendus, quo facilius quàm in cæteris morbum tolerant: eoq; potissimum diei tempore, quo prius in sanitate cibari erãt sueti. Etenim facillime cibũ ferent, si ex his considerationibus assumẽt. Quod autẽ frigida quoq; ijs qui ita laborant, sit exhibenda, cum scilicet iam succi concoquuntur, & crassitudo eorum extenuata est, id ex ijs quæ prius sunt comprehensa, manifestum arbitror

6 Siquidem cum eiusmodi febris communia quædam cum ambabus habeat, tum ijs quæ ex humorum ortæ putredine circuitibus quibusdã accessionẽ habẽt, tum ijs quas diarias uocamus, me

rito in utroq; genere de ipsa mentionem facimus: cum unicam accessionem habeat ut diariæ, cæterum ex putredine orta multos duret dies. Itaq; unum cũ diarijs cõmune habebit, duo cum ijs quæ ex putredine ortæ multos durant dies. Reliquum continentium febriũ (quas synochos uocant) genus duo habet cum diarijs cõmunia: nempe & q sine putredine sit, & quòd absq; circuitu. Tertium uero commune non est, cum subinde in quintum porrigatur diem. Atq; harũ quidem cõtinentium febriũ prodita prius curatio est. Continẽtium uero quas putredo excitauit, curatio, cum utriq; generi communis esset, etiam nos in ambobus locis de ipsa disserere coegit. Cæterum substantia earũ totaq; natura ex eo est genere, quod nunc nobis proponitur. In uno autem eorum quæ ipsis acci- B dunt, cum diarijs conueniebant. Id fuit, quod una in totum totius morbi accessio erat. Ergo & curatio earum, unum hoc duntaxat cõmune cum diarijs habeat oportet: in reliquis autem omnibus bifariã diducatur. Atq; aliæ quidẽ curatiõis indicationes, ex cõmuni genere earũ quę ex putredine sint ortæ, accipiantur: aliæ ex propria earũ substantia. Ad eundem uero modum & cæteras natarum ex putredine febrium differentias sanari conueniet: nempe (sicut sæpe prius dictum est) indicatione tum à communi ipsarũ genere, tum uero à cuiusq; propria differentia desumpta.

7 Ergo denuo repetẽtes dicamus primũ quot sint febrium, quas putredo accẽdit, in uniuersum differentiæ: deinde quæ'nam sit ipsius generis ea- C rum cõmunis utiliũ auxiliorũ indicatio: mox quę sit singulatim cuiusq; propria. Par est enim profecto & quod omniũ earum cõmune est, cõmunem habeat indicationẽ: & quod in singulis est diuersum ac propriũ, quãtum à reliquis eiusdẽ generis est diuersum, in tantũ & diuersam ab illis sortiatur indicationẽ. Sunt igitur natarũ ex humoris putredine eiusmodi differentiæ. Vna ex eo quòd causæ ipsius putredinis adsunt, uel non adsunt. Secunda ex eo quòd per totum animal, aut eius partem aliquã, diffusa putredo sit. Tertia quatenus cũ phlegmone est, aut citra hanc. Igitur considerandũ nobis est quid nam commune habeat indicatio, quæ à causa sumitur adhuc manẽte: quidnã ea quã putredo ipsa prestat: ab his deinde, quid indicatio pu- D tredinis quę per totũ diffunditur animal, aut certe maxime principalia in eo uasa: quid eius quę in una consistit parte: mox deinde earum, quæ in una quadã parte sunt, æstimabimus differẽtias. Quippe aliam esse indicationẽ eius, quæ cum phlegmone cõiungitur, ratio est: aliam eius quæ sine hac cõsistit: rursus in his etiam ipsis, aliam esse præsente adhuc effectrice causa: aliam uero hac summota: postremo cuiusq; causæ adhuc manentis differentias, per omnia quæ in specierũ diuisione sunt inuenta. Siquidem hic iam desinat necessum est indicationes, quę ex curandis sumuntur affectibus: post has uero eas nimirum quæ ab ipsis curandis suggeruntur particulis, pro iam dicta methodo sumemus. Quibus si eas quę à uiribus prębẽtur, adie- A cerimus, absoluta nobis methodus de febribus omnibus à putredine incensis sanandis erit.

8 Ergo ordiamur ab eo quod primum in diuisione indicãs fuit. Ea erat humorũ putredo. Ac cõsideremus quibus maxime indicãtibus, quibusq; indicationibus usi, curationẽ eius inuenire possimus. Principiũ uero inuentionis, ipsa erit rei natura, qua de agitur. Etenim id quoq; in demonstrandis methodis didicimus. Quæ'nam igitur est putredinis natura? Nempe mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelã, à calido externo. Non enim profecto à proprio calore corrumpitur quicquã: imò cõtra prorsus quicquid in rebus subsistit, id gliscit, roboratur, sanũ est, ac uiuit, dum proprio calore regit: ueluti nimirũ ipsa animantium corpora tametsi plurimam substantiæ suæ portionem humidam & calidam sunt sortita, magnum tamen annorũ numerum sine putredine, ac sana uiuaq; exigunt, si seruetur (ut mõstratum est) eorũ proprius calor: in cordis quidẽ corpore, per respirationem: in reliquis omnibus partibus, tum per cõmunitatẽ quàm habent cum corde, tum per aliam quãdam respirationis speciem, quæ per totam agitur cutẽ, & transpiratio perspiratióue dicitur. His uero læsis, unà etiam naturalis calor læditur. Alter uero quidã alienus, ac præter naturam in corporibus excitatus, primũ quidem ipsos succos propter humiditatẽ & putrefacit & corrumpit, spatio uero tum adipem inuadit, tum etiam carnem. Tanquam igitur in ijs corporibus, quæ non uiuunt, ac putrescunt, primum quãtum eorum iam computruit, separant, dein ei quod reliquũ est, in frigidũ aerem sublato, perspirationẽ refrigerãtem moliuntur: ita utiq; & putredinem, quæ in uiuis est orta, sanabimus, id scilicet q̃d iam corruptum est, omni ratione uacuantes: quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu, ad exactam symmetrian reducẽtes: ac uacuationẽ quidem illius per urinã, deiectiones, uomitum, ac sudores, moliemur. Post hanc dimotiones mediocres, unà cum ambiẽtis bona tẽperie adhibebimus. Quẽadmodũ autẽ horum quodq; recte administrandũ sit, paulo post æstimabimus. Nunc ad secundum in diuisione trãseamus: nempe quemadmodum quis causæ quæ putredinem excitauit, adhuc manentis remediũ facillime inueniat. Est autem neq; in hoc difficultas ulla: quippe cum per contraria tollatur. Itaq; quoniam transpirationis prohibitio, putredinis occasio fuit, hanc arbitror summouere oportet. At ea cum uarijs generibus est orta, & densatis exiguis meatibus, & constrictis corporibus, & humoribus tum abundantia, tum crassitudine, tum lentitia sua obstruentibus: singulæ harum affectionũ curandæ per contraria sunt. Densitas per ea quæ rarefaciunt. Constrictio per ea quæ fundũt. Abũdantia per ea quæ uacuãt. Crassitudo per ea quę dissecant: & lentor ijs quæ detergent. Ac siquidem totum corpus dictorum iam singula occuparint, etiam toti corpori per contraria est succurrendum. Sin unam partem quampiam putredo inuaserit, illi adhibenda

iam dicta sunt remedia. Sanè non easdem omnes partes uacuationes medicamẽtáue requirẽt: cum & temperamentis, & situris, & forma, & omni deniq; constitutione naturaq; inter se dissideant.

9. Ergo quemadmodũ singulis sit opitulandũ, id postea pro cõueniente sermonis ordine disquiremus, cuius initium à putredine, quæ totum corpus occupet, quę ipsa cõtinuas quoq; febres, quas synochos uocant, excitet, faciemus. Ergo à corporibus, quæ sic afficiuntur, expellenda quæ putruerunt, per urinas & aluũ & sudorẽ sunt, quòd si ad os uentriculi aliquando sua sponte impetum capiant, etiam per uomitiones. Aliter autem nõ est quòd ea præter naturã irrites. Ac eorum quidem quæ iam dictas uacuationes promoueant, nõ parua materiæ copia est: sed maior eorũ portio, cum calida siccaq; facultate sit, febrem auget. Itaq; deligenda medico sunt ea quæ citra calfactionem siccationemq; ualentẽ supradictas uacuationes præstent: cuiusmodi sunt cremor ptisanę, & aqua mulsa, & oxymeli, & apomeli, & apij radix in aqua, quæ potui datur, incocta. Hæc autem ipsa uentri quoq; sunt idonea. Qui si nihil reddat, inijcienda per clysterem aqua mulsa cum oleo est. Sanè totũ corpus, priusquã id uacuaris, rarefacere non expedit, ubi uacuatum est, utiq; licebit id medicamẽto aliquo, cui calor tepidus insit, rarefacias: cuiusmodi est quod ex chamæmelo conficitur. In hoc tempore si uinũ quoq; aquosum bibatur, id omnes uacuationes promouerit. idem faciat & temperatũ dulcis aquæ lauacrum. Quòd si appositũ aliquando in dictione uocabulum dulcis non sit, utiq; id subaudire debebis, certo sciens de eo nos in febricitantibus lauacro semper loqui, nõ bituminoso, aut sulphureo, aut aluminoso, aut chalcanthode, aut salso, aut ex marina ipsa. Cæterum, ubi magnitudo febris obstat, sicut in continentibus: nec uino est utendum, nec lauacro, nec ijs quæ habitum rarefaciãt unctiõibus, sed aqua frigida, sicut prius diximus pota, in his febribus est aptissima: nisi tamẽ aliquid eorum quæ prædicta sunt, hanc quoq; prohibeat. Quippe ipsius febris frigida pota perpetuò est remedium: non tamen putrescentiũ humorum per aluum, urinas, uel sudorem uacuandorum. Quo magis exercitatũ esse in ijs, quas nunc tradimus, methodis oportet: ac in ægrotãtibus cõsiderare, & quæ sint ipsius febris remedia, & quæ ipsius, ubi per se sola subsistit, putredinis: quæ rursus efficientis hanc causæ, atq; huius quoq;, cum per seipsam subsistit. Quippe non semper inter se consentiunt hæc omnia, sed plerũq; aduersantur. Quo casu memores eorũ quæ didicimus, id quod maximum omnium est aggredi oportebit, atq; ei uel soli, uel magis quàm cæteris subuenire. Sanè scire licet, difficile esse, acriq; iudicio indigens, febrem, putredinem, & effectricem causam, ubi scilicet ipsa quoq; adest, inter se cõferre. difficilius tamen est si uires quoq; cum illis unà conferre uelis: quod utiq; sicut ante cõprehẽsum est, propter uitę ipsius respectum semper est necessariũ. Aliquãdo uero & ex accidenti, sicut ad morborum sanatio-

A nem. Hoc uero me ostensurũ promisi. Siquidem quod putrescit, si uestis esset, aliudúe inanime corpus, utiq; ex ijs duntaxat quæ prædicta sunt, indicationem caperemus. Nunc cum in uiuẽte corpore putredo concipitur, quod tum alterare potest, tum concoquere, tum utile reddere quicquid putrescentium ueluti semiputrescens semimalumq; est: utiq; facultatẽ eius, qua naturaliter cõcoquit, excitans firmansq;, quæ putrescẽtia sunt, sanabis. Itaq; etiã tum maxime eos cum fiducia, uel in balneo lauamus, uel ijs quæ habitum rarefaciant, medicamentis utimur, uel aquam frigidam, uel uinũ bibendum damus, cum notas humorum concoctionis cernimus. Neq; enim pulsus duntaxat uires ad eiusmodi agenda, firmas requirimus, ueluti B nec eius facultatis, quæ uolũtarium motum præstat: sed sicut est dictum, ipsius potius concoctricis. Ergo si & uires cunctæ ualentes sunt, & febris ardentissima, & concoctionis notæ planè euidentes, frigidam homini dare audacter debebis. Constat nanq; talem hominem senem nõ esse, ex quo omnes illi uirtutes ualentes esse proposuimus. Quòd si etiã bona corporis habitudine sit, quod εὔσαρκον Græci uocant, tum status cœli calidus, ac siccus, etiam si in frigidam natationem hunc dimittas, haudquaquã lædetur. Eiusmodi nãq; temporis opportunitate usi qui sese in frigidam coniecerunt, & protinus omnes sudarunt, & nonnullis eorũ aluus biliosa reddidit. At si mediocris est febris, & uires non ualidæ, sed cum notis cõcoctio- C nis: ijs qui ita se habent, balneum prodest, & uini potio, tum uero ex unctionibus eæ quæ rarefaciunt. Idq; multo magis cum ambiens est frigidus. Neq; enim aut frigidam in balneo lotionẽ, aut frigidam potionẽ, in eiusmodi cœli statu ferè expetunt, utpote inspirationibus ipsis assiduè refrigerati, cum si quando in frigido ambiente uehementer uri ægrotum contingat, exigua salutis eius habenda spes est. Si uero nec concoctionis habeat signa, nec uires ualidas, seruari is planè non potest, quo minus aut idem lauãdus in balneo est, aut medicamentis ijs quæ rarefaciant ungendus, aut uinum illi dandum, frigidáue offerẽda. In quo enim desperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit, apud uulgum infamare præsidia, quæ mul- D tis fuere saluti. Ipse siquidem aliquos noui ex amethodis istis medicis, qui cũ ea quæ nos gessimus, essent imitati, ijsdemq; præsidijs in ijs qui prorsus morituri erant usi, adeo nihil profecerunt, ut etiã tempestiuũ eorũ usum suspectũ formidolosumq; reddiderint. Verum nos tempora præsidiáque ijs quos seruari spes est, scribimus: quando ægris qui insanabiles sunt, ijs nec tempus ullum opportunum, nec præsidium est. Atque hoc mihi per omnem sermonẽ teneri memoria uelim: quo minus præcipua illa primaq; omnium curationis indicatio cõuelli aliquãdo posse uideatur. Quippe cum dicat Hippocrates, contraria esse contrariorũ remedia, quid uetat omñibus febricitãtibus frigidam uno ordine exhibere? Verum nec exhibenda est, nec subuertitur eo tempore generalis omnis curationis

tionis indicatio. Vnum enim ex iis quæ actu refrigerant, aqua frigida est. Sed & alia plura sunt, quæ partim potestate (ut dictum est) refrigerent, partim ex accidenti, quorū aliis propter concursum pugnantium inter se indicationum aliàs utimur. Porrò tradita iam methodus est, eius quod conducit, ante alia semper deligendi. Ostensum præterea est, ipsius febris, prout febris est, aquam frigidam semper esse remedium. quod uero ad alia spectat, non semper: ueluti cum ex obstructione glutinosi & crassi humoris putredo oritur. Ponatur uero & cum hoc redundantiam in toto esse corpore, tum uirtutē non imbecillam. In eiusmodi nanque complexionibus cum multa præter naturam in corpore sint, quædam eorum præcedentes causæ erunt, ueluti redundantia cū glutinosis & crassis humoribus. Horum enim uitio obstructio est orta, quæ morbus instrumentalis est eorum quæ obstructa sunt corporum. Hanc symptoma secutum est ipsa transpirationis retentio: quam rursus putredo humorum excepit, ipsa scilicet febris antecedens quædam causa.

10 Ergo qui febrem curare uolet, necesse est putredinem inhibeat. Ita duæ indicationes se exhibent: altera à febri, altera à putredine. Atque à febri rursus duæ, scilicet ut portio febris quę iam accensa est, percuretur: quæ uero in generatione est, inhibeatur. Aliæque duæ rursum à putredine erūt indicationes: ut & quod putredinis iam factum est, sanes: & quod in generatione adhuc est, sistas. Porrò quod in generatione est, id perspiratio impedita facit. Ita ab hac quoque aliæ duæ indicationes nascentur, tum ut quod retentum est, uacuetur: tum quod retinendum est, prohibeatur. Sanè prohibebitur iis præsidiis quæ obstructioni medentur. Cuius rursum ipsius quod iam occupauit, sanandum est quod futurū est, propulsandum. At curabitur quidem quod obstructiōis iam factum est, per ea quæ obstructa liberāt. propulsabitur quod futurū est, si affluxum obstruentium succorū compescas. Ergo quod ultimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omniū in curatione est peragendum. Ostensum enim in prioribus libris est, si iis auxiliis quæ obstructiones eximant, uti non uacuata prius abundantia uelimus, fore ut nō modo nihil proficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus: pugnantibus scilicet inter se indicationibus. At si uacuata prius multitudine ad curandam obstructionē accedamus: medicamentis iis quæ obstructiones expediāt, erit opus. Verum quoniā horum plurima calida sunt, metus est ne, tum putredinem, tum febrē augeant. Itaque iis quæ citra calorem liberare obstructiones ualeant, utemur. ubi aūt quæ obstruūt, detersa dissectaque sunt, per aluū, urinas, & sudorē, ea uacuare tētandum. Cum uero materiæ quæ hæc efficiant, etiā calidæ sint, necesse est interea, tū putredinē augeri, tum febrē. Quare quoad licet, id agendum, ut quæ minus calfaciat, materia deligatur. Aut si qua inueniri potest, quæ nō calfaciat, quemadmodū in hoc casu balneum, utique ea est petenda. Hoc uero tempore etiam uires roborare, quò putredinē superātes, succos cōcoquant, studebimus. Quod uero febris ipsius iam accensum est, id refrigerabimus. In auxiliorū enim inueniēdorum ordine, ultima est quæ ab hac sumitur indicatio, quāuis alia ratione sit prima, quippe cum à febri cœperit inueniendorum præsidiorum methodus.

11 Ac si nullum quidem interim uehemens incidat symptoma, prohibeatque quo minus auxilia ab initio morbi ad finem ita procedant, celerrime finietur febris. Sin tale quippiam incidat, quod totam ad se curationē reuocet, necesse est serius adueniat curatiōis finis. Siquidem quod ita interuenit, omnino uel contrarium est remediis, quæ ante dictum causarum affectuum & symptomatum ordinē sanent, uel omnino nihil saltem confert. Enimuero si eius quod interueniat sanatio antedicto præsidiorū ordini sit cōtraria, necesse est interim cuncta deteriora reddi. Si nihil originali affectui interuenientis obiter mali correctio, nec officit, nec prodest, totius curationis celeritati in mora erit. Si autē nocet, necesse est aut uniuersam medicationem in longius spatium trahi, aut aliquod subsequi periculum, aut etiam fore utrunque. Finge nāque exēpli gratia, afflicto interim stomacho syncopen incidisse, cui succurrere coacti cibum intēpestiue dederimus, ac uinum cum frigida. Ex horum enī usu, tum obstructionē, tum corporis coarctationē, tum putredinē auctas esse necessum est: atque ex harū auctu, ipsam etiā febrem. Verum ubi tū uirtus satis ualens est, nec quicque interuenit, cuiusmodi quā modò diximus ex uitio stomachi ortam syncopen: sed nec quæ aliquando accidere possunt, aut sanguinis profluuium, aut uigilia, aut dolor, aut error aliquis, uel ipsius ægrotantis, uel eius familiariū: ubi inquā nihil tale accidit, totus qui proxime dictus est remediorū ordo, hominē profectò sanabit. Sed nec ipse tamen quocunque remedio omnia quæ præter naturā sunt, sanat. Nam aqua mulsa, quod ad crassos succos extenuandos, & glutinosos detergendos, & excretionem promouendū attinet, optimū planè medicamen fuerit in iis synochis, quos habitus coarctatior, & putredo excitarunt. Quatenus uero calorē febris adauget, est noxia. unde si hic immodicus sit, parcendum aquæ mulsæ est, utendum ptisanæ cremore. Quòd si difficiles ac contumaces esse obstructiones iudicaueris, etiā oxymelite. At hoc ipsum rursus si immodice utare, & intestina radit, & tussim excitat, & neruosa lædit. Adeo scilicet difficile est eiusmodi aliquod auxiliū inuenisse, quod citra ullam noxam magnifice prosit. Id accidit (ut dictum est) ex cōplexione ortorum in corpore, præter naturam affectuū, unà cum præcedentibus eos causis, & sequentibus symptomatis.

12 Nunque tamē propterea pręceptū illud, quòd contrariorū contraria sint remedia, aliquando uerum erit, aliquando falsum: imò id perpetuò uerū est, quando fieri non potest, ut eorum quæ præter naturam sint quicque, per aliam ullam remediorum speciē curetur. Non tamē ex usu est semper omnibus

bus quæ præter naturam sint, mederi, sed cum sola per se subsistunt. Nam si cum alijs unà incidant, alijs sæpe est ante illa medendum: sicut in cauis ulceribus, ubi ea simul cum phlegmone sunt cõiuncta. Quippe uerũ in his quoq; manet, quod per ea quæ carne implent, curantur. Cæterum, his uti priusquã phlegmonen curaueris, nõ licet. At interim dum hæc sanatur, ulcus cauum adeo non melius quàm fuit redditur, ut etiam fiat magis cauũ. Quòd si ijs quę carne impleãt medicaminibus uti uelis, neq; ipsum impleueris, & phlegmonen auxeris. Quæ nanq; carne implent, ea demũ implere possunt quæ phlegmone uacãt, nõ quæ phlegmone adhuc sunt oppressa. Hoc itaq; quod in dictione tam est breue, nempe cõtraria contrariorũ esse remedia: potestate deprehenditur maximũ. Quippe omnem medendi methodum confundet, quisquis hanc indicationem neglexerit: cum omnia quæ præter naturã sunt, ab ijs quæ ipsis sint cõtraria, curentur. Cum autẽ eorum quæ præter naturã sunt, duplex prima differentia sit, alijs per se subsistentibus, alijs in ipso (ut sic dicam) fieri essentiam suam habentibus, ac umbræ ritu affectus comitantibus, sanatio quidem affectuũ ipsorum est sublatio: hanc uero symptomatũ amotio sequitur. Quibus quanquam ipsis nihil prima ratione adhibetur, attamen in ijs quoq; perpetuum illud præceptum manet, quòd contraria cõtrariorum sunt remedia. Quippe cum affectus, quos symptomata sequuntur, sanamus, symptomata nimirum ipsa in contrarium statum perducimus. Quare quæcũq; symptomata exiguorum meatuum densitas inuexit, ea rarefactione tollentur. Quòd si ipsi quoq; symptomati quod ex densitate spiramẽtorum est natum, hoc est pauciori quàm iustum sit defluxui, quem paulò ante perspirationem impeditã diximus, symptomatum genus aliud contrariũ opponere uelis, ne sic quidem desit quod dixeris. Sunt nanq; plura iusto defluuia, iusto paucioribus contraria. Adeo si cui etiã in symptomatis ipsis libet cõtraria contrariorũ remedia dicere, in ijs quoq; stat immotus primus ille omniũ quæ præter naturam sunt, curationis index. Verũ satius est (ut prædiximus) eorum quæ uere & primum curãtur, id est affectuum in corpore qui uerè sunt subsistentes, cõtraria esse remedia existimes. Quippe actiones eorũ, atq; etiã offensas, esse quidẽ tales ut fiãt, fatendum est: non autem simpliciter quòd sint, dicendum est. Nam manum extendere, aut flectere, ex ijs quæ absolute sunt, dici nõ possunt, sed ex ijs quę fiunt. Multoq; minus ipsius immobilitas: quę ipsa quoq; symptoma est eius qui in musculis neruisúe subest affectus. Sed affectuum qui ex subsistentiũ numero est unus, cõtraria postulare remedia: hunc uero solutum contrarium sequi statum, quæ sanitas est. Atq; hanc rursus quandã naturæ actionem, quæ symptomati iam finito sit contraria. Sed nec nominibus falli, quæ sæpe alia forma proferunt, ꝙ ut contrarijs cõueniant. Sæpe enim planè non sunt, sed ex ipsa rerũ natura cõtrarium inuenire, habens scilicet quò pro illo discernendo

A species, confessum illud, contraria esse quæ sub uno genere plurimũ inter se distent. Ergo si in illo genere quod mediocre est, intellexeris, id uero est, ut sæpe monstrauimus, quod inter extrema est medium, infinitam quandam cõtrariarum rerum multitudinem, quæ maioris minorisq; ratione inter se dissideant, ex eo inuenies. Verbi gratia, In affectibus tenuiũ spiramentorũ symmetriã intelligens, ex utraq; parte duo immodica, quæ inter se sint cõtraria, inuenies. In actionibus uero symmetriam uacuatorum considerans, ipsi quoq; ex utraque parte ametria respõdet. Verum in paruis spiramentis nomina excessibus non desunt, nempe dẽsitas & raritas. In uacuatis posita nõ sunt. Eoq; fit, ut cogamur plures paucioresq; effluxus dicere: ita nimirũ ut si densitatis raritatisq; nomina nõ essent, spiramenta etiam ipsa, alia minora iusto esse, alia maiora, dicere cogeremur. Ergo (sicut diximus) hoc maxime cauere debemus, simul etiã in eo nos exercitare, quò celerius cuiusq; sic dicti cõtrarium inueniamus. Non enim in corporum modo qualitate, uerum etiam in quantitate eiusmodi contrarietatem inuenias, quã utiq; Aristoteles oppositionem uocat, non cõtrarietatem. Neq; enim magnũ paruo uult esse cõtrarium, sed in eo quod ad aliquid dicit, oppositũ, neq; multũ pauco, sed nec rarum denso, neq; relaxatum contracto, neq; ipsi quod secundum naturam est, id quod præter naturam est. Verum Hippocrati omnia id genus contrariorum habent appellationem, sicuti etiam Platoni, qui generationes ex contrarijs esse dicit. Ostensum quoque à me in alijs est, nec Aristotelem ipsum, suam ipsius legem in nominibus seruasse, quo loco principia eorũ quæ natura reguntur, materiam, speciem, & priuationem statuit. Verum quod diuinum Platonem secuti semper testamur, cõtemnere nomina oportet, minime autem scientiam rerum. Ea nanq; ad salutem hominum pertinet: erroris'que in ea finis est pernicies. Nominibus siue proprie siue improprie utare, ad ægrotos id parum attinet. Intelligas id clarius, si nõ contrariorum contraria, sed quemadmodum illis placet, opposita sibi inuicem esse remedia dicas. Siquidem copiam sanat uacuatio, defectum nutrimenta: in summa, quod exuperat, ablatio: quod deficiens est, adiectio. Itaque etiam in alio opere rectè arbitror à sene dictum: Medicina appositio est & detractio. deficientium quidem appositio, redundantium detractio. Porrò deficiunt redundantq; quædam in quantitate, quædam in qualitate. In quantitate cum sanguis immodice est auctus, aut rursus minor redditus. In qualitate cum uel calidus, uel frigidus, uel crassus, uel tenuis plus iusto minúsue est effectus. Siue igit̃ contrarietatem, siue oppositionẽ nominare libet, eius indicationis medendi quæ ab omnibus, quæ præter naturam sunt, præbetur, semper meminisse debebis, eiq; esse intentus: potissimum quidem, ut dictum prius est, in affectibus: sed tamẽ & in symptomatis, quamuis horum nec primum curatio sit, nec proprie contrarietas, sed curatio quidem

simul cum affectibus, ex accidenti: contrarietas A uero, lucidioris scilicet breuiorisq; doctrinæ causa loquentibus abusiue.

13 Verum ad medendi indicationes propositi nobis febriū generis reuertamur. Repetamusq; singula genera, quæ in nobis præter naturā sunt, non causarū modo, uerumetiā morborum & symptomatum. Et causarū quidem genera, sunt multitudo, & crassitudo, & lentor humoris. Causa simul & symptoma est transpirabilis excrementi retentio. Simili modo causa pariter & affectus est ipsa putredo. Morbus uero, tū obstructio, tum febris ipsa. Symptoma uero est ipsa transpirabilis excrementi retentio. Ergo indicabit (ut dictum est) præcedētium causarū quælibet propriū aliquid, multitudo ipsa quæ ex eorū est numero, quæ sunt ad B aliquid prædicamēto quantitatis, uacuationē. lentitia uero & crassitudo, quæ sunt in qualitatis affectu, sanationem quæ per contraria perficiat. Cum uero in plerisq; oppositionibus consueta nomina non sint, accidit ut qui in rerū scientia minus sunt exercitati fallantur. Cum enim uno nomine nequeunt quod animo concipiunt, nominare, id, ceu prorsus non sit, dimittunt: quemadmodū profecto in glutinosis & crassis succis faciunt. Quippe crassus succus ex aduerso oppositum habet tenuem. Glutinosus uero (sicut ipse primus Græce nominaui) τὸν ῥυπτικὸν, quasi detersiuum dicas, sicuti uero aliquis dixerit qui à solidis corporibus nominandi occasionem acciperet, friabilem. Siquidem hoc pacto semper uidetur Aristoteles op C positionem facere: uerum non in succis (ut dixi) sed in solidis ipsis corporibus. Quod si glutinosi humoris naturam sub ea ratione intelligas, quòd quicquid tetigerit, huic ægre dissolubilis adhæret; nō immerito (arbitror) eum qui nec adhæret, & ea quæ adhærent deterget, contrarium ipsi statues. Et accidentium quidem causarum contrarietates abunde sunt dictæ. In instrumētali uero morbo, qui est obstructio, contrarium ei est Græce ἔκφραξις, quam reclusionem (puto) dixeris. Symptomati uero quod est transpirabilium retentio, excretio ipsorum contrarium est. At uero in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & uentilatio, & semiputridorū concoctio, ex aduerso respondent. Ipsius uero febris refrigeratio op D positio est. Porrò quibus methodis materiā, quæ singula modo memoratorum perficiat, inuenias, iam diximus. Pugnantibus igitur his (sicut diximus) aliàs aliæ tum indicationes uincent, tum materiæ. indeq; factum est, ut quidā cum ignorassent unam semper dari ex re quaq; indicationem, ac si præter naturam sit quod indicet, cōtrariū id semper indicare: sin secundum naturā se habeat, non contrariū, sed simile: nec medendi hi, nec sanitatis tuēdæ methodū cōstituere potuerint. Siquidē cū in primis ipsis indicationib. sunt lapsi, multo profectò magis in ijs quę secuturæ erāt, decipi debebāt. Debēt enī (arbitror) ædificijs fundamēta iaci firma, & scaphis poni idonea carina, si quid ædificiorū pangendorūq; in ijs futurū est firmū. Vbi enim prima ipsa basis statim ab initio debilis fuit, quî fieri potest, ut quod superstruxeris, futurū infirmum non sit? Itaq; quoniam in continentibus ex proposita stipatione febribus, (neq; enim grauari debemus iterum, atq; iterum sermonē repetere, quò nunc saltē medicorum uulgus ueram methodum cōdiscat) quoniā inquam septem præter naturā posita sunt, à quibus indicationes sumuntur, humorū multitudo, crassitudo, lentor, obstructio, transpirationis retētio, putredo, & febris carens intermissione: atq; hęc cōtratria omnino esse adhibenda docebant: præter hæc uero ab ijs quæ secundū naturam se habebant, positæ indicationes sunt, ex temperamento, tum ipsius laborantis partis, tum reliquarū omniū quæ principes sunt, ex substantiæ ipsarum quātitate, & ex spiritus ipsius substantiæ, tum quantitate, tum qualitate, horum uero indicationes non contrariorū erant, sed similium, ad ista uerò (sicut diximus) dignoscenda, tum ętas, tum cōsuetudo, tum omnes quæ externæ morbo causæ fuere contulerunt, utiq; ortis hinc quoq; indicationib. nō paucis: oēs profectò inspicere simul medicum decet: quò. s. intelligat quonam primum ac magis, quonam minus & secundo, quonā adhuc & tertio, atq; deinceps quo post quod pręsidio sit utendum.

14 Quippe si uires eius qui ex putredine humorū (ut positū est) febricitat, ualentes sint, mittēdus statim sanguis est. si cruditas uētris non sit, statim morbo incipiente. Sin uires infirmæ sint, aut ætas dissuadeat, incidēda uena nō est. Porrò dictum supra est eiusmodi febrem in uirtutē imbecillam nō incidere. Quippe synochos bene habiti corporis, ac calentis ætatis propria est. At si in puerum incidat, qui quartum decimum annum hactenus non attigit, mitti illi sanguis non debebit, propterea quòd tantillis, cū præsertim calidi ac humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie defluat, ac digeratur. Ita quod ex incidenda uena moliendū nobis fuerat, id ultrò nobis ex curati corporis natura præstat. Quòd si corpus quartūdecimum annum excesserit, æstimandū est qualis nam eius natura sit, num gracilis & spissa & dura & copiosi sanguinis, an contrà. Atq; ita in priori missionem sanguinis adhibebis: in secunda nequaq;. Quinetiam modus uacuandi sanguinis ex ijsdē indicantibus sumetur. Si enim cui sanguis mittitur, triginta annos natus sit, sed laxus, & mollis, & pinguis, & albus, & gracilib. uenis, huic aut plane sanguinē non mittes, aut parū detrahes. Et omnino quidē non mittes in tēpore ęstatis, & regiōe æstuosa, & cœli statu calido ac sicco. Parū detrahes in reliquis, tum anni tēporibus, tum regione, tū cœli statu. Etenim si neq; obstructio subesset, nec putredo, sed sola succorū redundātia, protinus à missione sanguinis, pro naturæ suæ ratione se haberet. Itaq; tantū succorū in omni tū corporis temperamento, tum regione, tum anni tempore, tum statu cœli detrahi par erat, quantū supra naturalē statū fuerat inauctum. Verum quoniā nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem po-

teſt, ut quæ alia remedia (ceu prius eſt monſtratum) deſiderent, reponi ſanguinis aliquid ad curationis ſpatium debebit, quò minus intempeſtiue nutrire neceſsitate ulla cogamur. Quantũ nanque ad eiuſmodi pertinet febrem, prorſus nutriendum non eſt. Siquidẽ oſtenſum prius eſt ſolum uirtutis reſpectum eſſe, qui de nutrimento indicationẽ præbeat. At uero quantum ad id, quod inanitum corpus eſt, nutrire oportet. Ita neceſſum eſt duorum alterum, aut febrem ſi nutris augere, aut uires ſi non nutris deijcere. Satius itaq; fuerit (ut dictum eſt) aliquid ſanguinis quod propriũ partib. animalis nutrimẽtũ ſit, relinquas: ac ipſe pauciſſimas ſorbitiones potionesq; exhibere ſis contentus, quibus utiq; ceu medicamentis potius quàm nutrimentis egemus.

15 Nam id quoq; ſupra (quò minus multa de ijſdem adhuc loquamur) eſt oſtenſum. Imò de cataplaſmatis ac præcordijs perfundendis eſt loquẽdum. Quippe pleraq; medicorũ turba unũ quiddam hoc quoq; ex methodicorum iſtorum curãdi ſanctionibus ſtatuit. Omnesq; ſicuti poſt tertiũ diem nutriunt, ita etiam oleo prius perfundunt. Inde uno die interpoſito rurſum nutriunt, cataplaſma prius imponentes. Quòd ſi cui aluus eſt adſtricta, etiam hanc clyſtere ducentes. Itaq; his ſaltem autoribus ordinandi uictus artem, una hora quis didicerit? Verum non ita ſe uera res habet. Sed cũ ars ipſa tota ſit magna, non leuiſsima eius pars eſt ſcientia ordinandi uictus. Quæ utiq; ex his maxime remedijs conſtituitur, cibo, potione, perfuſione, cataplaſmatis, & clyſteribus. Quippe ijſdem medici cum ſanguinis miſsionem in principio etiam ſolam adhibuerint, reliquam omnem ægri curationẽ uictui mandant. Itaq; (ut dixi) unius horæ eſt uictus eorũ diſciplina: quòd ſi qui diſcit, ingenio ualeat, ne huius quidem integræ, ſed minimæ eius partis, in qua. ſ. quæ nunc dicam audiſſe licuerit. Qui febricitant, ſi ualentes uiribus ſint, omnibus ſanguinem ab initio mittes, perfuſosq; oleo poſt tertiæ acceſsionem, uel mulſa cum alica nutries, uel ſorbitione. Deinceps uero alternis cibabis diebus, ſed cataplaſma ex arto melite prius imponens. Sicubi uero aluus adſtricta fuerit, clyſtere hanc duces. Atq; illorum quidem uniuerſam ordinandi uictus artẽ, in his uerbis iam audiſti, non utiq; in ſex menſibus, ſed ſex uerſiculis. Veram autem diæteticen, id eſt uictus ordinandi artem, nũc audies. Calfacere præcordia cataplaſmatis, aut perfuſionibus, non eſt perpetuò tutum: ſed in ijs tantum ęgris, quibus in toto corpore nullum erat ſuperfluum. Cæteris omnibus extrema eſt pernicies. Nam ſiue redundantia utrauis ſit, uel quæ ad uires, uel quæ uaſorum continentiam comparatur, ſiue etiam in una parte pluribúsue uitioſa excrementa ſint, omnia ad partem excalfactam trahuntur. Quoties enim uidiſti præcordia cum planè phlegmone carerent, intra quatuor dies quàm ea gregales iſti medici perfundere cœpiſſent, phlegmonem contraxiſſe, cum ego etiam id ipſum tibi prædixiſſem, iuſſiſſemq; diligẽter ad phlegmo-

A nem futuram attentus eſſes. In quibus id maxime intellexiſti, quantum malum ſit uſui, qui alienus à ratione ſit, inſueſcere? Qnippe hi cum ex ijs quæ ipſimet faciunt, phlegmonas ſemper excitent, id non animaduerterunt, ſed ijſdem ſemper erroribus implicantur: ueluti Hippocrates ijs accidere dixit, qui hinc & inde oſsium fracturas cum ulcere deligabant. Etenim illi cum phlegmonas in ulcere crearent, non tamen deſtiterunt: rati id adeo non ex deligatura, ſed alio quopiam errore incidiſſe. Et quomodo, quæſo, ad aliam curationis rationem ſe tranſtuliſſent, qui uſum ſine ratione profitebãtur, ex ijs quæ tum ipſi ſemper facere eſſent aſſueti, tum præceptores ſuos ante ſe facere contemplati. Siquidẽ huius generis homines ne

B tentandum quidem cẽſent, ut ex indicatione quicquam ſumant, ſed ſola experientia ſunt cõtenti. At Hippocrates ab ipſa rei natura idoneũ curationis modũ inuenit. Quo poſtea in uſum ueniente, cognitum eſt quantus eſſet in priori error. Quin ſi quis in eiuſmodi affectibus, cataplaſmatis & perfuſiõe ex oleo relictis, uelit ad curationẽ quam ratio docet accedere, ipſe quãtopere aberrent, qui plethorica & quæ parum pura ſunt corpora ſic curant, haud magno negocio experientia ipſa iudicabit. Sanè accidit ut in eiuſmodi morbis diuites potius quàm pauperes perperã curentur. In his enim propter ipſorum delicias duplex peccatũ nõ raro cõmittitur, & quòd ſanguis non mittitur, & à medicis impenſior. ſ. adhibetur diligentia, ut quotidie

C aliquid circa ægrotantis corpus fiat. Ac inter initia quidẽ ſanguinis miſsionẽ maior eorũ pars propter mollitiem nõ admittit, tametſi magis quàm pauperes redundantiæ ſanguinis affectibus ſunt obiecti, ut qui magis tum cibis ſe impleãt, tũ in ocio uiuant. Medici uero qui eos curant, ubi ſummum remediũ eſt omiſſum, aliorũ uſu ſarturos ſe quod deficit, putant. Huc accidit quod ipſi quoq; ægri, ſi quis uictu contra morbũ minore cum negocio inſtet, negligentiã rati, ſi quis rurſum quiduis agat diligentiam, cogunt eos præcordijs aliquid quotidie admouere, ſed nec inuitis profectò ipſis medicis: ut qui facere ſemper aliquid uideri uelint: q; ſic ſe maiorem mercedẽ accepturos ſperant. itaq; accidit, ut illo ipſo tẽpore phlegmonæ diuitibus

D incipiãt, quo iam pauperibus morbus propemodum perductus eſt ad finẽ. Quippe miſſo in propoſitis febribus inter initia ſanguine, non pauperibus modo, uerumetiã diuitum ſeruis, plurimis quidem quinto, aliquibus ſeptimo criſis contigit, nemini ſerius. At diuites, qui & ſanguinis copiã, & excrementorũ plus quàm pauperes & ſerui habẽt, cum ſanguinis mittendi pretermiſere remedium, ac quotidie tum calido oleo perfundantur, tum laxantibus cataplaſmatis utantur: phlegmonen nimirum aliquam uel in iocinore, uel uẽtriculo, uel reliquorum iſtic uiſcerum aliquo contrahunt, alij in quarto, alij in quinto, om̃es planè in ſexto. Nec oblitus arbitror es eius qui dum perfunderetur, difficultate ſpirandi laborauit: omni ſuperuacuo ad ſeptum tranſuerſum caloris ui tracto. Ergo nõ

hic

hic modo perijt, sed alij quoque infiniti quotidie pereunt, cataplasmate ipso cucurbitulæ ritu corporis superuacua in uiscera trahēte. Nō defuerūt profecto & qui cucurbitula quoque ipsa sunt usi, eo tātū consilio, ut circa ægrotantē aliquid semper moliri uiderent. Saluberrimū aūt (ut prædiximus) est in febribus uenam incidere, nō cōtinentibus modo, uerumetiam alijs omnibus quas putrescēs humor concitat: ubi præsertim nec ætas, nec uires prohibent. Leuata namque quæ corpus nostrum regit natura, exonerataque, eo quo uelut sarcina premitur haud ægre quod reliquum est, uincet. Itaque proprij muneris haud oblita, & coquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Eorū enim quæ in medio sunt corpore (ut isti uocant) prouidentia, ubi detractus sanguis non est, maximū planè est malū: ubi detractus est, nō maximum. Quanque sic quoque noxia esse in synochis febribus potest, quippe deusta immodico calore uiscera etiā amplius deuruntur ac torrent. Ergo eiusmodi prouidentiā illi duntaxat requirent, quibus in una particula putredo constitit, si tamē hi quoque sanguinem prius miserint. Prouidebitur autem his, non sicut triuiales isti medici prouidēt, qui statim inter initia relaxāt: sed in plurimis prorsus contra. Relaxantia namque remedia sicuti quod in membris cōtinetur, euocant: ita si in principio sint admota, pro eo plus attrahunt. Cum enim adhuc ad affectū locum fertur fluxio, reprimere remittereque hanc expedit, non ad ipsum attrahere. Quæ uero reprimentia dicuntur, quæ adstringendi certe uim obtinent, in principijs idonea sunt duplici ratione, & quòd robur affectis particulis inferunt, (unde minus prompte affluxum excremētorum in se recipiunt) & quòd eorum quæ in ijs iam contenta sunt, tenuissimum extrorsum exprimant. Quod si tum fluxio humorum per ea remedia cōpescitur, tum densitas quæ ex adstringēdo in affecta particula relicta est, crassiora detinet, iam tempestiua relaxatio est, quò ea quæ retenta sunt uacuet. Præcipue autem adstringentibus est utendum, ubi in iecur aut uentriculum superuacuum profluit: quando & è primoribus admodū hæ partes sunt, & munus suum obeant uel in ipsis morbis: est necessum. Porrò est non exiguum eorum munus, qualeque reliquarum partium, quibus illud modo negocium est, ut id quo nutriātur cōficiant: uerum quòd tantopere animalis intersit, ut si neque in uētriculo probe alimentū fuerit cōcoctum, nec in sanguinem in iocinore mutatum: utique quod in fame nobis accidit, ut cibi penuria exigere in abstinentia cogamur, idem tum omnibus animalis partibus accidat. Non enim ex ijs quæ deuorarit quis, sed ex ijs quæ in iam dictis uisceribus confecerit, alimentum toti corpori suppeditatur. Atque ob hæc nimirum impensius quàm cætera membra, uentriculus & iecur adstringentia desiderant. Ergo cum ea quæ iam infixa sunt, euocandi tempus est: tum quoque modice adstringi postulant. quod enim adstrictionis in principio largius ijs quàm cæteris partibus adhibetur, id ser-

A uandum assidue est, nimirum manente, qui id indicet, usu. Vsus uero est (ut paulo ante testati sumus) nutrimenti confectio. Si igitur per imbecillitatem parum recte cōcoxerint, non modo assumpti cibi nulla est utilitas, sed etiam uentriculo non raro ex eius corruptela lacessito, expellitur quoque aliquid prioris. Ita fit, ut duplex iam noxa toti corpori accedat: cum nec ex cibo sumpto nutriatur, & aliquid ex eo qđ sibi reposuerat, amittat. Huc accedit & quòd ciborum concoctio, siue ea in iocinore siue in uentriculo sit improspera, febres intendit, ac succi uitio exacerbat. Quò magis in omni febri, ciborum concoctioni prospicere magnopere oportet. Atque eius rei causa roboris quoque instrumentorum quibus perficitur, nō leuis habenda est cura. Sanè aliqui sunt (ut Hippocrates ait)
B qui ex eo quod ignorant, nō parum lucrifaciunt. Arbitrantur enim iocinoris se phlegmonen relaxantibus præsidijs curare, ex eo scilicet famam sibi cōparantes, quòd in agnitione falluntur. Siquidem uidentur nonnunquam lineamenta musculi, qui à costis thoracis ad præcordia peruenit persimilia iocinori. Mirum aūt minime arbitror, eos qui nec aliud quicque in arte probè didicerunt, nec in agnoscendis affectis partibus se exercuerunt, sic laudem aliquando consequi.

16 Verum istos mittamus. Nos uel si minima suspicio sit iecur uentriculúmue laborare, absinthium protinus oleo concoquemus, ac eas particulas perfundemus. Cum autem duplex in omni
C absynthio facultas & qualitas sit, ueluti in libris De medicamentis est traditū, utique in pontico adstringendi facultas non parua est. In reliquis omnibus amara quidem qualitas est uehementissima, adstrictio uero (quā saltē gustu agnoscas) aut planè obscura, aut prorsus nulla sentit. Proinde ponticum ad iocinoris & uentris phlegmonas eligi præstat. Porrò id est tum folio, tum flore longe quàm cætera absinthia minore. odor quoque huic nō modo nō insuauis, uerumetiam aromatum quid præferens, reliquis omnibus planè est fœdus. Quare hæc fugere conueniet, uti autem semper pontico. Etiam reliquorum medicamentorū in quibus mista cum amaritudine adstringendi uis, aliquid in oleum conijcere, atque ad eundem modū uti licet.
D Ostendimus namque in opere, quod De medicamētis inscribitur, amaram qualitatem præire, ac uiam adstringenti facere. Quò fit, ut medicamentum id genus, omnibus quæ tantum adstringant, sit præstantius. At si quidem intēdere adstrictionem studes, etiam oleum ipsum adstringendi uim habeat, cuiusmodi est & quod Hispanū uocant, & quæcunque cum frondibus oleæ præparare solent, uel quale est crudum, quod Græci ὀμφάκινον uocāt. Sin leuiore uti adstrictiōe placet, aliud olei genus præparabis, præcipue quod tenuium sit partium, quod genus Sabinum est. Optimum tamen ubi adstringere uehementius est opus, Histricū oleū est, ut quod ambas in se uirtutes habeat, & amaram, & quæ adstringat. In penuria uero absinthij inter initia uel melinum, uel mastichinum, uel lentiscinum

tiscinum satisfecerit. quòd si exigua febris sit, etiã unguentum quod ex nardo componitur. Esto autem optimum id quoq;: neq; enim parum interest inter id, & quod uitiosum est, cũ id quod Neapoli in Italia conficiunt, nomine tantum nardinum unguentum sit, si cum eo quod in Asia fit conferatur. Id antea Laodiceæ tantum componebatur, nunc etiam in multis fit oppidis. Quòd si inclinatio febris in qua ista moliris, non admodum sit mitis, abstinebis à nardino, uteris autem hoc tempore rectius melino: aut si id non est, lentiscino, ab hoc uero mastichino. Omnibus nanque his nardinum unguentum ualentius excalfacit. Quare si reliquorum copia non est, rosaceum illi admiscebis. Sanè myrtini adstrictio idonea non est, cum crassiorum sit partium quàm ut alte descendere possit. Atque hæc quidem exempli gratia protulimus, nam magnam eorum copiam deligere ex medicamentorum libris licet. Ad eundem uero modum & cataplasma compositam uim habeat ex ea quæ tenuium sit partium, ac relaxet, tum uero ex amara & adstringente. Superet autem in ijs, ubi scilicet tũ reprimere, tũ robur addere studeamus, quod adstringat: ubi tenuare ac deterge re, amarum: ubi euocare, quæ ex relaxantibus tenuium maxime sint partium. Siquidẽ quæ crassæ substantiæ sunt, ea pus mouentibus monstrauimus esse accommoda. Cum autem definitum in opere De medicamentis sit, & quæ uel solam obtineant adstringendi qualitatem, uel amaritudinem, & quæ ambas possideant qualitates, maxime deligenda sunt quæ ambas habent. ubi ea non adsunt, ipse amara ijs quæ adstringant, miscebis: ita nimirum uti nos in iocineris phlegmone, ex copijs præsentibus cõponere cataplasma uidisti. Erat enim is qui ægrotabat, medicus, quẽ iam lucernis accensis inuisimus, quo tempore ab ijs qui talia uenditant nihil emi potuit. Ergo cum inclinatam notabiliter febrẽ inuenissem, utendũ occasione quàm primũ censui: eò certe magis, quòd supe ctam horam quæ gallicinio futura erat, alterius accessionis initiũ allaturam uerebamur. Incoxi in oleo quidem absinthium, in aqua uero malum cotonium. Dum autem hæc coquebantur, myrobalani expressæ retrimentũ, & ireos radicem, quę intus inuenerã, cõtudi cribrauiq;: dein olei & aquæ, quæ parauerã, portionẽ in lebetem immisi, ac ubi modice coxerã, myrobalanũ & irim unà cum exigua cera inieci. Coquimus aũt cotoneum non in aqua modo, uerumetiam persępe in austero uino. Ac omnibus eiusmodi cataplasmatis, de ipsa quoque cotonei carne interdum admiscemus. Quippe ubi & quod cõfluit copiosum est, & particula ipsa infirmior, adstringentẽ uim (sicut scis) inaugemus. Vbi uero tum corpus totum purum est, nec membrum ipsum imbecillũ, nec ultra quid cõfluit, ibi in ijs quæ miscenẽ materijs, minimũ quidem sit quod adstringat: copiosius uero nõ solũ quod relaxet, sed etiam & quod amarum est, & quod acre. Quòd si exigua febris sit, ac phlegmone non adeo calens, tum æger ipse inediã tolerare ualeat:

A hoc casu digestoriã quidem curandi speciẽ intendes, adstringentẽ aũt remittes. Neq; enim amplius ipsi saltem phlegmonę cõducere possunt, quæ adstringunt: ubi nec affluit quicquam, & crassus humor affecto loco tenaciter est infixus: sed (sicut prædictum est) trahendæ parũ curationis, ac quæ adstringant miscendi cõsilium probamus, quò robur membrorum tueamur. Vnde nec colo laborante, nec reliquorum intestinorum quouis, nec musculis qui in præcordijs habentur, aut ipso peritonæo, miscenda adstringentia sunt. Sed nec cum uesica male habet uterúsue, modo (ut dictum est) nihil ultra ad locum fluat: nec sanguinis redũdantia, nec excrementorũ copia, in toto sint corpore. Porrò renes & pectus in media prædictorũ con-

B ditione sunt: quantum scilicet à uentriculi iocinorisq; solicitudine absunt, tantum reliquorum supergressa. Siquidem in uentriculo ac iocinore resolui robur est perniciosissimum: in illis minime est periculosum. In his uero est quidem periculosum, non tamen perinde ut in illis: nisi si pus educere ex pectore, aut pulmone aliquando sit opus. De liene pronunciare absolute nõ est, nec nisi prius definita tum corporis totius natura, tum uero affectu, qui curationis tempore occupauit. Nam si uel æger ex ijs sit, qui atræ bilis excrementũ naturaliter congerant, uel etiam eo tẽpore succus is in eo abundet, necesse est in liene curãdo adstringentia reliquis admisceas, quo uisceris robur custodias. Ita enim & excremẽta ad se trahet: & cum

C corpus expurgarit, ipse rursus per uentriculũ excernet: ueluti in Naturalibus commentarijs de ijs est proditum. Sin nullum omnino sit atræ bilis excrementum, aut omnino adstringendum non est, aut parcissime. Obseruandum uero diligenter est nõ in liene modo, uerũetiã in omnibus partibus in quibus humor putrescit, quod symptoma maxime sit uehemẽs, quod secũdo loco, aut tertio, quò uidelicet affectu ex ipsis planè inuento, idoneam ei curam adhibeas. Aliàs nanq; in mẽbro affecto calor superat: aliàs tumor, qui uel propter abundãtiam humoris, uel propter crassitudinẽ sit durus. Si igitur calor præponderat, id agendũ, ut sensim per ea quæ tepentem calorem obtinent, digerat: quod genus est tum lini semen, tũ chamæmelum, quibus adijci uel hordei uel fabarũ farina debet:

D quippe quorũ neutrũ excalfacit. Sæpe aũt (uti nõ ignoras) quod medici artomeli uocant, pro cataplasmate eiusmodi phlegmões præparamus, atq; aquæ aliquid miscemus, ad lienem uero etiã aceti aliquando aliquid. Si uero laborãtis phlegmone partis calor nõ multum à natura excesserit, sed magnitudo eius notabilis fuerit, digerere haud timide sine aqua debebis, etiã fœnigręci aliquid supra dictis immiscens. Si ueluti scirrhosa duritie phlegmone sit propter humoris quẽ cõtinet uel crassitudinem uel lentorẽ, tum aceti aliquid, tum amara medicamẽta simul immiscenda curabis: potissimum in liene. Etenim uiscus hoc propterea q̃ ab iocinore crassum humorẽ trahit, eiusmodi humoris occasione plerunq; laborat. Quo magis cataplasmata

plasmata, quæ ex oxymelite & absinthio & cappari fiunt, illi sunt idonea. Hæc igitur cum medicorum uulgus ignoret, omnes oleo perfundunt, & cataplasmatis relaxantibus curant, priusquam corpus uacuetur: omniumq; maxime diuites, quibus non solum in talibus obsequuntur, sed etiam eos lauari in balneo permittunt. Ego uere nec eorum qui ex putrescente humore febricitent, lauē quenquam: nec relaxantibus cataplasmatis priusquam superuacua purgarim, utar. His uacuatis, nō solum audacter lauem: sed etiam cataplasmatis utar: in aliis quidem membris, iis quę relaxent: in iocinore uero ac uentriculo, additis etiam quæ mediocriter astringant.

17 parcius uero ad pectus q̃ ad ea est adstringentibus utendū: quando talia humores qui phlegmonem excitant, in pulmones & cor nonnunquam reprimunt. Ac cibis potius horum firmitudini est consulendum. Neq; enim sicut in iocinore & uentriculo, ita hic quoq; tenuissimo uictu est utendum, in illis nanq; alimentum concoquitur: metusq; est ne ipsis phlegmone laborantib. nec nutrimentum rite concoquatur, & phlegmone augeatur. In pectus uero tantum alimenti iam concocti peruenit, quantū uni ipsi particulæ nutriendæ satisfaciat. Ac longe quidē magis in pulmonis phlegmone abstinendum ab adstringētibus est: quando in eo ipsis quoq; relaxantibus admiscendū aliquid acrium quodammodo & euidenter calfacientium est. Quippe foras trahere potius, quàm reprimere, in eo debemus. Itaq; etiam cucurbitula utiliter iis qui sic laborant, si prius sint uacuati, applicabitur. Si uero abundantia succorū (quam uocant πληθώραν) in his sit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transferet, quàm ex toto corpore attrahet in utrunq;.

18 Eadē ratione nec in cerebri & eius mēbranarum phlegmōis, cucurbitulis in morbi initio utemur: uerum ubi nec influit adhuc quicq;, & totū corpus prius est uacuatum. At reprimentibus in his quoq; inter initia utendum. Sed cum ossibus cranii medium occupantibus, in altum descendere reprimentium uim cupimus: eorū quæ præire ac deducere ea possunt, aliquid reprimentibus admiscebimus. Ea sunt quorum substantia ex tenuibus partibus constat. Sanè acetū nō modo tenuium partium est, sed etiam non mediocrem reprimendi uim obtinet. Quo profecto rationabilius in principiis affectuū ipso utuntur, rosaceo admiscentes. Procedēte uero tēpore etiā spōdylii ac serpilli (quibus iam nō modo partiū tenuitas, sed etiam calor inest) aliquid admiscēt, quo scilicet tēpore transire ad ea quæ cōcoquant ac digerant conuenit, atq; hęc utraq; ualētiora quàm postulet ipsa pars phlegmone affecta deligere: ceu uirib. eorū per ea quæ intersunt ossa remittēdis. Sanè ad eum modū & castoreo utimur: cū tamē eo in aliis phlegmonis minime utamur, quamuis etiā in summa inclinatiōe sint: est enim calidius id quàm ut phlegmonis sit idoneum. At uero locis circa cerebrū phlegmonis ipsis iam inclinantibus est utilissi-

A mum: quoniam non continuo his, sed ossibus interuenientibus occurrat. Inest autem eiusmodi pharmaco & partiū tenuitas, quod ipsum iis quorum per densum obicem transmitti uim oportet, est accommodum.

19 Illud te profecto nō fugit, nos singularū particularū meatus qui iis ad superuacuorū emissionem sunt proprii, fluxiles reddere. Intestino, uentriculo, & mesenterio, & concauis iocinoris, intestinum rectū. Renibus, uesicę, iocinoris gibbis, uenæ cauæ, & arteriæ magnæ, & omnib. quæ in lumbis habent, eum qui urinis est delatus. Pulmonib. & pectori, ipsam asperam arteriā & fauces. Cerebro & eius inuolucris, eū qui per palatū & nares descendit. Paritur fluxibilitas iis quidem quæ per B sedem excerni habent, mulsa & cibis iis qui uentrem liquant, & pharmacis quæ modice proritare possunt. Quæ eñ acriora sunt, uitare oportet: quoniā phlegmonas exacerbent. Ad uentriculū uero, iecur, & lienē, siquādo phlegmōe sint uexata, nec mulsa ipsa est utilis, quoniā ilico in bilem trāseat, ac uiscerum phlegmonas augeat. Excrementa uero ut cum urinis excernant, iis medicamentis quę urinas mouent (διουρητικὰ Græci uocant) promouebis. Non secus quæ in pectore & pulmone continentur, tussi (per ea scilicet quæ hanc moueant) uacuabis. Porrò in opere De medicamētis cuiusque materiā didicisti, non eorū modo quæ iam cōprehensa sunt, sed etiam quæ cerebri membranarumq; eius superflua per nares emittunt. Etenim C horum quoq; omnium uberem materiæ suppellectilem in illis cōmentariis habes.

20 Quare abunde sunt ad rē præsentē, quæ hactenus de phlegmone laborātium partium differētia disputauimus. Dicturus eñ plura de iis sum in ea methodo, quæ omniū tumorum qui præter naturam sunt, curationē cōprehendet. Neq; enim in præsentia dedita opera & studio hunc sermonē sum ingressus, sed præter pensum in eum, sequela quadam rerū inuitante, diuerti. Siquidem propositum nobis in hoc lib. non fuit, ut te partis cuiusq; phlegmone obsessæ optimā curationem docerē, immo ut noxam eorum ostenderem quibus cataplasmata in febrib. non uacuato prius toto corpore imponuntur: potissimum ubi intra corpus aliquid D phlegmone infestatur. Quippe si ambiēs ita calet, ut materias ualēter liquet, maior noxa eiusmodi cataplasmatis succedit quàm lotioni in balneo. Quanq; autumāt qui quotidie præcordia perfundunt, & cataplasmatis inducūt: nō modo nullam ex iis noxam, sed etiā magnā utilitatē ægris comparari: contra ex lauando non modo nullam utilitatem, sed etiam maximum incōmodum: scilicet ignorātes sicuti reliquorū omnium quæ circa ægrum administrant, ita & balneorum naturam. Ego uero de uniuersa earum ui in superioribus disputaui plenissime. Nunc tantum dixisse est satis, quibusdam prorsus nihil nociturū balneum, quibusdam minus q̃ cataplasmata. Quòd eñ in præcordiis relaxantia (quæ isti uocant) præsidia faciunt, id balneum in toto efficit corpore. Eoq; cum

in

in remissione febris adhibetur, corpore iam medi ocriter transpirāte, nō exiguum affert cōmodum, omnia ex eo tum fuliginosa excrementa, tum fumida educens. Et siquidem nullius uisceris imbecillitas subsit, proficiet ægrotanti: si tamen horror inter exhibendum non incidit. Tribus enim his in balneo quod in quacunque febri adhibebis, intentus sis oportet. Vni quòd citra horrorem sit administratū. Secundo quòd nullū primæ notæ uiscus sit imbecillum. Tertio quòd multitudo crudi humoris in primis uenis non contineatur. Horror nanque (ut prius dictum est) non solum intendere iam præsentem febrem potest: sed etiam cum non fuit, eam interim excitare. Partes uero imbecillæ liquatos iam humores magis recipiunt quàm antequam liquarentur. Crudorum uero copia in totum corpus digeritur. Horum si nihil obstet, ex balneis duo hæc ægro compendia accedant: & quòd redundantiæ humorum aliquid uacuabitur, & quòd multum febrilis caloris transpirabit. Quòd si præterquā quòd nulla princeps pars imbecilla sit, etiam inferioris notæ partium aliqua sit inualida, ueluti podagricis pedes, & ijs qui articulari uitio laborant (ἀρθριτικοὺς Græci uocant) uniuersi corporis articuli, maxima salutis pars ægro ex balneo cōparabitur ipsis infirmis partibus quę superuacua sunt, excipientibus. Assolent enī non nunquam & citra balneum superuacanea in partes infirmas confluere. A balneo uero magis: utpote tum succis ipsis per id liquatis, tum uijs per quas meent patefactis. Ambo enim hæc ex moderato calore proueniant necesse est, tum ut humores liquentur, tum uiæ dilatētur. Proinde fit ut cū iecur, uentriculus, pulmōes, pectus, uel principū id genus partium aliquod imbecillum sit, maxime lædantur quicunque se lauerint, si illis superuacua in corpore sint: ijdemque ipsi cataplasmate usi, duplex incōmodum sentiant, nullo commodo. Quippe balneū tum corpus totū uacuat, tū quod fumidum est ac fuliginosum digerit. Relaxantia cataplasmata, ac similis facultatis perfusiōes ut nihil boni afferunt, sic superuacuum omne ad imbecillius, quodcunque id circa medium corpus sit, cōtrahunt, siue iecur id, siue uētriculus, siue septum transuersum, siue mesenterion, siue ieiunum, siue colon, renésue sit. Quòd si diligētiam ostētare uolentes, etiam pectus una excalfaciāt: uel in ipsum uel etiam in cor, uel in pulmonem superflua rapient. Voco imbecillam partem uel quæ natura est intemperatior (alij nanque alia sic se habet) uel quæ ex præcedente aliquo morbo intemperiem contraxit, uel quæ in præsenti tempore in hanc sit perducta. Non enim partium omnium quæ aut phlegmone laborant, aut putrescentes humores, aut obstructiones cōtinent, uirtus statim infirma est: prōptius tamen in ijs quoque superuacuum qualecunque id sit, in ægram partem propter calorem quē affectus excitat, fertur. Quippe particula quā obstructio, aut putredo, aut phlegmone obsedit, febris ipsius ueluti focus est. Ergo cum huic propter calorem sua sponte trahenti alia quæpiam occasio extrinsecus ex eis quæ potestate excalfaciant, accessit, necesse est affectū intendi. At uero si quis uti prædictum est, toto corpore prius uacuato relaxantibus curet, ubi scilicet maxima febris non adest, utique prodesse aliquando potest. Tum uero ceu dictum etiam est, lauare citra noxam licet. Cauendum tamē à frigido solio his est: quando & crudi & putrescentes succi, difficiles concoctu redduntur, si quis in eo moretur. Sanè officit ijs etiam si aqua admodum sit frigida: quādo sic affectorum tum corpus, tum uel maxime afflicta particula difflari euaporari'que postulat. Quo fit, ut uel perfundere illos aqua idonea solea mus, uel si moderate quæ in natatione est frigeat, ingredi permissos celeriter exire iubere. In progressu tamen morbi, quo tēpore & absumpta iam superuacua sunt, & tum cruda, tum putrescentia concocta, cataplasmatis relaxantibus, & balneis sine periculo utare.

21 Porrò aptissimum in febribus quæ intermittunt, & repetunt, tempus est cum (uti dictum est) exhalare iam cœperit febrilis calor. Statim enim corpus ad nutrimentum præparant, huius quoque opportuno tempore ex duplici coniectato respectu: nempe summo præcedentis accessionis uigore, & futuræ principio. Ad hæc nanque spectantes, operam dabimus ut quàm lōgissime ab utroque nutriamus. Ergo si spatium quod inter summū prioris accessionis uigorem, & sequentis principium interuenit, satis sit amplum, facile est idoneum tēpus inuenire. Sin exiguū id fuerit, alterum facias necesse est, ut aut ægrū admodum adhuc calentem nutrias, aut sequentis accessionis inuasione iamiā affutura. Quo magis præsagio medici eiusmodi febris indiget, qui primis statim diebus quāto spatio duratura febris sit, conijciet. Quippe si continens fuerit, constat breui finiendam. Si itaque ultra septimum progressura non uidebitur, prorsus continendus à cibo æger est: utique si uirtutem non defecturam conijcimus. Sin ad nonum, aut undecimum, aut quartumdecimum usque progressura uidetur, aut etiam in septimo finienda, cæterum æger uires infirmiores habere quàm ut in tantum tempus sufficiat, necessum erit nutrire: ac deligere sicut in re ancipiti cōuenit, quod minus sit noxiū: distinguendo id discernēdoque ab eo quod magis sit nociturum, idque tum ex loco afflicto unà cum affectu, tum accessionis & principij & summi etiam uigoris consuetudine. Siquidem ubi uel iecur uel uentriculum phlegmone prehendit, perniciosissimum est ante accessionem cibare. Vbi hæc abest, quibus infirma est uirtus, utilissimum. Assolent enim eos qui ita se habent, iocinore quidem afflicto, alui deiectiones unà cum accessionibus inuadere: ore autem uentriculi uexato syncope. In alijs uero animalis instrumētis, quod iam dictis portione respondeat, tum ex situs eorum ratione, tum dignitatis, æstimabis. Ageturque de ipsis postmodū. At summi uigoris & accessionis principij morem sic consideres, censeo. In summo uigore notabis, an citra magnitudinem febrilis caloris

ris siccus sit & squalens, an citra siccitatem urens. A Priorē nanq; humectāte uictu madefacere quam primum oportet. In secundo, dum plurimum caloris se remittat, manere. In principij uero accessionis more æstimabo, an corporis extrema perfrigeret, & magnam sanguinis reuocationem ad interiora corporis faciat, in omnino corpus non premat. Quippe secundū hoc, ceu facile mansuetum ue, contemnes. In priore distinguas oportet. Nam si absq; uisceris phlegmone, aut succorum redundātia, motus ad interiora in accessionibus pollet, nihil offendes paulo ante cibās. Sin uel phlegmone, uel redundantia subsit, cauenda est ante accessionem cibatio, ceu res maxime noxia.

ARGVMENTVM LIBRI DVODECIMI.

Caput 1. In genere disserit de symptomate, quid sit, quot partes habeat qui'ue illorum sint effectus: ostendens primum non esse febrium genera aut differentias, quæ cum huius generis symptomatis consistentur: (ut errent recentiores qui febrim syncopalem ceu genus per se statuunt) De dolore item summouendo obiter docet.

2. Generatim attingit duo symptomata, quæ cum febres nonnunquam comitentur, à nostris appellantur febris syncopes ex humore, & febris syncopes imminuta, B ut sit quasi à pauca materia prognata. Seriatim autem curationem eorum sequentibus duobus capitibus exigit. 3. Febrem syncopes ex humore primum absoluit, quam fieri aiunt à pituita cruda in uentriculo aut propinquioribus illi uenulis abundante aut putrescente, quod fit dum cibus non concoquitur, aut immoderate ingurgitatus est. 4. De altera syncopes febre, quæ à iunioribus dicitur minuta, hoc est ab exigua materia oriunda. Fit enim à bile subtili, putri, participe uenenositatis ueloci & mobili: nōnunquam tam subito & cum malignitate tanta, ut uires ægri tantum impetum perferre non queant ad quartum, sed præmoriantur. Et quoniam sæpiuscule exigua panis mica, apto uino irrorata, animum alioqui interituro reddat illicò: infinita penè uina recitat Galenus, quorum obiter naturam & qualitatem indicat. 5. Adhuc de syncope eiusq; causis. 6. C Syncopalem febrem minutam (ut uocant) quomodo demoliantur: & φ utraq; uitæ periculo coniuncta sit, si quod uiscus phlegmone laboret. 7. Subnectit ordine reliquas causas, unde potissimum syncope possit conflari: primam, dolorem: secundam, uigilias: tertiam, immodicam uentris inanitionē: quartam, motum eorum qui aliena loquuntur: quintam, intemperiem principiorum. Et φ sola sint dolorifica, quæ uehementer uel excalfaciant, uel refrigerent, & quæ substantiæ continuitatem soluāt. Postremò quibus artibus dolores mitigantur. Obiter etiam historiam narrat quadragenarij cuiusdam coli dolore ob acres humores affecti: & aliam alterius colici. 8. Prolixius hic indicat uariorum curationem dolorum, & mitigationem, quos uel sanguinis copia, uel flatuosus spiritus tantum, uel spiritus simul & humor quispiam crassus glutinosusq; excitauerint: uel moles aliqua, uel mordens humor. De narcoticis.

De coli remedijs, cū historia allio liberati. De oculorum & aurium doloribus. De cucurbitula cum copiosa flamma. De tenuibus & acribus humoribus, & φ noceant ori uentriculi. Remedia dolorum ex siccitate.

Conuulsionis species 4.

Aliter.

De febribus, quæ unà cum symptomatis accidunt. Symptomati tantū obsistere, & ipsum symptoma dum morbum curamus auferre, diuersa admodum esse. De dolore. De febribus, quas crudi & crassi humoris copia gignit, quæ quidem ægro syncopen minantur. Curatio eorum qui in syncopen inciderunt. Vini plures differentiæ: & quænam his uina conueniant, qui syncope urgentur. De ijs quibus ex tenuibus humoribus syncopes periculum imminet. De ijs, qui uel ex dolore uehementi, uel uigilia, uel immodica euacuatione, aut mentis alienatione, in discrimine sunt ne syncope corripiantur.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS

Liber duodecimus.



1 ON sunt, sicut nonnulli autumant, eæ quæ cum symptomatis consistunt febres, aut febrium genus ullum, aut species differentiáue: sed ueluti tū alius morbus alij morbo, tum symptoma symptomati D uno tempore, eodem in corpore copulatur: sic & cum febre incidūt quædam grauiora symptomata, quibus prospici maiore medentis solicitudine debet. Nam de leuioribus quæ febrium generationi necessario succedunt, adeo omnino non meminerūt, ut etiam ceu prorsus nō sint, innominata ea reliquerint. At quæ uel rarenter febricitantibus incidunt, uel cōmunem magnitudinem excedunt, seorsum ab alijs tradenda censent. Sunt porrò eorum primæ differentiæ tres. Aut enim in actionum offensa consistunt, aut in retētorum uacuatorúm ue immodico excessu, aut corporum ipsorum affectu. Quartum enim genus numerādum inter symptomata non est, etiam si inter symptomata quammaxime non pauci id posuere: sicut erysipelata, ophthalmias, ulcera, parotidas, reliquaq; id genus. Ex prædictis uero tribus actionum quidem offensæ si contristant, solicitudinem medici ad se cōuertunt, affectumq; deserere cogunt. Idem faciunt & eorum quę retinentur uel expellūtur excessus. At genus symptomatum quod in affectibus consistit, alterius quidem quem curare oportet, affectus est signū: ipsum tamen nullam seorsum curationem exigit, utpote cū affectu unde nascitur, unà cessans. Vt enim in summa dicam, nullum symptoma, quà symptoma est, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat. Monstratum enim est, ex morbis ipsis, curationis indicationem pręstari, ueluti ex causis ipsis, prouidentiæ. Dictum prętерea est & quomodo prouisio ipsa cum medendo simul sit mista. Ex accidenti tamen symptomata quoq; curādi rationem aliquando mutant: causæ scilicet locum eo tempore habentia. Eorum omniū cum ueluti causæ curationem immutant, unum caput est. Dico id unum læsionem: siue ea ipsius uirtutis sit, siue affectionis: quando si nihil ijs officiant, curationē non

non interpellant. Lædunt autem uires uigiliæ, dolor, & immodica uacuatio. Affectui uero eadem non utiq; semper, cæterũ magna ex parte nocent, ac potissimum cum fuerint immodica. Ob hęc igitur sola, curandi ratione quam ab initio institueramus, ad præsens mutata, symptoma summouere primum cogimur. Ergo si labant uires, non tamen uehementer sunt iam resolutæ, sed adhuc resistũt, ad symptoma tantum sumus attenti: atq; id quam primum summouere maturamus. Sin iam resolutæ uehementer uires sunt, non modo symptoma sedare, sed etiam illas firmare properamus. Quòd si uno remedio tum symptoma leniri, tũ morbus curari queat, id utiq; non fuerit symptoma respicere, aut symptomatis causa remedia sumere: sed omnis eiusmodi auxiliorũ species planè morbi curatio est. Neq; enim cum lateris dolorem in pleuritide, misso sanguine, uel corpore purgato, sanamus, nec cũ abscessum distentũ, & cũ dolore pulsantem diuidimus, ac pus emittimus, eiusmodi curatio symptomatis est: sed cũ exempli gratia in dysentericorũ deiectionibus, ubi uehemẽter rodũt, uel tragi succũ, uel hircinum seuum, uel rosaceum ceratũ per inferius indimus, quibus utiq; pręsidijs ipsa exulceratio intestinorũ non sanatur, maxime si putrescens aliquid habeãt: sed uires interim conquiescũt. Atq; id est cõtra symptoma instare, morbo ad id tempus neglecto. Quippe ubi uirium roboris fiducia est, adeo nunq; contra symptoma pugnamus, ut cõtrà prorsus per ea nõnunquam præsidia quæ dolorẽ afferunt, morbos ipsos curemus: ueluti profecto dysenteriæ ipsi, mordentibus maxime medicamentis, tum potissimũ medemur, cũ utiq; est grauissima. Quippe medicus quidã quinquagenarius, cum iam septimã noctem ęgrotaret, nec uiribus admodũ ualẽtibus esset, dolore illi capitis uehemẽti in dextro potissimũ tempore oborto, non expectãs dum amicorũ quispiã ad se ueniret, sibijpsi nocte uenã incidit. Itaq; dolor illi protinus cõquieuit. Cæterũ longo tempore tum decolor, tũ uiribus imbecillis, tũ exilis mansit, aliq; corpus eius desiit, (ἄτροφιαν Gręci uocãt) sic ut uix pristinũ habitũ receperit. Est porrò hic quoq; duplex medicorũ contra dolorẽ instantium ratio. Altera, qua delicijs cubantiũ subscribunt: altera, ex artis ratione. Quippe si licet ęgrum doloribus obnitentem ualentibus remedijs uno die persanari, qui tota neglecta curatione dolori tantũ est intentus: nõ id ex artis ratione, sed in ægrotãtis gratiã facit. At si ex dolore uires resoluuntur, atq; ex eo periculũ impendet, & mitigari dolor, & roborari uires debebunt: quò & morbo resistere, & curationis spatio sufficere ualeãt. Equidem noui quosdam, tum medicos, tum ægros, qui dum animosi uideri uolebant, ob id ipsum perierunt, q fortiter & uiriliter cõtra dolorem semper sunt renixi, nec quòd eum leniter quicq; ceperunt, sed in asperis &(ut ipsi interpretabant) affectũ destruentibus auxilijs perseuerarunt. Quos sanè spatio longiore curatos esse satius fuisset, q̃ breui uiriliter mori. Quidã autem (ut sibi est uisus) generose dysentericos uehemen

A tissimo medicamento curans, multos uno sanauit die, quosdã uero iugulauit. Erat nanq; eius medicandi ratio eiusmodi. Cepas id genus quod Gręci κάςτον uocãt, uno die comedendas cum pane dabat, tum potũ parcum, postridie mane muriã acerrimã per inferiora infundebat: secundũ hanc etiã pharmacũ ualidum. His igitur tolerãdis quicunq; sufficere potuerunt, prorsus sunt sanati: aliqui uero cõuulsione, aut animæ ex dolore defectu, unà cũ madore cutis oborto interiere. Esto igitur terminus in ægrotantibus, quem non transibit is qui ex arte generose contra morbum pugnat, ut tutò medicetur. Ei uero qui dolorẽ mitigat, ut uires custodiat, ubi ultra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui unà cum morbo uitam quoq; homi-
B ni aufert. Qui uero cubantis delicijs subscribit, eiusq; uoluptatẽ non sanitatem pro meta gerendorum habet, adulatoris. Cõmittunt medici eiusmodi excessus cũ in alijs quoq; remediorũ generibus non paucis, tum uel maxime in ijs uocatis anodynis, quę ex papaueris succo, uel alterci semine, uel mandragoræ radice, uel styrace uel tali quopiam fiunt. Nam & qui ægris gratificantur, in eorũ medicamentorũ usu modum excedunt: & qui intempestiue immodiceq; sunt animosi, dũ prorsus horum usum refugiunt, doloribus ægros iugulãt. Ergo ueluti in omni totius uitæ, tũ habitudine, tum actione, ita hic quoq; cõsilium illud sapientis, qui Nequid nimis, dixit, cõplectemur: habentes pro fine, quò tendamus, cubantis utilitatem. Quippe
C si fas est ijs remedijs quę morbum sanent, utendo, quod optamus efficere, abstinendum ab ijs somniferis medicamẽtis est quæ uocant ἀνώδυνα. Sin ex uigilijs, & uiribus resoluẽdis, ad mortis discrimen æger tendat, tum profecto tempestiue eiusmodi medicamentis utare, scilicet nõ ignarus corporis habitum nonnihil ex his lædendum: læsionem tamen quàm mortem potius optandam. Nam si hęc admodum magna nõ sit, saltẽ postea spatio longiore eã sarcire licebit. Sin ita est immodica, ut nec prolixo spatio persanari queat: at certe hãc ipsam eligendam potius remur, q̃ ut homo pereat. Hac nimirũ persuasione ipse quoq;, tametsi omniũ maxime ab usu grauiter sopientiũ abhorrẽs, aliquando tamen ea & colicis exhibeo, & ijs qui uel ocu-
D lorum, uel aurium, uel aliarum partium uehementissimo dolore cruciãtur. Interim uero & cum æger ex tenui destillatione, uigilijs, & uehementi tussi urgetur, pauxillulum eiusmodi medicamẽti offero: facile noxam eius, si quis semel est usus, spatio emendatũ iri ratus. Porrò dissident inter se ipsa medicamẽta. Quippe quæ plurimũ torporem inducentium in se habent, ea ad pręsens quidem magis sunt efficacia, cæterum ualentem, & remedijs rebellem, in ægrotantis corpore frigiditatem relinquunt. Quæ horum in se habent minus, calfacientium uero sibi admistorũ plurimum, ea quanto sunt ad pręsens minus efficacia, tanto in futurũ minus sunt noxia. Omnia tamẽ id genus magis sunt salubria, si post annum à cõpositione sumãtur, ueluti quod ad Philonem referũt autorem, quod ad dolores

dolores ex sensus torpore sedandos, nullo minus est celebre. Sunt sane & alia medicamenta nō pauca ex seminibns confecta, Græce διὰ σπερμάτων & βίγωνα nominata, quæ sicut ad torporem in præsens inducendum mitiora, ita in futurum sunt tutiora. atq; hæc quoq; omnia utilius annotina sumuntur. Philonis uero medicamen etiam si duorum, triūm ue, aut quatuor annorum sit, multo sanè est melius: sed nec inutile tamen sequētibus annis ad decimum usq;. Quod em̄ ultra inueterauit, tanto quidem est minus noxium, quanto est uetustius: cæterum languidis est uiribus, eoq; parum nauiter, cuius gratia paratum est, perficit. Ergo sicuti cauendus est, quoad fieri potest, eiusmodi medicamentorum usus: ita si necessitas urget, nec admodum noua sunt offerenda: q; frigida quæ in his sunt, præualentes uires adhuc habeant, nec ita antiqua, ut spem nostram frustrentur. sed uti comprehensum est, tandiu dimittenda sunt quoad uiolentia refrigerantium, ab eorum quæ calfaciunt ui mitigetur. Et talium quidē medicamētorum usus, eorum qui aduersus symptoma pugnant, est proprius, potissimū ubi ex frigida causa dolor est excitatus. obsunt enim talia plurimum toti affectui, ac curationi contumacem eum reddunt.

2 At sanguinis missio, quæ scilicet uires non deijcit, symptoma spectantis medici opus nō est, sed eius qui totum affectum adimere studet. Ad eundem modum & balneum & purgatio, & fomēta calida, & uini potio, quorum omnium Hippocrates in Aphorismis, ubi De oculis dolētibus loquitur, his uerbis meminit: Oculorum dolores meri potio, lauatio, fomentum calidum, uenæ sectio, uel purgatio soluit. Hæc nanq; omnia dum affectus sanant, unà etiā cum ipsis dolores sedant. Eodem modo nutrimentum (ut in superioribus est dictum) ubi in sicco & squalente morbo, stomacho laborāte exhibetur, dum affectum ipsum sanat, etiam syncope prehendi prohibet. At non ea quæ ex redundantia frigidorum humorum incidit, siue resolutio, siue stomachi syncope est, alimentum ceu medicamen desiderat: quanquam etiam in eiusmodi affectibus non solum nutrimentum, sed etiam uini aliquid non raro ægrotanti dare cogimur: non utiq; quò affectum curemus, sed quò periculum in præsens depellamus. Quippe uacuatio potius, q̄ adiectio, est hoc genere laborantium curatio. Licetq; quotidie uidere sic ægrotantium plurimos medicorum ignorantia perditos, de quibus agere nunc mihi tempestiuū uidet̄.

3 Ergo febricitare incipiunt nōnulli, ubi maximam crudorum succorū copiam unà cum oris uentriculi (quod sane stomachum uocant,) offensione, uel ex cruditatibus, uel alia quapiā occasione congesserunt. His & præcordia inflata, & totum corpus ampliore mole quàm pro naturæ modo cernitur, tum color alijs quidem ad albidius q̄ pro naturali habitu, & intercute aqua laborātium magis simile, est mutatus. Nonnullis etiam ad nigrius, aut liuidius, quos quidem medici plumbei coloris appellant. omnibus pulsus minores sunt

A quàm pro caloris ratione, præterea obscuri omninoq; inæquales, sæpe ea inæqualitate, quā ex pluribus ictibus collectam συστηματικὴν Grȩci uocāt: semper uero ea quæ in uno est ictu. Nulli taliū sanguis mitti sine maximo dispendio solet, cūm tamen uacuationem desiderent: uerum nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinent: utpote quos sine his syncope subito adoritur. Quęnam igitur est ratio talibus medendi, qui cum uacuari postulent, uacuantia præsidia nō ferunt? Sanè nullam aliam his [idoneam] uacuationē inueni, præter eam quæ ex frictione paratur. Incipere uero in principio statim morbi oportet: ac primū à cruribus, superne deorsum, idq; linteis non admodum mollibus, sed aspredinis mediocre quid habenti-
B bus. Debet enim radi ab his cutis, cum simul & calefieri per eam & digeri ęgrotus postulet. Dehinc tota brachia, ab humeris usq;, atq; superne deorsum simili modo sunt fricanda. Vbi uero artus omnes abunde calere uidebuntur, & metus fuerit, ne quis ex multitudine frictionis contusa iam carne, lassitudinis sensus ipsis superueniat, oleo relaxante uteris, quod genus est Sabinum: ab adstringente uero abstinebis, cuiusmodi Hispanū est, Histricumq;, & quod unà cum germinibus, uel ex oliua adhuc immatura conficitur. Hyems uero si fuerit, nihilo deterius sit si ad digerentiū aliquod transieris: cuiusmodi sicyoniū est, aut quod cum chamæmelo cōponitur, aut quod apud Aegyptios est in pretio. Quòd si horum copia nō sit, oportebit ac-
C cepto relaxantiū oleorum aliquo, & in quo nulla sit adstrictio, potissimumq; quod est antiquius, immittere ipsi anethi quod uidebitur satis. Mox (ut ipsi solemus) ubi in uase duplici tātisper calfeceris, dum mediocriter qualitatē herbȩ imbiberit, ungere hoc artus & fricare tunc quoq; quāplurimū debebis: postea oleum, quoniā tædium afferat, detergere atq; ad spinā dorsi trāsire, hancq; totā pariter fricare, primū sicca frictiōe, pòst oleo. Ab hac rursus ad crura te conferes, & ab his ad brachia, exin denuo ad spinā: ita totum agens diē in domo purȩ lucis, nec madente. Esto eius domus & calor media temperie. Sanè mulsa in qua coctum hysopū fuit, his est aptissima. Seruandumq; ne uel cibum, uel sorbitionē, uel aquā exhibeas, uel omnino li-
D beraliter bibere sinas, nisi mulsa tribus primis diebus duntaxat uti: ipse quas dixi partes ordine fricans, eoq; solū tempore intermittēs, quo somnus hominē occupauerit. Ad quē etiā alliciendum, & frictio uberior facit. Itaque uel hoc nomine utile præsidiū fuerit, nedū q̄d inaniat. At uero nūc uberior somnus his est salutaris: cū nec crudos succos digeri sinat, & uiscera grauiora reddat. Sed si quis alius affectus est qui somnū et uigilias modicas desideret, hic profecto in his est. Quippe somnus cōcoquit, uigiliæ digerunt: quorū utroq; est opus ijs qui ex multitudine crudorū succorū ægrotant. Ergo inuicem mediocriter adhibiti, iuuare se mutuò utiliter poterūt. Atq; si pulsus his paruus admodū infirmusq; sit, aut etiā supra hæc uehementer inæqualis, scire licet extremum periculum esse: facien

da tamen nobis quæ retuli sunt, nec aliud quicquam moliendum. Sin pulsus robore mediocri sit ac magnitudine, preterea minime intercisus, & equalis, considera quæ ad aluum spectant, ac si sua sponte cōmode nō deijciat, audacter per inferius aliquid infundes. Accidit nanque post aquā mulsam, ut quę in primis uenis, quæ scilicet circa iecur & mesenterium sunt, colligi superuacua solent, hac cōmode deijciantur. Quòd si maior iusto superfluorum impetus ad aluū citetur, principio quidē percoquere mulsam amplius oportebit. Ea nanque sicut minus aluum subducit, ita magis nutrit. Contrà, cruda ut minus nutrit, sic magis subducit. Post hæc, si superuacua largius descendāt, ne sic quidē sistenda, sed exhibendus pro aqua mulsa ptisanę cremor est. Si uero fluere pergant, alicæ sorbitione nutries, pulsuum interim ratione obseruata. Aliquādo enim subito ad imbecillitatē, uel inæqualitatē, uel paruitatē mutantur. Quo tempore panē ex uino diluto exhibere cōueniet: utique si nec uentriculus, nec iecur phlegmone laboret: quando si hac infestetur, iam corpore crudis succis referto, plane desperata salus ægro est, pulsibus sic mutatis. Ergo in eiusmodi ægri casu teipsum à culpa immunem præstabis, si moriturum prędixeris, ac nullo generosiore medicamento usus fueris. Quibus uero spes est salutis (est aūt omnibus, qui ita citra phlegmonen ægrotant) maximū medico, qui utique ipsos in principio susceperit, uidetˉ mihi dedecus esse, si in syncopen inciderint: quanque per inscitiā medicorū quotidie id fieri cernitur. Verum non est quod hos spectemus, aut cū his nosmet cōferamus, sed cum eo qui cum re uera peritus in arte sit, fœdum putet ægrū animo extemplo linqui, ipso nec symptoma prędicente, nec ad id præparato, aut idē prohibente. Sane dictū à me etiā in superioribus est, qui cataplasmatis & perfusionibus assidue præcordia uexāt, ipsos in eiusmodi affectibus phlegmonas accersere. Minime igitur est his utēdum, priusque superuacua magna ex parte partim uacuata sint, partim cōcocta: tum uero etiā his utaris licet, non tamen duntaxat relaxans, sed ex absinthio mediocriter perfundens: si tamen febris nō plane sit magna. Si uero medicāti tibi tres primos dies, ut dictum est, nihil occurrat incōmodum, ijsdē ipsis uteris usque ad septimū, aqua duntaxat mulsa, in qua incoctū hyssopum sit, contentus. Siquidem longissimam, qui ita sunt affecti, cibi abstinentiā ferūt, corpore scilicet ex crudis ipsis quos continet succis concoquendis alto. Quod si non modo crudi succi sint, sed etiā eò corruptionis peruenerint, ut concoqui ad perfectionē non queant: qui sic ægrotant, eorū desperata est salus. Sed qui, si nullus pręsertim cōmittatur error, seruari possunt, ij aqua solū mulsa ad septimum usque sunt nutriendi: aut sicubi id res exigat, uel aluo fluēte, uel ægro mulsam fastidiente, ad ptisanæ cremorem est transeundū. Sin hunc quoque auersetur, alica ad eundem quo ptisana modum ei præparabit. Neque enim ijs qui ita sunt affecti, acetum incōmodum est: imò sicubi crudos affatim succos esse animaduerteris, oxymeli pro mulsa exhibere assidue debebis. Quòd si huius assiduus usus tædio esse cœperit, trāsire inuicem ad mulsam & ptisanā conueniet: dein rursus ad oxymeli reuerti. Maxime uero quibus tū paruus, tum tardus ac rarus pulsus est, ijs frigidos subesse succos putandum. Iisdem protinus & color uitiatus in toto corpore manifeste cernitur: qualis nimirū prius est traditus. Sed fieri fortasse quod dictū est, non posse cuipiam uideatur, cum nulli febricitantium aut tardior, aut rarior pulsus fiat. Cæterum, duplici ratione uerum esse quod dictum est, comperietur. Vna quòd euidēter in accessionibus appareat & tardiores & rariores, quàm pro naturali ipsorum habitu pulsus fieri. Altera quod reliquis præter accessionem temporibus horum arteriæ, tum rarius, tum tardius, quàm aliorum quorūuis qualitercunque febricitantium, pulsant. Ergo si æstas sit, & æger frigidæ potioni assuetus, frigidum huic oxymeli dabis. Sin hyems sit, omnibus calidum, tum ijs qui calidæ, tum ijs qui frigidæ insueuerūt, offeres: æque ut si immodicus æstatis tempore æstus sit, etiam qui calidæ adsueti sunt, frigidum: utique si nullum sit ijs uiscus ad iniuriam opportunū. Sane propositis aduersissima sunt, tum balneum, tum aer ambiens, quoties uel nimium calidus est, uel frigidus. Itaque ut lauandi hi non sunt, sic & reclinandi in domo sunt: æstate quidem, quæ frigeat: hyeme, quæ caleat. Læduntur nanque non parum ab utroque excessu: uidelicet in balneo, æstate, & omni caloris incremento crudis humoribus liquatis, ac per omnes corporis partes fluentibus: ita ut metuendum sit, ne ad pulmones et cor ferantur: aliquādo etiam ne ad cerebrum subeant: cum longe præstet, ut circa iecur & primas uenas adhuc ipsis subsistant. In domo uero immodice frigida, & hyeme, et denique ambiente frigido, succi qui crudi sunt, & inepti ad concoquendum manent, & iocinoris obstructiones, si leues sunt, augent: si nullæ sunt, eas crassitudine sua hærētes impactique creant: atque hæc quidem agenda sunt, ubi à primo die ipse curationem susceperis. Si autem ad eos quos syncope iam premit, sis accitus, si ea quæ retuli loca phlegmone uacent, panem exhibebis non multum: huncque ex uino aliquo quod celerē in corpus digestionem adiuuet: statimque ad frictiones uenies, quas etiam pro tradito iam modo administrabis. Ac siquidem æstas sit, & regio naturaliter calens & æstuans, aut status cœli uehementer calidus, cum frigida uinum dabis: si nihil eiusmodi sit, cum calida. Quæ tamen secundo & tertio dabitur potio, omnino calidam exhibendam curabis. Quippe ad uniuersam eam curationem, cuius gratia frictiones adhibuimus, calidum præstat: utpote crudorum succorum concoctionem adiuuans.

4 At quibus ex flaua bili quæ os uentriculi infestet, syncope incidit, ijs frigida exhibenda potio est. Vinum tamen quod & calidum natura sit, & deductionem in corpus promoueat, omnibus quos syncope male habet, offerre conueniet: distribui nanque per corpus nutrimentum quod sumptum

ptum est, non in uentre manere uolumus. Constat autem ex uinis ea deligenda esse, quæ & flauo sint colore, & substantia tenui, & ætate uetera: talia nimirum & boni odoris continuo fuerint. Quinetiam ipse si postquàm biberis, modico temporis spatio retẽta fuerint, senties calorem per totũ corpus transmitti. Cæterum amara præ uetustate, uina ne sunto: præsertim quæ ijs exhibebis, quorũ stomachus flaua bili urget. Talia nanq; simul laudabilem ac nutrientem uini succũ iam amiserunt: simul iniucũda cum sint, hoc ipso stomachum offendunt. Cõmodissima igitur his uina sunt, quæ cum naturaliter austera sint, sensilem iam adstringendi uim propter uetustatem nõ amplius exhibent: calorem tamẽ admodum euidentẽ habent: omnia enim quæ requirimus in ijs quorum stomachus amara bili uexatur, efficient: cum & iucunde sumantur, & tum concoctionẽ, tum digestionem in corpus promoueant, & succi uitium mitigent, & corporis habitum excalfaciant, & stomachum ipsum firment. Huiusce generis uinorum optima sunt Surrentinum, Signinum, Sabinum, Tiburtinum, Marsum: omnia quidem Italica, & adstringentia: nõ tamen pari modo omnia. Nam Surrentinum cum mediocriter adstringat, tum calidius cæteris, tum iucundius est. Ab hoc nobile Tiburtinum. Est enim & aliud quoddã imbecillum Tiburtinum, quod etiam sicut Sabinum, leuiter potest adstringere. Signinum uero austerius est: sicut etiam Signino multo magis Marsum. Hæc omnia uina stomacho qui amara uexat̃ bili, salubria sunt. Ideoq; illis utendum quoties is uel ex ardenti febri offensus syncopen attulerit, uel aliàs multa in eum bilis fluxerit, uel multam imbiberit. Quibus tamen ex crudis humoribus syncopes periculum imminet, sanè Falernũ tanto iam memoratis præstat, quanto melioris est succi, tum etiam calidius, utpote quod & uelocius illis per corpus digeretur, & crudis succis cõcoquẽdis auxilio erit. Quæ cum dictorum singula aliud magis aliud minus faciant, omnia tamen Falerna magis stomachum roborant. At quoniam ipsorum Falernorum aliud dulce admodum est, (quod Faustianum uocant) aliud si cum hoc conferas, austerum: si cum Signino & Marso, dulce, deligendum ad talia secundũ est. Si uero cubans per sanitatem dulcibus uinis insueuit, huic nihil prohibet dulcius Falernum exhibere. Verũ in Asia, & Græcia, & nationibus quæ his sunt uicinæ, ubi copia iam dictorum uinorum aliquando non est, ex ijs quæ illæ regiones suppeditant, aptissima ad digestionem in corpus sunt Ariusium & Lesbium. Hoc quidem, ueluti ex ipso nomine patet, in Lesbo natum. Ariusium locis quibusdam in Chio prouenit. Cum uero tria sint in Lesbo oppida, minus certe tum odorum, tum dulce in Mitylene gignitur, magis & odoratũ & dulce in Eresso, dein in Methymna. Porrò sumenda ex his sunt, quibus marina aqua admista nõ est: ratis, maximũ futurum incõmodum ex ijs quibus est admista. Alioqui nec assolent in Lesbo nobilibus uinis, de quibus nũc agitur, marinam aquam

A immittere: ueluti nec Ariusio in Chio. Prouenit & in Hellesponti Mysia, uinum Surrentino nõ absimile. Mysinum per eminentiã uocant. Hæc omnia uina flaua & calida & odora sunt, & substantia quæ inter aquosa crassaq; sit media. Aquosę porrò substantiæ sunt Adrianũ, & Sabinum, & Albanũ, & Gaurianũ, & Thuscum, & Neapolitanũ amineum: quod scilicet in locis Neapoli uicinis gignit̃: unde etiam ita id nominant. In Asia uero & Tibecinum, & Titacazenũ, & tertium ab ijs Arsyinũ. Cõtra, uero crassa ueluti sapa sunt, & Scybellites, & Thereum, & Albates. In Asia uero Aegeates, & Perperinũ. Ergo quibus ex abundantia crudorum humorum syncope incidit, ijs crassa uina ceu noxia, aquosa ceu parum efficacia, sunt fugienda.
B Deligenda uero eorũ sunt media, quæq;, ut prædictum est, flaua sint & calida. Neq; enim inuenias ex albo uinorũ genere calidum ullum: quando etiam austera & mediocriter alba, cum inueterauerint, fuluiora qudãmodo reddãtur. Quod si aliter nominare fuluũ colorẽ uelis, licet uoces igneum pallentem. Quotquot aũt in ipsis calidissima sunt, omnia certe flaua sunt: cuiusmodi in Italia est Cæcubũ. Quod etiam unũ quoddam genus eiusmodi uinorũ ab initio, sicut aliqui putant, non est, uerum ex uetustate eò peruenit ut igneum colorem cõtrahat: unde ipsum quoq; nomen est sortitum. Non tamẽ eò omnia perueniunt, cum prius crassentur, q̃ in perlucido flauorem accipiat. Reliquorum uini generum, austera quæ mediocriter alba
C crassaq; sunt, certe nullũ ad digestionnẽ in corpus est idoneũ. Si tamẽ abunde inueterauerint, nec aliorum copia sit, uti illis licebit. Sunt uero eiusmodi omnia cũ inueterauerint, stomacho utilia. Quò uero habeas horũ quoq; exemplũ, tum eius quod ex Nicomedia afferẽ, memineris uelim, quod omnibus hominibus est notũ: tum Siculi aminei, q̃d in magnis reponitur dolijs. Quod enim in paruis seruatur lagunculis, maxime huic est contrariũ: cũ & malum stomacho sit, & capitis dolorẽ excitet. Ac semper quidẽ est id agendũ, ut optimũ eligas. Si id non est, quod illi pro iam cõprehensis notis est quamsimillimũ. Aptissima nanq; ad deductionem in corpus sunt Ariusiũ, & Lesbium. Sed si ea desint, minusq; in Asia, aut Aphrodisiense pete-
D mus aut austerum Tmoliten, aut aliquod his similium quod & colore sit fuluũ, & ilico cum bibitur, manifeste excalfaciat. Considerandũ uero ante omnia est, qualis nã ęgrotantis natura sit. Nam si imbecillum illi caput est, & quod facile calentibus uinis impleatur: quę minus caleant, potius sunt offerenda. Sin firmo admodũ capite est, & talibus uinis delectatur, aut etiã citra noxam ea ferre est solitus, haud timide his utetur. Porrò uina quæ odora fuluaq; sunt, quantũ ex ipsorum est natura, omnia caput grauant. Eoq; tum Falernũ, tum Tmolites, tum Lesbium infirmo capiti noxia sunt. Qualis aũt in Falernis tradita nobis differẽtia est, talis profecto & in Tmolitis habetur. Alterũ enim admodũ est dulce, alterũ austerum, si cũ illo cõferat̃. Calida tamen admodũ ambo sunt, eoq; caput gra

uantia. Austera uina uentriculũ roborant, caputq́ inter omnia uina minime tentãt. Cæterũ, digestionem in corpus nõ promouent, quo magis fugienda tibi in syncope prehensis sunt, nõ secus ꝙ aqua. Habile uero ad facilẽ in corpus deductionem, & Hippodamãtium cũ inueterauit est, ipsum quoq; ex ea specie cuius tũ dulce Falernũ est, tum uero Tmolites. Inest huic & adstrictio manifesta, quæ tamen in neutro illorũ est. itaq; etiam salubrius stomacho est. In penuria uero uini quod accõmodũ utriq; syncope sit, ei inquã quę ex multitudine crudi succi orit̃, & ei quæ ex bili incidit, coactus prorsus uino uti, fugere (ut prędiximus) oportebit omnia tum austera, tum noua, itemq́ crassa: diligere uero aquosa, magisq́ si sint antiqua. Talia nãq; tametsi non ualenter excalfaciũt, tamen facile in omne corpus deducuntur. Proinde cũ celeritas digestionis in corpus sit his cũ fuluis cõmunis, differentia rursus in his erit, ꝙ concoctioni quæ uel in uẽtriculo, uel uenis agitur, fulua magis cõducunt, propterea ꝙ magis excalfaciũt. Præterea temperamentũ inducunt, & nutriunt: eoq́ ad succi bonitatẽ opportuna utiliaue, quorũ omniũ nihil in aquosis uinis est. Minimũ enim ex horũ substãtia in sanguinis mutatur speciẽ. Sed cũ fulua caput feriant, quæ aquosiora sunt, nusq̃ id contristãt, urinas aũt præter cætera uina mouent. A quibus secundũ locum obtinent, quæcunq; fuluorũ maxime sunt tenuia, quę etiam ad syncopas potissimum sunt deligenda. Tardius his deducuntur in corpus, quæ fulua sunt, & crassa: quanquã ea quoq; austeris omnibus magis sunt penetratiua. At uero nutriunt hæc magis ꝙ tenuia, ac uitiosos succos omniũ uinorũ celerrime bono sanguine generãdo corrigunt. Ergo institutum sermonem denuo repetamus.

5 Quòd syncope præceps uirium lapsus sit, id ab alijs ante me dictum est. Sed cum essentia uirium quibus regitur corpus, tum in spiritu, tum in solidorum corporũ temperamento consistat, hæc nobis & ubi integra sunt, seruari: & ubi corrupta sunt, ad integrũ reuocari omnino debent. Ac quẽadmodum tueri ea per sanitatem cõueniat, in opere De tuenda sanitate est præceptũ. Quemadmodum uero et in morbis, traditum iam aliquatenus, & in præcedentibus cõmentarijs est. Non tamen adhuc res tota ad talem qualem exigit contemplationem est perducta: nec talem methodũ habuit qualem priora. Quod igitur deest id nunc adijciamus. Spiritus substantia unà cum solidis corporibus sic nobis custodienda in morbis sunt, ut tum qualitate, tũ quantitate, quoad fieri licet, naturaliter se habeãt. Ac siquidẽ sic prospici hic posset, ut nec substantiæ eorum quicq̃ aut uacuaretur, aut prorsus immutaretur, id esset antiquissimum. Sed quoniam in cõmentarijs De sanitate tuẽda ostendimus fieri nõ posse, ut id generabili corpori unq̃ contingat, id agendum est, ut quæ substantiæ portio defluit, hanc apponendo sarciamus: quod altерascit, in debitam temperiem per contrariam alterationẽ uindicemus. Si igitur tum uacuatio, tum alteratio sensim paulatimq́ fiant, etiam correctio

A utriusq; sensim administrabitur. Quod munus ad artem sanitatis tuendæ spectare est monstratum. Sin confertim & semel ac magna aliquãdo uacuatio, uel etiam adiectio incidat, & morbus ita efficiatur, & medendi methodum ad eorum sanationem requiremus. Veluti enim mutationem in nõ naturalem habitum, quæ sensim paulatimq́ irrepit corrigere, sanitatis tuendæ artis sunt partes: ita eam quæ multa simul irruit sarcire, ad medendi peritiam spectat. Ergo animalis spiritus cerebrũ ueluti fontem esse, clare ostendimus, qui partim ex inspirando, partim ex eo quod reticularis plexus suppeditat, irrigatur atq; alitur. Vitalis spiritus nõ æque euidens demõstratio erat. Sed tamen in corde eum & arterijs contineri existimare, alienum à

B ratione non est: eundemq́ nutritum maxime quidem ex inspirãdo: sed tamẽ & ex sanguine. Quòd si naturalis quoq; aliquis spiritus est, utiq; is quoque in iocinore & uenis continebitur. Sanè dictũ fusissime de uirium essentia est in libris, quos De Hippocratis & Platonis placitis scripsimus. Solidorum uero corporum substantia certa esse quantitate proculdubio desiderat, eoq́ nutrimẽta mortale genus tuentur. Sed nihilo secius & elementa ex quibus componitur, mediocri esse temperie requirit, dictumq́ subinde est quemadmodũ temperies ea sit tuenda. Cæterum uirium lapsus, de quo nunc agere institui, qui quidem solidorum corporum substantiæ dum discutitur succedit, in longissimis morbis subinde incidit: animãte ex frequen

C ti atrophia, id est nutriẽdi defectu, extenuato. Præterea in ijs febribus acutis quæ corpus liquãt. Qui ex substãtiæ tẽperie mutata prouenit, cum uel immodice ipsa fuerint calefacta, uel frigefacta, uel madefacta, uel siccata, aut horum aliquibus copulatis affecta. Alteratio uero in spiritu, tum ex uitiosis prouenit succis, tum ex ambientis aeris malitia, qui aliàs alia de causa in hanc est mutatus: præterea uenenatis facultatibus, aut animalium quæ uirus eiectant, uenenis. Verum hæc à præsenti instituto seponãtur. Ipsius uero essentiæ spiritus corruptio, & quæ futura timetur, & quæ iam adest, quæ tum ex affectu animi incidit, tum ingenti dolore, tum pluribus motibus, cuius generis & uigiliæ sunt, tum ex immodica eius tenuitate & conti

D nentium eum corporum raritudine, tum uero ante hæc omnia ex ipso respiratu prohibito, & nutrimenti defectu, diligentius corrigi profectò postulat. Sunt porrò affectus animi, timor subitus, & uehemens, (quem ἔκπληξιν Græci uocant) præterea quæ contraria huic timori est uoluptas maxima, Græci περιχάρειαν uocãt, quasi excessum gaudij dixeris. Scimus eñ amborũ occasiõe perijsse quosdam. Iam reliqui quoq; magni timores omnes, & cum his maximæ uoluptates, etsi non iugulant, at certe facile resolubilẽ infirmumq́ spiritũ reddũt. Tristitia uero, & anxietas, & ira, & cura, eo genere sunt noxiæ, quo frequẽtes uigiliæ, quoniã uires resoluãt. Ac in ijs quidem omnibus ipsa per seipsam mouetur anima, in corporalibus aũt actionibus ipsa corpus mouet. Resoluitur aũt eius robur

utroq;

utroque motuum suorum genere, si modum excedant. De laboribus uero quid attinet dicere, quo pacto & uehementius aucti quosdam iugularint, & omnes certe læserint, tametsi non sustulerunt: In omnibus eiusmodi casibus manifeste uidentur ægrotantes, tum animo linqui, tum uiribus resolutis esse: nonnulli uero (ut dictum est) etiã mori: scilicet aliàs spiritu ipso deperdito, aliàs alterato, aliquando ex parte digesto, non raro hęc utraque perpesso. Tractatum autẽ fusius de his est cum in alijs libris, tum uero in ijs quę de Hippocratis & Platonis dogmatis prodidimus. Ad rem uero propositam, modum quo singula lædere sunt nata, disquirere necesse non est: imò quod lædunt, ab ipsa euidentia accipere, ac eo ad uires tuendas in morbis salubriter uti. Pari modo et si spirituũ qui nostrum corpus regunt, substantia aliquando plus iusto extenuetur, utroque profecto modo imbecilla fuerit, & tanquam tẽperie alterata, & tanquam dissipabilis, uel exhalabilis, uel quocũque modo libet appellasse, reddita. Eadem nimirum ratione & si totum corpus transmutatum in immodicam raritudinẽ sit, facile spirituũ substantia digeretur: quod & ipsa tenuiũ partium sit, & corpus eam non cõtineat. Ergo nec rarefaciendum immodice ægrotantis corpus est, si spiritum retineri in ipso studes: sed nec quæ in eo sunt, per comesta & bibita ualenter extenuanda. Iam uero quod ipsorum quoque ciborum ac potionum non leuis habenda sit cura ad robur uirium tuendum, ut uidelicet tum quãtitate modici, tum qualitate exacti exquisitique sint, id neminẽ latere arbitror: sicut illud profecto cuique perspicuũ, quod etiam substantiæ quam inspiramus, habenda sit cura, uti scilicet tum optima temperie sit, tum ab omni inquinamento purissima, nec aliquid ex metallis, aut caminis, aut barathris sibi admisceat, aut aliquid ex putredine leguminum, uel olerum, uel animalium, uel cuiuscunque rei cõtrahat, aut halitus ex stagnis, uel paludibus, uel fluuio recipiat. His itaque omnibus prospiciat oportet, qui uires illæsas tueri uolet. Ad hæc etiã ipsorũ corporũ solidorũ, in quibus utique uel maxime consistere uirium substantia uidet, non parua habenda prouidentia est, ut scilicet sano temperamento sint, atque hoc quidẽ omnium partiũ cõmune cõmodum est. Ad robur autẽ uirtutis conseruandũ, & ad syncopalẽ accessionẽ quo minus de repente incidat cauendã, singulare pręsidium est temperamenti custodia: ante omnia quidem trium principiorũ: mox uero reliquarum partium quæcunque in consortiũ affectus, principia secũ ex facili trahunt: cuiusmodi est uentriculi os, quod propter exquisitũ sensum tum alia symptomata non pauca, tum uero syncopas accersit. Porrò memoratus iam crudorũ humorum affectus, si & copia sua hi uires premant, & propter tũ multitudinẽ, tum crassitudinẽ exiguos animalis meatus obstruant, iam multis nominibus exitialis est, ac syncope opportunos reddit, nempe & quod animal sub eo non nutriatur, & suffocet, & quod mediocritas temperamenti eius nõ solũ alteretur, sed etiã corrumpatur. Quippe crudi succi nutrire pri- A usquam sint concocti, nequeunt. Iidemque cũ multi sunt, grauant. Si uero spiramenta quibus perspiratio agitur, obstruant, calorem extinguũt. Quòd si nec obstruant, nec onerent, syncopẽ ij certe non inferũt, sed animi deliquia, quas λειποψυχίας Græci uocant. Siquidẽ resoluunt eiusmodi ægrotãtes, nisi frequẽtius nutriant. Porrò exhiberi his oportebit, non copiose semel, nec quæ crassa frigidaúe potestate nutrimenta sint, sed sicut dictũ prius est, quæ ex genere extenuantiũ calfacientiumque sint. Ad eundem modum & medicamenta, quæcunque saltem medicamẽta sumere febricitans homo potest, extenuantia calfacientiaque sunt offerẽda. His & aquosum uinum idoneum ab initio statim est, si tamen uehementer nõ febricitent: quod temere in hoc affectu fieri non assolet, magis etiã si qui laborant, senes sint, prębendum ijs inter quamque cibationẽ uinum est, magisque etiã si interposita quietis spatia mediocria sint. Sanè qui ex eiusmodi succis laborant, hos quotidie accessiones exercent, pręcipueque ad uesperã, et noctu, nõ mane, nec usque ad meridiẽ. Atque de his quidẽ hactenus abunde. B

6 Age modo transeamus ad eos qui contrario quidem huic laborant affectu, sed tamen syncope similiter opprimuntur, nisi quis sedulo sit attẽtus. Hi sunt qui prætenues succos habent, sic ut ocyssime exhalent. Itaque etiã diuersa à iam dictis ratione sunt curandi. Illos nanque paulatim & assidue uacuauimus, propterea quod multam simul uacuationem ferre non poterant. At qui sic se habẽt, hos paulatim & assidue nutriemus. Quòd si à principio hos uiribus adhuc ualentibus, curandos suscepimus, nec paulatim eos cibabimus. Possũt nanque ij uel quod liberius semel datum est nutrimentum superare. Tanquam autem eos qui ex crudi humoris multitudine syncope periclitantur, prorsus periclitari diximus, si uel iecur his uel uentriculum phlegmone obsedit: itidem de quibus nunc agere instituimus, insanabiles sunt existimãdi, si uiribus iam languentibus aliquod eorũ uiscus phlegmone infestetur, quando nec assidue hos nutrire fas est, sed tantum in remissionibus, nec seruare eos si non nutriantur licet. In eiusmodi affectibus mortifera illa species in facie celeriter apparet, nasus acutus, oculi caui, & reliqua quæ deinceps sunt adscripta. Nam siue multum excernant, siue uigilẽt, siue tristentur, siue non cito nutriantur, protinus eiusmodi faciem habent. Porrò si alicuius horum, aut etiam plurium occasione, tales esse uidebuntur, minus esse malum putabis quàm si absque ijs essent emaciati. Sin absque his tales appareant, planè pestiferũ iudicabis, atque hoc amplius, si à principio morbi eam habeant speciem. Neque enim dum concoquatur, sufficiẽt. Atque ob id Hippocrates dixit si quid eiusmodi cõsenserit, minus abesse periculi putandum. In morbi nanque principio (ut prædixi) etiam si cum aliquo dictorũ in eo sint statu, haudquaquam id bonum est: cæterum minus id periculi minatur, quàm si cum horum nullo, imò ex spiritu ipso prompte digesto. Non solum aũt extenuatis ad eum modum spiritu horum & sanguine, di- C D

gestio sæpe incidere assueuit: sed etiam expultrice A ui per uniuersam corporis molem immoderatius concitata. Id quod incidere maxime ex imbecillitate retetricis solet. Sanè nutrire quicquid horum inciderit, est necesse: sicut etiam corporis summa densare, non secus quàm priorũ rarefacere. Cum enim maxime ij affectus inter se dissideant, etiam præsidiorũ speciem diuersissimam requirunt. Ergo frigidum ijs aerem adstringentemq́ comparabimus: qui quemadmodum fiat, prius est dictum. Vngendi præterea sunt adstrictorijs unguentis, tum cibi ijs dandi qui non admodũ prompte diffluant, non aqua mulsa, nõ ptisanæ cremor: sed panis, & sorbitio ex alica, et fructus austeri, et qui nõ facile corrumpantur, tum ipsi per se, tum uero & cum pane, etiam alica quę in aqua sit cocta. Dabis B uero aliquãdo ijs & oua, præcipueq́ eorum uitellos. Album enim eorum ægre concoquitur. Præterea gallinaceorũ, qui lacte sint alti, testiculos, itẽq́ suillum cerebrum: sed uel diligenter assum, (quando si crudum detur, summopere lædit) uel in albo iure legitime elixum, porro & aneto iniectis. Deniq́ omni ratione agendum, ut & succorum materiam crassiorem reddas, & cutim denses, & exhalationem inhibeas. Vinũ uero ijs aquosum necessarium inter initia est, sumptum inter cibũ. Quòd si ex sententia nobis omnia responderint, etiã carnei ijs aliquid nutrimẽti post alia dabimus, potissimum post quartum diem, succis qui febrem excitauerunt iam ad cõcoctionem uenientibus. Tali affectu laborantis iuuenis, in decimo libro meminimus, quem (uti dixi) quotidie nutriui, idq́ ante accessionem potissimũ, tum quemadmodũ semel dedita opera non exhibito illi cibo, accessio cum syncope inuaserit, memorauimus. Ergo in omnibus eiusmodi curationibus, si iam deprehensus syncope cubans est, omnis solicitudo medentis ad symptoma uertitur. Sin nondum ea premitur, utriusq́ curã habebit, & ut symptoma non incidat, & ut morbus paulatim discutiatur. Celerius autem hunc discuteremus, si nullus symptomatis subesset metus. Quippe qui multitudine crudi succi grauatur, hunc, si modo iustam semel uacuationem ferre posset, nec metus aliquis syncopes impenderet, semel arbitror uacuatũ à morbo explicaremus. Eum uero cuius spiritus et succi facile ex halant, si ante accessionem cibare nõ cogeremur, longiorem illi morbum certe nõ redderemus. Ac de ijs quidem hæc mihi dixisse sit satis.

7 Nunc reliquas occasiones quibus syncope succedunt, deinceps referemus. Hæ sunt numero quatuor: dolor uehemens, uigiliæ, immodica uentris inanitio, ac in ijs qui aliena loquuntur, aliquando motus: sed & quintam, si non displicet, addas: nempe principiorum intemperiem, de qua in calce libri agemus: idcirco maxime ꝙ dupliciter prouenit, uel in nuda qualitate particulis alteratis, uel uitioso succo in has recepto. Deinceps igiť de omnibus quæ memorauimus, est agendũ, initio à doloribus sumpto. Ergo si causam ipsam, unde dolor excitatur, adimere possis, ita utiq́ contra symptoma non pugnaueris, sed ægritudinem curaueris. Sed si qua occasione prohibitus, affectui summouendo intentum esse non licet, uehementiam doloris mitigabis. Verum quoniam nec dolorũ causas summouere, nec uehementiam eorum remittere fas est, nisi intellexeris cuius uitio is dolor in cubantis corpore excitetur, perpẽdendæ prius tum causæ dolorum sunt, tum uero signa quibus hę dignosci queant. Nam cum sensui plerunq́ parũ pateant, hominem qui in tali speculatione sit exercitatus, nimirum postulant. Itaq́ cum nobis in alijs operibus nõ pauca de dolorum generatione sint præcepta, ipsorumq́ omnium opportunum tempus iam uenerit, necessum arbitror totam eorũ rationem summatim percurrere. Quoniam igitur in animalis corpore omnibus cõsentientibus sectis, non omnes partes sensiles sunt, manifestũ est quæ prorsus sunt insensiles eas non dolituras. Igiť cum sensilibus duntaxat dolor accidat, sequens est ut ęstimemus eiusmodi ne corpora perpetuo sint dolitura: an uno aliquo tempore, cum uidelicet ortus in his crucians affectus sit. At si ipsa euidentia nos docet multũ temporis, quo nihil omnino doleamus, non obscurum est certo aliquo tempore, quo scilicet excitatur in singulis quæ dolent, crucians affectus, necesse esse ea dolere. Ergo si inuentum nobis fuerit quænam affectio ea sit, quæ in sensilibus corporibus orta facit ut animal doleat: utique & quod quærimus, iam fuerit inuentum. Hic igitur ab ijs naturalibus notitijs quæ omnibus nobis sunt cõmunes, procedere methodo ad C id quod considerandum proponitur, conueniet. Porrò naturalis notitia nos docet uitium id corporis ex quo sit doliturum, aut continuitatis diuisionem oportere esse, aut alterationem aliquam. Ita etiam non incõmode dictum ijs est qui ex insectilibus, uel insensilibus, uel incõpactilibus elementis corpus componunt, affectum unde dolor nascatur, prorsus inueniri nõ posse. Quippe quæ tantummodo tangunt, eorũ nihil uidetur dolorificũ. At talia corpora tantũ se inuicem tangunt. Quòd si non contingant modo, sed etiã se inuicẽ in concursu collidant, ad dolorẽ creandum nihilo plus conferunt, si quæ colliduntur, insensilia statuunť: nisi etiam lapides cum diuiduntur, dolore affici di D cemus. Verum de his latius tum alibi, tum in quinto De Asclepiadis placitis disseruimus. Nunc autem cõfessum hoc principiũ sumẽtes, necesse esse ut affectus qui dolorem excitet, uel diuisio sit, uel alteratio: illud etiam memoria repetamus, ne alterationem quidem ipsam sensim irrepentem, dolorem afferre animali posse: sed quæ dolore animal afficiet, eam mutationẽ tum confertim factã, tum uero uiolentã esse debere. Videntur enim corpora non solũ cum in non naturalem habitũ confertim aguntur, tristem mutationẽ sentire: sed etiam in ipso ad naturalem statũ suum reditu (nisi eum paulatim accipiant) cruciari. Scimus enim qui in uehementi frigore iter fecerunt, eos cum sese non sensim, sed semel calfacere ꝓperarẽt, dolore circa unguium radices adeo uehemẽti affectos, ut ferre

non

non possent. Illud uero inquirere an ipsum quod uehementer excalfacit aut refrigerat, diuisionem aliquam cõtinui efficiat, longiore fortasse disputatione eget. Et utiq; demonstratũ à nobis est in cõmentarijs De simplicium medicamentorũ facultatibus. Verum quid agendo, quæ uehemẽter uel excalfaciunt uel refrigerant, dolorẽ inferant, quęrere, ad rem propositam minime est necesse. Siue enim ut substantiæ sensibilium continuitatem diuidentia, siue ut eam semel & cõfertim alterantia, id ad eorum inuentionem quæ dolorẽ leuabunt, nihil refert, modo sciamus, quòd uiolenter uel excalfacit uel refrigerat, id sentiẽtia corpora dolore afficere. Ergo si cœpisse ab euidentibus cõueniet, euidenter autẽ uidentur eorum quæ corporibus nostris propinquãt, hęc sola esse dolorifica & quę uehemẽter uel excalfaciant uel refrigerẽt, & quæ substantię continuitatem diuidant (hæc autẽ sunt quæ uel cõtundunt, uel incidunt, uel distendunt) utiq; curationis eorum inuentionẽ quæremus uia aliqua insistentes, quę à quęrendorũ natura sit accepta, quæ methodos appellatur. Rursus igitur supra repetentes dicamus. Quoniam id quærimus, quemadmodum in morbis dolore affligamur, ubi nihil nobis extrinsecus triste appropinquat, necessum est aliquam talem causam in corpore quęramus, quæ scilicet uehemẽter excalfaciens & refrigerans, uel substãtiam sensilis alicuius corporis diuidens, nos excruciet. Ac primũ illud speculabimur, cuiusnam esse naturæ debeat, quod continuitatẽ diuidet. Necesse igit̃ est uel ruptionẽ uel contusionem, uel erosionẽ esse affectũ eum qui diuisionem cõtinui faciat. At uero ruptio ex distentione quadam, cõtusio ex grauãte, erosio ex mordente prouenit qualitate. Ergo cum nihil extrinsecus sit quod uel distẽdat, uel grauet, uel erodat, sed ex seipso horum aliquod corpus sentiat: neminẽ latere potest distentionẽ ab aliqua intrinsecus substantia, quæ multitudine sua corpus se cõtinens distendat, aut immodica siccitate prouenire: cõtusionẽ, ex eo ꝙ aliquod corpus ab externo superceciderit quod uel durũ, uel magnũ, uel graue, uel simul ambo fuit: erosionẽ uero, ex succo aliquo cui mordens natura insit. Igitur ubi uehemẽs dolor urget scrutandum nobis est, an succus plurimus, an spiritus cui nõ sit exitus, an grauis moles, an mordens humor, an siccus affectus subsit. Ad hæc, ueluti initio est definitũ, an aliquid quod ualenter excalfaciat uel refrigeret. Quorum ipsorũ quoq; rursum causæ, uel in spiritu, uel in humoribus, uel in solidis ipsis sunt statuendæ. Quicquid enim eorũ uehementer excalfactum refrigeratumúe sit, quãdo quod uicinũ est tangit, graue illi molestumq; redditur. Igitur quemadmodum singula quæ cõprehẽdimus agnosci possint, tum uero quòd tum omnium habeamus manifestas notas, quodq; si aliud quicq;, etiam causarum & affectuum quæ sensum fugiunt agnitio, ex multa exercitatione, & curiosa omnium perpensione nobis tandem pariatur, alibi monstratũ est. Nunc uero id cõsiderare propositum nobis non est, imò solam ipsam meden-

A di methodum persequi. Ex qua scieter perspecta, quantum auxilium compendiumq; medicis non ad præsidiorum modo curationumq; facultatem, sed etiam ad affectus aliquando agnitionem comparetur, sæpe uobis in ipsis ægrotantibus manifeste ostẽdi, quorum iam duos tresúe qui haud pridem sunt sanati, referam. Vnus enim, ut scis, quadragenarius erat, qui cum colo laborare putaret, non modo nihil est à fomentis tum humidis tum siccis leuatus, sed nec cataplasmatis nec clysteribus, quibus scilicet publice uti in eiusmodi affectibus solent: uerumetiam à plurimis eorum exacerbatus. Nam à rutaceo oleo per sedem infuso deterius habuit, itemq; à castoreo: quinetiam ubi mel coctũ cum pipere assumpsit, extremis doloribus

B est afflictus. Iam cũ cremorẽ cocti fœnigræci unà cum melle accepisset, uehementer est irritatus. Ipse igitur ubi mordentes succos in tunicis intestinorum immersos conieci, qui scilicet secum unà corrumperent, tum ea quæ per inferiora essent infusa, tum ea quæ per os sumebat, exhibui homini nutrimentũ, quod non facile corrumperetur. Deinde cũ minus eum cruciatũ intellexi, uitiosos humores purgandos indicaui. Cũ uero aptissimũ ad eiusmodi uitiosos humores esset medicamentum quod ex aloe componitur, quodq; iam uulgo picran appellant, utiq; aceruatim hominẽ iuste purgare nõ sum ausus, ꝙ doloribus & inedia duobus mensibus confectus esset. Verum ex quibusdam interuallis moderate id faciens, quindecim circi-

C ter diebus hominẽ (ut scis) prorsus sanaui: idq; nullo præterea adhibito præsidio. Atq; hic quidẽ illo primum tempore sic est uexatus, nunquam prius intestini dolorem expertus. At alius iuuenis huic quidem ætate propè par, sed qui sæpe ante colico cruciatu fuerat affectus, accepto scammoniæ succo fuit purgatus. Cum autẽ bene largiter fuisset uacuatus, primo quidẽ die uesperi in balneo lotus, mox ptisanę cremorẽ sumens, post piscẽ quoq; comedens, nocte ea quæ ceperat euomuit. Secundo die itidẽ lauatus, comedit primum lactucã, mox auium carnis aliquid in albo iure elixæ, ab hac alicã ex aqua sumpsit, uino austero iniecto. Vbi uero ab ijs mediocriter se habere est uisus, etiam tertio die nutritus similiter est. Reddidit tamen per

D aluũ plura ꝙ̃ pro ciborũ portione, eaq; cum morsu. Deinde quarto die etiam magis dolere sibi uentrem sensit, & cum se in balneo alicubi frigus accepisse imprudentem putasset, rutaceum sibi oleum per sedẽ infundens, non solum uehemẽtissime est uexatus, sed etiã liquidã deiectionẽ copiosissimã excreuit, quod facile declarauit aliquid à toto corpore ad loca uẽtris deferri. Post deinde per circuitus similis redibat cruciatus. Audientes autẽ eius symptomata, intelleximus noxam ex scammonia in illis maxime intestinis procubuisse, quæ prius etiam fuerant imbecilla: sic ut quasi fluxionis quidam exortus esset affectus. Ergo quemadmodum hunc quoq; sanauerim, scis. Abijcere ẽm iussi præsidia colica, alicaq; calẽte, quæ cocta in aqua esset, nutriri, immissis ei mali punici granis. Cũ autem

tota nocte citra dolorē dormiuisset, miratus profe A cto est remedij nouitatem: rogauitꝗ quid esset bibendum. Dedimus itaꝗ bibēdum dilutum rhois cremorē, quò uidelicet siue aliqua esset in summo intestino facta exulceratio, eam adstringeret, siue etiam ex consuetudine aliquid ex superioribus locis in partem afflictam confluerct, id reprimeret: prandioꝗ eodem uti iussimus: deinde ad uesperā cœnare pane puro madefacto in uino aliquo naturaliter quidem austero, sed ueteri. Concessimus præterea ut austerum quemcunꝗ uellet fructū sumeret, siue malum, siue pyrum, siue punicū. Simili ratione etiā tertio die cibatus, in quarto theriacen bibit, sanusꝗ omnino est redditus: ac de cętero ad cōsueta reuersus, nullum sensit incōmodum. Simili genere & alteri cuidam in æstate affecto, cum sitibūdus admodū esset, supra alia quæ memoraui, B etiā frigida potione uti permisi. Ergo ne requiras in omni affectu eiusmodi notas, quales in pleuritide uel dysenteria apparēt. Quippe scientifica est morborū id genus agnitio, certis uidelicet definitisꝗ notis cōparata: cū eorū qui proxime sunt dicti, coniecturalis agnitio sit, ac solis ijs inueniri potis, qui exacte cuiusꝗ morbi propriam curationē norint. Quare quoniā de hac proposita nūc disputatio est, ipsam per se absoluamus. Nec affectuum agnitiones attingamus: maxime quæ ex coniecturalibus notis incipientes, cum eorū quæ prosunt obsuntꝗ, cognitione sunt cōiunctæ. Methodum enim in ijs, atꝗ etiam exercitationē, in morborū agnitionibus seorsum per se fecimus: quò scilicet C arte quis instructus, in omni ægro tum locum qui affligitur, tum ipsius affectum, sicuti nos inueniat.

8. Ergo reuertamur ad affectus, qui dolores excitant. Si sanguinis abundantia sit, quod distendat ueluti profecto in phlegmone fieri solet, protinus ubi uires ægri ualentes sunt, sanguis mittēdus est. Sed si is uel sanguinis missionem timeat, uel imbecillis uiribus sit, tum reuellendus in diuersum sanguis est, tum per propinqua deriuādus. Dictumꝗ nobis prius est, quemadmodū hæc fieri cōueniat. Quòd si his peractis dolor etiā perstat, patet profecto in ægrotāte particula impactū esse quod cōtristat. Patet uero non minus & ꝙ curatio ipsa per digerētia medicamenta sit molienda. Pari ratione & qui ex flatuoso spiritu dolores fiūt, curabimus: D sed simul in his potius tum extenuantibus cibis, tum potione, tum per sedē iniectionibus, tum cataplasmatis, tū humidis siccisꝗ fomentis auxiliantes. Sin moles aliqua grauādo cōtundēdoue dolorē excitet, moli ipsi est medendū. Sin mordens humor est qui affligit, aduersissima huic sunt quæ extenuāt & calfaciunt. Postulat nanꝗ huius generis affectus, si modo curandus est, ut ea quę cōtristāt, uacuenť, si id omnino fieri nequeat, ut per epicrasin, id est contemperamentū saneť: sin id quoꝗ fieri nō possit ut quæ torporē inferāt, medicamenta exhibeanť. Quæ quanꝗ sunt reliquorū cōmunia, minus tamē hos affectus ꝙ alios lædunt. Quippe tenuis cōsistentię, & calidarū uiriū plurimi talium humorū sunt; quæ autē ex papaueris succo, & alterco, & eo modo frigidis cōposita medicamenta sunt, simul omnino & refrigerāt & siccāt, qua ratione nō solū ut sensui torporē inducētia salutaria sunt, sed etiā ut humorum tenuitatē cogentia atꝗ crassantia, prętcrea uehementē calorē refrigerantia. Vbi uero crassi glutinosiꝗ humores habētur, alienissima sunt quę torporē inducunt, cauēdusꝗ magnopere in eiusmodi affectibus eorū usus est. Sed nec alioqui comitať eiusmodi succos, modo soli sint, dolor uehemēs. Si uero ex accidēti aliquo cōiunctus his halituosus spiritus est, qui ex ijs quibus cōtinetur corporibus erumpere prorsus non potest, grauissimis omnino doloribus, qui ita se habent cruciant. Porrò accidit id illis duplici ex causa, uel obstructione, uel calore. Nam & obstructio spiritū cohibet, nec exire permittit, & crassa glutinosaꝗ cum calefiunt, flatuosum spiritū gignere solent. Eiusmodi sanè affectus ijs qui se cibis natura frigidis, & cōsistentia crassis ac glutinosis refersērūt, quādo in ipsis intestinorū tunicis flatuosus spiritus cōtinetur, potissimū incidit. Nam cum hę duplices sint, ubi medio earū spatio eiusmodi collectus humor est, in flatulentū mutať spiritū. Sanè is & crassus, & tardi motus, & frigidus est. Vbi igiť tum retineť, tum tunicas distendit, tū succus unde oritur, intestini partes quas cōtingit, uehementer refrigerat, duplici occasione affliguntť qui sic laborant. Ac ad tēpus quidē, ubi torporē faciēs medicamen biberūt, prorsus indolētes redduntť, cęterū affectus his omnino fit maior. Nā & intestinorum tunicæ medicamentorū frigiditate densiores, minusꝗ flatui transmittendo habiles redduntť, & humor ipse tum crassior, tum ad motū ineptior euadit. Itaꝗ & spatio longiore ad ægri curationem, & medico qui egregie in arte sit exercitatus, est opus. Nisi enim certa ratione postmodū curationē aggredieť, uerendum erit ne succi secundo in flatuosum spiritū uersi, eundē dolorē renouēt, unde rursus stupefacientiū aliquid medicamentorū exhibere sit opus: eadem scilicet necessitate urgēte. Ac pari modo tertio & quarto & sæpe deinceps, quoad homo insanabilis effectus, in malū totius corporis habitū perueniat, & post longa tandem tędia pereat. Quo pacto igitur dolores eos, quos frigidus humor in medio intestinorū interclusus excitauit, sanare conueniet? Sanè non perfusionibus & cataplasmatis quæ ualenter excalfaciant. Quippe lenti omnes crassiꝗ & frigidi humores, ab ijs quę calfaciunt, nisi etiā ualenter digerant, liquanť, ac in flatū mutanť. Oportebit igiť eos incidere simul & cōcoquere, quas res tenuantia medicamenta præstabunt: potissimū tamē si calida uehementer non sint. Quòd autē horū quoꝗ ipsorū ea maxime deligenda sint, quæ magis flatū discutiant, magisꝗ siccent, nemini potest dubium esse. Sæpeꝗ ex plebe nō paucos audias minus sibi dolere colon affirmantes, cū nec ipsis cataplasma imponitur, nec oleo aliquo perfunduntť, nec per clystere aliquid infunditur. Et sanè qui generosi animi fortesꝗ sunt, si mediocri utuntur uictu, tutius longiore in tēpore percuranť, ꝙ qui uiolenter (ut dictum

dictum est) calfacientibus utunt̃. A nullo enim in eiusmodi succis tam est metuendū, ꝗ à calore, qui eos liquet, atq; in flatū uertat, sed digerere non ualeat. Vidimus nanq; ex agrestibus operarijs quempiā qui ubi colli dolorē sensit, protinus se cinxit, cum cingi ante nō soleret, comedit aūt cū pane alliū, nullum dimittens consuetū opus, nec toto die quicquā bibit, sed uesperi meracius: ab his & tota nocte dormiuit, & mane ab omni dolore planè liber surrexit. Est enim profecto alliū ex eorū ciborum genere, qui & flatū discutiāt, & minime sitim inferāt. Sunt qui parū id experti existiment maiorē ꝗ cæpas sitim excitare: sed planè errore, cū non modo nō maiorē ꝗ cępæ, sed nec omnino sitim faciat. Idē omniū planè eduliorū maxime flatū discutit. Itaq; ipse certe agrestium theriacen id appello. Ac si quis uel Thracas, uel Gallos, uel deniq; qui frigidā regionē incolunt, uesci allijs uetuerit, nō leuiter ijs hominibus nocuerit. Ac quos ex supradicta causa uehemēs intestinorū dolor citra febrē exercet, ijs & alliū esse licet, & theriacen bibere: quippe quæ eiusmodi affectibus magnopere subuenit. At si cum febri unà talis dolor aliquādo incidat, principio quidē, si id ferunt, fomentū siccū ex milio est adhibendū. Si ab hoc nō quiescant, semen aliquod quod flatum dissipet, in oleo quod tenuiū sit partiū, coquere, mox per linteū, quò purum sit, oleum colare, deinde anseris seuū in oleo liquare, & per sedē infundere oportebit. Si anseris seuum nō sit, gallinaceo est utendum, in primisq; curandum, ut sit expers salis. Esto autē nec admodum uetus. Licet uero & recenti uti: presertim anserino. At si neq; ex hoc remittunt̃ dolores, secundo rursus inijciendum idē est, adiecta etiamnū castorei & papaueris succi, utriusq; fabæ nō amplius magnitudine. Olei uero hemina modus esto, excipitur & lanula ex hoc medicamēto aliquid. Debebitq; appēso forti filo, ꝗ penitissime in rectū intestinum dimitti, quò utiq; & cum libet ea facile recipiat̃, & euidentē conferat utilitatē. Ad eundem modum & oculorū & auriū dolores qui ex huiusmodi humore, aut spiritū flatulento in febri excitant̃, sedare cōueniet, ita ut tum fomēto ex milio, quoniā id omniū & leuissimū est, & maxime siccans: quodq; ab eo defluit, innoxiū expersq; morsus est, utamur: tum auribus medicamētū id quod ex castoreo & papaueris succo conficit̃, infundamus, quo scilicet ad talia uti solemus. Liquor quo hæc liquantur, sapa esto: quod apud nos uocant ἕψημα, pleriq; medicorum σίραιον græce appellāt. Quòd si imponi cataplasma res aliquando suadebit, papauerum capitibus in aqua coctis, ac fœnigræci uel hordei uel lini seminis farina aquæ immissa, cataplasma conficies. Scire autē licet medicamentū quod castoreū recipit, nō solū auriū sedare dolorē, sed etiā oculorū & dentiū, si auribus instillet̃. Iam uero collyria quæ ex opio fiunt, uehementissimos oculorum dolores remittere, omnes norunt, utendumq; (ut prædiximus) his est, cum maxima necessitas urget. Illud minime ignorantibus particulas ipsas nōnihil lædendas, imbecillio-

A resq; in reliquā uitā ex refrigeratione futuras, cæterum saluti hominis in præsens ipsam futurā postea noxā posthabentibus. Siquidē nō paucos eorum qui his sunt usi, eò infirmitatis uenisse, ut alij ferè nihil omnino uiderent, alij propemodū surdi forent, id omnibus iam notū est. Itaq; nos siquando cogimur his uti, postmodum in sanitatis tēpore particulas ipsas excalfacimus, nēpe auribus oleum id quod solum castoreū habet, infundentes: oculis uero collyria quæ tantum excalfaciant. Ad quod scilicet munus maxime id probamus, quod ex cinnamomo conficit̃. Ac de doloribus quidē, qui ex crassis glutinosisúe aut frigidis succis, uel etiā flatuoso spiritu excitantur, hactenus abunde.

Similis nanq; est eorū omniū curatio, & quæ per B cōprehēsas iam materias perficiat̃, nisi ꝙ is qui spiritum flatuosum comitat̃, propriā quandā curationē est sortitus, ex cucurbita cū flāma copiosa subinde admota. Videbiturq; tibi præsidium hoc in huiusmodi affectibus, incantamēti cuiusq; simile quid efficere, siue hi in intestinis, siue in quauis corporis particula sunt excitati. Ilico enim cucurbita admota qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tū omnino sani reddunt̃. Quos uero non spiritus modo flatuosus, sed etiā humor quispiā unde is oritur male habet, ijs ilico ad tēpus dolor sedatur, redit tamen uel in sequente nocte, uel postridie, uel etiā tertio die similis dolor, ac potissimum ubi in uictu aliquid deliquerint, aut importunius particulas excalfecerint. Tibi uero hoc q̄q; C maximū indicium affectus erit, ac curationē pro ratione prosequeris, nec impēse particulā excalfaciēs, & tenuatoria curationis ratione utēs. Quòd si in uentre quoq; talium quippiā incidat, mirificè hi ex acrium per clysterē iniectione leuantur. Sed percurāda in his primum doloris accessio est, admota scilicet cucurbita, quò uentosus digerat̃ spiritus. Post id uacuandus humor est, infuso per sedem eiusmodi medicamentorum aliquo. Ego uero oleo quopiam tenuis substantiæ uti assueui, rutam incoquens. Porrò aliqui in tali curandi ratione, ubi oleum acceperunt, maximo dolore cruciantur, postea exiguo interposito spatio excernūt humorem uitreum, atq; ex hoc protinus simul & à dolore & ab affectu liberantur. Quippe sublata D causa quæ spiritū flatuosum gignit, omnia cōquiescunt. His humoribus contrariam maxime naturam habet, qui tenues sunt atq; acres, sed similem dolorem inferunt: nonnunꝗ autē & cōuulsiones intentas accersunt, utiq; cum in ore uētriculi sunt collecti, ueluti dudum illi contigit, qui paulo post æruginosum humorē euomuit. Satius uero sit nō æruginosum ipsum dicere, sed exactam planè æruginem. Talis nanq; erat qualis pulcherrima est ærugo. Verum huic adolescenti cum cōuulsione & syncope, etiam guttæ quædam frigidæ, & pulsus in summo gradu parui erant. Ex quibus cum conijcerē in ore uentriculi, quem publice stomachum uocant, mordentē aliquem cōtineri humorem, dedi illi aquam tepidam bibere, post quā protinus tale id euomuit, quale si ipse facere uelles,

flori-

floridissimam æruginem aquæ misceres. Cum igitur talis humor in uentriculo consistit, uomitu est expellendus: cum in intestinis inijcere per sedem conueniet, quod eluere eiusmodi humorem sit aptum. At id detersiuum sit omnino oportebit. Cum autem talium pleraq; mordeant, cõmodissime ex his aliquod deligitur cui morsus absit. Eius generis maxime est ptisanæ cremor. Cibi uero exhibendi his sunt, qui & boni sint succi, nec facile corrumpantur; quorum exempla in priore libro iam tradita habes. Quoniam uero etiam eorum qui ex siccitate uehementi tendunt crucianturq;, mentionem feci, non alienum fuerit de his etiam aliquid apponere. Scire nanq; licet eiusmodi affectum, si modo curabitur, humectationem poscere; cæterum, curatu perdifficilem esse, uel potius qui curari omnino non possit, si febris occasione est contractus. Succedit maxime exitiali phrenitidi. Nec sanatũ quempiam ita conuulsorũ aut ipse uidi, aut alium narrantem audiui. Nam plerũq;

A cõuulsio, uel ex repletione neruosarũ partium incidit, (qua ratione eos quos magna phlegmone premit, adoritur) uel ex mordente & tenui humore qui neruosa corpora rodat, uel ex ingenti frigore quod tale quippiam quale gelu efficit. Atq; hæ tres conuulsiones subinde percurantur. Sed quæ ex neruosarum partium siccitate prouenit, insanabilis est. Quippe etiã in libro De marasmo docuimus solidorum corporũ siccitatẽ omnino esse insanabilem. Quo minus adijciendum quicq; de eiusmodi symptomatis pręterea puto, sed nec de ijs quæ uitio immodicæ uacuationis, uel per aluum, uel per uomitum, uel sanguinis profusionem, incidunt, quòd et antea de his mediocriter sit dictum, & posthac dicere sit necessum, potissimum cum B mihi de tumoribus, qui præter naturam incidunt, erit agendum. Itaq; librũ hunc iam claudam, quando de symptomatis ijs quæ utiq; tractatu maxime erant necessaria, & pręcipue quæ cum febrium affectibus ipsis sunt connexa, abunde disserui.

ARGVMENTA LIBRI DECIMITERTII.

Qui librum hunc in capita secuerunt, in tres Tomos discerpunt, & sua cuiq; capita adscribunt: quorum primus & secundus satis breues sunt, tertius longissimus. Poterit autem aliquis eodem numerorum processu uti, ut in superioribus, sine Tomorum respectu.

Tomi primi.

1 Caput I. Quòd in præcedentibus libris curam solu-
tionis cõtinui & temperaturæ uitiatæ docuerit: posthac
de tumoribus præter naturam dicturus: quorum pri-
2 mam facit phlegmonen. II. De generatione phlegmo
3 nes, de qua supra etiam lib. 2. cap. 6. III. Methodus
curandæ phlegmones.

Tomi secundi.

4 Caput I. Hoc tomo differit de phlegmonis quæ in a-
denosis & non adenosis partibus oboriuntur: Primo au
tem capite generatim tantum species atq; curatiuas in-
5 dicationes tumorũ præternaturaliũ indicat. II. Phleg
monas adenum omnes in ordinem digerit: primũ quan
do hi intumescunt occasione longinqui ulceris: deinde
6 illas quæ adenes primo infestãt. III. Redit ad curatio
nem phlegmones partium non adenosarum. Numera-
tis autem repletionibus adiungit harum cuiq; medica-
tionem suam: de quibus etiam lib. 4. cap. 4. De auer-
sionibus. Tempus adstringẽtium & relaxantium me-
dicaminum in phlegmonis. Quæ medicamina metho
do quæ ue experientia sint inuenta.

Tomi tertij.

7 Caput I. Hoc tomo agit de phlegmones curatione,
per indicationes inuestigandas secundum membra: &
primo unam indicationem à similaribus partibus acci-
piendam instituit, alterã ab instrumentarijs. De prio-
re satis dictum est antehac ubi de ulceribus lib. 3. cap. 8.
8 II. De instrumetariæ partis indicatione agere incipit,
9 & pergit ad finẽ usq; huius libri. III. De phlegmona-
rum curatione à quatuor organorum membrorum in-
10 dicationibus. IIII. Obiter proponit quasdã curandæ
phlegmones indicationes, quæ tum instrumentalibus
11 tum similaribus partibus sunt cõmunes. V. Plurium
membrorum phlegmonas curare docet per sectionem
uenæ, indicans quæ cuiq; membro affecto incisa uena o-
12 pẽ ferre possit. VI. Quatenus phlegmonis à princi-
pio refrigerantia & astringentia admouere & non admo
13 uere cõueniat. VII. De uictu in phlegmonis artuũ aut
glandularum: quem non necesse sit exquisitæ bonitatis
esse: In phlegmonis autem iecinoris aut uentriculi, ex-
14 quisitissimũ uictũ desiderari. VIII. Adhuc de phleg
mone iecinoris: q; uitanda sint alimẽta solida & obstru-
entia, utendum autem aperientibus ut oxymelite cum
aqua, & ptisana quoq;. Adstringentia obstruere caua
hepatis, quamuis his quæ in gibbis eius consistunt mu
tata ueniant, & nõ usq; adeo adstringant, mordeant, aut
lenta sint: utpote prius cõcocta, & sanguini iecinoris im
mixta. IX. Phlegmone laboranti hepati nõ nuda rela 15
xantia, sed adstringente aliquo admixto medicamina
esse applicanda. Cõtra Attalum Thessalum medicũ.
X. Sequẽtibus capitibus indicationes describit, quæ 16
C à laborantibus membris sumuntur: addens q; renes fa
cile à cibis crassi & lenti succi scirrho obnoxij fiant: fac-
ilius lien: omnium facillime iecur. Horum medicami-
na sunt quæ dissecãt, dissoluũt, & cõminuunt. XI. Do 17
cet per collationem indicationum discrimen, quæ sumi
possunt à iecinore & liene phlegmone aliqua laboran-
tibus. XII. Membrũ omne phlegmone laborans ex- 18
cernere foras aliquam saniem, nisi durissima cute sit ob
uolutum. Crassa excrementa collecta in medio pecto-
re deputatis ad hanc rem medicamẽtis educenda osten
dit. XIII. Quid faciendũ sit phlegmone tũ in summo, 19
tum in alto corpore oborta. Cucurbitularum utilitas.
XIIII. Medicaminũ naturã respectu particulæ affli- 20
ctæ diligenter cõsiderandam esse iubet: & à partibus af-
fectis indicationẽ petendam. Aloen uiscere aliquo phle-
gmone affecto nõ exhibendã. XV. A partibus sumen 21
dam indicationem esse, ostendit in uitijs capitis & cali-
dis & frigidis. Cor non esse animæ sedem contra Thes-
D salios. XVI. Cui potissimũ loco in phlegmonis uel a- 22
lijs uitijs capitis, medicamina sint imponenda, nempe
circa suturã coronalem. Qua cõueniat parte ophthal-
mica inijcere phlegmone laborante oculo: de liquore
oui: de triplici doloris oculorũ causa: curatio morsus,
repletionis, & crassorum humorum & flatuosi spiritus.
Cõmunia præcepta. Vasorũ excisio. Enarratio apho-
rismi, Dolores oculorum meri potio, &c.

ALITER.

De tumoribus præter naturam. Quæ sit phlegmonarum curatio. Phlegmones glandularum, atq; iecinoris, curationẽ prosequitur: quo exemplo methodum uniuersum phlegmonarum curationis indicat. De principe animæ parte, ac de phrenitide & lethargo. De indicatione quæ à particula affecta sumitur: Quo in loco & de liene, nec nõ de membris respirationis nonnulla adducit. Methodus curandæ oculorũ phlegmones, & de arteriarum incisione.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, Liber tertiusdecimus.



DVO iā genera morborū quēadmodum quis methodo sanet docuimus, alterum in intemperie positū, cui antiqua est appellatio: alterū, cui nos nomen indidimus, Continuitatis solutionem. De qua prima in tertio, quarto, quinto, ac sexto horum cōmentariorū præcepimus. Post eam de iis quæ in intemperie consistunt, usque ad duodecimū egimus. In hoc uero totius operis tertiodecimo de tumoribus qui præter naturam incidunt, disserere incipiemus, in quibus. s. partes à naturali habitu in quantitate recesserunt. Sane sanitatem, an naturalem habitū dixeris, ad ea quæ nūc paramus, nihil intersit. At cum plures specie affectiones in his sint, primum agemus de phlegmone. Expedit enim ab hac cœpisse, & ꝙ frequentissime incidit, et ꝙ febres, aliaq; symptomata periculosissima excitet. Cū autē ueteres φλόγωσιν (quam inflāmationē interpretere) subinde phlegmonen appellent, sciri uolumus, non hoc loco nos de hac phlegmone disserere, sed ea quæ supra inflāmmationē, tensionē quoq; in particula facit, quam non modo ipsi tactu deprehēdamus, sed etiam ipse æger proprio sensu aduertat. Quinetiam pro tensionis modo tangenti quoq; renititur pars phlegmone obsessa, auctiorq; est ꝙ̃ pro naturali habitu, nec dolor illi deest, maior minorúe. Cū quo nonnunꝙ̃ et pulsationis est sensus, cum. s. malum amplius increuit, ac potissimū cum suppurat. Rubor quoq; in parte quæ phlegmone laborat, maior minorúe semper uisitur. Semper autem omnia partibus inflāmatis insunt, adeo ut siue in ipso pedis uestigio, siue in parte interna manus, magna phlegmone incubuit, hęc quoq; magis rubra uidentur ꝙ̃ ante.

2 Etenim demonstratum est, phlegmonen omnem è sanguinis confluxu consistere. Qui aliis statim calidior est ꝙ̃ pro natura fuit, omnibus certe in ipsa parte quæ phlegmone uexatur, calidior efficitur. Atq; hoc omnium sectarum cōmune est, siue impactum tantum sanguinem in finibus uasorū, phlegmones causam uelint, siue intercidentiam eius (παρέμπτωσιν uocant) in solis arteriis, siue obstructionem aliquam, siue in raritatibus ratione cōtemplabilibus resistentiam. Quo fit, ut etiam curationis indicatio omnibus sit cōmunis, nempe uacuatio redundantis in particula phlegmone obsessa, sanguinis. Phlegmones uero quæ in generatione adhuc est, duplex indicatio est, ueluti in reliquis morbis omnibus quicūq; in gignendo adhuc sunt, necdum absolutionē sunt nacti, ostendimus. Nam quod eorū generatū iam est, id medicinæ artis parti quæ morbos curat, subiicitur. Quod in generatione adhuc est, parti quę futurum morbum præcauet. Atq; idcirco diximus nō simplicē,

A sed cōpositam esse totā de iis ægritudinibus quæ in generatione adhuc sunt, medentis solicitudinē, ex ea. s. quæ prouidet, & ea quæ curat, sicuti etiam si omnino phlegmone laborare adhuc non cœperit, sed tamē appareat iā subesse in corpore genus aliquod eorū quæ phlegmonen excitare possint, in talibus quoq; omnib. sola prouisio indicat. At si nulla adhuc in corpore causa subalitur, iis qui ita se habent, ea quæ sanitatis est tutrix, prouidet. Ergo quæ causæ phlegmonen accersere uident, has cum iam in corpore sint conceptæ, sed tamen exiguæ adhuc & incipientes, utiq; ne maiores fiant, inhibere conueniet. Atq; hoc præcauentis phlegmonē est officiū. B Cū uero ea magnitudine sint, ut iam phlegmonē creent, eas summouere oportet, ac quantum iam phlegmones genitū est, sanare.

3 Ac cōmunis omnium phlegmonarum generatio, ex sanguinis influxu est, copiosioris. s. quàm pars postulet, ueluti tum in libro De tumorib. prę ter naturā ostendimus, tum in eo qui De inæquali intemperie est inscriptus. Sane copiosior sanguis influit, alia quapiā aliis suę particulis aliquando eū mittentibus, ac ea quæ phlegmone laborare incipit, recipiente: aliquando particula quæ affligitur, hunc ad se trahēte. Partes quæ mittunt, aliàs ut copia superuacuum, uel ut qualitate molestum, aliàs utroq; nomine, succū propellunt. Quæ attrahunt, ea morboso calore trahūt. Porrò in doloribus incipit quidē causa ab eo quod affligitur, C sed quicquid est phlegmones, id superpositæ partes efficiunt. Ergo quòd ad partē excalfactam uel trahunt uicini succi (ut nos cēsemus) uel cōfluunt (ut Asclepiades putabat) euidenter cernitur. Et constet hoc loco ex ipso quod cernitur, sermoni fides. At uero quæ dolent, cernuntur ea quoq; phlegmonē ex dolore pati, sed causam eius quidam omnino non assignant, quidam nullo modo probabilem. Nostra uero sententia talis est. Docuimus in eo opere quod De naturalibus facultatib. edidimus, unam esse naturæ facultatē, quam excretoriam dicimus. Ea suo munere tum fungitur, cum triste aliquid sentit. Vnū uero quiddam est ex iis quæ eam D cōtristant, ipsa quæ dolorē excitat causa, quæcūq; ea sit. Hāc igit' eiicere dum properat, phlegmonē interdū in particula cōcitat. Cū enī primis suis conatibus nihil profecit, uehemētius aggressa quod infestat expellere, sanguinis aliquid & spiritus ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Atq; hinc fit, ꝙ ex dolore particula pro portione cōfluentis in eam humoris, in tumorē attollitur.

4 Quinetiam omnium tumorū qui præter naturā sunt, uarietas ex eius quod influit, natura nascitur. Vbi enim flatulenta materia copiosior accessit, flatuosi magis tumores fiūt. Phlegmonæ uero magis similes, ubi sanguis: sicut erisypelati, ubi flaua bilis: & œdemati, ubi pituita. Similiter scir-

rhosi, ubi uel crassus, uel uehemēter lentus humor est, qui parti est infixus. Sanè crassus humor, quodammodo iam melācholicus magis minusúe est. Lentus aūt ex glutinosis prouenit cibis, sed & ex ipsis aliquando neruosis partibus, utiq; cum multum excrementi genuerint. Verum de cæteris tumoribus post dicetur. Nunc de phlegmone agemus, ac prius, quæ omniū sunt cōmunia, ad disputationem propositis: sic deinde quæ solius eius uitij sunt propria, adijciemus. Cum igitur particula aliqua phlegmone urgeri cœperit, uidendum est an propter calorē aliquem qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorē, uel ipsius, uel propinquæ alicuius partis, hanc contraxerit, quò scilicet adempta causa, phlegmone non amplius increscat. Post hanc cōsideratione proxime illa contēplabere, nunquid uicina aliqua particula sanguinē largius ad partē phlegmone obsessam transmittat: deinde nū totū corpus aut sanguine, aut humoribus omnibus æqualiter abūdet, πληθώραν uocāt.

5 Nam tibi (arbitror) non excidit, utpote sæpe à nobis monstratū, superuacanea, quæ à ualentioribus partibus ob redundantiam, uel qualitatē expellūtur, ea in imbecilliores procūbere, atq; hinc accidere ut glandulæ, quas adenas uocant, facile fluxiones recipiant, & maxime quæ rariores natura sunt. Quippe ualentius est arteriarum, & uenarum, & neruorū, & musculorū robur, imbecillius autē ac in totū impar, corporū quæ glandularum sunt naturę. Sic igitur fit, ut & propter ulcus quod in manus aut pedis digito sit, eiusmodi glandulæ in inguinibus & alis tum intumescant, tum phlegmone occupent, cum defluentē ad ultimos artus sanguinē priores exceperint. Quinetiam in collo, & secus aures, sæpenumero glandulæ, ijs quibus in collo, capite, uel aliqua uicina parte ulcus est natum, intumescunt. Nominant aūt ipsos adenas, cū sic intumuerunt, bubones. Quòd si scirrhosior earum partium phlegmone aliquando fuerit: hęc & ægre sanabilis est, & struma dicitur. Quænā uero sit strumarum curatio, in proximo dicetur libro. Nunc de phlegmonis, quoniā de ijs disserere proposuimus, denuo repetētes, dicamus q; inhibitio earum incipientium, ex generante illas causa tollenda præstatur: primūq; de ijs quæ ulcera sequuntur agamus. Postea enim quàm prope magnam arteriam, aut uenam ulcus ortū est, celerrime bubones excitant. Cernitur autē aliquando ipsa quoq; uena, per totū membrū rubra, & calens, & distenta, ac si quis eam tangat, dolens. Ergo si uel totum corpus sit plethoricum, uel malo succo redundet, difficilis curatio reddit: Sin sanū planè sit, facilis. Quippe excalfacere & humectare modice totum membrū, quò dolor mitigetur, oportet (nosti aūt eiusmodi præsidiorū materiā) ipsi utiq; ulceri tetrapharmaco in linteolo imposito (liquat id oleo potissimū rosaceo, uel si id non adsit, relaxanti aliquo.) Toto uero membro, hapso lanæ ex calente oleo imbuto circumdato. Quinetiā ipsi ulceri calidū imponi medicamentū oportet: ac super ipsum, calidū extrinsecus cataplasma dare, quod ex farina uel hordeacea, uel triticea, uel ambabus mistis, constet. Humorē autē habeat aquam cum pauco oleo. Nō secus uero etiā ipsi adeni quæ phlegmone urgere cœpit, ut mitigetur, imponi debebit primo die lana ex oleo calente madens: non aūt, sicut nonnulli faciunt, statim addito sale. Post enim sale utemur, cum & tumor per totū membrū fuerit remissus, & dolor ulceris sedatus. Quinetiam Macedonicū quod uocant pharmacū, similiter sicut tetrapharmacū, ipsi ulceri imponere licebit. Etenim similia inter se sunt, solo thure tetrapharmacū Macedonico superante. At si uel plethoricū corpus sit, uel malo succo redundet, curatio per ea quę sic calent, fluxionē ad membrū citat. Atqui nec alia ulla uti datur. Cogimur ergo aliàs sanguinē mittere, idq; aut uena incisa, aut mēbris ijs quæ læsa non sunt, scarificatis. Manu enim laborante, scarificabis crura. Altero crurum male habente, reliquum. Has nanq; uacuationes indicat ipsa copia, sicut etiam succorū uitium, redundantis succi purgationem. Ac plerumq; post hæc prę sidia, glandularum phlegmone desinit. Sæpe tamē uel ipso qui curat, ad corporis totius uacuationem segniore: uel ipso qui laborat, præ mollitie eam non admittente, earum phlegmone maior efficitur, sic ut ad suppurationē perueniat. Sed & quæ φύματα quoq; græce appellāt, memoratis glandulis sicubi fluxio in eas procubuit, citra ulceris occasionem accidūt. Vbi ergo distentæ uehementer glandulæ sunt, aut alia deniq; particula quæuis quā phlegmone premit, cogimur toto corpore prius uacuato ipsam scarificare. Sanè uacuamus totū corpus (sicuti in libro De plenitudine monstrauimus) nō modo cum in redundātiæ succorū est habitu: sed etiā cū mediocritatē succorū continet, si morbi magnitudo suadeat. Siquidē dolor, & mēbri in quo phlegmone sedet, calor, etiā si purū ab excremētis totū corpus sit, fluxionis causæ fiūt. Expedit igitur parcius id, hoc casu facere, ac uacuare prout maxime tum ætati laborantis, tum naturæ congruere uidebitur: æstimatis præterea tum anni tempore, tum regione, tum ęgrotantis ipsius consuetudine de quibus sæpe iam in multis diximus, sic ut etiā si adhibita in sermone nō sint, subaudire ea cōueniat. Vbi uero phlegmones ipse ueluti feruor iam subsedit, mitigatorijs cataplasmatis dimissis, ad ea quæ digerunt, paulatim est transeundum: ac primū cum mitigatorijs paulum mellis miscēdum. Mox triticea farina in totū prorsus auferenda, cōtentis hordeacea cum melle uberiore: deinde ad aliquod eiusmodi digerentium medicamentorum est ueniendum, quæ uel liquida consistentia sint, similiter ijs quæ in lineamētis, uel linteolis excipiuntur (ἔμμοτα græce uocant) uel cerati specie. À duris autem abstinendū est, qualia pleraq; emplastra sunt. nam & phlegmonarū reliquias cōtrahūt, et rursus phlegmonē in ægra parte excitāt. Quin si pus aliquod notabile in suppurante particula sit cōtentum, nō expedit (quod nonnulli faciunt) protinus incidere, imò exhalationē moliri medicamentis ad id ualentibus, quorum usus ex affectu sit coniectatus.

Quippe

Quippe cum phlegmones naturæ quicq; in membro adhuc restat, acria medicamenta magis irritant q; digerant. Cum uero quod ex phlegmone relinquit, scirrhosum effectum uidet, fideter iam ualentibus medicamẽtis uteris: sed obseruato bis in die quẽ præstent effectũ, primũ mane, secundo uesperi. Quòd si balneo quoq; utat, etiã in eo tempore. Si quando ergo ægrã partẽ medicamenti acrimonia irritatã uideris ita ut tumentior, aut rubicundior sit, aut magis indoleat, mitigabis eam interea fomẽto, quod per spongiã administrabis. Id autẽ aliquando ex aqua dulci esto, aliquando etiã sal habente, ubi.s. scirrhosiores phlegmonæ sunt. Sin aliquando puris copia medicamenta superet, nec ea uideantur tibi totũ digerere posse, secare id quod sic abscesit, eo potisimũ loco oportet, quo est editisimũ. Quippe tenuisimam etiã illic inuenies cutim. Memineris præterea in sectione & alterius indicationis quæ ad fluxũ pertinet, atq; ad ambo respiciẽs, ita quod suppurauit incide, ac deinceps medicamentũ aliquod eorũ quæ sine morsu siccent, impone. Quòd si cõputruisse portio aliqua suppurantis partis uidebit, excidi eam est necesse. Sanè quidam in ijs quæ in axillis & inguinibus suppurant, in myrtei folij speciẽ semper excidi cutim iubent: quoniam in ijs laxa ea naturaliter sit, ideoq; omne quod ipsi aduenit prompte recipiens: præterea ipsa ex leui occasione phlegmonẽ facile contrahat. At maximas aliqui sectiones facere solent, quarũ occasione particula ubi ad cicatricẽ est perducta, non solũ turpisima reddit, sed etiã fit imbecillior, & quæ sæpe homini ad motus sit in mora. Hæc igitur ipsi uitãtes, sæpisime certe sola incisione, & medicamẽtis ualenter siccantibus, huiusmodi affectus sanauimus. Quòd si aliquãdo excidere aliquid propter multitudinẽ, non puris modo, sed etiã corruptarũ partiũ fuit opus, contenti eramus sectione quæ myrti foliũ imitat, planè non magna. Cũ aũt in ea excisione longitudo maior q; latitudo sit, esto in inguine longitudo per transuersum ducta, non aũt per membri rectitudinẽ. Quippe ita cũ membrũ inflectimus, naturaliter cutis sibi applicat, post excisam cutim, medicamẽto quod Græci μάνναν uocant, affectã partẽ implebimus. Est aũt ea purgamentũ thuris, leui adstrictione prædita, atq; hoc nomine etiã thure ipso ad nonnulla utilior. Thus enim puris tantum mouẽdi facultatẽ obtinet: utpote nullã adstringẽdi uim habens. Magisq; id facit quod pinguius ex eo est, & magis albicans: sicuti etiã quod flauũ ex eo magis est, ualidius siccat. Mannæ uero, etiã corticis thuris paululũ est admistum: unde.s. adstringendi uim habet. Ipse uero cortex thuris tum adstringit, tum siccat insigniter. Itaq; etiã ad moderatiores sanguinis perfusiones eo utimur solo: sicut etiã ad ualẽtiores, solo usto, sed tũc, & cribrato, & in mollisimum puluerẽ redacto. Quinetiam mitigare prius incisam partẽ (sicut dictũ est) quantum poscere uidebitur, oportet. fomentis primũ, dein cataplasmate, mox humectãte aliquo medicamẽto, aut non siccante: singulis.s. extrinsecus imposi-

A tis. Nam in ipso ulcere tum mannam (ut dictũ est) tum ex præsidijs quę linteolis excipiunt, primum ea quæ pus citant, dein ea quæ expurgãt, sunt imponenda. post quæ, si cauitas etiamnũ sit, quæ impleant adhibenda sunt. Sin minus, ea quæ cicatricẽ inducũt: (græce σωυουλωτικὰ & ἐπουλωτικὰ uocant) ueluti quod ex cadmia cõficitur. At quoniã in horũ quoq; usu plurimis medicorũ nõ paruum quiddam peccatur, non ab re fuerit etiã de ijs differere. Tum nanq; ducere ulcus ad cicatricẽ incipiunt, ac idonea illi rei medicamẽta applicant, cum iam penitus sit impletũ, nec quicq; illi restat cauũ. Hinc illis accidit, ut cicatrices efficiãt circumposita cute magis eminẽtes. Quò igit illi cuti sint ęquales, conueniet id genus medicamentis uti, priusq; B ulcus ad æqualitatẽ prorsus sit impletum, imposito super ipsas ulceris oras ex specilli mucrone medicamento aliquo sicco, ex ijs quæ in ulcerum curatione retulimus. super reliquum, linamento dato, quod aliquo medicamento ex ijs quę cicatricẽ inducant, & liquida sint cõsistentia, fuerit illitum. Cedente autem prospere curatione, etiam id amouebis, ac postea sicco tantum medicamine uteris, lato specilli mucrone [ex eo] super toto ulcere uolutato. Foris autem suffecerit linamentum uel siccum, uel ex uino madens, ac potisimum quod ex mollibus sit elychnijs, cuiusmodi Tharsensia sunt, quoniam quoq; ad ulcera quæ supercrescant submittenda, uim aliquam obtineant, atq; hæc ducente nos rerum societate, diximus.

C 6 Nunc ad sermonẽ De phlegmone reuersi dicamus cõmunem omnium phlegmonarum curationis indicationem esse uacuationem. Quæ uero adhuc in generatione sunt, in ijs prior uacuatio est confluentis ad affectum locum sanguinis inhibitio. Inhibebitur is cõmode, si ipsam fluxionis causam inuenerimus. Sanè ea duplex est, aliquando enim ex ipsa parte quã phlegmone uexat, oritur, aliquando ex alia quapiã alijsue. Ex ipsa quoties aut calidior est facta, aut dolore (sicuti ante diximus) urget. Non ex ipsa, quando uel ab alia quapiã, uel ab alijs superfluum illi transmittit, uel etiã ex totius corporis affectu. Fit igit calidius uel propter immodicum motum, uel aliquẽ ex sole, aut igni teporẽ, uel acre medicamẽtum. Dolore uero D angitur & propter intemperiẽ, & uulnus, & contusionem, & distorsionẽ, & tensionẽ, præterea obstructionẽ quandã, & spiritum flatuosum. Intemperies modo extrinsecus illi ꝓuenit, modo ex succis qui in ipso habentur corpore. Et extrinsecus, uel ab aliquo uenenatorum animalium, uel pharmaco quod uehementer excalfaciat, aut refrigeret, etiã ex ambiente nonnunq;. Ex ipso uero laborantis corpore, cum id uitiosos succos, qui facultate sint disimili, cõgesit. His igit omnibus æstimatis, quæ phlegmone adhuc in generatione sunt, earum causas prius abscindes. Quæ uero iam factæ sunt, has utiq; curabis solas. Ergo quid nã medenti agendum sit, si totum corpus male sit affectum, & dicta prius tum in his nõ pauca sunt, tum in libro De plenitudine, & nunc summas eorum

quæ dicta sunt, recensebimus. Vbi enim æquabiliter inter se succi sunt adaucti, id & πλῆθος & πληθώραν Græci uocant: nos plenitudinem, & succorum redundantiam dixerimus. Vbi uero uel flaua bili, uel nigra, uel pituita, uel serosis humoribus refertũ corpus iam fuerit, eum habitum κακοχυμίαν, quasi succorum uitium dicas, non plethoram nominant. Ergo plethora tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione: præterea digerentibus medicamentis, & preter hec om̃ia inedia, de quibus in ijs quæ De sanitate tuenda sunt prodita, dictum abunde est. Succorum uitium purgatione, quę cuiq; superanti succo sit accõmodata, corrigitur. Dictũ porrò & de hac est in ea parte operis De sanitate tuenda, quæ De uitandis morbis est instituta. Illinc igitur huc ea transferas oportebit, ac consideres quonam ex ipsis uti maxime expediat. Siquidẽ si iam febricitet æger, nec exercitatione uacuare exuperantiã licet, nec unctione quæ excalfaciat: sed nec multa frictione, nec balneo, imò sanguinis missione, unà cũ inedia, uel purgatione aliqua. At si nõdum febricitat, omnibus iam dictis utare, optimũ quodq; ad id quod instat deligens. Illud enim patere uel me tacente arbitror, eum cui crura phlegmone laborant, nõ esse uel ambulatione, uel cursu exercitandum: sed nec stare illi esse iubendũ: imò sedenti plurimũ fricari, mox manuũ motu exercitari illi est satius. At si cui in supernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione aut cursu est salutaris. Similiter & frictio his quidem ea potior est, quæ cruribus adhibetur, illis, quæ in supernis partibus administratur. Quippe præceptum in contrarium reuulsionis, in omnibus talibus commune est. Neq; igitur cum uel circa sedem, uel aliquã huic uicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deijcies. Neq; cũ in uesica, uel cole, uel renibus est cœpta, pharmaca quę urinas prouocent, bibenda dabis. Nec si mulieri in utero, uel pudendo insedit, menses huic prouocabis, sed ad partes quæ maxime longinquæ sint, semper reuulsionem facies: æstimata.s. tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu. Nam si plurima succorum abundantia sit, nec exercitatione, nec balneo sine periculo utare. Sin exigua sit, licet & per hæc uacues. Cæterum, (quod dixi) hæc tum in ea parte operis De sanitate tuenda, quæ morbos præcauet, sunt scripta, tum in libro qui De plenitudine inscribit', tum in his quæ De phlebotomia, siue incidenda uena, tum quæ De purgantium medicamẽtorum facultatibus edidimus. Sed quod ad cõmonefaciendum tantum de ijs sit satis, nunc etiã abunde est dictum. Itaq; ad propriam de phlegmone disputationem nunc est ueniendum. In qua primum merito uerba faciemus de phlegmone, prout ab affectu partis cui insedit est orta. Quippe satis constat affectum illum principio tibi esse sanandum, mox quicquid iam phlegmones est factum. Porrò interim ijsdẽ præsidijs ambo tolluntur, ueluti cum ex flatulento spiritu & dẽsitate particulæ dolor quis-

A piam est ortus. Hoc enim casu eorum quę modice calefaciũt, (quæ etiam χαλαστικὰ, id est relaxantia, siue remittẽtia uocamus) usus est cõmodus, ut qui pariter & cõniuentia corporis laxet, & flatuosum spiritum tenuet, & quod phlegmones iam conflatum est digerat. Ad eundem modum & si ex frigido dominante intemperies sit oborta. Nam tunc quoq; calefaciẽdo, non solum intemperantiæ, sed etiam phlegmone unà medeberis. Itidem si calor uehementior intemperiem fecit: refrigerantibus præsidijs ambo sistes. Siquidẽ intemperantia contraria semper requirit. Vacuatur autem quod impletum est, non modo medicamentis ijs quæ digerunt, sed etiam quæ adstringũt & refrigerant. Magisq; profecto ad incipiẽtes phlegmonas frigidis B adstringentibusq;, quàm ijs quę digerunt est utendum. Atq; etiamnũ magis ubi crassum quod confluit, non est. Sed si sanguis in particula quam phlegmone prehendit, uehementer est impactus, non est amplius repercutientibus utendũ: sed cum digerere est tempestiuum. Vbi autem ex animalis punctu morsuúe dolor incidit, duplex sedandi doloris ratio est, uel uirus ipsum uacuando, uel quod dolorem excitat, alterando. Sanè uacues id eorum medicaminũ ope, quæ uehementer attrahant. Alteres ijs quæ sunt cõtraria, idq; uel qualitatibus, uel tota substantia. Monstratum nanq; est in libris De medicamẽtis, quædam esse totis substantijs inter se contraria, quædam solis qualitatibus. Sed & illud indicatum æque est, ꝙ eorũ quæ con- C traria qualitate sunt, methodus quæpiã sit. eorum quæ tota substantia sunt aduersa, methodus non sit, sed omnia sint per experientiã inuenta. Tu igitur quæcũq; methodo curandi explorentur, hinc disces. Quæ experientia tantum deprehẽdit, ea in his operibus quibus De medicamẽtis agitur, sunt collecta: uno quod De facultate eorum inscribit': altero qđ De cõpositione: & tertio qđ De facile parabilibus inscribitur. In quibus operibus ostendimus quænam ex sola experiẽtia, quęnam ex sola ratione, & quænã ex ambabus inuẽta sint pharmaca. Ergo methodus quã hoc opere tradere institui, in doloribus uniuersis qui uel ex animaliũ, medicamentorumúe noxa excitantur, duplicem indicationem habet, nempe eius quod dolorem D creat uacuationem, atq; alterationem. Vacuant id tum calfacientia omnia, tum quæ citra calefactionem uehementer trahunt: ueluti & cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularũ uice utuntur. Sunt autem & qui ore suo uirus extrahunt: ægre uidelicet particulæ admoti, ipsamq; labijs cõplexi. Huc sanè pertinet & cauterium, & medicamenta quæ cauterijs similiter escharam efficiunt. Atq; hæc omnia totã eius quod infestat, substantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus est eorum, quæ qualitatem per contraria alterant: scilicet exhibentibus nobis, si uehementem calorem æger uel in ipso demorso loco, uel in toto corpore sentiat, auxilia refrigerãtia: sin frigus sentiat, calefacientia. Documus aũt utraq; in ijs operibus quæ De medicamẽtis sunt scripta.

At

Attales quidem, omnis phlegmones communes medicationes sunt. Variantur autem pro laborantium particularum ratione. Etenim id iam quoq; ostẽsum est, ubi de ulcerũ curatione egimus. Nec longo sermone est opus ei qui meminerit eorum quæ ibi sunt dicta: sed sat erit paucis ea trãscurrisse.

7 Vna itaq; indicatio ex ipsis similaribus accipitur partibus: altera ex instrumentarijs. & ea quæ ex similaribus sumitur, modum calfaciendi, refrigerandi, siccandi, ac humectãdi determinat. Quæ uero ex instrumẽtarijs, tum locũ ipsum per quem uacuare oportet, tum uacuationis rationem, tum uero in similis speciei medicamẽtorum usu ipsum pluris minorisq; modum. Ac de similarium quidẽ partium indicatione supra, ubi de ulcerum curatione est tractatum, diximus: de instrumẽtaria uero hic agemus.

8 Cum enim phlegmone duplici ratione à natura recesserit, & q pars ipsa multo sanguine sit referta, et quòd eadem sit calidior, utiq; uacuationis indicatio refrigerationis indicationẽ uincit: contrà s. quàm in erysipelate. In illo nanq; refrigerationis indicatio magis urget quàm uacuatiõis, quanquam utriusq; affectus curandi cõmune caput est infestantis humoris uacuatio. Ideoq; postq; refrigeratum erysipelas est, ad ea quæ digerunt medicamenta, conuertimur. In phlegmone igitur tantisper est refrigerandũ, quatenus & ad incrementum eius sistendum inhibendumq; est cõmodum. Etenim cum immoderatus calor dolorẽ excitet, atq; etiam aliquid ad ægram partẽ attrahat, utroq; nomine augescere phlegmonẽ accidit. Ergo quãtum refrigerationis phlegmonæ, ceu calido morbo congruit, tantum certe & incrementũ eius inhibere est aptum. Idem parem gratiam præstat & cum repercutit id quod affluit. Quantum uero ex eo quod in laborante membro continetur, quidpiam in proximas partes repellit, hoc phlegmones iam genitæ medela est. Simili modo & quæ modice excalfaciũt, utraq; interdum ratione prosunt, quoniam & dolorem sedent, & quod cõtentum in laborante particula est, digerant. Quippe dolorem mitigando, augeri phlegmonas uetant: digerendo, quod earum iam conceptũ est, sanant.

9 Quoniam igitur momentum omne curationis laborãtis phlegmone partis, in redundantis in ipsa sanguinis uacuatione consistit, uacuatio autẽ hoc genus affectorum excogitata est duplex, aut translato ad alias partes qui in ægra continebatur sanguine, aut foris à corpore expulso, satius profecto est utraq; uti: obseruantibus diligenter ne qua ex accidenti læsio sequatur. Ergo cum gemina sit dictarum uacuationum utraq;, quadruplex in uniuersum nascitur uacuantium auxiliorum genus. Translationis enim sanguinis ad alias partes alterum genus est, ubi ipsa pars quæ phlegmone laborat, sanguinem abigit. Alterum cum ea quæ integræ sunt, ad se trahunt. Eius autem quæ extra corpus educit, alterum sensibili effluxu, alterum ratione tantũ cõtemplabili perficitur. Atq; id quod sensibili effluxu peragitur, aliàs per ipsam fit partẽ in qua phlegmone residet, aliàs per ea quæ unà cum hac aperiuntur. Proinde etiam dissectionũ notitia ad eiusmodi consortium intelligendum est opus.

10 Ergo tum hæ indicationes phlegmonarum curationẽ immutantes à partium natura præstantur: tum supra has quæ tum ex positu, tum figuratione sumuntur, quas nimirum laborãs locus, qua instrumentalis, non qua similaris est, indicat. Sunt etiam aliæ quæ tum instrumentalium, tum similarium cõmunes sunt: sicuti cum actionẽ earum inspicimus, præterea an rara pars sit, an densa, an acuti sensus, an hebetis aut omnino torpentis.

11 Ad quæ omnia intentũ esse oportet, qui recte curare studet. Quoniã uero (ut semper testati sumus) non satis est ipsa tantũ uniuersalia nouisse, nisi quis etiam in particularibus se exerceat, ita utiq; & nos nunc faciamus: non tamen omnia particularia percurrentes, sed ea tantum quæ nobis satis esse lectori uidebuntur. Proponatur itaq; iecur iam phlegmonẽ cõtrahere cœpisse: tum quæ nam mali eius cõmodissima sit curatio quæratur. Omnium ergo primum ab ijs quæ retuli incipiens, an totum corpus inanitione indigeat, considerabis. Quòd si indigere inueneris, mox ægri uirtutẽ æstimabis, possit ne confertim uacuationem tolerare. Primum ergo ualida esto. Ab hac æstimabis ætatem. Nam si puer sit, quæ per dissectam uenam fit (ut supra est monstratum) uacuationẽ non feret. Verum cum pubertatẽ attigerint, iam pueri missionẽ sanguinis tolerant. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus qui ad iecur fluit sanguis est, interna in dextro cubito insecta uena: propterea quòd & è directo & ampla uia cum uena quæ caua dicitur, societatem habet. Hac non apparente, media secanda est. Quòd si nec ea se ostenderit, reliqua ac tertia est incidenda. Modũ uero uacuationis tum ex redundantiæ modo, tum ex reliquis quæ in superioribus diximus, inuenies, ætate, natura, tempore anni, regione, & consuetudine. tum ante hæc, ipsa laborantis uirtute. Hæc enim in omnibus sunt cõmunia. Illud uero, interna ne, an media, an humeralis uena secanda sit, an ea quæ iuxta malleolum est, an quæ in poplite, id uere ex laborante particula indicatur. Ac definitum iam est in ijs quæ De incidenda uena scripsimus, de uacuationibus id genus omnibus, diceturq; nunc quantum sit ad rem propositam opportunum, primũq; hoc ipsum, nõ esse. s. solũ illud satis, quod uacuandum sit inuenisse, ueluti sentiunt qui amethodon sectã colũt, quibus nulla de laborantiũ locorũ differentia habetẽ ratio. Non enim ratio solũ, uerumetiam usus ipse indicat aliam alij parti uacuationẽ congruere. Siquidem ex ijs quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonnullos sola purgatione per aluũ, uno die sanatos uidisti. Quam rem si quis facere in iocinore cum phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit phlegmonen: æque ut si cũ in renibus aut uesica incipit, quæ urinas cient, medicamenta exhibeat: aut si cũ uterus phlegmone laborat, menses deuocet. Siquidẽ longissime à tentata fluxione parte quod redũdat reuellere

uellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Hac itaque A ratione, nec si uentriculum aut intestina phlegmone occupare iam cœperit, medicamine quod aluum deijciat, uti conueniat. Eandem cum his indicationem & uterus sortitur, sicuti cum urinæ uasis, pudenda. At uomitu uti pudibundis laborantibus, in diuersa reuellens auxilium est. Græci ἀντισπαστικὸν uocant. Eadem ratione in omnibus quæ circa caput accidunt, medicamentum purgatorium deorsum, reuulsorium auxilium est. Si qua uero circa fauces, & palatum, aut linguam, aut denique in ore, phlegmone laborare inceperint, in his omnibus cauenda sunt quę pituitam per os euocant, ἀποφλεγματισμὸς uocant, quippe cum id simile sit, ac si deijcere aluum intestinis ægrotantibus uelis, aut urinas mouere, cum renibus aut uesicę sit ægre, aut uomitum lacessere, cum partes stomachi sint afflictæ. B Satius igitur sit, ubi partes quæ in ore sunt, phlegmonen accersere cœperint, deriuare ad nares. Pari modo uenam quoque ubi hæ partes sic laborant, incidere humeralem in manu, si ea non cernitur, mediam: ubi iecur, pectus, pulmo, aut cor sic afficiuntur, internam. In angina, quam συνάγχην græce uocant, primas in manibus: secundas eas, quæ sub lingua habentur. At ijs quę in occipite sunt, afflictis, etiam eam quæ in cubito est, necnon eam quæ habet in fronte. Renibus uero, & uesica, & pudendo, & utero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimum quę circa poplitem sunt. Sin minus, eas quæ iuxta malleolum, ac perpetuo quidem in omnibus, eam quæ e directo est. Vbi iecur phlegmone C inuadit, quæ in dextra sunt manu, ubi lienem, contra. Itaque statim prima uacuationis diuersitas pro particularum diuersitate uariatur, constatque communem indicationem non magis esse utilitatis quam noxæ causam. Siquidem quod uacuandum sit, id communis indicatio est, unde autem, aut quomodo uacuatio sit facienda, id æger ipse docet locus. Ad eundem nanque modum, ubi pectus, aut uentriculus, aut partes circa collum caputue phlegmone laborant, excogitatum est artus uincire. Quippe ipsum quod phlegmone infestatur, uinciendum non est. Sed si in manibus phlegmone est orta, crura: sin in cruribus, manus.

11 Sed nec refrigerare inter initia, aut adstringere, citra laborantis particulæ indicationem, utilitatis magis quam noxæ sunt causæ. Nam in particulis D quæ circa artus sunt, sat fuerit etiam spongiam uel ex frigida aqua, cui paululum aceti sit immistum, uel aqua sola madentem imponere, sicut etiam ex uino aliquo austero. In iocinore uero, si phlegmone laborare cœpit, nemo compos rationis his utatur, imo nec si melino infundas, aut myrteo, aut mastichino, aut nardino, aut lentiscino, aut aliquo oleo quod adstringat, aut etiam alio quopiam cui absynthium sit incoctum, ne horum quidem ullum conueniet frigidum, sicut nec ullum cataplasma frigidum. Sed si mala, præcipue cotonea uino incoquens, cataplasma ex eo præparaueris, si iecur phlegmone laborare adhuc incipiat, ne id quidem admouebis frigidum, ueluti nec oleum, ut dictum est, præparatum, uel oculis, uel oris partibus, sicubi hæc tentari phlegmone cœperint. Auri uero etiam si acetum cum rosaceo infundas, nil offendes. At non est hoc oculis laborantibus utile, ueluti nec medicamen quod ex moris conficitur, aut aliud quippiam eorum quæ στοματικὰ græce dicuntur. Sunt enim eiusmodi omnia oculis tristia, quanque genere sunt ex ijs quæ indicentur. Glandulis uero phlegmone tentari cœptis, sæpe solum oleum calens sat fuit.

12 Sed & reliquus uictus ordinandus ijs quibus glandulæ aut etiam aliquid circa artus phlegmone tentatur, unam tantum indicationem habet, quæ tot ac talia exhiberi iubet, quot & qualia facillime concoquentur. Nec quicquam refert, alicam, an ptisanam, an mulsam, an punicum, an malum, an tale quippiam, exhibeas. At si iecur phlegmone infestatur, exquisitissimo uictu est opus. Aeque profecto & si uentriculus sic laborat, quippe munus eorum toti animali est commune. Acceditque omnibus animalis partibus maximum incommodum, siue non probe concoctum alimentum sit, siue non rite in sanguinem conuersum. Artuum uero partes, tantum alimenti capiunt, quanto sunt nutriendæ. Quo fit, ut siue ex malo quod probe in uentriculo sit concoctum, alimentum ad eas perueniat, siue ex alica, siue ex ptisana, non multum intersit. In iocinore uero quantum referat nutrimentorum differentia, tum quod maximam in utraque parte uim habeat, hinc discas licet.

13 Nam expelli e iocinore oportet, quicquid in eo tum amaræ bilis, tum saniei quæ ex phlegmone prouenit, est collectum. Id uero fieri nequit, nisi & uasa quæ sunt in uiscere, detergeantur, & meatus qui ad ieiunum pertinet, sit apertus. Ergo alica cum & huic inhæreat, & uasa quæ in uiscere sunt condita obstruat, præcipueque eorum ora, & bilem in intestinum descendere, & alimentum in totum corpus digeri prohibet. Poscit ergo tum iecur ipsum, tum os meatus qui bilem transmittit, cibos & pharmaca quæ obstructa recludant. Talia uero omnia sunt, lenta quidem minime, sed tenui consistentia, & qualitate mordente. At uero ab his, utpote mordentibus, phlegmonæ irritantur. Quare quę citra morsum ea detergeant, indigemus, cuiusmodi scilicet mulsa est. At nouimus dulcibus omnibus, tum iecur, tum lienem maxime intumescere. Supersunt igitur quæ culpa uacent, ut in cibis ptisana, quippe quæ sine morsu deterget, ut in pharmacis oxymeli aqua mistum. Nam & punicum malum & cotoneum & cætera quæ adstringunt, dum bilis meatus os arctant, bilem ipsam excerni prohibent. Atque inde iocinoris phlegmonis sunt incommoda, presertim ijs quę in cauo uisceris consistunt. Quibus ad angustias quas facit ipsa phlegmone, etiam ea quę ex adstringentibus & lentis fit cibis, accedit. ac quæ mordent, ea phlegmonas ipsas, quæ in cauo sunt uisceris, magis irritant. Quippe ijs quæ in gibbis eius consistunt, mutata iam ueniunt ea quę assumpta sunt, ita ut nec quæ adstrictoria sunt, similiter adhuc adstringant: nec quod mordens est, similiter mordeat: nec quod propter lentorem in angustis uasis hærebat, similiter etiamnum maneat. Est autem his occasio mutationis duplex,

& quòd prius sunt cõcocta, & quòd sanguini qui A in iocinore prius erat, sunt admista. Cauo aũt iocinoris phlegmone obsesso, protinus etiam uenas quæ in mesenterio sunt, unà phlegmone laborare est necesse, quando ex ea quę ad portam pertinet, omnes sint ortę, protinus etiam quæcunq; osculis earum incidunt, uim suam ostendere.

14 An tibi ad cõmunem phlegmones curationem parua ex particulis ipsis accedere differentia uidetur? Mihi sanè maxima uidetur, quãuis ij qui Thessali stupiditatẽ æmulantur, cõmunem indicationem solam satisfacere putẽt. Placet autem nunc ad memoriam reuocare tibi egregiã eorum curationem, quam Theageni philosopho Cynico adhibuerunt. Siquidem hanc norunt plurimi, propter uiri famam, ut qui publice disputare in Traia B ni circo quotidie sit solitus. Erat qui hominem curabat, unus ex Sorani discipulis nomine Attalus. Is imposuit quotidie iocinori cataplasma ex pane & melle, haud intelligens uiscus hoc mediocriter adstringi debere, propterea quòd animalibus altricis facultatis principium sit, et uenosum ab hoc oriat̃ genus. Igitur uiscus curauit, sicut bubonas, meris scilicet, & solis relaxãtibus utẽs, cataplasma ex pane & melle imponens, ac prius oleo calente perfundens, tum sorbitione ex alica cibans. Hæc nanq; tria fermè omnibus nunc amethodis istis Thessalijs ad acutorũ curationem sufficiunt. Visum aũt est mihi seorsum Attalum monere, ut adstringẽs aliquid admisceret, nec nudis uteretur relaxantibus, ac de uisceris quidẽ natura nihil eram C homini dicturus. Id enim fuisset planè asino fabulam narrare. sed quod me persuasurũ homini arbitrabar, et cui omnes homines facillime assentire uideo, id tantũ exposui, nempe longã experientiam medicos docuisse, ut iecur mista medicamentorũ materia curarent. Eam aũt scriptam inuenturũ in ijs medicorũ libris, qui sint De medendi ratione conscripti. Si ergo, inquã, tibi uidet̃, misce aliquid de absynthij coma diligenter tunsa, cataplasmati. Oleo uero, totius herbæ aliquid, modice id quemadmodũ alios cernis in illo incoquentes. Cataplasmati uero, myrobalani expressæ retrimentum, & irim, & iũci florẽ, aut narditidos herbę radicẽ, aut cyperi miscebis: nõ inutile sit & ex uino ea aliquãdo pręparare, ac miscere interim etiã de fæce ipsa. D Quinetiã aliquid adstringentiũ incoquere malorum, cuiusmodi cotonea sunt, & quæ uocãtur struthia. Præterea quę Romæ abundãt, uocata cestiana. Oleum uero (nã id quoq; uideo miscere te) nõ quodlibet esto, sed uel hispanum, uel histricũ, uel crudum, uel lentiscinũ, uel myrteum, uel melinũ, uel nardinũ unguentũ. Porrò aliam materiam plurimam esse dixi eorũ quæ incoquere liceret. Nam & lẽtisci tenera germina, & myrti, & rubi, & uitis præsertim syluestris, à qua œnanthen uocatam decerpimus. Non alienũ etiam sit, & atticũ œsypum tum cataplasmati, tum etiã ceratis miscere. Nam & cerata quæpiam illi ex eiusmodi materia imponere post cataplasma suasi, & apponere illi tentabam uniuersam deinceps curationẽ, quò scilicet etiam quæ à medicis græce ἐπιθέματα uocantur, ex mista materia componeret. Nam melius inquã est sublato cataplasmate aliquid super uiscus esse. Attalus uero sermonem meum interpellans, Nisi multum (inquit) tibi tribuerem, nihil horum tolerassem: nam in quibus superiores medici passi naufragia sunt, priusq; uera medicina inuẽta à nostris esset, ea mihi ueluti ignaro suades. Cætera tres (inquit) aut quatuor dies sine me Theageni ex mea sententia prospicere, & sanum eum penitus conspicies. Sed quid, inquam, si cum subito pauci, & hi lenti, apparuerint sudores, moriatur? recordaberis ne quæ promiseris, ac de cætero sententiam mutabis? Atq; Attalus post hęc abijt irridens, nec quicquã præterea respondens, sic ut neq; de alica quicq; me consulere permitteret, sed nec quod ex ijs quæ urinas ciẽt, miscere aquę paulo post oporteret, quòd scilicet iocinoris gibba essent afflicta. Nam sicuti iocinoris cauum per aluum purgatur, ceu paulo supra diximus, sic gibba eius per ea quę modice urinas mouent, cuius generis est apium. Procedente aũt tempore, ubi phlegmone iam cõcoquitur, etiam ualentioribus uti licet, asaro, & celtica nardo, & phu quod uocant, & petroselino & smyrnio, & mio. sicut etiam per uentrem uacuare, si cauũ afficitur, cnico cibis admisto, & urtica, & mercuriali, & epithymo, & filicula. omnib. præterea quæ modice aluum deijciunt, magisq; in remissionibus tum his ipsis audacius q̃ ante utendum, tum uero quæ his sunt ualentiora, partim in ptisana incoctis, partim tunsis, ac in mollissimum puluerẽ redactis. exhibenda uero & hæc sunt uel ex ptisana, uel ex aqua. Ego nanq; etiam filiculæ aliquid in ptisana aliquando incoxi, & nigri ueratri corticem. Etiam clystere uacuare eos cõueniet, inter initia uel sale, uel nitro, uel aphronitro aquæ mulsæ admisto contentis, in remissione uero, potissimumq; si quid scirrhosum relictũ è phlegmone est, etiã ualentiora medicamenta miscentibus. Quippe hyssopum eo casu aquæ incoquimus, & origanum, & colocynthida, & minus cẽtaurium. Opportunissima nanq; ad scirrhum sunt iecur & lienis, siue quis parum habita de his ratione, glutinoso cibo utat̃, (sicut Attalus qui Theageni quotidie alicam exhibuit) siue nihil offerat quod tum obstructiones eximat, tum detergeat. Verum quod contigit Theageni, uel potius Attalo, dici est tempus. Vt enim promiserat, post tres dies daturum se hominem à iocinoris phlegmone liberatum, tum magis quàm prius calente oleo uiscus plurimum perfudit, tum cataplasmate frequentius est usus, hac diligentia felicius sibi curationem cessuram sperans, responditq; percontantibus de Theagene gloriabundus meliora. Cæterum contigit prout ipse prædixeram, subito hominem mori. Et quod omnium maxime dignum risu fuit, ducebat Attalus secum ex ijs qui de hominis statu rogassent quosdam, quibus ostenderet adeo recte eum se habere, ut iam esset lauandus, lætusq; cum multis ingressus est domum in qua iacebat, cum Theagenem mortuum quidam

ex amicis, qui & Cynici quidem erant, & alioqui
philoſophi, lauare ex more pararet. Itaq; etiã uſq;
ad mortuum accedere, idq; una cum ſpectatorum
cœtu Attalo contigit, utpote cum nemo intus lu-
geret. Nam Theageni nec ſeruus erat, nec puer,
nec mulier: ſed cum eo ſoli amici philoſophantes
uerſabantur, qui iuſta quidem mortuorum, citra
tamen omnem luctum obibant. Atq; hãc laudem
Theſſalius aſinus inter multos ſpectatores eſt cõ-
ſecutus, oſtendens explicatum à phlegmone ho-
minem intra quatuor (ut pollicitus eſt) dies. Reli-
qui uero methodici cum innumeros quotidie iu-
gulent, adeo rationem curandi mutare adhuc no-
lunt, ut quæ à medicis ſunt ſcripta, qui artis operi-
bus uere inſudarunt, ne uel ſemel experiri uelint:
adeo indelebile uitium uehemens ignorantia eſt,
præſertim ſi cum ſuperbia ſit coniuncta. Eiuſmo-
di igitur in omnibus ſunt Theſſali ſectatores.

15 Nobis aũt uitandi eiuſmodi errores ſunt.
At ſi nihil aliud ſuppetat, ſaltem ipſi experientiæ
credendũ. Id quod ipſe perpetuo ſuadere non de-
ſino ijs qui circa rationem parum ſunt exercitati.
Nam melius profectò ijs eſt, quãdo & rudes ſunt,
& ſimul in rationabili methodo, quã nos non pro
dimus, minime exercitati, ut nihil penitus ex ra-
tiocinando accipiãt. Quippe iocinoris ſubſtantia,
ſcirrhis maxime oportuna eſt: utpote quæ natura
liter lutoſum quippiam continet, ueluti medicus
quidã noſtri temporis per iocum dixit. Lienis ue-
ro rarior ſubſtantia, quàm iocinoris eſt: cæterum cre-
brius ſcirrhoſis uitijs affligitur, propter nutrimen
ti quo utitur ſpeciem. Monſtratũ nanq; eſt quòd
craſſo nutritur ſanguine, qui ueluti limus purio-
ris eſt, facillimeq; nigra bilis efficitur, ideoq; etiam
ipſam melancholicum ſiue atrum appellamus ex
crementum. atq; hæc duo uiſcera ſcirrhoſis tumo
ribus tentari, uel experientia ipſa clare indicat. Re
nes uero, quòd conditi ſunt, tactum effugiunt. Cæ
terum hos quoq; facile ſcirrhis deprehendi ratio
docet. atq; idcirco nephritidas alias omnino ſolui
nõ poſſe, alias ægre ſolubiles eſſe: cum renes am-
bo habeant quæ in uiſcerum utroq; prędicta ſunt
ineſſe, tum ſubſtantiæ qualitatem, tum excremen
torum quæ per ea dilabuntur uitium. Quo fit, ut
qui craſsi ſucci cibis ueſcantur, calculi uitio uexen
tur. Ergo quanto trium horum uiſcerum ſcirrhoſi
affectus difficilius curatur, tanto magis eſſe ſolici-
tos oportet, ne quis in hos incidat. Maxime autẽ
(ut dictum eſt) incidũt, qui ipſis phlegmone labo
rantibus, ijs cibis utuntur, qui craſſos lentosq; ſuc
cos efficiant. Quinetiam eiuſmodi affectuum me-
dicamina inter omnes conuenit, ea eſſe quæ diſſe
cent, & diſſoluant, & frangant. Quæ utiq; ex eorũ
ſunt genere, quæ obſtructiones eruunt & deter-
gunt: cæterum uiribus ualentiora. Horum non ſo
lum materiam, ſed etiam facultatem in opere De
ſimplicibus medicamentis expoſuimus. Itaq; etiã
breuior nunc ero, contentus generali facultate, &
ſola methodo, cum paucis exemplis. Nam cum et
facultatum materiam iam habeas præparatam, &
quæ curationem unà coindicent ſint prædicta, ni-
A hil nũc aliud ſupereſt, niſi ut proprias cuiuſq; mor
bi indicationes cõmemorem. Coindicantia igitur
uoco uirtutem, naturam, ætatem, anni tempus, re
gionem & conſuetudinem, & ſi qua ſunt id genus
alia. Proinde de ea quæ à particulis ſumitur indica
tione, deinceps dicam, initio à iocinore ſumpto.
Quippe ubi id phlegmone laborat, quæ extrinſe-
cus applicantur, ea miſtæ eſſe facultatis debere po
ſtulat: idq; non in generatione phlegmones mo-
do (eſt enim id omnium phlegmonarũ cõmune,
quando etiam ſi quis repellentibus tantũ illo tem
pore utatur, non peccet) ſed etiam cum nec afflu-
at amplius quicq;, nec repelli quod in laborante
particula cõtinet, poſsit. Accidit enim hoc quoq;
multis de cauſis. Sanè in principio tum parum eſt
B quod affluit, tum magna ex parte non ita craſſum,
tũ partis ipſius quæ recipit uirtus nõnunq; ualen-
tior, utpote nondum laſſata: tum quod in afflicta
cõtinetur parte, nõdum uiolenter impactum. At
cum phlegmone in uigore ſuo iam conſiſtit, tum
multus in ea ſanguis continetur, isq; craſſior ſub-
inde, ac uehementer impactus: tum uirtus partis
iam eſt debilior, quam alioqui ualentem requiri-
mus, quò ſcilicet à ſe ſuperuacua amoliatur, quan-
doquidẽ haud ſatis potens eſt adſtringentiũ præ-
ſidiorum uis, quæ ſola totum efficiat. Quippe po-
teſt hęc cogendis ac conſtringendis, & ueluti den
ſandis, & exprimendis corporibus quæ tenuiora
conſiſtentia ſunt, ad circumpoſitas partes expelle
re. Cęterum niſi etiam laborantis particulæ uirtus
C aliquid auxilietur, nihil adeo magnũ efficiat: tum
igitur quę à phlegmone ſumatur, una duntaxat a-
gendorum eſt indicatio. Hãc græce διαφόρησιν uo
cant, latine digeſtionem, euaporationem ue dixe
ris. Hæc humorem qui in phlegmone obſeſſa par
te cõtinetur, per meatus inſenſibiles educit. Quæ
uero ab ipſa ſumitur parte, ea in diuerſam nos par
tem trahit, ſcilicet robur eius ſeruari iubens. Coë-
untibus igitur unà contrarijs indicationibus, com
poſitum quoq; eſſe medicamentum oportet. At
femur ſi phlegmone laboret, aut tibia, aut cubitus
aut brachium, aut qui in his ſunt adenes, cauſa nõ
eſt cur horum robori conſulas. Hæc tibi commu-
nis indicatio ſit in omnibus ijs partibus, quarum
munus eiuſmodi eſt, ut toti corpori ſit ex uſu.

D 16 Ergo nec lienem penitus relaxantibus cu
rare oportet, cum hic quoq; ex iocinore quicquid
limoſum & melancholicum eſt expurget, propte
rea ſcilicet, quòd ex eo humore nutritur. Idcirco
quoties obſtructio quæ in eum incidit, aut phleg-
mone, potiſsimũ cum ſcirrhoſa ſit, tum eà quæ ob
ſtructiones eximãt, tum quæ diſſecent, uehemen-
tiora exigit. Nam quale medicamentum iocinori
eſt abſinthium, tale eſt lieni capparis cortex. Qua-
le rurſus iocinori quod uocant eupatorium, tale
eſt lieni ſcolopendrium. Siquidem ſimilia genere
medicamenta, ambo uiſcera poſtulãt. Cæterũ tan
tũ ualentiora lienis, quãto craſſiore utitur alimen
to. Scirrho igitur laborantibus ipſis conuenientia
nutrimenta ſunt genere quidem eadem, ſed maio
ris minorisq; rationis differentia. Itaq; & ſi cappa-
ris

ris ex oxymelite edatur, utilis sane est utrique uisceri, cæterum nec ipsa pari modo nec similiter mistum habens oxymeli. Nã & ipsa copiosior, & ex minus diluto oxymelite lieni erit utilior. Atq; hęc differẽtia est quæ ex maioris minorisq; ratione accepta est. At similium genere, uel specie, aut quomodocunq; dixisse libet, præsidiorum, ex actione & forma indicatio sumpta est. A societate uero cũ uicinis partibus, quod idem cum situ est, illa capiuntur, quòd gibba iocinoris per renes expurgari oporteat, caua uero per inferiorẽ uentrem. In liene uero alteram duntaxat esse superflui uacuationem: cum quæ per renes agatur, nulla huic uisceri uacuando uia pateat. Proinde ubi phlegmone premitur, deiectorijs id medicamentis tum detergemus, tum lacessimus: quò dimittat deponatq; superuacua. Sane duplex ratio est eiusmodi medicamentorum usus: cum partes superius positæ laborant, per ea quæ eduntur ac bibuntur: cum inferiores, per id quod sit per clysterem infusum. Quandoquidem quæ eduntur ac bibuntur, eorũ uis antequam ad inferiores partes perueniat, resoluitur. Quę infusa sunt, ea omnino ad ieiunum usq; ascendere nõ possunt, imò etiam si admodũ nitaris, fortasse tenue tantum intestinum cõtingant. Ergo illud quoq; ex partium positura didicimus, nempe inferioribus intestinorũ aliquid esse per clysterem infundendũ: superioribus uero, atq; etiã ipsi uentriculo, lieni, & stomacho, superne aliquid exhibẽdum. Voco hoc loco stomachum, gulam, quã proprie Græci stomachum appellant. Nonnunquam enim ita etiam uocant os uentriculi, ueluti cũ stomachice anima linqui aliquos dicunt. Verũ in gula, quæ proprie uocatur stomachus, cataplasmata super spinã dorsi imponimus, nõ parte anteriore, quemadmodũ cum os uentriculi phlegmone urgetur. Siquidẽ spinæ gula superiacet, per collũ & pectus deorsum usq; ad uentriculum porrecta.

17 Neq; igitur hæc nouere qui Thessalũ imitantur, ideoq; omnes una ratione curant. Neq; utique illud, quòd omne membrum phlegmone laborãs nisi cutim sibi circundatam habeat spissam, tenuis saniei foras aliquid dimittit, ac laxat. Eo fit, ut ex ijs quæ in ore, & naso, & faucibus, & stomacho, & intestinis, & uentriculo, & uisceribus omnibus sunt, aliquid foras effluat. Ad eundem modum etiã ex interna facie pectoris, cum phlegmone premitur, excernitur aliqua sanies. Quẽadmodum igitur lien ipse, & iocinoris caua per intestina, gibba uero iocinoris & renes per urinas purgãtur: ita pectus ubi interna eius phlegmone tentantur, per membranã qua tegitur (ὑπεζωκότα uocant) aliquid in mediũ sui pulmonumq; spatium transmittit. Id autem expurgari per eandem qua pulmo uiam debebit. Dabimus igitur ijs qui sic laborant, medicamenta quibus tenuatoria sit uis, quibus & uiæ aperiant, & quæ deferenda per eas sunt dissecentur [ac dissipentur] præsertim cum uel crassæ substantiæ sunt, uel glutinosæ, qualia in ijs sunt quos empyos uocãt: deligenda tamen ex ijs sunt, quãdiu adhuc phlegmone inualescit, quæ

A mediocria sunt. Cum uero plane iam decreuit, aut penitus cessauit, & educi excrementa postulant quæ ualentiora sunt. Ergo mediocre in hoc genere est tum ptisanæ cremor, tum mulsa. Valentius autem & urticæ semen, & mulsa in quam coniectum fuit paululum aliquid acrium herbarũ, quales sunt origanum, & hyssopum, & calaminthe, & pulegium, & illyricæ ireos radix. Quòd si uel plus horum admisceas, uel irin in mollissimum puluerem tunsam cribratamq; in mulsam immittas, maxime incidens medicamen habebis. Ad eundem modum & quod ex marrubio cõficitur oxymeli, aliaq; eiusmodi ualenter crassiora excremẽta quæ in pectore et pulmone continentur, incidere possunt, omniumq; eorum copiam inuenies in operi-
B bus ijs quæ De medicamentis edidimus.

18 Non solum aũt iam dictam remediorum differentiã ex laborante loco didicimus, sed etiam illud, quòd quę in summo corporis phlegmone laborant, ea proprijs phlegmones remedijs curentur, quæ in alto sunt corpore, si cum his aliquid acrium medicamentorum sit immistum. Resoluuntur enim eorũ uires, dum alte descendunt. Hac ratione & cucurbitula (strenuũ plane auxilium) est inuenta: tum ut foras euocentur, quæ sunt in alto: tum ut eximantur atq; eruantur, quæ iam in scirrhum abeunt. Verum utendum cucurbita in ipsa parte quæ phlegmone urgetur, inter initia nõ est; imò postea q̃ totũ corpus uacuaueris. Ac necessarium est eorum quæ in inflãmata parte continen-
C tur, aliquid educas atq; eruas, aut etiã foras uersus attrahas. Generãdis aũt adhuc uitijs, minime ipsis membris quæ laborare incipiunt, sed ijs quæ continuata his sunt, cucurbita imponi debebit, auellendi in contrarium causa. Sic nanq; ad mamillas cucurbitas imponimus, cum sanguis ex utero profluit, defixo maxime in ipsis cõmunibus pectoris et uteri uasis, eius ore. Sic si ex naribus sanguis profunditur, præcordijs maximas cucurbitas affigimus. Sic & omne aliud sanguinis profluuium, ad cõtrarium per cõmunes uenas auertimus. Quemadmodum rursum & sanguinem (si ita est opus) attrahimus. Siquidem cum menses euocare in animo est, in pube & inguine cucurbitã figimus. Præterea cucurbita in occipite defixa, efficax est reme-
D diũ, ad oculorũ fluxiões. Vacuari tamẽ prius totũ corpus expedit. Nã si plethoricũ refertũ sanguine & humorib. æqualiter corpus sit, in quacũq; parte capitis cucurbitã defixeris, totũ ipsum implebis.

19 Ergo hęc omnis phlegmones cõmunis indicatio, haudquaq; similiter in qualibet parte administratur. Accedit ad omnia quæ prædicta sunt, pro non leui portione, ipsius exhibẽdi medicamẽti natura. Neq; enim absolute si adstringere incipientem phlegmonẽ est opus, quidlibet adstringẽs in ijs quæ deuorãda sunt, adhibebimus: sed ea quibus nulla corruptrix admista uis est. Nam chalcanthus inter præcipua adstringit, sicut etiã misy, & sori, & chalcitis, & diphriges, & æs ustũ, & squama eius & flos: uerũ hæc medicamenta noxia deuorata sunt, quocirca stomaticis ea miscere tutum

non eſt. defluit nanq; interdum ex his aliquid ad uentriculũ, ſed nec aloen probe miſcueris ijs medicamentis quæ phlegmones alicuius cauſa quæ intus conſtiterit, deuorãda ſunt, quãdo huic quoque admiſta purgandi uis quædam eſt. Cæterum ubi phlegmone prorſus inclinauerit, ſi quis paululum aloes admiſceat deijciendi uentris cauſa, qui prorſus nõ deiecerit, nihil lædet. Verum ſatius eſt mercuriali, aut urtica, aut cnico, aut taliũ aliquo, aluum ſic laborantium ſubducere. In ſumma uero, ſi quis eam quæ à partibus ipſis præſtatur indicationem adimat, nihil obſtat quo minus medicinam non ex menſibus, ſed ſex diebus totam perdiſcas. At uero nec ſi quæ à partibus ſumitur indicationem adijcias, iam totum quod exigitur ad curationem, habeas: niſi etiam methodos de medicamentis didiceris, itaque eas aggrediatur oportet quiſquis conſummate ſanaturus eſt morbos. Nos enim ſi alicuius medicamenti meminimus, id (ut ſæpe teſtati ſumus) exempli cauſa fecimus.

20 Sed adijciamus adhuc ea quæ de indicatione quæ à partibus ſumitur, nondum attigimus. Theſſaliorum iſtorum ſectam euidentiſſime præcipitantes, qui cum nec diſſectionis rationem attigerint, nec partium actiones, uſus úe norint, tamẽ cum floccos carpentem quenquam cernunt, & feſtucas legentem, audent oxyrhodino caput madefacere, noſtro exemplo. Nam cur, quæſo, non thoracem potius? Siquidem ex indicatione remedia inueniunt. Sanè fieri poteſt, ut etiam corde affecto, phreniticus quis efficiatur. Empiricus namque ab experientia ſe ait eiuſmodi medicamentorum nactum inuentionem. Qui autem & hanc uituperat, & inquiſitionem de actionibus refugit: huic unde, quæſo, ſuccurrit, ut pro thorace caput in phreniticis madefacere eligat? Cæterum, hoc ipſum oxyrhodinum quod capiti phreniticorum applicamus, ceu quidam ex amicis dicere ſolebat, non ſolum amethodos iſtos Theſſali ſectatores, ſed etiam reliquos manifeſte redarguit uniuerſos quicunq; principem animi partem in corde ſtatuunt. Nam cum aliquando uidiſſem quendam ex Athenæi diſcipulis caput aceto & oleo miſtis perfundentem, prohibui, iuſsiq; pectori admouere id remedium: quippe læſam in delirio eſſe partem principẽ. Eam autem eſſe autore Athenæo in corde. itaq; non recte reliquo pectore, caput eum integrum præſertim membrum uexare, eiq; negocium faceſſere, nunc oxyrhodinum infundendo, nunc radendo, tum ſpondilium, aut ſerpillum, aut id genus aliquid admouendo: imò uero ſi malum traheret, etiam caſtoreum, aut certe etiam cucurbitam. Quippe id eſſe perſimile ac ſi cui in femore phlegmone ſit, calcaneo remediũ applicet. Quinetiam in lethargicis, nemo eſt qui non capiti applicet auxilia. nam & id uitium contrarium quodammodo ſecundũ ſpeciem phrenitidi eſt. Gignitur autẽ in capite, in quo ſcilicet princeps animi pars reſidet. Ergo cum humor qui in capite redundat, frigidus eſt, inſenſibilitas immobilitasq; hominẽ opprimunt. cum uero calidus eſt, perpetuus po-

A tius motus, unà cum rationis noxa. Accidit enim ueluti demonſtratum in libris de his eſt, ex frigore ſegnitia, ex calore immodicus motus, ex humoris uero uitio dementia. Itaq; incidenda in talibus affectibus uena eſt ſtatim ab initio, ſi modo tam ualens uirtus ſit, ut ſine noxa miſsionem ſanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum quæ de ſecanda uena retulimus, ſicuti uel crudi humoris copia, uel puerilis ętas, uel anni tempus, uel regio in qua ſit extremus calor, aut frigus. Atque hoc quidem commune utriq; uitio, & ei quod cum ſopore, & ei quod cum uigilijs incidit. Commune præterea utriuſq; eſt, ut oxyrhodinum in principio admoueas. Nã repellendus à capite humor eſt, quiſquis is fuerit. Quæ ſequuntur contraria ſunt. Nam quæ

B cum uigilijs cõiuncta ſunt, ea lenire expedit: quæ cum immobilitate, excitare. Iure ergo cum in ſummo incremento ſunt, ijs uitijs quæ peruigilio & delirio infeſtant, perfuſiones ex papauerum capitibus applicabimus, odorem quoq; naribus obijciemus: ac narium alas intus, uel frontem ex ſimilibus medicamentis illinemus. Quippe ſopire ac ſtupefacere principem facultatem oportet: cerebrum ſcilicet, quod ſupra modum incaluit, refrigerando. In contrarijs autem uitijs excitare: ac noxij humoris qui citra putredinem, & citra febrem altos ſopores inuehit, craſsitudinem incidere, atq; excalfacere. Tales nimirum altos ſopores ἀποπληξίας, & κάρους, & κατοχὰς gręce uocant. Quòd ſi aliquando humor putreſcat, utiq; cum febri incidũt

C ea genera: uocaturq; morbus græce λήθαργος. Incoquentes igitur in aceto thymum, & pulegium, & origanũ, aliaq; id genus, naribus ſic affectorum admouebimus, quò uapor ad cerebrum ſublatus craſſitudinem humoris diſſecet. Mox etiam palatum ualentibus & acribus medicamentis ungemus. Ab his uero etiam ſternutamentis utemur, tum capiti ſimiles præſidiorum facultates imponemus, adaucta ſemper eorum etiam ad ipſum uſq; ſinapi uehementia, ſi uitiũ diutrahat. Quinetiam cucurbitis ad utrunq; uitium, ſi diutinum ſit, utemur: itemq; caſtoreo, quippe quod ipſum probe concoquit, ſi debito tempore ſit aſſumptum. Quare hic ad cõmunem rurſus curationem redeunt lethargus & phrenitis. Ergo in eiuſmodi affectibus

D manifeſte redarguũtur & qui Theſſalum ſequuntur omnes, & quiſquis medicus principem animi facultatem ſtatuit in corde. Non ſolum enim iam dictorum præſidiorũ deſtituentur copia, ſed etiã cui ea parti accõmodabunt, non intelligent. Neq; enim tanquam in ophthalmia, uel pleuritide, uel angina, tum ab ipſo ægro affectus locus ſentitur, tum nobis partim tactu, partim uiſu innoteſcit: ſic in lethargo, & phrenitide, & epilepſia, & delirio, & conuulſionibus, & tetanis, præterea eo quod proprie uocatur catoche, ſe habet. In quibus omnibus præſidiorum formula ex affectus inuenitur natura: locus uero cui maxime ſint applicanda, ex prænoſcendis tum actionibus, tum partium uſibus. Illud autem quamuis in ſermone aliquando omittatur, ſæpenumero prius dictum eſt, meminiſſe

minisse oportere nos eorum quæ simul indicent.

21 Cæterum in præsenti eam quæ à partibus sumpta est indicationem, propositũ est persequi: ueluti statim in ijs quæ ad caput pertinẽt, etsi non aliud, saltem illud nosse cuius est promptum, obiectam nobis ante cerebrum esse crassam membranam, quæ corijs istis externis sit assimilis: post hanc etiam cranium. Itaque resolui in densis obicibus & duris, præsidiorum quæ imponuntur uim est necesse, ac nisi suturas in capitis osse natura ipsa fuisset molita, nihil adeo æstimandum efficeret pharmacum ullum extrinsecus impositũ. Sed quoniam etiam suturæ, & in his præcipue coronaria, non solum impositi medicamenti qualitates, sed etiam substantiam, si tenuis est, facile intrò transmittit: merito multa circa cerebrum uitia ab extrinsecus applicatorum remediorum facultate iuuantur. Ipse enim in meipso expertus memini, cum infunderetur rosaceum frigidum, citissime clarissimeq́ sensisse me in syncipitis loco eius intrò penetrationem. Quinetiam plurima diuersitas suturæ huius in hominibus, si inter se conferantur, etiam ante dissectionem manifeste apparet. Vidimus enim in ijs quibus rasum caput fuerat, inter mandendum, commissionis ossium in coronali sutura manifestum motum: sic ut facile appareret hominibus illis laxam esse eiusmodi ossium capitis compositionem. Merito igitur ad hanc maxime partem applicant omnes medici capiti infusiones: uidelicet accepta quasi per manus à primis inuentoribus ratione, ad id opus ueniente. Sed & ipsi quicunq; non negligẽter ijs quę fieri assolent, attendunt, cernẽtes & quemadmodum sutura ea liquido moueri appareat, & quemadmodum celerrime homines hac parte, siue ab externo admoto quopiam refrigeretur, siue excalfiat, id sentiãt. Nam præter reliqua etiam tenuissimum est hoc loco cranium, & rarissimum. Ergo quoties medicamenti cuiusquam uim uehemẽter descendere uoles, hoc maxime loco impones. Cõmodius etiam fuerit, si & cum infrictione id facias, aut tonsis capillis, aut etiam planè abrasis. Quòd si humidum sit quod applicandum est: si id ex alto effundas, ac ueluti fontis ritu illidas, quippe penitus intro ab ictu magis cõpellitur. Sicut autem hic uehementior humoris casus conducit, ita in oculis est contrarius. In capite nanq; os est quod feritur: in oculis membranosa quædam imbecillaq; corpora. Et in capite quidem aliud est quod ictum excipit, aliud quod curatur: quodq; ut ictum non sentit, ita facultate quæ ex incussu ad ipsum peruenit fruitur. At in oculo non est quod feritur, diuersum ab eo quod curatur: sed idem ipsum quod est curandum, ualẽter icitur. Ad hæc os capitis sensu caret: oculus acerrimi est sensus. Ergo infundere huic medicamenta oportet, primum superiorem genam blandissime attollentes, mox minime quem admodum in capite incutientes. Inueniendi pręterea humores mitissimę minimeq; mordentis naturæ, qui cum medicamentis sint infundendi. Ac mihi quidem magna cum consideratione uidentur ueteres ad oui deuenisse humorem, electo scilicet ex eo quod & mordens minime esset, & glutinosum. Nam ex eo ꝙ minime mordet, modo dictam indicationem ijs compleuit. Ex lentore autem, ad indolentiam nonnihil confertur. Quippe lenire eiusmodi humores possunt asperitates oẽs quascunq; acris fluxio excitat: accedit ꝙ crassus mediocriter ac lentus humor constantius, ꝙ̃ tenuis & aquosus, in loco permanet. Sanè ꝙ lentũ id quod absq; morsu sit, cum modice incaleat, dolorẽ maxime leniat, id profecto ex mordentibus in aluo deiectionibus didicisti, in quibus iniectũ seuum ilico morsum mitigat. Quòd aũt permanere quoque in laborante particula eiusmodi humidũ expediat, manifestum est. Siquidem in ijs quę in uentre accidunt, per clysterem assidue infundere molestũ est. In ijs quæ in oculis, genam attollere. At uero exquisitus membri sensus læue esse quod iniiciendũ, nihilq; debere in se asperum sabulosum ue habere, omnino indicat. Hinc igitur excogitatum commode est, tum humido oui utẽdum, tum quæ terrea corpora ophthalmicis, id est ocularijs medicamentis miscenda sunt, ea esse cum summa diligentia ad unguem leuiganda.

22 Quoties tamen dolores his accidunt uehementes: repetitis ijs quæ de omnium dolorum generatione accepisti, disquires quonã ex his affectu dolere oculos in phlegmone, de qua nunc sermo proponitur, contingat. Nam aut ex uehementi acris confluentis humoris morsu, aut quòd eorum tunicæ plenitudine distẽduntur, aut propter crassorum humorum flatuosi ue spiritus extensionem, uehementes in his excitantur dolores. At morsum quidem tum purgantibus medicamẽtis, scilicet & deorsum reuellendo & uacuando curare conuenit: tum ipsi particulæ oui humore infuso, quò per eum acris fluxio sine offensa eluatur. Vbi autem concocta iam phlegmone ipsa fuerit, & simul corpus uacuum, tum utiq; lauationes in balneo his sunt aptissimæ. Nam & dolorem statim sedant, & fluxiones quæ ad oculos feruntur, sistunt: maxima quidem eius parte inter lauandum per totum corpus excreta, reliquo uero contemperato. At uero distensionem quę ex repletione prouenit partis, missione sanguinis, & alui deiectione, & infernarum partium frictione, curare conueniet: ꝙ si necessitas aliquando urgeat, ligandis artibus: mox fomentis ipsi laboranti particulæ ex aqua dulci modice calida adhibitis. At humorum uel flatuosi spiritus extẽsiones curabimus, uacuato prius in his quoq; toto corpore, sed & humorũ momento deorsum auerso. Mox localibus remedijs (Græci τοπικὰ uocant) utendum: non tamen medicamentis ijs quæ repercutiant ac reprimant, imò ijs quæ euocent ac discutiant. Fouendi igitur sunt sicut modo diximus, ac fœnigræci decoctum ijs infundendũ, sed lauato prius curiose fœnogræco, ne quid illi, uel pulueris, uel sabuli adhærens clàm lateat. Est nanq; medicamen hoc maxime

xime omnium quę oculis applicantur, sine offensa digerēs. Meminisse uero in omnibus quæ mem
bratim docentur, communium præceptorum oportet. Quorum unum id est, dirigentia medicamenta, ubi redundantia in toto corpore subest, si particulis quibusdam applicētur, implere potius quàm uacuare. Ergo tum reliquos morbos, tum uero phlegmonas (de quibus agimus) sicubi curas, nullo euaporante auxilio prius fidenter uteris, quàm totum corpus purgaueris. Illud quoque attendas in omni uitio, nedum phlegmone, oportet, aliquando totum corpus mediocri habitu esse in humorum, tum qualitate tum modo: unam autem aliquam, aut duas earum, quæ suprapositæ sunt partium, redundantiam suam ad ægram trāsmittere: ueluti non raro, sed planè sæpenumero
B accidere in oculis uidere licet, capite his fluxionem mittente. Manifestum igitur arbitror in ijs quoq; esse, ipsum prius caput sanandum esse, explorato eius affectu, quem superfluorum generatio comitatur. Et diutinas quidem oculorum fluxiones curamus oculis ipsis dimissis, atque ad capitis curationem conuersi: cuius uitium si ex genere intemperantiarum sit, curationem ex sibi cōtrarijs, sicut prius monstratum est, adhibendam indicat. Plurimum igitur, uel frigida intemperies caput uitiat, uel humida, nec dubium est quin etiam ambæ congrediantur. Rariores sunt quæ propter calorem acrem oculis fluxionem immittunt: in quibus haud expedit ijs quæ ex thapsia & sinapi
C fiunt medicamentis uti: imò contrarijs omnino, oleo crudo, & Hispano, & rosaceo, tum frequenti ex aqua dulci in balneo lauatione. Atque aliquando cerebrum ipsum fluxionem transmittit, debetq; huius intemperies totius capitis epithematis corrigi. Aliquādo uasorum ipsorum uitium est: cum uenæ, uel arteriæ imbecilliores sunt: sic ut aliorum uasorum superuacua recipit. Quo casu aliqua earum parte excisa, aut etiam totis bene alte præcisis, dura cicatrice quod interest intercipimus. Qua disiunctæ incisæ uasis partes, continuæ prꝑterea nō sint, nec ex altera in alteram confluere aliquid possit. Cæterum cum eorum uasorum quæ in profundo sunt recondita, ac è superiore ad oculos unà cum neruis perueniunt, uitium
D est, nihil horum agi licet. Proinde ægre curabiles omnes eiusmodi fluxiones sunt. Quæ uero extrinsecus posita uasa sunt, ea uel sine chirurgia roborare licet: illitis medicamentis, quæ robur inserant. Græci τονωτικὰ uocant. Est & quando calidus sanguis, ac uaporum plenus, ad caput ascendit, ac maxime in arterijs redundat. Cui uitio excogitatum saluberrimum remedium medicis est, ut ipsa incidatur arteria. Oportet autem deraso capite curiose tangere, tum quæ retrò, tum quæ secundum utranq; aurem sunt arterias: præterea quæ in fronte, & quæ in temporibus sunt. Quarum quæ calidiores alijs apparebunt, ac maiorem exhibentes pulsum, hæ sunt incidendæ. Quæcunque uero & paruæ & prope cutem resident, harum uel si partem aliquam excideris, ueluti facere in crurum uaricibus solemus, aptius erit. Nostroq; tempore quidam ex ocularijs medicis non minimus, ex arterijs quæ in temporum summis musculis resident, non exiguam excidit partem. Ac ferè quidem cum excisa est arteria, reliquæ eius partes ad sibi cōtinuas retrahuntur. Euenitq; id magis in ijs arterijs quæ tum minores sunt, tum minorem exhibent pulsum. Quòd si inter nudandum appareat tibi uas magnum, aut magnum exhibere pulsum, tutius fuerit uinculo id prius excipere: mox quod in medio est præcidere. Sunto autem eiusmodi uincula ex materia aliqua minime putrescibili. Talis autem Romæ est ea quæ Gaietanorum dicitur, ipsa ex Gallijs aduecta: uendita uero maxime in Sacra uia, quæ à pacis templo descendit ad fora. Ac horum quidem Romæ facilis est copia. Vilissime enim uenduntur. At si in alia urbe artem exerceas, comparetur filum aliquod ex ijs quæ serica nuncupantur. Habent enim ea diuites mulieres in multis sub ditione Romanorum locis: potissimum in magnis urbibus, in quibus multæ sunt mulieres id genus. Sin huius facultas non est, ex ijs quæ inueniuntur in regione quam incolis, deligito materiam quæ minime sit putrescibilis: cuiusmodi est gracilīū chordarum. Nam quæ facile putrescunt, eæ cito à uasis decidunt. Nos uero postquam undique sunt carne impleta, decidere uincula uolumus. Quæ nanq; caro in abscisis uasorū partibus coalescit, ea pro operculo est, ac osculum eorum cludit. Postea uero quàm id factum cernitur, decidere iam uincula secure possunt. At uero cum uenarū partem aliquam excideris, non est opus eas tam imputrescibili materia deliges, sed suffecerit alia quępiam. Siquidem in arterijs perpetuus motus infecti uasis ora resoluit. In uenis autem posteaquam semel sunt utcunq; clausæ, siue per deligaturam cōstrictæ, siue per medicamentum adstrictæ, permittunt circumpositam carnem circa coalescere: potissimum si qui curatur, immotam partem seruet, magisq; etiam si toto corpore uacuato ipsam attollat. Quippe etiam uarices ita curamus. Vocatur autem uarix uena dilatata: porrò dilatatur in testiculis & cruribus omnino. Sed quoniam cum hos adhuc scriberem cōmentarios, non pauci amicorum rogarunt, ut in fine totius operis omnia quæ ad chirurgian pertinent, deinceps memorem, idcirco tractatio de uaricibus nunc differatur. Cum uero non pauci speciatim sint oculorum morbi, qui magis specialem curationem desiderent, ne de his quidem hoc loco pluribus est agendum. Nam qui curiose quæ prædicta sunt, legerit, & naturali prudentia fuerit, huic omnia inuenire, eorum rationem sequenti, nullo negocio licebit. Qui autem tales non sunt, ijs satius fuerit omnium uitiorum, quæ oculis incidunt, curandi rationem priuatim scribere: maxime cum amicorum non pauci ita postulent.

Cap. 1 Rationem reddit discussæ phlegmones prius quàm tumorũ aliorum: deinde de erysipelate, quod generatur à bile ferventi & tenui sanguine, uel à sanguine & bile calidioribus. 2. Quo pacto differant inter se phlegmone & erysipelas. 3. Erysipelatis curationem susissime monstrat. Quæ fit cum corpore primum à bile uacuato, repellẽtia mox, deinde per halitum digerẽtia adhibemus. 4. De œdemate eiusq; cura. Ad calcem capitis numerat quædam medicamina articularibus morbis conuenientissima. 5. De scirrhis curandis per mollientia, quibus incidentium aliquid admisceatur, cum scirrhus in tendonibus aut ligamẽtis est. Hinc transit ad sanãdos carnosos musculos & lienem scirrho obsessos, omnesq; alias particulas scirrhosis uicijs affectas. 6. Anacephalæosis prædictorum, & transitio ad flatuosos tumores. 7. Partes designat quæ flatuosis spiritibus possint esse obnoxiæ: & indicationes curatorias adiungit. Coli inflati medicamen, De facultatibus lixiuij, uini maxime rubri, & aceti. 8. Exemplo probat cõmune præceptum, quo in omnibus morbis, quos uitiosus succus creat, consulit in fine calfacientibus & siccantibus esse utendum. Quia hæc quod reliquum humoris est prorsus absumunt: ab initio uero refrigerãtia admouemus ut plurimum. 9. Humores qui in causa sint à coloribus tumorum cõtemplandum esse. De cancri curatione. De adstringentium relaxantiumq; medicaminum administratione. 10. De anthrace id est carbũculo. 11. De strumarum cura, seu chœradum. 12. De pituitosis illis tumorib. quos recẽtiores nodos uocãt, in quibus diuersæ materiæ cõtinẽtur: unde etiam denominãtur, ut steatoma, meliceris, atheroma. 13. De diuersis alijs tumoribus, ut uerrucis, mola, hernia, thymo, &c. Quæ in hac consideratione chirurgi opem postulant, ad calcem libri seruaturum se promittit. Morbi omnes qui toto genere uel tota substantia à natura recedunt, sui ablationẽ indicant. Si uero locus affectus una aliqua naturalium partium est, prima indicatio est, ut affectus sanetur: secunda, si insanabilis is sit, ut cum uitio pars quoq; excidat, ut in cancro. 14. Explicat uocabula quædam, secundum naturam, utilis, couenies, secundum naturam habere uel agere. 15. Corpus supra modum crassum ac obesum quomodo eliquãdum sit, & expurgandum: nempe exercitijs ualidis, uictu extenuante, medicamentis extenuantibus, animi curis, balneis aquarum quæ dissipandi uirtutem habeant, denique arte & industria inducta febri. 16. Macie confecti & admodum graciles, reficiẽdi sunt uino crasso, cibisq; crassioris succi, exercitationibus lentis, frictione mediocri, picatione, in summa, omnibus quæ in præcedente capite enumeratis ex diametro pugnant. 17. De his quæ finitimæ generatim colligendis tumorum generibus quasi species sunt: ut herpete, ophiasi & alopecia, ptilosi, carie ossis, uitiligine, scabie, lumbricis, nome, Chironijs & Telephijs ulceribus. 18. Generatim docet curationem amissorum pilorum, ut in caluitie, alopetia, ptilosi: & unde uacuandi ratio sit sumenda.

19. De tumoribus & uitijs quibusdam oculorum: quæ parua quidem & mollia detergentibus curanda sint, alia uero per uehementius exiccantia, si tamen ea quæ in oculis sunt collyrijs digesta fuerint: alia deniq; magna & dura chirurgiam postulare.

Aliter.

De erysipelate, & œdemate, & scirrho. De tumoribus præter naturam inuicem complicatis. De inflationibus, inter quas & priapismus adnumeratur. De liuidis tumoribus. De cancro. De carbunculo. De strumis. De abscessibus. Methodus curationis tumorum præter naturam, inter quos & steatomata habetur, & atheromata, & melicerides, & myrmeciæ, & acrochordones. De nimium obesis corporibus, & immodice extenuatis. De his quæ toto genere sunt præter naturam, sicuti lapis est, & hypochyma, & molæ partus in mulieribus, & huiuscemodi.

De affectibus qui in numero & magnitudine & figura instrumentarijs partibus accidunt. De herpete & ei proximis affectibus. Quemadmodum ascarides & helminthes curentur.

GALENI METHODI MEDENDI ID EST DE MORBIS CVRANDIS,

Liber decimusquartus.



1 DE tumoribus qui præter naturam in corpore cõsistũt, quot numero, qualesq; sint, proditum à nobis singulari uolumine seorsum prius est. Quemadmodum autẽ hi methodo curandi sint (quod utiq; docere propria propositi operis professio est) in horum cõmentariorum tertio decimo præcipere cœpimus. Et quoniã in superioribus de omni febrium ratione sermo erat habitus, aptius mihi uisum est de phlegmone primũ disserere, ut quæ & frequentissime incideret, & febres subinde accenderet. Ac dictũ quidẽ nonnihil fuerat in febrium curatiõe inter cæteras earũ causas, etiã de phlegmone. Verũ absolutus sermo, & qui proprie illi debebatur, in libro qui hũc præcedit, est traditus, in quo methodũ curandæ eius, qualisnam esse cõueniat, tradidimus, nequaquã tamen auxiliorum materiã, nisi tantũ exẽpli gratia, sicut in superioribus fecimus. Haud longe uero à phlegmone abest & alius morbus, quẽ Græci ἐρυσίπελας uocant. Is, uti mõstratum est, ex bilioso succo nascitur. Sed præstiterit fortasse eum pluribus uerbis à phlegmone distinguere. Ergo cõmunia amborum sunt, tum tumor qui præter naturã fit, tum uero calor. Dissident inter se primum & maxime colore: quando si is ruber sit phlegmonen uitium appellant: sin pallidus flauusúe, uel ex pallido flauoq; colore mistus, erysipelas. Propterea pulsatio magnæ phlegmões proprium est symptoma, quippe quæ alte magis in corpus demittitur. Erysipelas uero in cute potius cõsistit, quàm alte descendit. Tenuis nanq; substantiæ est pallidæ bilis humor. Itaq; facile ad ipsam cutim trãsfluit, carnosis rarisq; corporibus transmissis. Cutis uero densitas non æque est huic bili peruia, nisi si admodũ tenuis aquosaq; sit. Talis nanq; maxime est etiam quæ quotidie cum sudore exit. Licetq; multorum qui in balneis sudorem sibi strigilibus detergent,

hunc eius uidere coloris cuius lotiũ est, ijs qui diutius cibo abstinuerunt. Neque enim ignoras eorum, qui inediam diu tolerant, pallidius ex aquoso lotium reddi, mox uero etiam flauum, nisi quis prius humectante nutrimento potioneq́ squalorem corporis irroret. Ac corpore quidem pro naturæ modo gubernato, amaræ bilis succus inuisibiliter exhalat. Præter naturam uero se habente, tum alijs (de quibus post agetur) uitijs redundat, tum uero eo de quo nunc agitur, quod erysipelas uocant. Cum enim uel longe copiosior, uel crassior quàm pro naturæ modo redditus, uniuersus ad cutim compulsus fuerit, eam tum perurit, tum in tumorem attollit. Sed satius est ueluti semper nõ dicimus modo, sed etiam facimus, ita nunc quoq́ à rebus non à nominibus initiũ faciamus, alterumq́ principium, priore scilicet commodius eiusmodi sermoni demus. Cum sanguis copiosus in aliquã particulam procubuit, sic ut ab eius particulæ uasis nequeat contineri, exilitq́ aliquid instar roris ex ipsis uasis in ea musculorum spatia quæ similaribus corporibus ex quibus cõponuntur, interueniunt, utique tumor ex plenitudine oritur: cui succedit cutis tensio, & in alta carne cum pulsu dolor, & tangenti renixus quidã, & rubor, & calor: ipsa nimirum cute ea, quæ subiecta sibi caro patitur, sentiente. Similis iam dicto & in uisceribus affectus oritur. Est eñ his quoq́ sua quædam caro, quam aliqui παρέγχυμα Grece uocant: in quam uidelicet sanguis ex refertis uasis halitus specie exudans, iam dicta symptomata efficit. Atque hic unus affectus est sanguineæ fluxionis soboles, in carnosa corpora maxime incidens. Secundus alter biliosæ fluxionis germen est, ac circa cutim maxime cõsistens, tum hanc externam, quæ omnnium partium commune est tegumentum, tum membranosam & tenuem quæ singulis internarum est circundata. Ergo sicuti prior affectus etiam cutis aliquid apprehendit, ita hic quoque aliquid subiectæ sibi carnis occupat. Quodsi crassior humor acriorq́ sit, summam cuticulam (Græci ἐπιδερμίδα uocant) excoriat, spatioq́ ad profundum aliquãdo cutis exulceratio peruenit. Atq́ hic quidem affectus erysipelas nuncupetur, duplicem (ut iam dictum est) habens differentiam: quòd uel absq́ exulceratione, uel unà cũ hac incidat. Prior autẽ affectus unius rationis est, uoceturq́ phlegmone. Cum ergo nec planè biliosa nec sanguinea fluxio est, sed ex ambabus mista: utiq́ ab eo quod in mistura exuperat, nomen ipsi indatur, ac dicatur de eo id quod exuperatur: sic ut uel phlegmonen erysipelatosam id uocemus, uel erysipelas phlegmonosum. Vbi aũt neutrum uincit, ibi uitium phlegmones erysipelatosq́ medium nominetur. Curationis uero methodus sicuti in alijs compositis, ita & nunc tradatur: initio à simplicibus sumpto.

2 Ergo omnibus qui sic præter naturam consistunt tumoribus, cõmunis indicatio uacuatio est. Adieci uero illud, sic, admonens te multitudinis humorum qui eos excitent. Nam si quis eos uacuet, naturalem habitum membrum recipiet. Iam uacuatio pari modo in omnibus duplex est: una repellentium ad alias partes, altera foras digerentium per eum qui sensum fugiat halitum. At quoniam erysipelas non quãtitate modo affligit, sed etiam ex uehementi scilicet inflammatione qualitate ipsa cruciat, ampliorem refrigerationẽ quàm phlegmone requirit. Nec tamen non periculosa toti corpori est eiusmodi curatio, propterea quòd bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur: quippe cum si uel sanguis ipse abundet, haud tutum sit ex minoris notæ membris fluxionẽ eius repellere. tanquam igitur in illa post totius corporis uacuationem repellentibus auxilijs usi sumus, ita nunc quoq́ faciemus: sed pro sanguinis misione, medicamento quod bilem trahat purgantes: ipsam uero afflictam particulam refrigerantes. Esto autem refrigerationis terminus, ipsa coloris mutatio. Etenim quod purum erysipelas est, statim cum hoc quiescit. Quod nõ purum est, sed iam quodammodo phlegmonodes, si pluscu lum refrigeres, liuidam cutim præfert. Sin ne sic quidem quis desistat, nigricat, potissimum in senili corpore, sic ut quędam ita refrigeratorum, ne digerentibus quidem medicamentis ad perfectionem sanẽtur: sed scirrhosus quidam tumor in particula relinquat. Ergo satius est, ubi laborantis particulæ alteratum colorem uideris, à refrigerantibus adstringentibusq́ ad contraria transire priusquam uel liuida, uel nigra prorsus fiat. Porrò refrigerantium materia in opere De medicamẽtis est tradita. Solanum, & semperuiuum, & portulaca, & umbilicus Veneris, & psylium, & alcercũ, & lactuca, & intybum, & lenticula palustris, & cerata ex aqua admodũ frigida, & alia id genus. Vbi uero inflammatio ægrotantis membri iam desiit, cataplasma illi priusq́ liueat, ex hordei farina (ὠμήλυσιν Græce uocant) est imponendum. Quòd si iam liuor occuparit, incisa cute cataplasma superponendũ est, perfundẽdusq́ locus plurimũ quidẽ ex aqua calida, sed & marina aqua, & muria interim conducet. Quinetiã ipsi cataplasmati eiusmodi aqua, uel acetum, uel oxalme misceatur. Hoc tempore etiam coriandrũ cum polẽta quidã esse salubre erysipelatum medicamẽtum scripserunt. Alij rursus eodem inter initia usi magnæ noxæ occasio laborantibus fuere. Sed & rosaceum ceratum cui immistum sit calcis aliquid, eodẽ modo sunt qui prodiderunt erysipelati prodesse, aliaq́ similis generis nonnulla ex ijs quæ ualenter excalfaciant. Quorum nullum est erysipelatis medela, antequam uidelicet mutatũ desinat esse id quod ab initio fuerat, atq́ alterum iam, illiq́ cõtrarium euaserit. Quomodo enim quæso, nõ sit cõtrarius calido affectui frigidus: aut ei qui flauo aut pallido colore est, is qui liuidus aut niger est? Sicuti autem subinde phlegmonæ admiscet erysipelas, ita etiã aliquando œdemati. ac uocetur quod ex ambobus tum est conflatũ, erysipelas œdematosum: non secus quàm ubi ex refrigerando durũ ægreq́ resolubile redditur, uocabitur erysipelas scirrhosum

(A) sum, iam curatio quoq; ueluti in omnibus compositis, ita in his administrabitur, ac potissimum quidem contra exuperans pugnabitur, non prætermissa tamen nec ea quæ ex admisto præstatur faciendorũ indicatione. Sicut enim ex biliosa fluxione erysipelas, ita ex pituita constat œdema ipsum, rarus quidã atq; indolens tumor. Equidem scio aliter quoq; œdema ꝑuenire: sicut in pedib. in intercutis aquæ affectibus, & phthois, alijsq;, qui uehemẽtes sint, malis corporis habitibus. Atque in illis quidem œdema affectionis eius quæ hominem premit, est symptoma, nullam seorsum propriam curationem requirens. Nam satis erit, (si modo curatione egebit) ipsa tum crura perfricare, aliàs oxyrodino, aliàs oleo cũ sale, aut etiam oxyrodino sal habente.

3 At si ex pituitoso humore in particulam influente œdema constitit, (B) abunde aliquando satisfacit spongia quę ex aqua, in qua sit aceti aliquid, maduerit. Porro hæc ita attemperabitur, ut uel bibi possit, uel ut non multum supra hoc aceti habeat. Deligare uero spongiam debebis, ab inferiore parte incipiẽs, ac supra finiens. Esto autem spongia, si modo conductura sit, omnino noua: huius si copia non est, cuius erit, hanc detergebis expurgabisq; nitro, & aphronitro, & aqua lixiuia. Quod si sub his œdema non subsidat, ubi rursus deligabis, pusillum aliquid aluminis cõijcies, ac nouam spongiam admouebis. Si nouæ copia nõ sit, melius est eo quod uulgus uocat ἐλλύχνιον, utare. Id uero ante omnia molle esto, quod genus Tharsicum est. Cuius si facultas est, audacter utitor: utilius enim experiere quàm spongiam. (C) Madeat uero ex pusca, quæ aliquid habeat aluminis, tum (ut præscriptũ est) deligetur ab inferiore sursum. Sit autem arctatio mediocris: ueluti in ossis fractura, ac primæ quidem fasciæ iniectiones, quæ scilicet inferne incipiunt, magis arctandæ: quæ deinceps sunt, sensim remittendæ. Cæterum, non adeo ut laxa sit aliqua deligationis pars. Porrò idoneum medicamentum ad hæc & glaucium est, tum ipsum per se liquatum in pusca, tum uel magis medicamentum nostrum quod ex eo compositum est, cuius compositionem habes in eo opere quod De medicamentis est inscriptum. Sanè hactenus à me scripta fuerant opera tria, unum De simplicibus, alterum post hoc De compositione medicamentorum, & tertium De facile parabilibus. (D) Quartum autem adscribere constitui: quandoquidem multi amicorum ita suadent. In eo de communibus & proprijs cuiusque partis & uitij medicamentis agetur. Verum medicamẽ illud quod glaucium habet, non œdemata modo, uerum multo etiam magis tum erysipelata, tum phlegmonas incipientes sanat, ac potissimum calidas. Manifestum autem quòd erysipelatosas phlegmonas, & erysipelata phlegmonosa idem medicamentũ sanat: at non eas phlegmonas quæ in scirrhum iam transierũt, aut erysipelata quæ iam refrixerũt, aut deniq; ullum scirrhosum affectũ sanauerit, de quibus utiq; in quinto De simplicium medicamẽtorum facultatibus aliquid est proditum: dicetur uero & nunc. Siquidem humor unde eiusmodi uitium nascitur, aut glutinosus est, aut crassus, aut utriusque rationis particeps. Curandi uero eius communis indicatio est, ut quod præter naturam in particula est, totum uacuetur. Modus tamen uacuationis eius proprius est. Nam detergere id ubi contumaciter inhæret, oportebit. Quòd si quis ijs quæ aceruatim trahunt, digerũtq;, medicamẽtis uacuare tentet, nec ijs quæ humectent & excalfaciant molliat ac liquet, huic paucis primis diebus egregie processisse curatio uidebitur: cæterũ quod de affectu restabit, id insanabile erit: siquidẽ toto quod in eo tenuium partiũ erat digesto, quod reliquũ est, ueluti lapidosa cõcretio linquet. Quippe etiam qui in articulari morbo uisuntur pori, ex humore crasso glutinosoq; proueniunt, quando is nõ paulatim est digestus, sed uiolentis medicamẽtis totus simul siccatus. Ad eundem modum & calculi generantur in renibus, asso scilicet in his crasso glutinosoq; succo. Hac igitur de causa ad scirrhosos affectus nullũ uehemẽter excalfaciens siccánsue medicamentum est aptũ: sed ea tantum quæ cum molliẽdo digerere possunt: cuiusmodi sunt tum ceruina medulla, tum uitulina, tum seuum hircinũ, & taurinum, & leoninũ: ad hæc, ammoniacum thymiama, & bdellium utrunq;, magisq; scythicũ, quanto uidelicet est humentius. Pari modo & styrax qui humentior est, sicco utilior est. His igitur indicationibus attentus, etiam complicatos affectus sanare poteris, pro subinde iam dicta in omnibus compositis uitijs methodo.

4 Mihi uero iam tempestiuum fuerit de affectarum partium differentia mentionẽ facere, quã semper in omnibus tum morbis tum symptomatis, in memoria habendam censui. Diximus autẽ nõ pauca de omnium earum indicatione in lib. qui hunc præcedit. Siquidem omnium qui pręter naturã sunt tumorũ, in quibus utiq; adhuc nõ sunt geniti pori, prima indicatio uacuatio est.

5 Earum uero partium quæ iam scirrhum cõtraxerũt, uacuatio per iam dicta medicamenta perficitur. Vocareq; ea Malactica, id est mollientia, medici solent. Quoniam autem membrorum alia rariora naturaliter sunt, alia densiora: etiam uacuationẽ eorũ diuersa specie remedia postulare est necessũ. Hac igitur de causa tum in tendonibus, tum in ligamentis, [cum scirrhosa fuerint] uisum mihi satius est ei curationi quam per mollientia medicamenta molimur, aliquid incidentium admiscere. Ex quorum numero uel in primis acetũ est. Interim uero & in alijs partibus quas scirrhus affecit, eo utimur: ut paulo post dicam. Verum in tendonibus & ligamentis in hunc modum. In aceto acerrimo candentem igni lapidem extinguo: ac siquidem haberi potest, qui certe in magnis urbibus rarus non est, pyriten. Sin eius copia non datur, molarem, Græci μυλίτην uocant, scilicet ex quo molas quibus molimus, faciunt. Deinde ascendente post infusum lapidi acetum uapore calido, in hoc dimoueri scirrhosum ligamentum uel tendonẽ cogo: atq; exinde rursus medicamen quod molliat, impono. Oleo tamen principio curationis non aqua quotidie omnino laborantem particulam perfundo. Esto autem id oleum haudquaquam adstringens, sed planè tenuium partium, cuiusmodi Sabinũ est. Incoquimus autem oleo interdum altheæ radicem, ac syluestris cucumeris, & si qua est eius ge-

A neris alia Atq; hoc utor (ut dixi) quotidie. Cæterum curatio quæ per acetum administratur, utilis est uitio iam adulto, & cum præparata iam submollientibus pars fuerit. Excogitaui autẽ & composita quædam ex aceto medicamẽta, quæ inter mollientium usum, ad unum diem impono. Siquidem aceti uis, modo ea quis modice & debito tempore utatur, salutaris eiusmodi affectib. est, ceu crassos & uiscosos humores dissecans ac dissoluens: sin uel immoderatius, uel in tempore nõ idoneo, tenuiores partes uiolenter absumens, id quod reliquũ est, lapidescere sinit. Sed & si quis eo diutius utať, substantiam ipsam neruorum delibauerit. Ob id igitur nec sæpe, nec inter initia, nec longo tempore, medicamentis quę ex aceto cõponuntur, ad ligamenta & tendones est utendũ.
B At in liene & carnosis musculi partibus scirrho affectis tutus eius est usus. Quippe raræ sunt naturaliter hæ partes, nec est quod metuas, ne quis neruus eius ui lædatur. Ac ammoniaco quidẽ thymiamate cũ aceto, etiam alij nõ pauci lieni imponentes utuntur, ad luti scilicet crassitudinẽ quod ex utrisq; mistũ est redacto. Idq; solũ ei curando sæpe satis fuit. Ad musculos uero alium sanè nõ uidi. Ego uero etiã sæpe sum usus, utiq; molliẽtiũ usui interponẽs. Atq; sub illis nulla cernitur euidens utilitas: Sed posteaq; mollitus per ea scirrhosus tumor est, maximũ certe usum ammoniacũ aceto liquatũ cõfert. Sufficit autẽ eo uno alteróue die usos, rursus ad mollientia reuerti. Ac rursus his pluribus diebus usos, denuo ad medicamẽ qđ ex aceto fit redire, siue id ammoniacum,
C siue quid aliud habeat eorũ mollientium quæ paulo supra sunt comprehensa. Neq; enim aliud quicq; est admouendum: cuiusmodi scilicet pleraque sunt eorum medicamẽtorum quæ ab eo quòd acetũ recipiunt: oxera uocant. Siquidem inter initia medicamẽtum probabis. Sed id insanabiles affectionis reliquias relinquet. Ego nanq; eius rei causa in medio tempore cataplasmate ex althea sum usus. Vocat autem hanc uulgus ἀναδενδρομαλάχην. Huius igitur radix seuo liquata, salutare ad talia medicamẽtũ est. Esto aũt seuũ, si fieri potest, anserinum. Sin id non sit, gallinaceum. Sin nec huius facultas sit, suillo utendum. Sed & syluestris maluæ quæ passim nascitur, folia, cum supra dictorum aliquo tusa proficiẽt. Meliora tamen crudis sunt quæ modice ante sunt decocta.
D Ac eiusmodi quidem auxilia, & curationis uariatio qualis iam comprehensa est, omnium particularum quæ scirrhosis uitijs sunt affectæ, cõmunia sunt. Ad eundem modum œdematum curatio, quam paulo ante memorauimus, comprehensis iam differentijs per particulas uariatur. Iis enim quæ in præcordijs sunt œdematis, nemo frigidam ex pusca spongiam applicuerit: ueluti nec alijs qui in his sunt tumoribus. Iam quis absinthium oleo incoquẽs, genu unquam perfudit? Quis oculum aut aliquid eorum quæ intra os sunt, qualitercũq; affectum? At iocinori ægrotanti & lieni subinde cum maxima utilitate adhibetur. Docet id ipsum & experientia, quæ uim eorum euidenter indicat, non secus quàm ratio. Nos tamen nunc hoc opere solam eam remediorum inuentionẽ, quæ methodo paritur, qualis nam sit differimus. In operibus De medicamentis ambas miscuimus, omnia medico cognoscẽda esse ratitum quæ solo inuenta sunt usu: tum quæ sola ratiõe: adhæc tertio loco quæ cõferentibus ad inuentionẽ utrisq;. Omnibus aũt his ille solus commode utetur, qui in hac methodo est exercitatus.

6 Ac de phlegmone quidem, scirrho & œdemate satis sunto, quæ hactenus sunt cõprehensa: illo nõ omisso, quòd scirrhum nominamus tumorẽ durum qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu, talis enim sanabilis nõ est, reliqui omnes sicut ægrius sensilem ipsam partem affectã reddunt, ita omnino insensibilem non faciunt, utiq; si sensilis natura sit. Ligamẽta nanq; scimus insensilia esse. Quòd si quis eos duntaxat tumores, qui & præter naturam sunt, & omnino insensiles, scirrhos appellãdos cẽseat: reliquos nõ scirrhos, sed tumores scirrhosos: & se de nominibus litigare sciat, & nos quoties cum eo disputabimus, ita quoq; affectum nominabimus. Siquidem is mos noster est, quibus quisq; nominibus delectatur, ijsdem in disputatione cum illo uti.

7 Nunc tempestiuum est, ut de inflationibus disseramus, quibus diuersa ab œdematis curatio est. Illa nãq;, ceu diximus, ex pituitoso succo ortum habent: proinde prementibus nobis cedunt, digitiq; admodum alte in ipsa descendunt. Inflationes uero ex flatuoso spiritu collecto nascuntur, aliàs sub cute, aliàs sub membranis quæ ossibus circundantur, aut musculos uiscerúmue aliquod includũt. Porrò colligitur aliquando non parum etiam in uentriculo & intestinis, itemq; in medio spatio horũ & peritonæi. Differunt quoq; hæc ab œdematis, quòd & pressa digitis non retinent uestigium, & sonitum ueluti tympanum reddunt. Itemq; quòd in cauitate sensibili subinde continentur, atque hac nonnunquam maxima. Indicatio autem curationis omnium cõmunis est: ut quod præter naturã est, uacuetur in quocunq; id contineatur. Propria uero post hanc cõmunem est, ut tenuissimis & calidis potestate medicamentis. Atque in uẽtriculo quidem & uisceribus oleum quod tenuium est partium, quodq; rutam habet incoctã, aut aliquod calidorũ seminũ, cuiusmodi sunt cumini & apij & petroselini, id præstabit. Aliquando uero & cucurbita magna bis terue sine incisione medio uẽtri affixa. Tanta uero ac taliter applicata etiam totum umbilicum comprehendet. At in artubus & musculis qui sub cute, aut etiam membranis quæ ossa uestiunt, inflatione orta, si citra dolorem sit, liquor aliquis tenuissimarum partium, cuiusmodi est lixiuium noua spongia exceptum, satis fecerit. Sin dolor quoq; urget, ungenda pars est oleo quod relaxandi remittendiq; uim habeat. Incidunt porrò ex percussionibus eiusmodi affectus, ubi scilicet uel musculus uel membrana quæ os circuit, est contusa. Ac super membranam quidem quæ os ambit, antedicta imponenda est spongia. Ad musculos uero (nanq; hi aliquando dolent) medicamentum quod magis mitiget, est adhibendum. Quo fit, ut ad hos solo lixiuio non utamur, sed immissa ei tum sapa, tum pauculo oleo. Satius autem fuerit in principio nõ addidisse lixiuium, sed sapa cum uino & exiguo aceto uti, ac quod mediocre sit olei adijcere, ubi mista sunt, modice excalfacere: ac lanam non

lotam

lotam, quam succidam uocant, ipsis imbutam imponere. Quòd si eiusmodi lanæ facultas non sit, ipsius œsypus iniiciendus miscellæ supradictæ est. Quòd aũt Atticus œsypus cæteris omnibus præstet tametsi à me non dicatur, ipse scis. Quinetiam ceratum quod ex œsypo componitur, medicamentum est omnibus notum. Vtuntur plurimi eo ad phlegmonas, quæ in præcordijs sunt. Ergo huius quoq; aliquid ubi œsypus præsto non est, recte inieceris. Debent enim contusi musculi leniri medicamento, cui mista facultas sit, quæ simul concoquat, digerat, & modice adstringat. quando si nihil habeat adstrictionis, auget aliquando phlegmonas: ac maxime in ijs corporibus quæ sunt plethorica, sanguine abundãt. Ergo trium iam comprehensarũ indicationum in inflatis ex plaga quadam musculis memor, ubi dolor maior urget, mitigatiua magis ratione uteris: ubi abest, maiori ui instabis. Maiorẽ uim intelligo, cum breui uia ꝑperatur ad finem. Porrò breuis uia fit per ea medicamenta quæ ualentes habent uires: hæ maxime in lixiuio et aceto habenť, post hæc in uino. Quoties igitur de mitigando non laboras, horũ plus in misturam conijcies. Rursus ubi repellere studes, uini plus q̃ horum immittes. porrò id optimum in hunc usum fuerit, si nigrũ austerumq; sit. At si digerere malis, lixiuij plus indes. Acetum uero si his miscebis, ad ambo erit utile, propterea quòd mistas (ut mõstratũ est) habet facultates. Vbi uero musculus sine dolore est, licet sanè in lixiuij penuria pro eo aphronitrum immittere. Esto autem id minime lapidosum, sed magis spumosum. Est uero qđ lapidosum est, durũ, & spissum, ac ægre liquabile cum dictis liquoribus miscetur. Spumosum uero molle est & laxum, itemq; cãdidius q̃ lapidosum. Hoc itaque tum celerrime ab humore soluitur, tum iuuat maxime, utpote tenuiũ partium. Quę uero huius generis inflationes neglectæ inueterarunt, primo quidẽ loco his ea quæ ex lixiuio componuntur (ut prædictũ est) adhibeas: secundo loco emplasticum aliquod. Dicam aũt & horũ exemplum. Strigmẽta gymnasiorum feruefacta percola primum, sic ut pura sint: deinde rursum in cacabum immissis, calcem uiuam in farinæ speciẽ tunsam insperge ad luti usq; crassitudinem. Salutare his est & medicamẽ quod ex sycomoro cõponitur, aliaq; id genus. Nũc enim (ut dictum est) exẽpla tantũ eorũ medicamentorũ scribo: quorum generalis facultas per medendi methodũ inuenitur. Tanquam uero medicamentorũ hoc loco ponuntur exempla, tum ut tota hæc methodus clarius intelligatur, tum ut magis nobis ad inueniendã materiam facultas suppetat: sic etiam et affectarum corporis particularũ proponunť. Statim enim affectus quidam est quem iuniores priapismum nũcuparũt, propterea quòd ijs qui sic sunt affecti, etiam inuitis pudendum arrigitur: quod ubi uiderit quispiam qui in his commentarijs est exercitatus, protinus intelliget ex inflationum esse genere. Qui enim memoria tenuerit, tum omnia quæ in dissectione eius mẽbri apparent, tum quæ de functione eius & usu in Naturalibus libris sunt prodita, is nullo negocio intelliget quòd cauernosus neruus, qui propriam colis substantiã constituit, halituoso spiritu impletus, affectum hunc excitat. Porrò halituosum spiritum in animalis corpore ex succis, qui lente excalfiant, sensim nasci didicimus. Quippe ubi tum insitus calor ualidus est, tum partis humiditas ad summum concocta, utique in tenuem halitum soluta insensibili transpiratu in ambientem effluit. Contrà, ubi uel ingenitus calor imbecillior est, uel naturalis humor tum semicoctus, tum crassus, tum glutinosus, ibi crassior excitatur habitus quàm ut trãspirare possit, ac potissimum sicubi particula ipsa densior est reddita. Nonnunquã uero humor qui in membro continetur, subfrigidus est, præterea crassus & glutinosus: auctior uero calor in halitus eum crassos resoluit. Quæ res profecto magnopere tibi ad curationẽ æstimãda discernẽdaq; est. Siquidẽ principium ambobus affectib. cõmune est, nempe totum prius corpus uacuare, modo id capax uacuatiõis sit. Dictum uero à nobis sæpe est de uacuantium auxiliorum facultate. Ea sunt missio sanguinis, & purgatio tũ per ea medicamenta quæ subter expellunt, tum per ea quæ supra, siue ea uomitoria dicere mauis: præterea multa frictio, & omnis dimotio: itemq; balneũ, potissimum quod ex aquis fit digerẽtibus. Sed & acria medicamẽta illita per halitũ digerunt, omniaq; uno uerbo quæ calfaciunt & siccant. Ex accidenti etiam uacuare indicaui & cibi abstinentiã, potissimũ ubi ambiens calet. Ergo quicquid horũ sustinere cubãs aptissime potest, eo est uacuandus, imponendumq; ipsi laboranti particulæ medicamentum, si ea calidior sit effecta, quod ad portionem caloris abundantis refrigeret. Sin aliter, inter initia quidem omnino quod modice refrigeret: postea uero id necessium nõ est. Pari modo & quæ circa lumbos sunt particulæ omnes, eiusdẽ facultatis medicamento sunt comprehendendæ, etiam reliquus uictus exhibendus qui & flatui aduersetur, et siccet. Incidit uero uitium hoc nõ sanè multis, sed iuuenibus magis quàm alijs ætatibus. quo magis his sanguinis missio præcipue est salutaris, ceu nec ætate eorũ eam recusante. Scio enim ipse quendã à me curatum tribus diebus, naturalem habitum recepisse, sanguine primũ misso, dein medicamẽto hoc adhibito. Ceratum ex simplici rosaceo factum ita liquidũ, sicut ad fracturas uti solemus, aqua frigida imbuẽs, ac simul cum ea subigẽs, (nam æstatis initiũ erat) pudendo ac lũbis imposui, atq; ita quidẽ hunc percuraui: simili modo & alium, qui post missum sanguinẽ humido medicamẽto, qđ ex chamæmelo cõficitur, est usus. Porrò istis etiam nympheæ aliquid potandum exhibeo, saltẽ in principio. mox salicis amerinæ semẽ, ac si traxerit adhuc uitiũ, rutæ semen copiose comedendũ. Est eñ illud cõmune præceptum omnium fermè quos uitiosus succus creat morborũ, quod in fine calfaciẽtibus & siccantibus sit utendũ, quippe hæc quod reliquum humoris est, prorsus absumunt.

8 Sanè linguam ita tumefactã cuidam uidimus ut ore hominis contineri nõ posset. Is nec uenam inciderat unquã, & sexagenarius iam erat, horaq; diei ferè decima erat, cum ad eũ primũ accesi et uidi. Ac uisus mihi est usitatis mihi pillulis, quę ex aloe, scammonia, & colocynthide cõstant, uespere datis purgandus: ipsi tamen particulæ afflictæ suasi refrige-

rantium aliquid imponere, saltē in initio. Post enim, inquam, applicabimus prout suadebit euētus. Verū id uni medicorū non placebat: ac propterea pilulas quidē sumpsit: de locali tamen remedio deliberatio in diē posterum est dilata, quo tēpore etiā efficacius aliquid prēstiturū quicquid probatū fuisset, sperabatur, & purgato scilicet iam toto corpore, & humoribus ad inferna reuulsis. Ceterū ea nocte euidentissimum per quietē insomniū, nostrū homini cōsilium approbauit: ac materiā ipsam medicamēti definiuit: lactucæ succo collui iubēs, quo ille solo usus, ꝓrsus est sanatus, nullius alterius egens. Quòd aūt in priapismo uomitorijs medicamētis potius q̃ subducentibus sit utendū, in linguæ uitio cōtrà: id ex partiū situ indicari manifestū est. Nam auersionis in cōtrarium, (quæ ab Hippoc. antispasis dicit̄) non à substantia, sed à curādi mēbri positu, inuētio præstatur.

9 Iam uero tempus monet, ut ad aliud tumorum genus transeamus, atq; à re potius q̃ nomine initiū faciamus. Ea nanq; est haud dubie ueréq; scientifica doctrina. Quòd igit̄ omnibus eiusmodi tumoribus succus aliquis influit, id in lib. quem De tumoribus præter naturam scripsimus, indicatū est. Quòd autē non idem in omnibus sit, ipse sensus euidēter docet: differentibus nimirum ipsis tumoribus non colore modo, uerum etiam ijs quæ ex calore, frigore, mollitie, duritieq; spectantur differentijs. Ac ruber quidem tumor euidenter subesse sanguinis indicat humorem: sicuti flauus & pallidus persimilem ipsis bilem: subalbidus uero & laxus, pituitam. Sunt aūt & præter hos tumores quidam, qui colore sint inter rubrum & nigrum medio, cuiusmodi color fuscus est. Hunc cū in corporis partibus sæpe incidat, plurimi medicorū liuidū, Græce πελιδνὸν uocant. Renixus autē his quoq; tumoribus ualens est: ac si uenas euidentiores membrum habet, exaltatas eas à crasso & nigriore quodammodo sanguine, cuiusmodi per aluum aliquando nō paucis hepaticorum excernitur, uidere licebit. Suntq; medici qui mihi eum non absurde uidentur feci, quæ in uinis subsidet assimilare. Ergo hic humor, ubi amplius incaluerit aut propter putredinem, aut febrem phlegmonodem, nigram efficit bilem, quam nullū animal, ne ipsi quidem mures gustauerint. Terra quoq; raditur ab ea: ac partes quæ radunt̄, omnes in altum attolluntur, uocaturq; is affectus (ut Plato quodā loco inquit) tum feruor, tum fermentatio. Est nanq; is humor talis, quale esse acetum docuimus. Ex quo ipso quoq; si in terrā effuderis, idem effectus uisitur. Quo minus alienum est, si ueteres eiusmodi humorem acidum nominarunt, æque ut pallidæ bilis amarum. Sanè non raro etiam in uomitionibus talis apparet. Verū sicuti paulo ante dixi, unū quoddam uitium esse propriū uerumq; scirrhum, qui præter alia etiam insensilis sit: reliquos tumores, qui uidelicet nondum sunt omnino insensiles, dupliciter esse à medicis uocatos, nempe uel scirrhos, propterea quòd generis scirrhorum sunt, uel scirrhosos tumores: sic & in humoribus quæ quidem haud dubie nigra est bilis, ea talis est qualē modo pinximus: certe acida, & terrā fermenti ritu eleuans: tum omni animanti iniucunda. Quæ uero fieri talis est idonea, hęc bifariā nuncupat̄: uel melan-

A cholicus humor, uel nigra bilis: scilicet qui sic eam nominant, affirmaturis aliam esse nigram, quæ dum animal naturaliter se habet, quotidie gignit̄: aliam quæ ex ustione ac uelut assatione conflatur. Quòd autem semper præcipio, ut nominibus contemptis, ipsam naturæ rerū scientiā exerceas, id nunc est faciendum: ac nominandū quidē prout succurret, cæterum oratione sic interpretandū, ꝙ quidam prēter naturam tumores ex eiusmodi naturæ succo proueniunt, cuiusmodi est fæx in uino, & amurca in oleo: & ꝙ hi spatio tēporis putrescente humore, propterea ꝙ in uasis sit impactus, exulcerant̄. Ergo sicuti reliqua omnia uitia plurimā habēt particularē in maioris minorisq; ratione differentiam: sic etiam hoc uitium habet. Quippe phlegmones alia quidem admodum rubra est, alia paulo magis quàm pro naturali B habitu rubra. At species, siue genus, siue quomodo libet appelles, ambobus est idem. Nam & rubriores q̃ pro naturæ modo sunt, & dolor omīno cum ipsis est qui ipse quoq; magnā habet in excessu et defectu differentiā. Ad eundem modū nec renixus nec cutis tensio omnibus est æqualis. Cōmune tamen eorum est tum quòd pars magis renititur quàm ante, cum naturaliter se haberet, tum quòd in tumorem quendam attollitur: extenta scilicet attentaq; eatenus cute, quatenus tumor assurexit. Simili ratiōe & uitium quod modo describimus, aliàs confusa exiguaq;, & quę uulgum fortasse latere possint, affert symptomata: aliàs ita uehementia & magna, & cunctis euidentia, ut ne puerum quidem clàm sint. Verum commu C ne illud in omnibus particularibus, quod intelligentiam ad se trahit, unus id morbus esse ostenditur: & unam sibi appellationem imponi cogit. At ubi magna quidem omnia sunt, nemo de appellatione ambigit, sed nominãt uno assensu omnes eiusmodi affectum, cancrum. Cum aūt adhuc incipit, nihil miri est si uulgus lateat, nō secus ꝓfecto q̃ stirpes quæ ē terra iam exeunt: quãdo hæ quoq; peritis tantū agricolis agnoscuntur. Ergo quęnā in cancro tum communis, tum propria curationis indicatio sit, opportune nunc dicetur. Cōmunis igitur est, ut humorē, unde uitium est natū, ilico uacues simili uacuationis genere ei quæ in alijs tumoribus supra est comprehensa. Mox prohibere, potissimum si fieri potest, ne de cætero eiusmodi succus in uenis colligatur. Sin id fieri D nequit, saltē eum omnino ex interuallis uacuare, & simul particulā firmare, ne quid humorū redundantiæ ad eā confluat. Veluti ergo amaræ bilis humorē medicamēto quod eū humorē trahere sit aptū, educimus: sic & melancholicū educemus, uel simplicīū aliquo, cuiusmodi est epithymū pondo drachmarū quatuor in sero lactis mulsáue exhibitū: uel compositorū aliquo, cuiusmodi nostrū est, quod ex duobus & triginta simplicibus medicamētis est cōpositum. Sed horū materiā in alijs traditam habes. Hic autem quæ ad propositam methodum proprie pertinent, dicamus. Post nanq; purgationem illud de omībus eiusmodi affectibus prius est præceptum, quòd uel retro regerere humorē, qui in membro procubuit, oportet, uel ipsum digerere: pręterea ꝙ in principio quidem tam in ipso purgationis tempore, q̃ ante id repellere: ubi iam totum corpus exquisite purgaueris

ris, digerere. Vbi tamē mediocris tantum purgatio præcesſit, miſtū eſſe quod applicabit̃ pharmacū, ex repellente digerēteq; facultate conueniet. Sanè ad craſſum humorē inutiles ſunt tū imbecillę, eo ꝙ nullum operæpretiū efficiāt: tum ualentes, ꝙ uehementer tenuiores quæ in uenis ſunt ſanguinis partes uel digerāt, uel retrudāt: craſſas uero & melancholicas, quas feci aſsimilauimus, nec euocēt, nec repellant. Ergo ſi his inter initia utere, utiq; minutus aperte tumor erit. Cæterū quod reliquū eius eſt, cōtumax ad ſoluendū reddet̃. Quare mediocriū uirium medicamentis eſt opus: quæ nec propter imbecillitatē uincent̃, nec propter effectus uehementiā ualenter ſanguinem craſſabunt. Ad hæc item quę omnino haud mordeant: quandoquidē uitij malignitas ab ijs quæ mordent irritatur, ac ut dici ſolet, efferatur. Propter hæc igitur quæ uiribus quidē ſunt mediocria, qualitate uero minime mordentia, eiuſmodi affectibus ſunt idonea. Materiæ uero copia, ſicuti in libris De medicamentis eſt traditum, ex uſtis elotisq; metallicis habebitur. Quippe quę medicamenta ex his cōponuntur unà cum purgationibus, ad ſanandos incipientes cancros magnā uim habent. Maiores uero ſat fuerit, ſi his prohibeantur augeri. Proſpicere uero ut qui iam ſunt ſanati, amplius non regenerentur, id artis de tuenda ſanitate eſt opus, cuius ſanè portio eſt ea quę de cibis præcipit. Cæterum ſi quando cancrum per chirurgiam curare debebis, cœpiſſe quidem ab uacuando per purgationem melancholico humore oportebit. Vbi uero totum quod uitiatum eſt, prorſus exciderìs, ſic ut nulla ſuperſit radix: ſines effluere ſanguinē, nec propere eum inhibebis: immo premendo potius quæ circum ſunt, uenas, exprimes ex his craſsiorem ſanguinem: mox alijs ulceribus ſimiliter curabis.

10 Eſt tamē & aliud uitiū quod ex humore craſſo ferueteq; naſcit̃. Incipit hoc plerunq; à puſtula: aliquando uero & ſine hac. Cæterū inter initia quibus hoc inſtat, ſcabunt particulam omnino. mox oritur puſtula quædā, qua rupta, ulcus cum cruſta gignit̃. Sæpe uero non una oritur ſcabentibus puſtula, ſed multæ exiles ueluti milij ſemina, crebrę in particula reſidentes, quibus perruptis, ſimiliter cruſtoſum ulcus prouenit. In carbunculis uero qui per Aſiam populatim ſunt graſſati, etiam citra puſtulas nonnullis excoriata ſtatim cutis eſt. Omnibus tamen, ut dixi, cruſtoſum ulcus fit, modo cruſta ipſa cineris colorē præferēte, modo nigrorem. Omnibus præterea his circumpoſita caro in ſummā peruenit inflammationem, non tamen colore aſpicitur eryſipelatis, immo qui adhuc phlegmones colore ſit nigrior: ueluti ſi pluſculo rubro minus miſceas nigri. Quòd autē neceſſario febricitēt qui ita ſunt affecti, idq; nō minus, imò magis ꝙ illi quibus eryſipelatoſa eſt phlegmone, id utiq; latere neminē poteſt. Sed & incipiēdam ab inciſa uena curationē eſſe, id quoq; neminem latere arbitror, qui præſertim meminerit quæ in curatione febriū de ſanguinis miſsione diximus. Nec illud obſcurū, ſanguinis uacuationē quæ ad animi defectum uſq; ſit adhibita, magis his etiā collaturā: niſi tamen aliud quippiā obſtet ex ijs quæ uenam in cidi uetent. Imponi uero ſibi laborans particula quod

A ad humorū inflāmationem ſpectat, refrigerātia deſiderat. Cæterū propter humoris craſsitudinē atq; etiam malitiā, nec flexionē auertere unq; poteris: & ſi quando id feceris, aliud quippiam quod in alto ſit corpore, offendes. Atqui nec adfluere is permittendus eſt: quin potius inquirenda remedia ſunt, quæ cum modice reprimendo etiā digerere poſsint. Tale profecto eſt tum cataplaſma quod ex plantagine conficitur, tum quod ex cocta lente, ſcilicet miſcētibus his nobis micam panis tenerā qui clibano ſit coctus. Eſto aūt panis nec omino à furfure purus, nec nimiū eius habēs. Siquidem qui omnino purus eſt, eius ſubſtantia in cutis meatibus hærere eſt apta, ἐμπλαστικώτερον Græci uocant. Furfuraceus autē craſſiorum eſt partium. Super ipſum uero ulcus, ualens

B aliquod imponendum eſt medicamentū: cuiuſmodi eſt Andronis, Paſionis, uel Polyidæ, liquariq; id cum uino aliquo dulci ad ſordium craſsitudinē debebit. Porrò cōmodiſsima ad hunc uſum uina ſunt tum Thereum, tum Scybelites. In quorū inopia ſapa utendum, quæ apud nos ἕψημα dicit̃. Quæ autē pharmaca reliquis adhiberi ulceribus ſolet, nempe quæ cōcoquant & pus moueant, ea nunc adhibēda nō ſunt: quando ita putredinem particulæ auxeris. Quin etiā ſcarificare eiuſmodi tumores poſt ſanguinis miſsionē, alienū non ſit. Sunto autem inciſiones mediocribus altiores, propter infeſtantis humoris craſsitudinē. Ceſſante uero iam inflammatione, ulcus ad cicatricem ſimiliter reliquis ulceribus perduces. Atq; hactenus de carbūculis dixiſſe ſat arbitror.

C 11 Deinceps de reliquis agam tumoribus, orſus à ſtrumis, χοιράδας Græci uocāt. Exiſtunt hæ glandulis in ſcirrhoſum affectū mutatis. Eſtq; curatio earum, q̄d ad ipſum attinet uitium, ijs ſcirrhis qui in alijs partib. naſcunt̃, cōmunis. Cæterū quod ad ipſius partis naturā ſpectat, in quibuſdā glandulis alias geminas curatiōis indicatiōes adijciūt. Præſtiterit fortaſsis hoc loco de nominib. aliquid clarioris doctrinæ gratia diſtinxiſſe. Quippe glādulæ quæ quod in medio uaſorū in diuerſas partes diductorū habetur implent, eiuſq; diductionis pro firmamēto ſunt, earum haud magnus uſus animantib. eſt: ſed ex abundantiore prouidentia ſicut alia quædā, ſic has quoq; glādulas natura fabricauit. Earū uero quę uel ſaliuā, uel lac, uel genitale ſemen, ad hæc quæ pituitoſum

D quendā humorē in meſenterio, uel faucibus, uel larynge, generāt, earū maior eſt uſus. Atq; aliqui has nō glandulas, ſed glanduloſa uocāt corpora, ut quæ non paulo ꝙ reliquæ glandulæ & rariore ſint & magis ſpongioſa ſubſtantia. Quinetiā in has tum arteriæ, tum uenæ ſenſibiles perueniunt. Atq; hæ quidē cum in ſcirrhoſo ſunt affectu, nō aliter ꝙ cæteræ omnes partes ſunt ſanādæ. At quę in medio uaſorum ſpatio cōſiſtunt, in ijs alia curationis indicatio præſtatur: qua ſimul cum uitio etiā pars ipſa tollitur. Eſt uero duplex ea quoq;: nempe uel totū quod uitiatum eſt, ſcalpello excidentibus nobis, ueluti in cancro, uel putreſcere id medicamento cogētibus. Porrò quæ eiuſmodi medicamētorum materia ſit, id in opere De medicamētis eſt proditū. Mihi uero tēpeſtiuum eſt de alijs tumoribus docere. Quorū ſe primum abſceſſus offert, ἀπόστημα id Græce dicitur.

12 Huius duplex item genus est. Vnũ cum phlegmone in pus uersa, pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectũ. Alterũ cum nulla precedente phlegmone, humor aliquis statim ab initio, isq; aliàs specie alius, cæterũ omnino acris, in parte aliqua colligitur, porrò excoriat hic circũposita corpora: spatiũ uidelicet sibi moliens, uel inter duas tunicas, uel sub certis mẽbranis. Excoriat autẽ omino ipsa copia distendens: interim uero acrimoniã quandã à putredine tempore contrahens. Sanè inueniunt in huiusmodi abscessibus cum scalpello sunt diuisi, proprietates quædã nõ paucę, nec humorũ modo, sed etiã solidorum quorundã corporũ. Siquidẽ unguiũ, pilorum, ossiũ, testarũ, lapidũ, & toforũ fragmentis similia inuenta in his corpora quędã sunt. Ac humorũ ipsorũ alius ueluti lutũ, uel cœnũ, uel olei quidã limus, uel uini fæx, alius adeo grauiter olens, ut omẽs auersentur. Verũ hæc rarius incidunt. Frequentissima uero huius morbi sunt tria genera, quorũ singula propriã appellationem Græce sunt sortita. Ea sunt, ἀθέρωμα, στεάτωμα, & μελικηρίς, à similitudine contentarũ in tumoribus substantiarũ dicta. Est eñ alia ipsarũ ueluti seuũ, alia ueluti mel, alia pulticulæ, quam ἀθέραν uocãt, similis. Curationis uero eorũ indicatiões sunt cõmunes: nempe id quod continetur, uel digerere, uel totũ putre reddere, uel excidere. Aliqui igitur eiusmodi tumorũ triplicẽ curationis rationem admittũt, quotquot scilicet ex tenuiore humore constant, ut meliceris. Aliqui duplicem tantũ, ueluti atheroma: quippe quod tũ excidere, tũ putrefacere licet. Steatoma uero sola manuũ opera curatᷓ: cum nec putrefieri possit, nec digeri. In ijs uero abscessibus qui in alto corporis consistunt, ac potissimũ in uisceribus medicamenta quę ex aromatis cõponuntur, maxime sunt utilia: utpote quorum uis collectum humorem, tum in halitũ resoluat, tum digerat. Sunt profecto & alia eius generis, non pauca, quorũ laudatissima sunt, tum antidotus quæ ex uiperis componitur, (theriacẽ uocant) tum quæ athanasia uocatᷓ, tum ambrosia: atq; hæc quidẽ sumptuosa: uiliorũ sanè optimũ est nostrum, quod ex Cretica calamintha est cõpositum. Omnia uero id genus in opere De medicamẽtis colligemus: quòd uti paulo ante diximus, satius arbitror ijs tribus quæ supra memoraui, quò nihil desit, subijcere.

13 Quoniam uero eorũ quæ per chirurgiã fiunt, curationis indicationes aliquid cõmune habent, aliquid propriũ, satius nobis uisum est ea nõ distrahere, sed uniuersa in calce huius operis apponere. Nũc porrò tantulũ etiã de tumoribus, qui præter naturã consistunt, est adijciendũ, quòd quicũq; ex his toto genere præter naturã sunt, ij sui ablationẽ indicent: cõmuniori scilicet indicationi, quæ per omnia quæ totis substantijs à naturæ habitu recesserunt extenditur, subiecti: ueluti in steatomatis & atheromatis habet. Huius certe generis est & quæ μυρμήκια Græce uocatur, & quæ ἀκροχορδὼν, præterea in uesica calculus, & ὑπόχυμα: & in mulieribus molę in utero gestatio. Ita uero appellãt informem carnẽ. Omnia nanq; talia summouere in totum properemus. quorum uero etiam locus ipse affectus una quæpiam naturalium partium est, prima indicatio est, ut affectus sanetur. Secunda ab hac, si insanabilis is sit: ut unà cum uitio pars quoq; ipsa excidatur: sicut in cancro & omnibus ulceribus quæ curationẽ respuũt. E contrario uero in suffusione quod hypochyma uocant, uicti in prima indicatiõe, ad alium eam locũ, qui minoris sit momenti, transferimus. Non desunt qui hæc quoq; uacuare sint aggressi: sicut in ijs qui chirurgiæ tractantᷓ, dicã. Nunc illud dixisse sufficiet, quòd humor qui in hydrocelis uisitur, alienus à corporis substantia tota natura sit: sicut etiã quæ in ascitis hydropibus continetur aqua, quarum certe uacuationem, uel medicamentis quæ digerant molimur, uel chirurgia: in hydrocele quidẽ immisso siphone: in ascite uero adhibita punctiõe, quã paracentesin uocant. Porrò exciditur unà cum affectu ipso, ueluti in ijs quæ ante cõprehensa sunt, etiã pars affecta: ita & in herniosis aliquid peritonæi. Pari modo & columella aliquãdo unà cũ uitio ipso exciditur. Itidemq; in cruribus & testiculis, unà cum uaricibus ipsæ uenæ. Adhæc tunica in naso cum polypo, & foratus dens cum foramine, uerũ ex his nullum est quod ad naturalem habitũ possit reduci. In columella uero id omnino est conandum, nec properãdum ad eam excidendam: sed quãdo gracilis est, et ad lori tenuitatẽ redacta, tum est auferẽda. Porrò talem eam reddet longius tempus. at qualẽ Hippocrates in præsagijs descripsit, paucorũ dierum numerus. æque uero & cætera quæ in magnitudine naturalem habitũ excesserũt, in quibus innumeranda sunt omnia quibus supercreuit caro, & encanthides, & qui in sede thymi dicunᷓ. Sunt ex istiusmodi, & quæ ambigua sunt specie, ueluti cicatrices quæ supra circumpositam cutim multum extant: item quæ in oculis sunt pterygia. Curationis tamen eorũ indicatio manifesta est. Siquidẽ talia omnia amouere oportebit: atq; id semper agere, ut rationibus quibus id fiat pensitatis, optimã semper earum deligas. Sanè optimę rationes tripliciter iudicantur, tum ex temporis curandi breuitate, tum ex curando citra dolorem, tum ex maxime tutò curãdo. Rursus ut tutò cures, tria propria sunt, quibus intentus sis oportet. Vnũ primũq;, ut omnino absolutionem operis consequaris. Alterum, ut sicubi hanc non consequaris, saltem cubantem non lædas. Tertium, ut uitium non facile reuertatur. His cõsiderationibus si optimã curationis uiã iudicaueris, inuenietur in omnibus quæ nunc proposuimus, quãdo potius chirurgiæ, & quando potius medicamentorũ ope sit curandum. At chirurgiæ quidem studium in ijs præsertim quę nunc sunt proposita, ad interemptionem eorum festinat: ut quæ quod in animalis corpore toto genere præter naturam habetur, id prorsus tollendum sibi proponat. Quod si perficere nequeat, proximũ illud consilium habet, ut uitium trãsferat, ueluti in hypochymatis. Quod uero ex medicamentis petitur, primum huc tendit, ut quod pręter naturã est, tum uacuet, tum digerat: quod si per membri naturam, aut etiam uitij rebellionem fieri non licet, ut id tum in pus uertat, tum putrefaciat, hoc uero secundo loco destinat. Quippe ita in columellæ uitio facimus: primũ scilicet ad naturalem habitum eam reuocare tẽtantes: id si cõsequi non est, prorsus amputãtes: idq; uel

uel chirurgiæ opera, uel per caustica medicamenta. A
uerum medicamenta melius est in tractationem de iis differamus, (quādoquidem tribus iam proditis, aliam quoque quartā adiiciendam statuimus) ac chirurgiam in calce huius operis apponamus.

14 Non est igitur q̃d in his amplius immoremur: sed transeundū ad ea quæ similē iis quæ cōprehensa sunt, curationem desiderāt. Ea sunt tum quæ in numero & magnitudine cōuenientē modū excedunt: tum quę in ambobus iis deficiūt. Dixi hoc loco conuenientē: quòd si cōferentem, uel conducentē, uel secundū naturā, uel utilem alibi usurpauero, eadem sermōis uis erit. Ac dictū quidem de his alibi latius. Cęterū redigere in memoriam summatim omnia, etiā hoc loco alienū non fuerit. Omniū ergo quæ in corpore habētur, primū cuius maxime indigemus, B est ipsa particularū minime impedita functio. Hanc uero quia possidemus natura, idcirco publice dicimus expetere nos secundum naturā agere. Et quia hoc ipsum cum eo quod est secundum naturā, [uel naturaliter se habere,] est cōiunctum: merito profecto nihil interesse arbitramur, secundū naturam habere, an secūdum naturam agere, dicamus. Quin & sine additiōe interim Græce dicimus expetere nos τὸ κατὰ φύσιν, utique subaudito in dictione, uel habere uel agere, uel ambobus [Latinitas propter articuli fortassis inopiā, ea figura destituit.] Atque hæc quidem causa est cur medicis recte usurpata uox hæc secūdum naturā sit de omnibus, quæ in corpore ex sentētia nostra esse cupimus. Scire autem licet in iis quibus natura deficit, nec primum, nec propter se- C ipsum, secundū naturā à nobis expeti: sed secundariò, & ex accidente. Siquidē sextus digitus nonnullis ab ipso statim ortu est congenitus, & quintus defecit: & alia quædam similia, aliqua in numero, aliqua in legitima quantitate uitiosa. Ac siquidem hęc plurimum, recta uero rara fierent, cōtra quàm nunc de naturę operibus statueremus, utique nō tuentes ut nunc, sed auferentes ea. Hæc ratio memoria tua nunquam excidat: cum sit ad nominū usum utilis, quæ tum fallere inconsideratos possunt, tum discordiæ phantasiam excitare, sicubi alter dicat totum quod præter naturā est, esse tollendum: alter quod nocet, aut inutile est, aut incommodat actioni. Ergo denuo repetentes, de rebus loquamur, quando de nominibus est nobis definitum: hinc orsi. D

15 Coniuncta comprehensis iam morbis sunt ea quæ uel magnitudine, uel numero, à debito naturæ modo sunt aliena, in quibus amputare quidē conuenit quod magnitudine, uel numero redundat, reficere autē & fingere quod desit: ubi uidelicet fieri id licet. Quintū nanque digitum, aut tale aliud membrū, medico certe gignere non licet, sed unius naturæ opus sunt oīa talia. Verum in totū tollere quod numero redundat, aut pręcidere aliquid eius quod magnitudine modum excessit, hæc nobis quoque licent. Siquidē ex medici officiis unū est, nec id leuissimū, ubi in corpulētia eò deuenit corpus, ut nec ingredi sine molestia, nec sedē propter uētris molem cōtingere, sed nec respirare libere possit: hanc liquare ac tollere, æque nimirū ut cum corpus ali desinit (ἀτροφίαν Greci uocāt) quod genus quos tabes male habet, patiunt: huic quoque reficiēdo prospicere. Sæpe autē euenit, ut nō totū corpus, sed una quæpiā pars ex atrophia tabescat: quā scilicet uel neruorū resolutio, uel ipsius partis intēperamentum præcessit. Opportuneque iam de curatiōe horū cōsiderabimus, orsi ab iis qui corpulentia nimiū onerātur. Ostensum uero in libris est qui De temperamentis sunt inscripti, quòd calidior siccior que tēperies exile corpus reddit. Ergo id agēdum, ut nimium obesi corporis tēperamentum tale esse faciamus, si modo ad debitū modū redibit. Sanè docuimus tum in illo opere, tum nihilo secius in opere De tuenda sanitate, quòd acuta exercitatio, & tenuans uictus, & id genus medicamenta, & animi cogitatio, tēperamentū totum non solum calidius, sed etiā siccius, ac propterea corpus exilius reddunt. Igit in exercitationibus celerrimus cursus est idoneus. Tenuātis uero uictus materia, seorsum singulari libro est prodita. Quòd si medicamenta tenuantia quoque requirent, etiam hæc in operibus quæ De medicamētis conscripsimus, sunt edita: quanque referētur eorū nunc quoque quę sunt efficacissima, quibus ubi demere nimiā obesitatē studes, utaris suadeo. Ergo quæ ad articularia uitia quidam exhibere solent, quæ scilicet ualentem incidendi facultatē habent, iis tu quoque cum nimiā obesitatē curabis utitor. Sunt porrò talia, rutæ semen, præsertim que syluestris, unà cum ipsis corymbis, & aristolochia rotunda, & minus centaurium, & gentiana, & polium. Præterea ex urinam cientibus, ea quæ pollentes habent uires, ueluti petroselinū. Vnūquodque eñ taliū tum ipsum per se, tum uero aliis mista, uniuersa, & extenuare potēter succos, & uacuare sunt habilia, partim quidē sensibiliter per urinas, partim per insensibilem transpiratū. sed & sal quod ex combustis fit uiperis, potēter extenuat. Multique cum uel graciliores, uel mediocris habitudinis essent, ex eiusmodi medicamentorū potione perierunt, sanguine ipsorū excocto. Ruerant autem ad ea, propterea quòd liberatos aliquos articulariis uitiis uiderāt: minime scilicet æstimantes quòd tēperies eorū qui sanati fuerāt, humidior pituitosiorque erat, qualis nimirum obesorū est. In quibus eiusmodi medicamētorum securus est usus. Ipse nanque iuuenē quendā quadraginta circiter annos natū, oppidoque obesum percuraui usus tum antidoto quæ aduersus articularia uitia est cōposita, tum sale theriaco, ipsaque theriacē, ac reliquo extenuanti uictu, & pro exercitatione cursu ueloci. Porrò pręparaui hominem ad cursum, perfricando primum linteis asperis, quoad cutis ruberet, dein statim cum oleo quod in se digerens aliquod medicamentum habebat, quo etiam post cursum rursus utebar. Talia medicamenta sunt, tum syluestris cucumeris radix, tum althea, tum gentiana, tum aristolochia, tum panacis radix, tum poliū, tum centaurium. Per hyemem uero etiam à balneo iam dicto oleo hominem reunxisse profuerit. Verum cibum exhibere non statim à balneo, sed interposito somno conueniet. Quòd si uelit etiam rursus ante cibū lauari, permittes. Magis etiam ad rem pertinebit, si aquæ ipsi digerēdi facultas insit. Ac siquidem talem aliquam sponte natā habemus, ipsa utemur: cuiusmodi in Lesbo uisitur, à Mitylene sta-

diis

dĳs quadraginta: ſin minus, ipſi ſimilem aliquã mo A
liemur. Eſt porrò ea quæ in Mitylene conſpicitur,
& uiribus & colore talis qualis utiq; fiat, ſi quis flo-
rem ſalis aquæ marinæ miſceat. Hæc ipſa aqua etiã
hydropicis, & reliquis tumefactis, idonea eſt: utpo
te ualenter deſiccãs, ita profecto ut præpinguibus:
ac præcipue ſi quis ipſos cogat in ea celerrime nata-
re, nec poſt largã lauationẽ protinus eſſe, bibereúe,
ſed ſomno interpoſito, aut omĩno ſaltẽ quiete. Sanè
illud eſt ſciendũ, atq; ab eo qui obeſitatẽ curat prędi
cendum, quòd aliquando ex multo ſimul obito mo
tu, & febri hominem tẽtari eſt credibile, & quòd fe-
bris ad rem propoſitam non aliena erit: utiq; ſi medi
cus recte omnia faciat. Etenim perſpicuũ eſt, ubi ex
laſsitudine febricitarint qui ita curantur, quòd ſopi
ta eorum febre, rurſus ad eandem curationis formu B
lam redibunt. Sanè fugere in ĳs curãdis conueniet,
& uina quæ multum nutriunt, cuius generis craſſa
ſunt: uti uero uel aquoſis, id eſt colore albis & ſub-
ſtantia tenuibus: uel quibus mare eſt admiſtum.

16 At ubi eos qui extenuati ſunt, reficere in ani-
mo eſt, ĳs uinũ exhibebimus craſſum: cibũ uero qui
ſuccũ efficiat craſſum, exercitationes paucas, frictio
nem mediocrem: ac ut ſumma cõplectar, omĩa iam
comprehenſis contraria moliemur. His uero etiam
picari commodum eſt: idq; tertio aut quarto quoq;
die. Quippe id ad carnem inſtaurandam egregium
medicamentũ eſt: adeo ſi quod ſingulare membrũ
hoc uitio laborat, id hoc præſidio reſtituetur. Ac no
bis quidem in omnibus fermè hoc unũ ſatisfecerit:
ſiquidem humectat & calefacit, ſanguinis multitu- C
dine accita. Ergo nec aſsidue id ęgrotãti corpori ad-
mouere conueniet: nec cum conueniet, ſæpe illini-
re, uerum in hyeme bis, in æſtate ſemel id feciſſe eſt
ſatis. Quibus uero à natali die gracilia ſunt membra
quædam, ĳs etiam mangones puerorũ hoc ipſo præ
ſidio ſuccurrunt, unà cum certa percuſsione, quam
Græce ἐπίκρουσιν uocãt. Eſt porrò & illius mediocri
tas quædã: ut ſcilicet nec plus iuſto, nec minus fiat.
Ea talis eſt. Ferulas paruas ac leues modice illitas,
gracilibus partibus incutiũt, donec modice attollã-
tur. quippe in hoc ſumma rei eſt: ueluti Hippocra-
tes de perfuſione aquæ calidæ dixit. Primũ quidem
pars intumeſcit, poſt gracileſcit. Ergo quibuſcunq;
particulis bonã habitudinẽ reddere ſtudemus, has
& fricare, et perfundere, et percutere, et picare opor D
tebit, tantiſper dum intumeſcant, hoc ubi factũ eſt,
protinus deſiſtere priuſq; digeri cœperint. Etenim
quæ calefaciũt omnia, ſicuti attrahere, ita etiã dige-
rere ſunt apta. Si ergo perſtes dum quod attractum
eſt, digeſtũ ſit, operã luſeris. Ad hunc modũ mango
quidam proxime nates pueri fame conſumptas, bre
ui auxit, percuſſu mediocri quotidie uſus, aut ſaltẽ
alternis diebus: item moderata picatione. Cęterum,
quibus totũ corpus eſt extenuatũ, ĳs lauare quoq;
poſt cibum eſt idoneum. Veluti autẽ metus erat, ne
tenuantibus auxilĳs febris ſuccederet, corpore ſcili
cet immodice per hæc calefacto: ſic ĳs qui à cibo la
uantur, timendum eſt ne ſibi iecur obſtruatur, po-
tiſsimum propter ciborũ ſpeciem: quippe cum ali-
ter quoq; obſtruere ſoleant quæ ſuccum craſſum gi
gnũt, ſi quis his liberalius utatur. Vbi igitur aliàs id
efficere ſolent, multo profecto promptius idem poſt
balneum facient. Incidit tamen ex tali uictu diutius
exhibito, etiã calculi in renibus generatio, quod ui
tiũ cur omnibus nõ cõtingat, ſatis patet. Quippe in-
credibile non eſt quibuſdã, uel denſos admodũ eſſe
renes, uel perangusta uenarum in iocinore ora: qui-
buſdam cõtra eſſe habita. Horumq; dignotio nulla
planè certa eſt: ſed percontãdum aſsidue ab eo qui
iam dicto modo eſt cibatus, num quis illi grauitatis
ſenſus in dextris præcordĳs & circa lũbos ſit. Quod
ſi quid tale aliquando ſenſerit, protinus cappari ex
oxymelite in principio cibationis, donec cõſtiterit
grauitas, dabitur. Ad mẽbra uero quæ ægre reficie-
bãtur, ac pluſculũ iam refrigerata erãt, uſus aliquan
do & thapſia ſum: aliàs ea ex melle membrũ illiniẽs,
aliàs etiam ex cerato. Siquidẽ attrahit ea quoq; par-
tibus quibus ſuperpoſita fuerit, ſanguinis copiam.
Quibus autem exiguum aliquid pudendi præputio
de naturali deeſt quantitate, ĳs non raro citra tha-
pſiam ſola tentione debitum modum reddidi, mem
branulam mollem firmãq;, cuti gũmi illitæ circum-
uoluẽs. Satis autem conſtat quòd etiam membranu
læ finẽ parti ſubiectæ agglutinari gũmi oportebit.
Siquidem & ſiccatur cito, & ſine dolore adſtringit.
Porrò cuti præputĳ ex interna parte rotũdũ aliquid
ac mediocre ſupponi prius oportebit: q̃d uidelicet
poſteaq; agglutinata mẽbranula eſt, facile eximas.
Eorũ uero qui thapſia præputiũ adducunt, quidam
rotundum id è plumbo fecerunt, ueluti ſolenarium
quoddã. Mox illi extrinſecus præputĳ cutim circũ-
tendunt, ac molli loro deligant. Fueritq; & id non-
nunq; utile, utiq; quibus multa deſit cutis. Quibus
autẽ exiguũ eſt quod deeſt, ĳs (ut cõprehenſum eſt)
ſola mẽbranula circũdata ſufficiat: ubi aũt circũda-
bitur cuti, & agglutinabitur, ſubtus imponi ſolena-
riũ prius oportebit. Ego uero cum nihil horũ preſtò
eſt, modicum chartæ inuoluens, immittere pro ful-
cimento præputĳ ſoleo: ut poſtea cum planè coa-
luit quod foris eſt circundatum, exẽpto quod fulci-
uerat, facile meiat is qui curatur. Conſtat uero hoc
quoq; uitiũ ex eo morborũ eſſe genere, quod natu-
ralẽ magnitudinem eſt egreſſum, aliàs putreſcente
præputio incidens, aliàs ab ipſo ortu minore q̃ par
erat cõgenito. Subĳcitur autẽ duplici chirurgiæ ra-
tioni: interim in ſuperna pudendi parte circulo inci
ſa cute, quò uidelicet eius unitate ſoluta, eatenus
deorſum trahat, quoad glandem cooperiat. Interim
uero ſcalpro ex interna parte qua glandis initiũ eſt,
excoriata, mox deorſũ tracta, ac deinde (ut ſupra cõ
prehẽſum eſt) molli quopiã deligata. Dicemus autẽ
& de eiuſmodi rationib. in ſermõis progreſſu, æque
profecto ut de curtis id genus, quę κολοβώματα Græ
ci appellãt. Quippe ita uocãt quæ in labĳs, aut nariũ
alis, aut aure deficiunt. Nam methodo quadã curan
tur hæc quoq;: primũ quidẽ excoriata utrinq; cute,
deinde adductis coniunctiſq; inter ſe cutiũ oris, ac
utriuſq; q̃d calloſum eſt detracto, mox quæ reliqua
ſunt adſutis atq; agglutinatis. Eiuſdem generis ſunt
& quas in maiore oculi angulo ῥοιάδας Græce uo-
cãt, utiq; uel impenſius minuto, uel prorſus perdito
ipſo angulo. At prorſus quidẽ perdito eo, omino in-
ſanabile relinquit uitiũ. Minuto uero, ĳs quę modi-
ce ad-

ce adstringunt curatur, si tamen totum corpus pri-
mum ante purgaueris, dein caput. Sunt mediocri-
ter astringentia medicamenta & quæ è glaucio
componũtur & croco, & quæ nardina uocantur.
Item in primis quæ ex uino sunt confecta. Vt ue-
ro summa complectar, quibus perit aliquid sub-
stantiæ, maxime quidem id agendum, ut ei quam-
simillimam faciendam curemus, si id fieri nequit,
saltem aliquid quod eundem præstet usum machi
nabimur. Erit autẽ profecto & id eatenus simile.
etenim cum ossis tibiæ sæpe excidere portionem
magnam cogimur, ad alteram loco eius substan-
tiam producendam, carnem gignentibus medica
mentis naturam ipsam prouocamus. Quæ utique
inter initia uelut dura est caro: postmodũ calli du-
rioris firmitudinem accipit: ac temporis spatio ro
borata, ad ingressum ossis loco fit habilis. Quine-
tiam ubi internodia digitorum excidimus, in exci
sorum loco alteram (qualem prædiximus) naturã
prouenire cernimus. Quòd autẽ uenas quoq; sen
sibiles generatas aliquando uidimus, prius est di-
ctum: uerum has non tam similes ijs quæ prius pe
rierant, quàm easdem renasci dixeris: ueluti in ca-
uis ulceribus carnẽ. Cicatrix uero quæ in hac calli
modo durata gignitur, ea cuti quidem est quamsi-
millima, cutis tamen non est: quãdo & densior ea
uisu tactuq; sentitur: & ratione, ex eo quòd pilos
non edit, intelligitur. Hæc igitur si præstò tibi ad
manũ semper erunt, quæ tibi in curationibus pera
genda sint, minime requires.

17 Mihi uero iam tempestiuũ est ad alia mor-
borum genera transire, sed quibus est cum supra
comprehensis societas. Ergo serpens ulcus, qui ἕρ-
πης Græce dicitur, is eiusdem est generis cum ex-
ulcerato erysipelate. Ramex uero, quam σαρκοκή-
λην uocant, cum scirrhis. At uitia quæ ὀφίασιν, ἀλω-
πεκίαν, & πτίλωσιν appellant, ex eo sunt morborũ
genere, in quibus naturale aliquid est amissum: æ-
que nimirũ ut myrmecia eorũ est quæ toto gene-
re sunt præter naturam. Porrò triplex omnium ho
rum est differentia. Quædam nanq; ex mutatione
consistunt solidarum partium, sicut myrmecia, &
leuce, & uitiligo, & ossis caries, quã sphacelon uo
cant, & elephas, & scabies, & lepra. Quędam cum
prius omnino nõ fuerint, postmodũ sunt orta: ue-
luti meliceris, & atheromata, & steatomata: atq;
alio modo elmynthes, & ascarides, & ceria: (ita e-
nim uocant longam latamq; elmyntha) omniaq;
quæ supra diximus in abscessibus quibusdam cal-
losæ substantiæ, aut lapillis, aut ossibus, aut pilis,
aut alijs quibusdam id genus similia inueniri. Itaq;
attentũ esse semper oportet in omnibus quæ præ-
ter naturam habentur, atq; diligẽter aduertere ex
quo ea genere sint, si modo illud rectè à nobis di-
ctum est, primã faciendorum indicationem, unde
ad omnia quæ deinceps sunt administrãda initiũ
capietur, à genere ipso sumi. Herpetas nanq; bilio
sus procreat succus. Quo fit, ut eatenus eiusdẽ sit
cum erysipelate generis, atq; huius quoq; magis
etiam cum eo quod exulceratum est. Differt autẽ
ab erysipelate humoris tenuitate. Est enim admo-

A dum tenuis qui herpetem excitat, adeo profecto,
ut non solum omnes interiores partes, quæ utiq;
carnosa substantia sunt, transeat, sed etiam cutim
ipsam ad summã usq; cuticulam: (ἐπιδερμίδα Græ
ci uocant) quam solam propterea quòd ab ea re-
moratur, tum erodit, tum exedit, quando si hanc
quoq; sudoris uice transiret, haudquaquam ulcus
excitaret. Quippe id ulcerum quæ ex mordente
humore exoriũtur, quæ nimirũ spontanea uocãt,
commune est quòd humor qui ea facit, sistitur in
exitu ac tardat. Porrò ex eo quòd alter humor al-
tero sit tenuior crassiórue, ulcerũ differentiæ quæ
ex profunditate spectant, proueniunt. Huius cer-
te generis est & quæ φαγέδαινα græce dicitur, &
exulcerati cancri, quorum omniũ cõmunis cura-
B tio est, ut inhibeat primũ humoris confluxio, post
sanetur ulcus. Propria uero cuiusq; tum ex mẽbri
inuenitur natura, tum ex humoris non solum spe-
cie, sed etiã quantitate. At tenuissimus quidem in
eiusmodi humoribus est is, qui exulceratũ herpe-
tem excitat, crassissimus qui cancrũ. Proximũ ab
his locum occupat quod ad crassitudinẽ attinet,
qui phagedænas creat. Harũ species quædã sunt,
quæ χειρώνια ac τηλέφια græce dicuntur. Iam aliæ
quædam eiusmodi appellationes sunt, sed inutiles
& superuacuę. Siquidem ad curationem pernosci
oportet humoris tum copiã, tum crassitudinis te-
nuitatisq; eius modum, tum potentiam: ueluti sta
tim in herpete, quoniam humor tenuis est (ut qui
ex genere flauæ sit bilis) ubi summam cuticulam
C in transitu perrupit, utiq; cum digestus is est, per-
mittit cicatricem ulceri induci. Itaque si quis toto
prius corpore purgato, mox quæ influentem hu-
morẽ reprimant regerantq; medicamẽtis utatur,
iam herpetem curauerit. Sin neutrũ horum fece-
rit, sed tantum ea quæ cicatricẽ inducunt adhibue
rit: utiq; exulceratã iam cuticulã ita sanauerit: pro-
ximæ tamen illi quo minus exulceretur, nõ cõsu-
luerit. Postmodũ uero illa quoq; cicatrice inclusa,
quæ ipsi cõtinua est, exulceraẽ: idq; longo spatio
ceu malo ipso serpente fit, donec humor unde ori
tur, sit uacuatus. Etenim Romæ mulier quædã il-
lustris cum herpetẽ in malleolo haberet, primum
quidẽ medicamento quod algam recipit, est usa.
Hoc cum protinus cicatrix induceretur, proxima
D illi summa cutis est excoriata, ueluti ex desquam-
matis. Cui cum deinde superpositũ idem medica-
mentũ est, rursus illi continua est exulcerata. Idq;
ita assidue perrexit, donec ad genu exulceratio
perueniret: cũ interim quiduis potius pati q̃ me-
dicamẽto quòd bilẽ traheret, purgari parata esset.
Itaq; etiã, quod fieri in talibus assueuit, quoniam
pleriq; culpant non culpanda, damnato ex alga
medicamẽto, aliud admoueri iussit. Deinceps igi-
tur quod ex sandice componitur, utebamur. Vt
uero id quoq; quod exulceratum iam fuerat, sana
uit: quod uero nunc exulcerabatur, nõ inhibuit,
sed iam ad bubones usq; uitium ascẽderat, ipsa ne-
cessitate coacta, serum se lactis sumpturã annuit.
Immittentes igitur clanculum minimũ scammo-
nię, inuitã purgauimus, ac sanauimus. Ergo cuius

gratia

gratia hęc dicta sint, denuo repetamus. Postquam communem omnium quæ sub eodem genere uitiorum sunt, indicationẽ acceperis: utiq; nõ hanc in particularibus exequeris, sed reduces semper ad differẽtiam quæ tum affectibus, tum ipsorum causis sit accommoda: sicuti de spontaneis ostensum est ulceribus. Vacuabis nanq; eum qui redundat humorem, cæterum aliquando medicamẽto, quod flauũ purgat bilem, sæpe eo quod nigrã: modo eo quod mistæ est facultatis: quod scilicet bilẽ simul & pituitã educat, ueluti in altero herpetum genere: quem à similitudine quam habet cum milio, κεγχρίαν græce appellant. Quippe is protinus ulcus facit quemadmodũ alter: sed admodum exiguas pustulas, ad speciem milij, quæ ipsæ interposito spatio in ulcus abeunt. Adeo non sine ratione quibusdam uisum est in eiusmodi uitio bili esse aliquid pituitæ admistum. Incidunt sanè nonnunquam & citra uehemens totius corporis humorum uitium in partibus ulcera, quæ haud difficulter medicamentis, quæ repellendi digerendiq; mistas facultates habent, curantur. Ac repellunt quidem non solum ea quæ astringunt, sed etiam quæ sine astrictione refrigerant. Digerũt uero quæ calefaciunt. Constatq; quod in generatione ulceris, exuperare debebunt quæ repellendi facultatem habent: ubi non amplius confluit in ægrotantem particulam uitiosus humor, quæ digerunt. Siquidem exiguũ uitiosi humoris etiam si quis ad uiscera & magnas uenas retrudat, nullũ profectò quod sensu percipiatur, malum committet. At si eius nõ leuis quãtitas sit, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit: ubi scilicet prius naturæ uiribus totum corpus expurgantis non sit, uel per deiectionem, uel urinas, uel cutim quæ totũ corpus includit, uacuatum. Atq; flauæ quidem bilis uacuatio est facilis: pituitæ uero ac potissimũ eius quæ crassior glutinosiorq; est, itemq; nigræ bilis, difficilior, quo magis purgantis medicamenti ope indigent. In herpete uero, quoniam tenuis humor est qui id uitium creat, abunde est etiam aluũ leuiter soluisse, uel urinas, per ea quæ id modice efficiunt, citasse. Verum quoniã de medicamentorum methodo proditum etiam aliquid in superioribus est, non pauca autẽ & in operibus quæ proprie his sunt dicata: satius sit sermonẽ nihil ultra proferre, quando satisfacere etiam ei qui attentus erit, hæc possint. neq; enim nos ea à Musis accepimus. Verũ homini qui prudens sit, & diligens, & mente exercitatus, ipsa rerum natura quid agendum sit, suggerit. Vbi uero etiam inueniẽdi uiam ab alio quis traditam ceperit, huic facillimum est per eam ultra progredi. Huius rei amplum testimoniũ fuerit, quod eiusmodi uiri, artem maximis operibus illustrarunt. Qui uero parum sunt prudentes, ij nihil præterea inueniant, etiam si tota uita infinitos artis effectus cõspexerint. Plurima nãque inueniuntur hodieq;, quæ apud maiores nostros non fuere inuenta, ueluti nunc Romæ quidam excogitauit, queadmodum acrochordonas & mymecias ore sanet. Verum de prioribus, ut pote à cute extantibus, minus est mirum. de myrmecijs uero, potissimum quæ cum summa cute prorsus sunt æquales, mirum uidebatur. Veruntamen has quoq; primum labiorũ applicatiõe, ceu suctu ad se trahebat, atq; à radice euellebat: deinde primoribus apprehensam dentibus totam simul eximebat. Sed & scalpro ad myrtacei folij speciẽ formato, & ferramento eo quod σκολοπομαχαίριον Greci uocant, quispiam manibus exercitatus, facile eas excidat, cum proprijs lineamentis à circumposita cute circumscripta discernantur. Aeque uero & ualente aliqua pinna circulo myrmeciæ imposita, ipsam educimus. Debebit porrò pinnæ fistula esse myrmeciæ crassitudini par, ut eã undiq; prorsus cõstringat. Quæ postea circumacta, ac simul deorsum impulsa, celerrime ita myrmeciam etiã cum ipsa radice totã educet. Constat uero & quòd finis ipse pinnæ quæ eam circulo secabit, nõ tenuis modo, sed etiã acutus & firmus esse debebit. Itaq; tum galli ueteris pinna, tum uel magis aquilæ, ad hunc usum est cõmoda. Abscindere uero ab his tantũ radicem uersus oportet, quatenus reliquæ partis fistula cõplecti myrmeciam possit. Sanè ex ipsa statim abscisione, si modo scite fiat, etiam acumen ipsi comparabis. Atq; hoc quidem ratio inuenit, nõ casus. Iam quòd hæc uehemẽter attrahentibus medicamentis sursum uelleñ, & putrefacientibus enecabitur, ratiõe ab aliqua est inuentũ: ijsdem postea usus, experientia rem cõprobauit. Quędam nanq; etiam ante experientiã fiduciam de se manifeste præbent: ueluti quæ aculeũ ac telum quod modo infixũ sit, eximũt: itemq; arenulas, si quæ oculo inciderunt. Quædam ratione certe excogitãtur, confirmantur autem ipso usu. Quò autẽ facilius etiã per te eiusmodi uias ad curationum cõparandam copiã inuenias, nõ tædebit aliquod huius generis exemplũ proponere. Nominamus autẽ id genus in numero particularũ uitium. Quoniã enim quędam deficiunt, sicut dens, uel digitus, uel è naso ala, uel auris quępiam particula, uel pudendi pellis: quædã redundant, ueluti sextus digitus, & quæ græce ἐξοστώσεις dicuntur, & dentiũ ij qui naturalibus adnascunt: adimere quidem quod superuacuũ est, sanè haud difficile est, aliud uero producere quod simile ei sit quod desit, id in quibusdam quidem est facile, in quibusdã difficile, in alijs plane fieri non potest. Si nanq; carnosum sit quod deest, haud magno negocio id reficias, atque eius rei in cauis ulceribus tradita methodus est. Sin os sit, ipsum quidem instaurare nõ est: cæterum aliud pro eo durum efficere, id licet. Dictum uero etiam in præcedentibus est de reficiẽdis uenis: nẽpe quòd aliquãdo nouas alias sensibiliter progenitas uidimus, aliquãdo omnia tentantibus non prouenerunt. At si digitus desit, uel tale quippiã, restituere id prorsus non licebit. Sanè proditũ & de præputio prius est, quemadmodum id quispiã instauret. At quæ in naso, uel aure, uel labio sunt curta, ea quidẽ ut refecisse non licet, ita decorẽ aliquẽ his adijcere licet, si quis diuisam utrinq; cutim mox in unũ conductã queat agglutina-

tinare. Alia uero ratione huic morborũ generi adnumerãtur atheromata, & steatomata, & meliceri des, & ascarides, & ceria, & elmynthes, præterea qui in articulos & pulmões incidũt calli, quos poros uocant, itemq; qui in renibus & uesica inueniuntur calculi. Quippe in omnibus his cõmunis est substantiæ generatio quæ ante non fuit.

18 Contrà fit in alopecia, & ophiasi, & ptilosi, item caluitie, in quibus amißio particulæ est quæ utilis fuerat. Tanquã igitur in cæteris omnibus, in quibus gigni quippiã uolumus, id agimus, ut naturæ motus liberos minimeq; impeditos reddamus: eodem certe modo & in pilis amissis. Quippe naturæ opus est ueluti in sinuosis ulceribus generatio carnis, itidem in capite & palpebris productio pilorũ. Ergo si recordaberis ea quæ in Naturalibus libris nostris de pilorũ generatione didicisti, utiq; ex ipsis amissiõis eorũ causas inuenies. Siquidem ostensum in his est ꝙ ex succis qui per cutim transpirant, quod limosum est, id pilos tum à principio gignit, tum de cætero ueluti succrescẽdo auget. Hoc igit̃ quoties uel prorsus perijt, uel redditũ est uitiosum: toties pilos corrumpi est necesse. Corrumpuntur nanq; & stirpes ipsæ duplici de causa, aliàs nutriente succo destitutæ, aliàs non idoneo usæ. Ac prorsus quidem perdito eo qui pilos alat succo, caluities oritur. Eodem uitiato, tum quas ὀφιάσεις græce uocant, tum alopeciæ proueniunt. At primum quidem ex naturali eorum moderatione, etiam alienam à natura causam inuestigabis. Ab hinc curationis rationẽ inuenies. Quæ utiq; per indicationes omnibus iam dictis, in quibus uel aliud quoduis uitium, uel etiã ulcus ex humoris uitio incidit, cõmunes peraget̃. Siquidem & inhibere quod influit, & absumere ac digerere quod iam ægrotantẽ locũ occupauit cõueniet. Ergo ceu in ulceribus illis purgationẽ nocentis succi primũ adhibuisti: eodem modo in pilis ipsis ab hac primũ curationẽ inchoabis, scilicet diligenter prius æstimãs quis color cutis sit, cuius cernis corruptos pilos. Nã si is albidior ꝙ pro naturæ habitu sit, pituitosi humoris purgationẽ exhibebis: sin pallidior, eiusmodi bilis purgationẽ, non secus ꝙ si nigrior conspicitur, quæ nigrã detrahant bilem offeres. Sanè ad uitiosi humoris speciẽ certius agnoscendam, non leue tibi adiumentũ præcedens uictus cõferet: præsertim intelligenti qui nam ciborũ nigræ bilis succũ colligant, qui nam pallidæ, & pituitę. Ergo cum iam planè purũ ex purgatione corpus existimas: eum qui in cute cõtinetur humorẽ, digerentibus medicamentis discuties: sic tamen ut in his caueas, ne adeo calida acriaq; admoueas, ut cutis exulceret̃. Quinetiã ea quæ ualenter siccant, cauere cõueniet, ne uidelicet cum uitiato humore etiã utilem qui adfluit, absumas: ueluti in caluitie fit. Hæc igitur ipse aduertẽs, admiscui primũ ijs medicamentis quæ alopeciã sanarent, exiguum thapsiæ. Deinde cõsiderans quotidie quẽadmodũ ægrotãtis natura ab hac esset affecta: ubi uel tumefactã plusculum, uel quodãmodo excoriatam uidi, illo quidẽ die medicamentũ abstinui,

A illeui autẽ particulã uel galli uel anseris liquato seuo, propterea quòd hęc magis tenuiũ sunt partiũ, & altius descẽdunt. Deinde postero die, siquidem aliquid iam dictorũ remãserat, simili modo illęui. Sin nihil tale apparuerat, rursus medicamẽto sum usus. Atq; ut id alte demitteretur, etiã cutim prius linteo infricui, quoad manifeste rubra fieret. Verum si à balneo uti eiusmodi medicamento uoles: idipsum ex balneo factum cernes, quod prius ex frictione habebas. Iam eos quoq; quibus periere ex cilijs pili (quos græce πτίλλους nominant) similibus genere medicamentis sanabis. Deliges autẽ materiam oculis idoneam, nec per negligentiam committes, ut medicamentũ intra tunicas eorum cõfluat, itaq; sicca tutiora sunt, de quibus æque ac

B de cæteris in nostris De medicamentis operibus est proditum. Nunc enim (quod dixi) abunde est sola genera medicamentorũ prætermissa particulari materia, transcurrere, quò minus de ijsdẽ identidem dicere cogar. Ergo quæcunq; ab ipsa naturæ moderatione sunt aliena, ea tota tollere conueniet. Quæcunq; uero sub hac se tenet, cęterũ quodammodo corrupta sunt, ea restituere quatenus licet, oportebit. Sanè dictum à nobis est, aliqua ambiguæ naturæ esse, Nec illud nõ dictum: quòd eorum quæ aliena sunt quædam tota substantia sunt aliena, Logica scilicet inquisitiõe, nec ad curationes in quibusdam affectibus hoc sanè loco perinde utili. Siquidem pterygium à sanitatis habitu alienũ esse, patere cuiuis arbitror. Non tamẽ idem

C substantiæ ratione, quemadmodum atheroma & meliceris, est alienum. sanatio uero huius quoq;, dum paruũ adhuc est & molle, per ea medicamenta quæ detergẽt, perficitur: cuius generis sunt quę trachomatica uocãt. Vbi magnũ durumq; euasit, chirurgiam postulat. Simili ratione & aquularum (quas ὑδατίδας uocant) quæ magnæ sunt, chirurgia curabis. Quæ paruæ sunt, siccantibus medicamentis iuuantur. At χαλάζιον (est eñ id quoq; ex uitijs quæ oculos infestant unũ) cum toto genere alienũ à natura sit, auferri postulat. Ad eundẽ modum & pus ab oculis, quos ὑποπύους uocant. Verum id plerunq; medicamentis digeritur. Hypochyma uero iam incipiens digeritur, ubi diu cõstitit, non potest. Aetate uero nostra ocularius qui-

D dam medicus, cui Iusto nomen erat, etiam cõcussione capitis multos ὑποπύους sanauit. Collocauit enim eos in sella rectos, ac capita eorum utrinq; à lateribus apprehendens, mox quatiebat, adeo ut manifeste descendere pus ipsi uideremus. Mansit autem horum pus deorsum propter grauitatem substantiæ tametsi hypochymatis nequaquã manentibus, nisi admodum ea quis diligenter impingi cogeret. Etenim leuius est, ac ut ita quis assimilet, nebulæ similius hypochyma quàm pus: quanquam horum quoq; ipsorum quædam (hypochymatum dico) serosioris humoris sunt. Hæc autem punctione ad præsens discutiuntur. Interposito tamen haud longo spatio, ceu limus quidam deorsum fertur. At quãdo pus quod in oculis est, digerere placet, collyrijs quæ myrrham habent, maxi-

me utemur: quæ utiq; & διάσμυρνα Græci proprie uocant. his certe minus, sed reliquis melius faciunt quæ διὰ λιβάνου uocant. Quæ uero impense siccãt, ad præsens certe ualenter uacuãt: sed quod reliquum est, ita cogunt, ut ægre resolui posit, ueluti de scirrhosis tumoribus prius est comprehensum. Subinde uero multum simul puris uacuabimus diuisa tunica ea quę cornu est specie, paulo supra locũ quo cõmittuntur inter se tunicæ uniuersæ. Nominant porrò locum græce alij ἶριν, alij στέφανον, id est coronã. Quo fit, ut hoc quoq; uitium tribus subijciatur uacuandi modis, & chirurgiæ quæ simul multũ aut totum expellit, & per medicamenta quæ paulatim, & ei qui ad aliũ ignobiliorem transfert locum, ueluti in concussione. Sunt profectò (ut dixi) ex genere eorum quæ tota substantia præter naturam sint, & ascarides, & elmynthes, siue eæ teretes sint, siue etiam latæ. Quocirca & prorsus eas expelli è corpore cõueniet. Expelles autem si prius enecaueris. Nec abis autem amaris medicamentis. Viuentes nanq; obsistunt intestinis adhærẽtes: at mortuæ expelluntur unà cum stercore. Expelluntur cum hoc etiam uiuæ, sed stupefactæ, & ut ita quis dixerit, semimortuæ factæ. At teretes quidem absynthium perimere potest. Latæ uehementiora medicamenta desiderãt, cuiusmodi est & filix. Pari modo quæ ἀσκαρὶς græce dicitur. Verum de medicamentorum copia dicere non est prȩsentis propositi. Quare hic iam huic quoq; libro finem imponamus.

ARGVMENTA LIBRI PRIMI

Cap. I. Non satis esse in genere nosse naturã hominis, sed uniuscuiusq; singillatim etiam teneri oportere, si fieri posit: aliter enim cõmunibus præceptis utendũ esse, quãuis usu secundũ locũ teneãt, cum particularia ut occasio exquisita & quantitas remediorũ scribi nequeant.
De Mnesitheo. Diuisionis ratio: & quòd mala diuisio multorũ errorum causa sit. Quæ in singulis particulatim obseruari debeant. II. De febribus ephemeris, id est diarijs et simplicisimis. Causæ, Cura, Quòd difficulter dignoscantur. Quæ communia febriũ signa sint, quæ diarijs particularia. Quomodo ipsas inter se diarias, earũq; causas dignoscamus, licet tacentibus ægris: Et primum quomodo differant quæ fiunt à tristitia, cura, ira, & uigilia: deinde quõ differant quæ fiunt à lassitudine, cutis densatiõe, quæ cõmunia sint. III. De diarijs quæ fiunt ex bubonibus, siue inflãmationibus glandularum. Et quæ omnibus diarijs cõmunia sint. Cura tio cõmunis & singularũ. febres quasdam symptomata esse partiũ inflammatarum, de quibus postea dictu rus sit. IIII. De febrib. putridis quæ ex humoribus nascuntur, quarum quædam cum symptomatibus miscentur, aliæ ijs carent, de quibus iam dicetur. Quot diebus febris idea nosci queat. V. Signa febriũ intermittentiũ: Et primũ tertianæ & quartanæ distinctio: deinde peculiaria tertianæ signa. VI. Indicia quartanæ, primũ è pulsus deinde caloris modo, &c. VII. Notæ quotidianæ, à calore, pulsu, &c. Qui potisimũ ei obnoxij sint. Quomodo declinent. Vrinæ quales in omnibus intermittentibus. VIII. Indicia febriũ continuarũ. De longitudine earũ. Comparatio ipsarũ inter se, quod ad durationem & periculum. Victus generaliter in febribus quomodo instituendus. Tertianæ exquisitæ & nõ exquisitæ differentia & exempla. Quartanã quoq; & quotidianam aliam esse exquisitam, aliam non. Item in febribus cõtinuis tum alia esse consideranda, tum omnia scilicet à quibus indicationes sumuntur, tum præcipue quantitatem morbi & uirium, quorũ cognitio usu magis ꝙ doctrina paratur: ad prædictionẽ sanè necessaria sunt. IX. Tertianæ ueræ cura per bilis euacuationem, balnea, & uictus rationem. X. Tertianæ nothæ curatio per uictus rationem, balnea, phlebotomiã, uomitũ.
XI. De cura quartanarum per uictus rationẽ in principio, & euacuationẽ post concoctũ morbum. XII. Cura quotidianæ. XIII. De cura febriũ cõtinuarũ, quæ carent accidentibus: Deinde illarum quæ cum accidentibus sunt: in quibus diuisiones octo fecimus. Et Pri 1
mum quid agendum, si os uentriculi male affectum sit:
item si aluus profluat: hic nihil opus erit euacuatiõe: illic stomachus antea roborandus. Deinde, Si cõuul- 2
sio febrim comitetur, aut uigilia uehemẽs, aut dolor cũ febri sit: Aeris quoq; tẽperiẽ tanquã symptoma quoddam considerandam in euacuatione: Item regionẽ, eupathiam ægri, temperamentum eiusdem, habitum corporis & ætatem. Si symptomata duo uel morbi duo cõtrarias indicationes exhibeant, fortiori resistendum altero interim haud neglecto. Post hæc enumerat oĩes 3
animi defectionis causas. Quomodo confestim ob nimias cuiuscunq; partis euacuatiões animi deliquijs succurrere oporteat, præcipue per extremorum deligationes, uinum, epithemata, balnea, aerem. De animi defectione ob defluxus in uentrẽ. Cura eorum quos ani 4
mus ob multitudinem aliquam deficit: & mulierum ob uteri affectus sursum uel ad latera uergẽtis: Item ob stomachi imbecillitatẽ. Si uitiosi humores in stomacho 5
lipothymiam pariant: & primum de mordentibus, deinde de pituitosis. Si animus deficiat ex magno frigo 6
re uel calore: inflammatione uel prauitate febris, aut ex siccitate. Ex obstructione nobilium membrorum: ex 7
ruptura uel sectione abscessus: item ob aquam hydropicorum uniuersim euacuatam. Si deniq; ex animi affectu aliquo, Si ex uulnere, Si ex colico aut ileo, aut uiriũ imbecillitate animus deficiat, quomodo curetur. Item quomodo noscãtur uires animalis, uitalis, & nutritiua.
XIIII. Varij dolores capitis in febribus diuersas ob causas quomomodo dignoscantur & curẽtur. Et primo de differentijs notisq; singularum. Deinde particu- 2
latim, quomodo curetur dolor capitis ob totius corporis repletionem. Cura dolentis capitis ob imbecillitatem, reuulsione, repellentibus, postea digerentibus & euacuantibus. Ob magnam febrim, remedia instan- 3
te crisi non adhibenda. Crises diuersas pro febrium diuersitate fieri. Crisis mox futuræ signa. De criticis die 4
bus. De accidentibus crisin comitantibus. Sanguis 5
fluor quando sperandus, & quomodo sistendus. Ar- 6
gumentum sequẽtis libri & de phlegmones uocabulo.

CL. GALENI DE ARTE CVRATIVA SEV RATIONE MEDENDI AD GLAVCONEM LIBRI DVO.

NICOLAO LEONICENO INTERPRETE.

LIBER PRIMVS.



1 VOD quidem nõ communem tantũ omnium hominum naturam medicũ cognoſcere oportet ô Glaucon, ſed & uniuſcuiuſq; propriã, & dudum ab Hippocrate recte traditũ eſt, & nos in ipſis artis operib. (ut noſti) circa id ſufficienter ſtuduimus. Non tamen propriam ſingulorum naturã æque atq; communem poſsibile eſt ſcribere. Verum ſcripta contrario modo ſe operibus habent, tum in pluribus alijs rebus, tum præſertim in his quæ ad præſentem pertinent intentionem. Petiſti enĩ à nobis ut tibi uniuerſalem quandam medendi uiam ac rationem, quaſi per delineationem & quoddam compẽdium oſtenderemus: hæc autem qualitate, & ſingulorum medicaminũ quantitate perficiuntur, necnon & modo eorũ uſus & ex temporis occaſione, quæ præ omnibus eſt cognitu difficillima, circa quam præcipitem exiſtentem (quemadmodum quodam in loco ſcribit omnium bonorũ nobis author Hippocrates) uides plerunq; medicos non modo uulgares, ſed & præcellentes aberrare. Quòd uero magni etiam momenti ſit, ſi quantitas bona coniectura uiribus accõmodetur, idem uir pariter ſcripſit. Cum igitur ad recte medendum plurimũ conferre, & temporis occaſio, & auxiliorum quantitas uideatur, inuenies autem hæc unicuiq; ægrotanti propria, nihil autem proprium poſsit ſermõe explicari, hoc pacto quod commune eſt cogimur ſcribere, quãuis id ſit uſu ſecundũ. Nam & quoſdam aliquãdo ægrotos uiſimus, cum quibus dum ſani eſſent, nõ eramus uerſati: quo fit ut neq; quem colorẽ, quam habitudinem, aut natiuum calorem, aut quem arteriarum pulſum à natura habuerint agnoſcamus: quæ ſi ſciremus, magnitudinẽ morbi ſatis aliquando iudicare poſſemus. nam quantum unumquodque à naturali ſtatu recedit, ad tantam morbus magnitudinem peruenit: quãtum uero recedit, poſſibile eſt ſcire ei, qui naturalem ſtatum exquiſite cognouerit. Cum igitur hoc in ipſis fuerit nobis ignotum, ne omnino hæſitemus, ad cõmune confugimus, quamuis ad uſum ſecundum locum obtineat, hic uero artifex plus aliquid quàm hi qui arte carent aſſequitur. Quòd uero hoc ipſum plus ſit, primus omnium quos nouimus, & hoc memorauit Hippocrates. Plenius autem de hoc ſcripſerunt qui Hippocrate fuere poſteriores, atq; illius ſcripta accurate legerunt, ex quorum numero unus fuit Mneſitheus Athenienſis, uir tum in alijs omnibus quæ ad artem pertinent, ſufficienter doctus, tum uero qua uia ac ratione medendi ſcientiam oporteat exercere, nemini peritia ſecundus.

B Hic igitur Mneſitheus à primis atq; ſupremis incipiens generibus, putauit ſecari illa oportere in alia genera ſpeciesq; & differentias: hæc rurſus in alia diuidi, ac denuo iſta eodem modo, donec ad talem peruenerimus ſpeciem, poſt cuius diuiſionem ad unum numero & indiuiduum perueniemus. mihi uero qui ad te ſcribã expedit breuibus meam explicare ſententiam. Nam ridiculus uideri poſſem, ſi tua te uelim docere, tanquam non multo antea à Platone illa didiceris. neq; enim ut te docerem quam uiam ac rationem in diuiſionibus ſectari oporteat, hæc uolui meminiſſe omnia: ſed quoniam mihi ad ſequentia plurimũ conducere exiſtimaui, & cum à me exigeres ediſcere cauſam ob quam medicorum plurimis aberrare con-

C tingit, non aliter tibi oſtendere poteram: etenim quæ in alijs hæreſibus contingunt errata, & quæ medici in ægrotantiũ curatione delinquunt, hanc primam atq; præcipuam cauſam habent, diuiſionis ſcilicet prauitatem. Quidam enim in primis & ſupremis generibus ſtant, ſolũ quæ ab illis ſumuntur indicationibus contenti, quidam uero uſq; ad aliquid diuidunt, non tamen uſq; ad finem perueniunt: nonnulli uero etiam uitioſis utuntur diuiſionibus: qui uero & omnia quæ ſunt ſecũdum naturam & quæ præter naturam, hoc diuiſionis artificio complectitur, atq; ab omnibus ſufficiẽtes ſu-

D mit indicationes: hic ſolum, quantũ humanis permittitur uiribus, medendo non errabit, illos quidem quorũ habet notitiã, melius curabit, q̃ alios, ignotos uero proxime illis quoad fieri poterit, ad ſanitatem perducet. Si quis enim primũ diſtinxerit eam quæ ſecũdum ætates differentiã, deinceps autẽ eam quæ ſecundũ temperaturas atq; potentias, cæteraq; quę in hominibus inſunt, colores dico, atq; calores, habitudines, pulſuũ motiones, exercitia, aſſuetudines, atq; animi mores, his quoq; adiunxerit eam quæ maris eſt à fœmina differentiam, & quæcunq; ad regiones, & temporũ pertinẽt ſtatus, aliaſq; eius qui nobis circũfundit̃ aeris cõſtitutiones recto modo diſtinxerit, hic ad propriam laborantis naturã agnoſcendã proxime accedet. ſed ex his nonnulla quidẽ in libris De pulſibus, nõnulla uero in his in quibus agit̃ De tempe-

A raturis sunt determinata: sicuti quæ præter naturã sunt, uniuersa quomodo inter se & speciebus & generibus differãt, in libro De passionib. est præfinitũ. Nunc uero de his solũ ægrotis dicere proposuimus, quorũ natura anteq; morbũ contraheret, nobis erat exquisite perspecta. Cum quibus tamẽ & reliqui omnes intelligent qui nobis erãt ignoti. nihil igitur difficile ab eo quod est perfecte distinctum, id quod non tale est inuenire.

De febribus ephemeris. Cap. II

Initium igitur sumemus à febribus: quoniam tu in his precipue curandi artificiũ habere cupiebas. Et primũ quidem de his sermonẽ habeamus quæ simplicissimæ sunt, quas Hippocrates ephemeras, id est diarias, appellat. hæ uero sunt quæ B propter lassitudinem eueniũt, & ebrietates, atq; iras, furores, atq; mœrores. atq; alias animi curas uehementes: & quæ ex glandularum inflãmationibus febres ortũ habent, ex hoc genere sunt, præterq; si nõ absq; ulcere fiant manifesto: tunc em̃ suspitionem afferũt et nullo modo mitescũt: & uigiliæ plerunq; simplicem febrẽ induxerunt, sicuti frigefactio, & exustio quandoq;. Atq; hæ omnes febres soluuntur facillime. Oportet siquidem eos confestim ducere ad balneas, atq; ad cõsuetam uictus rationẽ. Quandoquidem qui pertritũ illum sermone medicorum triduanum terminũ admittunt, sæpius acriores febres effecerunt, quamuis & aliter præterea delinquant, quemadmodũ cernis ex eis plures in quolibet ingressu delinquentes, uelut manufactas plane facere ægritudines. Sed cura quidem harũ febrium in prõptu est, sed earum cognitio maiorẽ exigit diligentiã, de qua nemo ante nos, quantum oportuerit, scriptũ reliquit: quare minus mirandũ complures tantũ in medicinæ operibus aberrare, quantum etiam cognitiõe falluntur. Sæpius enim quidam ab initio casu aliquo in graues morbos incidunt, ueluti uino pleni, aut sole exusti, aut frigefacti, aut lassitudine oppressi, aut uigilias passi, aut ira concitati, aut quauis alia causa quæ per se nocere natura sit apta, correpti: deinde totũ in causa antecedente consistere, neq; aliam abesse affectionem arbitrati, circa uictũ negligentius se habent, adeo ut seipsos lateant, in insanabiles aut ægre curationem admittentes mor D bos prolabi. Hæc igitur ante omnia curare oportet, (quemadmodum Hippocrates admonet) nõ solum futura præcognoscere, sed præterita etiam atq; præsentia. Nam & quod nunc proponitur, ad eam artis attinet partem, quod pro uiribus manifeste trademus. Neque enim parua est differẽtia, si laueris iam ægrotãtem, & securum esse iusseris, aut eum per omnem custodiam securitatemq; traduxeris. Cum igitur ad ægrum accedes, primum à maximis quæ circa ipsum sunt consideratio incipienda, deinde & ab alijs, adeo ut nec minimũ aliquod omittamus: nam ut magis aut minus ei quæ fit ex maximis indicationi credamus, ex aliorum fit adiunctione. Maxima quidem in omnibus febricitantibus signa, in pulsibus atq; urinis consistunt. His uero addere oportet, & quæcunq; alia circa faciem Hippocrates scribit, accubitũ quoq;, & respirationẽ, item ea quæ per superiora uel inferiora excernuntur. Et si quid aliud acciderẽ circa aliquam corporis partem aut operationem cõsistere uideas (qualia ille mille in millibus scripsit) neq; ex his ullum aliquod negligenter prætereas: hæc quidẽ omnibus febribus cõmunia sunt. Itaq; in his etiã simplicissimis de quibus præsens est sermo, nihil horũ relinquere oportet. At postquam ex pulsibus atq; urinis febris naturam perceperis, cum pulsus nullum inflammationis signũ habuerit, neq; om̃ino inequalitas in una arteriæ cõpulsione apparuerit: aut si hoc affuerit, omnino sit imbecille: urinæ autem omnino similes his quæ secundum naturam se habent, aut non multum à naturali statu recesserunt: tunc & ad omnia illa quæ ante à nobis sunt dicta, accedere oportet, & cum ueluti chorus quidã omnia concinne loquuntur, tunc etiam fidere oportet. ac si libeat interrogare nunquid aliqua manifesta antecesserit causa, si quid em̃ huiusmodi æger fateatur, expectata prima febris solutione, statim oportet lauare, cũ tunc certior tibi sit facta cognitio, ex ipso solutiõis modo. Nam arteriarũ motus in hoc in totum assimilatur huic qui in sanis deprehenditur, cum in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertatur, neq; si multum tẽporis inter primæ accessionis finẽ & secundæ principium intercedat, quemadmodũ in tertianis atq; quartanis. In illis em̃ febris remanet signum: in ephemeris autem in totũ aboletur accessione cessante: plurimis uero earum & humidi quidam uapores, & quibusdam etiam sudores optimi apparent, aut omnino quidam plurimus ueluti uapor ex intimo corporis exit. Verum urinæ quoq; multo nunc meliores, q̃ circa febris principia uidebuntur: & si capitis aut alterius partis dolor simul inuaserit, neq; hic amplius persistet. Aegrotantis quoq; in tolerãdo facilitas, magnum & ipsa signũ, tanq; sigillũ quoddam ultra omnia alia signa febris bonitatẽ tibi indicabit. Et si dũ lauantur, neq; horror insolitus molestauerit, neque alia molestia affuerit, & si post balneũ deinceps bene se habere perseueret, tunc ne uerearis cibũ offerre. Vinũ quoq; sine formidine ad potandum exhibe, adhibito tamen, ut præsentia exigunt, modo. Nos aũt, ut te nõ latet, eis causam quæ antecessit solemus dicere, neq; sustinemus ut de illa ægrotum interrogemus, quod maximũ est argumentũ, illum nõ errare qui talem sit adeptus facultatẽ. Si uero remanentibus adhuc animi affectibus cõsideratio habeaẽ, tunc ex pulsibus maxime tentanda cognitio, quemadmodũ in libris De pulsibus scripsimus, post hos uero & ab alijs scire quærendum. Quod si illi iam quidẽ cessauerint, remanet aũt affectio, paruũ quidẽ ex pulsibus habebis indicium earũ quæ febrẽ attulerunt passionũ, sufficiat autẽ tibi & sine pulsibus reliqua. Cõmuniter quidem omnibus urinæ fuluæ, adiungitur uero his qui propter tristitiam febricitant, acritudo potius, q̃ abundãtia caloris: quemadmodum ẽ diuerso, his qui propter furorem, sed & extenuatio corporis, in his

in his quos tristitia quàm in his quos cura uexauit conspectior existit: oculorum præterea cauitas ac quædam inconsueta decoloratio. Hæc quidẽ sunt & in alijs, qui quouis modo diu cogitarunt, communia. Maxime autẽ & ex oculis distinguere oportet: nam ex his etiã in sanis animæ mores possumus coniectare. At in ægrotis si quis diligenter inspicere queat, sunt indicia certiora. sic quidem eos qui propter disciplinas aut cõtemplationem aliquam diu cogitarunt, ab his quos tristitia corripuit discernere oportet. At qui uigilarint, distinguere oportet ex forma decolori. Nam in ipsis facies subtumens, & oculorum motus indiciũ præbet, uix enim palpebras attollunt, inest etiam palpebris humiditas. Nam qui tristantur, aut cogitationibus detinentur, his exiccãtur. Cauitas uero est B cõmune accidens omnibus, mœrori, uigilijs, cogitationibus, non tamen furori: in hoc enim neq; oculorũ cauitas, neq; decoloratio manifesta est, & plus caloris, atq; celerius ex imo prorumpit, neq; pulsuum magnitudo destruitur, quemadmodum in uigilijs, tristitia, & cogitationibus. quare hæc à furore apertissime distinguuntur: inter se uero quẽadmodum diximus antea. Eorũ autem qui ex lassitudine in febrem inciderunt, cutis est siccior q̃ in alia aliqua ephemera febre, sed hoc quidem omnibus ex lassitudine febricitantibus commune existit in tempore accessionis donec in uigore cõsistit: post hoc uero pluribus, modo non sint supra modum labore uexati, quædam humiditates, aut calidus uapor ex intimo corpore effertur, quibusdam uero etiam postquam febris cõsistere desiit, siccitas perseuerat, quod maxime accidit his quos C superfluus labor oppressit aut frigus, aut simul cũ labore sunt à sole deusti: & quidem pulsus nõ eodem in utrisq; modo se habẽt, quia parui quidem his sunt, quos superfluus labor uexauit: in alijs uero magni. Quæ uero cute condensata accidunt febres, (condensatur autem hæc aut ex frigore, aut ex qualitate aliqua, quæ uim astringendi habet subito ei adueniẽte, uelut illi qui aqua aluminosa se lauerit accidit) hæ quidem ex omĩbus febribus solæ sunt astricta passio, has uero tactu cognoscere licet: quemadmodum & squallidas febres, & quæ ex laboribus & combustionibus fiunt. Nam neq; harũ densitas hos queat latere qui tactum habent D exercitatũ, sed & caloris motus nescio quo pacto crescit ac insurgit, qui mitis quidẽ in primo tactu sentitur, acris autem multũ si plusculum immoremur. Non tamen & his urinæ sunt fuluæ, neq; corporis moles cõcidit, neq; etiam oculi caui atq; aridi fiunt, quoniam etiam quibusdam humecti magis atq; prominentes apparent, quàm hi qui secundum naturam se habẽt. Neq; sunt pulsus minores, cuiusmodi in mœroribus, curis, aut uigilijs, aut immodicis exercitijs apparent.

De Febribus quæ fiunt ex inflammationibus glandularum. Cap. III

Febres quæ ex inflãmatione glandularũ fiunt, pulsus habent maximos, ueloces, atq; frequẽtes, plurimusq; illis calor inest, ac postquam febris cõstiterit, statim ex profundo quædam emergit humiditas, calida quidem sed mitis, acris etenim & mordax huic generi febrium inter omnia alia minime adest, atq; ut plurimum facies rubicũda illis & magis tumens, urinæq; subalbidæ. Communis aũt omnibus huiusmodi febribus est pulsus æqualitas. nam paucæ admodum ex his febribus eam quæ in uno ictu inæqualitatem ostendũt, & neq; ipse satis aperte ac manifeste illam præ se ferũt. Talia quidem sunt ipsarum indicia. Curare autem oportet omnes quidem balneis. At qui ex densitate cutis aut glandularum inflãmatione febricitãt, si in aere balnei immorari iusseris, haudquaq; nocebis, reliquos omnes q̃ citissime oportet ab aere semouere: si uero diutius in aqua immorari uoluerint, permittere: oleo autẽ tepido & multo & manibus mollibus perfricare quamplurimum, atque hos præsertim qui ex lassitudine febricitant: secũdo autẽ loco, qui meatus habẽt astrictos: & tertio qui inflammationem glandularum patiuntur, sæpius autẽ istos lauare in quantum licuerit. cibum autem assumere qui ex labore febricitant possunt multoties, nõ æque tamen qui ex densitate cutis aut glandularũ inflãmatione laborãt, at his utrisq; tenuis uictus est optimus. Qui uero ex lassitudinibus febrierint præcipiendum est, ut cibos assumãt concoctu faciles, ac cruditatem prẽcipue deuitẽt: sed & uinum potare quantum possunt conuincere, sunt permittendi. Mensurę autem ratio, quemadmodum in alijs omnibus ex uiribus & ætate sumitur ægrotantis, necnon & ex naturali temperatura, & præterea ex consuetudine, & anni tempore, & regione, atque alijs huiusmodi. Qui uero ex glandularum inflammatione febricitant, arcendi sunt à uini potu, donec inflãmationes soluantur: At qui cutis foramina habent astricta uel perfrigerati sunt: si nõ multũ hoc affectu laborẽt, neq; plenum corpus habeãt, nõ sunt à uini potu prohibendi. at qui pleniore corpore sunt, uel multũ perfrigerati, prohibere utile est. Qui uero ex uigilijs, aut aliquo animæ affectu febricitant, postq; balneaueris, cibo humido, ac boni succi reficere expedit: uinum uero omnibus, sed precipue his qui uigiliam passi sunt, intrepide offerre nisi capitis dolore premantur, aut pulsum uenarum in temporibus sentiant. Liquet autem quòd etiam in alijs eadem cauẽda sunt, sed & ijs qui ira aut mœrore aliquo, aut cogitatione febricitant, uinum est exhibendum, & qui furore perciti fuerũt quãdo omnino ab affectu quieuerunt: prius uero periculosum uti uino. tentare autem oportet & cõtrarium semper afferre ei quod molestat, lassitudini quidem quietẽ: uigilijs uero somnũ: iræ autẽ, & furori, atque tristitiæ, in sermonibus, actionibus, spectaculis, narrationibus, animi iocunditatem. Sic qui cogitatione laborat, omnino ratiocinationes omittat, & qui ex glandularũ inflammatione febricitat, prius huius curationi intẽdat, ac multo prius ulceris unde originem habuit. Hæc quidem febriũ ephemerarũ indicia atq; remedia sufficienter se habẽt: reliquæ uero febres nonnullæ ex inflammationibus, non-

nullæ ex humoribus accendunt, & quæ ex inflammationibus fiunt, sunt ueluti quædam accidentia partiũ phlegmone laborantiũ, & morbus magna ex parte ab instrumento patiente denominatur phrenitis, aut peripneumonia, atq; pleuritis, aut aliquid tale, sed de his postea dicemus.

De febribus putridis. Cap. IIII

At quæ ex humorum putredine febres accenduntur, ab hoc ipso nominãtur febres, & sunt non accidentia morborum, sed ipsi morbi: ex his uero nonnullæ quidem sunt sine accidentibus, quæ & mitissimæ sunt: quædam uero cum accidentibus infestãt. Nos uero de prioribus dicamus febribus quæ accidentibus carẽt: in quibus maxime si fieri posit primo die qualis sit febris an acuta uel longi temporis est cognoscenda, & utrum ex his quę intermittentes dicuntur, an continua. quòd si primo statim die certa cognitio haberi nõ potest, secundo saltem febris speciem inuenire tentãdum: quòd si neq; in hoc aliquid firmum aut stabile sciatur, in tertio saltẽ aliquid, manifestius apparebit: nam paucæ omnino sunt, quæ, ut exquisite dignoscantur, quartum desiderent: ego uero quàm breuissime potero indicia explicare tentabo, ex quibus speciem febris intelliges: quamuis de istis longius ac manifestius alibi disseruimus.

Signa febrium intermittentium. Cap. V

Quæ igitur cum rigore inuadunt, non ab re ex earum numero esse iudicabis, quæ per circuitum infestant. Tertianæ enim atq; quartanæ in totum cum rigore faciunt accessiones, sed tertianæ quidem in primo insultu cum nimio sæpe rigore incipiunt. Quartanã uero non uidimus cum uehemẽti rigore incipientem, sed post tempus magnitudo illi superuenit, præter id ꝙ neq; statim ab initio hæc febris solet inuadere, sed alijs quæ antecesserint, subsequi. Quartana itaq; eas quæ errabũdæ aut erraticæ dicũtur, insequitur: quotidiana uero intermittens raro aduenit, quin os uentriculi patiatur: quemadmodum quartana ex male affecto splene generaẽ, tertiana ex iecore laborante. Quę quidẽ cum ualido rigore incipit, magis febris tertiana ꝙ aliqua aliarũ febrium fore speratur. Si uero & alia, quæ postea dicentur signa attestentur, hanc proculdubio in prima die tertianam esse cognosces. Quod si cum paruo rigore inceperit, tũc magis alia signa attendere mente oportet, quoniã non quotidiana intermittẽs tantũ atq; quartana, sed etiam hemitriteus aut aliqua alia ex continuis esse potest: alia uero signa & ex caloris qualitate & quantitate, & arteriarum motu sumuntur, ex ipsa etiã rigoris qui sentitur forma, & anni tempore, & regione, & temporis statu, atq; ex natura & ætate ægrotantis, & ex præcedentibus causis, & his quæ comitãtur. Nam calor quidem multus & acris esse debet, pulsus autẽ magni, ac calidi uehementes, ueloces, atq; frequentes, omnis inęqualitatis prÆterꝙ febrilis expertes, rigor autẽ ueluti si à re aliqua acuta plusquã frigida cutis pũgeretur, cum hi qui quartanã aut quotidianã intermittentem patiuntur, potius frigidũ rigorẽ sentiant: tempus autẽ anni æstiuũ, sicuti & locus, & præsens cõstitutio calida: sit aũt & ægrotãtis natura calidior, biliosior, & ætas iuuenilis, & exercitatiões potius ꝙ ociositas antecesserint, magis deustio ꝙ frigefactio, & parcitas cibi potius quàm crapulæ, uigiliæ quoq;, mœrores atq; lassitudines, & intensæ cogitatiões ad eundẽ perducũt effectũ. Quod si multos alios eodem tẽpore laborãtes cõtigerit tertianis corripi febribus, hoc quoq; maximũ præter ea quæ nuper diximus, signũ erit, ꝙ si hæc omnia affuerint indicia, aut saltẽ quæ maxima sunt, & lõge præcipua, & sitis quoq; uehemẽs adiungatur, uomitusꝙ bilis, aut sudor, uel utraq; superuenerint, tunc nulla dubitatio relinquiẽ: quòd si inter hæc à febre quieuerit homo, hac inquã quæ in suo motu est & oĩbus nota, propria uero febrium inæqualitas in arteriarũ motu relinquaẽ, tunc certissime poteris, esse tertianam febrem enunciare, æque ac si tertio die accessionem fecisse uidisses.

Signa quartanæ. Cap. VI

Quartana autẽ (nam & huius signa tibi scribere oportet) manifestissimũ sui præbet indicium in principijs accessionum, quando rigent adhuc qui quartana laborãt. Nam eorũ pulsus satis tardi sunt ac rari. Cum autẽ in uigore cõsistit febris atq; etiã augeẽ, necesse quidem est ut ueloces fiant atq; frequentes. Seruaẽ tamen & tunc propria ipsorũ tarditas ac raritas, si additã uelocitatẽ atq; frequentiã in accessionibus ratione perpendas. Et quidem si cõparaueris quartanæ febris uigorem tertianæ uigori, nõ paulo uelociores atq; frequẽtiores in tertianis pulsus ostẽdere arteriæ uidebunẽ. Et ipsius unius motus inæqualitas in quartana febre eius formã ostendit: nam quę omnibus cõmunis est febribus, in uno pulsu arteriæ inæqualitatem in hac manifestissime licet deprehendere: multo eñ uelocius principium finemꝙ motus inuenies ꝙ medium. Non tamẽ in tertiana ita se habet: breuis etenim in ipsa est uelocitatis excessus, atq; in uigore præsertim. Uerũ & caliditatis indicia diuerso modo se habet. nam ęstum & deustionẽ & quendam uelut furorẽ qualiter in tertianis uidetur, in quartanis haudquaquã inuenies. Hæc igitur signa maxima sunt. Reliqua uero extrinsecus, nam neque hæc sunt omittenda: sed & ægrotantis natura est inspicienda, si in ea atra bilis abundat, & tempus quoq; anni, si autumnus, & præsens constitutio, si inęqualis: sic uero & loci natura, & morborũ peruagantium populariter, & si lien intumuerit, febrisꝙ sine ordine antecesserit, & ætas senior ꝙ in uigore consistentium, & si cum sudore febres desinant. In his uero bilis flauæ uomitus minime est expectãdus, quemadmodum nec in quotidianis intermittẽtibus: hoc enim tertianarum proprium est signũ. At cum febris cessauerit, si adhuc signũ febris remanserit, pulsusꝙ his qui secundum naturã, rariores ac tardiores fuerint, quartana proculdubio erit huiusmodi febris.

Signa quotidianæ intermittentis. Cap. VII

Febrem uero quotidianam intermittẽtem uel ex his maxime signis agnosces: nam eius caliditatem

tem humidiorem cum quadam acritudine esse oportet, non cum primum manus admouetur confestim occurrente, sed per moram. Nam quædam fumosa caliditas cum multo uapore cōmista exire uidebitur: cum magis ignis in multo humore suffocetur, quàm ipsum possit conuincere. Sed & his multo minores sunt pulsus pulsibus quartanarum, quàm istarum pulsus pulsibus tertianarum. Rursus uero tanto rariores sunt in quotidianis intermittentibus pulsus his qui in tertianis, quanto illis pulsus quartanarum: at tarditas in utrisq; eodem modo se habet. Minus uero siticulosa hæc febris est, tantumq; eam quartana excedit, quãtum istam tertiana. Lingua uero & totum corpus siccissimum est in tertianis: at in febribus his humidissimum, & uomitus pituitosi. Et quæcunq; per uentrem excernuntur frigidiora sunt, atq; humidiora, & crudiora, aquosiora, & pituitosiora. Vniuersum corpus deniq; in hisce febribus plenũ crudis humoribus inuenitur. Et quidē ætatibus, naturis, regionibus, anniq; tēporibus, et tēperaturis humidioribus accidunt. Nam iuuenem biliosa ac sicca temperatura, nũquam uidi huiuscemodi corripi febre. Pueri autem & maxime paruuli, & ex his qui iam perfectum corpus habent, pituitosi & habitus crassi, atq; ocio plurimo dediti, crapulis, ebrietatibus, balneis assiduis, post cibũ præsertim utentes, quotidianis facile capiuntur. Loca etiã humidiora, atq; ex anni temporibus hybernum, atq; ex constitutionibus humidiores hanc præcipue afferunt febrem. Quod si sit etiam populo cōmunicata, tunc præter ea quæ antea diximus, signa, hoc quoq; non parum ad eam dignoscendã conducit. Non tamen harum febrium declinationes, quemadmodũ tertianarũ & quartanarum sudoribus terminantur. Quare neq; ad integrã quietem manifeste (exceptis paucis) perueniunt. Vrinæ uero quæ procedentibus ipsis adueniunt, totius morbi tempora docent. quæ autem in principijs uidentur, febris etiam speciē indicabũt. Nam in quotidianis uel albæ sunt & tenues, uel crassæ & turbulentę, uel rubidæ. In tertianis autem fuluę aut subfuluæ. In quartanis uero uariæ quidem sed crudæ omnes. Hæc omnia febrium intermittentium sunt indicia.

Indicia febrium continuarum. Cap. VIII

Febres autem cōtinuas ex eo cognosces, quòd nullum eis adest ex signis quæ intermittentibus adesse oportere diximus. Et si citra etiam quatuor & uiginti horas non cessauerit febris. Si uero inæquale habuerint incremētum, hoc præter alia longius etiam tempus ostendit. Et quidem si & proprium febrium signum in pulsibus manifestũ habuerint. Si uero & inordinatio quædam uel inæqualitas ipsis, uel incōcinnitas adsit, & hoc etiã indicium erit simul magnitudinis ac cōtinuitatis. Si uero in hoc statu permanentes tertio die maiorē accessionem ostenderint, aut excremēta & urinæ omnino crudæ apparuerint, non possunt huiusce modi febres ad septimum diem terminari. Si uero & quarta dies tertiæ diei similis fuerit, & febris

A quodammodo submersa, neq; facies, aut reliquũ corpus collabitur quicquam, huiuscemodi febris ad longius tempus extendi consueuit. Tales quidem sunt differentiæ earum febrium quæ accidētibus carent. Curatio autem earum deinceps scribetur: primum quidem intermittentium, deinde continuarum. Ex intermittentibus uero acutissima quidem ac mitissima est tertiana. Longior autem, ac quantum in ipsa est, haudquaquam periculosa quartana. Quotidiana uero intermittēs longa, & non sine periculo. Quare ab initio statim ad uniuersum ægritudinis tempus inspicientes, rationem uictus instituemus. Nam quæ uelociter fiunt, ac celeriter ad statum ueniunt, & si ualde tenuem uictum exhibueris, haud magnum afferes

B detrimētum. Quæ uero sunt diuturniores, nisi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cum morbo pariter perimes, aut intempestiue uictus modum commutabis: neq; enim oportet statu aduentante grandiorem quàm prius cibum offerre, sed contra potius tenuissimũ uictum qui in toto morbo exhibeatur, ad statum reseruare. Hoc igitur in omnibus commune præceptum. Sed oportet prę terea quæ singulis febribus intermittentibus propria sunt considerare. Veluti cōfestim in tertianis (neq; enim male ab his initium sumēdum) primũ distinguas, si exquisita sit febris, & (ut quispiam diceret) legitima, aut nō exquisita, sed uelut notha: nam quæ exquisita est, non longius progreditur quàm ad septimum circuitum præter id quod etiam minime est periculosa: alteram uero, quæ non

C est exquisita, uidi quandoq; cum in autumno incepisset, in uere desinere. Deinde uero, ut par est, in tempore adeo longo, tum quia ægrotus medici præceptis parere noluisset, sed in aliquo deliquisset, tum quia ex hyeme læsus esset, lien ualde intumuit, & præcordia flatibus sunt oppleta, & iã subtumida quædam erat decoloratio in facie, ac præsertim circa crura: adeo ut nobis de iuuene dubitare contigerit, ac maioribus uti remedijs fuerit necessarium. Sic igitur nihil simile habet huiuscemodi tertiana cũ exquisita. Quare & ab initio eas distinguere oportet: quantum enim natura differũt, tantũ rationabile est rationem uictus permutare. Vt igitur eas optime sciamus distinguere, quæ a-

D dolescēti acciderint, mihi sat erit scribere, quæ ueluti quoddam exemplũ, ac monumenta tibi futura sunt earũ quæ non sunt exquisitæ tertianæ. Erat tempus anni mediũ inter occasum pleiadũ & antecedens æquinoctium: inceperat aũt febris cum horrore adolescenti circa auroram ferè, quæ neq; in caliditate similis tertianæ uidebaẽ, neq; in pulsibus, sed neq; uomitus bilis subsecutus est, neq; sudor sufficiens præterq; quòd in die secundo tantummodo circa horam tertiam quidam pauci humidi uapores exierunt, ex quibus febris quidem transpirabat, at ita pedetentim, ut uix circa uesperam expers febris uideretur. nam febris signũ satis manifestum in pulsibus manserat, in reliquis uero circa uesperam satis bene se habebat, & per totã pariter noctem. Rursus uero circa tertiæ diei

auroram secunda accessio facta est, omnino præterq; in tempore similis primæ: nam nocte superueniẽte paululum ante diem uapores humidi exhalarunt, ac circa quartæ diei auroram febris cessauit, ac reliquo deinceps autumni tempore atq; hyemis quo ęgrotauit, alia omnia & hora accessionis & solutionis febris eundem modum seruauerunt. Agebat autem adolescẽs circiter decimumoctauum ętatis annum, albus aspectu, & pinguis, qui sæpius antea in ocio degerat, & crapulis balneisq; plurimis & repletionibus usus erat: quare neq; bene cibos concoquebat, simul aũt aduenit ei durities in pulsu, in prima quidem die atq; secũda mediocriter, in tertia aũt & quarta atq; sequentibus usq; ad septimam, ad tantam peruenit duritiem, ut quispiam, qui soli crederet pulsui, multo- B rum fore mensium ægritudinẽ iudicaret. talis aũt perdurauit usq; ad uernum æquinoctium, in quo cœpit mollescere, & rursus postea quadragesimo die omnino æger à tertiana est liberatus, tendente paulatim ad mollitiem pulsu, ac minore quotidie fiente accessione, urinisq; meliorẽ habẽtibus subsidentiam, etenim hæ quoq; in priore tẽpore erãt admodum crudæ. Talis quidem est tertiana, quæ alteri exquisitæ maxime contraria existit. Reliquas uero intermedias haud paucas numero, ex extremis, quæ determinata sunt, nõ difficulter inuenies. Quę enim in principio sermonis tertianarum febriũ indicia scripsimus, si omnia affuerint, exquisitam reddunt tertianam, cuius accessionis tempus breue: quatuor aut quinque aut sex, aut C longissime undecim aut duodecim horas completitur: & huiuscemodi febrium urinæ, tertio die aut ad summum quarto coctionis signum ostendunt. hoc pacto quidem exquisitã aut non exquisitam tertianã cognosces: eadem quoq; ratione & quartanã & quotidianã intermittentem. cui enim omnia insunt indicia, quæ in quartanis febribus antea scripsimus, hęc uera atq; exquisita quartana est: cui uero minime, spuria est, & nequaquam exquisita. & quotidiana quoq; intermittens, cui omnia quę diximus insunt, exquisita est: quę aũt eam naturam non omnino habet, nõ exquisita. Igitur neq; sunt quartana & quotidiana longæ, quę non sunt exquisitæ: at quemadmodũ exquisita tertiana acuta est, sic & quotidiana & quartana diutur- D næ. Hæc quidem in his quæ per circuitum quendam febricitant, oportet considerare. In alijs autẽ febricitantibus urinas atq; excrementa, atq; uniuersum corporis habitum inspicere oportet, calorem quoq;, atq; arteriarum motum, & quæcunq; alia præter hæc Hippocrates & longus usus inspicere iubent: ueluti regiones, anni tempora, constitutiones, & ætates, corporum temperaturas, consuetudines, & causas antecedẽtes, & quę simul cũ morbis inuadũt, & quæ in medio tẽpore apparẽt. Iamq; totũ cuipiã uideri possit admonitũ esse, non tamẽ re uera ita se habet. nam quiddã maximũ etiam inter hæc omnia, breue tamẽ dictu nondũ scriptũ est. quid uero hoc est? morbi quãtitas ac uirium, res quæ ad se explicandam uno indiget uerbo, ad usum uero permagna. neq; enim bene prænoscere possumus, nisi horũ singulorũ magnitudinem dilígẽter pensitemus. nam utrum morbus sit exitialis, an nõ: & qñ magis debeat mori, aut sanitati ægrotus restitui, nisi omnia quæ diximus diligentius animaduerteris, ad duo redigens capita, ad ipsius scilicet morbi magnitudinem & ægroti uires, non poteris uere prænoscere. Nam si uires adeo ualidæ fuerint, ut possint morbũ superare, necesse est ægrotũ euadere: si uero contrà, omnino morietur. Nõ igitur solum inspicias qualis sit morbi species ac forma, sed et eius magnitudinẽ aduerte. Non paruam aũt hoc exigit experientiã, tum alias ob causas, tum quia neq; scribi, neq; omnino sermone edoceri singulorũ quantitas potest: & si quid in nobis est, ex nulla re adeo possumus ad exquisitam peruenire notitiã, quãtum ex crebra exercitatione circa quantitatis cõiecturam, hoc quidem in ipsis operibus & discere & docere possibile est. Quæcunq; uero in qualitate determinãtur, hæc diligenter ac manifeste quàm breuibus poterimus uerbis transigemus.

Tertianæ febris cura. Cap. IX

Exquisitam ergo tertianam, ut quæ ex flaua bile cõmota inualescat, quantum eius maxime fieri potest, refrigerare oportet ac humectare: nam cõtrariorum cotraria remedia, quæ quidem quod superfluum est, reprimãt: quod uero deficit, suppleant. At flauæ bilis humor inter omnes qui in corpore sunt, siccissimus ac calidissimus existit: hunc igitur cũ ad uentriculũ repit, per uomitũ educere oportet: cũ uero uergit ad inferiora, per inferiorẽ excretionẽ: hoc quidẽ & spõte fieri solet in tertianis exquisitis. Per urinã quoq; & sudores oportet diuertere. Iuuat autẽ & per inferiores partes bilis expurgatio. Venter autem mollibus clysteribus exinaniendus est. Vrina uero potionibus, in quibus apium aut anethũ maduerũt, prouocãda. Et si tibi coctionis signa monstrant, iam cum fiducia absinthiũ potes exhibere, quod alioquin summũ est stomachi remediũ ubi bilis infestauerit: si præsertim ex ipsius coma quantũ sufficiat accipiẽs aqua mulsa madefeceris. Balnea uero calida ex aqua potabili prosunt, tũ quia aliquid bilis educũt, tum etiã quia sua qualitate plurimũ iuuant. nam huiuscemodi balnea humectant, ac potentia refrigerant. Marinæ aũt aquæ & salsæ nitrosæ atq; sulphureæ plus quidẽ bilis educũt, sed multo minus q̃ potabiles prosunt. Præstat uero neq; ipsas utiles dicere, quandoquidẽ plus qualitate nocent, q̃ euacuationibus iuuent. Equidem noui quendam corrupto iudicio hisce balneis uti persuasum, deinde extenuato corporis habitu ad tantam uenisse perniciem, ut tabe consumptus interiret: reliqua uero uictus ratio ad bilem etiam excernendã ipsi instituta erat. semper aũt oportet contrarias qualitates illis quæ præter naturã inualuerint opponere, cũ hoc multo plus iuuet, q̃ quomodolibet euacuare: sed neq; hoc ipse nouerat, neq; alio docente didicerat. Hæc igitur in balneis intentio sit, ut corpus madeat atq; humectetur, atq; idcirco neq;

nitrum, neque sal, neque sinapi inspergere oportet, quod genus mali cõplures ægrotis afferre uidentur, at plurimum olei calidi infundẽtes ad aquam perducere ac madefacere, & si in ea natare uoluerint, quantum id facere possunt, permittendũ. At qui balneis admodũ delectãtur, si etiam bis in die lauari permiseris, nõ aberrabis: sed illud semper habeto in memoria, ut in tẽpore id faciãt. Si uero etiã coctionis morbi signa ostendant, tunc etiã si sepius laueris, nihil deliqueris. A uino uero antequam morbus cõcoquat, omnino abstinendũ: at ubi cõcoqui cœperit, dandum est ab initio tenue, aquosum, & paucũ: ubi uero iam propè est ut morbus soluatur, amplius est offerendũ. Cibi aũt quicunque humectant atque refrigerant, omnes utiles sunt exquisitis tertianis, quantitas uero in ipsis sit tanta, ut bene concoqui possint. Ex oleribus quidẽ attriplex, blitũ, lapathum, & malua, & lactuca, & cucurbita: ex alijs uero ptisanæ succus, & ex alica sorbitiones, & ex piscibus saxatiles: Ex uolatilib. aũt quæ mollibus constant carnibus, quę aũt talia non sunt, eorum alæ, testiculi quoque gallorum, & suum pedes, & cerebra: paruorum uero si etiã dederis carnem flaccidam, nihil nocebis, sed & oua ad sorbendum sunt offerenda, & præsertim uitelli eorum: nam hi facilius quam pars alba cõcoquuntur. Ex fructibus aũt permittendum est ut illos degustent qui nõ sunt omnino difficiles cõcoctu. oportet abstinere à melle, sinapi, & salitis: atque omĩbus acribus, & à uinis & satis uetustis, & quæ natura sunt calida. Hæc quidẽ sit uictus ratio in pluribus ueluti ad coniecturam exposita. Qui uero non ad modum deliciosi sunt, his talis uictus est instituendus, qualem nosti me aliquando instituisse in exquisita tertiana secundũ sermonem Hippocratis, ex succo ptisanæ usque ad crisim. Hæc quidẽ in exquisitioribus tertianis seruare oportet.

Tertianæ nothæ cura Cap. X

In his uero quæ non adeo exquisitæ sunt, prouidẽdum est pro uiribus, ne morbus augeatur, néue ægrotantis uires prosternantur, quæ longiori tempore debent laborare. Difficile uero est seruare utrunque, quoniam inedię quantum prosunt ad morbi coctionem, tãtum uel amplius officiũt uiribus. Cibi uero, quantum ægroti robur adaugent, tantum coctiones impediunt. Sed & id quoque noscere opus est ad quantam magnitudinem perueniat morbus, ac quantæ sint ægroti uires, ut ad ea inspiciens, quæ maius auxilium exposcunt, inedia quidem in ualentioribus utaris uiribus, & morbo cõctu difficili: largiori aũt cibo, ubi uires sunt debiliores, neque morbus admodũ cõcoctu contumax. Hęc quidem & in omnibus alijs morbis considerare oportet. In tertianis uero non exquisitis, neque statim circa initia balneare expedit, sed cum primum coctionis signa apparuerint: neque quotidie cibũ oportet exhibere, sed alternis diebus. Quies uero & calefactio circa præcordia iuuãt, & sorbitiones concoctu faciles, & clysteres nõ admodũ molles. Quòd si sanguinẽ mittere oporteat, neque hoc quoque omittendum, sed ab initio statim adhibita earum rerum, quas scis distinctione, tantum mittendum, quantum præsens exigit status. Sit autem totius uictus ratio non quæ humectet atque refrigeret uniuersum corpus, qualis in exquisitis exhibetur tertianis, sed & aliquẽ modũ assumat ad calfaciendum, atque incidendum. Plurimum igitur eos iuuat ptisanæ succus, pipere adiecto, uel etiã hyssopum, uel origanum, uel spicam nardi, mulsa aqua infundens & decoquens ad bibendum propina, & quæcunque alia quæ cient urinam, prętereaque illa quæ supra modũ calfaciunt atque exiccãt: maxime uero post diem septimam danda est iugiter absinthij coma. Et quidẽ oxymeli potiõe plurimos iuuat, & aliquid ex his quæ molliter uentrem subducunt, quibus me assidue uti nouisti. Vomitus autem post cibum adeo his quibus hæc febris perdurauerit utilis est, ut multos sciã solis uomitibus statim fuisse curatos.

De cura quartanarum. Cap. XI

Deinceps de quartanis dicemus, quas etiam ab initio mediocriter ac leniter tractare oportet, nullum forte medicamẽ aut euacuationem exhibentes, nisi fortè sanguis uehemẽter superabundans appareat. Et si uena incisa, is qui fluit niger uideatus ac crassus (præcipue uero in his qui liene laborant huiuscemodi uisitur) audacius mittẽdus est: quòd si flauus aut tenuis apparuerit, statim supprimendus. Venam uero secare oportet, uel interiorem, aut eam quæ est in sinistro cubito media, & uictum instituere minime flatuosum, ac bonum, uentrem, quantum possibile est mollem facientes his quæ usitata sunt. Quòd si hæc nihil proficiant, clysteribus utendum est, à principio quidem mollibus, postmodum uero acrioribus. Arcendi sunt autem à carnibus porcorum atque ab omnib. edulijs, quæ tenacia sunt, & tardum habent exitũ, ac quæ refrigerant exiccantque corpus. Vino uero utendum est albo ac tenui ac mediocriter calido, & uolatilib. quæ boni succi sunt & non in paludibus degunt: pisces aũt exhibendi cõcoctu faciles, mollibus carnibus nihil tenax habentibus prædíti. Vtendum est aũt & salsamentis, & sinapi, & certis diebus id medicamẽ quod dia trion pipereon uocaẽ, uel quod diospoliticũ est assumendum: & si quotidie piper tantũ cum aqua biberẽt, recte etiam facerent. A frictionib. aũt & ambulationibus & balneis, atque alijs usitatis nõ sunt penitus prohibendi, & si omnino possent à balneis abstinere, solis contenti frictionibus, quam plurimum ex eo iuuamen admitterent. Et si quartana febris breuis sit, neque admodũ uiolenta, nihil nocuerit si diebus intermediis ad consueta exercitia se transferant: hæc quidẽ ab initio usque ad statũ sunt peragenda. Si uero in statu morbi præcipue ægrotus esse uideatur, tunc subtilioris uictus ratio est adhibenda, quam ante uel postea, statim uero præcipiendũ est ut diu conquiescat, ac uiscerib. prouidẽdũ perfundẽdo atque emplastrãdo ijs quæ mollire ac laxare possint, deinde medicamẽtis utendũ, quæ ciendi urinã uim habẽt. Et si coctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet ijs quæ humores atros exinaniendi

naniendi uim habent, non semel tantum, sed sæpius, si fuerit necessarium. Vtendum aũt & uomitibus post cibum frequenter, & si nihil prohibuerit, elleborum album dare oportet, primum quidẽ permistum radicibus: quòd si nihil fecerit, elleborum ipsum. Qui uero nequeũt euomere, hi per inferiora ualentius sunt purgandi, & his postea medicamen cõfectum ex uiperis in potu dandum, & alia quæ ad huiuscemodi febres cõmendantur, ex quibus est & illud nobis familiare præ cæteris laudatissimum, quod succum cyrenaicũ recipit. Quicunq; uero ab initio aliquod ex his medicamẽtis exhibuerũt, aut omnino ante statum, quartanam quæ erat simplex, sępius fecerunt duplicẽ, aut omnino maiorẽ ac difficiliorem: ex duplici aũt triplicem, aut omino ambas difficiliores maioresq; red- A B diderunt. Noui autem medicum qui ausus est homini qui triplici quartana laborabat, medicamen ex uiperis exhibere, quando nondum morbus in statu esset, deinde (ut par est) auctis omnib. febris continua subsecuta hominem occidit.

Cura Quotidianæ Cap. XII

Quotidianam autem intermittentẽ cum uolueris curare: utere oxymelite, post primos dies, & illis quæ possunt urinã ualide ciere, & uniuersum totius uictus caput sit ad incidendũ efficacius. Circa statum uero de uentriculo est habenda solicitudo, ac de eius ore præsertim: deinceps iubendum est ut post radices & cibos assumptos euomãt, his etiã quæ pituitam subducunt, utendum. Reliquã uero uictus rationem ad communes intentiones C inspiciens inuenies.

Cura Febrium continuarum primum quæ carent accidentibus: deinde cum accidentibus præsertim animæ deliquio coniunctarum. Cap. XIII

Continuas aũt febres, quibus quidẽ status morbi nõ ultra septimã futurus est, & uires ualidę sunt atq; ætas præterea consentit, his quidem admodũ exquisitus & tenuis uictus est instituendus. Quibus uero uel status totius morbi ultra septimam, uel uires inualidæ, hi ab initio solidiori cibo sunt reficiendi: prope uero statum tenuiori. Cum autẽ iam adest status, tenuissimũ uictum seruare oportet, deinde rursus assidue solidiorem, ac simile augmẽtum efficere huic quod ante statum fiebat decremẽto. Sanguinem uero mittere oportet & ob morbi magnitudinem, & quibus rubor multo D plus q̃ naturæ conueniat, & maior q̃ pro consuetudine corporis tumor, & uenæ eminẽtes atq; extensæ, his omnibus est auferẽdus, nisi uires aut ætas aut aliquid eorũ quæ supra cõmemorauimus, ꝓhibuerint. Quòd uero humidus uictus in febribus acutis oĩbus iuuat, dudum rectè dictum est. Succum igitur ptisanæ his quibus non acescit exhibere oportet: & melicratum quibus non bilescit, & sorbitiones ex alica, & panem ex aqua, & quæcunq; alia eandem aut similem uim habẽt: in his uero quæ præter modũ calidæ & ęstuosę sunt, cum primũ uideris coctionis signa, tũc audacter aquã frigidã potandã exhibe, modus uero in quãtitate seruet, queadmodũ tẽpus anni, regio, ætas, & natura, & cõsuetudo etiam exposcit.

De febribus cum accidentibus, Diuisio 1

Talis quidẽ est, ut in uniuersum dicã, febrium quæ accidentib. caret, curandarũ ratio. Quæ uero cum accidentib. sunt, nõ æque simplicẽ exigũt curationẽ: sed quantũ fieri potest metiendũ est, quãta sit febris, quantũue ex accidentib. periculũ immineat, atq; ad id qđ uehemẽtius ac difficilius est intendendũ, nõ posthabita oĩno etiã alterius cura. Age enim si quis febricitet & nõ adsit pletorica appellata affectio, uerũ ex recẽtibus cruditatib. sit, ac morsum sentiat afflictumq; os uẽtriculi, uel si etiã humorẽ aliquẽ malũ euomuerit, & in huius transitu nõ parũ fuerit offensus, adeo ut grauiter se habeat atq; anxie. Nũquid hic ad febrẽ respicientes, solã multitudinẽ euacuare tentabimus? qđ alioquin sine molestia faceremus, an prius ori uẽtriculi prouidebimus, deinde postq; circa hoc bene se habuerit, quam licuerit totius corporis euacuationẽ faciemus. Mihi quidẽ ita agendũ uidet. Multos itaq; uidi qui ita affecti erant, quosdã interijsse, nõnullos ad extremũ periculũ fuisse perductos, cum medici eos uacuare tẽtassent, anteq; os uentriculi corroborassent: sed neq; si fuerit febris cum profluuio uẽtris alia est opus euacuatiõe, uerum hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione: quicunq; enim his plus adimere fore necessariũ putantes, aut sanguinẽ mittere, aut uentrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt. Sed & si quis simul & distentione 2
neruorũ laborauerit, & sanguis eguerit missione, neq; huic tãtum semel mittere oportet quantũ exigit morbus, sed aliquid etiam accidenti est relinquendum, cuius causa sæpe sudores eueniunt, & uigiliæ molestant, & uires ægroti debilitantur: ita etiam si uehementissimæ uigiliæ aut dolor intensus ægrotũ infestant, cauendæ sunt subitæ ac multæ euacuationes: ipsa præterea ambientis aeris tẽperatura, loco accidentis cuiusdã habenda, quando exquisite calida ac sicca fuerit, queadmodum hoc anno fuit tempore intermedio inter Canis ortum & Arcturi. Atq; ideo omnes quibus medici nihil omnino de temporum statu cogitantes, sanguinem abstulerunt, interierunt: si etiam ualde frigida fuerit, tunc quoq; sanguinem mittere est formidandum. Neq; illud ignorare oportet, non parua ex eiusmodi rebus sequi pericula. Intereũt aũt qui in calidis admodum constitutionibus non rectè euacuãtur, ex defectu animæ, quem syncopen uocant, & dissolutiõe, in frigidis uero cũ accessiones incipiunt, nimiũ perfrigerati nequeunt tolerare. Ob hæc igitur neq; in locis supra modum calidis aut frigidis sanguinem mittere audemus, sed si regio ipsa & temporis status consentiunt, omnino abstinemus: cum uero nõ consentiunt euacuamus quidem, sed multo minus quàm si neutrum prohiberet. Tanq; etiam accidens quoddã ægrotantis ad patiendum facilitatem considerare est necessarium. multi enim neq; unq; sunt euacuati, neq; euacuationem ullam aceruatam aut inediam longã possint perferre, sed alij quidem ex his in omni-

omnimodam corporis imbecillitatem facile incidunt, quidam uero os uentriculi male affectū habent, adeo ut cibos abhorreant: quòd si eos cogātur assumere, aut non retinent, aut male concoquunt. In hac dignotionis parte etiam ægrotantis temperaturam contemplari oportet. quicūq; enim calidi & sicci natura sunt, hi omnes facile ab aceruatis euacuationibus offenduntur. Et consuetudo quoq; non parui momenti est, tū ad omnia alia, tum præcipue ad euacuationis indicationem: quidā enim nunq; fuere euacuati, neq; unq; euacuationem aceruatam pertulerunt & multis cibis usi sunt: nonulli cōtrà neq; multis cibis usi fuerūt, & euacuationibus sunt assueti: hos igitur intrepide euacuare oportet, quando & reliqua etiam cōsentiunt, cæteros uero, non adsuetos, nec si omnia alia id suaserint. Eodem pariter modo & corporis habitus considerare oportet, nam qui densa & solida carne constant, his habitus haudquaq; facilis ad patiendū est: quare non oportet uereri ipsos euacuare ex toto, siquidē & alia id iubent: sed qui mollē & flaccidā, & propte diffluentē habēt carnē, hi mirū in modū sunt ad patiendū habiles: quare & si reliqua omia sanguinē esse minuendū persuadēt, nō tñ id facere audēdum est, sed & aliis euacuationibus, quātū moderate & cū formidine fieri potest, utendum est. Eodē modo & quicunq; supra modum crassi sunt aut macilenti: nam & his uenam incidere cauendum est, aliasq; euacuationes aceruatas uereri oportet. His etiam & ætas annumeranda est ueluti accidens quoddam, qd' prohibendi aceruatam uacuationem uim habet: neq; enim pueri neq; seniores hanc sine noxa tolerant. Hosce igitur omes quos diximus, ubi affectiones euacuationem hortentur, non semel, neq; aceruatim, sed paulatim oportet euacuare inediis moderatis, & frictionibus, & clysterib. mollibus, humectationibusq;, & cataplasmatis, & balneis, quorū signorum indicationes rursus ab iis quæ antea diximus, sunt assumendæ. Ita etiā si quando duo cōtraria accidentia consequantur, inspicere oportet utrum eorū sit fortius. Eodē modo si duo morbi eundem hominē obsederint, qui inuicem pugnātes habeant indicatiōes: nam & tunc quoq; aduersus id quod magis urgeat instandum, neq; alterū omnino negligendū. Eas uero quæ habent ex accidentibus & morbis indicationes, non simpliciter, sed secundum causam à qua singula fiunt cōsiderandum, qualia sunt defectus animi, & dissolutio. Nam cōsueuere medici de una re hæc duo nomina dicere. Est unum quidem res ipsa, cuius sunt plures causæ: nā animo deficiunt & in morbo cui choleræ nomen est, & in profluuiis uētris, & difficultatibus intestinorū ac leuitatibus, & muliebri fluxu, & uulneribus, & sanguine per ora uenarū, quas Græci hæmorrhoidas appellant, emanante, aut per superiora educto, aut per nares aut alios meatus, & in enixarum purgationibus immoderatis. Nōnunq; uero & uehemēs cruditas animæ defectum attulit, & tunc præsertim cum uentrem supra modum soluerit, & qui morbus bulimus ap-

A pellatur, nihil aliud est q̃ animæ defectus. Omnē præterea quæ ex utero prouenit, strāgulationem, defectus animi antecedit, sicuti ad uteri uersus superiora recursus, & ad latus inclinationes, atq; inflāmationes plerunq; consequitur. Antecedit aūt morbum attonitum & comitialem, cū malignior existit, & dissolutiones, & syncopen, & marcorē: sed & in insultibus febrium non admodū paucarū aduenit, & tunc præsertim cū supra modū aut siccum & squalidum, aut plenū immoderate corpus extiterit. Et nōnunq; etiā simul cum febre ardēte atq; maligna inuasit, & quibus extremæ corporis partes in insultibus febrium plurimum sunt perfrigeratæ, & quicunq; ob inflāmationis magnitudinē, uel hepatis, uel uētriculi, uel stomachi febricitant, his etiā in principiis accessionum animi defe-
B ctus adueniunt, illis præsertim quibus humores crudi & incocti redundant, aut qui aliquā præcipuam partē obstructā habent. Animo etiam deficiunt quibus os uentriculi male affectum est, aut humorum uitio mordicat̃, aut crassis uel lentis uel humidis uel frigidis humoribus aggrauatur. Quidam etiam in uehementibus animę affectibus animo defecerūt, sed præcipue senes, & qui alioquin sunt imbecilles. Etenim plures eorum tristati aut lætati aut irati animo defecerūt. Sed & roridæ humiditates quædam, his ita affectis, haud in tempore superueniētes animi defectum inducunt. Sicuti & qui magis robusto sunt corpore, ex immoderatis sudorib. idem patiunt̃, et si abscessus quispiam rumpatur, ei qui non admodum uiribus uali-
C dis sit uehemēter uiribus officit: ac tū præcipue cū materia tota ad uētriculū, uel uētriculi os, aut thoracem defluxerit. Et si qñ etiam nos abscessus secantes totum emittere pus tētauerimus, animi defectum subsequi est necessariū. Et si quādoq; purgantes, aut clystere adhibētes, aut quomodocūq; euacuantes, id aliquo modo uehemētius q̃ oporteat egerimus. neq; etiā in morbo intercute tota simul superfluitas (q̃uis sit præter naturam) potest sine noxa euacuari, sed tūc quoq; necessarium est hominē deficere animo. At uero ex uehemētia dolorum ueniunt dissolutiones, cum morsus quidā ac tormina, aut uoluuli, aut intestini crassioris affectus subito accidunt. Sed & neruus percussus,
D & musculi caput animi defectū intulerūt, & maligna in articulis ulcera omniaq; gangrenosa & depascētia, et immoderata frigiditas atq; caliditas uitalisq; roboris dissolutio. Hæ quidē sunt defectus animi causæ. Singulę uero earū propriā curā desiderant. & de omnib. quidem nō licet nunc scribere. nā quæ affectionibus assidēt, sine illis curari nō possunt. Tantum igit̃ in præsenti sermone de ipsis dicemus, quantum quispiam de eis ediscens, possit iis quæ repente ingruunt accessionibus occurrere: ueluti q̃ eos qui ex choleris & uentris profluuio & multis aliis aceruatim factis euacuationib. dissoluuntur, aqua frigida spargere oportet, & nares apprehēdere, & os uentriculi perfricare, ac iubere ut euomāt, stomachum irritando digiti uel pennę immissione: sed neq; malum, manus uel pedes

des deligare: oportet aūt nexus fieri plures ac for- A
tiores circa manus, quādo per inferiores partes fi-
ūnt euacuationes: queadmodū quādo per ora ue
narum hæmorrhoidū sanguis profluit, aut uentris
profluuia adsunt, aut cum per uteros exeūt in mu
lieribus purgationes: nam si tunc crura fortius li-
gentur, sæpius aliquid ad partes inferiores attrahi
tur: cōtrà aūt fit in fluxibus sanguinis factis per na
res atq; uomitibus, in quibus crura sunt uehemen
tius deliganda, & quidē quibuscūq; in uulnerib.
sanguis emanat, eodē modo si ex superiorib. par-
tibus accidit, inferiores: si ex inferioribus, superio
res uinculis sunt adstringēdæ: sitū quoq; aliquem
sursum tendentem parti expedit inuenire, non ta-
men hoc multum fiat: nam si nimiū tendatur, atq;
ex hoc fatigetur, nihilo minus irritatur quàm si in B
clinaret deorsum. In uniuersum autē aut ad com-
munia membris patientibus in aduersum trahere
oportet, aut ad ea in quibus est euacuationis ori-
go. Atq; ideo uehementes euacuationes, quæ ex
uteris fiunt, cucurbitulæ mamillis appositę statim
sedāt: quæ uero ex naribus, hepati & spleni secun
dum narem patientem: quòd si ex ambabus nari-
bus subito ac multus sanguis efflueret, utriq; ui-
sceri sunt adijcendæ. Vinum etiā aqua frigida tē-
peratum curat eas, quę ex magnis fiunt euacuatio
nibus dissolutiones, & tunc præsertim quando ad
uentriculum fluunt humores. Sed aduertendum
est, an aliquid sit quod prohibeat huiuscemodi in
hibitionē. Veluti si aliquod unū ex uisceribus in-
flammationem patiatur, aut caput uehementius C
doluerit, aut affectio aliqua quę delirare cogat af-
fuerit, aut febris ardens in morbo crudo: magna
enim & quasi insanabilia ex potu uini in huiusce-
modi affectibus nocumenta proueniunt. Quòd si
nihil prohibeat, postmodū ægrotātis naturam &
consuetudinem, & ætatem, & ambiētis aeris tem-
peraturam distinguere oportet: ad hęc enim respi
ciens, uel frigidū uel calidū potū exhibebis. Nam
qui assueti nō sunt potare frigidum, aut manifeste
ex ipso offenduntur, & quicunq; natura sunt frigi
diores, & qui in extrema sunt senectute, & loco
natura degunt frigidiori, & tēpore hyberno, caue
re frigidum oportet. At qui contrario modo se ha
bent, hisce intrepide offerre. Sit uero uinum in flu
xionibus quæ ad uentriculum fiunt, calidum et te D
nue, quale Lesbium: in sanguinis autem fluxibus
crassum ac nigrū & acerbū. Ipsis uero locis impō-
nere oportet, ueluti uentriculo, & utero, & stoma
cho, & thoraci quæ corroborādi uim habēt: capi-
ti autem & fronti præter hæc, illa etiā quæ refrige
rant. Et quibus in summis partibus, in naribus ue-
na aliqua disrupta est, medicamen aliquod ex ijs
quæ sanguinē supprimere possunt, imponendū.
Balneæ uero in fluxionibus quidem ad uentrem
aptissime sunt, sanguinis uero fluxum acriter ir-
ritant. Et quicunq; ob sudoris multitudinem ani-
mi defectum patiuntur, his etiā plurimū nocent.
horum enim astringere oportet, ac refrigerare, ac
non laxare cutem, & uinum frigidū præcipue his
exhibere, & nil omnino calidū offerre. Sed neque
etiam crura ac manus ligare oportet, neq; cogere
ad uomitū, neq; ullo modo mouere: ac uētis refri
gerantibus aditus præparare: aerē quoq; domus
alterare frigida atq; acerba qualitate, myrtorum
folijs, uitium pampinis, ac rosis pauimentū con-
sternentes. Nihil uero horum confert, ubi ad uen-
trem fluxiones fiūt: nam quo magis cutem densa-
ueris, tanto ipsę magis augentur. His igitur qui 4
ex euacuationibus dissoluuntur, ita confestim suc
currendum est. Atqui ex multitudine non ita. Ve
rum in illis artus quamplurimum fricare oportet,
calfacere, atque deligare. A uino uero & cibis ab
stinendum, & balneis etiam, si febricitauerint.
Sufficit autem si eis dederimus melicrati potum,
in quo ebuliuerit thymus, uel origanum, uel pule
gium, uel hyssopus. Conuenit quoq; oxymel. Et
quæ etiam ex utero laborant, atque exoluuntur,
non aliter curandæ sunt, excepto oxymelite: fri-
care etiā atq; deligare magis pedes oportet quàm
manus. Et quemadmodum in multo effluxu cu-
curbitas mamillis imponimus, sic quibus sursum
aut in latus tractus est uterus, inguinibus & coxis
adhibebimus: & naribus quidem ea quę fœtidissi
mum odorem habent. Vteris autem odorata ea
etiam quæ laxare ac calefacere possint medicamē
ta afferemus. Si uero os uentriculi fuerit imbecil-
le, atq; ideo animi sequatur defectus, ea quæ robo
randi uim habēt oportet emplastra adhibere, qua
le est quod fit ex palmulis, uino, polenta, croco, a-
loe, ac mastiche: madefacere autem ijs quæ con-
stāt ex absinthio, & oleo melino, et mastichino, &
nardo, & œnanthe, & uino. Et si exurantur misce
re ex refrigerantibus aliquid, ueluti cucurbitę suc
cum, atq; lactucæ, & portulacæ, & solani, & seri-
dis, & uuæ acerbæ: hic quidem non solum refrige
rat, sed etiam adstringit. Aqua etiam frigida ple-
runq; iuuat eos qui stomacho exuruntur, si in tem
pore detur, alioquin plurimum obest. Atq; ijs qui
uentriculi os debile habent, uinum calidum poti
us oportet exhibere, si nihil sit aliud quod prohi-
beat. Plurimum uero iuuat eos qui ita laborant e-
tiam frictio extremorum. Quòd si ex his remedijs
nihil melius se habuerit, eos quidem qui stoma-
cho exuruntur, quàm primum ad balneas ducere
oportet: qui uero aliquid frigiditatis sentiunt, me
dicamen dia trion pipereon nominatum, atq; ip-
sum piper solum, atq; absinthium bibant. Qui 5
uero ex uitiosis humoribus os uētriculi mordican
tibus dissoluuntur, hos post aquæ calidæ aut hy-
drelæi potū fac euomere: ꝙ si difficulter euomant,
prius concalefacere oportet, quæ os uētriculi cir-
cūstant loca & manus & pedes. Quòd si neq; hoc
modo possunt euomere, digitos aut pēnas demit-
tendo irritare oportet: ꝙ si neq; sic euomāt, rursus
his oleum calidū q̄ optimū inueniri potest exhi-
bendū. Solet aūt sæpius oleum nō solum ad uomi
tum irritare, sed etiam uentrem molliorem facere:
est aūt hoc non paruum bonū pręsentibus rebus:
quare nisi sponte accidat arte procurandum est,
præcipue uero & glandulis subdititijs hoc tentan
dum est facere. Quòd si ex istis facilius fiat, etiam
absinthij

abſinthij comam in melicrato decoquens ad po-
tādum exhibeas, atq; deinceps uinum, deinde om
nibus modis membra oportet corroborare: par-
tim ijs quæ extrinſecus apponuntur, partim abſin
thij potionibus, non tamen id in principijs facien
dum ſuadeo, ſed poſtea quādo circa aluum partes
fuerint expurgatæ. Quando uero adhuc humores
in ipſis continentur, nondum adſtringere, ſed tan
tum cōcalefacere (ut antea diximus) cōuenit. Vbi
uero multa pituita frigida in ore uentriculi fuerit
aceruata, fouere quidem plurimum oleo, in quo
abſinthium ebullierit, poſtea uero etiam melicra-
tū exhibere, uel hyſſopo, aut aliquo ſimili in ipſo
macerato, ſimiliter oxymeli, aut piper, aut dia tri-
on pipereon, aut dioſpolitico medicamē. Victus
6 autem ratio omnino incidendi uim habeat. Quę
uero ex nimia frigiditate ueniunt exolutiones, eo
dem modo curandæ ſunt quo bulimi, omnimodo
calefaciendo. Vinum igitur eis exhibere oportet
calida temperatum, ac cibos qui calefaciēdi natu-
ram habēt, fricareq; ac calefacere ad ignem ſimul.
Quæ uero ex nimio calore accidunt, ijs quæ refri-
gerandi ac corroborandi uim habent, hæ uero ma
xime eueniunt ijs qui in aere ſuffocante ac balneo
commorantur. Statim igitur ipſos corroborabis ſi
aqua frigida ſparſeris, & flabellaueris ad uentum
conuerſos, & os uentriculi perfricaueris atq; lanci
naueris, ac poſtmodum uino ciboq; refeceris. At
qui ob inflāmationis magnitudinē, aut uehemen-
tis febris malignitatem animi defectū patiuntur,
& in inſultibus acceſsionum refrigerantur, his ar-
tus fricare fortiter, & calefacere, cruraq; ac manus
deligare, ac uigilias cibiq; & potus omnimodam
abſtinentiam præcipere oportet. Optimum uero
in his quid futurū ſit præcognoſcere, atq; hæc an-
te acceſſionē facere anticipare. Eos etiam qui ex
ſiccitate in principijs acceſsionū ſyncopā ſunt in
curſuri, optimū eſt præuidere: nam ſi duabus aut
tribus horis ante acceſſionem exhibito cibo, ma-
nus ac pedes conſtringi iuſſeris, non interibunt.
Oportet autem cibos eſſe concoctu faciles, & ſto
macho gratos. Quòd ſi magnū imminere pericu-
lum fueris ſuſpicatus, uinum dare anticipabis, ui-
numq; præſertim in alicam elixatā infuſum: quòd
ſi aliquid panis loco alicæ exhibueris, idem uale-
bit. At ſi mediocris ſyncopa expectatur, uino par
cendum: ſufficit enim tunc mala punica, aut pyra,
aut poma, uel aliquē alium fructum aſtringentem
cibis admiſcere: etſi adhęc mediocriter tulerint ac
ceſſionem, cum rurſus cibū obtuleris non erit ne-
ceſſarium fructibus uti. hęc quidem facienda ſunt
ſi quid futurū præuideris. At qui ex inopinato in
periculum inciderint, his uinum calidum cum pa
ne eſt exhibendū, & parum aliquid cum eo alicæ
calidæ. Nam ſi ijs qui ita affecti ſunt amplius obtu
leris, aut cibos difficiles concoctu, non modo ſyn
copam patientur, uerumetiā ſtrangulabuntur.
7 At qui animo deficiunt ex membri principalis
obſtructiōe, his oxymeli dare oportet, atq; ex hyſ
ſopo, origano, pulegio, et melle potum, ciboſq; in
cidendi naturam habentes: nam craſſi ac tenaces

A magnas in talibus afferunt noxas. Sed neq; dete-
rius fuerit artus, ſicuti crura atq; manus perfricare
atq; deligare: prodeſt etiam hiſce potibus uti qui
urinā ciendi uim habent, ueluti qui anethū, & fœ-
niculū, & apium, & petroſelinū, & amium, & dau
cum, & ſpicam nardi recipiunt, qui ubi manifeſte
iuuerint, iam uino utendum eſt albo & tenui, non
admodum antiquo. Noſces uero huiuſcemodi ob
ſtructiōes cum ex alijs inæqualitatibus pulſuum,
tum ex his pręcipue quæ ſecundū magnitudinem
& paruitatem ac uehementiā & debilitatem fiūt,
& ubi etiam humorū plenitudo non adiungatur:
nam iſtius quoq; cōmunes ſunt. Fiunt uero & in
huiuſcemodi affectionibus, cum uehementes fue
rint, pulſus intercidētes. Hæc quidem in libris De
B pulſibus à nobis latius explicant̃. Nunc uero trāſ-
grediamur ad eum ſermonem qui ſupereſt de reli
quis exolutionibus, ueluti quæ ex abſceſſuum di-
ruptione aut ſectione cōtingunt, aut ex ſuperflua
euacuatione in ijs qui aquam intercutem patiun-
tur, confeſtim quidem hi optimis odoribus fouen
di ſunt, paulopoſt autem ſorbitionibus concoctu
facilibus ſunt reficiēdi. Si uero ob triſtitiam, aut 8
gaudium, aut timorem, aut iram, aut terrorem ex-
oluantur, odoribus & narium apprehenſionibus
ſunt reuocandi, cogendiq; ad uomitū. Eodem pa-
riter modo, qui ex uulneribus, aut purgationibus,
aut doloribus qui in articulis, neruis, & muſculo-
rum tendonibus eueniunt, exoluūtur, ſtatim ſunt
ab eo affectu reuocandi, poſtmodum uero conue
C niens affectioni cura eſt afferenda. Animi uero de
fectus qui inteſtini laxioris doloribus, aut uoluu-
lis, aut ſimilibus uehementibus cruciatibus fiunt,
ex patientium locorum concalefactionibus frica
tionibusq; extremorū præcipue curantur. At quæ
ex propria imbecillitate uirium quæ regunt cor-
pus eueniunt, exolutiones, ex intemperatura ui-
delicet factæ partium de quibus uires proueniūt,
contrarijs curare intemperaturis oportet, frigidas
quidem concalefacientes: calidas uero refrigeran
tes: atq; in alijs eadem ratiōe. Virtus igitur quam
uitalem uocant, quam ex corde prodeuntē oſten-
dimus, ex pulſuum debilitate cognoſcitur. At quę
ex hepate oritur, ac nutritiua dicit̃, ex ſanguineis
egeſtionibus ab initio aquoſis atq; tenuibus, poſt
D modum uero craſſis ad modum fæcis olei. At quę
ex cerebro originem ducit, quam præcipue non-
nulli animalē appellāt, ex motuū uoluntariorū im
becillitate deprehenditur. Sed de his quidem affe
ctionibus proprio tractatu ſeparatim tibi ſcribe-
mus: multa em̃ ab ipſis medicis ſunt prętermiſſa.

Cura capitis à uarijs cauſis moleſtati. Cap. XIIII

Quoniam uero ſermonem de accidētibus huc
uſq; fecimus, rurſus ad primum inſtitutum redea-
mus, unam in omnibus communem intentionem
habentes, cauſas à quibus fiunt eorum ſingula cō
ſiderare, hæ ſiquidem tibi conuenientem curatio
nem oſtendent. Veluti ſi quis doleat caput, ſi qui-
dem os uentriculi illi mordeatur, & faſtidium ſen
tiat, iubendum eſt ut euomat: nam uel bilem euo-
met, uel pituitā, uel utrūq;. Quòd ſi nulla inſignis

A appareat in uentriculo affectio, considerandum
nunquid multitudo uel obstructio aut inflamma-
tio aliquarũ capitis partium adsit: inuenies uero
primum quidem si interrogaueris, nunquid dolor
per totum caput extendatur, aut alicui particulæ
fortius insideat: deinde nunquid cũ grauitate uel
tensione uel mordicatione uel pulsu. Nã qui cum
grauitate dolores fiunt, multitudinem ostendunt:
qui autem cum mordicatione, uel uaporis, uel hu
moris acritudinem: cum pulsu uero, inflammatio-
nem: at cum tensione, si quidem sine grauitate ac
pulsu, spiritus crudi ac flatuum multitudo: si uero
cum pulsu, corporis membranosi inflammatio: at
si grauitas adsit, multitudo intra membranas con
tenta significatur. Cum igitur omnia distinxeris,
causam ex qua horũ singula fiunt considerare o-
B portebit, illa enim tibi modum curationis osten-
2 det. Veluti si multitudo uaporis atq; humoris
contineatur, aduertere oportet, nunquid ob ma-
gnitudinem febrium humores diffusi, ac ueluti ef-
feruescentes ad caput ascẽderint, aut propter par-
tis imbecillitatem, aut ob totius corporis plenitu-
dinem. Hanc enim totius corporis euacuationi-
bus haud difficulter curaueris: eam uero quæ ex
partis imbecillitate cõtigit, partim quidem in con
trariũ trahendo per totum corpus, partim ipsi par
ti remedia adhibendo. In contrarium uero trahes
clysteribus acribus, & nexibus, & frictionibus in
partibus inferioribus plurimis, & si expedierit, ali
quid etiam sanguinis abducendo. Partem autem
C sanabis eo tempore quo ad uniuersum corpus re-
trahis, his utens madefactiõibus quæ à capite uim
repellendi habent, ac deinde euacuãtibus, postre-
mo uero corroborãtibus. Repellit autem oleum,
quod immaturum nominatur, aut tale aliquid si-
mile, & quod oxyrhodinũ, & rosaceum uocatur
ipsum per seipsum, & quæcunq; ex capitibus pa-
paueris, & teneris oliuæ germinibus, & hederę co
rymbis, mentaq; uiridi, & sisymbrio paranť. Vten
dum uero ipsis in multitudine quidẽ crudiore ac
frigidiore, tepidis: in calidiore autẽ & biliosiore,
frigidis. Euacuat autem atq; dissoluit oleum cali-
dum ipsum per se ipsum, magisq; si antiquum fue-
rit, uel sicyonium, aut anethum in ipso ebullierit.
Nam multitudo humorum, qui non admodũ sunt
D crassi atq; tenaces, sufficienter per huiuscemodi e-
uacuatur: si etiam spondylion uel serpillum intus
decoxeris, aut pulegij comam, uel calamenti, uel
mentę, uel sisymbrij: ita etiam id quod crassius est
euacuabis. Hæc uero ipsa, uirium etiam aliquid
membris adijciunt, & quæ debilia sunt roborant.
Vtendum uero ipsis deinceps usq; ad integram sa
nitatis restitutionem. Et si opus fuerit, per nares
etiam & palatum expurgabis. Sternutamẽta etiã
sunt excitanda. Et si ad balneas hominem induxe
ris siccis sindonibus caput est perfricandum, salq;
& nitrum & sinapi sine oleo imponendũ. Hæc qui
dẽ sunt ex particulæ debilitate doloris capitis me
3 dicinæ. At quando ex magnitudine febrium ac
cidit & medicamenta adhibere est necessarium,
frigidæ qualitates ac facultates, & quæ ex hydre-

læo & oxyrhodino & papauerum capitibus con-
stant irrigationes expediunt. In dolore autem ca-
pitis qui sanguinis fluxũ, aut uomitũ decretorium
significat, non sunt remedia quærenda: neq; enim
accidens quoddam, sed bonum signum potius ta
le quicquam est existimãdum, sicuti & multa alia
quæ ante crises contingunt, quę plurimis quidem
terrorem incutiunt, bonum tamen quoddã osten
dunt. Optimum uero posse dignoscere, ubi cor-
pus perturbatur à natura cum alias excretiones,
tum præsertim uomitum, et sanguinis fluxum mo
liente, quorum inseparabile indicium est capitis
dolor. Diximus autem plenius de hisce omnibus
alibi, nunc uero quantum poterimus primum ser-
uantes institutum, breuiter de ipsis transigemus.
Considera igitur primũ quidem species febrium
an calidæ sint atq; urentes, nam hæ per excretio-
nes iudicari consueuerunt: quemadmodum quæ
molliores sunt ac summersæ quodãmodo, diu du-
rant, & sępius feruntur in abscessus. Secundo loco
an morbus sit ad salutem decliuis. Quis enim bo-
nã crisim in morbo pernicioso expectauerit? Ter
tio ad hæc totius morbi tempus considerandum:
si enim principij uel augmenti fuerit signum, non
dum autem status neq; concoctionis signa appa-
ruerint in urinis, uel sputis, uel alui egestionibus,
non expectandũ est bonam fore crisim. Hæc sunt
ex quibus sperauerit quispiam morbum per ex-
cretiones crisim habiturũ. Eius uero quod iam 4
instat, neq; iam etiam futurum est, hæc signa sunt.
Difficilis quędam tolerantia omnem crisim ante-
cedit, & si quidem in die crisis esse debet, noctu: si
autem noctu, in die. Si tale aliquid uideas, consi-
derandũ est quotus sit ægritudinis dies. Quidam
enim sunt qui ad crisim apti sunt, paruo etiam mo
tu à natura accepto. Multi uero in magnis moti-
bus nequeunt omnino magnitudinem perturba-
tionis inspicere, nunquid sit secundum diei natu-
ram. Nam septimus dies etiã ex paruo naturæ ap-
paratu ad crisim per euacuationem mouetur. Se-
xtus uero magno apparatu indiget, & sæpe, neq;
ulla in eo fit crisis: quod si fiat, neq; sine periculo,
neq; fideliter accidit. Sic autẽ & unicuiq; dierum
aliorum, quædam inest propria natura, quam ubi
de diebus decretorijs agitur, diffiniuimus. Age
iam sit dies pro magnitudine perturbationis. De-
inde oportet considerare qualis erit crisis. De alijs
igitur nihil impræsentiarum dicere oportet. At si
uomitus aut sanguinis fluxus ex naribus futurus
est (nam huiuscemodi crisibus unũ diximus esse
signum, dolorẽ capitis) ex his maxime distingue-
re oportet. Primum quidem si statim ab initio non
inuasit, sicut quoddam ægritudinis accidens: sed
quando crisis primum agitare cœpit. Secundo lo
co si etiam collum aliquid compatiatur, & præ-
cordia retracta sint, aut spiratio difficilis repente
superuenerit, thorace ueluti angustiore facto. Si
enim præter hæc omnia, pulsus in tumorem subi-
to elati non reciderint in paruitatem, neq; debiles
facti fuerint, statim crisis expectanda est. Si uero
non modo non deciderint, sed etiam in altum at-
tollan

collantur, & uehementiam assumpserint, faciem A ægrotantis inspicere oportet. Nã si quod in eo mẽbrum palpitet, aut uenæ quæ sunt in temporibus pulsent, aut genæ, uel nasus, uel oculus rubidior factus fuerit, magis etiam crisis expectanda est. Si uero & inuiti lachrymati sint, aut splendores uidere imaginati fuerint, ac manus naribus uelut scalpturi admouerint, tunc non iam fluxurũ, sed iam fluentem sanguinem inspicies: nam ubi semel aut
5 bis scalpserint, statim erumpit. Neq; uero ex his perterrearis, si hominem desipientem aut resilientem inspexeris. Nam & hęc humorum repentium ad partes superiores indicia sunt, queãdmodum & spiratio difficilis, & præcordia retracta, & collum simul cum capite aggrauatũ. At tibi unà cum his indicio etiam sit, desipientia. Et hæc quidem sufficere signa possunt: sed accedit quandoq; & ægrotantis ætas, & natura quæ spem magis confirmat, ac præterea anni tempus, & præsens constitutio. Nam si ęgrotus fuerit adolescens, aut alioquin natura calidus, aut multo sanguine abundauerit, magis adhuc de hoc sperandum erit: & si etiam sæpius antea dum sanus esset aut ægrotaret, sanguis ex naribus fluere uisus est, hoc uel solum sufficit fluxus sanguinis spem afferre. Si uero & tempus anni æstatem uideris, uel non quidem æstatem, alioquin tamen calidam præsentẽ constitutionem, nónne ex his aliquam indicationem assumemus? Quòd si & plures eo tempore crisim ex sanguinis fluxu habuerint, & hoc tibi spem uehementius augebit: & si corpus plethoricum extiterit, & con- C suetæ excretiones fuerint retentæ. Mihi quidem neq; omnino uidetur difficile, eum qui tot & talia habuerit indicia, futuri sanguinis fluxus præcognoscere. At absurdum & magnæ imperitiæ est, non præcognoscere. Nostri uero temporis medicorum indiligentia ea admiratur, quæ admiratione digna non sunt. Nam siue ex dextra nare, siue ex sinistra fluxurus sit sanguis, nihil difficile ex nuper dictis prænoscere: plures uero medicorum hoc non solum difficile, sed neq; omnino possibile existimant. Et quidem has & alias excretiones omnes prænoscere licet, si hæc duo tantum considerauerimus, et unde naturę motus agatur, & in quã partem. Nam & quæ deficiunt adiuuabimus, & quæ immoderate feruntur coercebimus, si ista nouerimus: Veluti cõfestim sanguinis fluxus ex splene, magnæ cucurbitæ sinistris præcordijs suppositæ, facile retrahunt: at qui ex hepate prodeunt, B dextris: & qui ab alijs membris, eadem ratione. Nam ex uno de omnibus colligere poteris in uniuersum contemplando. Quare & ego in hoc loco præsentem finiam sermonem: deinceps autem 6 de febribus, quæ ex inflammationibus accidunt, tibi transigam, deq; alijs affectionibus, quæ in singulis partibus corporis constituuntur. Inflammationes autem à ueteribus dicebantur, quæ sunt ueluti quædam efferuescentiæ: à iunioribus autem non æque. Neque enim herpetas, neque erysipelata, neque tale aliquid quicquam inflammationibus annumerant: sed uni tantum affectui ex calidis, qui fit cum tumore duro atque dolore pulsatili, hoc nomen accommodant. Non tamen ad hunc solum febres ac dolores sequi uidemus, sed ad omnes simpliciter calidas, ac ueluti efferuescẽtes affectiones. De his igitur atq; alijs similibus morbis, sequenti libro uerba faciemus.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI

Cap. I. De inflammatione, cum eius differentijs causisq; & quæ proprie sic dicatur. 2. De biliosis ulceribus, scilicet herpete, erodente & miliari, erysipelate & carbunculo cum suis differentijs. 3. Inflammationis uoce continentur, bubo, phyma, phygethlum, lippitudo, pleuritis, angina, peripneumonia. Et quid horum unumquodq; sit: Difficulter agnosci internas inflammationes. De inflãmationum proprie dictarum cura agere incipit. II. Pergit agere de causis & cura inflammationum proprie dictarum, & primum earum quas fluxus aliquis generauit. De euacuatione uniuersali eiusq; scopis: præcedere enim illam oportere, deinde adhibenda topica quæ repellant influentia, uacuent influxa. 2. Quæ foris imponenda sint inflammationibus ex fluxu aliquo ortis, primum si non admodum doleant, deinde si ualde doleãt. 3. Quid faciendum cum pus inflãmationis ex fluxu natæ apparuerit. Et quomodo tractandæ & incidendæ sint tũ hæ tũ aliæ inflammationes. 4. Ratio curandi erysipelatis, tum simplicis, tum cum ulcere uel inflammatione mixti. 5. Cura herpetis, erodentis primum, deinde superficiarij. 6. Præcepta in omni ulcere curando, & priuatim de carbunculi cura. 7. Pro locorum affectorum natura curatio uariat secundum indicationes à loci affecti tempore, formatione, situ, 8. et uiribus seu facultatibus partium, cui eam quoque adiungit quæ à sensus particulæ acrimonia aut hebetudine sumitur. De singulis autem copiosius differit. 9. De indicatione præcipua ab ipso morbo, siue simplici, qualitatibus tantum alteratis: siue cum materia eaq; temperata uel intemperata. III. Oedema quid, eius causæ & cura. IIII. Adhuc de cura œdematis. V. Scirrhus quid, quæ sint eius causæ & curatio. Item scirrhi curati exemplum. Tendinum scirrhis affectorum per pyriten uel molarem curatio. VI. Curatio indurati splenis. 2. Iecoris indurati. 3. Cura spiritus flatuosi, & flatus ubicunq; præsertim in aluo: & de anodynis. VII. Ab- D scessus quid, eorum differentiæ & curatio. Inflammationis superficiariæ cura: item nondum suppuratæ. De scarificatione leui, profunda & mediocri. De cataplasmate ex ficubus cum farina hordeacea uel pane syncomisto: & quæ ei miscẽda sint cum amplius discutere aut siccare uoluerimus. In tumore solutu difficili quid agendum, & quomodo cauendum ne reliquiæ duræ remaneant. VIII. Suppurati tumoris, qui resolui & discuti non possit, curatio. IX. De sinu uel ulcere sinuoso curando diffuse agit. Quæ figura ei curando necessaria sit: conglutinati in fundo notæ, &c. X. De gangrænis, siue gangrænosis inflãmationibus, & earum cura. XI. De cancri generatione tum alibi, tum in mamillis: deq; elephantiasi. XII. De cura cancri. XIII. Elephantiasis curatio. XIIII. Cura strumarum, meliceridum, & hydropis. Epilogus ad Glauconem.

GALENI DE ARTE CVRATIVA AD GLAVCONEM

Liber secundus.

1 E his autē quæ in singulis cor A poris partibus fiunt affectiones, ô Glaucon, deinceps dicemus, ab inflammatione incipientes. Etenim sæpius hæc fit, plurimasq; habet differentias, ex quibus omnibus solēt febres contingere. Communis igitur in omnibus est immoderata caliditas, & ueluti quædam efferuescentia, unde & inflammationis nomē de ipsis afferre antiqui consueuerūt. B Propriam autem in singulis differentiā inuenies, ex qua eius speciem agnosces, & conuenientem assequeris curationem. Aliter enim qui herpetes, aliter quæ erysipelata, atque aliter quæ phygethla uocantur, ac reliquas inflāmationis species curabis: itaque hoc etiam in loco antecedit ea facultas qua possumus recte cognoscere affectiones. Tibiq; hoc primum conabor scribere, omnes ab initio distinguens inflāmationū differentias. Prima igitur inflāmationis differentia est secundū quam hanc quidem humidā, hanc uero siccam esse contingit: humidam quidem, quæ ex calida fluxione membrū occupante cōtingit: siccam uero, quando nullo humore influente calor naturalis efferuescit, hoc autem usq; ad aliquid quidē ueluti febris C est membri. Cum uero iam ad immoderatā caliditatem ac siccitatem peruenerit, corruptio atq; extinctio omnimoda fit. Quare neq; in plura secari potest, quemadmodum differentia altera, secundum quam quosdam influere humores particulæ dicebamus. Multæ enim sunt huius species: nam fluēte sanguine altera, flaua bile altera: ambobúsque simul humoribus, alia tertia. Et quidē in earū singulis uel iā putruit id quod influxit, aut in membro constrictū putrescit, & uel crassum est uel tenue, & uel bonum uel acre. Sanguine igitur bono ac mediocrem crassitudinem obtinente ad particulam aliquam aceruatim fluente, atq; ob multitudinem impacto, uehemens dolor arripit hominē, D nisi membrum sensum omnino hebetem habuerit, pulsusq; in profundo molestus accidit, tendiq; omnino ac frangi membrū apparet, & uehementem calorem persentit, adeo ut comburi uideatur, unde et refrigerari desiderat: talisq; rubor per summa uiget, qualis ex balneis aduenit, aut ex igne, aut quouis alio modo calefactis. Hec quidem affectio totius generis nomen accipit, atq; inflammatio nominatur, sicut multæ aliæ species nomen generis accipiunt: fitq; assidue ex omni fere occasione. Nam & uulneribus, & conuulsionibus, & contusionibus, & disruptionibus, & exercitandi laboribus, & exarticulationibus atq; fracturis, & spontaneis ulcerib. aduenit, & præter hæc omnia, quādo ad immoderatā humorum repletionem uenæ perueniunt, tunc quid superfluū effundunt ad aliquam partem quæ eo tempore recipere apta sit. Omnino autē, hæc reliquis omnibus est imbecillior, uel rarior, aut ad attrahendū paratior, uel immobilior ex quacūq; causa fuerit ad has perducta affectiones. Neq; eñ de hoc dicere proposuimus.

Flaua uero bilis quando sui seruans naturā unà 2 cum sanguine per totum corpus defertur, morbū facit qui regius appellatur. Sola uero, quando secernitur, & in aliquo membro consistit, herpes uocatur. Siquidem crassa sit secundum substantiam, totam exulcerat cutem usq; ad carnem suppositā, atq; hunc affectum Hippocrates nominat herpetem exedentem. Si uero tenuior fuerit, id quod in superficie est, tantum ueluti deurit, atq; hæc species generis sortitur appellationem, cum simpliciter & sine additione herpes uocetur. Nam ex duabus aliis speciebus quæ quidem nuper dictæ sunt, altera herpes exedens nominatur, altera uero miliaris, quoniā in hoc affectu pustulæ paruæ ac multæ per summā cutem similes miliis excitantur. Fit aūt herpes huiuscemodi ex bile quidē & ipse, sed minus calida & acri quàm sit prior. Quòd si ex sanguine et flaua bile calidioribus quàm oporteat mista fluxio fuerit, uel ex sanguine quidem, sed feruescente & tenuissimo secundum substantiam, erysipelas affectio uocatur, multo inflāmatione calidior, magisq; colorem flauum repræsentans. Et si tetigeris, facile sanguis subterfugit, rursusq; illabitur exquisite tenuis, & aspectu rubidus. Non tamen dolet hæc ueluti inflāmatio, neq; ut aliqua inflammationis species pulsum aut compresionem aut similem inuehit tentionē: sed quandoq; ualde parum infestat, ac tum præsertim, quando per solam cutem diffusum fuerit, nihil inferiorē carnem molestans, & tale sæpius accidit. Atq; hoc est exquisitum erysipelas. Quemadmodum quod attingit inferiorem carnem, neq; ex uere tenui fluxione consistit, neq; tantum est erysipelas: sed iam affectio permista ex erysipelate atq; inflammatione. Exuperant autem in ipsa quandoq; propria erysipelatis accidentia, atq; hic affectus à iunioribus medicis erysipelas inflammationis participans nominatur: nonnunquā uero inflammationis, & tunc ipsum nominant inflāmationem erysipelatis participantem. Quòd si neutrius accidentia manifeste obtinuerint, sed æqualia apparuerint, tunc erysipelas atq; inflammatio misceri dicuntur. Exquisitum igitur erysipelas cutis solius affectio est, nō tamen ipsa inflāmatio partium tantum cuti subiectarum, sed harum quidē præcipue, nonnunq; uero etiam cutis: & ipsa quidem dolorem affert, nihilominus q; altera, pulsus tamen ei deficit. Cum uero sanguis influens calidus sufficienter extiterit & crassus, quodcunq; membrorū subito occupauerit, hoc cōburendo facit ulcus cum crusta: quicquid uero circumiacet, in inflammationem leuat

effer

efferuescentem uehementerq; dolorosam. Vocatur aũt Carbo huiuscemodi affectio. Cũ uero sanguis influens niger extiterit, crassusq; ac feculẽtus ac feruens, qualis quẽ antea diximus: simul aũt & serosas humiditates nõnullas tenues admistas habuerit, pustulas quasdã per summa cutis excitat, similes ijs quæ ex igne fiunt, quibus disruptis crustosum sub ipsis ulcus inuenit: etiã hoc Carbo est.

3 Inflãmatiõis quidẽ species tot sunt secũdũ ipsam affectionis diuisę naturã. Multas uero quispiã prętermissas putaret, deceptus multitudine nominũ, ueluti à gręcis bubones, phymata, phygethla, ophthalmias, peripneumonias, pleuritidas, & multa alia similibus appellationib. dicta: hæc eñ omnia inflãmationes quędã sunt in prioribus cõprehensæ speciebus. Singula uero diuersa sunt sortita nomina, quoniã qui primi ea imposuerũt, uno nomine & affectiõis ipsius, & affectæ particulæ cõpositũ intellectũ interpretari uoluerũt. Sunt enim bubon, phyma, et phygetlon, partiũ laxarũ (quas adenas, id est glandulas uocant) affectiones. Bubon quidẽ inflãmatio. Phyma aũt, quod statim auget̃ atq; ad suppurationẽ festinat. Phygetlon aũt est, id quod erysipelas particeps inflãmationis, aut inflãmatio erysipelatis particeps nominat̃: Sic aũt & Ophthalmia eius mẽbranę, quæ corneæ inhæret, est inflãmatio. Pleuritis aũt eius quæ lateribus subiacet. Synanche aũt fauciũ. Peripneumonia uero pulmonis: eademq; in singulis ratione. Eas igitur quæ sunt in partibus apparẽtibus inflãmationes, promptũ est cognoscere: quæ aũt in occultis, & febres afferũt omnino, nõ ęque discernunt̃. At mihi uidet̃ mẽte egere perspicaci eiusmodi agnitio, ac pręterea peritia naturę membrorũ, quã ex corporũ sectione simul & exquisita scientia operationũ atq; usuũ cõparamus. De his quidẽ in alijs tractatibus diximus. Nunc uero nõ datur de his sermonẽ adiungere, quãdo tibi repente peregrinãdi necessitas ingruat. Quo pacto uero quispiã eas maxime curet inflãmationes, quæ in apertis partibus constant: hoc tibi primũ trãsigere satago, principiũ sumẽs ab ea passione, quę plurimũ fit, atq; idcirco totius generis affert appellationẽ, in qua hoc in primis cõsiderandũ existimo, q̃d & in alijs omnibus magnã uim habet, ut morbi causam inueniamus.

De causis inflammationis. Cap. II

Est igitur una quædam apparentiũ inflãmationum causa, quæ non admodũ occulta est, quæ fluxio appellatur, nisi quãdoq; illis cõiungatur, quæ aliqua alia ex causa factæ uident̃. quãdo enim nulla ex his pręcedẽte membrũ confestim patitur inflãmationẽ, ea quę hanc affectionẽ causa generat, fluxio uocatur: ipsa uero affectio, affectio fluxionis. Oportetq; in his inflãmationibus principia curationũ optima fieri: nam quæ in ipsis errata contingunt, difficulter sanabiles, aut omnino insanabiles faciunt affectiones. Sunt aũt hæc duo maxima errata, si nulla de toto corpore prouidentia habeatur, & si calefiat atq; humectetur etiã membrum. Hæc uero duo medicorũ pleriq; delinquunt, nonnulli quidẽ à methodicorũ hæresi persuasi & inflã-

A mationes omnes esse affectiones astrictas existimantes, quas elaxare oporteat. Sũt uero quidam, qui sine ratione atq; ulla cõsideratiõe istos sequũtur: Vnã excusationẽ ad male agendũ habẽtes cũ multis delinquere. Sed neque ex dogmaticis medicis quispiã, neq; ex Empiricis ita sensit, sed q̃d & ratio & experiẽtia suadet, totũ quidẽ corpus euacuare quibuscunq; id fieri debuerit euacuationibus cõsulũt: Ipsam uero inflãmatã partẽ perfundere ac superlinire eis quæ id quod influit repellẽdi uim habent, id uero quod in mẽbro patiente cõtinetur euacuãdi, uim autẽ ac robur adiungẽdi ijs quæ iam affectæ sunt partibus. Ad quæ uero inspicientes oporteat euacuare, iam & antea diximus: sed et nunc breuiter cõmemorabimus, ut in sequẽ-
B tibus memoria seruata, non sit necessarium in singulis affectionibus eas quę euacuationes indicãt, audire intentiones. Aetatẽ igitur, & tempus anni, & regionem, & præsentem constitutionẽ, & eius qui afficitur robur, habitumq;, et consuetudinem, atq; ipsam ægritudinis naturã diximus cõsiderandam: Ex his enim quãdo euacuare uel nõ euacuare oportet, & unde, & quomodo, inuenitur, Veluti in ea de qua nunc agitur affectione, ad genu fluxus deferatur, atq; hoc subito plurimum attollat̃, tibi uero totum corpus plenum sanguine appareat, & ualida laborãtis uis, tempus autẽ anni sit uer, regio temperata, æger uero sit adolescens aut iuuenis, is sanguinis euacuatione ex superioribus partibus indiget, oportetq; incidere eius in cubi-
C to uenam, aut scilicet interiorem, aut mediã. Si uero aliqua pars superior pateretur, per inferiora sanguis est educendus. Semper enim fluxionis motũ ad contrarium trahere expedit.

2 Emplastrum autẽ apponendum ex semperuiuo & corticibus malorum punicorum in uino decoctis, & rhoe, & polenta compositum: hoc enim in talibus optimum est atq; ad omnia quæ facere intendimus efficax. repellit enim id quod influit, atq; id quod continetur exiccat, & membra circumstantia corroborat: innumeraq; alia medicamina eodem modo componere licet, quorum compositionis uiam ac modum in libris De medicamentis didicisti. Vnde ego quoq; in singulis unum aliquod tibi subijciam futurum tibi & monumentum, & eius quæ est in
D alijs facultatis exemplum. Siquidẽ igitur non admodum doleãt, istis utendum est: cum magno autem dolore fluxu incidente, ne sic quidẽ oportet, neq; aquã calidã, neq; oleum, neq; farinæ triticeæ cataplasmata afferre: hęc enim omnia fluxionibus aduersantur, quãuis ab initio aliquid iuuare uideantur. Sufficit autẽ in huiuscemodi affectibus uehementiã doloris mitigare cum aliquo ex his, quę ex passo, & oleo rosaceo, & pauca cera, quæ in utroq; sit liquefacta componuntur. Oportet autem hæc lanis excipere sordidis, quæ plurimum œsypi habeant, & æstate quidem frigida, hyeme autẽ tepida apponere. Sic etiã cataplasmata ex arnoglosso, lẽte, pane, & rosaceo oleo adhibere, paululum autẽ supra patientes particulas apponere spongiã uino acerbo intinctã, aut aqua frigida: melius ue-

ro fuerit, si parum aliquid aceti adiungatur. Quòd si hæc cura insigniter profuerit, neq; alicubi pus se ostenderit, emplastris mollibus ad fluxionẽ utendum. Optima uero ex ijs sunt quæ exiccandi & repellẽdi, qui fluit sanguinis, sine dolore uim habẽt: Nam ea quæ uehementer intendunt, atq; idcirco dolorem afferunt, plus doloribus obsunt, ꝙ exiccando proficiunt. Tale igitur oportet esse medicamen, quale nobis est, quod ex chalcitide constat oleo rosaceo dissolutum: si uero lanam mundam uino acerbo madefeceris, & exterius apposueris,
3 plus iuueris. Quòd si pus se in particula ostenderit, cataplasma imponere oportet semel aut bis: plus uero in præsentibus iuuat id quod fit ex farina hordeacea: adiungendum tamen & in his aliquid uel aceti uel uini. Et postquã secueris, & pus euacuaueris, cauendũ est deinceps, ne oleum aut aquam imponas: & si quando uulnus abluere aut abstergere oporteat, melicrato uel oxycrato & uino & mulso utendum. Superponendũ uero si adhuc inflãmetur, ex lente cataplasma. Si uero sine inflãmatione fuerit, aliquod ex his medicamẽtis, quæ emplastica uocantur, quibus in huiuscemodi sectionibus uti cõsueuimus, & præcipue eo quod ex chalcitide constat: apponendũ uero super hæc extrinsecus spongiam aut lanam uino acerbo perfusam, ꝙ si acerbum nõ affuerit, tanto aceto aqua temperanda, ut adhuc potari possit, atq; hac intingendum. Sunt uero & ad hoc opportuna ea uina quæ aliquid aquę marinæ recipiunt, & tu quoque ubi sit opportunum, potes conficere permiscendo sal ei quod affuerit, uulneri autẽ nullum ex medicamentis quæ oleosa sunt apponendum, quale est Macedonicum, & quod tetrapharmacum nominatur: nam exquisite exiccare expedit. Ita quidem sanare oportet eas quæ ex fluxione sunt inflãmatiões. Quæ uero alia ex causa fiunt, humectare & calefacere nihil prohibet. Et si ad suppurationem perducere uolueris, cataplasma ex farina triticea quæ in oleo atq; aqua ebullierit apponendũ. Et si quãdo scarificare oportuerit, neq; hoc uerendum est. Si uero eas quæ ex fluxionibus fiunt inflammationes scarificaueris, magnum afferes malum, præsertim per initia. Nam quæcunq; ex ipsis longioris temporis existẽtes post totius corporis euacuationem, atq; aliam opportunã curationem quasdã durities atq; nigrities in membris habent derelictas, his sanguinẽ auferre nil prohibet: neq; enim amplius hæ in numero inflãmationum habendæ sunt, sicuti neq; erysipelatum, si quid iã
4 liuidum sit. Etenim & hoc per initia quidẽ infrigidandum est, tunc præsertim cum sine manifesta occasione factum fuerit: quãdo uero iam illi deerit feruor, & scarificare conuenit, atq; emplastrum ex farina hordeacea calidum, & cerotum, & aliud aliquod medicamen ex dissoluentibus apponendum: nõ tamen ex uena in talibus sanguis mittendus est, sed uentrẽ tantummodo expurgare sufficit, dandum autẽ medicamen, quod bilem flauam educat. Si uero affectio parua fuerit, neq; hoc facere est necessarium, sed sufficit clysteri acri uti. Quæ

A uero ex ulceribus fiunt erysipelata, & quæcunq; adeo manifestas causas habent: si statim uolueris cataplasma apponere ex farina hordeacea, & præsertim si antea scarificaueris, nihil nocebis. Inflammationibus uero quæ cum erysipelate coniunctę sunt, & erysipelatis cum inflãmatione iunctis, mista quantum fieri potest curatio est adhibẽda, semperq; illi quod magis superat, resistendum. Et eorum quoq; quæ bubones & phymata & phygethla à Græcis dicunt̃, similẽ ijs quæ in alijs partibus similes accidunt affectiones, curationem oportet adhibere, pręterq; in partibus quę acriora medicamenta in eiusdẽ affectibus possunt tolerare, quemadmodum laxiores partes quas glandulas uocãt.

Herpetes aũt quantum ad totius corporis eua- 5
B cuationem attinet, ut erysipelata curare oportet, quantum uero ad ipsius particulæ patiẽtis locum non omnino similis cura adhibetur. Nam qui exedentes sunt, refrigerari quidẽ desiderant similiter alijs herpetibus & erysipelatis, nõ tamẽ ea ferunt medicamenta, quæ præter id quod refrigerant, etiam humectare natura apta sunt, sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiã maxime possunt exiccare. Non igitur uel lactucã uel polygonum, neq; ex stagnis lentem, aut palustrẽ lotum, uel anthyllion, uel psylion, uel portulacã, uel serim, uel semperuiuam, uel tale aliquid quod refrigerare possit atq; humectare, apponẽdum, quæ erysipelatibus erant opportuna: neq; unq; spongię fidas frigida aqua perfusæ, neq; solano, quãuis refrigerandi atq;
C unà exiccandi uim habet sed mediocrem. Illi uero maiorem ꝙ solano adsit, expetunt siccitatẽ. Ipsis igitur superimponere oportet ab initio quidẽ ex uite capreolos, & folia rubi, & rubi canini, & arnoglossi, post hæc uero & lens adiungenda, & aliquando mel, & polenta, & quod antea scripsimus ad inflammationes quæ ex fluxione eueniunt, cataplasma, dempta ab eo semperuiua. Ipsa uero loca exulcerata inunge medicamentis quæ ad herpetas in libris qui Pharmaceutici dicũtur, scribuntur. Multa uero huiusmodi apud omnes inueniuntur, plurimaq; ex his ad figuram paruorum circulorum formantur, & ubi uti uolueris, ex passo liquefacere oportet: quòd si passum non affuerit, tenui & albo & subaustero quale est Falernum &
D Massilioticũ & Sabinum & Adrianum & Arsyinum, utendum est. Cauendum tamen ne ob antiquitatem aliquam contraxerit in gustu acritudinem: & si pusca aquosa loco horum aliquando usus fueris, nil deterius feceris. Iam uero in longum tẽpus protractis ulceribus, neq; passo circuli parui sunt diluendi, neq; pusca adhuc aquosa sit, & uina quæ sunt sufficienter austera conueniunt pręcipue uero nigra: & si ea nõ affuerint, alba. Medicamina autem in hoc tempore ipsis præcipue sunt accommodata, & quod Polyidæ uocatur, & Pasionis & Musæ & Andronis & quæcunq; alia his similia sunt. Herpetas uero qui summa tãtummodo exulcerant, nisi diu perdurauerint, nullo horum inungere oportet, comburunt enim fortiter, & uehementer exiccant. Verum istis sufficiunt

quęcunq; uim glaucij habent medicamẽta, diluere autem maxime quidem aqua. Quòd si nil profecerit, etiã acetũ adiungere oportet: quòd si etiã solani succo intinxeris, aut arnoglossi, plus etiã proficies.

6 Summatim uero hęc te cognoscere oportet, quòd omne ulcus siue sponte, siue ex accidenti, siue ex uulnere factũ fuerit, exiccari desiderat medicamento (ut inquit Hippocrates) nõ aspero, hoc est non mordente, neq; uehemẽter irritante, præterq; ubi malignũ & cum putrilagine fuerit: talia enim acriora expetunt medicamina, & quæ ignis uires habent, quale est misy & chalcitis & arsenicũ & calx & sandaracha: etenim nõ aliter quàm ignis adurunt medicamenta huiuscemodi: sæpius uero ubi ista cesserint, ipsum ignẽ adhibemus. Eadem ratione & his qui carbones appellant, super ipsam crustã, ubi præcipue membrũ putrefit, huiuscemodi medicamẽtorũ species cõueniens est, non tamẽ loca circumiacẽtia tangere expedit, ne teipsum lateas ea exulcerans quæ minime expedit, sed antedictis circulis paruis siue pastillis utendũ est, qualis est qui Andronius nominať. Si quando uero rubor inualuerit et plurima inflammatio, medicamentũ passo diluendũ, uel arnoglossi succo. Si uero magnus sit tumor, uino quidẽ acerbo in principio, postmodum uero & aceto. Cataplasma etiã ex orobi farina & oxymelite cõfectũ apponendũ: atq; ante statim ab initio tantũ sanguinis auferendũ quantũ sufficit, nisi aliud prohibuerit.

7 Hæ quidẽ sunt affectionũ per genera curationes, quæ per naturę instrumentorũ patientium uarietatẽ mutanť. Quatuor uero sunt ab his indicationes, ab eorũ tẽperatura, à formatione, à situ, atq; uirtute. A temperatura quidẽ, si nonnulla quidem ex ipsis natura sicciora sunt, nonnulla autem humidiora, quædã frigidiora, quædã calidiora existunt. Et secundum cõiugationẽ humidiora ac calidiora, uel humidiora & frigidiora, uel sicciora & calidiora, uel sicciora atq; frigidiora, aut ex toto temperata, oportetq; in curationibus intentionẽ haberi ad membri naturã: hęc enim quousq; infrigidandum aut exiccandum sit docet. Nam si carnosę partes inflammationẽ patiuntur, paulũ exiccandæ sunt: uenosæ quoq; quamuis sint carnosis sicciores, non tamen & ipsæ multum exiccari desiderant. Sed quæcunq; natura arteriosæ sunt, magis uenosis sunt exiccandæ, atq; his amplius neruosæ, & multo magis his cartilaginosæ & osseæ. Nam priusquam ad propriam naturam particula redeat, nondum curationi impositum finem arbitrandum. Ad sicciorem uero temperaturam reducunt, quæ natura sicciora sunt, & ad frigidiorem, quæ frigidiora, & secundum alias qualitates eodem modo. Ad mediocrem uero habitum referunt, quæ sunt in singulis mediocria: Sic quidẽ partium temperaturæ affectionũ uariant curationes. At formationes hoc modo: nam quædam ex ipsis intus habent spaciositates, quædam extrinsecus, quædam utrinq;, quædam neutra parte. Veluti ex simplicibus arteriæ ac uenæ & nerui: quę quidem in artubus sunt, intus: quæ uero intra peritonæũ,

A utrinq;. Nerui autẽ qui artubus sunt, neutra parte: qui uero intra peritonæum, ex altera parte. Visceribus autem ferè omnibus intrinsecus atq; extrinsecus sunt magnæ laxitates: ac præterea caro ipsa in pulmone quidem spongiosa, contra uero in renibus densissima, & post hanc hepatis caro: splenis uero caro quanto densior est ea, quæ in pulmone est, tanto illa quæ in hepate rarior. In omnibus igitur his quæ neutra ex parte cauitates & receptacula superflui fluxus habent, fortiter exiccare oportet, etiamsi non fuerint natura sicciores sicuti nerui, & præcipue illi qui sunt in artubus. Sed quę intus & extra aliquid inflammationis possunt relaxare, non multum huiuscemodi fortiter exiccantibus egent, si præsertim laxam carnẽ habuerint,

B quemadmodum pulmo. At ex positu indicatio, neq; ipsa negligenda est: nam per quæ euacuare oporteat, atq; quomodo, ipsa præcipue demonstrat. Influentium igitur adhuc humorum, retractio, sic enim Hippocrates nominat: eorũ autem qui iam membrum obsederunt, deriuatio medela est. Vtrunq; autem euacuationis genus per communes uenas fieri præcipit, ueluti in locis muliebribus in contrarium trahes, si eas quæ in cubito sunt, secueris uenas, aut mamillis cucurbitas apposueris, uel manus concalefeceris, & fricueris atq; deligaueris. Deriuabis autẽ, si eas quæ in poplitibus aut malleolis sunt uenas diuiseris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris atq; deligaueris. Et siquidem in parte dex-

C tra locorum affectio fuerit, à dextra manu aut crure detraxeris sanguinem: si uero in sinistra, ab artubus quæ illi è directo sunt. Quod eñ ab ipso Hip. Cať ixin, dicitur, hoc ipsum est, secundum rectitudinem. Interiores autem uenas incidere oportet: hæ enim uiciniores magisq; è directo sunt patientibus membris. Nam si splene inflammationẽ patiente sanguinẽ uis euacuare, interiores in manu sinistra uenas secato: etsi hepate, eadem ratione in dextra. Si quid uero ex superioribus inflammationem habuerit, ueluti in his affectibus quos Græci synanchas & ophthalmias uocant, & quicũq; alij capiti aduenerint, eas quæ extrinsecus sunt atq; è directo. Patientibus uero artubus à cõiunctis euacuatio fienda, siue retrahere uelis, siue deriuare,

D præterq; ubi affectio sit inueterata: tũc eñ à membro ipso patiente detrahimus. Sic igiť in synanchicis eas quæ sub lingua sunt uenas incidimus, quando iam totũ corpus uacuũ se nobis obtulerit, affectio uero sit diuturna. Sic et hepati et spleni cucurbitulas applicamus: sic & aliud quodlibet patiens membrũ scarificamus, si nõ amplius humores influant: (tũc enim magis irritaueris, ac malũ duplicaueris) sed quãdo iam totũ corpus expurgatum fuerit, neq; iam aliquid influit, aliquid uero quod pridẽ influxerat in mẽbro cõtinetur. Et quidẽ laborantibus gibbis hepatis partibus quod per urinam trahere oporteat: cõcauis aũt per excretionẽ inferiorẽ, situs ipse uisceris indicat: atq; etiã quod thoracẽ & pulmonẽ per tusses expurgare: uẽtriculum aũt & stomachum per uomitus: intestina aũt

r 4 per

per inferiores excretiones: quemadmodũ & splenem & renes per urinas: locos autẽ muliebres per menstrua: cerebrũ autẽ atq; eius membranas per palatũ & gargareonẽ & nares & aures. Sed & ꝗ ijs quę in superficie sunt partibus talia medicamẽta apponere oporteat, qualibus eget affectio, atq; ijs quæ in profundo sunt, & quas per multa interposita debent eorum uirtutes attingere, nõ qualia nũc sint, sed qualia futura sint, ex situ mẽbrorũ agnoscimus. Quare siue medicamentũ est ex ijs quæ extrinsecus apponuntur, siue ex ijs quę comeduntur aut bibunt, non præsens eius uis cõsideranda est, sed ea quę ad mẽbrũ affectũ sit peruẽtura. Hęc igitur quæcunq; in pulmonis inflãmationibus extrinsecus thoraci applicant medicamenta, ualde fortiora atq; acriora natura sunt, ꝗ si ipsa membro patienti apponerent. Quod enim per multorum corporũ media ipsi mẽbro patienti est occursurũ, obiter debilitatur, et uiribus deficit, si ab initio fuerit imbecille. Tantũ igitur aduẽtitij roboris adiungere oportet, quantũ in trãsitu amittitur, ut quod relinquitur, æquale remaneat ei quod tactu iuuat. Ob id igitur in thoracis inflãmationibus, quæ in parte summa cõsistũt, ea quæ solum relaxare possunt sufficiũt. Intrinsecus autẽ, sicuti in membrana succingẽte, acriora sũt necessaria. Et de splene etiã atq; hepate, omnibusq; uiscerib. intra peritonęum ratio eadem. Sæpius enim ex medicamentis impositis ulcerat cutis, quamuis durior minusq; ad patiendũ habilis, quàm uiscera. Et si ipsis uisceribus medicamenta applicare possemus, quibus quandocunq; indigent, tanto molliora esse oporteret, quanto & ipsorum natura facilius afficitur: & quidem omnia quæ comedere uel bibere iubent medicamenta in uiscerum affectionibus, hæc multo acriora ac potẽtiora uiribus esse conuenit præ his quibus indigẽt membra morbis affecta, exceptis illis quæ & uentriculo & stomacho auxiliantur. hæc enim sola talia exhibentur, qualia ab affectionibus exiguntur: reliqua uero omnia maximam acritudinem ac uirium potentiã habent, quę præsertim uel renũ, uel pulmonis gratia dantur. Considera itaq; quot numero partes pertransire oporteat id medicamen quod ad pulmonẽ sit peruenturũ: primũ quidẽ os, & fauces & stomachũ: deinde & uentriculũ ipsum, & quædã ex tenuioribus intestinis: deinde eas quæ sunt in mesenterio uenas: deinde eas quæ in cauis partibus hepatis, ex quibus ad eas quæ in gibbis trãsumptum: hinc ad concauã peruenit uenã: post quã ad cor: deinceps hoc modo ad pulmonẽ. Neq; negare possumus, quin in singulis partibus his, quibusdã admisceat humoribus, ac quandã transmutationẽ atq; alterationẽ pro natura uisceris capiat: quare quod de eius uirtute relinquitur, minus omnino est atq; im-
8 becillius, ꝗ ut mẽbrũ affectũ iuuare possit. Quæ igitur à situ partiũ indicatio sumitur, tantũ curationẽ euariat: quæ uero à uirtute, quantũ nunc dicturus sum. Quoniã ex partibus corporis nõnullæ ab influentibus uirtutibus gubernant: quædã uero à proprijs atq; natiuis, atq; ex his ipsis quædam sibi

A duntaxat, quædã etiã alijs fons & origo sunt quarundã uirtutũ, & aliæ quidẽ opus habent peculiare, aliæ autẽ cõmune, permutare opus est curationis formã pro ratione earũ quas diximus differentiarũ. Nam pleraq; ex ijs remedijs quæ antea memorauimus, morbum quidem finiunt, sed natiuas membrorũ uirtutes offendunt, quæ quidẽ offensio ad totum corpus pertinet. Quod dupliciter fit, quatenus & mẽbrũ est alicuius uirtutis origo omnibus partibus cõmunicatæ, aut ipsius opus toti corpori utile est. Hepar enim, cor, cerebrũ, & testes communiter uniuerso corpori principia sunt uirtutũ: uentriculo quidẽ, atq; locis muliebribus proprię insunt uirtutes nulli alteri parti cõmunes. Opus uero uentriculi quidẽ toti corpori cõfert, lo-
B corũ autẽ nequaꝗ. Nocet autẽ sæpius affectionis curatio membri patiẽtis uirtuti. Quæ enim immoderate laxant, soluunt robur, quare & membri uirtutẽ. Quæ autẽ supra modum refrigerant, natiuũ calorẽ extinguunt, qui fortassis (ut nonnulli arbitrant philosophi ac medici summi) substãtia uirtutum existit: & si non hoc, saltẽ primũ & maxime necessarium ipsarũ instrumentũ. Iam uero & qualitates quædam extraneæ uirtutes dissoluere possunt. Nihil igitur horum in curationibus prꝥterire oportet, ne nosmetipsos lateamus, in eum incidẽtes sermonẽ: Morbus quidẽ curatus est, homo autẽ obijt: quod à quamplurimis quotidie factitari uidemus, qui rationi experientiã sine ratione preferũt, atq; hæresim methodicã omnia artis bona de-
C struentem, & quæ sermones aliquos dogmaticos quidẽ habet, sed multis errorib. plenos, cõsectant. In indicatione autẽ quę habet ex uirtute partium, quispiã etiã reposuerit & facilitatẽ & difficultatẽ ad sentiendũ. Nã quæ facile sentiunt, acria medicamenta non tolerant, sicuti neq; etiam humores. Nam cum acris humor in uentriculi ore continetur, sæpius animi defectũ patiuntur. Quòd si mediocris sit affectus, anxietatem & nauseam habẽt, & nonnunq; humorẽ quo infestantur euomunt: nonnunq; uero frustra lancinantur, hocq; in illis maxime affectibus accidit, in quibus in ore uentriculi uitiatus humor imbibitur. Eodem pariter modo cum ad oculos huiusmodi defluxerit humor, maximum affert dolorẽ, & pustulas exulceratas,
D quæ difficulter curã recipiunt, excitat. Sic quoq; rursus oculi ipsi ob eam quã habẽt ad patiendum facilitatẽ, tolerare nõ possunt acriũ medicamentorũ uicinitatẽ, quẽadmodũ neq; etiã uentriculi os: quinimo nec aliqđ extrinsecus aggrauans hæ particulę tolerãt, & magis uẽtriculo oculus, qui nonnunq; etiã ab ijs quæ inungunt grauatur. At quæ difficilẽ sensum habent, hæc cataplasmata grauia sustinẽt, & medicamẽta mordacia. Si quis igit̃ uelit ex facilitate sentiẽdi indicationẽ illis quatuor, quas antea memorauimus, quintã annumerare, uel in ea cõprehendere quę ex uirtute sumit, nihil
quantũ ad recte medicandum differat. Has igi- 9
tur omnes indicationes memoria habere oportet in quacunq; particula morbo aliquo affecta: nã & ipsius temperatura, & formatio, & situs, & uirtus singulas

A singulas quæ in nobis fiunt operationes commutant, cõmuni intẽtione seruata: hanc enim ex morbo semper assumẽdam esse docuimus. Qui igitur secundum solam & simplicem intemperiem morbi fiunt, per contrarias qualitates curantur. Calida quidem intemperies per refrigerãtia, siue primo, siue ex accidenti refrigerent. Frigida uero, per calefacientia: sic sicca per humectantia, humida autem per exiccantia curantur. De eo uero quod primo calefacit, aut ex accidenti, plenè (ut nosti) diximus in eo tractatu quem De simpliciũ medicamentorũ potestate cõposuimus. Vbi id quod primo frigidum est, quandoq; ex accidenti calefacere ostendimus, quemadmodũ aquæ frigidæ affusionem, ubi caloris naturalis fecerit reuocationẽ: & calidam refrigerare, cum rarefaciendo corpus caliditatem fecerit euaporare.

B Quæ igitur secundum solas actiuas qualitates corporis sunt alterationes, ex sola quæ ex calefacientibus, refrigerantibus, humectantibus, atq; exiccantibus potestate adhibetur, ad naturalem habitum restituuntur, neq; sensibili egẽt euacuatione. Quę uero ob materiæ influxũ, siquidem bene temperata sit, solam euacuationem desiderant: si uero uitiata, euacuationẽ, atq; unà per contrarias qualitates expetunt alterationẽ, euacuationẽ quidem, ueluti qui rheumatici dicuntur affectus. De quibus (ut nosti) unum à nobis uolumen est editũ, in quo & hoc statim ab initio ostensum est, quòd ea quæ totũ corpus alit facultate debilitata, huiusmodi fiunt affectiones, cum aceruata superfluitas ad partes præcipue defluat imbecilles.

C Si tamen per rheumaticam affectionem sanguis qui in huiusmodi partes fluat, fuerit uitiosus, mista oritur affectio, quod forte rarissime euenit. Sanguis enim sine pituita aut flaua aut atra bile influens, tenuis semper mihi substantiæ apparuit. Ex alia autem quapiam causa si pars intumeat considerandum est, an huiusmodi affectus sit phlegmone, an scirrhus, an œdema. Nos enim omnem calidam ac ueluti flammeã affectionẽ nominamus phlegmonen, id est inflammationem, cuius differẽtias paulo ante diximus. Tempus itaq; est ut de œdemate quàm breuissime subijciamus, ut memineris eorum quæ latius de hoc nos dicere audiuisti.

De Oedemate. Cap. III

D Oedema autem uocamus tumorẽ mollem, doloris expertem, quem ex pituitosa substantia aut spiritu uaporoso fieri constat, qualis etiam in cadaueribus euenit. Nonnunq; etiã in pedibus & cruribus eorum quos aqua intercus uexat, et in phthisicis, & alijs qui malo habitu (Græci cacexian uocãt) laborãt. Verũ tale œdema in periculosis illis affectionibus accidens est, nulla propria præcipuaq; curatione indigẽs. Sola enim frictio ex oxyrhodino, aut nonnunq; ex sale & oleo, uel etiã ex sale iniecto oxyrhodino sistit ipsum, aliaq; huiusmodi multa. Cum uero propter pituitam quæ parti influxit huiusmodi fit affectus, spongia in aqua quę parum aceti habuerit tincta, affectionẽ sedat: quæ si non quieuerit, plus aceti miscendũ est: sit tamẽ moderata ipsius temperatura, ut possit ipsam quispiam bibere. Quæ autẽ ex ea plus aquæ cõtinet in principio adhibenda est, maxime in mollibus corporibus. Quæ uero hac fortior fuerit, in robustis & duram habentibus cutem, & qui ad primam spongię appositionẽ non iuuantur. Oportet autẽ spongiã omnino nouã esse, quæ si non affuerit, saltẽ exquisite abluatur ex aphronitro & nitro, & ex ea quæ conia stacte, id est lixiuiũ distillatũ à Græcis nominatur. Quòd si ex his œdema nõ quiescat, aluminis parũ adijciendũ est, spongiaq; omnino noua applicetur. Si uero in aliquo ex artubus tale fuerit œdema, incipiendo ligaturam in imis partibus finire oportet in altioribus, iniectionem & compressionem & uniuersam distributionem faciendo, uelut in fractionibus.

De Curæ intentione. Cap. IIII

Curationis enim intentio in huiusmodi affectibus mista est, una quidem ut eorum substãtia dissoluatur, alia ad congregandum & cõstringendũ. Si igitur per ea quę dicta sunt non sedetur, tunc aliquid quod fortiorum medicamentorum temperaturam admistam habeat, ex dictis potestatibus adijciendum est. Ego in diuturno œdemate prius oleo ungens, deinde spõgiam ex lixiuio apposui, atq; cõstringens uehementius affectũ perfecte curatũ uidi, non amplius uidelicet hac curandi regula habente mistã facultatũ cõtemplationẽ, sed ad discutiẽdũ & incidendũ declinãte, id quod in omnibus ferè diuturnis affectibus ꝓbatũ haberi non ignoramus. Postquã uero satis ad te de œdematis scripsimus, de duris deinceps tumorib. dicẽdũ est.

De Scirrhis. Cap. V

Exquisitus scirrhus est tumor præter naturam sensu priuatus durusq;: non exquisitus uero non omnino insensibilis est, difficulter tamen omnino sentit. Scirrhus igitur insensibilis curam non recipit: qui uero difficulter sentit, nec incurabilis est, nec facilem curationem admittit. Fit autem ex humore lento & crasso, uix solubiliter induratis partibus infixo. Interdum itaq; statim à principio cõgregatur paulatim & augetur: crebrius uero medicorum imperitia paratur, cum uehementer erysipelata & inflammationes adstringunt & infrigidant. Si quis igitur medicamenta uehemẽter dissolutiua induratis corporibus adhibuerit quæ manifestam faciant scirrhi diminutionẽ, breui tẽpore sperabit perfectam curationẽ, non uere, ignorans ꝙ residuũ affectionis hoc curationis modo incurabile redditur, tenuiori enim ex eo dissoluto humore residuũ exiccatum lapidis duritiẽ assequitur. Non igitur curandæ sunt partes induratæ medicamento immodice siccante, sed cũ eo quod calorẽ habeat tepidũ, humiditatẽ uero nec multã nec omnino minimã. Quod enim superfluum humorẽ habet, nihil omnino dissoluit: quod uero minimũ, plusquam oportet exiccat. Oportet autem induratum corpus à medicamento quod auxilio futurum sit, simile quid pati his quæ sub sole funduntur. Vocantur autẽ mollificantia huiusmodi medicamenta, de quibus amplius diximus in quinto li-

bro tractatus qui De simpliciũ medicamẽtorũ uiribus inscribitur. Exẽpla quoq; ipsorũ dicta sunt ex simplicibus omnes medullę atq; adipes. Ex medullis primas partes obtinet ceruina, deinde uitulina: ex adipibus autẽ adeps anseris in uolucrũ genere: leonis uero in pedestriũ cæteris præstat. At uero qui ex gallina sumit, anserinũ, & qui ex pardo leoninũ sequitur, ac deinde ursinum, atq; taurinũ. At qui de capris accipitur & crassior & siccior prædictis est, idq; magis si ab hirco capiatur. At iam dictum est q; huiusmodi affectus medicamentis uehementer siccantibus non indiget. De differentia uero quæ ex eorum tenuitate crassitudineq; oritur, indicatiue quidem dictum est, manifeste uero nequaq; adhuc: idcirco in memoriã tibi reuocanda sunt quæ inuicẽ cõmentabamur, quando Cecilij puerulũ curabam, cui ex erysipelate nimis infrigidato atq; astricto tumor durus in toto femore relinquebatur. Existimauimus enim medicamenta, quæ ipsum curare deberẽt, tenuia esse oportere, quare femur oleo perfundebam in profundam peluim posito puero, quæ multum Sabini olei continebat, eo q; omniũ tenuissimũ ipsum esse sciebam: à balneo uero abstinebam, nisi in longo interuallo dierum totius corporis curandi gratia. Postq; uero partem fouimus, medicamenta ex prædictis medullis & adipibus confecta adhibuimus, miscendo nonnunq; bdellium Scythicũ, mastichen Aegyptiã, atq; Ammoniacum thymiama uocatum, quod pingue & non uetustũ esset: similiter & galbanum. Et postq; per hæc præparatum fuerat, soluens ammoniacum pinguissimum in acerrimo aceto, circumliniui totũ femur circumcirca: deinde per aliquot dies rursus opopanacẽ multæ pinguedinis miscui aceto acerrimo dissolutũ, & hunc quoq; recentẽ, alioquin pinguis non permaneret: quemadmodũ nec bdelliũ, nec ammoniacum, neq; etiã galbanum: iussiq; puerum alterum crus agitare, ut plus cibi ad illud ferretur. Postea ubi repulsus erat iam durus tumor, timens ne eius residuum maneret, omnia è contrario facere aggressus sum, femur ex aliquo medicamẽto eorũ quæ pice cõstant perungens. Manifeste itaq; clarebat q; ex aceto linimenta egregie tumorẽ cõminuerãt: laxatiua autẽ molliorẽ reddiderant, minorem autẽ nequaq;: uicissim tamen eis utendo adhibito conuenienti moderamine puerulum curaui. Nam si altero duntaxat medicamentorum genere quis curã attentasset, nihil ad scirrhi solutionem profecisset. In tendonibus (uoco autẽ sic neruosas musculorum propagines) ex prædictorum medicamentorũ usu manifestissima auxilia uideri licet, si quis recte utatur curatione ex pyrite lapide. Oportet aũt eum, cum igne excanduerit, acerrimo aceto aspergere, ac deinde super lapidẽ mouere partẽ affectam, ut à uapore sursum lato scirrhus dissoluatur. Multæ enim partes iam perfecte distortæ ac mutilatæ, per hunc curationis modum, ex hac ipsa cõmotione penitus curatæ sunt, ut fere magicum opus uideretur. At oportet præparare mollificando partem induratam medicamentis de quibus supra diximus. Etiamnũ in hac ipsa quæ fit per pyritem lapidem curatione, abunde multum oleum Sabinum prius perfundendum est, aut aliud quod extenuandi uim habeat. Nec minus proderit anethi comam decoquere, præsertim cum uiridis fuerit atq; recens. Quòd si pyritem habere non possis, molari utendum est, uocant autem sic lapidem ex quo mola paratur, & qui frumentum molit.

De Splene indurato, & hepate, & spiritus flatuosi cura. Cap. VI

Splenem induratũ non solum de foris fortibus medicamentis curare cõuenit, sed etiã per fortissimas potiones: nã eas sine molestia tolerat. ex quorũ numero primas partes sibi uendicãt cortices radicũ capparis, & scolopẽdriũ, & miricæ radix, atq; cumitates, omnibus huiuscemodi in aceto uel oxymelite coctis. At sępenumero cũ tangit splen renitens uidet, nõ tamẽ durus, sed flatuosus potius est tumor, in quo oportet ex absinthio madefacientẽ medicamen emplasticũ mistas uires cõtinens superponere, quale est quod ex sulphure atq; alumine cõstat. Sunt deniq; multa huiuscemodi in Medicamentorũ tractatibus descripta, nõ simpliciter autẽ mistorũ medicamentorũ uiribus attẽdendũ est, sed & quantũ miscet. Cũ itaq; splen flatuoso tumore afficit, et magis œdemate: si multũ aluminis adhibueris, nihil nocebis, in duris autẽ tumoribus uim dissolutiuã superare conuenit: parũ autẽ eius quod stringendi uim habet, admiscendũ est. Cum igit de numero simpliciũ & sponte nascentiũ medicamẽtorũ flos salis tali sit natura præditus, sanat splenes induratos, si extrinsecus ipsis in uesica apponatur. Scirrhum autẽ hepatis ab initio quidẽ 2 sanauimus sæpius: Vbi uero ad plures dies forte foret extensus, neq; ipse potui sanare neq; alium uidi qui posset. Omnibus igitur qui ita affecti sunt ex hepate, subsequit aqua intercus: pereunt autẽ quàm plurimi in tẽpore longo: quosdã uero noui etiã breui pereuntes, qui uentris profluuio laborabant. Liquet igit q; his sufficiẽter angustata erant ora uasorũ, per quæ transmittit cibus ex simis hepatis partibus in conuexas, adeo q; si qui ex eis sanati sunt, ea quã antea diximus, in musculosarum partiũ scirrhis curationis ratio saluauit: neq; enim perfert hoc membrum fortia medicamẽta, ueluti splen. Augere autẽ oportet ea quæ ratione inflammationis ipsi apponunt per mollificantiũ ammistionem: erãt aũt illa ex absinthij coma, & expressæ myrobalani retrimento, & utraq; nardo Indicaq; ac Celtica, adhuc autẽ & croco, & œnanthe, & mastiche chia, & unguentis quæ ex spica nardi conficiuntur, adhuc autem & mastichino & melino & œnantino. Hos igitur ammoniacũ thymiama, & bdellium & quas diximus, medullæ, & adipes misti, & quæ incidere possunt factum in hepate scirrhum sanare poterunt, si etiam ratio conueniens uictus adhibeatur una cum medicamentis quæ in potu sumuntur ad aperiendum abstergendumq; eum qui in uiscere continetur humorem. Sunt uero hæc omnia etiã eos qui in renibus continent lapides cõminuere apta, de quorum mate-

ria multi medici cõscripserũt. Admiscere aũt opor
tet & ex his quæ urinam mouere possunt aliquid.
Plurima uero est etiã istorũ materia quæ à multis
quidẽ scripta est, atq; à nobis cõprehẽsa in eo quẽ
De medicamentis scripsimus tractatu. Quare
3 nunc etiã quę dicta sunt tibi sufficiant. Tempus e-
nim est trãsgredi ad alterũ tumoris genus, cui ma-
teria generationis est spiritus flatuosus. Vocat̃ au
tem nõ solũ flatuosus, sed etiã flatus huiuscemodi
spiritus crassus ac uaporosus existens, non secun-
dum substantiã æthereus neq; tenuis. Cogita uero
eius naturã ex circũstante nos aere in memoriam
reuocans: qualis in Austrinis fit constitutionibus,
qualisue in Aquilonaribus: ei enim qui in Austra
libus fit, assimulat̃ flatuosus: alteri uero qui in A-
quilonaribus, is qui in nobis secundum naturã est
spiritus. Adiuuat aũt ne huiuscemodi spiritus dis-
fletur, etiã densitas corporũ: quare huiusmodi affe
ctus curatio cõmunẽ habebit intentionẽ ad rarefa
cienda ea quæ dẽsata sunt corpora, atq; ad crassos
spiritus extenuandos. Nam si cũ subtiliori substan
tia sufficienter calefeceris, id quidẽ quod densatũ
est, rarefacies: quod uero crassius est effectũ, exte-
nuabis. Patientiũ autẽ particularũ natura cõueni-
entẽ auxiliorũ materiã coindicabit, magisq; ac mi
nus in ipsa. Nam spiritus iste crassus & uaporosus
nonnunq; sub mẽbranis quæ integunt ossa, cõpre
hendit̃: nonnunq; uero sub peritonæo, aliquando
intra intestina uel uentrẽ: comprehendit̃ uero ali-
quando & intra tunicas quæ musculos cõplectun
tur, quẽadmodũ & à mẽbranosis tendonibus: cõ-
prehendit̃ etiã ab ijs quæ ratione cognoscunt̃ spa
tijs, in musculis atq; alijs partibus corporis, quorũ
locorũ naturã in tractatibus De sectionibus didi-
cisti. Ita igitur etiã ipse musculus inflat̃, atq; in uen
tris uel intestinorũ corpore flatuosus includit̃ spi-
ritus. Et cũ sufficienter frigidus fuerit, tunc maxi-
mum dolorẽ excitat. Cõmunis autẽ curatio omni
bus (quemadmodũ diximus) per subtiliorem sub
stantiã & quando affectio dolorẽ habuerit adiun-
ctum talẽ habentẽ naturã ut dolorẽ talẽ queat se-
dare: secundũ uero patientiũ partiũ differentiã &
materia curationis cõmutatur, & augetur, atq; ob
tunditur uis. Cũ igitur ex tali spiritu dolor interue
nerit, in uentre inferiore subtile oleum cum medi
camentis, quæ in ipso ebullierint, per clysterẽ inij-
ciens, statim dolorẽ sedabis. Quæ uero debẽt ebul
lire in oleo medicamenta, cum subtili substãtia ca
lefacientia sint, cyminũ, & id quod apud nos est,
& magis quàm ipsum id quod Aethiopicũ nomi-
natur, & apij & petrapij semẽ, & marathri, & sino
nis, anesiq;, atq; lybistici, & seseleos, & dauci, &
spõdilij, & si cõiectura cõprehenderis frigidã esse
dolentium partium affectionẽ, rutã & marathrũ
& grana lauri in ipso decoques, miscebisq; asphal
tum, ipsumq; oleũ laurinũ, & si qua alia similẽ na-
turã habent. Quòd si inflãmationẽ huiusmodi do
loribus adiunctã putaueris, auferes ea quæ admo
dum acria sunt, & quæ uehementius calefacient.
Ad ea autem quę in hoc mediocrẽ naturã gerunt,
quæq; uim laxandi habent, transgredieris: in oleo
A itaq; ad ebulliendum pones anethũ & non rutã,
etiã admiscebis adipẽ anserinũ uel gallinaceũ, sed
hæc quidẽ ubi uehementiores dolores infestant.
Mediocres uero etiam extrinseca cõ calefactionẽ
iuuantur, ea præcipue quæ ex milijs fit: nam eorũ
leuitas dolẽtibus sine omni molestia est. Si hæc nõ
affuerint, uel ex sale calefacto, uel ex lino crudo,
uel quocunq; alio modo. Cucurbita etiam magna
cum multa flãma absq; cutis scarificatione, sæpius
statim dolorẽ amouit: oportet autẽ eam umbilicũ
cõprehendere. Quòd si etiã cum his dolores per-
manserint, medicamentis ex opio uti non dubita-
bis, quale est Philonis Tharsensis, omnibus medi-
cis notum, ita tamẽ ut scias aliquam noxam ex hu
iusmodi medicamentis, membris patientibus ne-
B cessario affuturam: nihilominus ad id quod magis
urget instans, etiam parua cum noxa hominẽ ex
nimio dolore animo deficientem, liberabis: nam
& sequentibus deinceps diebus, si magnã noxam
membro cõtractam uideris, emendare licebit. Vo
cantur igitur huiusmodi medicamẽta, indolentia:
quoniam dolorem quidem sedant, & dolorẽ aufe
runt, non tamẽ affectiones penitus sanãt, sed uim
sentiendi obtorpescere faciũt. Vti autem oportet
Philonis medicamento, omnibusq; ex opio cõfe-
ctis nõ statim, sed post tempus compositionis an-
nuum, aut omnino semestre. Maxime uero atq; ci
tissime ex potu horũ medicamentorũ laborantes
sani fiunt, ubi intestina gracilia patiuntur: sicuti ex
his quæ sedi induntur, crassorum intestinorum af-
C fectiones præsentaneum habent remedium. Non
modica autẽ fit uirtutis distributio & ex ebibitis,
cum inferiora afficiuntur: atq; ex his quæ sedi in-
duntur, cum superiora fuerint affecta. Quę tamen
in carnosis fit partibus spiritus flatuosi aggrega-
tio, nonnunq; omnino uacat dolore, ac longiori
tempore durat, ac tum præcipue cum fuerit arti-
culationi uicina. Hic enim sunt musculi magis ner
uosi ac densi, atq; in media sui parte carnosiores ac
rariores. Tales uero (ut nosti) affectiones sanaui
medicamẽtis ex pice, resina terebinthina, et adipe
leonino atq; taurino. Cõuenit aũt ipsis & quod ex
strigmẽtis, & calce fit, & ex sycomoro, & (ut sum-
matim dicã) ea quæ insigniter subtili cõstãt substã
tia, quibus ea quæ molliẽdi uim habẽt admiscent̃.

D *Sequitur de Abscessibus. Cap. VII*

Enimuero de his satis dictũ est, iam tempus est
ut transeamus ad abscessuum tractationem: sic au
tem nominant eas affectiones in quibus inui-
cem distant, quæ prius se contingebant corpora.
Spatium igitur uacuum in medio fieri oportet,
quod aliquam substantiam spirituosam uel humi-
dam aut mistam ex utrisq; cõprehendat. Ad hunc
uero ex inflammationibus quædam, atq; ex ery-
sipelatosis & phlegmonosis non paucæ transmu-
tantur. Sine his uero etiã abscessuum affectio con
sistit ex multitudine quorundam humorum, aut
spirituum uaporosorum, siue in ipsis patientibus
partibus generentur, aut ex alijs confluant, ea ra-
tione qua fiunt illa quæ decubitus uocantur. Nõ-
minant uero sic illas affectiones, cum qui prius
unum

unum membrũ infestãt humores, eo relicto ad alterum transeunt. Quocunque uero modo fiat abscessus, id spatium quod abscedẽtes interiacet partes, humiditatibus quæ ipsum faciunt completur: quę ubi aliquandiu perdurauerint, plures habent alterationes. Nã & lapidibus & arenis, & testis, & lignis, atque carbonibus, & limo, & strigmẽto, et amurcæ, & multis alijs talibus similia in abscessibus corpora cõtineri inueniuntur. Qui igitur per summa sub cute cõsistunt, facile dignosci possunt, neque est eorum sanatio difficilis: nam ex tactus proprietate facillime discernuntur. Curantur uero ex extrinsecus adhibitis medicamentis, neque his quæ bibuntur opus habent, ueluti quę in profundo, atque in uisceribus præsertim fiunt. In dignotionibus igitur, cum suppurantur cedunt digitis premẽtibus non resistentia, quemadmodum membra inflammata: dignotionem igitur præbent manifestam. At proprietas cessionis alia est in tenuibus humoribus, alia in crassis, quemadmodũ & in tenacibus atque mucosis humoribus. Sæpius uero nobis subijcit cum tentione spirituosa pars aliqua abscedẽs, quæ ubi secta fuerit, inuenitur sanguis concretus, adeo ut qui bis aut ter huiusmodi uiderit affectionem, si solers & memor fuerit, comprehẽsum in huiusmodi tumoribus sanguinem ita concretum agnoscere poterit, cum in memoriam ex collatione reuocauerit tensionis ac cessionis proprietatem. At forsan pręstat non proprietatem, sed quantitatem tensionis ac cessionis nominare. Curatio autẽ earum, quæ in superficie cutis abscedunt inflammationum fit, incipiente quidem iam abscessu, per ea quæ dolorem sedant atque laxant: procedente uero tempore ad ea quæ concoquendi ac suppurandi uim habere proprie dicuntur transferri oportet. De his autem dictum est, sicuti de pluribus alijs, in quinto libro De medicamẽtorum simplicium potestate tractatus. Statim igitur aqua abundanti perfundere atque fouere oportet, et oleo calido partem inflammatam conspergere, atque ex farina triticea, quæ in aqua atque oleo moderate ebullierit, cataplasma imponere: nam hoc citius ad suppurationem perducit, quàm id quod ex pane conficit. Illud enim maxime dissoluendi uim habet, ut cui adsint sales atque fermentum, optimeque tostum sit. Hæc uero omnia desunt triticeę farinæ. Et cũ suppurari incipientem inflammationem curaturus, suppurationem prohibere posse speraueris, tunc plurimum panem ebullire permittas, oleo scilicet ac aqua subactum: sit autem aquæ ad oleum multiplex proportio. Plus autem quàm hoc suppurationẽ prohibet hordeacea farina simili modo pręparata: quę uero in tali curatione affunditur aqua, habeat altheæ radices in se decoctas. Si uero per summa cutis in parte inflammata tensio ualida fuerit, multis scarificationibus incidere oportet in superficie, ac postmodum ex farina hordeacea elixata ut diximus, cataplasma apponere. Tentaui autẽ sæpius plurimas & ualde tenues in superficie scarificationes: contrario autem his modo alias profundiores magnas, & tertias quæ mediũ tenebant

A in longitudine ac profunditate. Quæ igitur in superficie fiebant, debile auxilium afferebant. Quæ uero longę erant atque profundæ, plurimũ quidem sanguinis exhauriebant, adeo ut ferè animi defectum afferrent: rursus uero ipsæ propriam curationem ueluti uulnera exigebãt. Quæ autem earum ambarum medium tenebãt, semper inueni ab inconuenientibus dictis esse remotas, atque ideo eas in usu censui præferẽdas. In quibus igitur difficulter ad suppurationem peruenit, neque facile discuti tumor potest, ibi humores esse compactos crassiores ac tenaciores est existimandum. In his uero affectionibus tantum cõuenit ea quæ fit per profundiores scarificationes curatio. Conuenit etiam id quod ex caricis constat in aqua decoctis cataplasma.

B Oportet autẽ non ipsas assumere caricas, sed aquam in qua ebullientes sunt liquefactæ. Expedit uero & caricas pingues esse & dulces, ut earũ humor non dissimilis melli uideatur: & si eas assumens decoxeris usque ad plurimum temporis, reddetur aqua melli tenui substantia simillima. Huic igitur aquæ aliquando hordeaceam farinam inijcere oportet, aliquando panem syncomistum (sic autem nominant eum qui medius est inter exquisite purum & furfuraceum) uocant autẽ nonnulli eundem panem autopyron, quoniam in puro farinam non qualis natura est, talem ad cõficiendum panem assumũt, sed prius purgantes furfur excernunt: contrà aũt in furfuraceo prius adimunt eam farinæ partem quæ purissima est. Panis autem qui

C autopyros appellatur, qualem habet ex natura farinam triticum, talem etiã seruat. Oportet autem triticum ipsum ex quo farina sumitur, esse ex his quæ generosa dicuntur: quędã enim ex ipsis multum furfuris continent, quæ ignobilia nominant: quędam uero similaginem, quæ (ut dixi) generosa uocant. Nequaquam igitur oportet furfuraceũ esse frumentum, ex quo utilem ad cataplasma farinam accipimus: sed quemadmodũ dictum est multam habere similaginem: quod si ignobilis tritici farinam assumpseris, crassiorem furfuris partem oportet excernere, atque ita panem medium conficere. Ex hoc igitur pane partẽ mediam ac teneram ad cataplasmata cõmiscebis, quãdo potẽtia medium inter farinam hordeaceã & triticeam uolueris fa-

D cere cataplasma: nam farina triticea maxime ad suppurationem ac concoctionem ualet: hordeacea uero plurimum resoluit. Hic uero quem diximus panis mediam naturã seruat, sicuti & eius farina inter nuper dictas farinas triticeas est media: Ad hoc igitur respiciens cum decoctione caricarum misce quod tibi conuenientius uidetur, siue ex panibus siue ex farinis. Si uero tumor resoluatur, minus tamen quàm oporteret, simul coquere oportet cum caricis hyssopum uel origanum. Si quando uero uehementius tumorem exiccare uolueris, sales decoctioni adijcias, deinde hoc modo cum ipsa subige farinam hordeaceam. Eximatur autem & hinc quicquid furfuraceũ est, & postquam plurimum ebullierit, appone cataplasma. In tumoribus tamẽ qui difficulter resoluuntur, uerendum est

est, ne eorũ reliquiæ præduræ relinquantur. Quare in singulis solutionibus attendere oportet, ad quid transmutetur omnis cuius curatio suscipitur tumor: nam ea quæ cum fortiter exiccantibus agitur, reliquias duras operatur. Hoc uero in singulis solutionibus animaduertes, si partem patientẽ attigeris, & quod nunc apparet, illi quod prius uidebatur contuleris. Si igitur unquam tale suspicatus fueris, decoque in aqua cucumeris agrestis radicem, aut bryoniæ, aut asari, sæpius quidem per se solas, nonnunquam caricas pingues adijciens, deinde aquę farinam admisce, cõmiscens & aliquid adipis anserini præcipue uel gallinacei: quod si hi non affuerint, suillũ adiunges. Radices quoque earũ quas nuper diximus herbarũ, atque præterea altheæ, si post moderatam decoctionẽ cum pane atque adipe conterantur, huiusmodi tumores resoluũt. Fortior autem hisce omnibus est dracontij radix, & si quando ea uti uolueris, cum sit his quas nuper diximus multo subtilior atque ad resoluendum potẽtior, omnino adipẽ cõmisce. Nisi enim humectaueris atque mollieris induratos tumores, sed cũ fortibus medicamẽtis resoluere tantũ studueris, in primis quidẽ diebus eos insigniter decrescere facies, sed pariter id quod relinquitur indurabis, hoc uero induratũ difficulter resoluetur. Melius igitur nos, ut diximus, fortiter resoluentibus medicamẽtis cõmisce remollientia, ne tumores in scirrhos (quorũ curationẽ præcedẽtibus audiuisti) cõuertantur uerẽtes.

De Tumore suppurato. Cap. VIII

Rursus igitur ad suppuratos tumores accedamus, quos ubi posse resoluere desperaueris, ex farina triticea utere cataplasmatibus, nam ad celeritatem suppurationis plurimum conferunt. Deinde aperiens si uideris ea quæ circa sectionem sunt libera inflammatione, medicamentis quæ emplastica dicuntur, utere. Sit autem eorum uis ad exiccandum habilis, careant etiã morsu, ut neque astringentia medicamẽta habeãt admista, sed ea potius quæ sine doloris sensu resoluunt, uel parũ aliquid astringentis habeant. Ego uero sępius in huiusmodi, usus sum medicamento ex fermento & ostreis cõbustis confecto. Si uero pars aliqua sectioni circumstans inflammata fuerit, eo quod ex chalcitide constat, oleo liquefacto, ubi uero paulatim refrigeratum fuerit, in mortarium translato & molliens manibus, atque uinum infundens, ut nosti. Ad multa uero utile est hoc medicamentum, quemadmodum in libris De compositione pharmacorũ diximus. Faciemus etiam alios (si deus uoluerit) de affectionibus quæ singulis partibus accidunt, ubi omnium medicamentorum, quibus uti consueui, diligenter uires explicare tentabo, atque eorũ usum opportunum exponere. Sed tu iam in hisce medicamentis de quibus in hoc libro memini, accepisti à me antea & mensuras & præparandi modũ. ubi uero plus opportuno cutis colliquata fuerit in suppurationibus, adeo ut panno detrito similis efficiatur, nõ facile subiectis corporibus agglutinatur, ut necesse sit eo curationis modo, qui secundum latitudinem appellatur, ulcus curare.

De Sinu. Cap. IX

A Cum uero amplius agglutinandi cutem subiectis corporib. creuerit difficultas: huiusmodi affectum sinũ appellant. Deinceps autem tibi in memoriam reuocabo huius quoque curationis modũ quem uidisti me sæpius in pluribus adhibere. Vbi talis affectio consistit, satius est fistulã directe perforatam uel ex ære uel ex cornu factam habere paratam: quod si hæc non fuerit, unum ex his instrumentis quę pyulca, id est puris attractiua dicuntur, quod foramen latissimum habeat, & eius quod à nobis compositum est ex charta combusta medicamentum, tu sæpe uidisti me exiguam portionem multo oleo rosaceo permiscere, ac per id instrumentũ puris attractiuũ in sinus inijcere, deinde linamento uulso orificium claudere. Quæcunque uero emplastica medicamenta oleo rosaceo liquefaciẽtes

B inijcimus, hoc instrumẽtum non permeant. In his uero oportet uesicam suillam accipiẽtes, fistulam directum foramen habentem apponere. Esse uero acriora medicamenta liquefacta quàm illa quę emmota eo quod linamentis illinuntur, dicuntur, est necessariũ, qualia sunt apud omnes usitata colore uiridi insignia. Hæc enim oportet non pauco oleo rosaceo liquefacere, ut in sinũ inijci possint. dissoluitur autem emmotorum uis in huiusmodi mistionibus. Igitur emplastica omnino medicamenta quale est Macherionis & Epigoni, & quod Isis cognominatur, ubi ad emmotorũ usum deducuntur, cerati indigent admistione: hæc enim ad sinus

C utilia sunt. Qua enim ratione eis ceratum admiscetur, eadem etiam sunt ad sinus utilia. Miscetur autem quoniam uires mordaces habent, si per se sola liquescerẽt, nõ admisto ipsis cerato: sed ubi quidem oleum rosaceum plurimum fuerit, quod uero in ipso liquescit medicamentum paucum non amplius acritudinem seruant: ubi uero sinus mediocriter carne oppletus fuerit, tunc agglutinantia medicamẽta apponere oportet, ueluti si recenti & cruento uulneri medicareris. Multa uero tali sunt natura prædita, quæ partim ex asphalto constant: uocãt autẽ huiusmodi nescio quomodo emplastra barbara. Alia uero sunt quæ fulua uel fusca à colore dicuntur ex lithargyro & ærugine æris decocta plurimum: sic enim ærugo fuluum colo-

D rem accipit. Si uero parũ ebulliat, facit emplastra quæ lutea dicuntur. Te uero non latet, quòd omnia metallica medicamenta subtiliores partes habẽt, & uim exiccandi maiorem ubi multũ ebullierint. His uero medicamẽtis in præsens fuluis ubi reponuntur, quædam extrinsecus supereminentia fusca concrescit, sub qua pars medicamenti profundior plus quàm ab initio fuluior uidetur. Atque idcirco nonnulli huiusmodi emplastra uocant bicolora, quidam uero bifacia. Quanto uero subtiliora fuerint ac maiorẽ exiccandi uim habuerint, tanto plus in sinum operabũtur: nam ad eius profundum oportet transmitti uim, si intentionẽ propositam assequi uelimus. Quę uero recẽtia & cruenta uulnera agglutinant, quanquam his minus exiccant, labra uulnerũ, si breuia extiterint, ac minime pro-

funda agglutinant, atque ob hoc facile ac cito quod oportet efficiunt. Si uero in profundū uulnus protendatur, & suturis & fibulis solemus in unū colligere. Sinus itaque omnes non simplices sunt diuisiones, sed frequenter in ipsis modo una pars, modo alia excoriata est, quod neque te oportet latere. Cum igitur ad locum superiorem sinus extendit, facile per os sanies elabitur. Si uero uergit ad ima, cum intus retineatur, partem aliquam continuam erodit. In his itaque sinibus, nisi prius ad effluxū feceris sectionem, nihil proficies, neque cum carnem generare, neque cum agglutinare uolueris. In alijs uero non opus est sectione, si modo conuenientē figuram in parte patiente seruaueris, ex qua figura potes aliquando sinum ad partem superiorem uergentem, facere ad inferiorem declinare: ac cōtrà, uergentē ad ima, conuertere ad superiora. Vidisti me igitur sinum in cubito existentem, cuius os erat prope cubiti flexuram figura in superiora tendente sanasse sine alia facta ex aduerso sectione: & in femore similiter figura sinus ad ima uergente, cum sinus uersus genu quidem terminaret, altius uero os media femoris regione superius, sine ulla ex aduerso diuisione: similiter uidisti factā esse curationem, subijciente me popliti ceruical molle, ut inferiorem situm haberet inguen quàm genu. Suffecit autem in hoc sinu & alijs isto maioribus solum melicratum immissum aptum ad conglutinandū omnes eius partes profundiores. quidam autem lixiuium iniecerunt seipsos coarguentes in his, quæ prius ad carnem sinui inducendam medicamenta immiserunt: neque enim caro noua priori adnasci potest cū sordities circūsedit. Quomodo igitur sufficienter carne innata sinui cōglutinatiuum adhibent medicamētum, siquidem ueluti satis sordidum existentem lixiuio abstergere tentant, cum pura caro neque acrius melicratum toleret? In hac igitur satis est si hoc tale immittatur, quale quispiā cum uoluptate potaret, & post melicratum solitus sum deinceps antequam medicamentum conglutinatiuum imponam, aliquando uino solo, aliquando uino mulso sinū abluere. Nam ad abstergendum atque ad expurgandum circumstantes sanies melicratum est melius: sed ad conglutinandum uinum est melius & efficacius: sit aūt inter dulce & astringens medium. Et quidem post medicamenti agglutinantis appositionem spongia noua ex uino, aut uino mulso circumijciatur quàm mollissima, atque deligatio quidem incipiat à fundo sinus, finiat autē ad os: sed nec linteorum circumuolutiones ad fundum sinus dolore afficiant, sed constringātur paulatim, atque laxentur usque ad os sinus, & hoc ipsum habeat laxam pharmaci impositionem, & quod circum apponitur emplastro, ita cū forficibus disciсso ut ex ore sinus sanies si quæ excernantur, possint effluere, paruo aliquo alio ipsi imposito emplastro usque ad solutionē: quā tertia die faciens, auferes hoc ipsum, quod ueluti operculum circumiacet, id quod per totū sinum circumiectum est medicamentum relinquens. Indicium autem tibi sit, nunquid pars sinus profunda

A da sit bene cōglutinata, humor saniosus emanans si multus aut paucus coctus aut crudus est. Adhuc autem si neque in ipso sinu dolor sentiatur, neque tumor appareat, sed totus locus depressus siccus atque expers doloris existat. Si autē & pus bene coctum in ore uideris paucum, adhuc magis bona tibi sit spes de sinus conglutinatione: imponensque rursus spongiam ac denuo alligans ut diximus, secunda die uel tertia solue, permutās semper quod ori sinus superstat linteū eodem emplastro perunctum, quod totum os in circuitu comprehendet. Oportet autē non esse admodum impressum, sed ita ut omnis sanies ex sinu per ipsum possit euacuari. In prima igitur & secūda die si aliqua sanies tenuis à sinu excernitur, noli omnino de conglutinatione desperare. Sæpius enim circumiecti membro patienti medicamenti uis uehementer

B exprimit ex ipsa cute & carne subiecta tenuem humiditatem, quando ita affectum fuerit corpus ægroti, aut ex naturali tēperatura, aut ex malo uictu: qua humiditate expressa spatia mediocriter exiccata conglutinantur. In tertio autem & quarto ab initio die si humor saniosus crudus ex ore se ostenderit, tunc scito sinum non esse conglutinatū. Sit autem præ omnibus id quod patienti membro circumijcitur medicamentum, uehementer quidem exiccans, neque mordens uero, neque intendens, ueluti est nostrum quod cirrhum id est fuluum uocatur, sine cera cōfectum ex metallicis medicamentis elixatis & oleo cicino & aceto, quod uulnera

C cruenta cōglutinat, ac sine molestia sinus exiccat. Vidisti uero & ipso sanatas fistulas aliquando, in quibus angusto & longo existente foramine cum nondum intus callum haberent sed sordiciem solum, immisi primum lixiuium, deinde tamdiu intus permanere permisi, donec speraui totam sordiciem penitus excidisse: postmodū medicamentum apposui. Sic uero & eos qui sub cute sunt sola sinus, in quibus carnem generari non opus erat, quique ruditer à quibusdam curati erant, simul ut suscepi hoc medicamento conglutinaui, cum tamē prius lixiuio abluissem: quoniā qui ulcera curant, nullum ex his quæ expurgandi uim habent adhibent medicamentum. Vbi uero qui ad abscessum

D peruenīūt, tumores tarde secti fuerint, aut ob medicantium imperitiam, aut eorum quibus medela adhibetur timiditatem, qui secari non patiuntur, sed expectant ut longiori tempore cutis à pure rodatur: cōtingit sæpius uniuersam cutim à pure circa abscessum aggregato sufficienter extenuari instar panni siue lintei detriti, unde & illi nomē detritæ à medicis inditum puto. Est itaque huiusmodi cutis conglutinatu contumax, præcipue si quis secundum substantiam siccum medicamentum imponat: ex his enim magis fit detrito panno similis, & sicca cutis instar pellium detritarum. Visum est igitur mihi opportunum, si quis ad eius conglutinationem utatur medicamento, substātia quidem liquido, potentia autem sicco. Dictum est autem in libris De medicamentis, quod potentia sicca medicamenta dici solent à medicis, quæ exiccandi uim habent

habent. Optimum autẽ ex omnibus medicamentis quæ substantiam quidem liquidam habẽt, uim autem exiccandi, est id quod à me compositũ est ex lithargyro et adipe suillo antiquo et chalcitide, quibus additum sit oleum uetustissimũ. Nam uim eius esse efficaciorẽ sum expertus ad huiuscemodi affectiones, cum neq; admodum durum fuerit, neq; exquisite non inficiens manus, sed si tale conficiatur, & uulnerum cruentorũ conglutinatiuum erit, & omnia etiam ulcera ad cicatricẽ perducit, si & oleo diluatur, & cum uino mediocris ætatis cõmisceatur, deinde in circuitu eiusmodi affectionibus apponatur, quas sæpius sine ulla molestia cõglutinauit. Cõfert autem ut diximus in detrita cute non parũ mel, si usq; ad emplastri cõsistentiam elixetur. Eius uero elixationis mediocritas uix recte perficitur nisi inspiciatur. oportet enim ipsum neq; adeo esse durum, ut difficulter adhereat, neq; ita liquidum ut circũfluat. Nam quod durum est, ad eandem peruenit cum duris emplastris absurditatem: liquidum uero ueluti superiectũ calido corpori, undiq; circumfluit, & siccũ linteum derelinquit, quod non modo nihil iuuat, sed etiã nonnunquam obest cuti, quæ debet cõglutinari. At si mediocriter elixetur, hoc quidem optimum est medicamentum in huiusmodi sinibus: sed quoniam elixationis eius mediocritas non facile potest coniectura attingi, rectius mihi uisum est ei myrrhã subtiliter tritam aspergere, aut aloen, uel thus, aut aliquod ex his, uel omnia simul, tum præcipue cũ linteo inunctum liquidius apparet. Oportet autem aspergere ista per cribrũ quod sublime supra mel teneatur: sufficit aut semel aut bis cribrum agitare ut mediocriter excidat. Sæpius uero & dum elixatur adijcio melli aliquid ex ante dictis medicamẽtis, quando præsertim sinus maior fuerit atq; profundior. Vsus sum aliquando & tenui centaureo, quod mirũ est ad huiusmodi medicamentũ. Post ipsum uero & symphytũ utile est, & deinde ireos illiricæ radix, postea farina ex orobis. neq; obscurum est quòd & cõtundi oporteat, & per cribrum subtile transmitti, ac postmodum leuigari talia omnia. Melli autem cõmisceantur eo tẽpore quando debet ab igne amoueri, tantum nobis insuper terẽtibus donec melli decocto optime uniantur. Melius autem fuerit si cacabo ab igne amoto, hæc omnia admisceantur, & deinde diligenter agitemus, donec mel adeo tepidum reddatur, ut corpori cui curatio adhibeatur, posit imponi.

De Gangræna. Cap. X

Consequens est ut deinceps dicamus de inflammationibus, quæ gangrænæ factæ sunt. Nominãt autem (ut nosti) gangrænas eas, quæ ex magnitudine inflãmationis fiunt mortificationes, quę non dum tamen integræ factę sunt. Nam cum omnino membrum effectum est emortuum, ut punctũ uel sectum uel adustum nõ sentiat quæ patitur, statim recidere oportet, qua sanam partẽ uicinam attingit. Sed quod ita affectum est, denigratur. Quod uero in medio est constitutũ, ita ut tendat ad mortem, Gangræna nominat̃. Curatur autẽ euacuan-

A tibus nobis quàm possumus multũ sanguinis qui in membro patiente compingitur, cuius causa fiũt mortificationes, ob id ꝙ arteriæ ex angustia loci nequeunt se attollere, reliquo aũt transpirationes exhibere. Aut igitur cutem uniuersam multis sectionibus profundis secare oportet unà cum subiecta substãtia, aut plurimis scarificationibus profundis incidere. Sanguinem uero manare permittens, imponere debes ex medicamẽtis aliquod ad putrescentia utilibus, cuiusmodi sunt ex oxymelite cũ farina orobi uel lolij. Si uero talia non assint, fabarum farinam adhibe, atq; ipsum oxymeli solum: & si fortius medicamen apponere uelis, adijce sal, aut ex trochiscis aliquem exquisitissime tritum, qualis Andronis, & Polyidæ, & Pasionis est.

B Et Musæ medicamen ad hęc aptissimum, quod in Heræ tomo scriptum est. Vtaris autem ex his quę antea diximus, animũ aduertens ad corpus ægroti. Nam si rusticum fuerit & durum natura, fortissima medicamenta desiderat: fœmineum uero & molles carnes habẽs, imbecilliora. Sic & uiri quicunq; albi & molles carnes habent, & balneas amant, & in ocio degunt, mollia exigunt medicamenta. Neq; dubiũ est idem in pueris faciendum esse. Et si quãdo etiam putrefactã atq; emortuam partem abscideris, ut securius agas, his utere medicamentis, naturam corporũ simul attendens, atq; eius insuper partis quæ male affecta est. Quædam enim sunt, quæ citissime ad putredinem ueniunt: & satius est ob maiorem securitatem, quando ab-

C scindis aut circumcidis id quod iam putruit, eam quæ ueluti quædam radix ipsius est, sanæ parti adiunctam adurere, sicuti sæpius in pudendis facere consueuimus, nonnunq; male affectis partibus, quæ adurunt afferentes: quandoq; uero linam entum ante submittentes. Facta uero adustione solemus (ut nosti) uti succo porri, qui ubi nõ adsit, his quæ paulo ante diximus. Vbi uero tibi uidebitur his remedijs adhibitis cessare putredo, ut cito crusta excidat medicamẽto quod nominatur Cephalicum, cum melle utere. Melius uero & ex hydrelæo pane decocto, uel farina hordeacea, uel etiam cum ipsa miscendo triticeam, facere cataplasma. Id etiam medicamentũ quod Tetrapharmacũ nominatur, ac præterea Macedonicum, sunt ad sup-

D purationes, & ad crustas remouendas accõmodatissima. Similiter autẽ & quæcunq; uim habent ad suppurationem perducendi. Et panis uero tritus cum apio uel ocymo optime crustas disrumpit, & à sanis partibus separat. Ex simplicibus autẽ medicamentis iris, uel radix panacis, uel aristolochiæ, uel acori cum melle. In mollibus uero corporibus sufficit orobi farina cum melle uel thure. Aufert autem & crustas Machærionis medicamẽtum, & Isis cum melle. Cum uero exciderint crustæ, huiusmodi ulcera possunt quibuscunq; medicamentis, quæ carnem inducant, ad sanitatem perduci.

De Cancris, & elephante. Cap. XI

Cum de his abunde dictum sit, reliquum est ut de cancrosis tumoribus disseramus, qui in omnibus quidem partibus corporis fieri cõsueuerunt, sed

ſed in mamillis præſertim mulierum, quæ à natura A purgationem non habent, quæ ubi modum ſerua uerint, tunc mulier integra fruitur ſanitate. Hi uero omnes præter naturam tumores ex atræ bilis ſu perfluitate generantur, de qua diximus in cōmen tarijs, in quibus De potentijs naturalibus egimus. Vbi oſtendimus hunc humorem, dum ſanguis in hepate fit, fæcis uinariæ proportione generari: expurgari autē à ſplene, qui ex eo naturaliter habet alimentū. Cum igitur naturalis temperatura hunc humorem paucū generauerit, & ratio uictus adhi bita confert, & ſplen ſatis attrahit ex eo qui generaẽ, nulla huiuſmodi ſuperfluitas in uenis coacer uatur. At cum contraria eueniunt, tunc in uenis multiplicatur, & eas de quibus dicturi ſumus, facit ægritudines. Dico autem his quæ antea expo- B ſuimus cōtraria, ut ſcilicet hepar ad generandum huiuſcemodi ſuperfluitatem ſit aptum: ſit etiā ratio uictus per tales adhibita cibos, qui craſſum & fæculentum ſanguinē procreare natura apti ſunt: ſplen uero ſit natura imbecillior, & quicquid de ea ſuperfluitate generaẽ, ad ſe minime trahere po tens. In hoc uero corpore turbidus fit, ac craſſeſcit is qui in uenis cōtinetur ſanguis, & nonnunquam à uenis habētibus (ſicut & alia omnia) uim excer nendi id quod extraneum eſt, per hæmorrhoidas excernitur. Sæpius autem & ad uarices decumbit. Et quandoq; ad cutem uniuerſam expellitur, fitq; is morbus quem Elephantem nominant: nam & aliquando ad alias corporis partes, quæ cæteris ſunt imbecilliores, humor iſte deferẽ, atq; euiden- C ter apparent quæ in illa parte ſunt uenæ, nigro ſan guine ac craſſo plenæ: quantoq; craſsior fuerit ac nigrior, tanto deterior eſt affectio. In mamillis autem ſæpe uidimus tumorem forma ac figura cancro animali conſimilem. Nam quemadmodum in iſto pedes ex utraq; parte ſunt corporis, ita in hoc morbo uenæ diſtenduntur, ac figuram omnino ſimilem cancro repræſentant. Hunc morbū per ſui initia ſæpe ſanauimus. Sed ubi in molem inſignem ſatis attollitur, nemo ſine manus opere potuit curare. Itaq; in omni huius generis curatione intentio eſt, totum qui circumſtat tumorem præter naturam qui partibus ſanis adhæret abſcindere, ſed ob uaſorum magnitudinē, cum præſertim fuerint arteriæ, profluuij ſanguinis ſtatim periculum im- D minet: q̃ ſi laqueis eas circumprehendas, per conſenſum affectiones inſequuntur. Si autem & mor bi radices exurere ſtatuas, neq; huic rei maximū periculū deeſt, cum prope loca principalia fit adu ſtio. Hunc igitur morbum (ut diximus) in principio ſanauimus, & tunc præſertim cum atræ bilis humor non admodum craſſus uidebatur exiſtere. Nam hic purgantibus medicamentis ex quibus ſa nitas ſequitur, prompte ſuccumbit. Neq; obſcurū eſt huiuſmodi medicamenta debere eſſe euacuan dæ atræ bili accōmodata. Quod tamdiu faciēdum eſt, donec ſanitas priſtina ſubſequatur, ita ut ratio uictus optimos generans humores, interim adhibeatur. In Alexandria quidem elephantis morbo plurimi corripiuntur, propter uictus modū & regionis feruorem. At in Germania & Myſia rariſsi ma hæc affectio uideẽ. Et apud Scythas lactis potatores nunquā ferè apparuit. In Alexandria uero plurimum generatur ex uictus ratione. Comedūt enim farinam elixatam & lentem, & cochleas, & multa ſalſamenta, & nonnulli ex ipſis carnes aſini nas, & alia quædam quæ craſſum & atræ bilis humorem generant. Nam cum circumſtans aer calidus ſit, motus humorū agitur uerſus cutem. Huic igitur morbo, quas antea diximus conferunt purgationes. Quòd ſi & ætas & uirtus permiſerint, ſanguis prius mittendus eſt.

De cura Cancri. Cap. XII

In cancris uero non inutile eſt, neq; in iſtis ubi nihil prohibet ſanguinem mittere, deinde purgare: & ſi fuerint mulieres, menſtrua euocare, ſiquidem nondum quinquageſimū annum attigerint. Patienti autem particulæ ſuccus ſolani imponaẽ, nam hoc medicamē ad huiuſmodi utile eſt. Quòd ſi nolit ægrotans medicamento adeo liquido illiniri, cum præſertim domum exit ad conſueta negotia peragenda, medicamen ex pompholyge cō ſtans eſt imponendum, quo me uidiſti uti ad cancros etiam exulceratos: & ſi hoc non adſit, adhibe alterum medicamentum noſtrum quod ex chalci tide fit. In uictus uero ratione ſuccus ptiſanæ abun danter exhibendus eſt, & ſerum lactis, & ex oleribus, malua, atriplex, & bletum, & quādo tempus tulerit cucurbitis utendum, & piſcibus petroſis, & auibus omnibus, exceptis paluſtribus.

De elephantia. Cap. XIII

Sed his qui elephantiam patiuntur, in uiperarum eſu eſt mirabile auxilium. Ita uero eas præparare oportet, quemadmodum uidiſti Marſos, qui feris uenenatis & aſpidibus nutriūtur. Capite quidem primū abſciſſo, & cauda, uſq; ad digitos quatuor: deinde omnibus interaneis exemptis, cute etiam ut liquere poteſt adempta. A qua deinde abluatur corpus ipſarum. Sed neq; aliter cum theriacam antidotū conficere uolumus, uſq; ad hoc præparamus: ſed deinceps coquimus differēter. In theriaca quidem paululum anethi & pauci ſalis in aqua ponentes. In his autem qui elephantiaſi laborant, in olla anguillarū modo præparantes, & album ius efficientes. fit autem hoc modo: Aqua abundanter in ollam funditur & paucum olei, & cum hoc porrum & anethum adijcitur. Liquet autem q̃ uiperarū carnes ſunt decoquendæ, donec exquiſite molles reddantur. Ipſum etiam medicamentum confectum ex uiperis quod theriacā appellant, optimum eſt ad potandum ijs qui huiuſmodi morbo laborant, uel etiā ſicui libuerit ad cutem oblinendam: nam cum omnia hæc facta fuerint, nonnunq̃ ſolet ſquama à cute decidere, aut quid ſimile ei, quod ſenium ſerpentis appellaẽ. In alijs aūt tumoribus præter naturā, nō putaui oportere eam quæ manu fit curam hoc in loco ſcribere, cū tu medicamenta ꝓbatiſsima à nobis acceperis.

De Strumis. Cap. XIIII

In ſtrumis enim ea quæ aſtringere & exiccare, & pus etiam facere poſſunt. In his autem quæ me-

liceridem

licerides dicuntur, ea quæ has dissoluendi uim habent, & quæ pus resoluunt medicamenta, & quæ aquam in scroto & abdomine accepisti, quibus etiam in aqua intercute laborantibus utaris. In his enim duplex intentio est, scilicet ut sanetur tumor durus in uiscere, & coaceruata humiditas dissoluatur. At prius de scirrhi in uisceribus curatione dictum est. Quare curatio hydropum ad has tres reducitur intentiones, ut sanemus durum tumorem qui in uiscere est, ut ea apponamus quæ humiditatem dissoluunt, & medicamenta quæ urinam mo-

A uent in potu demus. Hæc quidem ad te missa qui longe peregrinaturus es, mediocriter se habere uisa sunt. Si uero (ut institui) tractationem De medicamentis secundū genera & loca patientia composuero, illum in tuo reditu habebis. Sed & aliud opus magnū amicis expostulantibus exarabitur, in quo tota methodus ac ars curandi continetur. Quòd si tibi peregre detineri diutius contigerit, singulos qui à nobis scribentur cōmentarios ad te mittere non grauabimur.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI DE PARATV FACILIBVS.

CL. GALENI DE REMEDIIS PARATV FACILIBVS LIBELLVS

AB HVBERTO BARLANDO PHILIATRIO LATINO SERMONI traditus, & à Iunio Paulo Craſſo medico Patauino, accuratiſsime caſtigatus, & ab omni labe purgatus, addito etiam principio, quod antea deſiderabatur.

PROLOGVS.



VVM ars medica circa nullas unq; urbes, neq; ullos opulentos homines, aut nobilitate, aut poteſtate, aut magiſtratibus inſignes, ita circũſcripta fuerit, ut non magna ipſius erga mortalium genus beneuolentia, ad publicam omniũ utilitatem, in cõmuni ſpectauerit: & tamen nunc ob negligentiam eorum qui illi operam dant, deficere uideatur: æquum eſſe duxi, ut pro mea uirili, operam meam impenderem, ut de ea quæ ad rura ipſa, ac ſolitudines quoq;, fines ſuos prorogauit, etiam conſultum eſſet, his qui iter faciunt, aut ruri, aut in ſolitudine uerſantur, quum in horum corporibus & facile, & præter expectationẽ, morbi oriantur, & uim ſuam exerceant: nec tamen his ita prompta remediorum copia eſſe putetur. Et profecto neq; quocunq; loco medicamenta pretioſa in promptu eſſe poſſunt, neq; præterea medici præſentes ſunt, qui illis uti poſsint: quum tamen eiuſmodi plerũq; adſint calamitatũ circumſtantiæ, ut nullam dilationis tarditatem ferant, uelut in angina contingit, & uenenoſis medicamentis, et morſibus animalium uirus eiaculantiũ. Item in ſanguinis profluuijs, & cholericis fluxionibus, & id genus alijs. Quare neq; ſcientificas & exquiſitas curandi rationes, omnibus ſuis prẹceptis abſolutas, hoc loco tradere propoſui: Sed talem qua poſsit quis etiam de plebe, periclitantibus caſu aliquo, aut aliàs male affectis hominibus illico opẽ ferre, ſi ſanè in tanta rerum difficultate, paratu faciilioribus remedijs utatur. Nam alioqui uelut pro re confeſſa, illud ſumendum eſt, quòd ratio materiæ quẹ exquiſita & omnino ex arte eſt, atq; etiam remediorum uſus, qui ex artis ratione ſit, eo maxime tempore requiruntur, quo & medicamentorum & medicorum copia nobis ſuppetit. At ubi occaſio præceps eſt, nec in prõptu copioſa ac larga ſit remediorum ubertas, eo ſanè tempore ſummopere neceſſariam medicamentorũ facultatem eſſe arbitror, quæ ſunt facilima paratu, illis qui quacunq; tandem parte male afficiuntur. Præſcribam itaq; remediorũ facile parabilium materiam: quandoq; tamẽ, quamuis raro, aliquam etiam exquiſitorum medicamentorum mentionẽ faciam. ſed quæ ipſa quoq;, eo quòd multis in uſu ſint, facile haberi poſſunt. A capite uero initium faciam.

A Hoc enim uelut arx quædam totius corporis eſt, uelutiq; habitaculum ſenſuum, qui in ſummo honore ſunt, & hominibus maxime neceſſarij exiſtunt. Itaq; remedia illi cõmoda primum proponam, atq; ex his ea inprimis quæ facile haberi poſſunt, & manifeſta ac cognita omnibus habentur.

De cauſis & differentijs dolorum capitis. Cap. I

Caput porrò multis modis affici poteſt, ex ẹſtu, ex frigore, ex uaporibus à uentriculo ſublatis, idq; replentibus, ex his item quæ id grauant, & ex graueolẽtibus, & ex alijs multis. Quin & cutis ipſius & capilli deturpantur, uelut in alopecia & ophiaſi, & uarijs ulcerum differentijs. Aeſtus itaq; ac frigoris ſigna ſatis manifeſta ſunt, quum ſint illæ cau-
B ſæ externæ, ab eo quod laceſſunt & auſpicantur malum, procatarcticẹ grẹcis appellatæ. Concomitantur autem ex æſtu affectos hẹc, dolor cum pulſatione, uniuerſi capitis corruptio, cum ignei caloris perceptione, uaſorũ circa caput diſtentio, oculorum rubor. Plerũq; etiam uigiliæ. Ex frigore uero hæc, grauitas coniuncto ſtupore, congelatio, uaſorũ circa frontẽ collapſio, Et ſi humiditas frigori copulata ſit, ſopor. At ex uaporibus affectos comitatur dolor punctorius, pulſus arteriarũ circa frontẽ, uertigines, caligines oculorum, ſonitus aurium. atq; hæc pariter cõtingere ſolent, ſiue ex-
C terni, ſiue interni uapores caput repleant.

De capitis dolore ex ſolis æſtu. Cap. 2

Capitis ex ſolis æſtu dolori medetur fotus ex oleo immaturo, frigido. Quòd ſi uehementior ſit dolor, ex roſaceo & aceto. At ſi ad manũ non fuerit roſaceũ, oleo acerbo ſiue immaturo utendum. Porrò olei partibus quatuor, aceti unam cõmiſceto, ſi mediocriter refrigerare cupias, alioqui plus aceti foret adijciendum. Feruente autem æſtuanteq; uehementius capite, cõmiſcendus aceto ſuccus, aut polygonij, id eſt, ſanguinariæ, aut plantaginis, aut portulacæ, aut lactucæ, aut uuæ acerbæ, aut deniq; alius quiuis, ſimilis cũ dictis facultatis.
D At ex ſuccis hiſce, magis ne an minus tẽperatura frigidus cõueniat, ſatis ſuperq; docebit affectus ipſius magnitudo ſiue uehemẽtia. Cõſultius ad hæc fuerit, decũbere ægrotũ in domo quapiã frigidiori, ſi nõ natura, ſaltẽ arte, utpote ſtrata folijs & uitis, & rubi, & pomi, & alijs horũ ſimilibus, quibus fuerit pro tẽpore refrigerandi facultas. Dicto porrò affectui perquã ſimiles ſunt, qui à quauis intemperie ortũ habent, & non à cauſa externa. Verũ ut ab intẽperatura, tum calidiori & ſicciori, tũ frigidiori & ſicciori graues oboriunt dolores, ita nulli

ab humidiori. Cæterum curantur ab intemperie orti capitis dolores modo eodem, quo à causa oborti externa, suo nimirum contrario.

De capitis dolore ex frigore. Cap. 3

Capitis ex frigore dolori medentur fotus natura calidi. qui ex mediocri habuerit ortum, satis fuerit uti oleo aut anethino, aut rutaceo, calido: sin ex uehemētiori ac grauiori, cucumeris agrestis radix prodest, cui modicum euphorbij interdū addito, uel oleo irino, alió ue id genus tenuis substātiæ utitor, aliqua ijs cōmiscendo. Porrò admiscebitur horum quantitas modo maior, modo minor, pro ratione uincentis frigoris cōsiderando ac metiēdo.

Ad capitis dolorem ex uaporibus. Cap. 4

Quibus caput ex uaporibus dolet, his subducenda aluus est, prospiciēdúq; de domo undiq; perspirabili, aerisq; clari ac puri, ciēda sternutamēta, præsertim si febre uacent, attracto per nares trito aut struthio aut pipere. uacuatis ēm ratione hac uaporib. facile discutiet' dolor. Fouēdū pręter hęc oleo caput est, cui adiectū sit aceti nōnihil. sic ēm reprimet' immodica ad caput uaporū sublatio, quodq; nunc cerebri uentriculis insedit, discutietur. Non sinatur autem talis dormire, & potissimū interdiu.

De dolore capitis ex uentriculi cruditate. Cap. 5

Quibus caput per cōsensum dolet, ex cibi in uētriculo cruditate, aqua tepida liberalius est in potu exhibenda, dein ut uomant iubendū. Multis eorum sanè, qui stomacho laborant, cum è lecto surrexerint, caput dolere consueuit, ijs statim assumpto cibo dolor leuari solet. Quod si quando præ nimio capitis dolore, repente aliqui obmutescāt, idq; causa non satis cognita, horum caput aqua tepida liberalius infusa foueri conuenit, auribusq; oleum infundi, & lanam inseri.

Ad capitis dolorem ex uini potu. Cap. 6

Quòd uinū natura calidius capitis faciat dolorē, opplens ipsum facile uaporibus, interdum aūt & succis, quòd etiam citra uini potum uapores id genus petant facile nōnunquā ipsum caput, dolorē inducentes, præsertim ijs, quibus caput contigit temperaturæ calidioris, omnibus manifestum existimo. Proinde curationis intentio in his est, uaporum uacuatio ac discussio. qui quoniā natura calidi sunt, caput ipsum distendentes, egent refricantibus, hinc illinendum capiti rosaceū actu admodū frigidum. Conueniunt etiam talibus, somnus ac quies, & sub uesperam balneum, cibus boni succi, cui tamen calefaciendi natura non sit, cuius generis sunt, ptisanæ succus, oua sorbilia nō addito garo, panis aqua maceratus, lactuca, ut quæ refrigeret, & brassica, ut cui sit uapores desiccādi natura: utendum ad hęc aquæ potu. Cęterum ijs, quorum uentriculus hoc subuertitur, dabimus aut malum punicum, aut coctum seu pomum seu pirum, quæ coquenda sunt ratione hac. Infusa in ollā aqua feruida, suspensisq; in ipsa olla fructibus eiusmodi autumnalibus, tantisper sub hac ignē succendemus, donec fructus illi percoquantur, solo ab aqua illa feruente sublato uapore. Quinetiā uuæ passæ corroborādi uentriculi habent facultatē, at palmulis in totum abstinendū, utpote natura sua inducentibus capitis dolorem. Quòd si post hæc, sic affecti nondum probe dormiant, in crastinū ducendi rursus in balneum sunt, aquaq; calida freqūeter perfundendi, deinde interiecto aliquātulo tempore, denuo lauandi, ac tandem cibandi, eodē, quo nobis paulo ante dictum est, modo. Cęterum si quando post omnia hæc, relinquatur adhuc pristini nō nihil seu uaporis seu succi, exilioribus capitis meatibus impacti, atq; ita perduret adhuc ueteris doloris uestigium, rosaceo abstinentes, fouebimus ipsum caput chamęmelino moderate calido, dein de irino, quod maxime quadrat id genus affectib. Cæterum omnibus his uino est abstinendum.

De dolore capitis ex ictu, & casu ab alto. Cap. 7

Quandoquidē ex ictu & casu ab alto, obueniūt capitis dolores, existimaui non inutile, saltē paucis, de his etiā agere. Admouendus igitur his per spongiam aut lanam molliorem, fotus aquæ calidæ: iniungenda post hęc quies, cibi subtractio, inferioris uētris uacuatio. Fugiēda aūt sunt, sol, balneum, uini potus, clamor, uociferatio, oēs præterea cibi acres, acidi, ac salsi. Cæterum illud cuiuis manifestum existimo, uariandas inueniendorum auxiliorum intentiones, pro causarum affectus inducentium uarietate ac natura.

Ad capitis dolorem ex contusione siue collisione. Cap. 8

Vsu uenit non raro, ut ipsum caput contundatur, interim sine uulnere, interim cum uulnere, ita ut ob hoc complicentur curationis intentiones. Porrò cōtusioni propria sunt remedia Græcis παρηγορικὰ, Latinis uero mitigatoria dicta, cuius generis sunt, aquæ calidæ super caput effusio, & fotus capitis hapso lanæ ex oleo. quòd si qua adsit capitis diuisioni calamitas, ut occasione hac conglutinari prohibeatur, huic detersę prius spōgia ex uino sideritin herbam tritam illigabis. Aliud. Resinam frictā cataplasmatis modo impositā uulneri alligato. Aliud. Aloen tritam ac melli mistā imponito. Aliud. Vlmi uirentia folia concisa, deinde cōtrita, applicato: quin ulmi etiam cortex pro uinculo uulneri circumuolutus idem præstat.

De capitis dolore ex ebrietate ac solis æstu. Cap. 9

Quandoquidē Archigenes scripsit conferētia capitis dolori remedia dicta Græcis περίαπτα, Latinis uero appensa siue amuleta, sic appellata, quę de collo suspēdunt', aut alicui corporis parti adalligātur, haud existimaui absurdum, aut ab hoc nostro cōmentariolo alienum, adscribere paulo ante dictis & hęc. Capitis arcentia dolorē, tā ex ebrietate, quā solis æstu. Polygonij, id est, sanguinalis herbæ duos cōnectens ramulos capiti coronæ in modum imponito. Aliud. Polygonio læuigato ex lactis crema caput sub uesperam inungito, ac superponito leporis pellē, sicq; in crastinum sinito, tum enim hanc detrahens, cōperies finitum dolorem. Aliud. Cichorion, quod Romani Intybum dicunt, applicato dolenti capiti. Aliud. Sertū rosaceum, ex recentibus rosarum floribus consarcinatum inducito dolenti capiti. Aliud. Cinge caput serto ex callitricho, quam alij adianton, alij tri-

chomanes uocant. Aliud. Scripsit Archigenes summopere conferre capitis dolori uerbenacam, quam quidam sacram herbã uocant, tam serti modo impositã, quàm ex aceto & rosaceo inunctam. Testudinis lacustris, quam Amyda quidam appellant, sanguinem instillato capitis syncipiti.

Ad capillorum defluuium. Cap. 10

Ladanon conspersum uino odorato & acerbo contere, adfundens & oleum myrteum, ut strigmentorum cõsequantur crassitiem, capitiq; inunge. Aliud. Nuces uirides, sed iam submaturescentes, confractę numero centũ, olei sextaria duo, aluminis liquidi libræ tres. conijciũtur in nouum uas testaceum præsaturatũ aqua, ne combibat cõcreditum sibi humorẽ, quod postea accuratissime oblitum reponitur in domum liberi patentisq; aeris, diebus quadraginta, demũ aufertur, atq; in usum conseruatur sic præparatum oleum. Aliud. Ladanon, absinthium, & iuniperi baccæ cõteruntur, linteoq; illigata conijciuntur in oleum, macerantur q; diebus quinq;, quod postea fuerit usui. Idem possunt nigrę myrti, aut gallæ partes duę, ex oleo: quin hoc ipsum medetur etiam capitis furfuribus.

Aliud. Ladanon detritum ex uino dulci quoad strigmentorum habeat spissitudinem infricatur.

Aliud. Anemones florem læuigatum ex oleo, illine. Idem hoc reddit etiam capillitium nigrum.

Aliud. Verbenacam rectam, unà cum radicibus desiccatam, deinde exacte admodum læuigatam tantillo misceto oleo, quantulo opus sit, ut strigmenti consequatur crassitiem, finitoq; deinde ad tempus simul putrefieri, demum utitor.

Ad capitis furfures quã πιτυρίασιν dicũt Græci. Cap. 11

Præfricatũ caput illinitur betæ succo, fœnogręci farina, et nitro, omnibus ęqua portione cõtritis.

Ad capitis pediculos. Cap. 12

Herbę pedicularis partes duę, sandarachæ pars una ex aceto ac oleo capiti infricantur. Aliud. Alumine scissili ex oleo utitor.

De manantibus capitis ulceribus, quas ἀχῶρας dicunt Græci, & fauis. Cap. 13

Ἀχῶρες, id est, manantia ulcera, cutis capitis uitium sunt, ab ipso sic dictæ affectu, quòd cutem tenuissimis foraminibus perforent, ex quibus glutinosa effluit sanies. Huic uitio affine est, quẽ κήριον dicunt Græci, nos fauum. in quo foramina sunt, quàm in illis maiora, melleum continentia humorem. Est autem utriq; uitio initium ex humore superfluo. Porrò incipiũt cum pruritu, demum extuberascunt. Curatio est siquidem graue ac magnum fuerit uitium, corporis totius uacuatio, catapotijs ex scammonia, aloe, & colocynthide: hæc enim æquali pondere contrita excipiuntur brassicæ succo, ac conformantur in catapotia erui magnitudine. Quorum maxima uice unica offerenda quantitas, sunt catapotia decem & septem numero, cæteræ autem uariant pro uiribus eorum, quibus sumuntur. Sin mitius ac minus fuerit uitium hoc, satis fuerit topica, id est, localia tantum dicta remedia applicuisse, è quorum albo est cimolia ex acerrimo aceto inducta. Aliud. Creta ex acerrimo

A aceto similiter inungitur. Idem possunt samia terra, & bulla dicta pompholyx. Aliud. Illinitur similiter lithargyrus cũ charta usta ex aceto. Atachores ac faui, quib. adiũcta est ulceratio dolorosa, præfouendi diebus singulis sunt aqua calida, in qua decocta sit aut myrtus, aut rubus, aut morus, aut asparagi radix, demũ inungendi. Aliud. Salicis folijs ex aqua, aut lente ex melle, aut decocta asparagi radice deline caput, aut betæ succo cũ fœnogręci farina. Apposita præter hæc remedia his, sunt pini cortex cũ cera, uel cadmia ex oleo aut lithargyrus, aut cerussa. Proderit etiã abstergere in balneo cimolia ex betæ succo. Cęterũ illud neminẽ latere uelim, in mollis carnis corporibus, ut mulierib. remedia hęc nõ ex aceto, sed uino illinẽda.

B *De Alopecia & ophiasi, id est, areis. Cap. 14*

Geminum accidit pilis capitis uitium, alterũ defectu, alterum mutatione ipsorum in colorẽ contrarium siue diuersum: defectu, ut in caluitie: mutatione coloris, ut in alopecia & ophiasi, id est, areis, uitijs pilorum cum primis indecoris. Euenit autem pilis hoc uitij genus, eadẽ ferè qua stirpibus ratione, quæ corrumpuntur intereuntq;, interim penuria nutrientis ipsa succi, interim immutatione huius in alienũ ac cõtrarium. Porrò tam alopecia quàm ophiasis ut sunt ex æquo affectus præter naturã, ita similiter eandẽ habent tum ortus, tum curationis rationẽ, ob solã tantũ figurã ac formam, diuersas sortitæ appellationes: siquidẽ in ophiasi persimilis serpenti species in capite apparet, at alo- C peciam ferunt dictã, quod ἀλώπηξ, id est, uulpes, uitio eo frequenter laboret, quod aliud est nihil, quàm pilorũ denudatio, qua locus affectus discolor apparet. At nos cur hoc aut illo modo appellatum quidpiam sit, curiosius non inquirimus, pro cõperto habentes, idq; physica siue naturali quadam ratiocinatione adducti, horum omnium causam esse, uitiosos succos. Proinde tempus iam est, ut ad ipsorum transgrediamur curationẽ, quæ & ipsa uaria est, pro nimirum affectus seu uitij diuersitate, quam tibi cutis color mõstrabit, qui in alijs confestim albidior est, in alijs pallidior, in alijs uero nigrior. Esse porrò omnia hæc uitiosi succi germina, neminẽ fugit. In quibus igitur cutis in capite color apparet albidior, à corrupta pituita uitiũ D esse indicat, quod curatur medicamẽtis pituitam educentibus, necnon apophlegmatismis, hoc est, medicamentis, quibus per os pituita purgatur. In quibus autem color apparet pallidior, utendum medicamentis quæ bilem pallidã uacuant, sicuti ijs quæ nigram, ubi color apparuerit nigrior. Necessum enim totum prius corpus purgari, quàm loco affecto topica, id est, localia dicta remedia applicentur, ne his irritato affectu, plus etiã adfluat ad membrum læsum uitiosi succi, cuius rei cum præpurgato toto corpore nullum sit periculum, tum demum localibus remedijs utendum. Sunt porrò ἀποφλεγματικὰ, id est, pituitã per os educẽtia medicamenta, pyrethron, & staphis syluestris, quorũ alterũ per se, aut etiã utrũq; simul cũ mastiche mãducatũ, & sal glebosus cũ pulegio, aut sinapi cõtri-

rum, ex oxymelite & diutius ore contentũ ac gargarissatum. Cæterum purgantium medicamentorum quodq; peculiarem sibi humorem trahit, educitq;: aliud quidẽ pituitam, aliud uero bilem, hoc flauam, illud nigrã. Sed longũ nimis esset quodq; horum singulatim recẽsere, nec adeo ad rem, cum alterius sit instituti. At in cõmuni quidem, alopeciæ & ophiasi hæc ferè conueniunt. Initio catapotia siue pilulæ ex aloe, quæ cõstant ex medullæ colocynthidos parte una, aloes ac scammoniæ partibus duabus, succi absinthij parte una, excipiuntur autem omnia hæc succo pomorum. Quantitas horum exhibetur pro sumentis ea corporis uiribus. Deinde paucis, utpote septẽ forte interiectis diebus utendũ hiera διὰ κολοκυνθίδος, sic dicta, quòd colocynthidos sit particeps. Eius hæc est conpositio. Medullę colocynthidis mollis unc. xvi. chamępityos sexuncem, floris iunci odorati quadrantẽ, casię, cinamomi, spicæ nardi, myrrhæ, singulorum trientem. croci exagia. vij. opopanacis quadrantẽ. piperis longi & nigri, singulorum quadrantẽ. marrubij, stœchadis, singulorũ septuncem. gentianæ, agarici, singulorũ quincuncem. sagapeni unc. i. cõtusa ac leuigata melle Attico excipe. datur ex ea nucis ponticæ magnitudo, febrientibus ex aqua, alijs ex uino mulso. Porrò ratio hæc curandi non raro uel sola satis est, ubi nimirum uitia hæc sunt etiamnum noua, ac tantum nõ recentia: inueterata enim difficilius eluuntur, egentq; remedijs localibus. Cum igitur (ut modo dictum) fuerit iam corpus totum, quàm fieri potest, mundum, subductis superfluis uitiosis succis purganti medicamento, tum confidenter admouebis loco affecto topica, id est, localia remedia, quæ omnia in genere calida sunt, & diaphoretica, qua facultate uitiosos succos tum uacuãt, tum discutiunt: è quorum albo est thapsiæ succus, cũ cerato iunctus. Aliud. Euphorbium detritũ, & ex oleo illitũ, sulphur ignem non expertũ, & nitrum Alexandrinũ ex aceto infricata. Aliud. Laurinũ illitum, nasturtij semen ex oleo. Aliud. Erucæ semẽ tritũ, pinguedineq; agnina exceptũ illinitor. Aliud. Alcyonium asperum illud tostũ ac leuigatũ, ex aceto aut cedrino liquore inducitur. Aliud. Calami radix usta, aut cortex ustus, ex oleo cedrino, aut pice liquida illinitur. Aliud. Murium stercus contritum ex aceto inungitur. Aliud. Integras amigdalas ustas imbue acri aceto. Aliud. Erinacei terrestris pellis unà cum ipsius capite tosta, & in puluerẽ tusa, ex melle inungitur. Aliud. Cepam uetustã affecto loco, sed præfricato panno lineo donec rubescat, frequẽter infrica. Aliud. Raphani corticẽ contritum ex melle illinito. Aliud. Læuigatã ferri squamam ex oleo & aceto inducito, infricãs donec locus rubescat. Aliud. Ordeum tostũ, & muscerda, id est, murium fimum, æquali pondere ex aceto illinuntur. Cæterũ cum dictorũ medicamentorũ sit hoc quidẽ uehemẽter, illud uero minus calidum, silentio neutiquã prætereundũ, calidiori utendũ, tum in durioris carnis corporibus, tum uitijs hisce uetustioribus. sicuti cõtra minus calido, cum in re

A centibus id genus uitijs, tum etiã puerorũ ac mulierum, similibusq; alijs tenerioris carnis corporibus. Esto aũt cõmune præceptũ hoc in omnibus eius generis remedijs. Huic adde præfricandã partem affectã pãno lineo, neq; ruditer adeo, ut excorietur, neq; cõtrà leniter adeo, ut non mediocriter saltẽ rubescat, ante prædictorũ remediorum applicationẽ. Esto postremo affectus locus frequenter radendus, qui si quando usu ueniat ut dictorum medicaminum impositione ulceretur, illinendus aut porcino adipe, aut rosaceo

De doloribus aurium. Cap. 15

Oboriuntur aurium dolores interim à frigore, atq; fiunt hi ferè à frigidis aut uẽtis, aut balneo, interim ab aqua medicata, quæ auri incidit, interim B ab inflãmatiõe, quę cõsistit modo extrinsecus, utpote in foraminis seu meatus auditorij cute, modo per profundũ inflãmato auditorio neruo, atq; ita distẽdẽte etiã particulas proximas. Est cũ spiritus flatulẽtus auri inclusus, nõ reperiẽs egressum, huiuscemodi excitet dolorẽ. quin efficit non raro idẽ sanies auribus quauis occasiõe innata. Cęterũ dolores ad frigus relatos, discutiũt celerrime calefaciẽtia. Cuius generis sunt, instillatũ aurib. oleũ, in quo incocta sit cepa. Aliud. Piper curiose admodum detritũ ex oleo. Aliud. Nardũ calidũ auri infusum. Aliud. Oleũ in quo decocta est ruta.

Ad aurium nocumenta ex aqua. Cap. 16

Oleum calidũ frequẽtius instillato, quod molli deinde lana exuccato, rursusq; aliud inguttato. C Aliud. Oui aquato, modo eodẽ quo in oculorũ inflãmationibus uti ipso cõsueuimus, pręparato, aut lacte muliebri tepido utitor. Aliud. Cõfert adeps tum aserinus, tum uulpinus, tum gallinaceus.

Ad aurium inflammationes. Cap. 17

Nardus cũ medicamine basilico immissa iuuat. Quòd si immẽsus intolerabilisq; sit dolor castorio ex lacte muliebri, aut aquato oui tepido utitor. Aliud. Parua opij portio cũ sapa. Cęterũ cauẽdũ hic ne pręter rationẽ et temere auditorio meatui facessamus negociũ, qui suauiter tantũ detergẽdus siccãdusq; est, specillo molli lana circũuoluto. Fouẽda porrò auris spõgijs mollib. ex aqua, in quã decocta sit althea, quã quidã à magnitudine uocant δενδρομαλάχην, id est arborescentẽ maluã, aut furfuribus tenuioribus, macrioribusq;. Quòd si flatu D lentũ fuerit q̃d in aure includiť, & obstructio ueri us q̃ dolor hãc obsideat, aphronitro ex aceto utitor, aut succo dracõtij herbę, aut cẽtaurij, aut polij

Ad igneum in auribus feruorem. Cap. 18

Ardorem igneum in auditorio meatu perceptum, cui non sit adiunctus pulsatilis dolor, solet initio iuuare, acetum cum rosaceo.

Ad aurium ulcera. Cap. 19

Glauciũ ex aceto cõtritũ instillato. Quòd si plurima ab his defluat humiditas citra dolorem, scoriam ferri ex aceto curiose detritã in sole immittito.

Ad grauem auditum, auriumq; sonitus seu sibilos. Cap. 20

Ad aurium sonitum repente obortum, nardinum ex aceto instillato. Aliud. Ciminum tantillo misceto oleo, quoad mellis habeat crassitudinem

nem, ac infunditor. At sibilos morbi cuiuspiam reliquias, curamus fotu auris ex absinthij decocto, cui post hæc acetum ac rosaceum inguttantur. aut raphani succus cum rosaceo, aut eleborus cũ aceto. quinimo solum acetum, sed acre, instillatur tepidum, aut solum mel, aut aqua mulsa, aut mistum oleo acetum, quod ὀξέλαιον dicunt Græci. Aliud. Porri succum cum lacte muliebri, aut rosaceo immittito. Aliud. Oleum amygdalarũ amararum in cepa decoctum inguttato tepidum. Aliud. Cepam, allium, & adipem anserinum æqua portione simul terito, deinde colatum adipem infundito.

Aliud. Lentis decoctũ addito melle immittito.

Aliud. Vinum dulce in quo decocta sit myrtus, in aurem mittito, uel succũ ex oliuæ folijs expressum, melli incoquito, ac postea utitor. Aliud. Idẽ potest ceparum succus cum melle.

Ad grauem auditum. Cap. 21

Subduc initio uentrem catapotijs ex colocynthide. Vtere dein apophlegmatismo, id est, medicamẽto pituitam per os educente, ex pyrethro & mastiche. Ipsi autẽ auri extrinsecus admoueto fomentum per calamũ ex absinthij decocto, cui deinde instillato acetũ albũ, & aquã æquali mẽsura, in quibus feruefactũ fuerit nitrũ. Aliud. Vtitor similiter decocto, aut foliorum aut baccarum lauri.

In aurem infundi apta. Cap. 22.

Porri succum irino unguento mistum infundito. Aliud. Fel seu taurinum, seu caprinum rosaceo mistum instillato. Aliud. Corticis raphani succum ex rosaceo immittito.

Ad uermes aurium. Cap. 23

Auribus uerminosis infundito ex bubulis carnibus inter assandum defluentem liquorem, aut aristolochiã tritam ut emplastrum ipsis admoueto. Idẽ potest immissus ipsis succus tã nepetæ ꝗ rubi.

De parotidibus, id est abscessibus iuxta aures. Cap. 24

Morbi cuiuspiam, ut quem sequuntur soboles, parotides, ab alijs ratione alia obortis inflãmationibus differunt, proinde dissimilem etiam postulant curationẽ. Quæ enim à sola destillatione seu defluxu materiæ proueniunt, neq; multa existente, quæ influit materia, neq; uenenosa, nec toto deniq; corpore plethorico, sola spongia ex posca imposita sistuntur. Contrà in parotidibus, quæ morbi alterius sunt soboles, remedijs utimur quibus ad cutem attrahendi est facultas, aut etiam imposita cucurbitula. Tantum enim abest reprimamus influentẽ hic succum, ut cõtrà è profundo in summam cutem euocandi sit studium nobis, nisi forte uehemẽs fuerit ac copiosus humoris influxus. sic enim nihil opus iuuemus naturæ conatum: quandoquidem si tum aut cucurbitulam quis admouerit, aut attractorium medicamentum, quo ex alto in cutem pertrahat materiã, grauem excitabit dolorem, qui & uires ægrotantis prosternet, & somnum ac quietẽ turbabit. Proinde mitigatorijs est hic remedijs opus, non autem ijs, quę humoris fluxum iuuẽt etiam. Cataplasmata autem παρηγορικὰ, id est mitigatoria sunt: Panis oleo maceratus ac impositus. Aliud. Triticea farina ex oleo appo-

A sita. Aliud. Hordeacea farina cum axungia admota. Aliud. Hyoscyamus herba, cũ butyro in modum emplastri applicata. Quod si abscessus ad suppurationem deuenerit, aut cute discissa pus excernẽdum, deinde ulcus ipsum cõmuni ulcerum ratione curandum, aut tentandũ possit ne pus discuti disijciq;, idq; remedijs simul attrahendi simul extenuandi facultatem habentibus, quæ bis sunt diebus singulis renouanda. Fouendus porrò locus affectus donec sedetur dolor, quo iam mitigato, locum habebunt, quibus est discutiendi facultas, è quorum numero sunt, plantago detrita cum sale, utq; emplastrum imposita, rumicis radix in uino decocta, sulphur ignem non expertum, & cymolia ex aceto: fici in muria decoctæ ac tritæ, porrum cum sale.
B Applicatur etiã cõmode sal tritum cum butyro, succidaq; lana exceptũ, maxime parotidum initio, multo autem magis in teneræ carnis corporibus. Induratis enim parotidibus, omniq; iam dolore carentibus, stercus caprillum ex aceto utiliter imponitur. Cæterũ siquando breui tẽpore uolemus pus mouere, fouebimus parotidas assidue calida, et farina hordeacea oblinemus.

Ad narium uitia, & primo ad ozænam ac polypum. Cap. 25

In curandis narium uitijs & potissimum ozæna ac polypo, exiccandum initio roborandumq; est ipsum caput, imposito emplastro διὰ ἰτεῶν, sic dicto, quòd salicem contineat, aut anemonite, aut barbaro, aut de limacibus, cuius hæc est cõfectio: Myrrhæ uncia, thuris tantundẽ. limaciæ integræ, duo ouorũ aquata.
C Omnia hæc contusa in pila misceantur, deinde linteo excepta capiti admoueantur, quod continuis fiat diebus nouẽ, atq; tum demum localibus hisce utendũ in naribus remedijs, nẽpe succo nepetæ, naribus infuso, ac ipsamet nepeta siccata & trita, demum naribus per harundinẽ inspirata. Aliud. Ranunculi herbæ succus cũ melle supine iacentis naribus inijcitur, utq; ipsum ægrotus attrahat pręcipitur. Aliud. Mali punici succũ æreo uase tantisper decoquito, donec crassescat, demũ narib. infricato. Aliud. Gallas ac myrrhã æqua portione cõterito, naribusq; inspirato.

De polypo. Cap. 26

Atramẽti sutorij unciæ quatuor. misti unc. una. redacta in puluerẽ, naribus per calamũ inspirant.
D Simili modo insufflat puluis tostę radicis bryonię. Aliud. Atramẽtum sutorium & sandaracha ęquo pondere terunt, naribusq; inspirant. Aliud. Cornu ceruinum ustum & sandarachen naribus inflato. Aliud. Plumbum torridũ ex uino inungito. Aliud. Acidi mali punici succum coquito in uase æreo donec mellis habeat cõsistentiã, deinde illinito. Aliud. Auripigmentũ læuigatum stylo applicator. Aliud. Auripigmentum & calcẽ aqua non restinctam æqua portione, trita applicato.

Ad sanguinis è naribus fluxum. Cap. 27

Principio cõcretum in naribus sanguinẽ specillo, cui lana ex aqua madens addita sit absterge, dehinc lycium aqua dissolutum, penicilloq; ex intorto panno lineo exceptum, naribus insere.

Aliud. Linamentum tortile igni accensum, suc-

coćq; aut polygonij, aut porri extinctū, naribus inserito. Aliud. Acetum acerrimū coquito, in quo maceratam spongiā naribus immittito, quam ut facilius posis, cum uoles, extrahere, præstat lineo filo deligatam imponi naribus. Frontem pręterea spongijs ex aqua frigida foueto, sitq; ęgrotus capite eleuato erectoq;, iubeto. Manus et pedes uinculis constringito, necnon aures ualide obturato.

Aliud. Gypso, aut luto figulino frontē illinito. Aliud. Cucurbitulā magnā applicato: hepati quidem, profluēte è dextra nare sanguine: lieni uero, è sinistra: sin ex utraq; nare effluat, utriq; uisceri.

De uitijs oculorum. Cap. 28

Omnia sanè corporis membra exactisimis in curando præscriptionibus egent, si reuera ad sanitatem reduci debeant. Verum oculi quo præstantiorem habent præ cæteris usum dignitateq; præcellunt, hoc debēt exactius cōsiderari ab eo, quisquis inoffense curabit crebros in ipsis affectus, uarijs differentibusq; de causis euenientes ac augescentes. De quibus exactius uerbosiusq; agere, alterius est commentarij opus: præsens tamen eatenus de ijs agit, quatenus id patitur ipsius compendium. Affectus igitur oculis accidentes ortum habent, interim ab æstu & calore, interim à frigore, cum particulæ sensu quodam substupido. His accedit, fieri modo cum inflammatione, modo sine hac. Est etiam cum ortum habent ab humorū defluxu seu destillatione, & cum sine his. Nonnunquam ad hæc cum partis affectæ grauedine & dolore, nonnunquā absq; his. Cæterum leues sed calidas oculorum perturbationes satis superq; reprimit fotus oculorū ex sola posca, sicuti frigidas fomentum per spongiā ex uino albo diluto. at ualidas uehemētesq;, ut quas magna grauisq; comitatur inflāmatio, si quidem sanguinis in fronte uasa præ plenitudine distēta fuerint, ita ut ultro se proferat cōspiciendam sanguinis plenitudo, curat facta mox ab initio uenæ sectio, nisi quid prohibeat hāc fieri: sicuti eas quę ab alijs causis fiunt atq; infractu concitantur, uentris per medicamenta uacuatio: quibus factis utendū τοῖς ἐγχυθεῖς, quod in oculos instillentur, sic dictis medicamentis, ut fœnogræci cremore, eum in usum pulchre præparato, quod optime hac fit ratione. Principio lotū diligenter in aqua dulci fœnogręcum, leuiter in eadem coquitur donec quicquid habet in se acre abijciat. Deinde alij rursus aquæ incoquitur effusa priore. Vtile etiam in usum eundem est oui cādidum, ac tenue, oculis frequenter instillatum, quin etiam lac muliebre, quod necessum & boni sit succi, & ex ipsis mulieris mammis in oculum immulgeatur. Mitigandus porrò sedandusq; oculi dolor, impositis emplastris ad inflammationes conscriptis, necnon ex oui exigui luteo, sertula campana seu meliloto, pane, & rosaceo. Quin utendū etiam collyrijs hunc in usum cōscriptis præparatisq;, quæ longa quadam experientia longoq; usu omnibus ferè sunt nunc cognita, alijs alio uti consuetis. Sunt autem ea ex ouo tenuisimo, leniter et indolorose abhibenda. Innatans porrò oculis lip-

A pitudo, detergenda est spongia ex aqua calida, uictus ratio sit tenuissima. Quòd si uehemens fuerit capitis grauitas, occipitio cucurbitulam adfigemus, cōcisa prius cute scalpello, exuctumq; ab illa sanguinem frequenter effundemus. Quòd si sublatis sursum uaporibus caput impleatur, ac pituita obstruat omnes ipsius meatus, sternutatorijs mitioribus, apophlegmatismisq; utentes purgabimus ipsum caput, humorumq; infractum disijciemus, sternutatorijs quidē ex pipere, quod tritum naribus attrahant iubebimus, apophlegmatismis uero ex sinapi accuratissime læuigato, additis aceto tenuis substantiæ & quantitatis mediocris, melle, & aqua, ea portiōe ut fluidiora omnia & ore faciliter contineantur & gargarisentur: facta enim

B hunc in modum per nares [ac palatum] uacuatione liberaliori, infractus obstructionesq; omnes capitis discutientur. Porrò quod non modo curandæ lippitudinis, uerumetiā cuiusuis ferè alterius ægritudinis, primus præcipuusq; curandi scopus consistat in exacta uictus ratione, neminem fugere existimo. Cæterum lippitudinibus æstiuis medemur aridarum rosarum decocto, quod oculorum palpebris per spongiam asidue admouetur.

Ad diuturnas lippitudines. Cap. 29

Specilli mucronem allio tantisper insertum, donec huius tingatur succo, oculis inducimus.

Aliud. Triticum ignitis ferreis laminis incoctū ex uino illinimus palpebris. Aliud. Atramento sutorio ex melle inūguimus, et frōtē, et palpebras.

C *Ex Archigenis De pharmacorū compositione cōmentarijs præcepta, ad humorum in oculos defluxum.* Cap. 30

Destillationi humorum in oculos, maxime ab ipso protinus exordio cōducunt tenuitas, tum cibi tum potus, aquę potus, ac præ omnibus, absoluta à coitu continentia, uentris inferioris laxitas, frigidæ multa potatio, frontis asidua irroratio ex aqua, cui sit adiectum aceti pauxillum. Quidam ex aqua id faciūt, in qua præmaceratū fuerit chalcantum. Fugiant omnes acres odores, puluerem, fumum, splendorē tam lampadis quàm solis. Imponatur fronti per noctem lana, aut munda ex uino, aut sordida ex aqua frigida. Quòd si destillatio ingrauescat accedatq; dolor, cōueniūt uenæ sectio, & omnimoda abstinētia tum cibi tum potus, nisi

D forte & ægroti uires prosternātur & protrahatur morbus. Sit uenter continue fluidus, aut medicamento ad hoc apposito, aut ualidioribus clysteribus. Post hæc iuuant uiridia uitis folia, in modum cataplasmatis fronti assidue inherētia, aut folia seu myrti seu lentisci. Similiter succus tum rubi tum brasicæ. Idem præstant uitis folia cū tenui polenta uel sampsychi, uel sedi, uel portulacæ, uel cotoneorum. Cuiusq; enim horū tenera folia, cū uino & tenui polenta instar cataplasmatis frōti utiliter applicantur. Ipsis autē oculis foris lana munda ex oui aquato, necnō coctum oui luteū cum uino & tenui polenta, ut emplastrum aut fronti, aut ipsis oculis admouetur. Iuuant prętere a tum eryngij radix trita ex aqua, tum cicutæ semen, eodem applicatū modo, necnō mollis ac nuper salitus caseus,

cum

cum apij folijs. Panis preterea ex uino aut rosaceo mirum in modum confert. In summa, quæcunque adstringendi reprimendiq; uim habent, utilia sunt initio, ut sunt cicuta, psyllium, apium, solanum, & paludibus innatātes lentes, serpyllū, sampsychon, folia uitis, coriandrū, portulaca, lēs aquis innatās.

Ad calidam destillationem. Cap. 31

Brassica & polenta trita, ex aqua instar cataplasmatis imponuntur. Eodem applicantur modo, contrita folia tum ocimi, tum sampsychi. Multam impetuosamq; destillationem cohibent papauerum capita, herba apollinaris, quā hyoscyamum dicunt, cum tenui polenta ex uino. Memineris tamen non nisi foto prius loco, cataplasmata applicanda. Quòd si protuberent palpebræ, distendanturq;, linteū butyro madēs oculis imponitur. Porrò graui difficiliq; oculorū chemosi (dicta est aūt chemosis rubra carnosaq; corneæ oculi pelliculæ inflammatio) medentur presentissime accuratius detritæ murium carnes, cum crudo oui luteo, ad cerati consistentiam, & ex panno lineo impositæ.

Linimentum pro oculis.

Panis purus tostus, additis acacia & satiuę punicæ flore (cytinon dicunt) ex aqua illinitur.

Ad oculorum dolores. Cap. 32

Rosas aut aridas aut uirides in aqua dulci præmaceratas ac leuigatas addito candidi oui luteo, emplastri modo impone; aut hordeaceā farinā coctam similiter in aqua dulci. Quòd si grauior molestiorq; fuerit dolor, hyoscyami folia, aut carnem seu peponis, seu cucumeris cū ouo cocto, aut huius luteo, & pauco uino, ut cataplasma applicato.

Emplastrum ocularium. Cap. 33

Pulchre his medeť pini cortex & polēta ex uino.

Ad uehementes oculorum dolores. Cap. 34

Coriandri succum cum lacte muliebri oculorum angulis guttatim instillato, aut platani folia trita cum tenui polenta, in modum emplastri oculis extrinsecus imponito.

Ad destillationem in oculos cataplasmata. Cap. 35

Conducit ad hanc uiridis tum cupressus, tum sabina herba ex uino, & folia tum paliuri, tum portulacæ, detrita cum pinguedine anserina, & croco: necnon iris sicca ex melle, & apij folia cum polenta. Porrò graui impetuosoq; defluxui cōfert uiridis pulegij semen, quàm hoc autē magis adhuc, cera cum aceto ad malagmatis crassitiem redacta, capitisq; syncipiti admota, cui superdato lanā suauiterq; illigato: aut imponito ipsis oculis in modū emplastri rosas, melilotum, & amylum simul cocta, aut amylum ex uino albo.

Anacollemata, id est agglutinatoria restringentia fluxū. Ca. 36

Limacem cum testa tusam, toti fronti & temporibus illinito.

Ad hæmalopas & hyposphagmata. Cap. 37

Incipientibus oculorum sanguinolentis suffusionibus ab ictu percussu ue, cōfert ab ipso confestim initio, ne inflāmatio ac dolor comitentur, instillatus sanguis colūbinus, præsertim alis expressus tenerioribus. confert & oui aquatum eodem modo immissum, aut lana pura exceptum, & foris admotum. Plurimum ad idem faciunt oui luteum assum ex uino impositum, & trita rosarum tum folia, tum flores, per se, aut cum uino, cum tenui polenta, ut emplastrum, apposita.

Ad oculorū molles ex ictu tumores, dictos œdemata. Cap. 38

Plurimum ad hoc facit fomentū ex posca molli spongia frequenter adhibitum, deinde spongia noua ex eadem posca oculo imposita.

Ad oculorum psorophthalmiam, id est, pruriginosam scabiem à sole & puluere ortam. Cap. 39

Iuuat hāc aqua liberalius infusa, æstate frigida, hyeme calida, nec minus fotus spongia factus ex lentis decocto. Immittere etiā guttatim ipsis oculorū angulis succū aut rubi, aut rosarū, quenq; singulatim ex aqua, aut applicare rosas aridas tritas ex uino. Porrò illinunť dormituri oleo, abstinēdū his in totū ab omnibus tam acribus, quàm acidis.

Ad inueteratos palpebrarum affectus, præcipue callum. Cap. 40

Coctam amurcam, & ex oleo tritam inunge.

Ad caluas, pilisq; carentes palpebras summopere hoc conducit, faciens renasci pilos. Cap. 41

Muscerda, id est, fimum murium & stercus hircinum æquali mensura torrentur, & ex melle illinuntur. Facit hoc etiam ad uitiligines.

Ad pilos palpebris innatos oculum infestantes. Cap. 42

Euulsis radicitus pilis, cimicis sanguine confricato locum, & nunquam renascētur. Idem potest illitus pediculi canini sanguis. Idem præstat, euulsis prius radicitus pilis, fel aut hyænæ aut hirci, inunctum confestim à pilorum euulsione.

Ad oculorum λευκώματα, id est albugines. Cap. 43

Celeriter his medetur nitrum exacte cōtritum & ex oleo inunctū. Idem præstant illitū lacertæ fimum, et nycticoracis ouū, his enim tinguntť oculi.

Ad uisus obscuritatem. Cap. 44

Omnem oculorum obscuritatem, incipientemq; suffusionem curat fel uulturis, cum marrubij succo, & melle attico, cuius si nulla sit copia, tenero ac molli utere. esto autem tum succi marrubij, tum mellis dupla ad ipsum fel portio. Idem possunt fel taurinum liquidum cum æquali pondere succi fœniculi, & duplo mellis, & fel ursinum cum aquæ duplo.

Ad pterygion, id est, oculi unguem. Cap. 45

Populi nigræ liquorem cum dupla mellis portione mistum illine.

Ad nyctilopa, id est nocturnam oculorum cæcitatem. Cap. 46

Iecur hircinū assa, interq; assandum defluentem saniem, siue saniosum humorem collectum oculis infrica, ipsumq; iecur edendum præbe. Iuuat etiam columbæ sanguis instillatus, & fel capræ: aut capræ iecur decoquens, præcipe ut habentes caput pannis circumuolutū, teneant intentos in ollam oculos, suscipiantq; uaporem: uel expressum ex recenti onide succum oculis illine.

Ad oculorum tubercula, Crithe dicta. Cap. 47

Cera alba foueto, aut muscæ reliquum corpus præciso abiectoq; capite, tuberculo ipsi infricato.

Ad sugillata sub oculis. Cap. 48

Raphanus, quam radiculam dicunt, trita & imposita, iuuat confestim sub oculis sugillata. Tollať autem

A autem ubi mordere inceperit. Iuuat similiter impositus caseus recens, itemq; ceratum cum absinthij uel raphani succo impositum: egregie facit ad recentes ac liuidas sub oculis sugillationes spongia in muria tincta, & assidue admota. post hoc uero assiduus fotus ex aqua calida. Atq; hęc quidem ad liuidas sugillationes faciunt. In quibus uero cruentæ sunt, aut subflauæ, aut subpallidæ, muria uitãda est. Cataplasmate uero utere faba fresa, aut absinthio, aut hyssopo, aut origano, aut raphani cortice, aut uua passa uinaceis exemptis, unoquoque per se, cum melle, aut aceto, aut aqua non cocta. Facit & bulbus albus cum ouo at melle. Aut cyclaminus cum uua passa. In inueteratis autẽ ac nigrefactis, sinapi cum duplo adipe ouillo. Aut farina fabacea cum melle subacta, aut commanducata, ac cum saliua illita. B Aut cuminũ linteo illigatum, in feruenti aqua missum, pro fomento adhibe. Aut farinã ordeaceã cum aceto mulso coctam. Aut fœniculum tritũ cum cerato impone.

Ad sugillata sub oculis cum molli tumore, qui oedema dicitur. Cap. 49

Spongiam ex aceto impone, & emplastro utere ex farina hordeacea, cocta cum aceto mulso donec tumor sedetur, post hęc adponito coctam lentem & cum melle tritam.

Ad recentem sugillationem. Cap. 50

Imponitur trita ex aqua cicuta, aut detrita uitis albæ radix ex mulso.

De uaris. Cap. 51

C Nascitur in faciei cute tumor exiguus durusq;, dictus Græcis ἴονθος, Latinis uarus. Differt aũt à ficosis tumoribus in mento prouenientibus, nõ solum q ex crasso humore consistat, uerumetiam q participet tenui quadam sanie, ratione cuius facile ulceratur non recte atq; ex arte curatus.

Ad uaros in facie. Cap. 52

Acetum acerrimum cum melle ęquali mensura mistũ uaris accuratius illine, digito infricans.

Aliud. Ex amygdalis amaris aceto dissolutis ac curiosius tritis, cõformato pastillos, atq; in umbra desiccato. Vbi aũt usus postulabit, dilutum ex his aliquẽ aceto uaris inducito, & simulatq; aruerit nũc sapone abstergito. Facit hoc ad tumidos affectus, faciei pruritus, & principiũ elephantiasis.

Ad ficosas in mento excrescentias. Cap. 53

D Salem fossilem ex aceto, aut glutinum fabrile cum milto, id est, rubrica illine.

Ad menti impetigines. Cap. 54

Acceptum magna copia triticum incudi impone, cui deinde applicato candentem laminam ęream, quicq; effluit humorem etiamnum calentem affectui infrica.

Ad diuturnas impetigines. Cap. 55

Trita capparis folia ex aceto acerrimo cum tantundẽ mellis imponito. Aliud. Idem potest contritus ex aceto radicis rumicis cortex. Aliud. Chamæleontis radicẽ in aceto decoctã, ac læuigatã superdato. Aliud. Detritam rumicis radicẽ, & hordeaceam farinam ex acerrimo aceto applicato.

Ad scabras impetigines. Cap. 56

Tritis amygdalis amaris frequẽter ipsas inũgito.

Ad genarum exanthemata siue papulas. Cap. 57

Ferrum candens paliuri ligno imponito, acceptumq; qui ex hoc defluit humorẽ illinito.

Aliud. Cõtritas myrti baccas ex uino inungito.

Ad dentium uitia, & primo dolorem. Cap. 58

Abluito dolentes dentes calido gallarũ ex aceto decocto, aut tædæ pinguis talearum, aut alterci tum seminis, tum corticis, aut cedreæ, id est, cedrini liquoris, uel propoleos, uel solani, uel capparis, uel alij, uel myrti ramulorum in aceto decoctorum, aut calidæ uini fæcis, aut polij corticis, aut etiam ipsiusmet herbæ, aut marrubij. Horũ inquã quodq; cum aceto iuuat. Idem præstant platani pilulæ, & rosæ aridæ, decoctæ in uino albo, ad tertias usq;, quo dentes frequẽtur colluantur. Idem efficit tum eupatorij radix cocta in uino, tum pulegium, aut decoquito ceruinum cornu in oxygaro, sæpeq; eo os abluito, aut scillæ interiora in minutas secato particulas, additoq; aceti sextario, in uas aliquod conijcito, finitoq; hęc in fimo asinino defossa macerari diebus triginta, eluitoq; eo dentes. Eiusdem est effectus lac asininũ, quod motos dentes confirmat etiam, aut tithymalli radicem in oxymelite ad medias usq; incoquito, aut etiam hyoscyami, lauatoq; decocto eo dẽtes. Item lacte mori cõmisto probe cum uino, deinde tepefacto collue dentes. Aliud. Lauãtur item dentes utiliter decocto alij, seminis erucæ, & nitri.

De fomentis ad dentium dolores Cap. 59

Extrinsecus ad dentiũ dolorẽ cõueniũt fomenta ex fricto sale, uel milio in marsupium coniecto, aut etiã ex sordidis pãniculis admodũ calentibus. At intrinsecus huiuscemodi sunt fomenta utilia. Aridi origani ramulum in feruens oleum demissum, superne affecto dẽti applicato, uel ricini fruticis coliculũ simul cũ cera imponito dolenti dẽti, aut tange hunc frequenter specilli mucrone, uehementissime calente. Cæterum illius in uniuersum meminerimus necessum, utendũ fomentis id genus omnibus, tam ijs inquam quæ extrinsecus, q̃ quæ intrinsecus adhibẽtur ante cibum aut longo post assumptum cibum tempore.

Apophlegmatismi pro dentium dolore. Cap. 60

Optimi apophlegmatismi utilissimiq; dẽtiũ doloribus sunt, herba pedicularis masticata, aut singulatim, aut cũ pulegio, uel quod in galla nigrũ integrius est affecto dente cõmordeto, finitoq; hiãs interim effluere pituitã. aut quinq; alij nucleos cũ nigrę myrti pauculis folijs in aceto ad dimidias decoquito tędę rude assiduo cõmiscens, ac eluito eo dentes, oreq; cõtineto, post hæc hiato, donec pituitæ satis profluat, demum rosaceo os abluito.

In nares iniici idoneum, & dentium leuabis dolorem. Cap. 61

Solum radicis betę succum naribus immittito, & dentium leuabis dolorem.

Ad dentes denigratos. Cap. 62

Prærigatum melle fissilem salem, torreto super igne, ex sarmentis uitis, teritoq;, deinde adiecta

paucula myrrha dentibus infricato.

Ad colluendos dentes Cap. 63

Vino odorato incoctã aridam iridem habente dentes colluito.

Ad colluendum gingiuas Cap. 64

Lauato gingiuas aceto, in quo coctum sit hyoscyamum.

Dentes à dolore præseruantia Cap. 65

Lauato dẽtes bis mẽsib. singulis uino in quo ad medias decocta sit tithymalli radix, & nunquam dolebunt. Subscripta dẽtifricia maximopere cõducũt ad dentiũ à dolore præseruationẽ, & ad cõfirmandum tam dentes, quàm gingiuas, cõciliandũque dentium cãdorem. Lanam succidam linteolo illigatam torreto, adiecta deinde tertia salis portione, terito omnia simul, & perfricato hoc puluere dentes. Idem præstat puluis usti contritique capitis leporis. Aliud. Contritũ ex melle salem, ad ceræ crassitiem, linteoque mũdo illigatũ urito, quo deinde addita iridos portiuncula perfricato dentes.

Ad oris graueolentiam. Cap. 66

Hordeũ melle & uino præmaceratũ illigatur chartæ, teriturque, quo deinde cõfricantur gingiuæ.

Ad motos dentes, ut confirmentur. Cap. 67

Teritur ex oleo atramentum sutorium, quod lana exceptum dentiũ applicatur radicibus: uel ulmi cortex in uino decoquitur, decoctũque hoc ore cõtinetur, confirmat enim dentes.

Ad dentium erosionem Cap. 68

Folia capparis in aceto acerrimo ad dimidias coquito, ac tepido eo lauato dentes. Idem potest coctus similiter capparis cortex: hoc idẽ dentiũ medetur dolori. Aliud expertum. Nigellam præfrictam, deinde tritã ex acerrimo aceto, dẽtis erosioni ut emplastrum imponito: sic enim in posterum plus non erodetur, sed perdurabit ut est erosio.

Ad omnes tam oris quàm columellæ, ac faucium inflammationes, cæterosque affectus, seu ulcera ea sint seu crusta, seu putredo. Cap. 69

Cõmune in omnibus hisce præceptum, reprimendum repellendumque mox ab initio omnem è capite defluxionẽ. Cæterum ab elapso iam morbi initio, ad ipsius finẽ usque utẽdum simul reprimentibus simul resoluẽtibus. Reprimẽdi igitur facultatem habet medicamentũ διὰ μόρων, sic dictum quòd ex moris conficitur. Eiusdemque sunt facultatis uuæ immaturæ succus, cum pauxillo melle & florum rosarum aut ipsarũmet rosarum siccarum, sicuti & pini corticis ex aqua decoctũ. At ubi iam morbi principium præterierit, quod hæreat nunc in loco affecto, qui è capite defluxit humor, fuerit ex parte opus, discutiendi habẽtibus facultatem, proinde adijciendum cuiuis prædictorũ aphronitrum, aut ipsum nitrum beronicarion dictum, uel incoquendum in sapa pulegium, aut satureia, aut thymus, aut nepeta. Poterit porrò quiuis copioso repente influente succo paratam habere similium medicamentorum copiam, seu uenator erret per agros, seu opus rusticum in agro faciat, seu etiam uiator iter suum, enumeratorum medicamentorũ indigus, si meminerit dictis affectib. utilem rubi

A succum, ac dictorũ etiam quemuis, imò om̃ia ferè quibus adstringendi facultas est, oris affectibus esse accõmodata: electissimũ tamen ad ipsos medicamentum fit ex succo corticum nucum uiridiũ cocto, cum pauco melle. Vtile similiter ad eosdẽ, decoctũ cotoneorũ, adiecto mellis pauxillo. sed quod ex uiridibus nucibus fit medicamẽtũ, multo est utilissimum, ad uehementes tonsillarum inflammationes, & suffocationes. Aliud. Accipe dulcis mali punici tusi cũ suo cortice expressum colatumque succũ, cuius sex partibus addito unam mellis, demũ coquito ad mellis spissitudinẽ ac utitor. Aliud. Musti sextariũ decoquito ad tertias, adiectis rhu coriarij unc. iiij. demum reponito in usum. Aliud. Tusas gallas numero xxx. decoque in mellis sextario, quo utere.

B

Optimum medimentum stomaticum. Cap. 70

Florum rosarũ unc. ij. πιτυΐδων, id est, fructus pini unciam unam. tere ex melle, ac utere.

Ad inflammationes tonsillarum ac columellæ, & oris putredines. Cap. 71

Succi mororum, aut rubi, & rosarum aridarum, singulorum uncia una. coquũtur parũ cum melle, quod his illinitur. Aliud. Cotoneorũ acerborum succum cum æquali mellis portione coctũ illine. Aliud. Acerbum malum punicũ cum suo cortice tusum incoquito uino dulci, quo colato utitor. Aliud. Immittito in sapam pulegiũ, aut thymũ, aut origanum, aut hyssopum, aut nepetam, ac simul coquito sufficienter, deinde colatum hoc teneatur in ore.

C

Ad oris putredines ac crustas Cap. 72

Album canis fimum inungito ex melle. sit autẽ eius canis fimum qui solis uescitur ossibus. aut aquam rhu sutorij cum melle ad sordium crassitudinem decoctam, aut etiam ustarum hirundinum cinerem ex melle illinito.

Ad columellæ inflãmationem & relaxationẽ. Cap. 73

Palmularum ex aqua decoctũ, adiecto pauxillo melle, gargarissatur, oreque continetur. Ad idem faciũt decoctum rosarũ, & clauicularũ uitis, rubi, sentis caninæ, pomorum acerborũ, sorborum denique immaturorũ. rhoi, quo in cibis utimur, et rhoi coriarij, & fructus miricæ. Horum enim quodque singulatim, aut cuiuis ex prædictis adiunctum, & ex aqua decoctum, gargarissatur, aut ex his siccatum quodpiam in puluerẽ conterit, ac columellæ apponitur, quæ sensim ac leniter sursum ducitur. solet autem is cochleario iniectus, columellæ apponi: quinetiam cuiusuis prædictorum, tam plantarum, quàm fructuum succus, cum pauculo melle uuæ illitus iuuat. Aliud. Ad uuulę inflãmationes conferunt sales triti & ex melle inuncti. Aliud. Palmularum ossa ac nuces, teneræ, uirides, aridæque pari portione urũtur, inque puluerem comminuuntur. quo columella perfricatur. Aliud. Rosas siccas in tenuissimũ pollinem læuigatas ex melle inducito.

D

Ad aphthas quæ oris sunt ulcera Cap. 74

Portulacam melle madentem manducato, aut foliorum oliuæ ex uino decoctum gargarissato.

Ad aphthas nigras & depascentes. Cap. 75

Detersas prius, orobea farina ac gallarũ ex melle illinito, aut licij decoctum gargarissato, aut fęce dulcis uini ex melle perfricato, aut tamaricis fructum cum melle tritum infricato.

Ad depascentes aphthas. Cap. 76

Gallarum decocto cum mellis æquali mensura misto feruefactoq́ utitor.

Ad aphthas albas. Cap. 77

Pluma oleum in quo chalcitin præcoxeris illine, & confestim curabuntur. aut deterso nunc mũdatoq́ loco affecto, tritum tamaricis fructum ex melicrato aut uino pluma similiter inducito, & cito sanabuntur.

Ad aphthas nigras. Cap. 78

Vuã passam sine uinaceis & anisum tere, locoq́ affecto ex melle infrica, aut pruni folia cõcisa, asinino lacte misceto, colluitoq́ ex eo os. Idem possunt marrubij succus, & lentis ac rubi cremor, nec non tritum cornu ceruinũ locoq́ infricatum.

Ad aphthas infantium. Cap. 79

Lentem cum pauco pane & cotoneorum succo mistã exhibe, & rosarũ florẽ, quin ipsas etiã rosas aridas: utitor aũt oris collutione ex rebus mediocriter adstringẽtibus. Cæterũ oleũ aphthis ipsis aduersissimum est, necnon omnia uehementer acria, illud quidem ꝙ humectat sordidatq́, hæc uero quòd sua mordicatione noceant.

Ad uocalis arteriæ asperitatem. Cap. 80

Dulcis radicis quam glycyrhizan dicũt, unciæ tres minutim admodum conterantur, deinde addita gummi tragacanthæ uncia una, excipiantur omnia passo, conformenturq́ ad fabæ magnitudinem pilulæ, ex quibus contineat unam sub lingua dormiturus.

Ad intercisam uocem. Cap. 81

Ficus & eryngion affatim coque, huic decocto adde gummi pauxillum, ita ut quàm mellis, crassior sit ipsorum consistentia, & sub noctem exhibeto. Aliud. Brassicæ succum cum melle decoctum lambat. Conducit hoc idem ad tussim.

Aliud. Lini semen tusum ac per cribrũ excretũ, uuas passas bene pingues sine uinaceis, purgatos pineæ nucis nucleos ac frixos, nuces põticas siue auellanas præpurgatas, omnia hęc in pari portiõe trita excipe melle cocto, daĩ cochlearij mẽsura.

Eclegma tussi accommodatum.

στροβίλων, id est nucleorum pineorũ unc. xij. carnis dactylorũ chœnices duas, terito simul exactius, melleq́ cocto excipito.

Ad tussim siccam. Cap. 82

Iridis ex aqua decoctum, cui mellis pauxillum adiectum sit, da frequenter sorbendum.

Ad sanguinis reiectionem, expuitionemúe. Cap. 83

Rosarum aridarum unc. viij. gummi tragacanthæ hexagia tria terunt, & in pastillos drach. pondere ex aqua conformantur, propinãtur ex aqua.

Aliud. In cucumeris domestici uentrem infundito aquæ sextarium, coquitoq́ ad tertias, demũ expressum ex his cremorẽ in sorbitiõe dato.

Aliud, Rubricæ synopicæ unc. ij. terræ samiæ

A unc. xij. amyli uncias tres. coge sanguinalis herbæ succo, propinato trium obolorum quantitatem.

Aliud. Fricti seminis lini unciæ octo. gummi tragacanthæ unc. xij. prædicto modo cõmode excipiuntur. Aliud. Polygonij siue sanguinalis herbæ radices aqua incoquito ad tertias, additoq́ trito pauculo gummi, offerto in sorbitionem.

Ad tabidos & thoracis uitia. Cap. 84

Ireos decoctum cum melle ad potandum dato, aut ad sorbẽdum hyssopi decoctũ cum melle, aut coctum marrubij herbæ succũ cũ melle, aut eruũ ruffescẽs, frixum primo, deinde tritum cum uiginti partibus mellis, da in eclegmate, aut amygdalas amaras læuigatas cum melle exhibeto. Aliud. Seminis apij unc. vi. piperis nigri unc. i. mellis lib. una. datur cochlearij mensura. Aliud. Mistũ cũ B melle, lentoq́ igne decoctum butyrum offerto.

Aliud. Apij unc. i. piperis grana quinquaginta, trita, cum mellis lib. i. sensim decoquuntur, propinanturq́. Aliud. Scillæ crudæ expressum succum cum mellis æqua portiõe, carbonibus super positum coquito, ac dato ex hoc mystri quãtitatẽ ante cibum & post cibum. Aliud. Abrotonon, pingues passulas sine acinis, rutę germina in aqua decoquito, percolatoq́ decocto huic mel adijce rursusq́ decoque, ac utere.

De oris uentriculi affectibus. Cap. 85

Inflammationes tam oris uentriculi, quàm hepatis, adstringentium medicaminum indigent ad mistione. Etenim si in curandis his utatur quis so- C lis relaxantibus, uitæ adducet discrimen, idq́ omnibus Empiricis uocatis medicis experientiã edoctis & in artis exercitatione obseruãtibus, nõ pauci eorum, qui se Methodicos nominant, curandi hac ratione innumeros sustulerũt è medio stomachicos, oborta syncopa, sicuti non paucos etiã hepatis uitio affectos, solis usi relaxantibus, quibus hepar plerisq́ dissoluitur: cuiusmodi nihil eueniet si eorum, quibus est adstringendi facultas, aliquid his semper adijciatur, seu oleo affectũ locũ foueas seu admoto cataplasmate cures. Sũt porrò ex adstringentium numero, absinthium, unguentũ nardinum, aloe, cotoneorũ tam decoctum quàm oleum, nec minus ceratum ex aloe, mastiche, cera, & nardo, cuius fuerit hæc confectio. Accipitur ce- D ræ uncia una. mastiches unciæ quatuor, aloes unciæ duæ. & nardi quantitas conueniens. Quòd si uehemẽs adeo fuerit uẽtriculi imbecillitas, ut ne alimentum quidem contineat, adijciantur his succi uuæ immaturæ unciæ duæ. Porrò si succi absinthij fuerit facultas, addatur & huius uncia una. aut labruscæ flos, aut succus rhois.

De calida uentriculi intemperie Cap. 86

In calida uentriculi intemperie medicamẽtum hoc per os commode exhibetur, quod cõstat mastiches uncijs duabus, mentæ unc. i. coctis succo plantaginis. huius medicamenti fabæ exhibetur magnitudo ex aqua. Quòd si contra uentriculus frigida afficiatur intẽperie, dicto medicamini adijcito castorei unciam unam. exhibetoq́ similiter.

Cognoscetur autẽ calida uentriculi intemperies,

partim ex bilioso uomitu, partim ex sensu mordicatiõis biliosæ, in ore uentriculi perceptæ, partim quòd hoc ipsum admotæ manui calidũ appareat. A

Ad uentriculum iusto frigidiorem. Cap. 87

Ad uentriculum refrigeratum, quiq; ob pituitæ in ipso hęrentis crassitudinem opus habet simul calfactione, simul humorum incisione, perquam aptum est medicamen hoc quod constat corticis radicis fœniculi uncijs sex. aceti libra una, mellis libra una. Decoquuntur primum radices cum aceto, ac coctæ nunc exprimunt, abijciunt q;, demum adfuso melle incoquuntur rursus simul ad mediocrem crassitiem. Propinantur autem huius cochlearia tria ex aqua.

Ad eos quibus in uentriculo cibus acescit. Cap. 88

Quibus assumptus cibus in uentriculo acescit, medicamentum hoc accommodatum est, quod constat piperis uncia una. seminis anethi unc. una. cymini uncijs quatuor. omnibus diligenter tritis, propinatur ex eis cochlearium ex aqua aut uino diluto, dormituro. B

Ad stomachi subuersiones. Cap. 89

Ad subuersiones stomachi idoneũ est hoc medicamentum, quod cõstat ex succi mali punici acidi, cum suis acinis expressi, partibus tribus, succi mentæ parte una. decoquuntur hæc in uase fictili, assidue miscendo ac agitando, cumq; iam crassescunt, sublata reponuntur in usum. Datur ex medicamẽto hoc postulante necessitate, ante cibum omnem mystrum unum, aut etiam duo.

Ad dysentericos, & cibũ uomitu reijcientes. Cap. 90

Malorum cotoneorum libram unam decoque in uini myrtei sextarijs tribus ad tertias usq;, expresso deinde liquori adde mellis libram dimidiã. coquitoq; rursus assidue miscẽdo, tandem reponito in usum, dat huius ante omnem cibũ mystron. C

Ad stomachi subuersionẽ, cœliacos, & dysentericos Ca. 91

Mala cotonea quatuor numero. integra mala punica decem numero. sorba octo. in aquæ sextarijs tribus accurate decoquito, cumq; omnia flaccescere iam cœperint, exprimito, demũ abiectis crassis fructuum partibus cremorem eum iterato coque, ad tertias usq;, postremo additis generosi mellis libris quatuor, rursum coquito impositum carbonibus, continuo miscendo ad cõuenientem consistentiam, sicq; in usum reponito, utitorq; ut medicamento præcedenti. D

Immodicam ex nimio ardore sitim extinguentia catapotia. Cap. 92

Seminis cucumeris domestici unciæ octo. tragacanthæ unciæ quatuor. dissolue tragacantham recentium crudorũq; ouorũ aquatis, ac tritam exactius, dissolutamq; adfundito cæteris, cõformatoq; ex omibus mistis catapotia, quæ in umbra desiccentur, teneaturq; ex ipsis unum sub lingua, solutusq; saliua humor paulatim deglutiatur.

Ad stomachi subuersionem, & feruidos halitus Cap. 93

Anesi, apij, cuiusq; unc. ij. cymini uncia una. propinato ex his bene læuigatis, ieiuno quidẽ cochlearium ex aqua, sub somnũ aũt ex uino. Aliud. Bibatur tribus cõtinuis diebus absinthij dilutũ.

Ad stomachi perfrigerationem & singultum. Cap. 94

Piperis unc. iij. castorei unc. i, mediocris cochlearij quantitas ex aqua ieiuno datur. At si ex calidis succis, in ipsa uentriculi cõcoctione corruptis singultus ortum habeat, quod ex stomachi ardore, mordicationeq; cognosces, aqua tepida hausta, iube affatim uomant, & cessabit confestim singultus. Porrò sternutamentum in tẽpore factum, sedat singultum, sicuti etiam acetum in sorbitione acceptum.

Ad æstuantem stomachum. Cap. 95

Quibus stomachus præ nimio ardore feruescit, aut animi sequitur defectus, siquidem sine febre hoc usu ueniat, dato in potu frigidæ cyathos tres, aut quatuor, idq; per temporis interualla. Quòd si his malum mitescat, cibo est reficiẽdus æger: sin uero perduret, astrictis coniũctisq; extremis, & præbeto sorbendam assidue aquam, in qua maduerint cotonea, piráue, aut mespila, aut baccæ iuniperi, aut pãpini uitis, uel succum mali punici, aut uuæ acerbæ. Vel dato, quem bibat, tritum mentæ ramulum, aut labruscæ florem, & finito quiescat.

Ad nimiam ex stomacho saliuam. Cap. 96

Nimia diffluentes saliua manducent siccam conyzan. Porrò extrinsecus imponant stomacho cõtrita uitis uiridia folia, aut cotonea, aut uiridis portulaca, aut etiam cucurbitæ ramentum.

Ad dolorem stomachi. Cap. 97

Stomachi ex inquietudine, aut anxietate dolores sedat ac mitigat potũ lac uaccinũ aut asininũ, cui incocti sint silices lapilli, aut rosarũ decoctũ, aut etiã assum oui luteum cum polenta potum.

Ad uomitum bilis nigræ. Cap. 98

In his qui bilem atram generant, ad stomachiq; inflationẽ, & potissimũ inter manducandũ imponit utiliter uentriculo spongia ex aceto quàacerrimo calido. Aut hederæ folia uino decocta, ut cataplasma ipsi applicantur. Porrò cibus sit bonisucci, cuius generis sunt, oua, alica, & iuscula, utpote auiculariũ, extremarũ porci partiũ, phasiani, iuuenis perdicis, aliorumq; omnium his similium.

Ad stomachi inflationem. Cap. 99

Ad inflatũ distentũq; stomachum iuuat polij fasciculus foris impositus, necnõ potũ eiusdẽ decoctũ. Idem præstant nepetæ decoctũ addito mellis momento, & piper drachmæ pondere.

Doloris stomachi mitigatorium Cap. 100

Stomachi dolorẽ sedat cuminum assum, & apij pauxillũ potui ex aqua datũ: item abrotoni ac thymi utriusq; obolos duos potui dato.

Ad eos qui grandem famam dictam βούλιμον facile incurrunt in uia. Cap. 101

βούλιμον dictã famẽ incurrẽtes, seu in itinere, seu modo alio, refocillamus, reficimusúe, porrigẽtes olfactandũ acetũ, aut pulegiũ, aũt terrã aceto madentẽ, aut poma aut pira, aut his similes fructus alios, quorũ pro tempore fuerit facultas, aut etiã panem ex uino eos assumere cogentes.

Ad singultientes Cap. 102

Singultientibus da rutam, cum uino in sorbitionem, aut nitrum ex melicrato, uel apium, uel ca-

storeum

storeum, uel abrotonon, uel aristolochian, uel cyminum, uel anisum, uel calaminthen, quã nos nepetam dicimus.

Ad hepatis obstructionem. Cap. 103

Amygdalarũ amararum unc.iij.cymini, seminis apij, cuiusq; unc.i.datur cochlearium ex uino. Aliud. Baccarum iuniperi unc. iij. seminis brassicæ unc.i.seminis erucæ unc.ij. excipiuntur melle cocto, datur'q; cochlearium unũ. Aliud. Succi cichorij cyathũ cũ aquæ calidæ cyathis duobus, & mellis cochlearijs duob. exhibeto. Aliud. Succi anethi cyathus cũ tribus cyathis aquæ mulsæ calidę. Porro dictorũ omniũ quodq; seorsum, aridum tusum, aut cibo inspargit, aut coctũ bibit. Aliud. Chamæpityos decoctũ cum pauxillo melle bibitur. Aliud. Chamæpityos decocti unc. viij. tusæ radicis cichorij unc.iiij. excipe melle cocto, datur huius auellanæ magnitudo ex aqua calida.

Pastillus hepaticus, id est ad iecur inscriptus. Cap. 104

Anisi, seminis apij, ari, amygdalarũ amararũ pręmundatarũ, absinthij, cuiusq; unc.una. cõformantur ex aqua in pastillos drach. unius pondere, exhibeto febrientib. ex hydromelite, non febrientibus ex uino misto. Aliud. Erigerontis eundẽ in usum bibitur decoctũ. Aliud. Aristolochię drach.dimidia trita offertur, febrientib. ex aqua, sicuti ex uino non febriẽtibus. Aliud. Trifolij herbæ ad tertias decoctum dato potu.

Ad affectos morbo regio Cap. 105

Morbo regio affectũ lauato in balneo aquæ potabilis, totumq; corpus oleo confricato anethino. Quòd si febre uacet, in colocynthidos corio feruefactũ uinũ propinato Aliud. Lanariæ tritæ cochleariũ ex aqua dato, aut ex mulso liberis à febre. Aliud. Cichorij cyathos tres propinato, febriẽtibus quidẽ, nullo admisto alio, nõ febrientib. uero, ex mulso misto. Aliud. Ciceris dicti κριὸς, id est arietini et fœniculi coctorũ cremorẽ exhibeto, febre carẽtibus cũ uino misto. Aliud. Tenerrima folia tam nasturtij, quàm rorismarini terito, expressoq; ex his succo, utitor, ex mulso, si febre careant. Aliud. Elaterion cũ lacte muliebri maceratum naribus infundito & iubeto sursum attrahi. Aliud. Cyclamini succo aqua misto, ut modo dictũ, utitor. Aliud. Editur eundem in usum sentis caninæ rubẽs fructus. Aliud. Chelidonij herbæ succũ cum uino & aqua mulsa porrigito non febricitantibus. Aliud. Hyperici drach. unam propinato ex aqua mulsa. Porrò ieiunis dato in cibum amygdalas amaras.

Ad lienosos. Cap. 106

Datur his in potu decoctũ chamędrios, uel chamepithios, uel polij, uel rubiæ: idq; aut per se, aut cũ oxymelite nõ febricitãtib. Aliud. Candidæ hederæ corymbi numero tres, dant deuorãdi. & superbibendũ acetũ mulsum. Aliud. Radicis capparis ex oxymelite decoctũ febricitantib. dat. Aliud. Thamaricis fructũ tritũ & per incerniculũ excretum duorũ cochleariorũ quantitate, dato ex oxymelite. Aliud. Ferrũ ignitũ aqua restinguito, quã da in potu cum uino, si nulla adsit febris.

Epithema splenicum, id est lieni aptum Cap. 107

Fœnograeci unc.iiij. hordeaceæ farinæ unc. iij. seminis nasturtij unc.iij. caricas acerrimo primum aceto maceratas cõtundito fortiter in pila: deinde adijciens cætera, unito omnia simul. ac utitor. Aliud. Moly herbam etiamnum uirentẽ cum suo semine in ollã cõijcito, in qua diligenter obturata coquito plurimũ lento igni, coctãq; nũc & in pila tritã imponito lieni ante tres dies non soluturus.

Ad hydropicos, id est, aqua inter cutem affectos. Cap. 108

Fœnograeci uncia una. hordeaceæ farinæ uncię tres, stercoris columbini unciæ quatuor, frixæ resinæ, picis, cuiusq; libra una. axungiæ ueteris libræ duę. liquato, quę liquari ex his possunt: demũ addito cætera ex aceto trita, ac utitor. Aliud. Fimi caprilli sicci libras duas coctas in oxycrato, ut malagma imponito.

Ad colicos. Cap. 109

Anethum & cyminum in tribus olei uncijs coquito, & simul exhibeto. Aliud. Rutam coctam similiter in dicta olei mensura, adiecto resinæ terebinthinæ cochleario, præbeto.

Ad eos qui refrigerati sunt. Cap. 110

Anethino utere, cui additum sit triti castorei cochlearium.

Ad inflammationes Cap. 111

Anethino utitor, cui admista sint casei nõ saliti duo cochlearia. Aliud. Additur similiter uel pinguedo anserina, uel cerui medulla.

Ad dysentericos. Cap. 112

In dysentericorũ curatiõe, illud præmeminisse fuerit perquã oportunũ, uidelicet optimũ dysenteriæ remedium cibi esse paucitatem. Necessium ad hæc sunt ea, quæ dysentericis in cibo dantur, quàm licet leuia, ab omni aliena grauitate, & concoctu facilia. Porrò decoctum malorum punicorum integrorum nec minus cotoneorũ cõmode his tum ad sorbendũ propinatur, tum per clysterem inijcitur. Aliud Plantaginem herbã cum oryza exacte decoctam da in cibo: quin huius ipsius succũ adiecta pinguedine hircina cõmode subministrabis. Aliud. Myrti baccas uino incoquito, siquidẽ febre careãt: sin aliter, aquæ, ac immittito. Aliud. Cochlearũ integrarũ ustarũ unc.i. cornu cerui usti unc.ij. uniãtur succo plantaginis. exhibeat ex hoc fabæ magnitudine, febre carentibus cum uino, cũ aqua uero febricitantibus.

Ad cœliacos & dysentericos. Cap. 113

Baccarũ myrti siccarũ cõtusarũq;, rosarũ aridarum, cuiusq; unc.i. baccarũ iuniperi decem numero. pirorũ aridorũ tusorumq; tria & uiginti numero. ceratiorum, quas dulces siliquas dicunt, contusorum uncia una. corticis pini unciæ quatuor. propinato excreti ex his puluisculi cochlearium ex uino. Porrò solidius illud crassiorũq; partium pinguibus palmulis coactum uentri imponito.

Aliud. Potum leporis, tum hinnuli, tum etiam capreæ coagulum ex uino, necnon immissum cum oryzæ cremore iuuat.

Ad diuturnam dysenteriam Cap. 114

Chartæ ustę, calcis, cuiusq; unciã unam. uuæ immaturæ

maturę succo excipiẽs in pastillos cõformato, põderis diuersi, nempe modo unius, modo duarum, modo etiam trium unciarũ. ut cuiq; ætati apta sit ad manum quantitas. Porrò ubi usus postulabit, unum ex his uino austero dissolutum adiecto oryzæ cremore, per clysterem iniice. Aliud. Cocti anserini oui putamẽ minutissime tritum dimidiæ drachmæ quantitate ex uino propinato.

De applicandis sedi remedijs Cap. 115

Sedi diuersa accidunt uitia, ut sunt rimæ, condylomata, aliæq; inflammationes. Apta autẽ his sunt tenera, mollia, omniq; uacantia mordicatione, inuncta remedia.

Ad sedis ex ardore dolores. Cap. 116

Oui luteum ex uino albo tritum, & rosaceo cerato exceptum illine, emplastriq; modo utere. Cõueniunt autem his ἁπαλά, id est, mollia, teneraq; dicta pharmaca, & ἄδηκτα, id est, mordicatione carentia, illita. Aliud. Recentem anseris adipem inungito, & emplastri in modum imponito. Vtile his etiam cataplasma ex pane mundo dissoluto coctoq; in aqua, & rosaceo, quod fuerit efficacius, additis ouorum luteis aliquot coctis. Aliud. Fœnogræcũ elixum tritumq; adiecto butyro ut cataplasma applicato. Aliud. Anserinum adipẽ inungito. Aliud. Rosarũ unc. iij. coctorum ouorũ lutea duo, trita ex uino albo, rosaceoq; cerato excepta illiniuntur.

Ad ani pruritus. Cap. 117

Terram uocatam cimoliam tritã cum uino, ceratoq; myrteo exceptam appone.

Ad procidentem anum. Cap. 118

Recrementi plũbi unc. i. rosarũ siccarũ unc. iiij. accurate admodũ trita, sicca inspergunt̃ ano, eloto prius uino myrteo. Aliud. Cyclamini succũ & mel æqua portione decoque in uase æreo, donec cerati habeat crassitudinem, & inunge.

Potio ad renum et uesicæ affectus inflammationis participes, & exulcerationes. Cap. 119

Seminis lini unciæ duæ. amyli uncia una. propinato ex aqua cochlearium.

Ad uesicæ ulcerationem, & urinæ difficultatem Ca. 120

Pinei nuclei, & amygdala, singulorum numero uiginti. palmulæ quindecim. tragacanthæ unc. iiij. datur ex his cum aqua.

Ad renum obstructionem Cap. 121

Apij decoctũ tribue in potu. febre carẽtibus ex condito, febrientibus ex aqua. Aliud. Decoctũ cicerũ, quæ à similitudine κριοί, id est, arietina appellantur, cum condito, detur in potu.

Ad calculosos Cap. 122

Lini semen exacte tritum, datur bibendũ cum condito. Aliud. Seminis cucumeris domestici frixi unc. vi. seminis maluæ unc. v. nucleorũ pineorum frixorum unciæ sex. seminis apij unciæ viij. amygdalorum amarorum mundatorum uncię ix. dulci excipiũtur. cochlearij datur mẽsura ut ante dictum est.

Ad coxendicum, pedum, & articulorum dolorem. Cap. 123

Eiusdem inter se sunt generis omnes huiuscemodi morbi, proinde eandem ferè postulant curationem, differentes solum efficientibus ipsos succis, quorum hi quidem sunt calidi, illi uero frigidi. Dignoscuntur autẽ, q calidum succum comitentur rubedo, calor: & si adiuncta fuerit inflãmatio, uehementes dolores. Contrà frigidum, tumor albus, laxus, ac mollis. Porrò utriusq; curatio est, ut calido frigida, frigido uero calida, discutiẽtiaq; applicentur. Est siquidem magna fuerit efficiẽtis morbum succi abundantia, hic uacuante medicamẽto primo est educẽdus. Quòd si corporis adsit plethora, principio secãda est uena: deinde repellendus cohibendusq; influxus oxycrato, aut hoc etiam frigidioribus medicamentis alijs. At omnibus de his scriptũ nobis abunde est, cũ alijs in lib. plurimis, tum maxime mi Glauco duobus illis de arte curatiua ad te missis. Proinde uerbosius de his differendũ nõ est, hoc præsertim cõmentariolo, qui de rebus acquisitu facilibus tantũmodo instituitur nobis. Cæterũ in coxendicũ doloribus, reprimentibus medicaminibus nunq; est utendum: cum enim in alto corpore sit iuncturę huius situs, reprimentibus medicamentis succus à circunstantibus uasis musculisq; deferetur ad ipsam iũcturã, grauius etiã discruciaturus: quapropter mitigantibus tantũ lenientibusq; est remedijs utendum. Neq; porrò uehementer aut calidis ac frigidis medicamentis in coxendicum est dolore agendum, quòd ab his irritet̃ uerius q̃ curet̃ humorũ fluxio: admodum enim calida attrahunt magis q̃ uel discutiunt uel digerunt: è diuerso frigida congelant coarctantq; quodãmodo fluentes humores, discutiq; reddunt cõtumaces. Cæterũ coxendicũ dolore affectos uomitus quàm alui deiectio iuuat magis, quòd humorũ ad inferiora defluxũ retrahat. Prouocandus aũt initio uomitus est, ab accepto cibo. Postea uero ad ciendũ hũc, licet etiã uti bulbis uomitorijs, & raphano, id est radicula: exhibẽtur aũt in aqua cocti bulbi, ex oxymelite: radicula uero concisa in tenues particulas, editur similiter ex oxymelite. Deinde ubi nunc à sumptis his longum satis tempus præterierit, ad uomitum ducendi sunt: quo prouocato, deinceps longo interposito tempore, lauandi sunt: deinde iterum tantisper est ipsis quiescendum, donec omnis oborta ex eo corporis turbatio cõquieuerit: demum tenui sunt uictu reficiendi.

Ad podagræ paroxysmum, id est acerbationẽ. Cap. 124

Brassicæ folijs decoctis ac tritis addito aceti fæcẽ, lutea duorũ ouorũ crudorũ, ac rosacei parum, quæ acuratius deinde mista in modũ cataplasmatis tepida imponito, freqũẽter renouans. Aliud.

Cataplasmati uulgari & usitato ex caricis elixo adiecta hyoscyami folia incoquito, ac utitor

Ad feruidas inflammationes Cap. 125

Lentem palustrem ex aceto & rosaceo imponito. Aliud. Vlmi folijs expressum succum & coctum cum cerato illine

Ad excedentes, & ueluti immensos ardores. Cap. 126

Lactucæ folia exacte cũ pane trita, applica, frequenter remutans. Aliud. Coriandrũ uiride tritum cum polenta ut emplastrum admoueto.

Ad laxas inflationes. Cap. 127

Salem ex oleo diligenter tritū succidaq; lana exceptum ut emplastrum impone.

Licet commentarij huius initio de cholera dicto uitio, & mortiferis pharmacis, deq; serpentibus qui ictu morsu'ue uenenum relinquūt, & sanguinis etiam fluxu sit nonnihil dictum nobis, non fuerit tamen à ratiōe alienum paucis adhuc de ijs agere, licet ad alium locum hæc pertineant.

Ad sanguinis è naribus fluxum. Cap. 128

Triticeam farinam porri succo maceratam tortili linamento adfrica, perfluentiq; nari inserito. Aliud. Tortile linamentum aceto quam acerrimo madens ad lucernam comburito, & mananti nari insere. Aliud. Asinini fimi (sic enim nunc reddo latine onida) etiamnum calentis succū mistum cum æquali aceti portiōe, & tanta farinæ triticeæ, ut sordium habeant consistentiā, linamēto adfricato, quod affectæ nari imponito. Iuuant ad hæc tam pedibus quàm manibus iniecta uincula, necnō refrigerare caput. Magnas præterea cucurbitulas præcordijs adfigere, iecoris quidem, profluente dextra nare sanguine, sicuti sinistris siue lieni, affecta nare sinistra. Cęterū de sanguinis per os reiectione, dictum nobis antea est.

De fluxu sanguinis è uulnere. Cap. 129

Sanguinis è uulnere effluxum curant myrrha & thus, trita, & ex oui aquato pro uulneris ratione imposita. Aliud. Vstæ ranæ cinerem uulneri inspargito. Superponenda porrò his spongia ex oxycrato, & frequenter siccitatis ratione mutāda. Aliud. Recentem ac calidum adhuc fimum asininum cataplasmatis modo superdato: quòd si aridus fuerit, dissolue pauxillo aceto.

Ad choleram dictum affectum. Cap. 130

Si sine febre, aliaq; uacuatione eueniat, da buccellā panis ex uino misto, daq; potu frigidā, & cucurbitulas magnas medio adfige uētri. Quòd si is qui affligitur quadrato sit habitu, in frigidū induci to lauacrū, in quo diutius permaneat. Porrò cibus conuenit adstringentis facultatis, ut sunt ex autumnalibus fructibus poma tam cotonea q̄ punica.

De pharmacis mortiferis. Cap. 131

De letalibus medicamentis, neq; indistinctius hic agere tutū satis est, neq; parui laboris de omnibus singulatim. deq; sequentium ad hæc symptomatum siue accidentium curatione: ne interim referam adiunctam huic rei male faciendi occasionem, præsertim ijs, quibus male facere uolupe est. Proinde ea hic tantum tradam, quæ in communi ferè creduntur conferre ijs, quos letalia eiusmodi medicamenta deuorasse contigerit. Principio igitur iubendum, ut hi tales confestim uomant, epoto prius hydrelæo, id est, mistis aqua & oleo, & plurimo & frequenter. Deinde uarijs diuersisq; sunt cibandi ferculis, à quibus non ita multo post rursus uomant iubeto. Sic enim aut simul reijcietur mortiferum medicamentum, aut saltem infringetur ipsius uirtus. Quòd si post hæc uentriculus uideatur à uomitu ueluti aduri, hydrorhodinon, id est, aquam rosaceo oleo mistam potui offerto, dehinc uomant rursus iubeto. Quòd si usus postulare uidebitur, dabis theriacen ex uino, aut iunipe ri baccas numero nouem, & rutæ trita uiginti folia, aut herbæ chamæpityos. A somno in totum abstineat præcipito, extremarumq; partium utitor frictione. Quòd si malum uidebitur tibi altius in uentrem nunc descendisse, quod ex mordicatione irritationeq; inferioris uentris cognosces, instandū acriorib. clysteribus, cuius generis sunt qui ex melle copiosiori & nitri spuma constant, aut alio quouis cui irritandi uentris sit facultas. At strangulationi à deuoratis fungis medetur nardus ex oximelite pota. Idem potest gallinarū domesticarum fimum, ex oxymelite. Cæterum suffocationi ex concreto in uentriculo lacte, auxiliatur potum cum uino coagulum.

ARGVMENTA LIBRI DE FACILE PARABILIbus medicinis.

CL. GALENO ASCRIPTVS

LIBER DE MEDICINIS FACILE PARABILIBVS AD SOLONEM MEDICORVM

principem sine principio.

Iunio Paulo Crasso Patauino interprete.

Obseruato multa nos in fine istius libri ex ueteri translatione apposuisse quæ in Græco codice non uidimus.

Ad capitis dolorem. Cap. I



LIVD remediũ. Caprinũ stercus ex aceto & oleo rosaceo terito, frõti illinito, & fascia deligato: id facito multo mane, ac uesperi, & ex capite laborãtem sanitati restitues. Aliud. Euphorbio & atramento scriptorio unà cum aceto detritis frontẽ illine. Aliud. Puer uenerẽ nõ
D expertus in limine ęgroti ianuæ mingito, tu uero acetũ infũdito, atq; utrũq; in unũ super limine cõmisceto, donec sordiũ acquirat crasitiẽ: ac eadẽ illa hora frõti imponito. Aliud. Si qua ex partu capitis dolore tenet, cinerẽ cum aceto admiscens fronti superdato. Aliud. Hedere lachryma cum aceto et rosaceo mista frontẽ obline. Epithema ad idẽ. Nasturtiũ cũ aceto & rosaceo misceto ad cerati crasitudinem, imponitoq; ita, ut à tempore ad tempus pertineat, ilico dolorem auferes.

Ad

Ad eos, qui ex altera capitis parte dolent. Cap. 2. A

Acacia roseo cerato excipiens utere. Aliud. Cichorium impositum & capitis dolores, & exustiones à sole efficaciter tollit.

Ad comitialem morbum. Cap. 3

Ictinum, hoc est miluum in olla cremato uiuentem, cineremq; propinato, & sanabis. Aliud. Eiusdem iecur exustum & tritum ex aqua potui dato. Aliud. Asini stercus frictũ cochleariorum duorum pondere quotidie exhibeto, atq; ægrotus morbo liberabitur. id remediũ longa experientia comprobatũ est. Aliud. Vrina uerris in fumo arefacta ex aceto mulso pota benefacit: esto autẽ urinæ portio ad Aegyptiæ fabæ magnitudinem, sed optima est apri. Aliud. Hircinum stercus ad morbũ comitialem proficit, si ex eo quindecim globuli summũ exhibeantur. B Aliud. Agrestis maluæ succũ ægrotus per triginta dies ieiunus bibat, & curabitur. Aliud. Mustellæ iecur aridũ ex aqua propinato, id facies autem cum ægrotus mox est casurus. Aliud. Parum olei leporis coagulo infundito, & pilulas facito, ex quibus modo unam, modo duas præbeto. Aliud. Mustellæ sanguine oblinito, ac mustellam pedibus capiteq; abiectis epulandam apponito: pariter & strumis exhibita mustella prodest. Aliud. Murem dissecans per lunæ silentium iecur ipsius extrahito, & assum ægroto, ut comedat, exhibeto. iuuat etiam acetũ mulsum scyllinum, & Iuliani, & theriaca. Aliud odorabile ad comitialem affectum. C Tithymallum cum aceto & polenta terens placentulas conficito, olfaciendasq; laboranti offerto, & non cadet. cõfert etiam odorari peucedanum & picem.

Suffimentum comitialem morbum detegens.

Lapidem gagatem suffito ipsum circumuelans, ne odor dissipet, cadetq; si reuera comitiali morbo affectus est.

Potiones per quas dignoscitur, utrum comitialis morbus sanabilis sit.

Acaciæ drachmam aqua diluens propina: si uomuerit, insanabile malum est, sin autem continuerit, potio ipsi prodest.

A sidere percussorum curatio.

* Asini lotio ipsos consperge, & sanescent.

Si comitiali morbo humi prostratum confestim excitare uis. D

Thymum aut pulegium conterens eius naribus admoueto.

Materiam per nares detrahentia.

Anagallidis cœruleum habẽtis florem succum naribus instillato, iubetoq; supinum ægrotum spiritum adducere. hoc enim omĩbus ex capite laborantibus opitulat. Aliud. Succũ hederæ albæ naribus instillato. Aliud. Nigellæ expressum succũ cum mulsa instilla. Ad eundem modum & iride ueteri oleo admisto utitor. Aliud. Betæ radicis succum in nares infunde, & caput purgat.

De aurium uitijs; primumq; de illis, quæ in auditorijs finibus fiunt. Cap. 4.

Vino diluto, aut mulso aurem subluito, ac liciũ in oui putamine macerans infundito.

Ad inflammationes & dolores.

Allij capitula cõterens cum oleo in olla calefacito, oleũq; in aurẽ infundito, & dolor sedabitur.

Ad magnum dolorem.

Anserinum iecur salsum cum nardo, eliquato, & repurgans in aurem indito.

Ad aures sanie manantes.

Liquidum alumen aqua diluens in uitreũ uas conde, & maceratum infunde.

Ad aures purulentas & grauiter dolentes.

Porri succo melle diluto utere. Aliud. Opium dulci uino eliquans ac tepefaciẽs in aurẽ inijce. Aliud. Cedri lachrymã ex pauco nardo immittito. Aliud. Mel & oleum unà in uasculo prius tepefacta instillato.

Ad teredines & saniem.

Alumẽ fissile cum aceto & dulci uino elixum ad mellis temperaturam, infusum tam in recentibus quàm antiquis uitijs efficax est.

Ad sonitus aurium intra seipsas & acres dolores.

Cedri lachryma cũ melle admista, & infusa prodest. Aliud. Aloe, quæ iecoraria dicit̃, cũ mulso ad sordiũ crassitudinẽ tẽperata, & infusa bene facit. Aliud. Vulpis adeps eliquata infundat̃. Aliud. Nardũ tepefactum infundito. Aliud. Cassiã ex rosaceo inijcito. Aliud. Centipedæ domesticæ oleo rosaceo inferuefactæ opitulãtur.

Ad dolores paulatim ingruentes.

Lanam succidam in aceto feruefacias, exprimitoq; humorem in aurem, deinde foramen summũ lana succida integito. Aliud. Mali punici immaturi succo cum melle utere, aut lentisci, aut herbæ muralis, aut ligustri, aut rubi, horum cuiusque succũ aut seorsum, aut melli admiscens & elixans utere, pariter & plantaginis, aut lactucæ, aut sanguinalis succo utendum est. *

Ad dolores absq; ulcere.

Sulfur ignem non expertum per calamum naribus suffletur. Aliud. Papaueris lachryma muliebri lacte temperata instillatur.

Ad grauem auditum.

Absinthiũ in aqua elixans aurẽ decocto eluito.

Ad surditatem naturalem.

Capræ nuper iugulatæ cornu caprino lotio impleto, & ad fumum per dies nouem suspendito, deinde utere.

Ad sonitus ex profundo.

Acetum, rosaceũ, rutam, & cuminũ cum melle macerans utitor.

Ad tinnitus sonosq; repente exortos.

Acetum acre tepefactũ in aurẽ demitte. Aliud. Vitis albæ, mellis, ueratri albi, & rosei olei portionem in unum permiscens in aurem dato. *

Ad aurem dolentem & sanie manantem.

Acetum, mel, roseum'que permisce, & tepefactis utere.

Ad acerbos dolores.

Subactã oleo adipẽ infundito, & spõgia locum occludito. bene facit & ad neruorũ morbos cum uulpino adipe atq; fullo æqua portione permista.

Ad dolores aurium ac phlegmonas.

Hastulæ regiæ radicẽ mundato, & in oleum uase ui-

se uitreo contentũ demittito, & per cõtinuos quadraginta dies sub Canis ęstu insolato deinde utitor

Ad ulceratas aures & purulentas.

Lacertas pauxillas uenatus mundo oleo eliquato, atq; ita in aurem demittito: & uermes, si in aure fuerint interficies.

Ad aurium uermiculos, & ad ea, quæ in aurem inciderunt, extrahenda.

Cepas & hyssopum in lotio uetere conterens instillato. Aliud. Partis interioris cucurbitulæ syluaticæ seminum, aluminis Aegyptij pares portiones in cedrino oleo macerans infundito.

Ad sordes aurium educendas.

Lanã unguentaria glande madidam in aurẽ demitte; & ipsam sordiũ plenã inuenies. Aliud. Nitrũ læuigatũ in aurẽ cõijcito, acetũq; instillato, super lana mollis addenda est, & per noctẽ relinquenda, sequẽti uero die calida mulsa aurẽ eluito.

Ad aurem dolentem.

Salis flos cum rosaceo & aceto infundẽdus est.

Ad saniem aurium & magnum dolorem.

Nitrum rosaceo dilutum in aurẽ demitte. Aliud. Album ueratrum ex uino aut aceto cũ alumine infundendum est. Radicis pręterea calaminthæ succus aceto maceratus instilletur.

Aliud ad diutina uitia.

Licij & mellis ęquas portiones cõmiscẽs utere.

Ad inflammatas aures.

Capitulorum papaueris cortices contere, & tertiam partẽ cum hordeacea farina permisce, & in dulci diluto elixa, cataplasmaq; confice.

Ad nares ulceratas, & polypos, & ozænas. Cap. 5

* Spuma nitri attinge, & ad spiritus odorem conciliandum, albæ uiolæ florem nondum ex coliculo delapsum lege, tereq; cum aqua, donec mellis crassitudo fiat. Aliud. Aerugine ex melle decocta locum attinge.

Ad interiores phlegmonas.

Adipe anserino cum porri solaniq; succo æquis portionibus diluto interdiu obline.

Ad narium ulcera cum duritie.

Plumbum tritum uino aqua maris non temperato macera, myrteiq; olei, quod satis est, adde ad mellis spissitudinem. Aliud. Aeris squamma ex melle decocta utere.

Sanguinem per nares euocantia, Cap. 6

Mentam excipiens melle, & collyrium faciens in nares mitte.

Ad profluuium sanguinis ẽ naribus.

Rutam tritã oleo excipito, & intra nares conijcito. Aliud. Gummi ac thus contrita & aceto liquata in nares da. Aliud. Cinerula cypria cũ succo porri tẽperata bene facit. Aliud. Spongiam ustam pici admistam, & arefactam linamento inspersam in nares pellito. Aliud. Acuti iunci florem naribus imponito.

Ad sanguinis eruptiones, quæ supprimi nequeunt, præsertim cum diutius febricitantibus sanguis perfunditur.

* Pyrion imponito nonnunq; aridum, nonnunq; collyrio oblitũ, & crassitudinẽ cauis nasi respondentẽ faciens ita immittito: ijsdem & nares & tempora & frontem illinito. Aliud. Diphryges

A ustum, & ex aceto tritum superimpone. Aliud. Lanam oui albo madentẽ admoue. Aliud. Lanam herbæ sanguinalis, aut solani succo imbutam in nares dato. Aliud. Ruta ex aceto trita circumponenda est, & suffienda. Vtendum prætere a est reprimere cohibereq; sanguinis impetũ ualentibus: ut cicutam naribus suffito, odoremq; attrahito: nares etiam digitis comprimito: aures cerato, aut alio quopiam diligenter occludito, quin etiam penis extremum papyro deligato: in mulieribus uero mammarum papillas similiter. Item refrigerare potentibus frontem caputq; oblinito, & conspergito. Præsentissimũ remediũ est capiti cucurbitulam affigere, uel etiam frontis uenã soluere. Sternutamenta quoq; plerunq; sanguinem reuocant, aut herbam buglosson, aut asini fimum ex

B aceto in nares conijce.

Ad stertentes. Cap. 7

Anetum capiti clam subijcito: id & prosilientibus ex lectulo remedio est.

Ad puncta & notas inflictas tollendas absq; cicatrice & ulcere. Cap. 8

Nitro locum detergẽs resinam terebinthinam superdato, & per dies quinq; dimittito, mox locũ soluens puncta scriptorio specillo perforato: dein de thus nitrum ac mel pari modo mista, ut cerati crassitudo sit, imponito: post solue, & ablue. Aliud. Ex trito ueratro cum pane, aut ex acido lacte per se cataplasma facito. Aliud. Fici trito cortice illine. Aliud. Staphida agriam, quam

C herbã pedicularium, q; pediculos necet, quidam appellant, in cataplasmatis modum imponito.

Ad alphos, & ephelidas, lenticulas, & id genus alia. Cap. 9

Cucumeris syluatici radicis succo trito et cribrato faciẽ deterge. Aliud. Alcyonio ex uino trito faciẽ obline. Aliud. Vitẽ syluestrẽ contusam, & uino Aegyptio maceratã superdato. Aliud. Erucæ agrestis radice trita, & ouis felle excepta utitor, facie prius nitro peruncta. Aliud.

Elaterium ex aceto terens, & ad mellis crassitudinẽ redigens, ceratoq; admiscẽs inunge. Aliud.

Cinabari ex melle faciẽ illine. Aliud. Cachrys semine trito ipsas lenticulas inunge, & arefactum ablue. Aliud. Syluatici cucumeris radicem, ficiq; summos ramulos in aceto feruefactos tritosq;

D imponito. Aliud. Veneris umbilici radicibus ex melle cõtritis faciem illine. Aliud. Rubia ad maculas à sole contractas & alphos benefacit, si ea trita ex oleo facies inungatur. Aliud. Zonchũ amarum terens ex melle faciei imponito. Aliud.

Anethi semen ex uino uetere tritum & ad mellis spissitudinem redactum, faciei obducitor, atq; ita per integram noctem remaneto, sequẽti mane illud remoueto, recensq; aliud reponito: eodẽ q; q; semine cõmanducato ephelidas & lenticulas utiliter illinito. Aliud. Alba uiola ex aqua ad eadẽ proficit. Aliud. Aphronitrum tritum cum cerato ex tyrrhenica cera confecto faciei superdato.

Ad alphos & album colorem.

Alcyonium ustum melli'que admistum illitum prodest: eodẽ quoq; cum erui farina & tritici misto

sto quammaxime calido faciem detergeto. Aliud. Amara amygdala cortice spoliata aceto acri excipito, & cataplasma facito. Aliud. Ocymi semen cum gallinaceo aut anserino adipe tritum benefacit. Aliud. Fœnum græcum ex aceto tritum squammulas, si illinatur detrahit.

Ad ephelidas & lenticulas.

Myrrha & crocum, si aqua macerentur, illita iuuant. Aliud. Purpuras, aut uocatas cerycas hoc est buccina expiscatus, in ollulam cōijce, & in furnum assandas mitte, deinde ex melle tritis utere.

Ad faciem albam & extenta cute reddendam.

* Cucumeris syluestris radices in frusta diuide, & refrigera: deinde aqua elixatis ac tritis in cataplasma utere.

Aliud faciem splendidam reddens.

B Ex eruo bene olente uino macerato cataplasma facito. Aliud. Tritici, quod semidalin uocant, succū exprimēs humidiorē partē abijce, parti illi autē, quæ subsedit, oui album cōmisceto ad mellis spissitudinē, atq; hoc faciē perunctam oleo deterge: à sole autē maculatam faciē frigida multa lauato; & per unum diem facies coloratior redditur * satis elixans parum aluminis inijce: deinde lixiuiū admiscens ac terens utere multo inungens oleo, sic enim facies grati coloris, bonūq; odorē os spirans efficitur. Cupressi atq; ilicis taleas una ferue-faciēs decocto corpus totū madefacito. Aliud. Thuris & pæderotis æquas portiones misce, & ex melle tere, ita faciem inunge, atq; integrā diem * sic dimitte, deinde ablue. Aliud. Lini fæcem melli admiscēs sub solem iter facturus corpus inungito, eo tamen prius nitro perfricto.

Ad impediendam solis exustionem, & exustam faciem sanandam.

Bulbo cādido trito ex melle inungito: quòd si facies citra phlegmonem tumefacta fuerit, nigrā terrā ex aqua cōterens superdato. Aliud. Alcyonio & nardo gallico simul tritis utere.

Ad oris uitia. Et primo, Ad labiorum rimas.

Immaturam gallam tritā accipito, & resinā terebinthinā cum hyssopo & melle, atq; his perunge.

Ad altiores scissuras. Cap. 10

Caprinus adeps mundatus proficit. Aliud. Adeps anseris, & mel, & terebinthina æquis portionibus addito flore rosarū, hyssopo arida, & mastiche, fiat inunctio.

Ad oris halitum commendandum. Cap. 11

Vino uetere bene olente, in quo iris maduerit, os collue, assiduèq; in ore breui tempore contine. Aliud. Vino paulisper os sublue, in quo serpillum maduerit.

Ad oris ictros absq; ulcere odores.

Nonnulli meraco uino, cui myrrha admista sit, os eluunt, atq; rotundum odoratū iuncū terentes, partes oris internas perfricant. perinde & marmoreusto cum aneso utuntur: ita & hordeo cum sale * & melle: quidam & panniculum cremant, & uino inijciunt, atque ita trito utuntur & pumice & nardo & myrrha ex melle: semidalin quidam & irin cum melle miscentes cōburunt, atq; ita utuntur: et ex ostreis purpura & buccino cum myrrha:

A cumq; cubitū eunt, aceto acerrimo colluunt. commanducant autem nonnulli domum egressuri pini folia, & aqua os subluunt. quidam præterea & anesum, aut dulcem radicem, aut irin, idq; genus alia aliquo iter facturi commanducant.

Ad dealbandos dentes, aliaq; eorum uitia sananda. Cap. 12

Vtuntur autem & huiusmodi quibusdam dentifricijs, quæ unà & gingiuis prosunt, & dentes splendidos firmioresq; reddunt: terram eretriadam uocatam ustam tritamq; adhibent. hoc ualde bene splendidos dentes reddit: farina erui lotio subacta illine. Aliud. Animalis dasypodis à pilosis pedibus uocati caput ustum cū fœniculo quā albissimo & sepiæ tritis ossibus admiscens utere. Aliud. Cornu ceruino usto tritoq; utitor: hoc & dentium dolores tollit, & ex rosaceo impositū capitis dolores discutit. Aliud. Pulegio & sale fricto mistis ad eadē tritis utere. Aliud. Ouillo talo usto ad similia utitor. Aliud. Hordeo tosto & sale mistis tritisq; utere.

Diaclysma, id est collutio ad ulcera, & dentes titubantes infirmosq;.

Alicacabi radicē unà cum mali corio frequenter elixam colluito. Aliud. Albæ populi, aut uerbenacæ radicem accipito, aut eryngij radicem uel ipsam herbam, aut polij radicem accipito, & terens apponito.

Ad concussos dentes & dolentes.

Asini ungulam ustam tritamq; aceto excipe, & orbiculos faciens repone, ad usum aceto orbiculum unum liquato, datoq; ore continendum: ilico * C enim dolorem sedat tollitq;. Aliud. Nigri chamæleonis decocto si foueas, dolorē dentiū curabis. id & mures necat. Aliud. Betæ succo si fiat collutio, cōfestim dolor finit. Aliud. Alterci radicis calidiore decocto si foueas, dolor quiescet. Aliud. Rutā hyssopū & myrrhā ex uino tritas ore cōtineto. Aliud. Si ex uerbasci radice aceto, posca, aut uino elixa os colluat, bene facit. Aliud. Ex nitro cū oleo facta collutio dolorē pellit. Aliud. Cupressi baccis ex uino & rosa elixis os foue. Quòd si dentes omēs doluerint, cedri liquore os si collues, protinus dolori succurres. Dens molaris si doleat, maluæ unicum habentis cauliculum radice si tangas, dolor abibit.

D Dentes dolentibus herbæ muralis radicē, cum balneas ingrediuntur cōmanducandam prebeto, quam sub molari dente, quoad ex balneis egrediant, retinēto, & dolor euanescet. Aliud. Pyrethri radicula cōmanducata eodē die fugat dolorem. Aliud. Herbæ pontitidis uocatæ radix māducata dolorē finit. Suffimentū dentes dolentibus. Alcyonij suffitu cōtinuo dolor tollit. Aliud. Alterci semen suffitū dolori medetur.

Vt dentes bene oleant.

Cimoliā cū sale terito, dentesq; fricato. Aliud. Dentem canis accipito, & in ignē cōijce, suffitūq; facito: ut enim iste crematur, ita dentes cōfirmat.

Ad exesos dentes.

Ad exesos autē dentes, atramento sutorio trito permistū piper accipito, aut gallam: Aut ex melle fissum

A le fissum alumen in cauum dentis inserito, & dolorem leuabis. Aliud. Limacis lapidē in frustula sesami magnitudinē æquantia cōfringe, & in dentis foramē immitte, ilico dolorē sedat, sed ex cera operculū facito. Aliud. Taurinū iecur lento igne frictum dentiq; impositū simulatq; tetigit dolorē discutit. Aliud. Testudinis unguis in maxillaris dentis exesi foramen cōiectus multū proficit. Aliud. Fel ursi impositū ilico dolorē leuat, curat autem etiam quoquo modo illinatur.

Ad dentes motos & labantes.

Testudinis sanguis diu ore contentus dentes corroborat. Aliud. Alcyonio indico ex uino trito si os colluatur, motus sistitur.

Ad dentes ex ictu concussos.

B Coralium imponito, & satis diu contineto.

Ad dentium stuporem.

Aegrotus portulacam mandito. Aut oleo omphacino perungito. Aut amurcam olei in uase æneo ad mellis temperaturā coquito: hac enim uetusta si inungas, ualde prodest.

Ad dentes eximendos sine ferramento & absq; dolore.

Fermentum denti circundato, & paulisper relinquito, mox dentem lacertæ sanguine circumfundito, & excidet.

Vt sponte dens excidat.

Pyrethrum aceto mollitū saleq; per trigina dies maceratum denti prius mundo facto circumponito. Aliud. Artemisiam herbā ex aceto tritam obline. Aliud. Dentem circū suffodiens uermiculis, quas campas uocant, in summis brassica-C rum aliarumq; herbarum folijs repertis illine, ab alijs dentibus cauens. Quòd si inferiores dentes eximere uoles, illis uermiculis utere, quæ in inferiore parte illarum herbarū reperiuntur. Aliud. Sandaracham ex aceto tritam siccari permitte, & sicca utiliter utitor, prius sanguinem circum dentem eliciens: sic enim paulisper dimittens, digitis ipsum eximes. Aut agrestis cucurbitulæ radicem
* in foramen dentis conijce. Aliud. Mœdi immaturi radicem arefactam tritam & cretam radicibus dentis circunda, & paulo post digitis apprehende, sequetur enim. Aut æthiopicæ oleæ lachryma affectum dentem tangito. Aliud. Lacertam agrestem arefactam, dissectam, cōtritamq; repone, cum dentem circum mūdaueris imponito, D & paulo post attrahito, quoniam sequetur. Aliud. Vrticæ semina cum galbano mista affecto denti circumline, & protinus excidet.

Ad eximendos sine dolore dentes.

Herbæ lappæ radix calefacta, & denti apposita facit, ut statim digitos sequatur.

Vt dentes digitis euellantur.

Syluestres cucurbitulas scinde, & aceto macera ad mellis spissitudinē, deinde ferramentū ad scalpēdos dentes in medicamentū demitte, eoq; dentem circū scarifica, atq; os paulisper clausum haberi præcipe, deinde apprehēde digitis dentē & attrahe: absq; dolore euelles. Aliud. Farinā ex lacte tithymalli adhibe, & hederacea folia superimpone, per horāq; dimitte: frangef eñ sine dolore.

Ad ulcera oris & putredines. Cap. 13

Melanteria cōtusa prodest. Ad eadem bene facit & oleum immaturū separatim aut cum melle propinatum. Proficit & glaucuris uocata cōtusa, eius succum ex melle & aqua paribus portionibus ad gargarizandum exhibito.

Ad uuulæ morbos. Cap. 14

Gallam tritam per se admoueto digito oleo intincto, aut in cochleariū inijciēs applica. Aliud. Spinæ Aegyptiæ semē tritū atq; aridum appone. Aliud. Caricas cum oleæ folijs esui dato. Succū cyrenaicū cum sale arefactū apponito, prius gargarizatione ex aqua calida facta. Aut fissum alumen ustum diligenter admotū iuuat. Aut stellionem uiteis lignis crematum imponito, & bene facit. * Aliud. Rubi cauliculos ex melle & pice liquida maceratos circunda. Aliud. Lapidis agerati quasi nunq; senescētis florem admistū gar- * garizandum dato. Aut brassicæ succo admistū alumen fissum & gargarizatū mirifice prodest. Vstorium uuulæ apponendum. Mysi & calcem uiuam æquis portionibus resina terebinthina excipe, & subde, retinendamq; permitte: intra horas tres aufert. Item proficit ad uuæ affectum picis recremen * tum, quod ex Cilicia aduehitur, cochleario exceptum & subditū. Et uuæ acerbæ succus ex melle, aut prædulci uino. Dicitur autē incolumem seruare columellā si quis uuę acinos quotannis ieiunus deuoret, & nunquā eius partis affectu uexabitur. Iisdem præterea gargarismatis in columellæ uitijs utendum est, quæ ad tonsillas affectas describentur: primū atq; inter initia iube aqua calida os fouere, deinde frigida gargarizare, aut posca, aut mali punici dulci succo ad mellis crassitudinem decocto & aceto mulso eliquato: aut dracunculi succo gargarizet, & optime proficient.

Ad inflammationes tonsillarum & anginas. Cap. 15

Id uero bene facit in tonsillarū tumoribus. Myrteas baccas præparantes melle, absinthio, & dracunculo innuere consueuerunt. hoc autem medicamentum illitum, aut cum aliquo gargarizatum mirum in modum prodest. Quod si aliquę phlegmones reliquiæ supersint, tonsillæq; exasperatæ sint, lacte planè calido per se, aut cū supra positorum aliquo utendū est: aut furfuribus aqua elixis, aut mulsa, aut furfurū decocto, aut dulcis radicis, * aqua calida farinā subigens bis aut ter, succo utere: aut gallinæ hœdi' ue iusculo, aut hordeū cortice liberatū unà cum passulis decoque: aut maluæ decocto per se utere, aut unà cum melle maluam elixa, aut cum lupinis & uino dulci, & utitor.

Ad tonsillarum tumores & anginas.

Dulcis radicis succum eliquans utere. Quòd si crustæ factæ sint, ad has remouendas, mulsa gargarizandū est, aut lentis decocto per se, aut cū hyssopo aut iride, uel etiam oliuarū salsarum aqua gar- * garizetur: aut croci parum & myrrhæ cum modico uini dulcis inferuescant: aut ficis elixis hordei farinam permisce, succumq; exprimens percola, & succo utere: aut ficorum decocto sinapis modicum adijciens gargarizandum propina: pituitam

nanq;

nanque detrahit, & phlegmonem discutit.

Ad abscessus in tonsillis.

Aliquod ex ijs, quæ supra comprehensa sunt, proficit: item aphronitro contrito locũ tange, interdum autem & florem nitri adiunge: separat enim crustas, & abscessus attenuat, si per collutionem propinet. & lixiuio percolato marrubij succus dilutus utiliter exhibetur: aut ipsum marrubium in mulsa coctũ, aut rutæ decoctũ cum marrubio aut per se aut in mulsa elixo subsidio est. itẽ & rutæ succus gargarizatus, & erui decoctum similiter prodest: aut misy cum galla immatura mistum: aut myrtũ liquido alumini ac melli paribus portionibus tritam miscens illine. hoc remedium non crustas solum abijcit, uerum etiam antiadas à Græcis uocatas glandulas mirifice dissipat: aut porcelli cruore manus imbuens, ter laborantis collum attinge. Aliud. Cochleas testa nudatas in ollam inijce, deinde torreas, & in cinerẽ redigens, puro melle ac leni excipe, atque perunge. uis eius incredibilis est.

Ad interruptam submissamq; uocem. Cap. 16

Bulbos duos crudos ex melle esui dato: auxiliatur & fici decoctũ cũ thure & myrrha gargarizatum: ad idem facit & sulfur ignem non expertũ in ouis deuoratũ cochleariorũ duorũ aut trium pondere. Aliud. Accipe amygdalas amaras xx. seminis lini asi drach. iiij. tragacanthæ aqua maceratæ drach. ij. nucleos pini triginta: melle excipe, & utere. Aliud. Pulegij drach. iiij. seminis lini, piperis, calamenti, ana drachmas duas: petroselini drach. unam. mellis lib. unam.

Ad eos qui prope suffocantur. Cap. 17

Humanum stercus in panniculo deligatum & crematum potui dato, hoc iam suffocatis opem fert. Aliud. Et caprinum stercus cum melle & liquida pice illitum angina laborantibus summe prodest: aut rutæ succo & lacte per strigilem trãsmisso laborãtis fauces collue: multũ enim lachrymam detrahit, & malum leuat. Aliud. Vrina assidue gargarizata sanitatem restituit, unà uero & succum brassicæ gargarizare oportet.

Ad puerorum crustas in faucibus. Cap. 18

* Prius inungito, deinde uinũ, in quo aristolochia decocta fuerit, gargarizetur: citissime curabitur.

Ad ossa deuorata aliaq; omnia ex gutture excutienda. Cap. 19

Aquæ & olei parem modum in os fundens cõtineto, quoad rem deuoratã eijciat. si quis comedens aliquid deuorauerit, & suffocetur, ex eadem re, quam comedebat, particulam utrique auri super imponat ac super caput: res enim deuorata strangulansque descendet.

Ad hirudines ex gutture eijciendas. Cap. 20

Marina aqua gargarizetur. Aliud. Olei, aut succi cyrenaici magnitudo erui ex uino puro calida potui detur. aut succum anagallidis, aut acetum acre cum thymo propina, postea calẽti aqua gargarizetur.

Ad distillationes. Cap. 21

Caseus antiquus in cibum sumptus iuuat: ipsas enim resiccat. oleo ueteri nares assidue perunge, aut sulphure & myrrha contrita cum uino & melle & oleo.

Ad tusses. Cap. 22

Fici puro uino madefacti & in cibũ sumpti bene faciũt. Aliud. Resina terebinthina in melle cocta linctui detur, postea uinũ merũ dulce sorbendum exhibeatur. Aliud pueris magis commodum, Coagulum purũ elixo melle comprehende, & exhibe. Aliud. Canem lycurgũ uocatum excoriatum epulandum appone. Aliud. * Allium ex melle decoctum succurrit tussiẽtibus. Aliud. Scyllam accipito, & eius summum excauato, in cauo conijce ouum, locumque creta obtege, & assans edendum exhibe.

Ad tussientes assidue.

Hyssopi fasciculũ in aqua ad tertias decoquẽs, ieiuno per triginta dies calidam potui dato, pueris uero etiã cum caricis. Aliud. Pernam contundens & instar farinæ in locum affectum spargens, iuuat: hoc idem & sanguinis ex ore eiectioni succurrit egregie. Aliud. Sinapi tusum tritumque cochlearij mensura cum uini cyathis duobus deinceps per dies tres bibendum dato.

Ad nocturnas tusses.

Mentã tritam in acetũ cõijce, & ad sorbendum propina. Suffitus ad tussim. Styracis, masticheś, piperis, petroselini, ana. drach. unam: sandaracæ drach. sex: baccã lauri unã, impone carbonib. accensis, & per calamum æger fumum excipiat.

Ad asthmaticos, id est, suspiriosos. Cap. 23

Vinum, aut mulsam, ubi scylla decocta fuerit, propinato. Facit & pulmo uulpis siccatus, & tritus ex uino nigro potui datus. Aliud. Nasturtium album tusum & melli mistum lingendum exhibeto.

Ad spiritus difficultatem.

Ouium pilos, qui circum anum sunt, accipe, * hosque ustos ac tritos in dulci uino propinato. Aliud. Sulfur ignem non expertum ex uini cyathis quatuor potui dato. *

Ad recta ceruice spirantes.

Radiculam ex aqua calida propinato. Aliud. * Sedũ ex melle tritũ linctui dato, aut bulbũ, aut abrotonum, aut halicã ex mulsa, aut hyssopũ in mulso coctum, aut herbam stœchada, aut castoreũ ex dulci uino, aut scyllæ intranea ex aceto mulso.

Ad sanguinis ex ore profusionem. Cap. 24

Symphyti herbæ radice, quanta potest, uescatur, eodemque die acetũ ne gustato. Aliud. Terram samiam dato, interdum cum succo herbæ sanguinalis, interdum per se. Dicebat autem Hippiocentaurius, ad sanguinis eruptionem magnifice proficit urticæ succus ex uini cyathis tribus epotus: iuuat præterea acetum absorptum præcipue scyllinum: item & mentæ succus & tragacanthæ sub lingua contentus.

Ad eos quibus ex aliqua ui in interiora sanguis erupit. Cap. 25

Accipe uitis cinerem aceto extinctum, plusque aceti superfundens eliqua, & per panniculum ex-

cola, id modica aqua temperatū propina cochleariorum sex mensura: hoc & locum saguinem fundentem adstringit, & concretum sanguinem, deuoratum liquat & excernit, et cruoris profluuium compescit: est enim sanguinis in interioribus locis exitus repressiuum.

Ad omne sanguinis profluuium. Cap. 26

Symphyton herbam ex aceto faciei superdato, si ex naribus sanguis decurrat: si ex pectore feratur, thoraci: si ex uesica, aut utero, aut renibus, coxendicibus imponito.

Ad sanguineum sputum & tabem uel phthisim. Cap. 27

Gummi partem nigram dulci uino elixam exhibe sub lingua continendam ac deuorandam: ad sputū enim sanguinis & tussim gummi nigra pars uehementer facit.

Ad phthisim non perfectam sanandam.

Pulmo cerui calamo extractus & arefactus cōteratur, ipsius cochlearia tria ex mellis cyathis tribus exhibeantur: deinde paucis diebus interpositis iterum propinetur.

Ad phthisicos, & purulenta sanguineaq; sputa reijcientes.

Vtamur salito caseo, eum cū pane esui dantes, ipsum ita colluētes aqua ter & quater donec aqua salsa non reddatur: ipsum deinde charta inuoluentes cremamus, damusq; sine oleo exiguum mulsi infundentes. Herophilus autem salitum caseum solum cum pane exhibet: postea uero aquā potandam iubet: dicens cum sal in caseo aluū perturbat, uinum quidē datum soluit. utimur & scylla tosta cum salsamento in ipsa, & uehementer purgātur: item & porro cū pane: postea cum diligenter purgati esse uidebuntur, si infirmiores fuerint, ipsos carnibus & alijs id genus reficimus. Eadem ratione utimur in ijs, quæ ad purgationem attinēt, ubi abscessus eruperint. Herba quoque piscis uocata cum axungia non salita esui data sanguinem reijcientes ac tussientes mirifice adiuuat.

Ad lateris phlegmonem. Cap. 28

Radicis corticem in potum exhibe, cuminum, quo in obsonijs utimur, in aquā inijce et bibēdum exhibe. Aliud. Rutæ coliculos quinq; contritos quotidie dato: aut herbæ stœchadis quantum tribus digitis capi potest. Item trifolij semē, aut panacis radicem, aut aiugam similiter potui dato.

Ad erigendas distendendasq; mām̄as pendulas ac flaccidas. Cap. 29

Terram scriptoriam capiens & cum melle elixans panniculo illitam imponito à summo mane usq; ad uesperam, deinde spongiam ex olla superaddito, quoad cataplasma abduxeris: hoc autē & arrectas & turgidas mām̄as facit. Crassius autem cataplasma imponas, si uis ipsum efficacius reddere, & gallæ acerbæ unciam unam admisce.

Vt mammæ plures annos molles sint.

Ex cicuta carystia cataplasma facito.

Vt mammæ maiores ne fiant.

Porcellum dissecans cruore mammas obline, amplius non augescent.

Ad fœtidos sudores, & alarum tetros odores. Cap. 30

Asaro alas subline, à balneo & summo mane quotidie aut alumine liquido perunge quotidie,

A aut ocymi semine ex uino & melle illinito: hoc odores fœdos alarum discutit: Aut puluerem tenuem admoue.

Ad lac siccandum. Cap. 31

Cretarium aceto maceratum illitum & impositum lac arefacit.

Ad uitio stomachi laborantes. Cap. 32

Cedri liquoris cochlearia duo, olei immaturi cyathum in unum miscens sorbendum dato, id omnem dolorem funditus tollit. est autē Serapionis, fidemq; hominum superat. Aliud. Anesum in panniculo succi plenum deligato, & in aquam calidam conijcito, & sorbere iubeto.

Ad imbecillos & nauseantes.

B Mentę coliculos duos aut tres mali punici dulcis succo atque aceto inferuefaciens sorptui dato. Aliud. Sambuci tenera folia ex munda aqua si bibantur supra fidem proficiunt.

Ad morsus uentriculi sine bilis uomitu.

Tragoriganum in aqua pari modo macerās sorbendum exhibeto lactis faciens temperaturam.

Ad stomachi imbecillitates.

Sinapi frictū ex aqua tritū & potū bene facit.

Epithema ad stomachi præcordiorumq; uitio laborantes.

Fæcem aridam cerato myrteo aut roseo accipe, & utere.

Ad singultum. Cap. 33

Cum semel singultum sensit, digitum tuum sinistræ manus, quem salutatoriū uocāt, ter ore contineto: aut acetum ei sorbendum dato: aut cuminum, & alicam: aut uomat & singultus sedabitur: C aut spiritum contineat: aut sternutatione utatur: aut rutam ex uino bibat: aut micā panis aceto madentem bibito: aut porcelli ossiculum manu atterito: singultus quoq; terror incussus finit.

Ad choleram & uomitum. Cap. 34

Vinum olbinū in cholera ex usu est. stomacho enim commodat, & ad uentrem bene facit.

Ad uomitum comprimendum.

Herbæ sanguinalis succo cibos inficito. Aliud. Absinthium in aqua ad tertias decoctū potui dato habitum ęgroti considerans: centaurium præterea, aut thymum aut nigras myrti baccas similiter exhibeto.

Vt facilis sit uomitus. Cap. 35

Sansuci folia esui dato. Aliud. Lixiuio per D colato oras poculi oblinito.

Ad uolulum mirū auxiliū, & ad stercus uomentes. Cap. 36

Ita facito: oleum in quo anethum decoctum sit, bibito: quoad autem elixatur, ægrotū in calidam aquam demitte, & ab olei potu calidas micas esui concedito. seruabitur enim etiam si iam strangulentur. hoc ego principem in nostra Asia seruaui.

Ad eos qui crebro uomunt. Cap. 37

Rhun & cuminum in unum contundens da ex aceti mulsi cyathis sex unciam in potum.

Ad cholera uexatos ualde efficax.

Menta ex uino sumpta, si febris absit, herba quinquefolia arida trita ex uini cyathis septē, aut ex aquæ calentis cyathis duobus pota statim dolorem leuat. Aliud. Cochlea cum testa contusa potui danda est.

Ad supprimendum uomitum.

Foliorum & capreolorum uitis succus cum polenta ieiuno in potũ detur ex aqua cochlearij pondere. Aliud. Panacis obolum ex uino & oleo calido propinato.

Ad iocinoris uitia. Cap. 38

* Petroselini seminis cochleariũ, menta insperſa & epota proficit. Aliud. Herba fumaria uocata in succũ soluta, & in pastillos redacta aridaq; indolentiam præbet, ter autem ex aqua pota liberat. Aliud. Lupi iecur denarij põdere ex uini dulcis sextario exhibitũ bene facit. Aliud. Piperis albi grana nouẽ, & myrrhæ quod auellanæ magnitudinẽ æquat, omnia unà cõtusa sereno cœlo alternis diebus exhibeto ter aut quater. A-
* liud. Equi iecur pœnu cedrino reponito, deinde chio uino & aqua dilutum exhibeto: quibus enim iecur ulceratum est, ne amplius exedatur, efficitur. Aliud. Maluæ succus ex melle potus iocinorosis medetur. Aliud. Hastulę regiæ radix pota iocinoris dolores leuat. Aliud. Alba uiola pota confestim iocinorosos dolore liberat. Epithema iocinorosis commodum. Laserpitium contusum ueteri axungia comprehẽde, & linteolo illitum superimpone. Aliud Fico in mulsa decocto & trito absinthium contusum quamplurimũ admisceto, & utitor. Aliud. Brasſica cruda superdata iocinorosis celeriter opitulatur.

Ad arquatos. Cap. 39

Radices acãthi, quod Romani tricardumæam uocãt, uirides tres, aut aridas quatuor in aqua decoquito, donec dimidium relictum sit, & expressis radicibus aquam potui dato. Ad auriginẽ ualde efficax medicamentum, & longa experientia comprobatum. Raphanos uirides cum folijs contunde, & unius duorum'ue succũ ex uini cyatho uno exhibeto: ante balneum uero, si ieiunus fuerit, propinato, & in calidum solium descendere iubeto: uidebis enim auriginem aquæ supernatan-
* tem. quòd si contumacior ęgritudo fuerit, succum bibere iubeto: aut anchusæ radicis aridæ cochlearia duo accipiens ex aquæ cyathis tribus potandam dato: aut sulphuris ignem non experti cochlearia quatuor ex uino, aut herbæ Sabinæ unciam ex mulso. Ego sanè & hoc utor uehementer faciẽte, aphronitri uncias duas in uini aminæi cyathis duobus macerans, sub diuoq; noctem integram exponens do ieiuno potandũ, idq; facio per tres aut quatuor continuos dies, & sanitatẽ restituo. Aliud. Herbam hypericon & adianton aquæ incoctã potandam offeras. Aliud. Myticam ex aceto tritã potui da, arquatos curat. Regio morbo affectũ in balneum abducens, & in solium descẽdere iubens iunci odorati uncias duas ex uini mulsi cyathis tribus potui exhibe: discutiet longam auriginẽ, & liberabit. Aliud. Herba rubia utere in quotidiano uictu absq; carne suilla, ipsam cõtundens & cribrans da usq; in sextum diem cochlearium unum ex uini quatuor cochlearijs: deinde semper subtrahens dato uini cochlearia nouem, deinde septem, postea quinq;, deinde

A quatuor, deinde tria: quòd si tricesimo die fuerint aliquæ morbi reliquiæ, eadem exhibeto similẽ ordinem seruãs. Aliud. Chamæmelum ex aqua potum arquatum pellit, & iocinorosis uehementer auxiliatur. Aliud. Radicula ex melle & lacte pota medetur. Aliud. Aselli, hoc est, centipedæ sub aquarijs uasis repertæ tritæ ex mulso potæ regio morbo liberãt. Aliud. Serpillum aquæ incoctum & potui datũ auriginẽ summouet. Aliud. Sulphur ignem non expertum mensura unius cochlearij aut duorũ ex uino potũ arquatũ curat. Aliud. Ferri ęrugo cito liberat. Aliud. Capreæ stercus aridum tritũ cribratũ cochlearij mensura ex uini odorati cyathis quatuor ieiuno & loto exhibe: febricitãtibus autem ex aqua ean-

B dem portionem. Aliud. Vrsini fellis quantũ Græcam fabam æquat, exhibeto, deinde aquã superbibito. Aliud. Sabinæ cyathus ex mulso potus hoc morbo liberat. Aliud. Thus aquæ incoctum propinato. Aliud. Terrestrem lumbricum tritũ potui dato. Aliud. Aristolochiã ex aqua exhibeto. Aliud. Cichorij succi cyathos quatuor si biberit, sanabitur. Aliud. In medium balnei conclaue descendere iubeto, ut sudet, & egressus sanus erit. Aliud. Stercoris canini albi cochleariũ ex uini optimi cyathis tribus per dies decẽ propinato: hoc idem ad colicos dolores & inflationes pariter proficit. Medicamẽtum ad morbum regium, quod in nares fundi debet. Elaterij quãtum fabæ Græcæ amplitudinem

C æquat, muliebri lacte liquatum in nares fundatur Aliud. Nigella aquæ incocta in nares cõiecta in balneo auriginem detrahit.

Ad lienosos. Cap. 40

Rumicis agrestis radix tundatur in pila: & tritæ succus exprimatur, & per tres dies singuli cyathi bibantur. Aliud. Panacis radix contusa cochlearij mensura ieiuno ex aquæ calidæ cyathis tribus exhibeatur.

Ad lienosos cum præduro tumore.

Capparis radicis corticis unciam accipe, aceti sextarium semis, aquæ sextarium integrum decoque ad tertias: propina à cibi perfecta concoctione cyathum unũ duo'ue, & hoc per interualla facito. Aliud. Hederæ foliorũ aceto incoctorũ &

D contusorũ succus expressus robustis purus potui detur, sed delicatioribus aqua dilutus: antequã bibant autẽ ipsos cõcitatius ambulare cogito. Aliud. Centaurij tenuioris, quod iam cõsenuerit, in pila cõtusi cochleariũ febre carẽtib. dato. Aliud. Leporinus lienis recens ita deuoratus, ut ne dentibus attingatur, lienosos magnificè iuuat: ignoret autẽ laborans quid deuorauerit oculis fascia uelatis. Idẽ facit & catellorũ nondũ uisum adeptorum lienis perinde in uentriculũ transmissus. Aliud. Venatorij canis catulũ aridum tritũ modico nardo adiecto ieiuno exhibe. Dicebat autẽ Marcellus id quoq; ad lienosos uehementer facere, si cardamomi cochleariũ unũ aut duo ex aceti scyllini cyatho uno duobus'ue ieiuno dentur, idq; per tres dies cõtinuos facito. Aliud. Radices

hederæ molles elixæ ex uino bibantur, aut crudæ cõtusæ ex uino itidẽ. Aliud. Asini stercus aridũ aceto dissolue, & per linteolũ excolatũ potui dato. Aliud. Raphani succus ex oxymelite macceratus per tres dies accipiat singulis diebus cyathi bini: lienẽ attenuat. Aliud. Ferri recremẽti cochleariũ ex posca potui dato. Aliud. Irin longam aceto incoque, & acetũ propinato. Aliud. * Elcorodani cor potui esuriq; exhibeto. Aliud. Muxin ex aqua elixũ, si aridus sit, succũ propinato, muxin uero dicitur lingua Cappadocia. Aliud. Stœchadis triti cochleariũ ex uini lẽtiscini cyatho bibat. Aliud. Ammoniacã guttã ex aceto tritã ieiuno exhibe cyathi mẽsura. Aliud. Muris lienẽ, & piperis grana septẽ in fico torreas, & clam epulanda exhibe. Epithema ad lienosos. B * Lapidẽ asium in uesicã bubulam conijcito, & aceto acri madefactã lieni superimponito, ipsum cõminues. Aliud. Glandem, qua unguẽtarij utuntur, ex aceto maceratã, & ad cærati crassitudinem redactã imponito. Aliud. Vulpis lienis super locum alligatus lienosos morbo liberat. Item hœdi lienis impositus lienẽ digerit. Aliud. Syluestris brassica, si ex ea cataplasma fiat, lienosis medetur. Aliud. persici arboris folia eodem modo imposita bene faciunt. Aliud. Myricæ semẽ aceto incoctũ, tritũ atq; superdatũ iuuat. Aliud. Ammoniacã guttam aceto maceratã linteolo illitam impone. Aliud. Crocomagma aceto maceratũ & ad cerati tẽperaturã redactũ imponito: non amouetur, quoad ex toto sanauerit. Aliud. C Capparis radix curiose trita & linteolo illita ac loco imposita eodem die opem tulit.

Ad lienosos.

Radicis capparis corticẽ in aquæ libra, & aceti semilibra incoquito usq; ad tertias, & potandam præbe sesquiunciam. Aliud. Hederacea folia aceto inferuefacta cõtunde, & humorẽ exprime, ac robustioribus ipsum præbeto: delicatioribus aũt aquã admisceto, sed prius ipse ambulato, atq; ita bibito. Aliud. Capparis radicem tusam & aceto mulso incoctam ieiuno potandam præbeto. Aliud. Accipe cupressi baccas, & ualide conteras, & erui farinam q; tenuissimam in acetũ mitte, & usq; ad emplastri temperaturã decoque, lieniq; per triduum impone: post tertium diem solue, & D emplastrum aquæ plenũ inuenies. Aliud. Ammoniacam guttam in scyllino aceto per triduũ demersam ac leuigatã panniculo illine, atq; impone, neq; amoue quoad emplastrũ decidat. Aliud. Folia sycamini mori refrigerata & arefacta in umbra terito, & aridum medicamentum facito scrupulorum quatuor pondere, & cum pauco pipere & caryophyllis & ex uino mero calido, cũ descendit in balneum, potui præbeto.

Potio ad aquã inter cutem, ut ea per lotiũ eijciatur. Cap. 41

Aeris usti quantũ fabam Aegyptiã æquat, fimi columbini unciam, uini cyathos tres exhibe: esto aũt unica potio. Aliud à nobis in multis cõprobatum. Tithymalli characiæ uocati radicẽ pro ægroti uiribus esui dato: statim eñ largiter aquã ducit.

A Aliud. Granũ cnidiũ tusum & cribratũ melle cõprehende, ut sordiũ crassitudo fiat, & cochleariũ plenum ex uini mulsi cyathis tribus & modico aquæ calidæ ad lactis temperaturã, aut ex ouo sorbili propinato: plurimũ eñ aquæ deijcit. Aliud. Hebuli radicũ succi cyathi duo, uini tantũdem in unũ misti & exhibiti liberant absq; stomachi subuersione. Aliud. Graminis decoctũ potui datum urinã citat. Aliud. Solani succi cyathi quatuor, mellis cyathi sexdecim in potũ sumpti bene faciunt. Aliud. Hyssopũ, & hirci lotiũ ex dulci potum urinã mouet, perinde & si caprini copiam habueris. Epithema ad hydropicos. Hederã crematã diligẽter in modum cataplasmatis impone. * Aliud. Raphanos aquæ incoctos, quoad teneritate flaccescant, accipe, deinde hordeacea farina adiecta misce: decoque, & cataplasma facito.

Ad tormina & uentris dolorem. Cap. 42

Aristolochiæ radicem in uino potui dato: ad tormina, singultum, capitis dolorem, & partus difficultatem bene facit. Sternutatio ad tormina & omnia interna uitia proficit. Aliud Lychnitidis herbæ radix lota, dulci uino incocta deinde percolata & pota magnifice prodest: sin minus autem, cibis tuis adijce modicum casiæ & olyræ non contusæ.

Ad tormina intestinorum & uentris. Cap. 43

Cumini fricti & cõtriti cochleariũ unũ duo'ue ex aquæ cyathis tribus potandum est, & aduersus inflationes acetum feruefacito ac refrigerato: postea apij semen tusum admisceto, ac iterũ acetum feruefacito, ex eoq; potionẽ dato. Aliud. Irionem herbam ex aqua tritã potandã dato. Aliud. Ex lampro, quod satis est, tritum ex aceto ieiuno exhibe. Aliud. Laurum commanducãs ieiunus succum deuorato: partem commanducatam umbilico imponito: ilico tormina finientur.

Medicamentum ano immittendum alui purgatorium. Cap. 44

In fel tauri lanę hapsum intingito, anoq; immittito. Aliud. Gallicum saponem lana inuolutũ submittito, aut liquidum alumen potius.

Ad intestinorum tormina. Cap. 45

Lentẽ tenerã cõtusam cum rubi radice elixam imponito, ac esui dato. Aliud. Flores mali punicæ domesticæ acido lacti incoctos contere, & oleũ eodem modo infunde, & edendos appone. Aliud. In milliũ contusum elixũ, uitulinũ adipẽ infunde, & q; purgatissimũ calidissimũq; sorbendum exhibe: postea gelidissimã aquã sorbeto, & confestim erit incolumis. Aliud. Gallæ interiorẽ partẽ tritam ac leuigatã accipito, farinaq; admista & oui albo pastillos effingito, atq; assos frãgito, uinoq; nõ salito madefacito, & esui dato.

Medicamentum ad torminosos uentriculosos, & læuore intestinorum laborantes, quod per linctum accipit.

Laserpitij ramẽta melli cõmiscens linctui dato. Aliud. Ouũ, mel, uinũ, mali punici putamina pari portione in uinũ miscẽs frigito, & piperis modicũ inspergito, ac potionẽ dato: uehementer facit. Aliud. Oua tria accipiens in acetũ conijcito, ac

ita

ita per triduũ macerari finito: deinde fimilaginis modicum capiens cum tribus ouis fubigito: mox affans, & meraco uino madefaciens exhibeto.

Potiones ad torminofos & uentriculofos & leuorem inteftinorum.

Vinum adftringẽs, cui rus obfoniorum ufq; ad tertias incoctus fit, potandum iubeto, quibus uentriculus male fe habet. Aliud. Vinum aufterũ, cui galla incocta fit, illis potui pro uiribus concedito, quorum uentriculus fluxione uexatur.

Ad uentris profluuium. Cap. 46

Callitrichi ex aqua decoctum dato. Aliud. Stoebẽ, qua ad teftacea uafa uti folent, fpinis afperam in pila cõtundito, & aquæ incoquito: & aquã in dolore uẽtris abfq; uino propinato, cũ febrim habent: cum febre uacãt, uinum cõmifceto. Aliud. Nucum putamen, quod nucleos includit, tritum ex aqua potui dato cochleariorum trium mẽfura. Aliud. Cornu ceruinũ mollius uftum cum gallæ pari portione in potum dato. Aliud. Rumicis femẽ contritũ & potioni cibo'ue infperfum optime facit. Aliud. Nucum internum illud, quod inftar columellę eft, et capitũ papaueris quod ueluti operculum eft, pari portione ex uino exhibeantur. Aliud. Quernas glandes contufas & diutius cribratas, ut polentã in uinũ aufterũ fpargito, portionemq; cõcedito. Aliud. Carabi teftas frictas & tritas ex aqua porrigo. Aliud. Struthocameli uẽtriculus & aliarũ auiũ fimiliter cochleariorũ duum menfura ex uino potus febri abfente, præfente uero, ex aqua. Aliud. Thuris grumus fabę magnitudinis in uini nigri cyatho uno, folani fucci cyathis duobus eliquatus in potum detur. Aliud. Gummi albi cõtufi unciã ex uini nigri cyathis fex bibito: ad idem ano impofitum facit. Aliud. Cochleam Aphricanam fumens in eam liquidã picẽ infunde, & calefactę carnem exime, & in anũ bis aut ter immitte. Aliud. Serpentis fenium, hoc eft, fpolium, in uafe aheno ex oleo frigens, quoad in carbonem uertatur, contere, & digito in oleum intincto anum perunge. Aliud, Herba facra inferius fouetor, aquam ne attingito. Aliud. Beta ex aceto contufa, & cataplafmatis more à fuperioribus ad inferiora ufq; impofita torminofis magnifice prodeft. Aliud. Ceruorum offa contufa uentri illinito.

Ad dolores torminoforum. Cap. 47

Malum cotoneum affum cum cerati rofei pari portione impofitum ilico dolorem leuat.

Ad laxioris inteftini, quod colon uocant, dolores. Cap. 48

Oftreorum teftæ crematæ & tritæ potui dentur, duarum ligularum modus fit ex calentis aquę cyathis tribus. Aliud. Thymum cretẽfe aquæ ufq; ad tertias incoctum ex attico melle propinetur. Aliud. Sacram radicem tenuem in aquam mitte, & ad dimidias elixa, decoctum per quinque dies potui def, & morbo liberat: hoc in multis probatum eft. Aliud. Viridis menta elixa per triduum exhibeatur, & nunq; dolebit. Aliud. Lauri fummitates teneræ ligneæ efæ per triduũ liberant: ollula uero, ubi mẽta incocta fit,

A caue ne per triduum illud terram attingat.

Ad interfeptum.

Fraxini ligni ramentorũ cyathus triduum potui datus fanitatem reftituit. Aliud ad multa faciens. Cucurbitulam fylueftrẽ Alexãdrinam excauatam non ferro, & expurgatã in uini coi fextariũ mitte, & feruefacito, uinũ poftea ad temperatum calorem reuerfum bibito, & deambulato: & dolore folutus erit. Detrahit multa excrementa hæc potio. falem autem, ne naufeet, ore cõtineto. bene facit & ad coxendicis dolores. *

Medicamentum ad coli dolores fubdendum.

Opium hifpanum lactuca excipe, & in peffum redactum fedi immitte. Aliud. Allij nucleolum lixiuio calefactũ ex inferiore parte indito, &
B arido ftercore detracto fanefcit. Aliud. Si coli dolore tentatus dormientem canem expergefecerit, & in locum, ubi canis dormiebat meierit, ftatim dolore leuabitur, canis morietur.

Remedium colicis & inflatis exterius imponendum.

Cerato liguftrino laferpitium comprehẽde, & impone: ego uero & modicũ caftorei admifceo, & efficacius redditur.

Ad tormina.

Græcũ cuminum mãducato ac deuorato. Aliud. Cnici cõtufi & fœnigręci elixi fuccũ potui offer. Aliud. Pectinẽ in aqua calida madefactũ & ablutũ propina. Aliud. Baccarũ lauri aridarum corticis cochlearia nouẽ in potũ dato.

Ad omnes inteftinos dolores.

C Ex inteftinis dolenti fi quis pedes lauerit, & ex aqua ea potui dederit, dolor confeftim euanefcet.

Ad inteftinorum fciffuram. Cap. 49.

Aegyptiæ fpinæ radicem & carnes hœdi capræ'ue cum pilis & corio capiens terito, & fimilagini commiftas cæpas uino temperans potionem facito: eadem radix & phlegmone pulmonũ laborantibus in potu auxiliatur: eadem fufpenfa tertiana febri & quotidiana liberat, & ex oleo pota uulneribus medetur. *

Ad coxendicis dolores purgatorium. Cap. 50

Tithymalli fucci guttas quinq; in ficum inftillato, & efui dato, purgat.

Medicamenta, quæ exterius impofita aluum ducunt. Cap. 51

Granum cnidiũ cortice liberatum cerato com-
D prehende, & uentri puerorũ fuper umbilicum imponito. Aliud. Felle tauri umbilicũ perungito. Aliud. Suillus talus uftus tritusq; ex aqua potui detur. Aliud. Herbã anthemin, hoc eft, chamæmalum ex oleo terito & inungito, ftatim dolor finietur. Aliud. Reticulum, cuiufmodi uolueris, de mulieris capite detractũ capiti laborantis imponito, fanitatem ei reftitues: melius fuerit autem fi prius calefactum reticulum impofueris. Aliud. Coriandrum uftum, oleo maceratum umbilico fuperimponito, & lana cõtegito.

Ad urinæ difficultatem & calculos. Cap. 52

Scorpij ufti edanť, illis aũt qui forfitan abhorrent, cũ adipe mifti toftiq; clam & citra fufpitionẽ exhibeanť: mirifice profunt. Calculus aũt per urinã redditus oliuæ nucleo fimilis contritus & igne

candens, deinde si bibatur, eos qui in uesica sunt, calculos exterit. Felis iecur ustum tritumq; ita, ut bibi possit, calculosis remedio est. Iaspis quoq; lapillus potui datus uesicæ calculos dissipat. Aliud. Vmbilici Veneris radix elixa & trita unciæ podere in die ex diluto uino bibat, ad renu calculos uehemeter pficit. Aliud. Succi uuę immaturę, & rufæ hederæ corymboru par modus ex albo uino terat, succo illinito mict⁹ difficultate male habitos.

Medicamen exterius calculosis imponendum.

Vrina reddita butyro ueteri remollito pene oblinito, & cubitu eunti lana apponat per triduum.

Epithema urinam proritans.

Calaminthum cum aceto & pipere cerato colligito, & umbilico superdato. Aliud. In sansuci decocto desideat. Aliud. Herba perdicion, id est, parietaria oleo incoctam super locu uesicæ imponito, ilico urina decurret.

Ad calculosos.

Montana trisago mulsę incocta potanda offeratur, hoc remedio Samius Priscus utebat. Aliud. Albæ hederæ corymbi ex uino poti lapillos confringut. Aliud. Salicis folia tusa ex uino austero tantisper accipiantur, dum sanitas restituatur.

Ad conceptum remedia. Cap. 53

Caricas ieiuna cu oleę folijs edito. Aliud. Ruminantis pecudis spuma digito sumes ex uino in potu exhibe. Aliud. Nasturtiu tritu ex aceto per quatriduu edito, postq; corpus mundatu fuerit. Aliud. Vulpinu stercus in pesso apponat & loci muliebres sublinatur, atq; ita uenere utatur. Aliud. Artemisia trita apponito: inunge autem muliebre pudendum gummi cum à purgatione menstrua tertius fuerit dies, & concipiet.

Vt mulier marem generet. Cap. 54

Alba fascia puerili dextru pede ligato, & coeat.

Vt fœminam.

Nigra fascia sinistrum pedem.

Notæ maris & fœminæ in utero. Cap. 55

Apium inscia muliere super caput imponito, quodq; primu uoce protulerit aut mare aut fœmina, illud pariet, incorruptæ ueritatis hoc signu est. Aliud. Grauidæ mulieris urina accipies duas foueolas facito, in unam hordeu, in altera triticum conijcito, deinde urina conspergito, atq; ita demu terram superijcito, si prius triticu expullulauerit, mas parietur, sin uero hordeum, fœmina.

Vt mas concipiatur. Cap. 56

Anserino adipe & resina terebinthi loci perungantur per biduum, tertio die cum uiro coniugatur, & mare concipiet. Vt mas gignatur: Vir sinistro teste ligato uenere utat: Vt fœmina dextro.

Vt fœtus retineatur. Cap. 57

* Lapis aetites appendatur. Fœtum quoq; & lapis ille retinet, qui in pirastro adnatus inhærescit, iste similiter pensilis gestetur. Et maluę agrestis radix, quam epiboscon nominant, appensa. Sardonius etiam lapis retinet fœtus usq; in finem: uentri autem eum deligare oportet. Est herba quoq; sideritis, cuius appensu fœtus custodiuntur.

Vt partus acceleretur. Cap. 58

Bulbi amari triti ex uino dulci potui dentur: illico pariet. Aliud. Dictamu ex uino, aut aqua propinatu idem facit. Aliud. Suillum lac ex melle bibitum. Aliud. Galbanu ex aqua tritum potumq; confestim educit fœtum.

Suffitus ægre parientes. Cap. 59

Aiuga super carbones posita, aut bituminis, quo fabri ferrarij utuntur, duplu carbonibus iniectum mirifice prodest. Aliud. Pulegij fasciculu in aqua calida mittito, in eaq; muliere desidere iubeto, ipsiq; in aurem dicito, chum, cam, min, duns. Aliud. Oleum manibus continens eius ilia perfricato, atq; ita dicito: secundæ sistite corpus, ubi præceperit uobis magna dei genitrix. *

Ad lac creandum. Cap. 60

Raphanos cum tritico, uino incoctas percola, & uinu potui offeras. Aliud. Aquam cui furfures cum fœniculi radicibus incoctæ sint, propinato. Aliud. Mulsæ nigellam permista habentis uncia bibatur. Aliud. Mulsa hederæ folia contusa habens potui detur.

Ad lac resiccandum. Cap. 61

Aqua maris foueto, & astringe siccareq; ualentia superimponito. Aliud. Muriam calidam spongijs exprimens, & thuris puluisculum inspergens, deligato, & chartas eodem modo.

Quòd si mammæ duræ inflammatæq; fuerint. Cap. 62

Lini semine aceto mulso incocto illine, aut fœnogræco similiter elixo, aut sesamo no loto refrigerato trito & melli admisto, aut ex ficis cataplasma facito. Aliud. Cuminu tritu mulso teperatu ad cerati crassitudine linteolo illitum impone. *

Potio fœtum mortuum, aut non ritu naturali exeuntem eijciens. Cap. 63

Fellis tauri quantu est amygdalum, uini ueteris diluti ligulis duabus temperatu potandu offeras: statim fœtum excludit. Aliud. Ouu crudum cedri lachryma illinito, calefacito, & ieiunæ sorbendum dato. Aliud. Mulsam artemisiam incoctam habente propinato. Aliud. Lapis phœnicites uocatus illitu fœtu detrahit. Item lapis demorsus à cane fœtum adhuc imperfectum euocat si prægnas mulier super ipsum traseat: nam quod in uentre est, ualde cito expellit.

Vt cognoscatur, mulier an abortum fecerit, & ad abortiedum & fœtum mortuu ac menses ducendos. Cap. 64

Mammæ gracilescentes, abortum significant.

Cataplasma ad abortum impellens.

Vitiæ mundę cyathi duo in ollula ex aceto decoquantur, cum ad dimidium consumptum fuerit, aloes uncia adijciat, ut malagmatis instar reddatur, deinde illinito ab umbilico ad pectine usque, & alligato.

Cataplasma, ad necandum fœtum citra noxam ullamq; suspitionis notam.

Cupressi foliorũ parte aqua elixa curiose terito ad malagmatis temperatura, atq; umbilico & abdomini imponito, fasciaq; deligato, deinde supina iacere iubeto, aut in sella sedere, qua in partu mulieres uti solent, & sopita sine dolore fœtu emittit.

Medicamen discriminis expers, ut trimestris, aut quadrimestris fœtus eijciatur.

Opopanacis obulum accipe, & collyrium fac,

& locis muliebrib. submitte: tutũ est, atq; in multis expertũ. Aliud. Radiculam tritam melle exceptam pessis illine paruis, & eos mulieris genitalibus impone: educit hoc secũdas & mẽstrua purgamenta. Aliud. Artemisiæ folia teras ex roseo, & sordium crassitudinem faciens appone: menses citat. Aliud. Caricas duas & semissem, nitri obolum accipe, pessum facito, & submitte. Aliud. Artemisiam tritam inpone. Aliud. Rutæ agrestis semen immitte. Aliud. Galatites lapis suffitus non purgatis muliebribus menses ducit.

Ad mulierem, quæ à partu non purgetur. Cap. 65

Ari semen tritum ex uino albo ieiuna bibito.

Ad pallorem mulieris à partu. Cap. 66

Panacis radices contusæ ex dulci uino à ieiuna potę pallorẽ discutiũt. Aliud. Flores mali punicę domesticæ odorato oleo incocti potui dentur.

Ad uentris, mammarum, femorum, coxendicumq; scissuras. Cap. 67

Marinam cochleam oblongam cremato & cõterito, deinde oui albo, aut asinino lacte adiecto illinito. Aliud. Lapidem, qui diaphanes, hoc est perspicuus uocatur, contere. contritumq; in ingressu balnei, antequã inũgatur, illinito, uicesimo die scissurę euanescent.

Ad sudores uẽtris, præcordiorũ, femorũq; à partu. Ca. 68

Cimoliæ & pulueris thuris (mannam uocãt) par modus oui albo exceptus cum ligustrino cerato illinatur.

Ad inflationes in coxendicibus. Cap. 69

Panis medullam & melanteriam unà subigito, & imponito: bene facit.

Ad prominentes umbilicos. Cap. 70

Gallas ustas tritasq; ex aqua superdato.

Vt umbilicus à partu magnus ac elegãs fiat. Cap. 71

Operculum urcei cartaceum sumens panniculo inuolue, deinde thuris puluisculum oui albo comprehendens illine, & in umbilicum mitte, tenaciterq; alligato.

Ad uteri strangulatus Ca. 72

Testudinis terrestris iecur tritum in pesso naturalibus imponito.

Potio ad uteri dolorem

Leporis cor aridum, & in ramenta concisum potui detur.

Ad tormina uteri à partu corruptiones, & strangulatus.

* Leptosphæros, id est tenues orbes accipito obolisemissem, (oresinema uocant) tribus digitis, & ex dulci bibito.

Ad uteri dolores.

Malipunicæ dulcis radicẽ ex uino propinato.

Ad uteri duritias.

Cuminum tritum & rutæ folia pice liquida excepta & butyro in pesso ex lana facto impone.

Potio ad mulieres ex utero laborantes.

Castoreum cum aneso propina. Aliud. Cuminum tritum, & nigellæ semissem ex aceto mulso propina.

Ad muliebre profluuium Cap. 73

Peucedani radicis & cupresi baccarum pares portiones ex uino albo potentur. Alia Vuæ nigræ acinorum arida semina ex uino nigro austero potui dentur. Aliud. Hędi coagulum acerrimo aceto maceratum ieiunæ propinato. Aliud. Coralliũ ex nigro uino dato, & confestim supprimetur profluuium. Aliud. Ferulæ cinerem, & papaueris lixiuium ex aqua pauxillum exhibeto: quòd si largius effluat, spongiæ combustæ drachmas tres exhibeto. Aliud. Cornu ceruinũ ustum potui dato. Medicamenta naturalibus imponenda. Malum punicum in lana more cataplasmatis appone. Aut mali punici coria elixa in lanaq; trita in pesso apponenda sunt. Aliud. Gallæ interiora & thuris tantundem in pesso accipiens ex aqua appone. Aliud. Pulegiũ tritum lana munda comprehendens naturalibus impone. Opitulatur etiã spongia feruenti aceto madida, & mediocriter expressa: femorum præterea coitio, extremorum deligatio, atq; in caput decubitus.

Vt ne mulierum naturalia concubitu humescant. Cap. 74

Gallæ immaturæ grana quatuor, cirenulæ, quã in oculorum uitijs uti cõsueuerunt mystra duo terito, in unum misceto, & in uitreo uase reponito, ex hoc mystrũ sumẽs ueteri uino dilutũ eo primis diebus nupta naturalia sublinat, ac per totam uitam locorum illorum humiditatem nõ percipiet. Aliud. Gallas per octo dies in aqua macerato, deinde lanã mollem sulphure suffumigatã aqua illa madefacito, & non expressam siccescere sinito, ex lana pessum faciens naturalibus immittito, in congressu uenereo uirgo putabitur, deinde lanã tollito, exiccatoq;, atq; iterum si lubet utitor. Aliud. Acuti rumicis semen tritum submittendum exhibeto, & non differunt à uirgine. Aliud. Gallas cõtusas in aquam demitte, ex qua subluantur mulierum naturalia, angustiora eñ reddent. Aliud. Panniculos tenues in aquã alumẽ liquatũ habentem demergito, & exiccato: deinde quadrati iũci, casiæ, gallarum, singulorũ parẽ modum ex uino ueteri conterito, donec mellis crassitudo fiat: in hoc panniculos madefaciẽs resiccato, utq; imponant, cõcedito, atq; ita per duas horas retineãt, uel prout requirit necessitas, & cũ uenere uti uolent, eximant. Aliud. Melle & nitro usq; ad pubem naturalia oblinito, atq; ita concumbito.

Vt ne cui penis arrigi poßit. Cap. 75

Buccinũ ustum lotio bouis castrati extinguito; hoc in cibis, aut potionibus, utitor, qđ remanet in uase reponito. Aliud. Paruulũ lignũ appendito, & desinit. Aliud. Acutus iuncus impositus & in figuram cyrici redactus, illius qui cito semen excernit, sub stragulis uestibus positus impetũ in uenerẽ cohibet. Aliud. Coriandrũ aut pulegiũ si frequenter edat, penẽ flaccidũ reddit. Aliud. Fel torpedinis si quis potui det, genitale membrũ minime rigebit. Aliud. Lucernæ spõte extinctæ scintillam adhuc uiuam si in poculũ cõieceris, & potui dederis, per totã noctẽ penis arrigi nõ poterit. *

Ad eos qui inuoluntarie urinam reddunt Cap. 76

Galli guttur ustum ligulæ mensura ieiuno ex aqua propinato. Aliud. Leucanthemi flores se- *

ptem tritos ex aqua, potui dato. Aliud. Leporis testiculum aridum minutatim concisum ex uino odorato potādum offer Aliud. Cimices tres cōtusos ex uino austero propinato per nouem dies. Aliud. Calaminthā & myrrham ex aqua ante cœnam potui dato. Aliud. Anserinas linguas per triduum, quoq; die unam, edendas apponito. Aliud. Rutæ syluaticæ semen per triduum esui dato. Aliud. Ipsius penis cimolia ex muralis herbę succo oblinatur.

Ad somnum conciliandum. Cap. 77

Lauri folia inscripta capiti clanculum subijcito, nominans concophon brachereon.

Ad eos qui coire nequiunt. Cap. 78

Scammoniam ex aqua illinito.

In antiqua translatione hæc super erant, quæ licet in Græcis codicibus non sint inuenta, ex alijs tamen Galeni libris sunt comprobata præter ea quæ asteriscum habebunt.

GALENVS CLAVDIANO SOLONI ARCHIATRO S. 79

Quia petijsti ut de facile acquisibilibus tibi scriberem Solon dilectissime, gratū esse putaui, quæ mihi per experientiam cognita sunt, scribere, & tibi mittere, à capillis usque ad pedes procedens, ut homo faciliter possit ipsa adipisci, incipiamus igitur primo à capillis.

De tincturis capillorum Cap. 80

Vnctiones capillorum ut etiam cani fiant nigri. Scoriam ferri & plumbum coque in aceto usq; ad tertiam partē, & illine, interim tamen ne tange capillos oleo. Aliud. Radices capparis tere, & coque in lacte asinę usq; ad tertiam partem, & utere. hoc serua quia prorsus nigrificat pilos capitis. Aliud. Testudinis marinæ fel dissolue cū oleo, & unge capillos. Aliud. Racemulos in nucibus pendentes in oleo coque, bitumē liquidū adde, unge.

Aliud. Plumbū cum oleo repone in uase plumbeo, & eo unge capillos. Aliud. Melongiam terrestrem cōbure, & cum oleo leniens, unge capillos, & dimitte per totam noctem. *

De præseruatione à canicie. Cap. 81

Accipe colocynthidē, & perfora eam, & mūda ipsam bene ab ijs quæ sunt intus, deinde imple eā oleo laurino, & adde semen hyoscyami non contritū, dimitte una die, & unge semel in anno.

Ad faciendum capillos albos Cap. 82

Stercus hirundinis terens cum felle tauri, unge. Aliud. Verbasci albi cōbure florem, & extingue aceto, & leniens unge.

Ad faciendum capillos flauos.

Alumen coque in aqua, & cataplasma capillos duobus diebus, & post hoc laua cum aqua in qua est dissoluta fæx uini cōbusta. Aliud. Cū decocto lupinorū amarorum unge capillos, uel ipsos lupinos amaros crudos terēs, et permiscēs cū aqua, unge. Aliud. Fecē uini permisce cū oleo balani, & fac sicut spissitudinem ceroti, & unge caput quando uadis dormitum Aliud. Folia ligustri infunde in succo struthij, & utere hac infusione. Aliud. Rubiam, stœchadem citrinum, politrichum, et absinthium, lupinos, pone in aqua reponēs in uase uitreo, & dimitte per nouem dies, mouēdo bis in die, in tēpore uero usus accipiendo de dicta aqua quod sufficit, infunde in ea spongiam, & dimitte ut imbibat aquam: & quando fuerint desiccati capilli, laua cum aqua calida & sapone.

A

De casu capillorum. Cap. 83

Ad casum capillorum ulmi radicē & foliorum m. i. macera in iiij. cyathis aquæ, & unge, & post hoc unge cum oleo. Aliud. Sambucum cōburēs, misce cū ceroto, & unge. Aliud. Aloem permisce cum uino nigro austero, & unge. Aliud. Myrrham & ladanū unge cum uino aut oleo myrtino. Aliud. Accipe apes multas, & cōbure, & misce cū oleo, & unge, cauendo ne ungas id quod est circa. Aliud. Nigellam accipiens combure, & leniens cum aqua unge: maxime autem hoc confert superciliјs. *

B

De capillis qui cadunt ijs qui resumuntur ex ægritudine.

Ladanū cum uino & oleo rosaceo coque, & fac spissitudinem ceroti, & unge. Aliud. Radicem mori excortica, & combure, & coque ut dictum est. Aliud. Polygonij semen terens, pone in lixiuio, & laua caput: deinde coque lentiscum, & collue caput.

Vt in loco combusto ab igne oriantur capilli. Cap. 84

Folia ficus terantur, & leniantur, & apponantur in loco.

Psilotrum. Cap. 85

Cerebrum uespertilionis lenias cum lacte mulieris, & unge. Aliud. Fel thynni misce cum gummi hederæ, & unge. Aliud. Accipe sanguinem recentē leporis marini, & unge. Aliud. Sanguinē cerui permisce cū aceto, & unge. Aliud. Fructū urticæ syluestris accipe, dissolue cum oleo, & frica cum ipso locum. Aliud. Vespertiliones plures uiuos pone in bitumine, & dimitte ut putrefiant, & unge quencunq; uis locum.

C

De alopecia. Cap. 86

Murem cōbure, & tere, & puluerem permisce cum adipe ursino, & unge, perfricans locum cum cæpe albo. Aliud. Cantharidas cōbure, & tere, & puluerē permisce cum melle, & unge. Aliud. Cum folijs ficus frica diligēter, deinde unge cum adipe ursino. Aliud. Spumā maris cōbure, & terens permisce cum oleo, & unge. Aliud. Ranam habentē longa crura cōbure, & terens assume cū pice liquida, & unge locum præfricando ipsum.

D

Aliud. Equi fluuialis pellem combure, & unge locum. Aliud. Sanguine testudinis marinæ unge locum. Aliud. Accipe stercus muris, & thus, & permisce cum aceto, & fac mellis cōsistentiam, & unge præfricādo locū. Aliud. Asphodelū tere, & permisce cū aceto uel uino, & præradens locum frica cum folijs ficus uel cum panno aspero, & unge. Aliud. Radicem cannæ combure, & permisce cum adipe ursi, & unge. Aliud. Tithymallum tere, & unge locum.

De furfuribus. Cap. 87

Cimoliam infunde aqua, & misce succum bletæ, & unge: deinde laua, & accipe thus masculum

& tere

& tere, & permisce cum uino & oleo & unge. Sequenti uero die herbã pedicularem cum oleo unge. Aliud. Accipe nitri, fecis uini, mirabolanorum, singulorum libram unam. herbæ pedicularis libram unam & semis. permisce cũ oleo antiquo, & unge. Humidos aũt furfures laua cum aqua salsa, uel cum decocto lupinorũ, est enim expertum. Aliud. Laua caput cum succo portulacæ. Aliud. Vnge caput cum succo bletæ cocto uel crudo permisto cum melle. Aliud. Cimoliam permisce cum percoctione fœnugræci, & unge. Aliud. Radicē cucumeris syuestris coque, & cum decoctione eius laua. Aliud. Scillam in fornace obrue, quãdo fuerit mollis, exprime eam, & eius succo permisce parum olei, & unge. A

De psydracijs & efflorationibus. Cap. 88 B

Psydracia sunt paruæ efflorationes factæ in capite similes uesicis eminẽtibus in superficie. Efflorationes uero sunt ulceratiões factæ in superficie subrubicundæ & asperæ. Curant̃ aũt sic. Recipe farinã fabarũ, & infunde in uino: & appone sicut cerotum. Aliud. Fac cerotum ex ligustro & cerusa, & unge. Aliud. Recipe, amyli, cerusę, aluminis, foliorum uiridium rutæ, singulorũ drach. iiij. permisce cũ aceto & oleo myrtino, & unge. Aliud. Recipe lithargyrij, cerusæ, singulorum drach. xij. sulphuris uiui drach. octo, assume cum oleo myrtino & unge.

De achoribus & fauis Cap. 89

Achor est passio ueniens in capite perforans cutem capitis subtilibus foraminibus per quæ exit humor parũper uiscosus. Fauus aũt facit foramina maiora continentia humiditatẽ melli similem. Curantur aũt sic: abrasum caput fomenta bis aut ter aut multoties cum aqua calida decoctiõis myrti, aut rubi, aut lentis, aut lupinorũ amarorũ, aut radicis asparagi: quando aũt effluent multi humores, cataplasmes caput cum folijs salicis aut lente coctis in aqua. Confert etiã inungere caput cum sulphure & parietaria & sapone ante. Aliud. Recipe lithargyri drach. xvi. foliorũ rutæ drach. viij. herbæ pedicularis drach. iiij. chalcãti, drach. ij. assume cum aceto & oleo myrtino. C

De tremore capitis. Cap. 90

Stœchadem da bibendam cum aqua. Aliud. Artemisiæ succum parua habentis folia permisce cum oleo rosaceo, & unge neruorum deriuationes. Aliud. Spinæ albæ semen bibendum exhibe. Aliud. Castoreum dissolue in aqua, & bibendum præbe. D

De dolore capitis Cap. 91

Cornu cerui combure & tere, & permisce cum oleo rosato, & unge frontem & tempora. Aliud. Cerebrum uulturis leniens unge caput et tempora. Aliud. Psyllium suffundens permisce cum oleo rosato, & utere: hoc autem confert & ad hemicraniam. Aliud. Styracem liquidam permisce cum oleo, & unge. Aliud. Oniscos, id est asellos sub hydrijs degentes coque in oleo: & unge caput. Aliud. Flores mali punici uel ipsa balaustia, coque in uino aut aqua marina usq; ad consumptionem tertiæ partis, & tere, & cum ceroto permiscens unge. Aliud. Pulegio & fœniculi radice cum farina hordei unge tempora. Aliud. Mentam aut sinapim cum aceto permisce, & unge tempora bis in die.

Ad dolorem capitis & temporum Cap. 92

Accipe opij quantitatẽ fabæ, & pulegij partes sex, & lentisci, & assume cũ aceto & oleo rosato et unge. Aliud. Lapathium acutum & gallam tere & umge tempora & frontẽ. Aliud. Castoreũ dissolue cũ oleo rosato & aceto, unge frontem & tẽpora. Aliud. Iridem siccã & cardamomũ minus in aceto resolue, & unge capillos sicut faciunt mulieres quando ungunt eos. Aliud. Succũ peucedani cum oleo irino leniens unge. Aliud. Hirundinum stercus prius quàm terram attigerit simul cũ luto nidi, in uasculo ligneo, aceto madefac, & illine frontem. Aliud. Gummi hederæ cum aceto & oleo rosato leniens unge tempora.

Ad aures sanie manantes & dolorosas. Cap. 93

Medullam uituli liquefaciens instilla. Aliud. Scoriam ferri leniens in aceto acerrimo instilla.

Ad scrophulas & parotidas quæ sunt apostemata secus aures. Cap. 94

Scrophulas cõmuni quidem curatione discutiunt, ea quæ scirrhos: propria uero illa, farinã lupinorũ amarorũ coque in oxymelite, & unge. Aliud. Stercus bouis aut capræ coque in aceto, & appone. Aliud. Calcẽ melli aut oleo aut adipi porci permisce & appone. Aliud. Farinã iridis & stercus colũbi coque in uino, & appone. Aliud. Recipe axungiæ ueteris, seminis hyoscyami, picis, olei antiqui, stercoris citrini gallinæ, singulorum partes æquales. commisce, & appone.

De morbis oculorum & primo de ophthalmijs incipientibus. Cap. 95

Succũ mentæ infunde: resoluit enim, sed melior est sanguis columbi. Aliud. Fœniculi succum exprime & utere: antiquus aũt est melior, permisce aũt eum aquæ, & utere. Aliud. Rutã recentẽ exprime, & pone succum eius in pyxide æris rubei, & utere. Aliud. Cum coctanis coctis, & farina hordei, & uino albo fac cataplasma. Aliud. Folia papaueris & cortices granatorũ cum polline hordei cataplasmes. Aliud rosas coctas & lenitas cataplasmes. Aliud. Decoctionẽ meliloti cataplasmes. Aliud. Folijs coctani tritis cataplasmes cum uino & alphitis. *

Ad ungulam. Cap. 96

Dicit̃ ungula morbus oculi quando cornea aliquando quidem superficietenus, aliquando uero in profundo pus cõtinet, & assimilat̃ paruæ ungulæ secundũ figurã, quare morbus ille uocat̃ ungula. Ad moderatas ergo ungulas cõfert melicratũ, & succus fœnugræci, & collyrium quod quidem fit ex thure. Ad fortiores autẽ recipe aloes, myrrhę, croci, singulorum, part. i. uini part. iij: mellis part. vi. dissoluas crocũ cum modico uino: deinde aloem & myrram: deinde infunde mel, & uniens repone in uase uitreo, & utere bis in die: expurgat enim, incarnat, & consolidat.

Ad hypopia, id est, liuorem qui fit sub oculo. Cap. 97

Sinapin tere, & appone cũ ceroto. Aliud. Ossa sepiæ tere subtilissime, & permiscens cũ aceto unge in nocte: tollit enim ea. Aliud. Radicẽ cucumeris syluestris melli commisce, & impone.

De liuoribus oculorum

Hyssopum tritam liga in panno, & infunde in aqua calida, & tange liuores, fomentans. Aliud. Farinam iridis cum melle admisce, & appone.

Aliud. Cyminum tritum permisce cum lacte mulieris, & appone: & origanum appone similiter. Aliud. Erucæ semen terens cum felle bouino cataplasmes.

De pterygijs Cap. 98

Pterygium dicitur neruosa superinnatæ oculi membranę eminentia incipiens ab angulis & procedens usq; ad corneam: quando uero insuper augetur, cooperit & pupillã. Magna igitur & diuturna pterygia per chirurgiam inciduntur: recentia uero & moderata in magnitudine iuuant æs combustum, uel calcanthum cum adipe porci. Aliud bonum. Calcanthi, part. i. gummi arabici, part. mediam, dissolue in uino, & unge. Quidam autem hepar capræ melli miscentes ungunt. Aliud. Recipe licium & ligustrum, et cum aqua fac collyrium, & unge.

De ulceribus oculorum & albuginibus. Cap. 99

Vlcera quæ fiunt in oculis quæ quidem sunt superficietenus, nephelia nominant. Quę uero profundum petunt, albugines. Nephelia ergo succus anagallidis expurgat, & succus centaureæ minoris cum melle. Diuturna uero subtiliat cedria & ęs solum dissolutum in aqua in modum collyrij. Albugines autem iuuat nitrum dissolutum diligenter cum oleo, & unctum. Aliud. Recipe succum draconteæ & misce cum melle crudo, & unge.

Aliud. Fel hirci confrica in oculo. Aliud. Os sepiæ combure, & dissolue cum melle, & unge.

Aliud. Ex stercore lacertæ faciens collyriũ cum aqua unge. Aliud. Felle canis marini unge, uel raphani succo, uel felle galli. Aliud. Recipe succũ malorum granatorũ, & pone in uase terreo, & cooperi cum panno, & pone in sole quousq; habeat mellis cõsistentiã: & ei misce mel æquale, & custodi quia inueteratũ ualet magis, & quando uadit dormitum patiens, unge oculos. Aliud. Fel leonis cũ melle unge. Si uero puer paruus habet albuginem, mater infantis mandat ammoniacum, & insufflet in oculũ: similiter ungat oculũ menstruo alicuius de cognatione sua: & similiter mater eius incidat paruum digitum suũ & cum sanguine qui fluxerit, ungat oculum.

Ad caliginem & nebulas oculorum. Cap. 100

Vnge oculos cum succo foliorum draconteæ.

Aliud. Succum betonicæ cum uino permisto calido instilla.

De hordeolo. Cap. 101

Ex aqua decoctionis hordei fomẽta oculos, uel ex cera alba: uel accipe muscas & abscinde capita earum, postea reliquo corpore frica oculum.

A

De madarosi Cap. 102

Madarosis id est glabrities & ptilosis, est casus pilorum palpebræ: curantur aũt his. Recipe nucleorum palmularũ cõbustorum drachmas iij. spicæ drach. ij. tere & utere. Aliud. Stibij assi, piperis, ana drach. i. spicæ drach. tres. Aliud, faciens ad casum pilorum superciliorum. Auellanas combure, & permisce cum adipe ursi aut capræ, & unge. Aliud, quod etiam confert ad alopeciam barbæ. alterci drachmas duas, stercoris muris drachmam unam. polytrichi drachmas duas, olei irini cyathos quatuor: tere & permisce cum oleo, & præfomentans unge. Aliud. Senectam serpentis combure, & unge: facit enim nasci pilos: uel nigellam tere & fac similiter.

Ad supercilia pilosa. Cap. 103

Origanũ cõbure, tere, & applica, prius tamen euelle pilos. Aliud. Lacertã uiridẽ coque in oleo, & postq; euulseris pilos, unge locũ. Aliud. Chamæleontis seu laureolæ radicẽ permisce cum sanguine ranæ, & unge locum.

Vnctio habentium oculos glaucos. Cap. 104

Glaucos mulierũ oculos nigros reddit hyoscyami flos cyanæus repositus in umbra: & tẽpore usus permistus cum uino austero & inunctus.

Ad suffusiones Cap. 105

Theriacã quæ fit ex uiperis, permisce cũ melle sine fumo, & unge: cõferunt etiã caputpurgia, & purgatio cum hiera, & fomentatio cum decocto fœniculi, & sagapenum & elleborus albus cum melle appositus, uel cum succo fœniculi.

C

Ad ægilopes. Cap. 106

Aegilops est abscessus paruus iuxta magnum oculi angulũ, qui si negligatur, scinditur usque ad os: & dicitur ægilops anteq; scindatur. huic confert glaucium & crocos simul cum succo perdicij appositum: oportet aũt frequenter ea permutare.

Aliud. Conculas cum testis suis tere, & appone. Aliqui uero miscent & aloem uel myrrham.

Aliud. Fel porcinum sicca, & appone. Aliud. Perdicium cataplasmes. Aliud. Aegilopem herbam inter frumenta nascentem cataplasmes Aliud. Portulacam & thus masculũ appone, prius tamen ea masticabis ieiunus. Aliud. Craneum hominis tere & appone.

D

Ad nyctilopas Cap. 107

Hepar hirci assa, & unge cum liquore qui defluit, oculum: iuuat enim duodecies inunctus.

Ad pediculos oculorum. Cap. 108

Aqua marina tepida palpebras fomenta.

De paßionibus nariũ & primo de polypo & ozæna. Ca. 109

Vitriolũ leniens cũ aceto unge Aliud. Corticum granatorum drach. xvi. fellis tauri, amomi, myrrhæ, calaminthi, prassij, añ. drach. viij. croci, drach. ij. ellebori albi, drach. ij. utere sicco.

Ad fœtorem narium. Cap. 110

Recipe amomi, myrrhæ, rosarum siccarũ: æqualiter assume cum oleo nardino, & unge: cõfert autem & unctio cum hedycroo magmate.

Ad ulcera narium. Cap. 111

Recipe lithargyri drach. iiij. rutæ recentis, aluminis

minis scissi añ. drach. ij. assume cum oleo myrtino A
& aceto. Aliud. Recipe cerusæ, drachmã unam. lithargyri, drach. iij. scoriæ plumbi, uel plumbi cõbusti drachmas tres. omnia lauentur & assumantur cum oleo myrtino.

Ad extrahendum sanguinem de naribus. Cap. 112

Florem graminis appone. Aliud. Rubiam cum oleo accipe, & unge nares.

Ad fluxum sanguinis narium. Cap. 113

Corticẽ oui cõbure, & accipe de eo partẽ unã, & de galla partẽ mediã, & insuffla. Aliud. Licium appone. Aliud. Asini stercus comburẽs insuffla cinerem eius, aut exprimens instilla succum. Aliud. Lapidem molarem igniens extingue in aceto, & da recipere odorem. Aliud. Thus masculum & aloem assume cum albo oui & fac licinium, & appone, & superpone pilos leporis. Aliud. Ventosam magnã pone in hypochõdrio secũdũ rectitu- B
dinẽ naris patiẽtis: oportet aũt & in ijs quæ stypticant & prohibere possunt impetũ sanguinis, uti.

De panno & lentiginibus Cap. 114

Draconteæ radicẽ cum melle cataplasmes, uel nigellam cum aceto uel pentadactyli fructum.

Ad faciendam faciem rubicundam. Cap. 115

Rubiam tere & permisce cum oleo, & unge. Aliud. Bulbum amarũ terens permisce cũ melle, & unge. Aliud. Recipe ciceris, rubiæ, thuris, myrrhæ, ana. drach. ij. assume cum adipe uituli, & oleo masticino, & unge, & post spacium absterge cum spongia calida.

Ad fluxum sanguinis ab ore Cap. 116

Colluaẽ os ex decoctione rosarum in oxycrato C
postquam erit frigida, & transglutiatur. Aliud. Gargarizet patiens & colluat decoctione rosarum frigida, aut extremitatum uitis, aut foliorum lentisci aut rubi, aut citoniorum, aut acinorum uuæ, aut rhu. Aliud. Semen rosæ cum mastice da ex styptico bibẽdum, uel ex uino decoctionis rubi aut rosarum.

Ad oris ulcera. Cap. 117

Gallam in uino coquens collue os, deinde appone gallam tritam permistam cum melle aut florem rosarum: collue etiam os cum decoctione foliorum oliuæ.

De albificatione dentium Cap. 118

Nitrum, os sepiæ & os dactylorũ terens utere. D
Aliud bonum. Corallũ rubeũ, pumicem, ossa dactylorum, ossa sepiæ, & sal assum terens utere.

Ad dolorem dentium Cap. 119

Oleo lentisci nõ antiquo colluanẽ dentes. Aliud. Colluaẽ os cum folijs rutæ coctis cũ oxymelite, uel colluatur cum aceto scillitico, uel coquatur in aceto pyrethrum & hyssopus: oportet autẽ humiditatem & humorem euacuare.

De morbis gingiuarum Cap. 120

Ad gingiuas corrosas recipe florũ rosarũ drach. viij. gallarũ drach. iiij. myrrhæ drach. ij. commisce, & appone. Aliud. Lacte asinæ gingiuas collue. Aliud. Foliorum oliuæ decocto os collue. Aliud. Aceto scillitico gingiuas collue. Aliud. Rubiginem ferri & balaustia sicca appone.

Ad gingiuas tumidas & carnis excrescentiam.

Succum portulacæ ore detine, uel aquã salitam oliuarũ colymbadum, uel oleum ex immaturis oliuis expressum calidum uel lentiscinum uel melinum. Sicca uero quæ prosunt sunt rubigo ferri aut æris, radix aristolochiæ, semen plantaginis, chalcanthum assatum, & balaustia.

Ad inflammationem gingiuarum.

Collue cũ decocto foliorũ oliuę et appone gallã. Aliud. Coque in uino cocto folia oliuę & gallam.

Ad gingiuas denigratas & putridas

Cõfert fricatio cum fæce uini usta: abstergit enĩ, mundificat, & albificat.

Ad gingiuas sanguinolentas.

Cõfert missio sanguinis à cephalica & scalpellatio gingiuarũ, confert etiã succus hyoscyami uel eius decoctũ cum sapa, si retineatur in ore. Aliud. Extremitates lentisci & balaustia coque in posca, & collue. Aliud. Radicem rubi coque in uino & os collue. uel rhun & gallam coque in uino: & utere similiter.

Ad uuulam phlegmonem patientem. Cap. 121

Confert glycirizæ succus cum melle appositus & terra sigillata & fructus spinæ Aegyptiacæ. Mitiora autẽ sunt hæc, gummi Arabicum, tragaganthum, sarcocolla apposita.

Ad sputum sanguinis. Cap. 122

Iuuat etiam terra sigillata, & trochisci de carabe & trochisci de corallo, & theriaca data in lecto.

Ad pleuritidem. Cap. 123

Siquidẽ usq; ad clauiculã peruenerit dolor, mittendus sanguis est. Si uero ad pręcordia descẽdat, corpus est purgandũ, & utendũ clysteribus fortibus: si dolor fuerit moderatus, dãda est aqua mulsa & ptisanæ cremor aut chondri. In processu uero morbi permiscendum sorbitioni calamentum uel marrubiũ: confert etiam semen urticæ cum melle. Ad fortiores aũt dolores utendũ est sacculis è milio & fursure: uel fomẽtis ex aqua calida aut oleo in aliqua uesica posito uel lana succida infusa oleo & uino habente sal. Post septimum uero diem & emplastro dicto rutaceo utemur. Multoties autẽ bulbi cũ axungia suffecerũt. Dandũ est & electuariũ quod fit ex pineis & amygdalis amaris & semine lini & amylo. Vnguentũ bonum. Recipe bdellium, costum, cauliculos cauliũ cõbustos & redactos in cinerem, permisce cum adipe: hoc enĩ medicamentum præclare discutit.

De mamillis & primo de apostasi mamillarum. Ca. 124

Cimoliam, libanotidem, & oleum rosatum permisce, & appone. Aliud. In principio infunde spongiã in posca tepida & exprime, & appone, & superliga. Aliud. Palmulas & micã panis tere, permisce cũ posca, & appone tepidũ. Aliud. Coriandrum & psylium cum ceroto appone. Aliud. Panem & herbam muralem uiridem cum ceroto cataplasmabis per diem. Aliud. Panem cum aqua mulsa uel melle & uino cataplasmes: si uero non tolerãt grauedinem mamillæ, perfunde cum oleo calido & lana succida molli, uel cũ decoctione fœnugræci uel altheæ uel seminis lini.

Ad

Ad attrahendum lac. Cap. 125

Sisamum cum uino dulci da bibere. Aliud. Anethum uel semẽ eius coque cum carnibus uel cum facientibus lac abundare. Aliud. Porrum coque in aqua, & da bibere eius decoctionẽ: uel porrum tere, & cola, & da aquam bibere. Aliud. Succum fœniculi da bibere. Aliud. Radicẽ fœniculi & hordeum assum coque in aqua, & permisce butyrum, & da bibere. Aliud. Decoctionem hippomarathri da bibere, da etiam comedere ipsum fœniculum. Aliud. Cardamomum cum uino da bibere. Aliud. Semen agni casti da cũ uino bibere. Aliud. Succum bletæ da bibere. Oportet autem abstinere ab acutis & salsis & acidis oleribus crudis.

Vt mamillæ remaneant tensæ diu. Cap. 126

Cyminum terens cataplasma cum aqua, deinde spongiam infusam in oxycrato superappone & liga: post tres aũt dies aufer cyminum, & cataplasma mamillas cũ radice lilij & melle, & dimitte tribus diebus: & hoc fac ter in mense.

Ad dolorem stomachi Cap. 127

* Castoreũ da bibere cum oxycrato, & si est uentositas causa, coque in oleo cyminũ & semen dauci & petroselinum. & unge, & si est frigiditas, coque in oleo baccas lauri & rutam & nigellam & semen fœniculi. In moderatis autẽ doloribus fac fomentationem cum milio. Confert etiam uentosa magna in umbilico posita.

Ad debilitatem stomachi. Cap. 628

Confert oleum de succo citoniorũ. Aliud. Mastichis, styracis, añ. partes ij. Ahsinthij, œnãtes, añ. partes tres: Olei malini partes iiij. Vini quod sufficit: Rosarum partes duas: hęc linita assume ex purpura, aut lana, & appone stomacho.

Ad umbilicos procedentes. Cap. 129

Gallas combure uel tere, & permisce cum cortice thuris & albumine oui, & appone.

Ad tortiones & dolores uentris. Cap. 130

Da cyminũ mastichare & transglutire. Aliud. Carthamum & fœnogrecum tere, & coque, & da decoctionẽ bibendam. Aliud. Baccas lauri siccas & excorticatas tere, & da bibere cochlearia nouẽ. Aliud. Serpyllũ terens da cum uino bibere. Aliud. Decoctionẽ sampsuci da cum uino bibere Aliud. Eringij radicem da cum uino bibere, uel decoctionẽ spicæ uel castoreum.

Ad colicam Cap. 131

Spolium serpentis in uase æneo frigens cum oleo quousq; comburatur, dissolue ipsum in illo oleo, & unge ex eo cum tuo digito.

Ad difficultatem mingendi. Cap. 132

Rhun & corimbos hederæ rubeæ tere cum uino albo, & unge partes quæ sunt sub umbilico patientium dysuriam.

Ad sistendum exuberantiam urinationis. Cap. 133

Accipe pelliculas quæ sunt in uẽtre gallinarũ: & sicca in sole: & recipe ex eis drachmam unam, ẽ thure masculo & glande sicca & balaustijs & galla, ana drach. iij. tere & da ex eis ieiuno cum melle rosato & aqua frigida.

A *Ad renum & coxendicum dolores.* Cap. 134

Recipe farinam iridis & acetum potẽs, & permisce eis resinam pini & lupinos & pyrethrum et terebinthinam & sulphur & nitrum & baccas lauri, & miscens omnia cum melle appone.

Ad conceptionem. Cap. 135

Matricẽ leporis sicca & tere, & da bibere quando fuerit à menstruis purgata.

Ad difficultatem partus. Cap. 136

Chamæpyteos & aspaltum pone super carbones, & suffumiga uel appone.

Ad extrahendum fœtum mortuum Cap. 137

Fellis tauri quantitatẽ amygdalæ dissoluens in uino lymphato da cochlearia ij. bibere, & emittet confestim. Aliud. Lyciũ crudũ trito caule iunge cum cedria, & calefacias, & da bibere ieiuno. Aliud. Artemisiam coque in melicrato & da bibere.

B Aliud. Super lapidẽ quem mordet canis quando proijcitur in eum, positum in solo trãseat mulier quæ patitur difficultatem partus.

Ad eas quæ post partum remanent discoloratæ. Cap. 138

Pumicem terens in uino dulci da ieiunę bibere. Aliud. Accipe fæcem uini antiqui & radicẽ lilij & alia, & lenias, & unge faciẽ uespere, & mane laua, & hoc fac quousq; facies rubefiat.

Ad educendum menstrua. Cap. 139

Prassium, nepitã, rutã, corticẽ celsi, ana, drach. iij. coque in uino aut aqua, & da bibere. Aliud. De aqua qua dissoluitur fermentum uetus quando fit panis, da bibere.

Ad dolores matricis. Cap. 140

C Pæoniæ radicem da bibere, uel radicẽ iridis uel seminis pæoniæ granula. xv. uel pulicariæ aut urticæ succũ appone, uel folia melissę cocta in uino. Aliud. ℞. rutam uiridem, & tere, & cum butyro & adipe porci fac unguentum.

Vt mulier corrupta appareat uirgo. Cap. 141

Recipe gallarum immaturarũ, ligustri, xylocasiæ, rosarum siccarum, piperis albi, grani gnidij, ana hexagium unum, tere, & prælauata matrice apponat ista: cõfert autem & semen lapathij acuti tritum appositum.

Ad erectionem pudendi. Cap. 142

Pudendũ intendunt & mouent ad coitum ista, nucum pinearum, piperis, petroselini, scobis pudendi ceruini aridi, terebinthinæ, singulorum partes æquales, excipe melle, & ex uino bibẽdas prębe. Aliud. Cicerum crudorum, nucum pinearũ, singulorum partes duas, seminum erucæ, piperis albi, singulorum partem unam, mellis quod sufficit. da cum uino. Aliud. Vnge pudendum cum melle antequam coeas. Aliud. Semen erucæ bibendum exhibe cũ melle. Aliud. Succum erucæ cyathos ij. cum pipere albo quod sufficit, da trib. diebus de tertio in tertium: uel succi erucæ & piperis albi da cochlear unum ieiuno. Cõfert etiam testa marini erinacei bibita, & lac bouinũ bibitũ. Aliud. Polygonij semen & carnem piscium fluuialium siccam terens bibendam præbe, tensionem enim facit: similiter semen portulacæ coctũ cum lacte bouino mire prodest: item oua perdicis si comedantur. Aliud. Semen porri cum uino non

limphato

lymphato bibendum exhibe. Aliud. Succus polygonij bibitus facit promptiores ad coitum. Aliud. Aquã in qua extinguit̃ ferrũ bibe cũ uino. Aliud. Testiculi uulpis sicci bibe cochlear unũ. Aliud. Expreßionẽ radicis asphodeli da bibendã. Aliud. Quando taurus postq̃ coiuerit minxerit, terram cõmisce, & luto, quod fit ex urina, unge pudendũ. Aliud. Stercore bouis recenti unge pudendum. Aliud. Coccon gnidium, hoc est oleastellum tere, & permisce cũ oleo rosato, & unge. Aliud. Succo uerbenacæ unge pudendum.

Ad morsum uenenosorum animalium. Cap. 143

Ad morsum uenenosorũ animaliũ fraxini folia tere & ex succo da cochlearia tria nõ febricitantibus cũ tribus cyathis uini. Aliud. Corticũ arboris glandis, uel erucã quæ in oleribus nascitur, uel chamæpythin, uel polycariã, uel alliũ, unũ ex his terẽs da cum uino nõ lymphato ieiuno bibendũ. Aliud. Sanguis anatis aduersatur omnibus uenenosis et mortiferis: hoc idem etiam faciunt carnes gallinæ nouiter occisæ si morsibus imponant̃: obsistunt enim omnibus uenenosis, & curãt, præter aspidis morsum. Aliud. Rutam da cum uino bibere. Aliud. Cerebrum gallinæ bibitum iuuat.

A

Inunctio ad morsus uiperæ.

Galbanum cum cyprino unge. Aliud. Serpyllum cum aceto similiter inunge.

Suffumigia fugantia uenenosa animalia.

Pyrethrũ & sulphur incẽde, & fugient. Aliud. Cornu cerui & eius pinguedo idem facit: pellis etiam & pedes dextri si infigantur portæ, prohibẽt ingressum cuiuslibet uenenosi. Aliud. Pulmo asini si fumigetur, omne uenenosum fugat.

Vt uipera non mordeat.

Draconteam tere, & unge manum, & nõ mordeberis. Fructus uero ipsius herbæ tritus cũ aqua & positus in equis peregrinantium fugat eas. Aliud. Ex succo solatri unge manus.

B

Epithema in morsis à uipera.

Viperæ caput abscindens applica partem sanguinolentam loco demorso, liga, & dimitte sic.

Fomentum ad morsum uiperæ & muris aranei.

Trifolium bituminosum coque, & decocto calido locũ demorsum foue. Nullus aũt fomẽto illo utatur qui non patitur: trãsit enim affectus in eum ut putet se à uipera uel araneo mure cõmorsum.

ARGVMENTA LIBRI TERTII

124. Pilulæ purgantes pituitam. 125. Ad uitium aut dolorem oris ſtomachi, uel cordis. 126. Suffitus ad anhelosos & diu tuſsientes. 127. Ad difficultatem ſpiritus, & ſanguineum ſputum. 128. Ad cruentum ſputum. 129. Ad febrim ardentem. 130. Ad confirmationem genitalium & renum, & ueteres affectus. 131. Ad diſcutiendas genuum fluxiones. 132. Cataplaſma ad pedum dolorem ex offenſione, aut caſu, aut alia uiolentia. 133. Ad ſcabros ungues & paronychiam, diuinum. 134. Ad ambuſta. 135. Ad ſanguinis undecunq; eruptionem. 136. Ad impetigines. 137. Ad dealbandam faciem. 138. Ad dolorem uteri. 139. Paxamadum purgatio. 140. Ad necandos culices. 141. Ad abigendos ſerpentes. 142. Ad fugandos pulices. 143. Ad difficultatem urinæ iumentorum. 144. Ad ictum calami. 145. Ad comitialem. 146. Ad appetentiam cibi excitandam. 147. Ad hirudines deuoratas. 148. Ad apum ictus. 149. Ad ſerpentū morſus. 150. Ad inflammationes à uenæ inciſore factas, & duritias humerorum, & deuſtiones, & ſanguinis concretiones. 151. Ad hydropicos. 152. Vinum ut odio ſit, & quomo cauenda ebrietas. 153. Quis ex uno uini ſcypho inebrietur. 154. Ad lenticulas in facie. 155. Ad infantium procidentem ſedem. 156. Ad gingiuas pueri & dentes orientes. 157. Ad lac multum creandum. 158. Ad exuſtiones per hyemem. 159. Ad aquoſum ramicem. 160. Ad uulnus incurabile in quauis corporis parte. 161. Ad uomitum. 162. Ad aphthas. 163. Ad talpas, capitis tumores. 164. De uiribus rutæ, rhamni, & mentæ. 165. Ad ſupprimendum ſanguinem. 166. Præſagium de ægrotante. 167. Ad impediendā Venerem. 168. Ad dolorem oculorum. 169. Ad capitis dolorem. 170. De morbis pectoris. 171. De morbis uentris. 172. Ad grauem auditum & aurium ſonum. 173. Ad cuſtodiendam uitem. 174. Ad ſteriles. 175. Ad lumbricos mirabile. 176. Vt dignoſcas mas ne an fœmina ſterilis ſit. 177. Ad rigorem. 178. Garum Ioachi. 179. De capitis dolore. 180. Ad rigorem. 181. Ad ſanguinis è naribus profluuium. 182. Ad uteros. 183. Ne arbor fructum amittat. 184. Ad uulnus. 185. Ad ſtomachum. 186. Ad impetigines. 187. Ad dolorem dentium. 188. Ad lumbricos uentris. 189. Ad urinæ difficultatem. 190. Ad uulnus dulce. 191. Ad dolorem lateris. 192. Ad iecur & ſtomachum. 193. Ad conciliandum ſomnum. 194. ad tuſsim. 195. ad cordis dolorem. 196. ad lumbricos alui. 197. ad hæmorrhoides. 198. ad exuſtionem. 199. ad pruritum. 200. ad morbum regium. 201. ad uermes. 202. ad tuſsim. 203. ad comam. 204. ad aurium dolores. 205. ad regium morbum. 206. ad iocinoroſos, lienoſos, & à ſtomacho laborantes. 207. ad renum uitia. 208. Baſilius Ictus de ratione uictus. 209. Idem ad ſtomachum pituitoſum & dolorem capiti inferentem. 210. Ratio uictus in cibis & ieiunio, & ſecundum menſes diæta, quod ad uomitum, balnea, &c. 211. ad capitis dolorem. 212. aduerſus uini no-

A xam 213. Inunctio ad artuum dolorem, manuum pedumq; intertrimenta, corruptelas, aduſtiones hyemis, & uenti manus pedesq; lædentis. 214. ad ægilopas. 215. Ad uulnera incurabilia. 216. ad pulmonum inflammationes. 217. Ad talpas, ſic dictos tumores. 218. Ad dolorem uentris & ſtomachi. 219. Ad ſtomachi uitia. 220. Ad debilitatem genuum. 221. Ad dolorem lateris. 222. Ad lienoſos. 223. Ad profluuium ſanguinis muliebre. 224. Ad ſtomachi compreſsionem. 225. Ad cœliacos. 226. Ad urinæ difficultatem. 227. Ad exterius prominentes ani tumores. 228. Ad artuum dolores. 229. Ad dolorem genuum. 230. Ad oſſa fracta. 231. Ad quartanam. 232. Ad morſum ſcorpij. 233. Ad ueneficia & præſtigia. 234. Vt mulier concipiat. 235. Ad fœtum in utero mortuum. 236. Vt lac abundet. 237. ad uteros. 238. De inuoluntario mictu in ſtratis. 239. Ad roborandum pe-
B nem. 240. Ad ſcabiem unguium. 241. Ad intertrigines. 242. Ad podagram. 243. Ad roborandum ſtomachum. 244. Ad ſputum. 245. Ad uomitum bilioſum. 246. De ſingultu. 247. Ad pedum intertrimenta, ſciſſuras & perniones. 248. Ad podagram. 249. aceti ſcillini confectio ex Galeno. 250. Vini ſcillini compoſitio ex Galeno. 251. Medicamentum quod manducatum ſtomachi pituitam detrahit, gargarizatum caput purgat. 252. ad urinam quæ ægre aut omnino non redditur. 253. ad calculoſos, & urinam prouocandam. 254. ad ſanguinis mictum. 255. ad urinæ ſtillicidium. 256. ad dolorem uiæ urinariæ, & difficultatem mictus atque anhelitus, & ad ſanguineum lotium & calculum. 257. ad inuoluntarium urinæ exitum in ſtratis. 258. ad inuoluntarium mictum. 259. ad difficultatem urinæ & calculum. 260. ad exterendos calculos. 261. ad ſupprimendam aluum. 262. ad ci-
C tandum ſudorem, & finiendam febrem. 263. ad canis morſum. 264. ad morſus canis rabioſi. 265. ad anginam & colli dolorem. 266. ad internas ani prominentias. 267. ad lienem cataplaſma. 268. ad nigros dentes. 269. ad lumbricos alui. 270. ad interiores exterioresq; ani prominentias. 271. ad dolorem dentium. 272. ad hirudines. 273. ad calculoſos. aliud calculos frangens: rurſus alia. 274. ad ſtillicidium. 275. ad urinæ difficultatem & ſtillicidiū. 276. ad mingentes in ſtragulis. 277. ad ſtillicidium. 278. ad impetigines, & alias, & feras. 279. ad penis dolorem & inflammationem. 280. ad impetigines. 281. ad uulnera recentia à gladio aut ligno illata. 282. ad pernicioſa medicamenta. 283. ad fluxionem gutturis. 284. ad mammarum tumores. 285. ad dolorem capitis lupinum. 286. ad tuſsim & hecticam febrim. 287. ad tuſſes. 288. ad humores pectore contentos. 289. ad tuſ-
D ſes. 290. Vt uox canora reddatur. 291. ad uocem amiſſam. 292. Vt capilli & barba creſcant, ſi decidunt. 293. ad renes dolentes.

LIBER TERTIVS DE MEDICAMENTIS QVAE AD MANVM SVNT, Galeno ascriptus.

De gurgulionis, quæ & uua dicitur, uitijs curandis. Cap. 1



GVRGVLIONEM male habitum ita sanè curare poteris. initio phlegmões uictus modicus & boni succi esto, sorbitiones & gargarizationes ex mulso fiãt, aut mulsa, aut sapa tepida, aut ex aceto mulso, q̃d gargarizetur solum & effundatur, & ne deuoretur: manducetur autem pyrethrum, aut piper, aut uua taminia, quam & staphida agrian uocant: hæc trita cum nitro, & sale palato columellæq́; affricta, phlegmonem dissipat, exterius autem hæc eadem imposita: & alia similiter calefacientia & phlegmonem mitigantia, & dolorem leuantia, epithemata uero & cataplasmata idonea sunt.

Ad pendentem columellam.

Hyssopi radicem & caricarum succum una misceto, & gargarizato: perinde & ad tonsillas ac columellam unà feruefaciens palmulas & lentem gargarizato.

Vt sine siti diu quis conseruetur. Cap. 2

Dulcis radicis succus potui detur, aut portulacę cyathũ deuorato. Aliud. Anesorũ pondo uncia, dulcis radicis succi põdo uncię duę, tragacanthæ madefactæ pondo tantundẽ, cõficito pastillos, & in umbra siccato, ex his unũ sub lingua cõtineto, & succum descendere permittito, & non sities.

Ad grauem auditum & surditatem. Cap. 3

Caprinum fel recens cum pari portione mellis ad carbones decocti mistum tepidum in aurem instillato. Aliud. Leporis fel recens cum pari mellis portione mistum & in cæpæ corio tepefactum in aurem mitte: hoc enim remedium ei, qui uel nihil audiat, auditum restituit. Aliud. Suis mansueti fel pari mellis ad carbones cocti portioni admistum tepidum infunde, aut scillæ succum & rosaceum miscens utere. Aliud. Erui succũ instillato, & stupam rosaceo imbutam superimponito.

Ad cœliacos, hoc est, uentriculosos. Cap. 4

Myrteas baccas uirides, rosas aridas, malicoria, flores mali punicę syluestris, gallas quinq; mulso uino subigens in uentriculum mitte: aut fabæ cortices uino inferuefactas per clysterium inijce: aut lentis decoctæ, aut oryzæ non purgatæ, aut sideritidis herbæ succum tepidum perinde per clysterium immitte: item & acaciæ succum per inferiores partes in uentrem da, aut cerusam & argenti spumam ex melle & uino tritam.

Ad uentris tormina. Cap. 5

Cuminum ex melle esui dato, & profectum mi raberis: aut calami radicem ex uino calicis unius mensura propinato.

A

Ad supprimendum alui profluuium. Cap. 6

Aquam origanum incoctum habentem propinato. Aliud. Sepiæ testam & capillamenta cremata ex uino ueteri potui offerto, aut rubi fructus cum folijs ad tertias decoctam propinato. Aliud. Cuminum Græcum & gallam non tritam cremato, & ex uino ueteri potui dato cum ad tertias redactum fuerit: id facito per triduum.

Ad eminentias internas scissuras, ficosq́; in sede. Cap. 7

B

Auripigmenti fissi pondo uncias tres, quernæ cariei pondo uncias quatuor, ex omnibus in unũ tritis aridum medicamentum componito: ita uero utitor, locum prius urina pueri uenerem non experti subluito, deinde inspergito.

Ad eminentias, quæ intus forisq́; in ano sunt.

Laserpitij radicem tusam tritamq́; superdato.

Aridum medicamentum ad exesas gingiuas, dentesq́; laborantes. Cap. 8

Mastiches pondo unciam, thuris pondo uncias duas, myrrhæ, rosarum aridarum utriusq; pondo uncias tres, sarcocollæ, gallarum utriusq; pondo uncias quatuor, omnia in unũ contere, & gingiuas consperge, quas prius sedi, aut myrti, aut lentisci, aut uiticis, aut oleæ foliorum decocto tepido collueris.

C

Ad dentium dolorem. Cap. 9

Aceto, cui hyssopum aut origanũ incocta sint, foueto: aut pyrethrum, piper & zemma, & mastichen paribus portionibus commanducanda exhibeto. Aliud. Vuæ taminiæ acinos quatuor, mastiches micas uel grana octo manducari iubeto.

Ad dentes ob ictum decidentes. Cap. 10

Oleo uuulas passas incoctas habente locum foue, deinde aceto, dolore uidelicet exacerbato: triduo interposito iterum repete, atque ita dentes renascentur.

Ad corrosas gingiuas. Cap. 11

Aristolochia ex melle contrita gingiuas conspergito: aut ceruinum cornu exustum, donec al-

D

bescat, & cerusam, & argẽti spumam, & nardum, & pumicem cerato comprehende, & illine: aut testudinis crematam testam ex oleo tritam in gingiuam instillato. Aliud. Erucæ semen cum succo, & capræ fel cum melle, aut nigellam itidem cum melle illinito.

Ad oculorum uaria uitia. Cap. 12

Caprina medulla oblinito, & sanabis: aut caprinam, ouillam úe adipem calida aqua madentem imponito: aut lini seminis succo, aut muliebri lacte madefacito.

Ad albugines oculorum, Græci leucomata uocant, & cicatrices ueteres paucissimis diebus curandas remedium, quod etiã uisum mirifice exacuit. Cap. 13

Aeruginis rasæ uncias quatuor accipe, ammoniacæ guttæ tantundem, cerusæ uncias duas, gum

mi unciam unam. Liquidum autem medicamen- A estο, cucumeris agrestis radicis succus. Aliud. Lauri baccarum mundatarum & tritarum, gummi quantũ satis sit, permisce & fiant collyria, quando uti uoles terito, & ex pueri uenerem non experti urina illinito: probatum est.

Ad Aegilopas, hoc est, fistulas oculorum. Cap. 14

Fimi columbini aridi drach. quatuor accipe, & cum masculo thure tritas inspergito: expertũ est.

Ad albugines comprobatum, multos enim iuuit. Cap. 15

Perdicis masculi felle ex melle illinito. Aliud. Ladani uncias duas terito, ex uino optimo, & oleo, quantum satis erit, illinito.

Ad suffusionem admirabile, quod ilico uisum restituit. Cap. 16

Muris sanguinem, & galli fel, & muliebre lac B aequis ponderibus misce, & bene subactis utere: probatum est enim, & magnifice profuit.

Aliud ad inueterascentes suffusiones, hebetem uisum, & ad omnia, quae oculis tenebras offundunt. Cap. 17

Baccas lauri cortice liberatas numero decem, gummi drachmas duas, ex aqua pluuiatili collyria facito, & illine: suffusos quidem ex urina pueri uenerem non experti, caecutientes autem ex aqua pluuiatili.

Ad oculorum dolores, & uigilias. Cap. 18

Mulsam instillato, & ouum praemaceratum, ac putamine mundatum in duas portiones secato, & super oculum deligato, & somno occupabitur.

Ad carbunculos oculorum totiusq; corporis. Cap. 19

Herbam muralem cum panis micis posca prius madefactis tritam adhibeto. C

Ad acuendum uisum. Cap. 20

Foeniculi succo trito ex melle multo recenti, & super carbones sine fumo cocto illinito.

De ordeolis in palpebris enatis. Cap. 21

Acacia ex uino utere.

Ad fluctiones oculorum. Cap. 22

Oculis fluctione laborantibus initio quidem cibus modicus conuenit, aquae potus, à uenere abstinentia, & aluus ducatur, primumq; multa frigida modico aceti permisto assidue faciem lauet, & in lectulo olfaciat: puluerem, fumum, lucernae solisq; splendorem deuitet: deinde rosas uirides uel aridas dulci uino madefactas contere, ouiq; uitello admistas superdato, aut ex hordei farina dulci uino incocta cataplasma facito: quòd si D dolor uehementissime cruciet, altercum quoque admisceto.

Ad capitis uitia diuersa. Cap. 23

Cataplasma ad caput fluctione uexatum. Haec compositio caput fluctione tentari non sinit, neque oculum male haberi. accipe cimoliae, nitri, albae uitis radicis aridae, cucumeris syluatici radicis, fabaceae farinae, singulorum pondo uncias duas, pariter tritis & in unum redactis ad sordium crassitudinem utere in balneo: longe ualentissimum remedium est.

Vt manducatu pituita ex capite detrahatur. Cap. 24

Vuam taminiam & mastichem manducato, aut mastichem & zingiber. si mastiche dura sit, parũ cerae admisceto.

Ad capitis dolorem. Cap. 25

Rutam diligenter contere, & ex aceto atque rosaceo frontem illine.

Ad capitis ab altera tantum parte dolorem quem hemicraniam Graeci uocant. Cap. 26

Porri caput comamq; oleo incoquito, ex eo caput perfundito, statimq; dolor tollitur. Aliud. Hederae extrema oleo incoquito, & ex eo caput perfundito. effectum miraberis. Aliud. Amaris amygdalis tritis frontem oblinito.

Ad clauos probatissimum, etiam si in capite sint. Cap. 27

Accipe sandarachae, aluminis scissi, atramenti sutorij, mysios, uiuae calcis, saponis, singulorum parem modum, sed calcis tãtum duplum, tritis ex primo saponis iure utitor: admirabile est.

Ad dolorem capitis hemicraniam uocatum. Cap. 28

Accipe erucae seminis uncias tres, rutae uiridis uncias septem, piperis grana unum & triginta, ouorum trium alborem, aceti quod satis est, omnibus permistis illinito frontem.

Pastillus celebris Socratis ad capitis dolorem & hemicraniam, omniaq; ex fluxione uitia mirificus. Cap. 29

Accipe euphorbij drachmas quatuor, thapsiae succi drach. sex, zingiberis drachmam unam, opij drachmas tres, opopanacis drachmas duas, omnia in unum ex aceto liquato, pastillosq; conficito, cum uti uoles, aceto dilue, & fronti illine: suffiri etiam potest, & ad membrum aliquod fluctione male habitum magnifice proficit.

Ad clauos & uerrucas appellatas formicinas. Cap. 30

Clauos enumera, & totidem formicas accipe, & in panniculo lineo raro deligato & cum his etiam cochleam, deinde cremato, tritasq; ex aceto oblinito: aut fimum bubulum aceto maceratum per triduum imponito, omnesq; claui decident: palmularum osseam partem ustam ac tritam cũ sale & gutta ammoniaca in sole subigito, imponito & curabis.

Ad dolorem capitis hemicraniam dictum. Cap. 31

Lumbricos terrestres quindecim accipito, piperis grana quindecim, aceti quod satis sit, omnia simul conterito, & illinito.

Ad ictus uenenosarum ferarum. Cap. 32

A bestijs uenenatis, rabiosoq; cane demorsos sanat cancri interiorum cinis ex aqua semel ac bis potus, quantum manu capere potes.

Ad dolorem capitis ex uini potu. Cap. 33

Herbae sanguinalis coliculos duos connecte, & sertum capiti circundato.

Ad hemicraniam dolorem. Cap. 34

Nasturtij semen tusum cum oui albo permisce, frontiq; impone, & stupam superda: aut aquilae capitis os simile simili appende, perinde & uulturis. Aliud. Lapilli in capite labracis, id est lupi piscis reperti dolorem capitis leuant, & ad hemicraniam faciunt appensi dexter dextrae parti, sinister sinistrae.

Ad defluuium capillorum & barbae. Cap. 35

Betam ex myrteo, & polytrichi capillamenta illinito: aut adiantum ladanũq; paribus portionibus trita ex immaturo oleo, aut myrteo, aut lentiscino

scino imponito. Aliud. Ladanum uino amineo, & oleo myrteo maceratum utroq; ad mellis spissitudinẽ, caput in balneo perungito: melius est autem, quod aliqui polytrichon uocant, si portio septima ladano adijciatur, atq; ita illinatur.

Ad capillos defluentes, ut plures instaurentur. Cap. 36

Murini stercoris drachmas tres accipito, calamorum, quos conatelos uocant, drach. quatuor, amygdala amara numero lxxij. succi balsami, ladani utriusq; drach. quatuor, polytrichi drach. septem, nardi gallici drachmam unam, in pice liquida madefaciens ladanum uino oleoq; macerato, arida uero in puluerem redigens cum liquidis permisce & utere, quotidie perungens: mihi uidetur & caluis posse capillos reddere.

Ad tussim diuersa remedia. Cap. 37

Iuniperi fructus esu potuq; sumptus. Aut bdellium epotum. Aut daucus Creticus ex uino potus. Aut dracunculi radix pariter elixa & ex melle trita. Aut helenij: Aut perdiciadis herbæ succus tepidus ante cibum ex aqua potus. Aut sanguinariæ succus eodem modo sumptus. Aut personatæ radix. Aut pineus nucleus ex aqua potui datus. Aut propolis suffita. Aut resina epota, & terebinthina suffita. Aut arsenicum scissile cum galbano suffitum, & fumus deuoratus. Præterea bituminis, thuris, styracis, cuminiq; suffimentum. Aut cinnamomum ex melle tepido potum. Aut cupressi baccæ contusæ ex uino cum myrrha ieiuno exhibitæ. Aut fœniculi radix semenq; uino incocta, & propinata. Aut uinum cui uiridis ferula incocta sit. Aut origanum melli incoctum & bibitum. Aut myricæ flos, semen, ac folia uino elixa, & potui data. Aut piceę cortex ex aqua potus. Aut albę populi folia & ramuli ex aqua, aut uino potui oblata. Aut uerbasci radix ex uino in balneo pota. Aut allium crudum elixum ue esui datum. Aut lanariæ herbæ radix ex melle sumpta pessime affectos liberauit. Leporinũ stercus contritum ex uino calido sumptum arteriæ & columellæ uitijs, & spiritus difficultati summopere opitulatur. Ad eadem facit & lingua aquilæ collo suspẽsa. Aut nucleus pineus integer ustus tritusq; cum modico piperis melle exceptus laborantiq; exhibitus cochlearij mensura. Ad ueterem tussim autem leuandam, sulphur ignem non expertum ouo inijcito, & in balneo sorbeto. Aut sinapim terẽs miscensq; melli dacolos tres exhibeto. Aut nasturtij semen tritum ex aqua potum cubitum eunti. Aut thus cum melle tritum linctui datum summo mane aut cubitum eunti. Aut raphani succus ex melle sorptus diluculo. Aliud. Iuniperi baccæ quinq;, aut septem ex melle potæ. Aliud. Accipiantur piperis drach. iiij. nucum drach. ij. nucleorum pineorũ, hyssopi utriusq; drachma una, pulegij, iridis, urticę seminis, singulorũ drac. quatuor, mellis quantũ satis sit, detur ligulæ mensura. Aliud. Sinapi, cuminum, nigella, nasturtium, paribus portionibus unà conterantur, uino excipito & propinato. Aliud. Pulegium assidue manducetur, tritumq;, & uino maceratum bibatur. Aliud. Cumini fricti, nigellæ frictæ utriusq; drachma una, piperis grana quadraginta, unà trita, & melle fermentata ieiuno dato & cubitum eunti. Suffumigatio. Accipe auripigmentum scissile, piper, marrubium, hordei farinam, trisaginis, & uitis radicis corticẽ, chamæleucen, mastichen, crocum, costum, omnia in unum misce, & collyria confice, & ieiunum suffumigato cubitumq; euntem. Aliud. Piper, nuces, auripigmentum scissile, simul terito, miscetoq; cum melle, & propinato. Aliud. Butyrum, anserinum adipem, & resinam unà cum melle contundito: & ieiuno cubitumq; eunti exhibeto. Aliud. Virgulam fœniculi, semen piperis unà terito, & melle fermentata concedito. Aliud. Vesicarium solanum cum radicibus elixum potui dato.

Ad tussim reiectionemq; sanguinis. Cap. 38

Accipe costi, cinnamomi, rhei barbari singulorum drach. unam, simul & trita, & in unũ corpus redacta ex uino tepido propinato.

Aliud ad tabescentes faciens. Cap. 39

Accipe thuris, piperis, auripigmenti scissilis, cariophylli, singulorum parem modum, omnia conterito ex melle, et fermentata concedito diluculo, & cubitum eunti. Aut auripigmentũ scissile pro sale in ouum sorbile mittito, & sorbeto ieiunus. Aut arsenicũ tritum ex uino tepido in balneo propinato. Aut arsenicum fissile & uitellũ oui misceto & bombici illinito, & per instrumentum, quod siphonem Græci uocãt, suffumigato. Cum uero laborans suffumigio tristabitur, ipsi butyrum ad auellanæ nucis magnitudinẽ deuorandum exhibeto: iterumq; suffumigato, id aũt septies repetes. Aliud. Styracem bonũ & brassicæ succũ unà terito, & fermentata ieiuno, aut cubitũ eunti exhibeto. Aut laurei olei & uini boni accipe singulorum drach. tres, misce, & tepidũ in balneo propina, & œnelæo, id est uino oleoq; misto in olla calefacto stomachum foue. Oenelæum phthisico potui ne dato: sed œnelæum curiose paratum calefacito & spongia stomachum foueto. Aliud. Lupinorum decocto calido myrrham stacten uocatam madefacito, & pedes tussientis foueto, & spongia detergens inungito butyro, deinde iterum foueto. hoc ter facto curabitur. Aliud. Hederæ granis, aut lignis, aut folijs tussientem suffumigato. Aut resinam ex uino ueteri tritam ieiuno propinato: aut agrestis canabis semen tritum ex aqua, aut cedri liquorem ieiuno potui dato: aut hyssopum & pulegium in posca incoctũ. Aut beronicẽ melle subactam edendam offeras. Et raphani assi mane ac uesperi si edantur, benefaciũt, & chameleuce suffita. Aliud. Baccas laureas cum pipere, & nucleos pineos ex melle dato mane & cubitum eunti.

Ad tussientes, arteriam asperam, uocem amissam, & sanguineum sputum. Cap. 40

Accipe tragacanthæ, gummi, utriusq; drachmam unam, myrrhæ bonæ tantundem, dulcis radicis succi, ac uini dulcis quantum satis est. omnia contusa in unum redige: cum trita fuerint, arida cum reliquis misce.

Aliud ad tußiculam & ulceratam arteriam. Cap. 41

Accipe terebinthinæ, gummi, mellis boni, ſingulorũ unciam: & terebinthinæ prius elixæ gummi adijce, & exhibe oleæ magnitudinem ore continendam. Aliud. Gummi, licij, utriuſq; uncias quatuor in aquã mitte, macerariq; ſinito, deinde heminã Cretici dulcis infunde, & ſeruefacito uſq; ad ſordium ſpiſsitudinẽ, & delingendũ præbeto.

Aliud, ad tußiculas, fremitus, & ſanguinis ſcreatum. Cap. 42

Accipe tragacanthæ drachmas duas, lini ſeminis fricti drachmas quatuor, amygdala delibrata decem, nucleum pineum adipi incoctum: tragacantham aqua calente madefacito, & reliqua admiſceto, dulceq; uinum infundens conterito. Ad uocem autem amiſſam, & ſanguineum ſputum, pro dulci uino melle utitor. Aliud. Raphanum in taleas rotundas concidito, & ſuper prunas aſſato, ex melleq; ieiunus edito.

Ad tußim diuturnam. Cap. 43

Accipe piperis drachmam, lupinorum farinæ ∠∠. tres, & mellis ligulam ſorbendũ dato. Aliud. Auriculæ porcinę os perforatum collo alligatum à tuſsi futura cuſtodit.

Ad tußim, columellæ uitia, & tonſillarum phlegmonem. Cap. 44

Lapilli in nidis pullorum hirundinum reperti, appenſiq;, à tuſsi tutum reddunt.

Ad tußim & uitia radicis uuæ, & diſtillationem. Cap. 45

Accipe zingiberis drach. unam, galbani, opij, ſtyracis, ſingulorum tantundem, dulci uino excipe, & globulos erui magnitudinis conficito, & loco pilulæ duos cubitum eunti cõcedito, & dulce dilutum poſtea ſorbeto. Aliud. Zingiberis, ſtyracis ſingulorum drachmas quatuor, dulci excipito, & inſtar erui conficito, & cubitum eunti pro pilulis tria dato, dulceq; dilutum poſtea ſorbeto.

Ad diſtillationem & tußim probatum. Cap. 46

Accipe papaueris lachrymæ drach. duas, caſtorei drach. unam, confice paſtillos erui magnitudinis, & eunti cubitũ pro eius uiribus dato. Aliud. Quo utebatur ſapientiſsimus Alexander. Accipe pyrethri drachmas duas, coſti drachmam unam, tunde & cribra: in utendo autẽ iube nares tangere, ſtatimq; conſtringe.

Ad arteriam ex diſtillante pituita laborantem, & tußim. Cap. 47

Accipe ſtyracis drach. octo, caſtorei drach. quatuor, zingiberis, galbani, utriuſq; tantundem, in unũ miſceto, paſtilloſq; magnitudinẽ erui æquantes efficito, & de nocte duos, tres úe exhibeto, poſteaq; bibat, ſed non ilico, & iuuabitur.

Medicamentum capiti inſpergendum eius fluxionem finiens. Cap. 48

Accipe hyperici, iunci odorati, iridis, ligni balſami, ſingulorũ unciam unam, contuſa cretaq; caluariæ inſpergito. Aliud. Caluariæ inſpergendum exiccatoriũ. Accipe coſti, fœniculi foliorũ, gallarum, ſpicæ nardi, iridis, nardi gallici, roſarum aridarum, ſingulorum unciam unam, tuſa cribrataq; inſpergito. Aliud. Ericæ ſeminis, gallarum, iun-

A ci odorati, ſanſuci, coſti, iridis, ligni balſami, ſingulorum unciã unã, tuſis, cretiſq; caput cõſpergito.

Medicamentum, quo hyeme per manducationem ex capite pituita detrahitur. Cap. 49

Accipe hyſopi, origani, utriuſq; drach. iiij. pulegij drach. ij. calaminthæ drachmam unam, pyrethri, drach. ij. uuæ taminiæ, marrubij, ſinapis, ſingulorum drach. unam, ſapæ aceti, utriuſque ſextarium unum, omnia in unum miſceto, & uſque ad tertias decoquito, & gargarizato. Aliud eiuſdem facultatis, quo uerno tempore utendum eſt. Accipe hyſopi uncias quatuor, origani unc. tres, pulegij uncias duas, calaminthæ unciam unam, ſapæ ſextarium unum, aceti ſextarios tres. Aliud, quo æſtate & autumno utendum. Accipe hyſſopi unc. B iiij, origani unc. iij. pulegij unc. duas, calaminthæ, ſpicę nardi, caryophyllorum, ſingulorum unciam unam, cinnami unc. tres, marrubij unc. quatuor, iridis unc. tres, cyperi unc. duas, pyrethri unc. unam, ſapæ aceti, utriuſq; ſextarium unum, decoque uſque ad tertias, & utere.

Ad diſtillationem. Cap. 50

Accipe origani faſciculos duos, pulegij faſciculum unum, cum aceto in mundam ollam demittito, item caricas ſex, uuæ paſſæ acinos duodecim, omniaq; decoquito uſq; ad tertias, mox percolato, & in poculum conijcito, ac gargarizato.

Ad humores in pectore contentos. Cap. 51

Vrticæ folia cum hordei cremore decocto exhibeto, hoc inflationes digerit, & materiam ex pectore euocat.

C *Ad tußim, ſpiritus difficultatem à ſtomacho, & ſanguinea ſputa. Cap. 52*

Nouam ſpongiam & candidam accipito, huius uſtæ tritæq; cinerem cum melle & pipere, quantũ ſatis eſt, cõmiſceto, in eamq; formam redigito, ut delingi poſsit, ueſperiq; à cœna, quantum tribus digitis capere potes, accipito.

Ad anginam. Cap. 53

Bouis maſculi felle collum oblinito.

Ad tußim aridam. Cap. 54

Fœnumgræcum uſq; ad tertiam partem elixato, iuſculumq; ſummo mane ex melle propinato.

Paſtillus ad tußim fluctionemq; pectoris. Cap. 55

Accipe pulegij, hyſſopi, piperis, naſturtij, ſingulorum unc. unã, melle cõprehende, et paſtillos effi D ce, ſingulos unciæ pondus æquantes. his utitor.

Ad tonſillarum uitia. Cap. 56

Salicis folia & ſemen in aqua diutius feruefacito, gargarizandaq; exhibeto: hoc pinguem pituitam maxime detrahit, & ad anginam bene facit. Aliud. Ex myrti lenticulæq; decocto gargarizari præcipito.

Ad anginam. Cap. 57

Caprinum ſtercus ex melle gargarizato, aut rutæ ſucco ore adaperto fauces ſublinito.

Ad diſtillationem. Cap. 58

Hyſſopum, ficos, mel, ac rutam aquæ incoquito, eamq; gargarizato.

Ad uocis claritatem. Cap. 59

Tragacantha uino madefacta & epota uocem claram præſtat.

Ad amissam uocem. Cap. 60

Styracem aqua maceratum in globulos ciceris magnitudinis redigito, tres exhibeto: statim uoce recuperata loquetur.

Ad phlegmonem, aut erysipelas. Cap. 61

Sedi folia cum polenta in cataplasmatis modũ imposita. Aut portulacæ folia cum polenta. Aut brassicæ, aut calami folia uirentia conterito, & superimponito. Aut rubi. Aut rhamni & rosarum folia superdato.

Ad lumbricos aluum occupantes. Cap. 62

Polypodij radicem cum sapa mistam edito. Aut raphani semen ex aqua potato. Aut allium corrodito. Aut ulmi radicem ex mulsa aqua bibito. Aut sycamini radicis cortex aquæ incoctus potui detur. Aut nigella potui detur, & in cataplasmatis modum imponatur. Aut ex aqua brassicæ semen habente potio fiat. Aut ex mentæ succo. Aut ex nasturtio atq; menta. Proprium experimentum. Canabis semen aridum tusum cretumq; misceto cum aqua, ut succi temperatura fiat, mox linteolo mũdo percolatum in potum offer. Aut bubulum fimum aridum combustum in puluerem redigito, ex eo potui drachmam unam ex uino dato.

Ad lumbricos latos & rotundos. Cap. 63

Accipe nitri, nasturtij, piperis, singulorum unciam, fac puluisculũ, & ex uino ligulã propinato.

Ad citandum sudorem, finiendamq; febrim. Cap. 64

Canchryos semen ex oleo illitum prodest. Aut pyrethrum ex oleo calefactum, & per horam ante inuasionem illitum bene facit. Aliud ad febrem expertum. Oleum cõmune, aut chamæmalinum, acetum, nitrum cum laureis folijs, omnia bene elixentur, & ex eo laborans perungatur, & undiq; contectus statim sudabit. Illitio ad febricitantes. Butyri partes duas, mellis partem unam misce, & calefactis utere. Aliud. Lactucæ foliorum succi partem unam, olei uulgaris partes duas, misce, & curiose agitans totum corpus inungito: experientia probatũ est. Aliud. Artemisiæ succi partem unã, rosacei olei partes duas misce, & utere.

Ad dolorem hemicraniam uocatum. Cap. 65

Solani succus ex oleo illitus uehementer proficit. Aliud. Sinapis semen ex melle imponito. Aliud. Rutam domesticam aceto & rosaceo incoctam illinito.

Ad canis morsum. Cap. 66

Vrticæ semen impositum: Aut nigri marrubij folia: Aut apiastrum ex uino potum, & morsibus illitum. Allium quoq; illitũ prodest, & tostum in cibum potumq; assumptum.

Ad timentes canum impetum. Cap. 67

Nerij radicem collo circundato, & liberabitur: q; si experiri uolueris, cum canis in furorẽ uersus sit, illi circumponito, statimq; furorem deponet.

Ad morsus canis rabiosi. Cap. 68

Vulneribus rabiosi canis morsu factis brassicæ folia cum lassere trita ex aceto imponantur, per se enim brassica aduersus rabiosi canis morsus proficit, & ipsius decoctum potui datum. Elixa uero brassica ante alios cibos sumpta phthisicos sanat, uitijsq; arteriæ subuenit, contusa autem & cataplasmatis modo lieni imposita, illum extenuat.

Ad anginam colliq; dolorem. Cap. 69

Alba populus arida contrita, & collo illita: aut nasturtij semen: & fimus columbinus ex melle imposita bene faciunt: Aut mel tepidum gargarizatum. Aut canino stercore candido trito ex aceto collum oblinito.

Ad narium fœdum odorem. Cap. 70

Hederæ foliorũ succus tepidus naribus instillatus: aut calaminthæ succus æque tepidus infusus: aut myrrha ex muliebri lacte trita infusaq; naribus, narium halitum commendant.

Ad prorumpentem è naribus sanguinem. Cap. 71

Acaciam ex aceto tritam naribus infundito. Aliud. Acetum cum sale sumens in ollam aut mortarium mittito, lanamq; accipiens in ipsis madefacito, hæcq;, quantum laborans ferre poterit, calefacta, eius capiti imponito: ilicoq; uelamentis quamplurimis contegi præcipito. Purgatorium narium. Thymum & origanum melle exceptum in pastillos redige, cõmanducandosq; exhibe.

Ad lateris phlegmone correptos. Cap. 72

Hæc omnia benefaciunt, bdellium ex uino pariter & ex aqua potum: Aut balsami semen ex aqua potum, aut ex melle delinctum. Aut aristolochiæ radix ex aqua potui data, aut ruta ex mulsa itidem pota.

Ad acutam febrem. Cap. 73

Peponis domestici succus, aut cucurbitæ ramentorum succus illitus benefacit: aut rosæ ex oleo: aut plantago in cataplasmatis modum impositæ iuuant.

Præsagium in febricitantibus. Cap. 74

Rosaceo prius inunge, & apij semen tritum superda, deinde stupam rotundam instar rotæ cordi superimponito, luteumq; oui infundito, & reticulo cõtegito, tum si fiat oui dispersio, mortẽ adesse scito. hoc enim ipsa anima facere dicitur.

Ad glutinanda uulnera. Cap. 75

Radix graminis cõtusa, ut aridum medicamẽ imponatur.

Curatio ad dolorem auris. Cap. 76

Amygdalinum oleum in aures instilletur: aut ex nucibus oleum: aut laureum: aut balsaminum: aut dracunculi herbæ seminis succus ex oleo infusus. Aut herbæ urceolaris succus ex oleo rosaceo tepidus instilletur. Aut ruta uirens oleo incocta & tepida in aurem mittatur: aut myrrha ex melle tepida. Aut ruta ex mulieris, quæ marem peperit, lacte, tepefiat, & instillet. Aut ex allio expressum succum in aurem mittito: aut porri succum tepidum: aut sapam tepefactã: aut porri succum melli admistum. Aut oleum ore continens in aurem inspuito. Aut cucurbitæ succũ ex rosaceo instillato.

Ad scabiem pruritumq;. Cap. 77

Vlmi folia arida trita in balneo inspergito, aut sulphure ignem non experto & syluestri uua, & arsenico, & sandaracha ex oleo & aceto in balneo oblinito. Aliud. Myrrha ex muliebri lacte cutẽ oblinito, aut dulcis radicis succum ex dulci uino potui offerto. Aut oua gallinæ integra in acetum acerrimũ demitte per diem noctemq;: quæ si tria fuerint

fuerint, ipsis cum putaminibus in eodē aceto contritis adijce sulphuris ignem non experti, arsenici scissilis, uuæ taminiæ, cerusæ, spumæ argenti, nerij succi, singulorum unciam unam, olei ueteris quantum satis est: omnibus contritis obline in balneo.

Remedia ad stomachi uitia. Cap. 78

Ex folijs calaminthæ uirentibus & hordeacea farina cataplasma conficito.

Ad cruditatem, inflationesq; uentriculi, quisquis hoc usus fuerit, statim esuriet. Cap. 79

Accipe anesorum drach. duodecim, piperis albi, libystici, ammij, petroselini, fœniculi, singulorum drach. sex: hæc tusa & creta melle cocto comprehende, exhibe drachmam unam.

Ad æstuantem uentriculum nec cibi tenacem. Cap. 80

Lactucæ succum ex dulci uino potui dato, nec uomet amplius.

Ad dolorem uentriculi. Cap. 81

Lac, in quo carbones querni extincti sunt, laboranti propinato.

Ad acorem in uentriculo. Cap. 82

Trisago ex uino pota acore liberat.

Ad inflationem uentriculi. Cap. 83

Piperis, baccarũ lauri, cumini, anesi, pares portiones contusas & cribratas ex temperato uino ieiuno dabis ligulæ unius mensura per triduum, aut anesum ieiunus manducato.

Ad oculos fluctione laborantes. Cap. 84

Fœniculi succus per triduum illitus, aut thus ex melle & lacte, aut cētaurij succus ex melle, aut folia herbę quinq́folij ex melle imposita benefaciũt

Ad caliginem oculorum. Cap. 85

Cucurbitæ ramentorũ succus superdatus proficit.

Ad albuginem oculorum. Cap. 86

Alterci folia cum polenta superdato. Lignum balsami quoq; ex muliebri lacte illinito. Aut rutā uiridem imponito. Herba præterea pulicaris ex muliebri lacte, aut calami uirentium foliorum succus illitu prodest.

Ad oculorum uertiginem remouendam. Cap. 87

* Oleæ folia contunde & succum expressum illine, atq; miraberis.

Ad oculorum fluctionem cataplasma. Cap. 88

Portulacam cum croco & adipe suillo contere, aut apij folia cum polenta: in magnis autem fluctionibus rosas sertulamq; cum amylo coctas oculis imponito.

Ad dentium dolorem. Cap. 89

Aceto nigellam habēte os collue, aut oleo gallas incoctas habente, aut aceto, in quo platani glo buli incocti sint, aut quinq́folij radix. Item peucedani radix trita & combusta illinatur. Aut malicorij rosarumq; decocto os collue.

Ad dentium uulnus. Cap. 90

Accipe nitri, sepiæ testæ, myrrhæ, singulorum unciam unam, tritis utere.

Aridum medicamen, quod humidum os cruentumq; deterget, gingiuarum carnem instaurat, dentesq; dealbat. Cap. 91

Accipe nitri combusti, myrrhæ troglodytidis, sepiarũ testæ, singulorũ unciam unam, rosarũ aridarum unc. quatuor, tritis & cretis utere, addito etiam iridis unciā unam: huius effectũ miraberis.

Ad lateris dolorem. Cap. 92

Virentis brasicę caules cum radicibus combustos adipe suilla cōprehende, & utere: ualentissimum remediũ est. Aut apij semen decoctũ, donec tertia pars relicta sit, potui da: uehementer iuuat.

Ad internos ani tumores. Cap. 93

Amarantum aqua maceratum mane uesperiq; propina.

Ad lienem cataplasma ualde bonum. Cap. 94

Accipe apiũ, sinapi, baccas lauri bene cōtritas & cortice liberatas, nuces uirides parũ contunde, deinde omnia in pilam cōiecta uehementius contundito, mox extracta acerrimo aceto per triduũ macerato, & omnia in unũ cōfusa tyberiadis succo incoquito, donec cataplasma fiat, deinde lieni superimponito à matutina usq; ad octauā horam, aluo tamen prius subducta: medicamenti effectũ miraberis. Aliud. Ad lienem experientia comprobatum. Ficus nouellæ arboris corticē uiridem detrahito, & cum cinere permisceto & calefacito.

Ad tertianam febrem. Cap. 95

Mel cum scammonia semel potum curat.

Ad quartanam. Cap. 96

Accipe piper contritũ, laureas baccas, cuminũ mastichen, myrrham, thus mundum, singula separatim trita in unum cōmisce, & mellis boni quod satis sit, adijce, & per quatriduum imponito.

Ad sanguinis ex naribus profusionem. Cap. 97

Oui putamē integrum cōburito, & liquorē ex eo extractũ cum fissili arsenico permisceto, in naresq; patientis immittito: si arsenicũ prĕsto nō fuerit, solus oui liquor suffecerit. Aliud. Capræ fœminæ setas ustas & tritas & myrrhā similiter tritā cũ setisq; caprinis mistā in nares sufflato, si uiri fuerint, cum charta, si fœminæ, cum alio quopiā: qua parte autem sanguis erumpit, arctissime deligato.

Ad uiolentas sanguinis eruptiones. Cap. 98

Gallas mola tritas, & malicorium, & punicæ * mali grana contusa & mista cũ oleo scissili & melle ac bene subacta mane uesperiq; propinato, ut mel gallarum.

Ad uentris tormina & inflationes. Cap. 99

Accipe piperis, rutæ, zingiberis, pares portiones, & tritas ex aqua calida propinato: aut artemisiam tusam, cretamq; dato: aut nitrum ustum tritumq; ex humore aliquo exhibeto.

Vt ne boues ægrotent. Cap. 100

Ceruí cornu super Panis dei sacellum ponito, candelamq; desuper accendito, & ne interdiu accensam obliuione demittito, & in tempore sanctum Demusarim inuocato, ac tollito: armēta tua & uitam custodient.

Vt ne porci ægrotent. Cap. 101

Rhamni radicem tritam in aquam, ubi sese proluunt sues, proijcito.

Ad carnem glutinandam. Cap. 102

Terræ lumbricos frictos tritosq; inspergito.

Plagarum curatio. Cap. 103

Myrrham & aloem tritam inspergito: Aut resinam piceæ, uel & mastichen & hederæ lachrymā, ex his factum emplastrum imponito: Aut hircina axungia plagam obline, & capræ nigræ cornu insperge

ſperge. Aliud. Aut coſtum, ſpicam, cinnamum, zingiber, cuminum, ſingulorũ parem modum terito, cũ pice ſubigito & imponito: Aut panis cruſtam aridam tuſam, & uino oleoq́ſubactã ſuperdato quotidie per uices mutans.

Ad equorum ſcabiem. Cap. 104

Anguem diſcindito, eiuſq́ adipem capiens ligno equi ungularum oras inungito.

Ad ſomnum conciliandum. Cap. 105

In lauri folijs hæc elementa inſcribito, iacentiſq́ ſtragulis ceruicali eo neſciente ſubijcito. ξ ς. χ ς ς. φ θ.

Vt ne homo noctu ſomniet. Cap. 106

Rutæ ſemẽ in ceruical ipſius neſcientis ſuſpendito, nullaſq́ in ſomnis imagines uidebit.

Ad pectus. Cap. 107

Cum ouo arſenicum fiſſile miſceto, & piper, & hordei farinam, & lauri baccas, pineoſq́ nucleos, & exhibeto. Aliud. Allij accipe ſpicas ſeptem, arſenici fiſſilis, piperis, utriuſq́ grana tredecim, bambacem, pini nucleum, ceræ modicum miſcẽs cum oui uitello accipe frequenter.

Ad corroſos dentes. Cap. 108

Arſenicum, piper, caſeum, calcem uiuam aceto macera, & appone.

Auxilium ad renum uitia. Cap. 109

* Accipe pulegium, origanum, ſampſucum, ſerpyllum, chamæmalum, abſinthium, centaurium, lauri folia, cucumerem ſyluaticum, peponem: unà omnia prius cõtuſa aquæ incoquito, deinde cum melle oleo & ſale decocti, quãtũ ſatis eſt, accipito.

Remedium ad coxendicis dolorem. Cap. 110

Accipe cucumeris ſylueſtris radices, lauri folia, rutæ folia, abſinthium, plantaginem, triſaginẽ, marrubium, calaminthã, pulegium, origanum, thymum, lactucam, euphorbium, anethum, pyrethrum, uuam taminiam: hæc omnia in aqua incoquito, deinde melle oleo & ſale adiecto, per inſtrumentum admoueto.

Vt dentes putridi nigriq́; albi reddantur. Cap. 111

Accipe ſalis contriti, ropi, ſepiarum teſtæ pares portiones: omnibus in unum tritis dentes fricato, quos prius aceto puro collueris.

Cataplaſma ad caput fluctione tentatum. Cap. 112

Hoc remedium præſtat caput à fluctione tutũ, neq́ oculum unquã iniuria affici ſinit. accipe maſtiches, myrrhæ, ſarcocollæ, thuris, ladani, nitri, ceruſſæ, terræ cimoliæ, ſtyracis, roſarum aridarum, ſingulorum unciam, ſaponis ſanci libram, mellis tantundem, lupinorum amarorum decoctũ quod ſatis eſt: omnia in unum miſceto, & pro ſapone in balneo utitor.

Paſtillus de ſeminibus ad tuſsientes. Cap. 113

Accipe aneſorum amarorum unciam, fœniculi ſeminis, alterci ſeminis, ammij, ſingulorũ drachmam, apij ſeminis drach. tres, opij drachmam: ſingula bene terito, & aquam paulatim tepidam infundito, donec ſordium balnei ſpiſsitudo fiat: paſtillos fabæ magnitudinis conficito, unumq́ exhibeto, tuſsientibus nanq́ prodeſt.

Ad iecoris uitia remedia experientia confirmata. Cap. 114

Gallarum cum papaueris capitulo coctarũ ius

A in balneo potato, contectus & in latus affectũ iacens: aut hederę radicis decoctum cum uino propinato. Aliud. Baccas lauri ſeptem, grana piperis ſeptem trita ex uino in potum dato. Aliud. Aloes drac. iiij. aſari, coſti, eupatorij, hedyſari, ſertulæ campanæ, maſtiches, croci, ocymi ſeminis, ſingulorum drach. duas. conterito, cribrato, & ex aqua temperata exhibeto.

Aliud iecori & uentriculo commodum. Cap. 115

Accipe lauri baccarum, cinnami boni, caryophyllorum, aloes, hedyſari, coſti, ſingulorum drachmam, contrita & melle excepta ex uino uetere potui dato. Aliud. Accipe acori, ſeminis lini, zingiberis, rutæ foliorum molliũ ſingulorũ drachmam, aneſorum drach. iiij. ex mulſa dato. Aliud.

B Mel cũ pane miſtũ calidũ emplaſtri modo imponito: aut abſinthij ligulam unã ex temperato melle potui offer, & ſuper iecur ægrotus decumbat.

Ad linguam fluctione laborantem. Cap. 116

Cynarę folijs contuſis ex melle linguam perungito: aut uenam partis, unde fluit materia, incidito, & bene faciet.

Ad oris ariditatem. Cap. 117

Palmularum ficorumq́ decocto per pennam illinito & contineto.

Ad labia ſciſſa. Cap. 118

Lini ſemen ex melle contritum imponito.

Ad eos, quibus menti pili decidunt, quos Græci appellant ſpanopogonas, hoc eſt, raribarbos. Cap. 119

Accipe piperis, euphorbij, pyrethri, ſingulorũ

C unciam, calami foliorum molliorum ſuccũ, murini ſtercoris, olei per combuſtionem expreſsi: trita omnia affricato, & aſsidue radito.

Vomitorium medicamentum, quod myſtri menſura exhibetur. Cap. 120

Aphronitrum album in aquam tepidam conijce, quoad diſſolutum ſit, & modicum olei adijce, potandumq́ exhibe.

Reprimentia uomitum. Cap. 121

Menta tuſa creta, & roſaceo admiſta nares pectuſq́ illinito. Aliud. Palmulas thebaicas, & mentæ ramulos aquæ duorum ſcyphorum menſura incoquito, quoad ſordium balnei temperatura fiat, mediam partem propinato. Aliud. Palmæ glandium contuſarum, quod ſufficit, accipe,

D uini myrtini modicum inſtillato, deinde exceptas ex mulſo, aut aquæ hemina exhibeto.

Ad ſanguinem uomentes. Cap. 122

Iunci odorati ex aqua decoctum propinato.

Ad citandum uomitum pituitæ. Cap. 123

Viridem mentam, aut ſiccam ex aqua temperata bibito: Vt facile autẽ uomat, ſampſuci folia potui, raphani uero ſemen eſui dato: pituitam multam uomitu reijciet.

Compoſitio pilularum purgantium pituitam. Cap. 124

Accipe aloes unc. ſex. maſtiches, abſinthij ſucci, utriuſq́ unc. duas, cucurbitulæ ſyluaticæ, unc. quatuor: dentur pilulæ nouem & uiginti.

Ad oris ſtomachi uel cordis uitio uexatos. Cap. 125

Lentem cum ſpantæo, palmulis, & uino Mendeſio elixam potui offerto.

Ad dolorem oris stomachi, uel cordis.

Herbam sanguinariam curiose tritã, aut mala, aut cotonea elixa contritaq; rosaceo cerato comprehensa in modum cataplasmatis imponito: aut portulacam roseo cærato, aut myrteo exceptã superdato. Aliud admirabile experientia comprobatum. Accipe seminis lini heminas quatuor, aquæ heminas septem: elixato, & utitor: hoc medicamentum sanitatem creat: neq; enim ægrotus in peius ruet, sed in melius proficiet.

Pastillus ad spiritus difficultate laborantes & diu tussientes suffitu proficiens. Cap. 126

Accipe nasturtij, sinapis, abrotoni, rutæ syluaticæ, sandarachæ, singulorum unciam, terito, & ex aqua factis pastillis accurate utitor.

Ad difficultatem spiritus & sanguineum sputum. Cap. 127

Thymum cum pipere tusum, & melle exceptũ delinctui dato, studioseq; utitor: ualde enim efficax est. Aliud. Porrorum capita melli incocta ieiunus edito. Aut rutę aridæ, mentæ utriusq; unc. quatuor, cum melle terito, et ceratia duo cubitum eunti ex aqua temperata propinato: Iuuant autẽ ægre spirantes & pistacia esui data.

Ad cruentum sputum. Cap. 128

Accipe symphyti, mastiches ruffæ, utriusq; dra. quatuor, lemnij sigilli, balaustiorũ, utriusq; drach. duas, terito & cribrato, & ex aceto mulso ligulam potui dato. Aliud expertum. Lemnij sigilli unciam, terræ, quæ astrum dicitur, unc. ij. corallij tantundem. dato ex aceto mulso puro heminã unam. mane & uesperi hoc utere. Aliud. Acaciæ ruffæ, amyli medicinalis pares portiones terito, & ex aqua temperata potui dato ligulas quinq;.

Ad febrem ardentem. Cap. 129

Semperuiui & anesi folia quinq;, aut septẽ accipito, & oleo rosaceo incoquito, & ex eo à capite usq; ad pedis uestigium perungito, & demiraberis: aut oleo, in quo pirethri radix macerata fuerit, inungito: hoc enim sudores mouet, & diuturnos rigores discutit, & corporis partes refrigeratas aut resolutas curat. Aliud. Lauri baccas & thymum ex uino terito & illinito, uestibusq; contegito: sudabit enim.

Ad uim genitalium & ueteres affectus. Cap. 130

Calaminthã tusam cribratamq; in pilam conijce, & melle exceptã decoque usq; ad cataplasmatis spissitudinem, & tenui linteolo illitam imponito, & fascia deligato: à multis probatum est. Aliud ad genitalium confirmationẽ & renũ, sed quempiam ne curato anteq; mercedẽ acceperis. à multis enim expertũ est. accipe zingiberis drach. quatuor, herbę Sabinæ, piperis albi utriusq; drach
* mam ex mulsa exhibeto. Aliud. Picis aridæ, telephij, colophoniæ, mastiches, nitri albi pares portiones conterito, & aridum medicamentum facito: & locum prius lotum & adhuc calentem liquida pice oblinito, & aridum medicamen inspergito, superq; imponito, & bene deligato.

Ad discutiendas genuum fluctiones. Cap. 131

Caprifici contritæ succo perfricato, aut radicis succum in balneo affricato. Aut salem columbi-

A numq; fimum terens ex oleo inungito.

Cataplasma ad pedum dolorem ex offensione, aut casu aut aliquo alio uiolento. Cap. 132

Accipe salis usti, origani, cineris sarmentorum uitium pares portiones, uitellos ouorũ duos, aut tres cum uino mista superimponito.

Ad scabros ungues & paronychiam diuinũ auxilium. Cap. 133

Vnguibus ex casu reuulsis, & uitio, quod paro *
nychion græce dicitur, affectis sachar tritum & in puluisculum redactum, ac inspersum succurrit. scabros autem ungues mundabis, si sulphur ignem non expertum & oui luteum æqua portione miscebis, atq; ex aceto imposueris.

Ad ambusta. Cap. 134

Accipe argenti spumæ, croci utriusq; unc. duas,
B ouorum assatorũ uitellos ponderis unc. quatuor, rosacei, quod sufficit. Aliud. Linteoli usti cinerẽ cũ rosaceo misce, & cera anchusaq; adiecta utere.

Ad sanguinis ex quauis parte eruptionem. Cap. 135

Accipe soreos, atramenti sutorij, aluminis, chalcitidis, mysios, gypsi, gummi, singulorũ drachmas octo, tritis utitor: ualde bonum est, & experientię testimonio comprobatum. Aliud. Chalcitidis drach. vi. resinæ frictæ drach. iiij. pulueris thuris drach. duas. arido medicamine utitor.

Ad impetigines expertum. Cap. 136

Ex his constat: thuris masculi, zingiberis, aloes, sulphuris ignem non experti, singulorum drach. binas: aceto accepta & prius trita pãniculo laneo illinito. Aliud. Ammoniacæ guttæ, alcyonij, sulphuris ignem non experti pares portiones con
C tere, & utere.

Ad dealbandam faciem. Cap. 137

Accipe alcyonium combustum, & tritum cum melle & farina misce, & deterge. Aliud. Lysomumudon terens ex aceto in sole illinito. Aut ollarum florem terito ex aceto, deinde locum panno perfrictum, quoad rubescat, in sole inungito. Vt facies munda fiat, butyro cum sapone misto faciem illine.

Ad dolorem uteri remedium sanctorum argentum non possidentium. Cap. 138

Asarum cum pulegio potui offerto.

Paxamadum uocatorum purgatoria. Cap. 139

Accipe scammoniæ drach. ij. aut iij. mastiches drach. iij. apij seminis drach. duas, polypodij drac.
D iiij. cinamomi drach. unam, fermẽti mundi libram unam. arida permisce, & subige diligenter.

Ad necandos culices. Cap. 140

Ex nigella & sutorio atramẽto suffimentũ facito.

Ad abigendos serpentes. Cap. 141

Galbanum, cerui cornu, caprinas ungulas, & lilij radicem suffito. Ad morsum uero serpentis sal porrumq; imponitur utiliter.

Ad fugandos pulices. Cap. 142

Syluestris cucumeris foliorũ decocto domum conspergito.

Ad difficultatem urinæ iumentorum. Cap. 143

Salsarum oliuarum quod intus ligneũ est, conterito, & contegens per dies quinq; suffumigato.

Ad ictum calami. Cap. 144

Radicis calami combustæ cinerẽ superimponito.

Ad

Ad morbum comitialem ualde efficax. Cap. 145

A Coturnicum cerebrum ex unguento myrteo tritum stanneo uase reponito, & cum quempiam morbo comitiali prolapsum uideris, eo faciem illinito. admiraberis enim huiusce naturalis auxilij efficaciam: nam statim ægrotus consurget.

Ad appetentiam cibi excitandam. Cap. 146

Accipe myrrham, thus, ammoniacum, masstichen, & ex oui albo tritis pectus uisceraque oblinito, & stupam superdato.

Ad hirudines deuoratas. Cap. 147

Eos, qui hirudines deuorarunt, aduersus solem constituito: & locum, ubi inhæreant, animaduertito, & garum ipsis instillato. statim enim locũ relinquunt, & expuuntur. aut acetum cum butyro mistum, in quo ferrum candens extinctum sit, po B tui dato: hirudines enim eijcit. aut eum, qui hirudinem deuorauit, in calidam aquam mento tenus demittito: phialam uero frigidæ plenam ori eius admoueto, sed potui ne dato: statim hirudo exibit. Aliud. Hirudines deuoratas calidum acetũ absorptũ excutit, aut succus syriacus epotus, aut suffiti cimices.

Ad apum ictus. Cap. 148

Succus maluæ ab apibus ictos indolentes reddit.

Ad serpentum morsus. Cap. 149

Cornu ceruinum ustum & ex aceto tritum illinito: aut furni fuliginem: aut calami radices, & cicer, & baccas cupressi, & cornu cerui combusta omnia tritaque in unum misceto, & ex aceto ac porro propinato.

C *Ad inflammationes à uenæ incisore factas, & duritias humerorum, & deustiones, & sanguinis concretiones.*

Caput 150

Fermento triticeo, cum axungia subacto summo studio utere: probatum enim est.

Ad hydropicos. Cap. 151

Stercus bubulum accipito, si mas ægrotet, maris, si fœmina, fœminæ, in ollam nouam conijce, contege, operculum luto, ne diffletur, obline: ollam deinde super cinerem uiuæ calcis per dies septem statue: octauo die detecta olla stercus exime: & aridum medicamẽtum uitreo uase repone: cum uti uoles, tres ligulas ex uino per septem dies exhibeto, sed in uino rutã feruefacias: hæc potio bene facit, etiam si tumores adsint, & œdemata, resiccat, euacuatque per lotiũ: ægrotus autem non potet D per totum diem, nisi ter: expertum namque est.

Vt uinum odio sit, & quomodo cauenda ebrietas. Cap. 152

Vinum, in quo anguilla suffocata sit, potui exhibitũ, uini odiũ parit: idem præstat & uua inferue facta. si tutus ab ebrietate & morbo custodiri uelis, folia rutæ edito: finiũt eadem capitis dolorem ex uino: idem & acorus facit in cibum sumpta, & thebaica palmula. ebrietate nõ tentatur, qui prius aut septem, aut nouem, aut undecim amara amygdala ederit. ita est qui pulmonem oris elixum ieiunus ederit, quãtũuis bibat, ebrietatẽ nõ sentiet.

Vt quis ex uno tantum uini scypho ebrius fiat. Cap. 153

Sarmentorum uiridis aut aridæ uitis modicum comburens, in phiala, ubi uinum est, extinguito: statim ebrietate corripietur.

Ad lenticulas in facie. Cap. 154

Baccarum lauri interiora ex melle trita illinito: aut nucleũ pineũ melli incoctũ oculis imponito.

Ad infantium procidentem sedem. Cap. 155

Fabrorum aqua, in qua candens ferrum extinguunt, calefacta subluito, deinde cochleam combustam & in puluisculum redactam inspergito.

Ad gingiuas pueri, & dentes orientes. Cap. 156

Rosarũ floribus tritis ex melle illinito, aut ouis cerebro ex melle, aut butyro ex melle.

Ad lac multum creandum. Cap. 157

Sesami semen tritum ex dulci uino potum, aut titane elixa cum fœniculo absorpta, aut nasturtiũ cum brassica potum.

Ad exustiones per hyemem. Cap. 158

Muria foueto: ex elixa lente & micis panis cum rosaceo tritis cataplasma facito.

Ad aquosum ramicem. Cap. 159

Plumbaginẽ cum sulphure, & aceto pauco, & oleo decoque, & illine locũ. Aliud. Veteres nuces putridas contritas in mortario accipe, & inunge. Aliud. Acetũ potui dato, & cerui cornu ustũ ad cataplasmatis modũ imponito. Aut ex argenti spuma cũ aceto & oleo mista ad solem perungito. *

Ad uulnus incurabile in quauis corporis parte. Cap. 160

Buglosson herbam euellito, & succisas radices curiose lotas in pila conterito, suillam axungiam adijcito, ac bene emolliens uulneri imponito.

Ad uomitum. Cap. 161

Accipe apij radices quinque, fœniculi radices teneras quatuor, anesi drachmam, acetum, mel, & crocum merum, omnia sine croco decoquantur: & post cocturam crocum inijciatur, deturque phialæ dimidium.

Ad aphthas, hoc est, oris ulcera. Cap. 162

Oliuæ siccæ manducentur, aut staphides agrestes aceto incoquantur, & ex eo os colluatur.

Ad talpas. Cap. 163

Locum prius mulso eluito, deinde bubulum fel inijcito, & leporis stercus, aut quod ex sapone confectum est: aut rutæ succum in foramina instillato, aut aristolochiã tritam in ipsa foramina cum aceto infundito.

De uiribus rutæ, rhamni, & mentæ. Cap. 164

Ruta in primis esui potuique data uisum acuit, ueneris appetentiam extinguit, capitis dolorem leuat, si quis teneris eius folijs capitis ossa contegat: succus preterea rutæ cum fœniculi succo & melle commistus atque illitus hebetem uisum acutiorem reddit. Idem præstat & seminis rhamni succus ex mulso illitus. Menta quoque cum polenta in cataplasmatis modum imposita abscessus sanat.

Ad supprimendum sanguinem. Cap. 165

Beronicem mellis super prunas cocti plenam edendam apponito: & brassicæ ocymique seminis utriusque grana sex trita potui dato ex uino mulieri à multi sanguinis profluuio male habitæ.

Præsagium de ægrotante. Cap. 166

Salicis tenera folia cõtusa illinito, si roseus fiet, euadet: si uiridis, morietur.

Ad impediendam uenerem. Cap. 167

Erucam sacerdotes edunt & rutam & uiticem: erucæ

erucæ igitur ſemen ex melle, aut cum fœnogræco ieiuno illitum arrigi non ſinit.

Ad dolorem oculorum. Cap. 168

Crocum tritum & cum liquore, qui à roſa ſtillauit, fermentatum illinito.

Ad capitis dolorem. Cap. 169

Si hæc adſint ſigna, oculorum tenebræ, capitis ipſius dolor, auriũ ſonus, naſi obſtructio, ſummo mane oculorum lachrymæ, nonnullis & oculi caligant, quibus hæc adſunt, caput hunc in modum purgato, origano hyſſopo et ſale nares perfricato: neq; in poſterũ caput dolebit: q̃ſi neglexeris, morbi huiuſmodi ſequentur: obtuſus uiſus, aurium ſonus, capillorum caſus, & dentium dolor.

De pectoris morbis. Cap. 170

Cum pectus aliquod uitium paſſurũ eſt, in primis humiditatē in ipſo ſentire uidetur: ſin coſtæ, crudis abundat humoribus, æſtuationem ſitimq; habet, ipſius lingua aſpera eſt & ſpumans, & ſingulis horis ſaliua decurrit. conuenit autem ipſum à cœna uomere: aut ſummo mane ſtomachũ purgare præſumptis raphani radiculis, aut ſinapi uirenti, aut eruca, aut naſturtio ex aqua tepida, et ſtatim uomens ſanabitur. ſi negligenter ſe geſſerit, in ſpiritus difficultatem, & lateris dolores, & febres acutas incidet, atq; penitus ſomno carebit.

De uentris morbis. Cap. 171

Quando in uentre uitium aliquod ſuborturum eſt, primum tormina doloresq; in uentre ſentiuntur: & alui ſuppreſsio, & excretio, & in ipſo cibi potusq; perturbantur, & amari uidentur, & grauitas in genubus, & circa lumbos renesq; dolores ſunt, & omnino febricitabit. his ita ſe habentibus ſimplicibus medicinis purgare oportet: cnicũ igitur contuſum, & aqua diſſolutum potui dato: aut braſsicæ, aut betæ ſuccum melle cõditum adiecto modico ſalis propinato, & miraberis: ſi res neglecta fuerit, difficultas inteſtinorum, deſidendi immoderata cupiditas, & dorſi dolores impendent.

Ad grauem auditum, & aurium ſonum. Cap. 172

Nitri ſpumam in acetum conijce, oleumq; roſeum & uinum infunde, & capitis poſteriora inunge. Aliud. Nigri ueratri radicem in aurē conijce, & ſanabitur: expertum enim eſt.

Ad cuſtodiendam uitem. Cap. 173

Centaurij decocto palmites uitis conſpergito, hoc canes, uulpes, & cœli uolatilia propulſat.

Ad ſteriles. Cap. 174

Os cordis cerui accipe, tere, & potui da mulieri: & uidebis gloriam dei.

Ad lumbricos mirabile remedium. Cap. 175

Nigellam tritam ex grano potui dato.

Ad dignoſcendum mas ne an fœmina ſterilis ſit. Cap. 176

Lentem in utriuſq; urinam ſeparatim conijce: & utrius lens germinabit, ille eſt filium creans, cuius uero lens non germinat, ille ſterilis eſt.

Ad rigorem. Cap. 177

Scribe in tribus malis aut pluribus, aut ita dicito, ſauus, drauus, danonus, danubius, & eſui dato.

Confectio gari Ioachi martyropolitæ. Cap. 178

Accipe fruſtulorum panis non fermentati, non conditi, putrefacti libram nigellæ tziaricam, ſemi contuſam mentam, calaminthã buniſam, aridam, utranq; ſemi libræ pondere, rutæ, ſylueſtris thymbræ, fœniculi, ſingulorũ tramia quadraginta, aneſi tramia triginta, nanachuam tramia quadraginta, uuarum paſſarum pinguium maturarum ſemilibram, palmularum mundarum tziaricam, mellis ueri hilari meliſii ſemilibram, ſacchari cantij tziaricam, roſarum aridarum, aut humoris ab ipſis per ignem extracti tramia centũ. hæc in doliolũ cum aqua conijcienda ſunt, ſoliq; per quadraginta dies exponēda, ipſis uero adijcere oportet in puro linteolo deligata ligni aloes tramia quinq;, ſpicæ tramia ſeptē, caryophyllorum tramia duo, croci tramia tria, maſtiches, thuris, utriuſq; tramia decem, ſtruthij corticis tramia quindecim, muſci tramiũ ampar tramia duo. omnia linteolo incluſa in dolioli medium ſuccum demittito: & per quadraginta dies quotidie terito, & exprimito ſuſpendens uidelicet in dolio in medio ſucco: & poſt quadraginta dies aquam ſucco ſuperfluitantē colligito, & in altero uaſe reponito, & in ſuccũ alterã aquã inijcito, & utraq; inſolato: ſed poſtq; totũ ius coactum fuerit in altero uaſe, tunc in nitido cacabo, aut in olla uſq; ad tertias decoquito, & cotoneis maturis impleto: linteolum autem nunquam de medio garo eximito: & optimum garum, omnibusq; hominibus utile conficies.

De capitis dolore Barnabæ monachi. Cap. 179

Accipe farinã fabaceam, quantũ manu capere potes, & maſtiches, cuminiq; parum, in unum miſcere oportet cũ ſucco malorũ cotoneorũ, emplaſtrum facito, & membranæ illitũ fronti imponito.

Ad urinæ difficultatem. Cap. 180

Vnguentum optimum in urinarium iter infundito, ſtatim urinam reddet: aut mel, & ſylueſtrem canabim in unum miſce, & perinæo impone: aut muſcum in urinarium meatum immitte.

Ad ſanguinis è naribus profluuium. Cap. 181

Canabina folia trita & arida in narem ſufflato: aut pannum lineum combuſtum ex acri aceto in nares immittito.

Ad uteros. Cap. 182

Obſonium è iuſculo, & amanetarium uerum, & cardid uſta ex uino ueteri potui dato. *

Ne arbor fructum amittat. Cap. 183

Lilij radicem arbori ſuſpēdito: ibiq; fructus hærebit, & non cadet.

Ad uulnus. Cap. 184

Cor cum pelle & cornu cerui combure, & ex oleo inunge.

Ad ſtomachum. Cap. 185

Rutam & thymbram cum ouo, & cuminum, & mentæ radices potui dato.

Ad impetigines. Cap. 186

Pipere trito ex muliebri lacte inũgito, & ſanabit.

Ad dolorem dentium. Cap. 187

Ouorum putamina, ſepiam, & oleum miſceto, & coquito, donec tertia pars relinquatur, & tepidum ore contineto.

Ad lumbricos uentris. Cap. 188

Cornu cerui ramenta ex uino uetere potui dato à balneo.

Ad urinæ difficultatem. Cap. 189

Coriandrũ, mentã, & aquam cum melle decoquito, quoad tertia pars supersit, et in potũ offerto

Ad uulnus dulce. Cap. 190

Suillũ fimum cum oleo & acri aceto misceto, & locum prius setaceo panno excoriatum inungito.

Ad dolorem lateris. Cap. 191

Paliuri radicẽ uino incoquito, donec tertia pars remaneat, & à balneo potui exhibeto.

Ad iecur & stomachum. Cap. 192

Accipe aloes & spicæ utriusq; miliarisiũ, & ex uino à balneo propinato.

Ad conciliandum somnum. Cap. 193

Caprinum fimum cum trisagine ad luti spissitudinem misceto, & faciem oblinito.

Ad tussim. Cap. 194

Raphani semen & fœniculi ex melle potui dato.

Ad cordis dolorem. Cap. 195

Rutam, & lini fœniculiq; semen cordi imponito.

Ad lumbricos aluum occupantes. Cap. 196

Lupinos, lauri baccas, taurinum fel misceto, & umbilico superdato.

Ad hæmorrhoidas. Cap. 197

Testudinis testa suffita bene facit.

Ad exustionem. Cap. 198

Ouorum assorum uitellos in sartagine combure, & in modum emplastri impone.

Ad pruritum. Cap. 199

Garum, sulfur ignem non expertum, & oleum misce, & inunge: effectum miraberis.

Ad morbum regium. Cap. 200

Chrysolachani semen, mel, & crocum confundito, & in lectulo cubantem illinito: bene facit.

Ad uermes. Cap. 201

Chamæleonis radicẽ contunde, & urticæ summitates contritas inijce.

Ad tussim. Cap. 202

Fœniculi radices contritas ieiuno potui dato: admirabile remedium est.

Ad comam. Cap. 203

Maluam, & saluiæ radicẽ conterito diligenter, & in uas cum generoso uino conijcito, à balneoq; comam illinito.

Ad aurium dolores. Cap. 204

Rubi succus expressus, tepefactus, & in aurem infusus dolorem finit.

Ad regium morbum. Cap. 205

Chrysolachani contusi, mellis, utriusq; ligulam unam, ex uino calido ieiuno exhibe. Aliud ualde bonum. In dextram aurem iacenti tenuem uenam cædito, & sanguine effluente utilitatem miraberis: si lienis uero doleat, idem facito in sinistrum latus iacenti.

Ad iocinorosos, lienosos, & à stomacho laborantes præsentissimum remedium. Cap. 206

Viticis grana esui potuiq; ex uino mane uesperiq; exhibeto. Aliud. Apij, & petroselini macedonici semen, & cicer, & uiticis semen, omnia cõterito, & ex uino calido potui dato.

Remedia ad renum uitia. Cap. 207

Erucæ, nasturtij, raphani semina conterito, & melle attico comprehendito, & ex uino uetere drachmam potui concedito.

Galen.

A *Basilij icti melitinoti de ratione uictus ad regium notarium grammaticum. Confectio uini perspicui & coccini.* Cap. 208

Dolium uino impleto, quantum fuerint mensuræ uiginti, & ex ipso mẽsuras duas accipe, & in lapideam ollam conijce, & adde seminis fœniculi, lini, anesi, singulorum miliaria centũ, cum his bene feruefacere oportet, et ex sacculo percolare, et sextarium in doliũ mittere: deinde accipe tripsidij miliaria centum. caryophyllorũ miliaria quinq;. croci miliarium. cyperi, ligni aloes utriusq; miliaria quinq;. omnia in unũ trita & cribrata linteolo inuoluito, & in medio dolio statuito, atq; utitor. *

Eiusdem roborantia stomachum pituitæ plenum & dolorem capiti inferentem. Cap. 209

B Te oportet singulis diebus rosei mellis miliaria uiginti accipere. apij seminis miliariũ unum. anesi miliariũ semis. & ieiunare usq; ad meridiẽ, & tunc gustare. nã propterea ita te facere statuimus, quoniam rosa stomachum confirmat, mastiche calefacit, fœniculũ & apium, si in iecinore ac liene multitudinem atrorũ succorũ offenderint, detrahunt, & per lotium eijciũt absq; molestia: anesum uero, eo quod flatus à uentre disijcit, stomachũq; corroborat. iccirco te usq; ad meridiem cibo abstinere precepimus, ut ne alter morbus appareret, utq; uis herbarũ diutius in uentriculo moraretur. cum uero decem dies præterierint, eundem ordinem assidue obseruato, cum roseo sacharo, ut stomacho robur addatur, uiuasq; indolenter. Fecimus autem & de alimento sermonem hunc in modum.

C *Ratio uictus in cibis & ieiunio, & secundum menses diæta.* Caput 210

Primo die amygdala amara decem cum pane & uino, quantũ satis sit, te edere cõuenit: Secũdo die mel cum pane & uino, quod sufficiat, edito: Tertio die agni anniculi carne uescaris, eius scapulam elixã igne torreto, cũ pane biscocto & uino, quod satis, edito: Quarto die oryzam solam aquæ incoctam addito melle cum pane & uino, quantũ sufficit, edito: Quinto die grana punici mali, amygdala, alliũ cum dauco, ficis aridis, & uuis passis decoque, & uescere cum pane & uino, quod sufficiat: Sexto die similẽ carnẽ anniculã in sartagine cum dauco decoquito, & uescere, panis & uini, quod satis est, addito, ut uis punici mali obtundatur. frigida enim est, atq; ideo malũ punicũ adiectũ fuit, D ut quę antea per quinq; dies assumpta fuerant, refrigerarentur. erant enim reuera calida: Septimo die carnẽ minutim cõcisam cũ cicere & cõdimentis decoque, & uescere, quantum satis est: Octauo die carnẽ cum aceto, caricis, amygdalis, nucibus syriacis, croco, dauco, passis uuis, cũ alijs carnibus cõcisis, cum melle, quod satis sit, decoque, & uescere, cum uino, quantũ sufficiat: Decimo autem die ciborum ieiunijq; ratio ita se habet, mali punici granum, quemadmodũ & prędicta, decoque, & cum uino, quod sufficit, ede. Hæc est sumẽdi cibi ratio: semper tempore cœnæ menta ex melle utitor, ut cibi digerantur, & ne pituita uentriculus abũdet. quo autẽ bona ualetudine fruaris, uenam sine noxia causa ne secato. Quòd si morbus caput tentauerit

uerit, uenam caluariæ secato, & extrahe sanguinis miliaria decem: hoc autē bis feceris & aprili mense, & septembri, per triduum ante & post abstinentiam imperans. auxilium quoq; bis prædictis mensibus deuorato, & capitulis papaueris ut dormias utere, caueasq; à coitu: quod si uelis, semel in septimana post noctē mediam id facito. At iulio mense & augusto te per biduum uomere oportet: utrunq;, quoniam per diem unicū stomachus purgari non potest. quando autem uomis, caueto, ne aquā prius, aut postea biberis: dumq; uomis, oculos uelato, & deligato, stansq; uomito loco edito, aut super fluuium: à uomitu si sitias, tolera sitim, et sobrius esto. Te uti lauatione oportet mense aprili usq; in totum nouembrem: cæteris mensibus abstineto. q; si lauari uolueris, semel tantum in septimana lauator: idq; semper ieiunus: si sitias, temperatā aquā bibito, & balneū egressus oleo, & mulieris lacte, quæ fœminā peperit, caput irrigato: per noctē aūt pedes calēti aqua cū furfuribus foueto.

Ad capitis dolorem. Cap. 211

Accipe amygdalorum lib. iij. seminū cucurbitæ librā unam. oleo ab utrisq; expresso capitis uerticem, nares, pedes ac manus inungito.

Aduersus uini noxam. Cap. 212

Cotonea mala matura dulcia accipito, & mundato, deinde succum exprime, & in uinū infunde.

Inunctio experta ad artuum dolorem, manuum pedumq; intertrimenta, corruptelas, adustiones hyemis, & uenti manus pedesq; lædentis, qui Sarracenica lingua tlen dicitur, compositio ita se habet. Cap. 213

Accipe axungiæ anserinæ partes duas, & medullam ceruorum iuuenum, & martasancem raparam, & mel super carbones decoctum & percolatū, pone in lapideū lebetē, & feruefacito, quoad prædicta pinguia tabescant, quibus adhuc calidis martasancē inijcito, & cum prorsum refrixerint, mel addito, & bene instar malagmatis subigito, & ad ignē aut in furno inungito, & bene perfricato: tantisper autem inunge, donec dolor abscesserit.

Ad ægilopas, id est fistulas angulorum oculi. Cap. 214

Taurinū fel, & liquidam picem, & acetū in unū miscens emplastrū conficito, & imponito, aut rutæ folia cum chorygio in foramina immittito.

Ad uulnera incurabilia. Cap. 215

Ariore panij radicem in uinum dulce demittito, & ægrotanti potui dato.

Ad pulmonum inflammationes. Cap. 216

Piperis grana quindecim, salis micas totidem terito, & teaphen, illorum addito. in unumq; cogito, & cum fimo gallinæ rufæ, atq; oleo inungito: aut dauci semen & nigellam, & porrum contere, & potui exhibe.

Ad talpas. Cap. 217

Accipe trisaginem & hordeaceam farinā cum melle fermentato, & inungito & in modum cataplasmatis imponito.

Ad dolorem uentris & stomachi. Cap. 218

Thus cum uino antiquo in cacabum conijcito, et donec tertia pars supersit, decoquito, atq; in balneo propinato: aut oleum & uinum perinde coquito, & tepidum in balneo potui dato.

A

Ad stomachi uitia. Cap. 219

Cuminum & cinnamomū cōterito, & myrrhā, mastichem, & bliscunæ modicū adijcito, deinde cocta & mista potui offerto: aut mentæ ramulos tres, & grana punici mali, & palmulas propinato.

Ad debilitatem genuum. Cap. 220

Lini semen & mel in aqua feruefacito, & cordi in modum cataplasmatis mponito.

Ad dolorem lateris. Cap. 221

Ex cumino triticea farina & uino ueteri cataplasma facito, & cordi superdato.

Ad lienosos. Cap. 222

Brassicæ folia, ammoniacum, acre acetum, omnia misceto, conterito, & locum per triduum oblinito: aut platani folia aquæ incoquito, quoad tertia pars supersit, & potui dato: aut brassicæ folia

B

igne torreto, & trita ex igne propinato.

Ad profluuium sanguinis muliebre. Cap. 223

Taurini cornu ramenta ex aqua pota sanguinis profluuium sistunt: aut lulacem, & brassicæ semina, & scammoniam in unum misceto, & potanda exhibeto.

Ad stomachi compressionem. Cap. 224

Accipe gallas tritas, & rhoi flores, aut mali coria, & usq; ad tertiam partē decocta: aut fœnigræci melli incocti ius potui dato.

Ad cœliacos, hoc est uentriculosos. Cap. 225

Nasturtij semē in nouam ollam conijce, & decoque, deinde ouum separatim elixa, & eius putamen detrahito, & ipsum diligenter conterito, & nasturtij semini elixo adijcito, & unà feruefacito,

C

atq; si uelit ægrotans, edito, sin id non possit, aquam potato: aut taurinos renes frictos potui dato: aut ueterem caseum acri aceto incoctum ieiuno esui dato.

Ad urinæ difficultatem. Cap. 226

Pagurum fluuiatilem conterito, & panniculo expressum potui exhibeto: aut fœniculi radices ad tertiam partem decoctas laboranti propinato.

Ad exterius prominentes ani tumores. Cap. 227

Viuam calcem & recens arsenicum in unum mista imponito.

Ad artuum dolores. Cap. 228

Quinqueneruium & scorpidium & acetum modicum misceto, & locum oblinito: aut sinapi & caricas in unum conterito, & in balneo superdato.

D

Ad dolorem genuum. Cap. 229

Maluam, hordei farinam, lini semen unà contere, & in sartagine cum oleo fricta loco impone.

Ad ossa fracta. Cap. 230

Accipe picē, thuris puluerem, palmulas, maluę florē, oui album: omnia mista imponito, et stupa superaddita, calamis ac fascia deligato, sanabitur.

Ad quartanam. Cap. 231

Vinū uetus trisaginē incoctā habēs ter potui dato

Ad morsum scorpij. Cap. 232

Testam igne candentem impone: aut alam ex melle potui dato: aut humum respiciens, quem lapidem premebas, eum imponito.

Ad ueneficia & præstigia. Cap. 233

Caridion & latum cuminum & zochij radicem ad tertiam partem decoque, & ex uino uetere potui

tui da: gestet & glaneum ossa. hęc enim suffita dæmonas abigunt.

Vt mulier concipiat. Cap. 234

Leporis uterum frige, tritumq; assidue propina, habeat autem & leporis sanguinem: aut uulpis stercus cum seuo bubulo misce, & mulieris uiriq; genitalia inunge.

Ad fœtum in utero mortuum. Cap. 235

Muliebre lac cum melle & radicibus amaranti potui dato, & exibit.

Vt lac abundet. Cap. 236

Fœniculũ & anethũ cũ melle & uino decoque, & quotidie mammas obline: lacte mulier affluet.

Ad uteros. Cap. 237

Auem iugulato, & festucam lineo panniculo inuolutam intra auem condito, atq; ita elixato, & ius potui dato: suito uero auis oculos, & manetarem uerum, & caridion ure, & propina.

De inuoluntario mictu in stratis Cap. 238

Gallinæ gulam gutturi annexam conterito, & urito, ac iterum diligenter terito, & ex uino uetere potui dato.

Ad roborandum penem. Cap. 239

Rapi semen tritum melli admisceto, & panniculo attrito illitum peni circumdato.

Ad scabiem unguium. Cap. 240

Sinapi mentamq; ex aceto coctam imponito.

Ad intertrigines. Cap. 241

Muscum marinum aquæ marinæ incoquito, & expresso humore imponito.

Ad podagram. Cap. 242

Accipe myrrham mur uocatam, herbamq; pulicarem, aut pyzurcatum mystri mensura ex aceto, pedes illinito.

Ad roborandum stomachum. Cap. 243

Accipe lignũ aloes, acorũ, cyperũ, mastichem, thus, nigellam, fœniculum, & spantos, ualde cõterito, & in unũ corpus redigito, & ex succo punici mali & melle super carbones cocto potui offeras.

Ad sputum. Cap. 244

Rosaceum zupha, aut hyssopi, quod ad tussim facit, & angustiam & dolorem pectoris, compositio hæc est. accipe manusiacorum drach. duas. unapia, uel zinzipha numero uiginti. zepistania, uel myxia totidem, ficos aspr. dulces numero quindecim. aut dulcẽ radicem semitritam mensura drachmæ. chaschasis cõtusi, uel papaueris capitulorum drach. v. paresausa, uel polytrichi drach. ij. anasuen uel dulcis anesi drach. duas. tolme caraus, uel apij seminis drach. duas. uuas passas, grana bona logarice. s. zupha uel hyssopi drach. iij. rhazani, uel seminis fœniculi drac. duas. uuas passas, granaq; mista lauato, & emoschasum ex aqua refrigera per diẽ unũ & summo mane: ut elixatũ cum prædicto uidelicet logaricion unc. iiij. & tãtisper decoquatur, donec aquæ remaneat logarica una & semis, & tunc percoletur, ut certe sciatur in ipsa nullam remanere materiã, deinde sacchari logaricã unam addito, ut zulapion fiat: & quotidie unum potato per dies octo, & oleum amygdalinum instillato.

Ad uomitum biliosum. Cap. 245

Bilem uomentibus huiusmodi cataplasma adhibendum est, quod ex his constat: palmulis, ficis, gallis in uino aut posca incoctis & pane exceptis: acacia præterea, hypocistis, & balaustia, & rhus cataplasmati adijciant: itẽ cucurbitula magna cũ multa flamma stomacho si affigatur bene facit. cibus paucus & crebro exhibendus est: uerum ad atram bilem uomentes & stomachũ inflatũ spongias aceto acerrimo calido imbutas adhibeto, aut ex ederæ folijs uino incoctis cataplasma facito.

De singultu. Cap. 246

Singultus aut ex repletione, aut ex inanitate, aut ob acres humores stomachũ mordentes excitatur, quibus uomitu reiectis desinit. plerięq; autẽ, si cõpositione ex tribus piperibus deuorata, mox uinum biberint, singultire solent. cibo præterea in mordacem qualitatem corrupto quidam singultiunt: uomitum sane ob plenitudinẽ, aut morsum singultientibus remedio esse inuenimus. caliditatem ijs, qui ex refrigeratione: si uero ex humorum copia singultus fiat, euacuare uehemẽtius oportet, id sternutatio præstabit: sed ab euacuatione singultus sternutatio non curat. singultiẽtibus autẽ ruta ex uino danda est, aut nitrũ ex mulsa, aut seseli, aut daucũ, aut cuminũ, aut zingiber, aut calamintha, aut nardũ gallicũ: hęc singultibus ex cibi corruptela, aut ex frigore, aut ex multitudine ciborum auxilia sunt. ad eos uero, qui ob frigidorũ, aut crassorũ succorũ multitudinẽ singultiunt castoriũ ex posca potui datũ bene facit: cuti quoq; ex oleo uetere cucumerino illitũ prodest: scillinũ quoq;, aut mulsum acetum potum iuuat: item spiritus retentio magnifice singultum discutit.

Ad pedum intertrimenta, scissuras, & perniones. Cap. 247

Rubricæ uel sinopidis, & cymoliæ paribus portionibus ex caprifici succo illinito. Aliud. Ederam, calamintham & salem in aqua simul incoquito diligenter, ac pedes semel atq; iterum lauato, & sanitatem recuperant. Aliud. Muriam crassam calidæ aquæ admisceto, ex ea pedes ac perniones foueto. Tertium, sal, cuminum, oleumq; misceantur, & prius inunctos pedes illinito curiose: nam per occultos sensibus meatus materia elabitur.

Ad podagram. Cap. 248

Semperuiui succo diligẽter cocto utere. Aliud. Asinini stercoris succum asinino lacti, ac dulci uino admisce, & illine. Aliud. Phocæ, leonis, lupi aut uulpis corium si quis elaboret, & calceos gestet, pedes non dolebit. Aliud. Vespertiliones tres aquæ pluuiatili incoquito: deinde hæc aquæ adijcito: lini seminis triti unc. iiij. oua cruda tria, olei cyathum unum. bubuli stercoris, ceræ utriusq; unc. iiij. omnia in unum corpus redacta subigito, & cubitum eunti semel atq; iterum applicato.

Aceti scillini confectio ex Galeno. Cap. 249

Salubre optimum acetum scillinũ à Pythagora scribitur, quo omnes imperatores usi sunt: ab ipsius autore fertur, quicunq; hoc utantur, longę uitę fore, & eius extrema integra usq; ad finẽ permansura: & ipse quidem Samius senex huiusmodi extitit. quantũ enim temporis uixerit, haud ignoras. de ipso enim in libro traditum est, quod cum suis

cõſanguineis hanc facultatẽ cõmunicauit. cumq; hoc medicamento uti incepit, quinquageſimum annum natus erat, & uſq; ad centeſimũ decimum ſeptimum uitã produxit integer, & nulla unquam aduerſa ualetudine tentatus. hęc ſanè medicamenti autor diſſeruit, qui fortaſſe uir philoſophus erat mentiri neſcius: nos autem uiri huius fidei periculum fecimus, ac firmam cõſtantemq; huiuſce medicamẽti facultatem eſſe teſtamur. oportet igitur ſcillam montanam libræ unius ponderis capientem dura circumcidere, & mollia minutatim concidere, & aceti acerrimi ſextarios octo in uitreum uas mittere, atq; obturare, ac per triginta dies in Caniculæ caloribus, ut maceretur permittere, deinde ſcillam extractã exprime: id genus aceti parum mane ſorbeto. tibi enim hæc euenient, ut ne faucium oriſq; partes unquã remolleſcant, os uentriculi bene ualebit, facile ſpiritum duces, uox recte habebit, oculi acutiſsime cernent, aures in officio manebunt, nullusq; flatuoſus uapor in uentre unquam excitabitur, nullũ uiſcus ſuſpenſum erit: bene ſpirans, bene coloratus deges, ad ciuilia * negocia recte affectus, non acidũ, non ſalſum ructabis, ſi aliquid aceti huius aſſumpſeris: et ieiunus ut aſſumas præcipio, ſeptemq; poſtea ſtadios deambules, ita enim diſſoluetur. hoc aceto qui utitur in uictu quamuis licentioſus eſto. omnia enim cibaria cõficiet, & à nullo unquam offenſam patietur, neq; ualde implebitur, ſed in melius proficere uidebitur, nihil ſuperuacui in corpore reſidebit, nõ flatus, non bilis, non ſtercus, non urina, ſed omnia facile excernit atq; educit, aluus lubrica omnino eſt, totiuſq; corporis purgatoriũ eſt medicamentum, etiã ſi in oſsibus ſordes inhæreant: itẽ phthiſicos ab omnibus deploratos hoc medicamento ſanitati reſtitutos nouimus, morbo comitiali diuturno efficaciter profuit, ut niſi poſt longa temporis interualla non redierit, incipientem uero ac nouum perfecte diſcutit, neq; reuerti amplius hunc affectum permittit: ad podagras præterea, & articulorũ morbos, iecoris, lieniſq; duritias uehementer facit: & particulares quidem aceti ſcillini affectus hi ſunt: cõmunes autẽ quamplurimi, quibus nos cõmoti ſalutare hoc medicamentum ſanitatis integritatiſq; cauſa tibi tradidimus. Deficit.

Vini ſcillini compoſitio ex Galeno. Cap. 250

Vinum hoc potui datum omnem ſanitatem affert. humores enim attenuat, ſed maxime pituitã, neq; ipſam in ſtomacho, aut uentre aut capite, aut iecore, aut liene, aut neruis, aut oſsibus conſiſtere permittit, neq; alium id genus tenacem humorem obſtructiones facientẽ, ſed omnia diſſoluit, & uentrem lenit, atq; ita ſubducit, & urinam mouet, & per ipſam cauſas attenuat excernitq;: adeo uero caput purgat, ut nares humiditate uacent. cõmodum eſt podagræ, articulari, & comitiali morbo: deniq; omnis ſanitatis autor eſt. ex his cõſtat. ſcillam albam montanam circiter canis exortum accipito librę pondere, per dies decem in umbra refrigera: deinde ſcillæ folia refrigerata in uitreũ uas mitte, & uini albi ueteris ſextarios duodecim ſu-

A perfunde, & ſuſpenſum uas per quadraginta dies habeto, poſtea ſcillam exime, & abijce, & uino ad antedicta uitia utere, & eius uim percipies, ſubinde ante cibum uini duas uncias exhibe. ſin à cibo, unciam mediam. quòd ſi ipſum potui cõmodum efficere uelis, ut magis delectet, mellis ſextarios duos, aut tres admiſceto.

Medicamentum, quod manducatum ſtomachi pituitam detrahit, gargarizatum caput purgat. Cap. 251

Origanum, gummi, hyſſopum, ſampſucũ, pulegium, thymũ uini uncijs tribus incoquito, donec una remaneat, & gargarizandum dato: excutit enim etiam pulmonis materias, ſi edatur: id autem quotidie facito: probatum eſt enim.

Ad urinam reddentes ægre, aut nequaquam. Cap. 252

B Lectuli cimices terito, & urinarium foramen illinito. ſtatim urina decurret. id etiã ad pueros mingere nequeuntes bene facit.

Ad calculoſos, & urinam prouocandam expertum. Cap. 253

Baccarum lauri, & piperis æquas portiones terito & cribrato, & ex mulſæ menſura una exhibeto: mulſa uero calida eſto. Aliud lapides atterens, & mulieribus uiriſq; urinam prouocans. lauri corticẽ aquæ incoque & permiſce, ſorbendumq; propinato: uehementer facit.

Ad ſanguinis mictum. Cap. 254

Accipe zingiberis drac. ij. braſsicæ ſeminis drac. iiij. papaueris drachmã: ſucco excipe, & globulos facito, laborantiq; exhibeto.

Ad urinæ ſtillicidium. Cap. 255

C Thymi & fœniculi æquas portiones conterito, & ex aqua temperata calida potui dato.

Ad dolorem uiæ urinariæ, & difficultatem mictus, atq; anhelitus, & ad ſanguineum lotium, & calculum. Cap. 256

Aſari, myſeos, nardi gallici, æquas portiones accipito, melle attico, cuius ſpuma abiecta ſit, excipito, & dato nucis ponticæ magnitudinem: facit enim etiam ſenes cõualeſcere, quibus effluxus ſiccior eſt, eumq; promptiorem reddunt.

Ad inuoluntarium urinæ exitum in ſtratis. Cap. 257

Lilij radicem elixam potui dato. Alterci quoq; ſuccũ aut ſemẽ in aſinino lacte maceratũ corio cerui includito, & dextro femori appendito, miraberis. Aliud. Apri ungulas uſtas ex uino potui dato: aut galli teſtem uſtum edendum apponito.

Ad inuoluntarium mictum. Cap. 258

D Cochleam cum teſta uſtam tritamq; ex uino cubitum eunti potui offerto.

Ad difficultatem urinæ & calculum. Cap. 259

Lini ſemen, piper, petroſelinum tuſa & creta ex condito accipe cochlearium unum.

Ad exterendos calculos expertum. Cap. 260

Scorpios marinos exiguos tres integros cõburito, & cinerem ex condito propinato.

Ad ſupprimendam aluum. Cap. 261

Rhum atq; oryzam uino incoque, donec tertia pars remaneat, & per inferiores partes immitte: aut uinum auſterum, in quo hirci iecur incoctum ſit, potui dato: aut gallas uſtas bene terito, & ſuillã adipem miſceto, frictaſq; ex aceto eſui dato laboranti * piperis drachmam. farinæ lupinorum drachmas tres. mellis ligulam.

Ad citandum sudorem, & finiendam febrem. Cap. 262

Cachryos semen ex oleo illitum, aut pyrethrum ex oleo calefactum & illitum hora una interuallo post accessionem.

Ad canis morsum. Cap. 263

Vrticæ semen emplastri modo impositum, aut nigri marrubij folia similiter, aut apiastrum ex uino potum, uel morsibus impositum: aut allium illitum, aut assum potui esuiq; datum.

Ad morsus cani rabiosi. Cap. 264

Rabiosi canis morsibus, brassicæ folia cum lasere ex aceto trita imponito. per se enim brassica rabiosi canis morsibus aduersatur, & ipsius decoctum potui exhibitũ. elixa autẽ brassica ante alios cibos assumpta phthisicos sanat. & arteriæ uitia emẽdat: cõtrita uero et lieni superdata ipsũ cõsumit

Ad anginam & colli dolorem. Cap. 265

Alba populus arida, trita, & ex melle illita collo, aut nasturtij semen, & columbinum fimum ex melle instar cataplasmatis imponito.

Ad internas ani prominentias. Cap. 266

Amarantum aqua maceratum mane uesperiq; potui dato.

Ad lienem cataplasma ualde efficax. Cap. 267

Inulam, sinapi, baccas lauri secundum proportionem accipe & tere, deinde nucis nouæ corticẽ parum contundito, mox in pilam coniectum ualidius terito, & eximens aceto acri macerato per triduum, & omnia in unum redigens cum succo tiberiadis usq; ad cataplasmatis temperaturam decoquito: & lieni summo mane per octo dies imponito euacuato prius uentre, atq; miraberis. Aliud ad cõminuendum lienem, Capparis radicũ unc. iij. calcis uiuæ unc. iiij. cõtusas cribratas acetoq; cõmistas imponito non diutius horæ spatio totus lienis absumitur. Aliud. Brassicæ decoctũ solum ex aceto mulso ieiuno potui dato: aut rubi radicẽ usq; ad tertiam partem decoque, & decoctum per triduum dato. Aliud. Corticẽ nucis ex aceto ac melli incoctã ieiuno propinato: aut ferrũ candens in mulso extinguito, & potui dato: admirabile est.

Ad nigros dentes. Cap. 268

Palmularum ossibus mastiche & melle dentes per septem dies perfricato: & albi redduntur.

Ad lumbricos alui. Cap. 269

Lupinos, lauri folia, ac fel bubulum misce, umbilico impone: id bene facit.

Ad interiores exterioresq; ani prominentias. Cap. 270

Amylum picem aquam unà feruefacito, donec tertia pars remaneat, ac per septẽ dies potui dato.

Ad dolorem dentium. Cap. 271

Vitis racemum capiens in sartagine frigito cum oleo, auriq; instillato, & conualescet.

Ad hirudines. Cap. 272

Aristolochiam terito, & sale conspergito.

Ad calculosos. Cap. 273

Lauri baccas piperq; misceto æquali, & ex mulsa mystrum unum dato. Aliud calculos frangẽs. Lauri corticẽ aquæ incoquito, quoad tertia pars supersit, & sorbendum exhibeto. Aliud calculos frangens. Turturis stercus ustum ex mulsa præbeto. lapides enim per urinam exturbat. Aliud expertum ad calculosos. Struthij, rhu pontici, capparis, singulorum drachmam accipito: dato quotidie ex uino albo drachmam, & per mictum subsidentiam calculosam eijciet. Aliud. Origanum in aqua usq; ad tertiam decoquito, & decocti cyathum unum potui dato.

Ad stillicidium. Cap. 274

Fœniculi seminis, palmularum thebaicarũ pares portiones cõterito, ex aqua temperata calidas propinato.

Ad urinæ difficultatem & stillicidium. Cap. 275

Costi, mellis, aquæ cyathos nouẽ accipe, des potui craterẽ mercede prius petita. Aliud. Cyperi Asiatici triti cochlearium unum, ex uino meraco, aut ex melle exhibeto. periculũ de ipso factũ est.

Ad urinæ difficultatem.

Petroselinum Macedonicum terito, & ligulam unam exhibeto.

Ad stillicidium.

Cucurbitam aridam conterito, ut farinæ instar sit, cuius exiguum cochleariũ ex aqua potu dato.

Ad mingentes in stragulis. Cap. 276

Leporis cerebrum ex uino propinato. Aliud. Vesicam assam esui dato per triduum aut cyperũ tritum * potui dato: aut leporis testiculũ ex uino odorato tepido propinato.

Ad stillicidium. Cap. 277

Thus accipe, & in uino diutius feruefacito, propinatoq; per triduum * accipiens raphida marinum pisciculum comburito, & potui cinerem offerto.

Ad impetigines. Cap. 278

Cornu ceruini ramenta acerrimo aceto incoquito, usq; dum tertia pars remaneat, ex eo illinito.

Ad feras impetigines.

Hordei farinam aceto acri permistam imponito: aut hastulæ regiæ radice ex aceto trita illinito frequenter: aut lineum panniculum super candenti ferro comburito & illinito, aut nucis uirentia folia cataplasmatis modo imponito: hoc & ad scabiem facit.

Ad penis dolorem, & inflammationem. Cap. 279

Cuminum & ouorum putamina bene decoquito, & foueto: effectum miraberis.

Ad impetigines. Cap. 280

Allium & teaphion aquam & oleum omnia misceto & illinito.

Cataplasma ad uulnera recentia à gladio, aut ligno illata. Cap. 281

Salicis folia trita imponito, & sanguinem profluentem supprimes, & uulnera glutinabis atq; sanabis: aut ouillum fimum ex oleo tritum instar cataplasmatis imponito.

Ad perniciosa medicamenta. Cap. 282

Rutam, ficum, & nucem terito, ac ex uino potionem dato: aut fulicæ sanguis liquidus ex oleo potus seruat, à potu uenenosi medicamenti & à uiperæ morsu liberat.

Ad fluxionem gutturis Cap. 283

Nido hirundinis trito ex aceto illinito.

Ad mammarum mulierum tumores. Cap. 284

Caprinum stercus aridum ex uino meraco imponito

ponito: inflammationem enim digerit.

Ad dolorem capitis lupinum. Cap. 285

Suillum fimū comburito, & cinerem melli admisceto, caputq; rasum inungito: ac super brassicæ folia dato.

Ad tussim, & hecticam febrem. Cap. 286

Styracem & brassicæ succū simul terito, & fermentatos ieiuno, & cubitum eunti exhibeto: aut laurei olei, & uini generosi utriusq; drach. tres misce & calefacias * in balneo interius: & uinum oleumq; calidum temperato, & stomachū foueto.

Aliud. Lixiuium percolatū calefacito, & tussientis pedes foueto, & spongia detersos illine & foue: id uero tussibus medetur.

Ad tusses. Cap. 287

A Resinam ex uino uetere tritam ieiuno potui dato, & pulegium in posca decoctum, & beronicem cum melle fermentatam esui dato: aut raphanum tostum mane ac uesperi edendū apponito: aut butyrum insulsum, quanta est nucis auellanæ magnitudo, deuorato.

Ad humores pectore contentos. Cap. 288

Vrticę folia cū ptisana decocta potui dato, bene facit ad inflationes, & materiā ex pectore euocat.

Ad tusses. Cap. 289

Fœnumgræcum, quoad tertia pars supersit, decoque, & iusculū summo mane ex melle exhibe.

Vt uox canora reddatur. Cap. 290

Tragacantha uino madefacta & in potū assumpta uocem splendidam reddit.

Ad uocem amissam. Cap. 291

Styracem terito, & ex aqua globulos amplitudinem cicerum æquantes conficito, & terito. cum dederis, statim loquetur.

Vt capilli & barba crescant si decidunt. Cap. 292

Betā, & myrteū oleum, & polytrichū misceto, capillosq; oblinito: aut adiantū & ladanum æquis portionibus terito ex immaturo oleo, aut myrteo aut lentiscino, & illinito. Aliud. Ladanū in B uinum aminæū myrteumq; oleum mittito, & terens utrunq; ad mellis spissitudinem redige: caputq; in balneo perunge: melius est & illud adiantū, quod nonnulli polytrichon uocant, si septima pars ladano addatur, & illinatur.

Ad renes dolentes. Cap. 293

Cum pulegio farinæ furfures decoquantur, & ius percoletur, spongiaq; eo imbuta fomentum fiat.

ARGVMENTA CAPITVM CONSILII PRO PVERO EPILEPTICO.

Caput 1. Præfatio ad Cæcilianum, quod non accurate possit auxilia præscribere cum puerum non uiderit: In gratiam tamen eius scripturum se consilium, quo tamen recte usurum methodi medicinalis peritum esse oporteat. Et q; in Therapeutica methodo hæc omnia secundum artem & uniuersaliter scripserit: hunc uero libellum & similes idiotis magis quàm medicis scribi. C
2. De ratione uictus. Quòd uitandæ sint causæ externæ, quibus morbus hic cōmouetur, ut sunt, frigus, ardor, uenti ualidi, &c. Et si quando propter eas paroxysmus fuerit obortus, æger ab omni motu domi quiescat, donec recreetur, & uictu tenui utatur. 3. Veris initio purgatio totius corporis perito medico cōmittēda. Victus ratio post purgationē, nempe: deambulatio matutina, studium literarū, altera deambulatio: exercitatio apud pædotribam mediocris. De pædotriba eligendo, & exercitij modo, ne nimis uehemēs sit: aut saltem nō subito sed paulatim ad uehementiam intendatur: & capite erecto inferiora magis, crura præcipue, moueanť. 4. Frictio prima sicca cum sindone fiat, ad ruborem usq;, paulatim à capite descendendo, caput postremum fricetur. In altera uero frictione quæ cum oleo fit, uniuersum corpus simul fricetur, ita ut unus caput, alij duo quæ circa D thoracem sunt, alij duo crura fricent. Sic etiam ab exercitio omnia simul membra fricentur, & caput maxime sindone aut etiam pectine, ubi iam ab exercitio respirauerit. Balneo raro utatur. 5. De prandio & cœna. De holeribus & fructibus, quibus & quantum uti liceat, quod ad cōmunem huic & alijs plerisq; morbis uictus rationem. 6. Quinam cibi peculiariter huic morbo conueniant, aut minus, inter olera & radices præcipue. Radices edules omnes prohibet, præter raphanos interdum. De oxymelitis usu, simplicis & scillitici, uel cum cappari & pisciculis salitis, uel per se in potu.
7. Prandium sit cum oxymelite & aliquo olere, uel oliuis, uel nucibus, uel ficubus, uel caricis. Pueris concedenda quædam pro ipsorū desiderio quibus palàm & tempestiue fruantur, ne clam copiosius ijsdem se ingurgitent. 8. Paulo post prandium obambulet æger, deinde studijs literarum uacet, iterum obambulet, cœnet. De cibis cœnæ conuenientibus. Tenacē aut crassum succum gignentibus, inflantibus, excrementitijs & difficilibus concoctu abstinendum, & particularis eorū enumeratio. 9. De usu electuarij è scilla per 40. dies post purgationem uernam. De oxymelitis apparatu. Fortiora aut imbecilliora exhibenda remedia pro re nata, & semper pro circumstantijs uariari aliquid oportere: quod nisi in methodo therapeutica exercitatus præstare nullus potest: neq; enim satis accurate hæc scribi possunt. Proinde idiotæ non simpliciter ex his proficiunt, sed artifice qui curæ præsit, opus est. 10. Apparatus medicamenti è scilla: quæ uel soli in uase operculato & membrana inuoluto exponitur in canicularibus, & melli deinde miscetur: uel ab initio statim contrita, quod minus efficax est, uel in aqua cocta tritaq;, quod minime efficax: uel cum aceto, quod uehemens quidem fit, sed neruis noxium.

CL. GALENI DOCUMENTUM DE PUERO EPILEPTICO.

Nicolao Leonico Thomæo Patauino interprete.



EGO te Cæciliane existimabã ad ægritudinem filij tui nostris admonitionibus haudquaquã indigere. nam qui prius ipsum uidit, & tecum Athenas iterum nauigaturus est Dionysius, idoneus est & præsens facere ea quę opus erũt & rursus discedens ad habitudinem ægritudinis condecentia documenta relinquere. ego autẽ qui nunquam puerum hunc uidi, forsan multum decipi possem: cũ neq; à principio qualis fuerit ipsius natura, neq; nunc qualis ob ægritudinẽ sit, cognouerim: sed à uobis hoc tantũ audierim, epilepsiæ accessionibus puerũ infestari. Verum, ne forsitan me suspiceris negligentẽ magis quàm ueridicum scriptionem hanc subterfugere: quod nunquã antea feci: laborẽ hunc libens subibo, ut tibi rem gratam faciã, scribendo quædã medicinalia præcepta pueri epileptici. in quibus necesse est medicinæ artis imperitũ decipi & aberrare, circa mensurã uel tempus utendi. Demonstratũ enim à nobis est in alijs libris quòd non contingit quempiã recte mederi ne minimis quidẽ ægritudinibus, nedũ adeo magnis ut est epilepsia, nisi methodũ aliquã curatiuam nouerit, Atqui Dionysius mihi iam cõmunicauit, & mecum prius considerauit de tota pueri curatione, quàm tu mihi imposueris, ut hæc documenta conscriberẽ. Dionysioq; meam tum ipse sententiam faciliter manifestaui, cum intelligeret omnia quæ ego dicerẽ, nihilq; ille obaudiret, ceu methodi curatiuæ ualde peritus. Tecũ uero neq; quomodo sermonẽ instituã noui. nã accurata tractatio distinctionibus multis indiget, et obscurior estq; imperito homini cõueniat: breuis aũt & manifesta haudquaq; accurata esse potest. Quapropter subuerebar tibi documẽta cõscribere: quãuis rem tibi gratam facere percuperẽ: existimãs mihi simile quippiam euenturũ quale Phidiæ utiq; accidisset, si postquam Palladis simulachrũ absoluit, quispiã illum coegisset separatim, digitum, manũ, pedem, nasum, aures, singulasq; corporis partes effingere. Ego enim methodũ curatiuã tanquam quoddam simulachrũ in pluribus cõmentarijs à nobis scriptã fuisse arbitror, quæ non modo imperitos homines, sed ne medicos quidem quoscũq; iuuare non potest. Quoniam aũt cogis me de parte una artis curatiuę sermonẽ facere seorsum absq; aliarũ coniunctione: tuæ cædo uolũtati & pareo: atq; in tuam gratiã documenta scribo: quæ tibi in hoc sufficient. satis enim est medicæ artis inexperto nõ magnũ aliquid & irremediabile, in medico-

A rum præceptis cõmittere, præcipuę cum didicerit legitime uersari in his cõmentarijs. Eruditis igitur illis curatiuæ methodi negociũ scriptũ est: tibi autem et alijs qui nonnullarũ rationalium artium scientes estis, medicinæ aũt inexperti (arbitror) fortasse nonnihil utilitatis & ex his cõmentarijs, proueniet. Conabor autem quantum fieri poterit manifestissime enarrare quanam utens puer diæta nõ parũ iuuetur: & ab accidentibus quotidie ipsum
B inopinate inuadentibus minime lædatur.

2 Conuenit igitur in primis quantũ fieri potest hæc obseruare. Nanq; puerum necesse est interdũ occurrere magnis frigoribus, immensis caloribus, uẽtis ualidis, balneis malis, cibarijs caput tentantibus, rotarũ obuolutionibus, coruscationibus pręterea, & tonitruis, & uigilijs, & cruditatibus, tristitiaq; etiã, & iracundia, & lassitudine non nunquã cõmoueri: atq; alijs huiuscemodi rebus à quibus (ut summatim dicam) corpus uehemẽter moueri & perturbari solet: atq; in reminiscentiam quandam morbi referri, & ad generationem paroxysmi deduci. Hæc igitur conuenit, multo ante caueri. & si quãdoq; his pręcedentibus paroxysmus succedet, tunc ab omni penitus motu oportet illũ remouere, & domi cõtinere, & uictu ualde tenui
C illũ nutrire, donec à paroxysmi incõmodo liberetur. quis autẽ sit tenuis uictus, quamuis arbitrer te cognoscere, tamen si ea quæ sequũtur perlegeris, aliquid etiã de ipso percipies. tempus itaq; est ut huiusce rei documenta tradere aggrediar.

3 Accedente uere (nam ægritudines quæ reuerti solent quodãmodo tunc moueri contingit,) puerum purgandum affirmo mediocri purgatione. huic aũt purgationi Dionysius præsens moderabitur, & quæ opus erunt imperabit, accurate cognoscẽs quonam modo ad purgationem corpus pręparare oporteat, & quo uti debeat pharmaco, quá ue quantitate, & in quo tempore. nam de his inter nos sępe consultũ est. Quare Athenis pręsentem habes Dionysium, sed nihilominus cum ipso
D mentem simul & consiliũ habes meum. Post purgationem autem quando recesserit Dionysius, & puer Athenis remanserit: hanc oportet ipsum uictus rationem obseruare. Cum à cubili mane surrexerit, antequam ad præceptorẽ accedat, mediocri deambulatione utatur, gressu non admodum concitato. post hac autẽ usq; ad palestræ tempus, disciplinis uacet quibus assueuit. quàm primũ autem ab illis discesserit, ubi mediocriter rursus deambulauerit, ad pedotribam accedat. hunc autem pædotribam si quempiam alium ex ijs qui puero præsunt, multum oportet esse prudentem. sed talem inuenire difficile est: præsertim cum electio fieri debeat ex hominib. ineruditis & asininis, nõ

minus animam quàm corpus hebetem & crassam habentibus. non igitur tanquam paruum hoc te fugiat: neq; cuiuis è populo pueri curam tradas, probe cognoscens quòd summa curationis in hisce duobus uersatur, in usu uidelicet à me tibi dati pharmaci, & in exercitij modo. alia nanq; omnia horum sunt præparamenta quædam. pædotribam igitur hunc tecum simul Dionysius eliget. Sit autem ipsius scopus & norma in exercendo quoad quantitatem quidem, ut puerum antequam defatigetur cessare faciat, necnō ut uniuersum corpus calefaciat, et mediocriter euacuet: ambo autem in eodem tempore contingent. quando enim quod superfluit sufficienter euacuatur, & quantum satis est corpus incalescit, tunc si quispiam ab exercitio cessauerit, quiescet antequam in defatigationem incurrat. exercitium uero ab hoc tempore ultra, in solida iam agit membra, & corporis habitū colliquat. aggregat autē omne id quod colliquat in iuncturis maxime & musculis: ad hocq; sequitur uirtutis languor, postea ulceris sensus, quando aliquam corporis partem mouere tentauerint, & hoc est ipsa lassitudo. non solum igitur pædotribam prudētem esse oportet, sed etiam mediocris exercitij expertū, ne citius quàm par est puerum ab exercitio cessare faciat, secuturam timens lassitudinem. né ue satagens calefacere, & complete quod superflui est euacuare, in lassitudinem puerum ducat. Mediocrium igitur exercitiorum in quantitate huiuscemodi sunt animaduersiones. In qualitate uero corroborare oportet omnes corporis particulas, maxime caput & uentriculum, & huius præcipue quod ori circunstat. ut autem quispiam istud assequi possit, nunc dicam. Primo quoniam exercitia uehementia caput replent, ab his abstinere præcipio. secundū si quando his uti necesse fuerit, capite erecto quæ infra sunt moueantur, et ex his maxime crura. tertio à paruis & tardis motionibus incipiat pædotriba, & sic ad uehemētes & celerrimos motus deueniat. nā subito ab intensis exercitijs incipere non solum imbecillibus, sed etiam robustis summe perniciosum est.

4 Existimare autē oportet, quòd fricationes exercitij loco habeantur, maxime in corporibus imbecillibus: imò sæpenumero solæ, modo recte fiant, aliarum motionum uicem supplēt. opus est autem primum manibus molliter cum sindone à supernis partibus ad inferna delatis, corpus ad rubedinem deducere initio à brachijs & manibus facto, atq; ita ad pectus & uentrem deuenire. subinde etiam crura multum fricare conuenit: ut ex supernis partibus aliquid huc defluat: postremò ad caput deueniendum est. nam statim à principio ad ipsum accedere periculosum. corpore enim adhuc pleno existente, ad id quod primo calefit, facile superfluitates attrahuntur. ultimo igitur loco, post alias corporis partes, caput confricari oportet, ut nunc dicimus, absque oleo. quando autem & oleum applicare libuerit nihil prohibet capitis fricationē simul cum alijs fieri membris. ut unus caput fricet: duo alij pectus & uentrē; & totidem

A alij crura. sic autem & post exercitia: imò uero magis tunc, omnia simul confricentur membra: ita enim celerius ad quietem corpus deducetur, & minus refrigeratur. oportet autem si de quapiam alia re, de hac ipsa magnam curam habere. Non lauari autem, ut plurimum conuenit: neq; statim post exercitium palæstram exire. sed postquā planè quieuerit spiritus, & ab exercitijs cōmotio prorsus cessauerit, atq; tunc etiam sindone caput multum fricare conuenit, & sæpenumero pectine uti.

5 Post hæc autem ad prandium eat, & prius quippiā ex ijs quæ uentrem molliunt assumat, uel olus, uel salsamentū, uel ptisanam, uel oliuas cum tertia parte panis. reliquas uero duas in cœnę tempus seponat cum ualentioribus obsonijs. quæ autem huiusmodi existunt paulo post dicetur, si prius enarrauero omnia quæ absq; nocumento aliquo sumi possunt. Ex oleribus igitur minime illū prohiberi iubeo, à lactucis, à malua, ab atriplice, à blito, non tamen idem semper capiat uolo, uerum aliàs aliud, moderate. ex eodem etiam est genere beta, & brassica. oportet enim etiam ex ijs quippiam moderate gustare. porrum quinetiā interdū, & apium, & smyrnium degustare conferet: & de autumnalibus fructibus quicunq; non sunt penitus crudi, aut suapte natura dificulter concoquuntur: ij nanq; & suas ipsorum superfluitates, & aliorum etiam esculentorum retinere consueuerunt. ergo & mora, & quæ præcocia nominantur, & ficus, & si qui sunt eiusmodi notæ, sine molestia descendunt. cucurbita quæ dicitur, nihil ab oleribus uentrem mollietibus differre uidetur: item pepones cucumerini (nam qui tales non sunt, pessimi sunt:) maturæ etiam uuæ aliquantulum quandoque puero concedi potest: mala uero & pira raro & in parua quantitate degustet: & hæc ipsa non solum ut in arbore sua sint bene cocta, sed etiam domi seruata ad maturationē recte peruenerint. Scire autem oportet eadem poma quæ recenter à matre sunt decerpta, & quæ domi deposita reseruantur, per multum inter se differre, nullamq; inter sese similitudinem habere. possunt autem conseruari poma piraq; nec non plurimi etiam alij fructus, & pruna quæ uocātur Damascena, ficus quinetiā quas Caricas uocant, ex huiusmodi sunt genere, & ex arbore palma, dactyli, quorum comestionē penitus illi non interdico, sed oportune & moderate illis uti permitto: assidue autem & multum illis uti minime uelim. Atque ut semel concludam, quicunq; mali succi sunt cibi, uel aluū astringunt, uel inflant, uel difficulter cōcoquuntur, si assidue uel plusquā conueniunt assumantur, non solum huic morbo, sed omnibus etiā alijs nocere solent.

6 Atq; huc usq; sermo de dietæ modo protractus alijs etiam quamplurimis ægritudinibus conueniens erit. Huiusce autem morbi peculiarius & proprius est, ut caueamus ab ijs præcipue esculentis quæ pituitam generant. unde etiam alijs cibis qui innoxij sunt, uiscosos tamen, aut frigidos, aut crassos humores generant, haudquaquam esse immorandum censeo. huiusmodi autem sunt atriplex

plex, & blitum, & malua. quorum sanè moderatum usum non prohibeo, assiduum autem uehementer damno. ex hoc sunt genere & cucurbitæ: multóque magis cucumeres, & poma, & pira: & demum quæcunque humorē pituitosum gignunt, aut uiscosum, aut crassum, sunt in genere pessimorum esculentotum, quales sunt qui uulgo appellantur fungi: ab ijs enim omnino abstinere consulo, quemadmodum & à rapis, & à quibuscunque radicibus quæ mandi solent. crassos enim habent succos & ægrè concoquuntur: exceptis quibusdā quæ acrimoniam quandam & caliditatem in se habent. quemadmodum sunt dauci & raphani: sed ex raphanis haudquaquam illum degustare prohibeo, uerum quodam intercedente spatio: à dauco autem abstinere condiscat magis quàm etiam à rapis. in esculentorum autem usu abundent illa quæ acria sunt, & uirtutē incisiuam habent: dummodo insigniter non sint mali succi, odoremque habeant qui caput tentet. quorum ex genere sunt etiam quęcunque per caliditatē replent caput. quemadmodum uinum, & sinapi, & petroselinum, & daucus, & cæpæ, & smyrnium. hæc enim ultra modum æstum inducunt, et malos humores generāt. sinapi uero licet conueniat ad humores crassos incidendos, tamē ab eo abstinendum est, quoniam caput tentat. in oxymelitis autem usu secure confidat, etiamsi quotidie sumere uelit. potest autem capares ex illo comesse: paruosque pisces salitos oleo modico superinfuso, ut concinnetur obsoniū: quod profecto huiuscemodi ægritudinis, ueluti medicamentum quoddam reputari potest: pręcipue si sit acetum scilla conditum: hoc omnes uulgo iam scilliticum uocant. quod ego si quippiam aliud in hoc casu sanè laudo. horum uero alterutrum singulis diebus assumere contenderim, dico autem uel capares uel pisces salitos oxymelite cōditos. si uero puer oxymeli bibere uelit, id sit in promptu & ante præparatum, & non ex tempore ex utrisque crudis confectum. quo autem modo ipsum præparare oporteat paulo post recensebimus. cæterum plurima aqua commisceatur. nam quod sic factum est, suauius redditur. ac hyeme quidem calidum accipiatur. æstate uero non erit malum etiam si plerunque frigidum sumatur, si & uehemētes fuerint calores, & ipse siti sit aridus, potuique frigido assueuerit antea. nam inter alia sitim egregie sedat oxymeli non ualde dulce, præsertim si aquæ frigidæ misceatur. mihique non parum sæpe contigit puerum à comitiali morbo penitus liberasse, non immutata uictus ratione, præterquam quod post primam purgationem oxymeli sumere, eoque uti pharmaco iussissem. Verum quoniam neque filij tui naturam noui, nescioque quantum uirium is sibi asciuerit morbus, & ipse assistere nequeo, diuinare haudquaquam possum, quàm paucissimis indigeat remedijs. melius itaque mihi uidetur de omnibus sermonem facere.

7 Igitur post exercitium in prandio oxymelite (ut dictum est) utatur & quibusdam oleribus, & oliuis, & nucibus, & ficubus, cum siccis, tum recentibus: uerum non simul quotidie omnibus. unum enim sit & simplex quod assumat: sed ut uictus ratio uariari possit, de omnibus uerba feci. eodem etiam tempore (ut dictum est) si desiderauerit puer, alij etiam fructus cōcedi illi possunt. cum alioqui ab ipsis melius sit abstinere, non solū morbi illius deuitandi causa, sed ad integram etiam totius ualetudinis incolumitatem: quemadmodum uides nos ferme ab omnibus æstiuis ac fugacibus fructibus abstinere. uerum quoniam non philosophis in præsentia salubris uictus præcepta conscribimus, mihi sanè per quàm optandum erit si non solum ad pueri curam hæc documenta, sed ad uniuersam illius uitam facere poterunt. Est igitur illi concedendum ut palàm & tempestiue eos comedat fructus, quicunque magni nō fuerint nocumenti, ne clam & intempestiue illos comedens, in maius incurrat malum. qui enim palàm ab aliqua re quam ualde appetunt, prohibentur, hi cum data est facultas, plus nimio ingurgitare se consueuerunt. quamobrem pueris ego plura esculenta concedere soleo ex ijs quæ non ualde nocent, ut tempestiue & palàm illis moderate utantur potius quàm, ut diximus, propter uehemens desiderium furtim ex his & uoraciter assumere festinēt. Atque hæc de cibi ratione sufficienter sint dicta.

8 Post cibum autem ubi paululum temporis intermiserit, priusquā ad studia disciplinarum accedat leuiter deambulet censeo, & rursum ut id ipsum à studijs rediēs ante cœnam faciat sanè consulo, quo tempore duas reliquas panis portiones quas reseruauerat assumat, item aliorum unumquodque sic ut dictum est: carnes quidem ex omni ferè auium genere, præter palustres. ab omnium aūt quadrupedum esu præcipue abstineat. Quòd si quando illis uti necessitas fuerit, domestici quidem suis extremitatibus & uentriculo uescatur, syluestris uero carnibus uniuersis bene uti potest. hœdorum quinetiam carnes degustet, & nonnunquam leporum etiam. carnes autē omnes sint uel simpliciter conditæ uel sine nidore assæ: simpliciter condiuntur si aquæ incoquanť & anetho, porro, sale, & oleo concinnentur: quonam autem modo sine nidore recte assetur caro, clibanus quem apud me uidisti, exemplo tibi esse potest. ex marino autem genere crusta intecta quidē omnia nocua, & incommoda: ex piscibus uero optimi sunt ij qui in saxosis degunt locis. sumere etiam poterit ex ijs qui in alto degunt, quos pelagicos uocāt. ex cartilagineo autem genere torpedo ferè sola conueniens est & commoda. Cæterum de leguminibus ptisana quidem præcipua est. hanc sequitur lens, alica, & pisum: alia autem ferè omnia mala. & ut uniuersaliter dicatur, quæcunque uiscosum, & crassum generant succū, flatuosaque sunt, & multarum superfluitatum, necnon difficilis cōcoctionis, sicut ante dicebamus, maxime sunt cauenda. Et ostrea quidem omnia, & cartilaginea ea quæ σελάχια uocantur, & squammis carent: præterea bulbi, & cochleæ, & caseus, & fungi bubulæque carnes: & oua in aqua durata, cum difficilis sunt cōcoctionis

ctionis, tum crassos generant succos. alica uero & carnes suillę bonum quidem generāt sanguinem, sed uiscosum. palustria autem omnia superfluitates generant plurimas. legumina uero omnia flatuosa sunt, & præcipue faba, & cicer: ptisanaq; non diligenter cocta flatuosa est. quamobrem bene coquere illam oportet, uel ea non uti. lens quoque bene decocta omnem ponit flatuositatem. uerum illa non assidue crebróue uti oportet, quoniā humores generat crassos.

9 Cæterum ad uictus quotidiani rationem hæc abunde sufficere possunt. Medicamento autem ex scilla, quod tibi tradidimus purgatiōe præmissa, quodq; primo uere fieri iussimus, singulis diebus secure filius tuus utatur, priusquam ad palæstram accedat. nam nisi ualde magna fuerit ægritudo, & occalluerit, sperandum sanè est in quadraginta dierum spatio hoc medicamento illam perfecte cessaturam. quoniam iam innumeros pueros nulla ellebori opera sic curaui. uerum post purgationem prius quàm hoc utatur pharmaco, semel aut bis absinthium sumere oportet. De oxymelite autem ut dicamus, id certe acidissimum esse censetur, quod ad mellis proportionem quartam aceti habet partem: dulcissimum uero quod octauam: aliæ autem intermediæ mensuræ quanto ad extremorū alterutrum appropinquant, tanto aciditatis aut dulcedinis participare uidentur. oportet autē ipsum penitus decoquere. ita enim quæ miscentur, accurate in unum ambo deueniunt: & aciditatis uehementia quæ in aceto est, retunditur: & quod in melle inflatiuum est castigatur: spumam etiam illius, qui recte decoquit, auferre debet. nec me prȩterea latet in Græcia, & in plerisq; locis insularum oxymeli etiam ex fauis confici solere, quo etiā tibi secure uti licet, puero præsertim æstiuo tempore Athenis degente. minime autem ad me in pręsentia pertinet declarare, quando dulcius id, aut acidius, uel dilutius, aut meracius exhibere oportet: neq; in alijs particularibus immorari meum est, sed illius qui & præsens fuerit, & curandum corpus quotidie inspexerit, & de humorum habitu recte coniectari poterit. in crassis enim & uiscosis humoribus acidiori & meraciori oxymelite utendum est. in his autem qui huiusmodi non fuerint, dulciori & diluto magis. eodem etiam modo reliqua quæ dicta sunt omnia, pro quotidianis corporum constitutionibus commutare & uariare conuenit, quemadmodum et in omnibus alijs ægritudinibus facere cōtingit. quapropter si quis methodi curatiuæ ignaro & inex-

A perto innumera etiā prȩscripserit documēta, haudquaquam illum sufficientē efficiet medicum non modo non magnarum ægritudinum, sed ne minimarum quidem: istud enim sæpenumero palàm ostendi cum inueterata ulcera malasq; oculorum affectiones ad sanitatem redegissem ijsdem sanè medicamētis, quibus pleriq; ante me usi nihil profecerant. & profecto temporis opportunitas in usu uniuscuiusq; ut Hippocrati placuit, post quantitatem ad uires diligenter accommodatam, reliquum utilitatis apportat. nam pharmaca potius sunt auxiliorum materia quàm auxilia, quemadmodum etiam ab excellentibus asseueratur medicis. Et meus quidē unde exordium sumpsit finem

B accipiat sermo, haudquaquam fieri posse ut minimum quippiā quod ad artem pertinet pertractare recte ualeat is qui artis penitus sit ignarus & expers, sed illi semper assistentis periti opus esse.

10 Verum quoniam plerique scillæ succum non recte conficiunt, quando id tibi etiam cognoscere cordi est, huic ego sermoni adiungam quonam modo illum conficere sim solitus. Vas quodpiam accipio à quo extractum fuerit mel: meliterium id Græci uocant: in quod scillam cōijcio manibus prius illam in exiguas discerpēs particulas. postea bene apto operculo illud obturans, extrinsecusq; pelle circundans, & diligenter colligans, in loco quopiam meridiem spectāte colloco, qui à borealibus omnino non perfletur uentis. id au-

C tem facere soleo ea omni parte in qua caniculam exoriri omnes asseuerant Græci: quadraginta autem huiuscemodi sunt dies: uiginti quidem ante totidemq; post exortum. paulatimq; in ijs diebus uas illud ad solem conuertere soleo, ut ex omnibus similiter partibus incalescat. trāsacto post me dum prȩstituto temporis spatio, uas illud aperiēs, in illo reperire soleo scillę partes elixis similes, succumq; ex illis in uasis fundo quendam defluxisse, quem colligens, quàm optimo melle concinno. Huius singulis diebus cui dare uoluero cochlearis pleni mensuram præbeo, pueris quidem minoris, adultis uero maioris. quinetiā scillæ ipsius car-

D nes accurate cōtundens, illasq; cum melle dissoluens, & conterens, ex illis cochleare unum, ut dictum est, præbere consueui: quod sanè quoad uires & efficaciam secundum à prædicto locum obtinet. Cæterum quicunq; scillam elixantes, illam postea conterunt, illius proculdubio uires resoluunt. quemadmodum qui istud ipsum ex aceto faciunt, pharmacū quidem ualidum admodum cōficiunt, uerum neruis non innoxium.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI DE INCANTATIONE ET amuletis, quem inter Constantini Africani opera legimus.

Cap. I. Quantum ualeat amor, animi persuasio, bona spes, & reliqui animorum affectus: sine quibus res naturales aliquando nihil efficerent. Galenus citatur.

II. Enumeratio particularium quorundam ex tota substantia agentium.

III. Epilogus, Simpliciter credendum esse uiribus rerum naturalium, quibus agunt ex tota substantia, etsi causæ lateāt: cum alia multa sint, quæ nisi uidissemus, nunquam crederemus.

CL. GALENO ASCRIPTUS LIBER DE INCANTATIONE, ADIURATIONE, ET SUSPENSIONE.

Eſt autem inter Conſtantini Africani opera excuſus.

Quantum ualeat amor, animi perſuaſio, bona ſpes, & reliqui animorum affectus: ſine quibus res naturales aliquando nihil efficerent. Cap. 1



VAESISTI fili chariſsime De incantatione, adiuratione, & ſuſpẽſione, ſi qua poſſunt prodeſſe, & ſi inuenerim in libris Græcorum hoc, qualiter in libris Indorũ eſt inuenire, cui quæſtioni cõpendioſe in hac epiſtola conor reſpondere. Omnes inquam antiqui in hoc uidentur eſſe cõcordati, corporis complexionem animæ ſequi uirtutem: quæ uirtus ſi ſit æqualiter temperata, actio quoq; corporis erit perfecta. unde quia uirtutes animę, in pueris, ſenibus, & mulieribus imperfectę plurimum eſſe uidentur: complexio quoq; corporis eorum imperfecta eſſe probatur. & hæc imperfectio ſimiliter contingit habitatoribus intemperatæ regionis, utpote caliditatis Aethiopiæ & frigiditatis Scythiæ. Inde Plato inquit: Quando mẽs humana rem amat aliquam, licet naturaliter non iuuatiuam, ſibi eam prodeſſe certificat: ex ſola aũt mentis intentione, corpus res illa iuuat, uerbi gratia ſi quis incantationẽ ſibi prodeſſe confidat, qualiſcunq; ſit, eum tamen iuuat. Si enim, ut diximus, complexio corporis uirtutem ſequitur animæ, neceſſe eſt rem taliter ſe habere, ut certificatur: quia ex timore, triſtitia, lætitia, ſtupore, non ſolum corpus in colore mutatur, ſed etiam in multis alijs rebus, ut uẽtris ſolutione, uel nimia defectione. ego aũt uidi iſta, ſanitatis diuturnarũ paſsionum fuiſſe cauſas, maxime illarũ quæ corruptiones ſunt mentium. In ſanis autẽ fuere infirmitatis cauſæ hæc eadem: unde Socrates, incantationes, inquit, uerba ſunt decipientia rationales animas ſecundum ſpei inceptionem, aut ſecundum timoris inciſionẽ. Indi aũt medici tantum confidunt incantationẽ ſiue adiurationem iuuare: Græci uero antiqui medici intendũt his in animam erroneam perfectionem ſuam reuocare, qua reuocata neceſſe eſt ut corpus reuocetur ab ipſa, cum complexionẽ corporis uirtutem animæ conſtet ſequi. Vnde Gal. ſuper libro Hippo. De humoribus, Si quis, inquit, dixerit humores corporis mutatos immutare actionem animæ, ut animę actio mutata mutat eoſdẽ, non mentitur: quod certificatur, quia quando complexio cholerica dominatur, fit inde iracundus: & econtra in ſæpe iraſcentibus cholera rubea augmentatur. neceſſe eſt enim complexionem animę corporis complexionem imitari, & corporis animæ. Iterum inquit Gal. intellectus & ſcientia in anima ex complexione augmentatur cholerica: cõtinentia & ſtudioſitas, ex melãcholica; deambulatio uero

A & delectatio, ex cõplexione ſanguinea: phlegma nihil adiuuat uirtutẽ animæ niſi in prima guſtatorum mutatione. Cõſtat ergo, ꝙ ſi medicus animæ complexionẽ quoquo modo adiuuerit, incãtatione, ſiue ſuſpenſione, corporis cõplexionem ad uitam perducit. Si aũt his conueniẽs adiungitur medicina, corpus incantatione animæ adiuuatur, quibus coniunctis neceſſe eſt ſanitatẽ utriuſq; citius conſequi. Item inquit Gal. ſunt homines læti naturaliter & delitioſi, qui quando infirmantur, ſanos B eos ſubito futuros cõfirmet medicus, & eorũ diætam cũ exercitijs reuocet: quorũ ſpes, ſanitatis eſt cauſa. Sunt & alij ecõtrario natura triſtes, & unde triſtentur & anguſtientur, eorũ animis ſemper cogitantes: quorũ cogitationes oportet fallere medicũ, & lætificante intentione mutare animas eorũ: ſed neq; excedere debet lętificãdi modum, ne promiſsionũ magnitudine negligat ſe medicãdus. memini enim quendã noſtræ terræ nobiliſsimũ murmuraſſe ſe eſſe ligatũ ne cũ mulieribus coiret, quẽ adiui falſificãdo intentionẽ ſuã, & hoc magnis ingenijs: ſed tamẽ nunq; reuocare potui, propter ꝗd certificare & cõfirmare incepi quod ipſe prius intendebat, deinde adducẽs ſibi librum Cleopatræ, quẽ fecerat de fœminarũ formãda ſpecioſitate, le C genſq; locũ, ubi dixit taliter: Ligatus fel coruinũ accipiat miſtũ cum ſeſami oleo, quo unguẽs totũ corpus, adiuuabitur: iſte aũt audiens, cõfiſus eſt libri uerbis, ſic fecit, citoq; cõualuit, & augmentata eſt cõcupiſcentia coeũdi. Ego quoq; in antiquorum lib. multis legi ſuſpenſa collo ſuffragari cum proprietate, nõ ex natura ſui, quod nõ nego poſſe fieri propter confortationẽ mentis, ut dixi: de quibus cum ſint multa, pauca tibi tangere diſpoſui.

Enumeratio particulariũ quorundã ex tota ſubſtãtia agentiũ. Ca. 2

Ariſt. in libro De lapidibus ait, ſuſpendens ſmaragdũ collo, aut portãs ipſum in digito, defendit à caſu Epilepſiæ ſuſpecto: unde ſemper mãdamus nobilibus, ut è collo filiorũ ſuorũ ſuſpendatur, ne in hanc infirmitatẽ incidant. Itẽ quodlibet genus D hyacinthorũ ſuſpendens in collo, ſiue habẽs in digito, ſi intret in regionẽ peſtiferam, nõ læditur, ſed potius in mentibus hominũ honoratur, & à maioribus petitiones eius cõplentur. Item ſardã uiginti granorũ hordei pondus portans è collo, ſeu in digito, nõ uidebit terribilia in ſomno. Itẽ corneolam è collo portans, ſiue in digito, mitigat iram in cõtentione: cuius aũt color eſt ſicut lotura carnis, ſanguinis fluxũ cuiuslibet membri ſtringit, maxime in fœminis. Onyx ſuſpenſus uel digito portatus augmẽtat in ſomno terribilia, & triſtitiã, & inter homines cõtentioſa, in pueris aũt ſuſpenſus ſaliuam oris auget. Gal. ſtercora luporũ oſſa comedentiũ ſi in uentribus ilia dolentiũ, uel è collo pa-

tientium ſuſpenſa fuerint, ſtatim dolorē mitigāt: aliquando & in coxis ſuſpenduntur, & cum fune laneo ligātur, illius ſcilicet ouis quæ à lupis comeſta eſt, ſicq; melius iuuabūtur & fortius. quòd ſi filum non inueniatur, cum corrigia ceruina ligant. Idē Gal. in uas argenteū poſuit, cuius quātitas fabæ fuit, & in coxis ſuſpendit, multum profuit: hoc aūt dixit in libro De ſimplici medicina. in libro autem eodē ait: Si uiperæ ſuffocatæ collum cum filo lineo ſuffocandi è collo ſuſpenderis, abſoluitur à ſuffocatiōe ſua, & multū ualet apoſtematibus faucium. Dioſcorides ait, dentes canini canis rabioſi quādo hominē momorderit, in fruſto corij ligati, & armo ſuſpenſi, defendunt à morſibus canis rabioſi. Idem, pullis hirundineis paruis in augmēto lunę acceptis, & primogenitis, ſi fuerint in uentre ſciſsi, duos lapides inuenies, unum unius coloris, & alterum diuerſi & oppoſiti, quos ſi ligaueris in corio uituli anteq; terrā tetigerint, & è collo ſiue armo ſuſpenderis, epilepticis ualet, & aliquando perſanant. Quidam medici ſuſpendunt è collo radices herbæ acetoſæ propter ſcroffulas, & ualent: alij ſuſpendunt radices arnogloſſæ propter eaſdē, & diſſoluunt. Auricularis digitus abortiui ſi è mulieris collo ſuſpendatur, non cōcipit dum collo habebit. Hyoſcyamus cum lacte caballino temperatus & corio ceruino impoſitus & ſuſpēſus è collo mulieris, concipere nō permittit, dum in collo erit. Quidam dicūt mulierē ranam accipientem & os eius aperientē terq; ibi inſpuentē, non concipere illo anno. alij oculū hirci radici ligant ſampſuchi in horto, & irrigant cum urina ruſi tauri ueſpere: mane aūt extracta radix ligatur cum eodē oculo in armo, libidinē augmentat. Galenus inquit, lapis coralli multū ualet ad paſsionē ſtomachi, ſi ſuſpenſus fuerit ſuper ſtomachū uel è collo patientis. Dioſcorides, ſemen croci hortenſis ad ſcorpionis morſum ualet in manu tentū uel è collo ſuſpenſum: ſimile facit radix lauri: idem etiā iris agit. Alij

A dicunt radices aſparagi ſiccæ ſuper dentes ligatæ, trahūt ſine dolore. Item pedes leporis & renes dextro armo ligati, canes latrare nō permittūt: ſimiliter iecur facit canis, niſi coloris eius generis fuerit cuius iecur fuit. Indi dicūt ſtercus elephātinū cum melle miſtū, & in uulua mulieris impoſitū, nunq; permittit cōcipere: teſtat hoc quia arbori ſuſpenſum nō permittit fructificare. Aaron dixit ſtercus elephātis cum lacte caballino miſtū et corio ceruino ligatū & umbilico mulieris ſuſpenſum, nō permittit concipere. Quidā medici dicunt pedē teſtudinis dextrū pedi podagrici dextro ſuſpenſum iuuare, ſiniſtro ſiniſtrū, idem & in manibus. Itē radix pæoniæ è collo ſuſpenſa pueris ualet epilepticis: ſimiliter pyrethrū: idē facit pilus ex toto nigri canis.

B *Epilogus. Simpliciter credendum eſſe uiribus rerum naturalium, quibus agunt ex tota ſubſtātia, etſi cauſæ lateāt, cū alia multa ſint, quæ niſi uidiſſemus, nunq̄ crederemus.*

Nos autem hęc ex libris Antiquorum excerpſimus, ut mens tua in incantatione, adiuratione, & ſuſpenſione non refragetur amplius. Sed omnia ſi ex libris Antiquorum philoſophorū extrahamus, librum protendemus. Atqui uoluntatē noſtram hactenus exhibuimus. Hæc aūt ego non tentaui, ſed nec etiā neganda ſunt mihi, quia ſi non uiderimus magnetē ſibi ferrū trahentē, nō certificamur, nec crederemus: ſimiliter quòd plumbum rumpit adamantem, quod ferrum nō facit: & lapis, qui uocatur nitrum, foco incenditur: piſcis aūt quidam C marinus ſe capientis ſenſum aufert: quæ omnia ſi à nobis non uideantur, nō creduntur, ſed tentata certificant. Et forſitan itidem ſe habēt dicta ab antiquis. Quorum enim actio ex proprietate eſt, rationibus unde ſit cōprehendi non poteſt: rationibus aūt tantum comprehenduntur quæ ſenſibus ſubminiſtrantur. Aliquando ergo quædā ſubſtantiæ habent proprietatem ratione incōprehenſibilem propter ſui ſubtilitatem, ſenſibus non ſubminiſtratam propter magnam ſui altitudinem.

Argumenta capitum libri de oculis, cuius partes ſunt 6. & ſua cuiuſq; capita.

IIII. Diui

CL. GALENI DE OCVLIS

A DEMETRIO TRANSLATVS, NVPER AVTEM A VARIIS MENDIS EXPVRGATVS.

Quòd oculorum, & partium eorum, & operationum notitia eſt neceſſaria uolenti curare oculos: & quòd cryſtallinus eſt pars principalis oculi cui cæteræ ſubſeruiunt. Caput I



OPORTET medicũ oculorum curam habere uolentem, prius eorum naturam optime cognoſcere: unũ quodque enim membrum infirmum ideo curatur, ut ad naturã ſuæ propriæ ſanitatis conuertatur. Sed ſcientia naturæ membri, & uniuſcuiuſq; compoſiti non poteſt comprehendi niſi partes totius noſcantur. Qui igitur oculorũ naturam ſcire deſiderat: primo omnes partes quibus cõſtructi ſunt intelligat, noſcatq; operationẽ cuiuſq; partis, & quę fuerit illius neceſsitas, & quõ quæcunq; pars illa cõponatur. unde de difficilioribus dicamus. Sciamus itaq; quòd omne mẽbrum cõpoſitum habet propriam actionẽ propter quam factũ fuit, quam actionẽ cũ una ſuarũ partium operaẽ, cęterę uero illi operanti miniſtrant. Sic & de oculis eſt, qui cũ è multis partibus diuerſis cõpoſiti ſint: uiſus tamẽ proprie ab una ſuarũ partiũ, id eſt humore qui dicitur cryſtallinus. cæteri uero humores, atq; panniculi ſunt propter iuuamentũ ipſius, quod explanabimus, cum de omnibus diſputabimus.

De colore, figura, & ſitu humoris cryſtallini, uitrei & albuginei. Et de tribus tunicis quæ ſunt poſt uitreum. Et de tribus quæ ſunt ante albugineum. Et de tela aranea. Cap. II

Cryſtallinus eſt humor albus, ſplendidus, lucidus, nõ omnino rotundus, ſed aliquantulum planus, qui locatus eſt in medio oculorum. Albus eſt & ſplendidus, ut cito uarios colores recipiat, quia albũ & ſplẽdidũ corpus cito & uelociter colorib. opponiẽ, ſicut in claro uitro fieri patet. Rotũdus, ne cito patiatur, quia omnis forma rotunda nõ cito patiẽ, quia angulis caret. Parũ latus, ut lumẽ ſumere poſsit. Si enim rotũdus eſſet exquiſite, lumẽ nõ cito ſumere poſſet, quia in loco uno ſtabilis nõ eſſet. In medio locatus, ut cæteræ partes ſibi miniſtrẽt: quędã, quibus defenditur: quędã, quibus adiuuatur: unde neceſſario in medio ſibi miniſtrãtiũ fuit. Quòd aũt in eo ſit uiſus, teſtatur id quod uidemus in cataractis. Aqua enim cũ inter cryſtallinũ & corneam ſteterit, ut nõ poſsit ſpecies præ aqua ad cryſtallinũ tranſire, lumen amputat uiſuale, ſed aqua ablata, lumen reparatur. Cryſtallinus aũt in medio duorũ locatur humorũ, quorũ unus retro eſt, qui dicitur hyelinos, id eſt uitreus quaſi ut uitrum lucidus. Alter uero eſt, qui eſt quaſi albumẽ oui, & dicitur albugineus. Poſt uitreum ſunt tres pãniculi, quorũ primus uitreũ circũdat, quaſi rete, inde & retina dicitur. Poſt hunc eſt alius, ſimilis ſecundinæ, & dicitur ſecũdina. Iuxta quẽ eſt tertius qui oſſa cõtangit, durus & ſolidus: unde & ſcliros uocatur. Ante albugineũ ſunt tres panniculi, quorum unus albugineo cõiungitur, eumq; circũdat, qui eſt quaſi uuea, eiuſq; color nigredini pertinet, unde uocant eũ rhagoida, id eſt uueam. Ante hũc eſt alter cornu ſimilis unde ceratoidis, id eſt cornea dicitur. Iuxta hũc eſt alius, qui penitus nõ circundat ſicut alij, ſed eos intra ſe iungit, unde coniunctiua dicitẽ: quia ſi cornea ab ea operiretur, ſpiritus eam perforare nõ poſſet. Inter cryſtallinũ & albugineũ eſt tela aranea. Sed nunc uideamus examen uniuſcuiuſq; ipſorum. Et primo de uitreo tribuſq; panniculis poſt eum exiſtentibus.

Quòd cryſtallinus uitreo nutritur. Et quòd nerui optici ſoli concaui & de cerebro ueniunt tecti dura & pia matre ad loca oculorum. Et de tribus tunicis quæ ſunt poſt uitreum. Cap. III

Dicamus igitur ita, Omne membrũ neceſſariũ eſt ut habeat cibũ, quo reſtaureẽ id quod calore naturali et accidẽtali intus et extra diſſoluitur. Cibus uero mẽbro cõueniẽs eſt, quẽ ſibi mẽbrum bene aſsimilat. Cryſtallino ergo cibus eſt ſic neceſſarius, ut ipſe ſit albiſsimus, & clariſsimus, & ob hoc cum ſanguinẽ in ſui naturã ſumere non poſſit, neceſſario uitreum habuit mediantẽ, qui medius eſt inter naturã ſanguinis & cryſtallini. Albior enim ſanguine eſt, & minus albus quã cryſtallinus: hic aũt uitreus humor eſt de ſanguine in uenis ſubtilibus & arterijs digeſto, unde mutatus eſt à ſuo colore in ſpeciem uitri. Ipſe enin uenę & arteriæ ſunt de retina, quæ procedit à ſubtilibus cerebri panniculis, neruum per quem ſpiritus ducitur circundantibus, qui neruus concauus eſt: quod planius dicemus ut pateat. Natura eñ à cerebro ſenſum & uoluntarium motum omnibus tribuens membris

bris per neruos mediãtes, duos neruos à cerebro prodeũtes, ad oculos mittit, quorum unus durus est, unde fit motus, alter mollis & concauus: neq; præter ipsum in toto corpore concauus alius est: quod ideo fuit, ut animatus spiritus uisum faciẽs, per eum duceretur. Cerebrũ uero duobus panniculis est opertũ, uno subtili & molli, altero duro & crasso: subtilis aũt secundinæ assimilat, quia uenas & arterias habet, qui cerebro prodest, quia nutrit & defendit eũ cũ suis arterijs & uenis: crassus uero defendit solũmodo ab ossibus capitis appropinquantib. ei. Omnes aũt nerui à cerebro procedentes, istis panniculis sunt operti, donec à capitis ossibus egrediant: similiter nerui ad oculos uenientes, his duobus panniculis circundantur, unde molli panniculo concauus neruus circũtegitur, et extenditur in modũ telæ cum suis uenis. Est autẽ rete uitreum humorẽ cooperiens: uitreus aũt humor medium crystallinũ cõprehendit: retina uenis & arterijs ad uitreum portat cibum, & cũ suis neruis sensum & spiritum uisibilẽ ad crystallinũ ducit. Subtilis aũt pãniculus qui secũdina dicit, quo neruus circũtegitur, cum alio qui retina dicit coniunctus est illi: secundo loco crystallino iunctus est, cui secundina præstat auxilium, quia suis uenis & arterijs nutrimentũ portat ad retinã, et defendit eam ne rumpat. Durus aũt panniculus subtili cõiungitur, eumq; circundat, qui ad hoc ualet oculis, quod eos ab osse defendit in quo locati sunt, ne eis sua duritie noceat, & est quasi ligamentum oculorũ. Sufficiãt hæc de tribus humoribus, & tribus panniculis post crystallinum existentibus.

De tribus tunicis ante crystallinum iunctis eis quæ sunt post ipsum. Deq; iuuamentis earum & albuginei humoris: Et de coniunctiua, & musculis qui mouent oculos & palpebram, & sustinent neruos opticos. Cap. IIII

Panniculi uero tres ante crystallinum existentes taliter sunt: diximus enim panniculos cooperire cerebrũ, neruosq; ad oculos ueniẽtes circundare: sed tamen in oculis existẽtes diuiduntur, & faciunt duos, uterq; tamen ad medium crystallini iungitur in loco qui dicitur iris. Super pupilla est panniculus cornea qui à duro panno cerebrũ cooperiente procedit, & panniculus qui uuea dicit, & ab illo quem secundinam dicunt procedit. qui, ut diximus, iungitur duro qui cooperit, ut dictum est, secundinã. Panniculus uero exterior, id est cõiunctiua, super corneam procedit. Cornea uero ad hæc necessaria est ut crystallinum defendat, ne ab exterioribus, quia durus panniculus est, patiatur. Hæc autem subtilissima, alba & dura est: subtilis & alba, ut cito spiritus eam penetrare possit: dura, ne propter subtilitatem cito rumperetur. Vuea tribus de causis necessaria est: una ut corneam nutriat quæ uenas unde nutriatur habere nequit: alia uero, ut media sit inter corneam & crystallinum, ne cornea duritie sua noceat crystallino: tertia, ut coadunet lumen suo colore nigredini pertinente. Omne enim lucidum, lumẽ dispergit, nigrũ uero coadunat. Vuea ergo multitudinem uenarum habuit & arteriarũ, ut corneam nutriat. Mol-

A lis fuit, ne crystallino inferret nocumentum. Proprios habet uillos in quibus aqua coadunatur in cataracta: lenis autem exterius est, ne cornea sibi noceat. Color eius est sicut color est cœli, ut lumẽ sicut diximus coadunet: in medio eius foramẽ est, per quod lumen ingreditur, & intrinsecus plena est humore qui dicit albugineus: ut faciat crystallinum à cornea distare. Albugineus alterius iuuaminis est, quia crystallinũ defendit, ne ab exteriori aere desiccetur: & humectat uueam, ne noceat crystallino. Sed inter crystallinum & albugineum quidam est panniculus tenuissimus, sicut cortex tenuissimus cepæ, uel araneæ tela, qui medium operit crystallinũ, ut eum ab uuea defendat. Ideoq; quidam medici dixerunt oculorum panniculos

B septem esse, dixerunt alij sex, alij quinq;, quidam quatuor, quidam tres, nõnulli duos, quorũ discordia non erat in re. Dicentes enim septem, computabant retinam, secundinam, scliron, araneam, uueam, corneam, coniunctiuam. Qui enim sex, retinam non esse panniculum dicebant, asserentes defensorium panniculum quoddam esse, retinam potius nutrire, quàm custodire. Sed qui quinq; autumabant, araneam non panniculum sed crystallini partem esse dicebant, neq; coniunctiuam. Dicentes autem quatuor, contendebant coniunctiuam non esse panniculum sed ligamentum oculorum, neq; retinam nec araneam telam. Tres esse dicentes, uueam & secũdinam unum esse dicebant panniculum, quia uuea à secundina procedit: retinam quoq; & araneam unum panniculum: item

C scliron & corneam unum panniculum. Qui duos dixerunt, scliron & corneam unum intendebant: & secundinam & corneam unum: retinam uero & araneam & coniunctiuam non esse panniculos. Intentio ergo antiquorum erat una. Nunc de cõiunctiua dicamus de qua hucusq; tacuimus. Sciendum ergo lacertos oculis esse necessarios, quibus possent moueri, & uisibilibus rebus opponi. Ideoq; septem habent lacertos, quorum unus mouet oculos erga nares, alter uersus tempora, tertius sursum, quartus deorsum, quintus firmat & corroborat neruum unde uisus procedit: duo alij alligant coniunctiuã ne usq; ad corneã tendat, & operiunt lacertos ibi existentes in angulis ocu-

D lorum. Tres iterum superiores palpebras mouẽt, unus superius & duo inferius: inferiores uero palpebræ nullum habent motum.

Particula secunda est de ortu neruorum sensus à cerebro. Et triplici specie regitiuæ uirtutis. Et de neruis opticis & ipsorum coniunctiõe, & spiritibus uisiuis. Et de modo quo fit uisio. Cuius sex sunt capita. *Quòd oẽs sensus à cerebro procedũt & ab ipso prodeũt septẽ paria neruorũ, cæteri uero nerui à spinali medulla.* Cap. I

Necesse est qui naturã oculorũ uult scire, prius cerebri naturam optime cognoscat. Visus enim ab eo procedit & superior eius actio ad eum conuertitur. Cerebrum autem frigidius & humidius cæteris membris est, quod postea explanabimus. Initium enim est sensus & uoluntarij motus ac regitiuæ uirtutis. Nullum enim aliud membrũ hac actione fungitur, sed cerebrum: his enim modis operatur

operatur, uel per se, uel per uiam adiuuantis, instrumento adiuuante sensum agit & motum uoluntarium. Instrumenta sunt nerui, qui duobus sunt modis, quidam à cerebro, quidam à spinali medulla procedunt: medulla spinalis tamen de cerebro est, unde cerebrum fundamentum neruorum est omnium. Sed duris neruis uoluntarius motus efficitur: dum nerui cum lacertis componuntur. Lacerti enim de neruis sunt & carne & ligamento compositi, & ligamenta ab ossibus procedunt. Molles nerui quinque sensus faciunt, quibus omnibus subtilior & acutior est uisus, qui sensus igneus est, & igneam habet naturam, id est splendorem & rubore: lumen igneæ est naturæ, quia cum coadunatur intus, ignis ex eo succenditur. Post uisum est auditus, post quem olfactus, post olfactum, gustus: qui quidem quia sentit quod est aquosum, aquæ pertinet. Sapor enim qui sentitur nihil aliud est quàm aqua alicuius corporis siccitati admista calore operante: proinde antiqui saporem uocarunt chymum, id est liquorem. Cæteris sensibus tactus crassior est, qui quidem sentit quod terreum est, & terræ pertinet, id est durum, molle, calidum, frigidum, & siccum, & quæ ex his procedunt. Omnes autem nerui sensum habent tactus, sed non uoluntarium motum, ut diximus, quia duri nerui tantum uoluntario motu funguntur, sed molles duris sunt sensibiliores, procedunt uero duri plus à spinali medulla. A cerebro autem procedunt septem paria neruorum, quorum primum & secundum par ad oculos ueniunt, unum est concauum per quem sensus uisus fit, id est per quem animatus spiritus uisum dans ad oculos tendit. Secundum par, oculi lacertos, & palpebras mouet. Tertium, ad linguam tendit dans ei sensum saporum. Quartum ad palatum deuenit ubi gustus sensum facit. Quintum ad aures accedit sensum auditus faciens. Sextum ad uiscera descendit, & per ea diuiditur dans eis tactum. Septimum mouet lacertos linguæ. Cæteri quibus mouentur manus, pectus, pedes, dorsum, & caput de spinali medulla procedunt. Sic cerebrum cum instrumento, id est neruis, motum agit & sensum.

De trina actione uirtutis regitiuæ, & de animali spiritu, & natura cerebri. Cap. II

Regitiua uero actio per se solum tribus modis est, phantasia in fronte, ratio in medio, memoria in puppi. Cerebrum autem habet quatuor concauitates quæ dicuntur uentriculi, duæ sunt in prora, tertia in puppi, quarta inter proram & puppim, in quibus semper est animatus spiritus, quo actus, ut diximus, fit. Spiritus autem animatus, de uitali fit, uitalis in corde generatur & nascitur. A corde enim duæ uenæ ad cerebrum ascendunt, quæ subtus cerebrum uenientes, multis diuiduntur modis, & protelatæ faciunt quasi rete, per quas spiritus uitalis à corde ad cerebrum ductus, in illo reti moratur, quousque mundificetur, & subtilietur. purificatus deinde ad medium uentriculum cerebri tendit, ibique aliquantulum permanens subtiliatur, postea ad puppis uadit uentriculum: sed uia quæ est à medio ad puppim non est aperta: habet enim portam in qua quoddam obstaculum est, cuius forma est sicut pinea, quam anatomici uermem uocant, sed fermè semper clauditur. unde cum spiritus qui est in puppi, fuerit motus, fit memoria: cum is qui est medio, fit intellectus. & ratio: cum ille qui est in prioribus, fit sensus communis & phantasia. hæc est dispositio cerebri, suæque actionis. Cerebri autem natura frigida est & humida. Frigida duabus de causis. Vna propter multitudinem sui motus quo fiunt memoria, intellectus, & imaginatio. Secunda propter motionem quæ ab eo dirigitur, unde fiunt sensus & uoluntarius motus, ne causa suæ motionis calidissimum factum, incenderetur, & incensum consumeretur amplius. Si cerebrum calidum esset, memoria instabilis esset: caput enim calidum, mobile est naturaliter, frigidum contra. Memoriæ uero requies & stabilitas est necessaria, quod sic attestantur, quia calidum cerebrum habentes, instabiles & mobiles sunt. Humiditas autem cerebri duabus de causis est necessaria. Vna, ne ex motu nimio desiccaretur: motus enim calorem facit, calor uero desiccat humiditatem. Alia, ut in eo uelociter imaginatio formaretur, & cito sensum qui eam dirigit suscipere posset, & uelociter ad audita discernendum moueretur, rursus ut nerui ab eo procedentes molles essent. Impossibile est enim à duro, molle, uel à molli, durum generari, proinde prora mollior est puppi, quia de prora molles, de puppi, duri nerui procedunt, quibus motus uoluntarius fit.

De neruis opticis & eorum differentijs à cæteris neruis. Cap. III

Qui instrumentum uisus optime scire desiderat primum naturam utriusque nerui uisibilis inuestiget, ut bene cognoscat, quibus cum cæteris neruis communicet, & quibus discrepet. Deinde de uisibili spiritu perquirat, quatenus sciat cum quibus spiritibus conueniat, & in quo discrepet: postremo de ipso uisu quo fit, quod in hoc capite planè describam. Primum itaque neruorum par, quod supra diximus cum utroque cerebri panniculo descendere, & secum uisibilem spiritum ducere, cum cæteris neruis sensum facientib. duobus modis conuenit. Vno, quia ut alij, à cerebri prora descendit. Alio, quia & ipse nobilis est, discrepat tamen ab eis, sex modis. Primo quia maior cæteris est à cerebro & à spinali medulla procedentibus. Magnus uero quia concauus est: si enim esset paruus, necessario subtilis esset, unde cito frangibilis, cuius concauitas necessario fuit larga: ut nullam pateretur obstructionem, & ideo magnus fuit. Secundo, quia solus sic concauus est, ut eius concauitas sensui ostendatur, quæ concauitas protenditur usque ad locum in quo panniculus oculorum qui rete dicitur, se procreare incipit: quod facile sensui patet, si anatomia cernatur. Inchoat quoque ipsa concauitas ab utroque cerebri uentriculo, qui est in cerebri prora, in quo tamen loco concauitas uideri non potest, quia subtilissima & angustissima est: hoc foramen qui uult aspicere, quærat in cerebro magnorum animalium in hora, qua occiduntur. Caueat tamen ne in æstate, calidóue tempore fiat, & utrosque cerebri panniculos tangat caute, ne frangantur, & in fine illorum

panniculorum inueniet illud neruorum par ab utroq; uentriculo procedens, poteritq; uidere qualiter ipsa concauitas ab ipsis uentriculis inchoet. Tertio quia uterq; uisibilis neruus, intrinsecus est mollissimus, ut facile sentire possis, extra aliquantulum durus, ut à passione sit illæsus. Quarto quia per hoc par neruorũ multo maior spiritus quantitas, quàm per oẽs neruos sensum & motum uoluntarium facientes ducitur. in illis tamen nõ substantialiter, sed sola uirtus eius per eos uehitur. per illud aũt par, multa spiritus essentiæ quantitas defertur. Oculi enim cũ sint nobilissimæ actionis, uadit ad eos multum de substãtia spiritus, usq; ad panniculum qui dicitur uuea: hoc enim fuit necessariũ ad adiuuandũ uisum. Quinto quia cæteri nerui quanto sunt à cerebro remotiores, tanto sunt duriores, & à propria natura mutãtur, iste intrinsecus mollissimus est, extrinsecus uero solidior, ut mollities interior exteriori duritie tueat̃, ne quãdo desiccetur: cuius mollitiẽ & si aliquantulũ inuenies indurari, tamen ad oculos ueniens, in naturã quam in cerebro existens habuerat, conuertitur. in panniculo enim qui rete dicitur mollis efficitur, ita ut in naturã cerebri procedat, fitq; quasi rete. Sexto quæ & laudabilior eius ꝓprietas est: quia hoc par neruorum cum è prora utriusq; uentriculi separatum egrediatur, non recto itinere sicut exierat, uadit: sed per interiora capitis torquet̃, & ad ossa narium ueniens commiscetur: sic ut ipsorum utraq; foramina fiant unum ibidem. Iterum hi nerui separantur, et recto itinere, ut egressi fuerant, uadunt, unusq; e dextro uentriculo exiens, ad dextrũ oculum tendit: alter de sinistro prodiens ad sinistrum peruenit, de quorũ coniunctione & separatione plures antiquorum diuerse senserunt.

De opinionibus circa causam coniunctionis neruorũ opticorum, & de causa ob quam non unicus exiuit crassus à medio primi uentriculi cerebri. Cap. IIII

Quidam hæc ideo fieri dicebãt, ut si unus læderetur, alius subueniret: aliĳ eos ideo esse coniunctos, quia omnis sensus ab uno fundamento procedit, quorũ sentẽtia prorsus uana est. Natura eñ tam optime, tam fortiter, mẽbra cõpleuit, ut nullam timeant passionis occasionẽ, nec solum nerui uisum ferentes ab uno loco exeunt, sed omnes ab eodẽ loco egrediunt̃, neq; tamen postea cõiunguntur. Nonnulli ob hoc eos dicunt coniungi: ut unus ab alio confortetur: si eñ separati essent, propter itineris longitudinẽ rumperentur, quod quidem non impossibile est, sed tamen nõ est uia tam longa, ut in ea rumpi debeãt. Aliĳ sic aiunt, quorũ intentio uera est: spiritu uisibili ueniente ad oculos, necesse est, ut uno oculo clauso totus spiritus ad alium ueniat. quod fieri non posset, nisi nerui prius separati coniungerent̃, & iterum separarentur: quod huiusmodi experimentũ testatur. Si aliquod corpus super nasum ponatur, utroq; oculo ad uidendum directo, fit uisus debilior & obscurior: sed uno clauso, fit uisus in altero fortior, quàm in utroq; fuerat, & quod utriq; cernere nequiuerant, unus solus clarissime aspicit. hoc ideo, quia

A spiritus qui in utroq; fuerat, ad unum cõuertitur: altero enim clauso, alterius pupilla clarior efficit̃. Aliĳ alio modo sentiunt, quorum sententia est necessaria, nisi nerui ad oculos directi primũ coniungerentur, & postea separarentur, necessario res una, dupla uisui appareret. cum enim res uisibilis uideri nõ possit, nisi uisu oculorum pupillas exeunte: ipse aũt uisus per lineas rectas egrediat̃, & rem recto tramite ante se percipiat, sicut uidemus radios solis per angustam cauitatem domum ingredi, & lineæ ipsæ angustæ sunt in exordio sui: deinde uero paulatim dilatãtur, fiatq; in utroq; oculo quędam pineæ forma necesse est, ut uterq; uisus linea directus, & in loco ubi est res uidenda cõiunctus, eam æqualiter percutiat, deinde quousq; ad pupillam æqualiter egrediatur: ut per unam superficiẽ ambo ambulent. Duorũ exordia sunt in loco, ubi utriq; nerui coniungunt̃, ibi unus idemq; factus, & sic ex utraq; pupilla à suo loco egressus, uidendam rem uidet, eamq; sicut est, cõprehendit: quoniã si una pupilla à suo loco inferius uel superius mutaret̃, res superiori pupilla uisa, superius uideretur, sicq; dupla appareret, ꝑpter qđ oculis tria fuerunt necessaria, scilicet pupilla funditiua uisus, locus ubi uterq; cõiungit̃ neruus, & rectæ lineæ, ut uisus recte per eas trãseat: hæc est causa quare nerui ad oculos ueniẽtes prius cõiungunt̃. Sed tamẽ quidam sic obĳciunt. Cũ illos duos neruos necessarium sit coniungi: quare non statim unus facti sunt, sed duo. Quibus est respondendũ, unus ideo neruus non fuit, quia à cerebri medio exire nõ potuit, maxime quia magnus est uterq;. item magna quædã cõcauitas illic est, ubi palati foramina cerebro coniungunt̃, per quam cerebrum suam superfluitatẽ expellit. uia etiam quæ ad nares ducit, ibi constat: illa aũt concauitas, & hæc uia, ibi esse non posset, si neruus unus ibi locaret̃. Nares enim sunt in media facie, unde nisi earum foramina cerebro opposita essent, olfactus non esset. quia ergo cerebri loca rebus hisce cõprehensa sunt, necesse fuit, ut nerui uisum ferentes nõn ab uno loco egrederentur, quos natura in uno loco cõiunxit, ut idem foramen eos habere faceret: deinde, ut separatim ad utrunq; oculum irent, seiunxit.

De animato spiritu & uisibili, & quòd uisibilis spiritus substantialiter ad oculos peruenit, & ad aliorum sensuum organa solum per ueniunt eorum spiritus irradiatiue. Cap. V

Visibilis, ut diximus, spiritus de spiritu nascitur animato à uẽtriculis prorę cerebri procedẽs: ibiq; mundificat̃ ut diximus, cum de cerebri natura disputauimus: qui spiritus, spiritualiter est sensibilis, quia uisus unus è sensibus, cæteris dignior & nobilior, porrò ipse habet proprietatẽ quam nullus aliorũ sensuum habet. Animalis siquidem spiritus in cerebri uẽtriculis existens sensum & uoluntarium mãdat motum: uirtus enim ipsius per neruos penetrat ad cætera mẽbra: essẽtia uero in proprio permanet loco: sicut sol totum aerẽ illuminat, ipse tamen in uno loco stat: sed ad oculos non solum uirtus uisibilis spiritus, sed ipse spiritus essentialiter dirigitur, & tanta eius quantitas, quanta est necessaria

cessaria, illuc adducitur, quod utriusque nerui cōcauitas attestat. id etiam hoc testatur, quia uno oculo clauso, ad pupillam alterius tota uirtus conuertitur causa neruorū coniunctorum: inde foramen panniculi qui dicitur uuea, præ multitudine spiritus necessario dilatatur, aperto uero oculo cū spiritus ad eum reuertatur, foramē uueæ ad propriam redigitur mensuram. Hoc signo etiam, si obseruari possit, cognoscit, si uno oculo aqua clauso pupilla alterius dilatet: spiritus enim uisibilis in eo esse demonstratur, unde aqua quæ transitum eius obstruit, ablata, uisus redditur. Si uero non dilatetur, hoc ideo est quia neruus per quem spiritus ducit, obstructus est: unde etiam cum cæteri nerui nullā habeant concauitatē, quia uirtus animalis spiritus non ipsemet essentialiter per eos ducitur, oculorū nerui necessario concaui fuerunt, ut spiritus substantialiter per ipsos transire possit. Cæteri aūt nō sunt concaui, ne per corpus diuisi, & à suo fundamento remoti, leuiter rūperent: uel quia tanta spiritus quantitas sensui motui uoluntario nō est necessaria quanta uisui. Nullus enim sensus, præter uisum, sentit sentiendā rem, nisi ei coniungatur: uisus aūt pupillam egrediens longe remotā sentit: unde multa spiritus quātitas necessaria est, & ideo nerui necessario concaui facti sunt.

De modo quo fit uisio. Cap. VI.

Videndum est etiam quomodo fiat uisus. Diximus ergo cum aliqua res uidet necessario, uel aliquid ex ea dirigitur uisui, per quod quid ipsa sit, cognoscitur: uel uirtus uisus etiam ad ea mandatur, uel aliquid medium est inter uisum & rem uisam, per quod ipsa cognoscitur. Sic potest ergo inuestigari quod horum certum sit. Omnes philosophi concordati sunt, quod res non possit uideri nisi per foramen pupillæ. Si ergo ad uisum à re uidēda aliquid dirigitur, siue sit uirtus, siue sit forma, siue qualitas siue quantitas mensurata, quomodo illud angustum foramen intrare poterit? quæ etiam uirtus esse potest quæ ad oculos diuersorū in momento rē uidendā deducat? quod quia impossibile est, spernatur. Quòd aūt uisibilis spiritus pupillam exiens solus ad rem uidendā uadat, eiusque quantitas magnitudinē cōprehendat, falsum est. Ipse enī spiritus non tantæ est quantitatis, ut adeo dilatari possit, ut tot & tantas rerum ambiat quantitates, cum in uno momento multa & diuersa & maxima indiuidua comprehēdimus. Ad tertium ergo membrum conuertamur. quippe aer corpora circundans, si clarus & lucidus fuerit, supplemētum uisui facit quod nerui cerebro, quia sicut splēdor solis, sic spiritus recipit uirtutem. sicut enim solis splendor superiorem aeris extremitatem percutiens, totum aerem penetrat, eumque clarificat: sic & uisibilis spiritus pupillam egressus, mox totum aerem penetrat, et extensus per loca remotiora, mutat ea in suam naturam, quod fit cum aer in toto iunctus est, quod in sole palàm fieri uidetur. Si enim aliquod corpus in aere ponatur, cum solis splendor illud nequeat penetrare, forma illius corporis post se obscura apparet. causa, quia non suscipit aer lumen nisi sit cōtinuus, nec solis splendor, separatum à se aerem mutat: quoniam si actio splendoris fortiter in aere operata fuisset, posset in eadem actione permanere, splendore solis absente. Sed utrique hac carēt proprietate, quòd neque sol, neque splēdor suam actionem aeri, ipso absente, potest dimittere: recte ergo causa dans lumen ablata, ipso momento, lumen ab aere aufertur. Eodem modo de neruis intelligit: quia si neruus fuerit incisus & à cerebro diuisus, ilico mēbrū cui sensum dabat, fit insensibile. Propterea hæc duo sic debent esse coniuncta, id est aer & spiritus, sicut nerui & cerebrum: & quamuis aer in altera mutetur actione, sicut cum calefit uel infrigidatur, & in qualitate rei calefacientis uel infrigidantis permanet, lumen tamen nō idem in aere operatur: ipso enim absente & lux ab aere amputatur. Deinde necesse est semper, ut aer continuatim illuminet. hoc enim nisi fuerit, nullo modo lucidus fieret, sic & nerui cerebro faciunt supplemētum, quia licet de substantia sint cerebri, duriores tamē sunt, quò lucidioribus passionibus subiaceant, unde aliquātulum à natura cerebri sunt mutati. Sed nerui duobus modis sunt, quidam enim motum faciunt, quidā sensum: & facientes sensum, molles sunt: operantes motum, sunt duri. Et quamuis nerui duri sensum habeant tangendi, molles tamen nerui non inueniuntur illam cum duris neruis habere societatem. sed ipsi duri hoc faciunt, quia tactus cęteris sensibus est crassior. Sensus autem uisibilis quia cæteris sensibus est acutior & subtilior, ideo neruus spiritum uisibilem seruans, cæteris sensibilibus neruis cerebro est propinquior. Quia igitur oculi in aere agunt, sicut cerebrum in neruis, ideo multam quantitatē spiritus habuerunt, ut in aere rem suam faciant, sicut in neruis proprias res cerebrum. Visus autem primo colores sentit quod ei proprium est, deinde corpus in quo fundati sunt: sicut gustus prius sentit sapores, postea fundamēta eorum. Gustus tamen & cæteri sensus rem sentiendam ad se uenturam expectant: uisus uero ab oculis elongatur, & per aerem extenditur quousque ad corpus perueniat coloratum. hac de causa solus uisus sentit formam corporis, ac quantitatē, & cum eius colore motum rationabiliter, non tamen essentialiter, sentit: quod nullus habet cæterorum nisi tactus accidentaliter. uerbi gratia. Si quis per tenebras ambulans fustem in manu duxerit, eo amplius non potente penetrare, cognoscit quòd motum per corpus solidum fieri, impossibile est. Visus autem habet alteram proprietatem, quia incedens supra corpus leue, solidum, & lucidum, rectus ad pupillam conuertitur, unde exierat. unde in speculo uel in alijs splendidis corporibus prope nos stantibus, uidemus formam nostrā: & si quis studiose in oculum alterius spectet, uidet in eo suam faciem: causa, quia uisus ad pupillam conuertitur, propter luciditatem panniculi qui araneæ tela dicitur. est enim supra crystallinum, sicut adeps superne coagulatus: & quasi rutilans, clara est. Veruntamen quamuis præ cæteris

ſolus per aerem motum rei ſentiendæ ſentiat, non tamē arbitratur, ſicut cæcus ſe cōfuſe ſentire: quia aer, mox ut rem ſentit, eam uiſui miniſtrat: quæ proprietas ſoli ineſt uiſui, aerē uidelicet in ſui mutare naturā. Alterius etiam dignioris eſt proprietatis, quòd non ſolum recte, ſed ex tranſuerſo conſpicit neceſſario, cum multus ſpiritus à cerebro ad oculos dirigitur, rurſus ſpiritus pupillam exiens, & aerem percutiēs, mutat eum in ſuam naturam. Recte ergo uiſus igneus dicitur, auditus aereus, guſtus aquoſus, tactus terreus, olfactus fumoſus. quatuor enim elementa ſenſus quatuor conſtituunt, ut unuſquiſq; eorum unum ex his cōprehendat, & ea cum in natura ſua ſunt, uel in aliud mutantur, uel aliqua accidentia patiuntur, diſcernat: præter hos quatuor ſenſus, fuit alius qui fumoſa comprehēderet. fumus enim in ſua natura mediocris eſt, cum elementa nō niſi quatuor ſint. Sed uiſus qui ad hoc eſt, ut colores cōprehendat, neceſſario luminoſus fuit. ſolum enim quod lucidū eſt, conuertitur in colores. Teſtatur hoc aer, qui cum clarus et lucidus ſit, facile in colores mutatur. nam palàm eſt, quia ſi quis candidis indutus iaceat ſub arbore, color ueſtimentorum in frondium colorē mutatur: unde patet aerem in illum colorē fuiſſe mutatum. Videmus etiam ſæpe aerem in colorem lucidi parietis mutari, illumq; colorem per aerem ad illud corpus mutari, maxime ſi paries uiridis uel rubeus fuerit uel citrini coloris: & ſicut ſolis ſplendor eum ad ſuam mutat naturuam, ſic & colores in ſuas eum qualitates conuertunt. Similiter & lumen uiſibilis ſpiritus mox ut aerem percutit, ipſum immutat. Hæc tria ſunt quæ aerem ſine ullo temporis ſpacio immutāt, lumen ſolis, fulgidus color, & lumē uiſibilis ſpiritus. Palàm ergo, uiſum nō fieri niſi aeris mediocritate, quod ſenſus atteſtatur. Antiqui etiam cōcordant dicentes aerem eſſe uiſui ueluti ramus, & conueniens eſt inſtrumentum cum fuerit lucidus, uel aliorum corporum lucidorum lumine illuminatus: & ſic ſeruire aerem uiſui, ſicut cerebro nerui. Sicut enim cerebrum non ſentit quod oculi comprehendunt, niſi neruis mediantibus: ſic & oculi nihil ſentiunt, niſi lucido aere mediante.

Particula tertia eſt de prima uniuerſali medicinæ intentione, & de rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, & de generibus & ſpeciebus, & cauſis & accidentibus morborum. Cuius ſunt quinq; capita.

De prima medicinæ intentione, & de neceſſarijs ad eam. Cap. I

Oportet medicum præ omnibus primam & uniuerſalem medicinæ intentionem præuidere, & eam particulariter diuidendo ad indiuiduum ducere. Prima autem medicinæ intentio eſt, quæ bifariam diuiditur: aut enim in ſanis, cum ſimilibus ſanitas cuſtoditur: aut in ægris per contrariū ſanitas redditur. Quorum primæ neceſſaria eſt rerum naturalium ſcientia. naturalibus enim agnitis, pateſiūt ea quæ ſunt ſimilia ſanitati: & ſic etiā cognoſcunt quæ ſunt contraria. ſimilibus ergo ſeruatis, contrarijs prohibitis, ſanitas cuſtoditur. Secundæ autem intentioni duo ſunt neceſſaria: non natura-

A lium ſcilicet & contra naturā rerū ſcientia. Sanitas enim infirmo cum quadam mutatiōe reſtituitur: quam mutationē qui facere uult, neceſſe eſt ſciat ad quid mutare decet. Niſi enim ſciat de quo, et ad quid mutandū decet mutare, non ſecurus eſt quin unde conuenit non immutari, mutet. & niſi nouerit ad quid decet mutare, ad id quod non oportet, conuertere poterit. Sanitas infirmo reddit cōmutatione rerum contra naturam ad naturalia. unde & iſta ſciri debent ad quæ illa tranſmutant, & illa etiam quæ ad illa conuertantur.

De rebus naturalibus, non naturalibus, & contra naturam. Cap. II

Res autem naturalis duobus eſt modis, generalis & ſpecialis. Generalis dicitur eſſe humani cor-
B poris complexio, & uniuſcuiuſq; corporis cōpoſitio. Complexio quidē multipliciter eſt: tum ætas, & conſuetudo. Naturalis complexio eſt ſecundū differentiam ſexus, ut in mare & fœmina: uel ſecūdum euentum, ut eſt complexio ſpermatum, uel ſpirituum de quibus ſit. Cōſuetudo ſex modis eſt. Primo ex aere & eius mutatione, quę mutatio uel localis eſt, uel temporalis, cum aliquid in tempore contingit. Secundo ex motu uel quiete. Tertio ex repletione uel inanitione. Quarto ex ſomno uel uigilia. Quinto ex cibo & potu. Sexto ex animæ accidentibus. Specialis eſt, ut uirtus, quæ triplex eſt, naturalis, uitalis, animalis. Superius animalem tetigimus, cum de cerebro diſputauimus. Vitalis eſt quæ cor & arterias facit pulſare.
C Naturalis triplex eſt, generatiua, nutritiua, & augmentatiua. Nutritiua quadruplex, attractiua, retentiua, digeſtiua, et expulſiua. Res aūt extra naturam duplex eſt, aut eſt nocumentum actionis, aut quod ex eo generatur. Nocumentum actionis, aut quod ex eo generatē, duplex eſt, aut eſt ſine mediatore, & morbus dicitur: aut cum mediatore, & cauſa uocatur. Quod aūt actionis nocumento generatur, accidēs nominatur: quod iterum duplex eſt, ſcilicet aut ex diuerſis corporis qualitatibus, aut à qualitatibus diuerſis à corpore egredientibus. Corporis qualitatis diuerſitas quinque modis eſt. Sunt enim qualitates quæ ſentiuntur. Qui ergo ægro ſanitatem uult reſtituere, decenter debet inueſtigare ſeptem res naturales, quæ ſunt, elementa, complexiones, humores, membra, uirtu-
D tes, ſpiritus, & operationes, & quæ ſequūtur eas, ut ętates, colores, figuras, diſtātia inter maſculum & fœminā. Et res nō naturales quæ ſunt ſex. Aer, cibus & potus, inanitio & repletio, motus & quies, ſomnus & uigilia, & accidentia animæ. Et res extra naturam quæ tres ſunt. Morbus, cauſa morbi, & accidentia morbum concomitantia.

De generibus & ſpeciebus morborum. Cap. III

Morbus generaliter triplex eſt, quia corporis cōſtitutio trina eſt. Prima corporis conſtitutio eſt in membris ſimplicibus, ex elemētis compoſitis, in quibus quædam morbi ſpecies generantur, quæ duobus modis ſunt, uel ſimplices, uel compoſitæ. Simplices quidem ſunt calida, humida, frigida & ſicca. Compoſitæ uero ſunt, calidæ & ſiccæ, calidę & hu-

& humidæ, frigidæ & humidæ, frigidæ & siccæ. Secunda corporis constitutio est in membris quę composita uocantur, ex simplicibus compositis, in qua fiunt morbi quatuor modis: aut secundum formam membrorum, aut secũdum compositionem, aut secundum magnitudinem, aut secundum numerum. Secundum formam quinq; modis, in figura, foramine, concauitate, lenitate, aut asperitate. Secũdum compositionem dicitur cum à loco mutantur uel in loco malo ponũtur. Secundum magnitudinem bifariam, uel ultra modum, uel infra. Secundum numerum similiter, uel ultra modum, uel infra. ultra modũ naturaliter, uel extra naturam. Tertia corporis constitutio est corporis totius ex unitate simplicium & compositorum membrorum facta, in qua morbus generatur qui separatio iuncturę uocatur. Hęc sunt genera morborum & species.

De causis morborum. Cap. IIII

Causa autem morbi est generaliter sicut genus, sed specialiter est triplex. Causa enim morbi simplicis, aut calidũ facit morbũ, & est septupla id est nimius motus animæ, corporis passio, calor exterior, angustia pororum, putredo, rerum acutarum acceptio, cibi paruitas. Aut frigidũ facit morbum, & est octo modis, tactus rerũ frigidarũ, acceptio earum, multitudo cibi & paruitas, obstructio pororum & largitas, nimius motus & quies. Aut facit morbũ siccũ, & est quadruplex, siccæ rei obuiatio, cibi sicci, cibi paruitas, nimius motus. Aut facit morbũ humidum, & est contraria proximæ dictæ. Sed simplicibus morbis quos diximus cũ materia existentibus, commiscentur causæ intraneæ, quæ sunt, uirtus mẽbri impellentis, debilitas recipientis, materiæ multitudo, pororũ largitas, defectio nutritiuæ uirtutis. Causa morbi cõpositi uel est secundum figuram, uel foramen, uel cõcauitatem, uel asperitatem, uel leuitatem. Secundũ figuram aut propter quantitatem spermatis, uel qualitatem, uel propter aliquod accidens quod infans patitur quando nascitur, uel cum lac sugit, uel propter alia. Secundum foramen, uel propter obstructionem, uel propter coniunctionẽ. Obstructio fit à fortitudine retentiuæ, uel defectione expulsiuæ, uel propter frigiditatem & siccitatem, uel ligaturæ strictura. Secundum concauitatem, aliquid innascẽs uel in membro incidens, ut est chymus, lapis, uerrucæ. Largitas foraminis cõiunctioni cõtraria est. Asperitas de genere separationis est iuncturæ, cum non est à caliditate. quod post planius dicemus. Lenitas est asperitati contraria. Corruptio loci fit cum mẽbra à naturalibus suis locis mutantur, uel separatione, uel mollitie concatenationis mẽbrorum. Magnitudinis causa est multitudo materiæ, uel fortitudo naturæ. Paruitas membrorum cum cõtrario est: aut propter incisionẽ. Magnitudo, in numero, aut naturalis est, ex spermatis abundantia, aut accidentalis, ut lapis in uesica. Paucitas aũt est econtrario. Separationis iuncturæ triplex causa est: incisiõe exterius facta, ut igne uel ense, uel interius, ut ex acutis chymis, aut ex-

A tensione, uel exteriori ut cum fune, uel interiori, ut ex crassa uẽtositate: aut de fractura, uel exteriori, ut à lapide, uel interiori, ut ex crassis chymis.

De accidentibus morborum. Cap. V

Accidentia sunt tria, scilicet nocumentũ actionis, diuersitas egredientium à corpore, diuersitas qualitatum corporis sensibilium, quorũ duorum causa est nocumentũ actionis. Actiones tres sunt, animalis, naturalis, uitalis. Nocumentum actionis triplex est. Nam omnis actio tria patitur: uel enim ex toto aufertur, uel minuitur, uel mutatur: uerbi gratia, tactus aut amputatur, & dicitur stupidus, aut minuitur, & titillatio uocatur, aut à sua natura mutatur, & tunc corrupta uocatur. Causa horum duorum est frigiditas tertij gradus, & iuncturę se-
B paratio. Palàm ergo est quòd causa nocumenti actionis morbus fit. Morbus tantum nocet actioni sine mediatore: ideo nocumentum actionis est significatio morbi, nec est differentia inter accidens & significationem, nisi in nostra intentione, quia nostra intentio est in nocumẽto actionis, & id ad quod sequitur nocumentum, morbum uocamus, & illum insequẽtia accidentia dicimus. Morbum autem dicimus causam accidentium, unde morbo cognito cum accidentia scire uolumus, dicimus accidentia significationes.

Particula quarta de accidentibus, & morbis oculorũ, & neruorũ suorũ, & musculorũ, & palpebrarũ. Cuius sunt xiiij. capita.

De accidentibus morborum oculorum in generali. Cap. I

C Sed quia intentio huius libri est patefacere significationes morborum oculorum, prius oportet scire eorum accidentia, ut uia qua ad morbi notitiam ueniamus, sit nota. Accidentia ergo oculorum sunt triplicia, nocumenta actionis, & quæ ex illis sequuntur: diuersitas in oculis, scilicet sensibilis qualitas, & diuersitas ab eis exeuntium. Nocumentũ autem actionis oculorũ, est secundũ quantitatem actionis, id est eorũ quæ sunt actionis, uel animalis, uel naturalis. Nocumentum naturalium actionum, est quod accidit quatuor uirtutibus naturalibus: animalium uero actionum quod sensui & uoluntario motui accidit. Actiones animales tantum duas species sensus habent. Nocumẽtum naturalis actionis in hoc loco non oportet notari,
D quoniam in hoc non differunt oculi à corpore toto: sequitur enim nocumenta tactus, ut sunt mollities, titillatio, & dolor: ita oculis ut toti corpori accidit. Accidẽtia uero uisus & uoluntarij motus quæ oculi patiuntur hic oportet dici.

De diuisione accidentium oculi, & declaratione membrorum diuidentium Cap. II

Sciendum itaq; quòd accidẽtia quæ oculis contingunt, aut in eius instrumento sunt, aut in sua uirtute, aut in ministris. Instrumentũ uisus est humor crystallinus qui patitur, uel unũ ex octo similibus morbis, uel ex compositis morbis, cum à suo loco mouetur, uel iuncturę separationem. Si mutatur à loco sursum uel deorsum in utroq; oculo, uident rem duplam: si mutatur dextrorsum uel sinistrorsum, nõ apparet res dupla. Virtus uisus à cerebro

per concauũ neruum descendit:unde eius passio uel de nerui, uel de cerebri, fit infirmitate. Quorũ infirmitas triplex:simplex quę est una de octo:uel officialis,ut apostema,& obstructio,uel iuncturæ separatio. Ministri uisus sunt humores,& spiritus, & pãniculi, qui oculis septem habentur:quorum illi qui sunt ante crystallinũ,sunt foramen uueę,id est pupilla, albugo oui, spiritus qui est in pupilla, & quantitas pupillæ, quæ corona dicitur.

De accidentibus pupillæ. Cap. III

Coræ id est pupillæ contingunt quatuor,largitas,angustia,mutatio de loco, & tortuositas. Largitas uel naturalis est,uel accidentalis. Accidentalis est,uel de extensione panniculi quo tegitur,cuius extensio de passione est uueę:uel de multitudine humoris albuginei. Passio uueæ aut simplex est,ut siccitas:aut cõposita,ut apostema. Angustia pupillę,uel naturalis est,uel accidentalis:de mollitie, quæ mollities de nimia fit humiditate dominante,& lubricũ faciente,aut de albuginei paruitate. Largitas pupillæ siue naturalis, siue accidentalis,semper est mala,quia spiritũ spargit. Sed angustia,si propter rem de qua facta est stricta, naturalis est,bona est,quia spiritum coadunat:accidentalis tamen molesta est,nõ ideo, quia angusta, sed propter causam de qua facta est stricta: maxime si fuerit propter albuginei paruitatẽ. Duplex enim malum est. Vnum, quia crystallinus est discoopertus ad lumen: aliud, quia ex paruitate albuginei desiccatur. mutatio pupillæ de loco, uel naturalis est,uel accidẽtalis. Accidentalis cõsideretur. Panniculi qui sunt iuxta pupillam cõtumescunt, uulnerantur, & consolidantur. Hæc tamen mutatio non multum est mala. Separatio iuncturæ si sit in uuea,& non sit perforata,nõ multum nocet uisui: quòd si perforetur, currit humor albugineus, & uueam tunicam coniungit araneæ. Vnde quinq; accidentia generat. Vnum, quòd uuea crystallino propinquatur, nec habet unde cooperiatur: atq; spiritus uisibilis de cerebro procedens nõ coadunatur in pupilla, sed egredit̃ ab ea, & dispergitur.

De accidentibus albuginei humoris. Cap. IIII

Albugineus humor in quãtitate & qualitate patitur: in quantitate, si augmentatur, unde uisus obscuretur,uel minuatur:unde nequit crystallinũ cooperire,in qualitate,liquore & colore: liquore si parum crassus fuerit,longinqua uidere nõ sinit, & propinqua bene discernit. Si sit crassissimus omnino,uisum occupat,& amputat,& cataracta dicitur: quæ uel in parte una, uel in multis locis dispertita est, in uuea, uel in pupillæ medio, uel circa eam. Si sit in medio, omnia perforata uidentur infirmo. Partem enim quam uidere nequit, putat concauam esse. Si circa pupillam,multa in una hora uuea non permittit uidere,propter paruitatem pineæ uisus. Si crassitudo dispertita sit,& particulariter sit diuisa,quæ uidet putat esse quasi stricta, unde patiẽs cernit quasi muscas & similia, quod pueri & febricitantes plurimum patiuntur. Color si mutetur, omnia coloris istius esse putantur, utpote si fuerit plumbeus, omnia fumosa appare-

A bunt & tenebrosa, sic & si fuerit alterius coloris idem ipse color in uisis omnibus apparebit. eis tamen ad cataractam præparati sunt oculi, de quorum stomacho fumus ad caput ascendit,& patientibus fluit de naribus reuma.

De accidentibus uisibilis spiritus. Cap. V

Spiritus uisibilis in qualitate & quantitate patitur. In qualitate, utpote si fuerit subtilis, unde bene discernit,ac res optime comprehẽdit:uel crassus unde ad remota loca penetrat,et longinqua uidet:uel paucus ad remota se elongare nõ ualens, sed solum propinqua cernens.

De accidentibus corneæ. Cap. VI

Pannus cornea,quo pupilla tegitur, si quo modo patiatur,uisui nocet, cuius nocumentum pro-

B pter se,uel propter aliud fit. Propter se,tria morborum genera patitur,uidelicet simplicem, compositionem,& separationẽ iuncturæ. Simplex, ut humiditas,& siccitas. humiditas uisui nocet propter quantitatem,ut si fuerit multa,omnia sicut fumus & nebula apparebũt: uel propter qualitatem, utpote si rubea fuerit,oĩa uideri rubea facit,ueluti qui patiuntur febel contingit. Si aũt citrina fuerit, citrina apparebunt omnia,sicut ictericis fit. Siccitas spasmũ generat, unde uisui nocet,si multum: uisus ergo quandoq; ex toto amputatur. Separatio iunctæ,si fuerit perforata cornea, duobus modis uisui nocet. Vno modo propter putredinẽ in illo uulnere cõgregatã. Secũdo, quia crystallinus secũdo lumini fit uicinus. Passio corneę,quæ pro-

C pter aliud fit,uel propter cõiunctiuã, uel propter palpebram est. Propter coniunctiuam, si ungula nascatur in ea,uel fiat apostema corneã operiens: sed passio corneæ & cõiunctiuę & aliarũ partium oculorum non nocet uisui,nisi accidentaliter.

De accidentibus motus uoluntarij oculorum. Cap. VII

Passio uero motus uolũtarij oculorũ est triplex. Vel enim amputat̃, & mollities uocatur: uel minuitur,& tremor et titillatio dicitur:uel propter lacertos,cum nõ ut oportet, mouentur, & spasmus nuncupat̃: quorũ trium unumquodq; fit, aut propter cerebrum, aut propter neruos,aut propter lacertos: sed diuersitas mollitiei ac spasmi lacertorũ oculos mouentiũ est secundum diuersitatem motionis eorum. Quod quomodo uideat, uel unde

D procedat,in fine sexti capitis planius dicitur.

De diuisione morborum oculorum in apparentes & occultos, Et primo de apparentibus. Cap. VIII

Morbi oculorum uel sensui apparent, & facillime cognoscuntur, uel latẽt, & eorum notititia est obscura, quorum significationes intellectuali inuestigatione comprehenduntur. Incipiendum igitur à morbis sensui apparẽtibus, & ostendendum in quo loco oculorũ appareant, & nascatur. Morbi ergo qui sensui apparent, uel sunt in coniunctiua, uel palpebra, uel in angulo oculorũ, uel in cornea, uel in uuea, uel inter uueam & crystallinum. In cõiunctiua septem sunt, uidelicet petia, ungula, ophthalmia, tumor, duritia, & similia. Petia est sanguis fluens de aliqua arteria, uel uena incisa, quam patitur ex ictu. Vngula est superfluitas neruosa

uosa aut carnosa; extēdens se ab angulo ad pupillam, & prohibens uisum. Ophthalmia triplex est, quæ uisum turbat. Cuius causa uel exterior est, sicut fumus, sol, puluis, & similia: uel interior, sicut humores ad cōiunctiuā fluentes. Sed prima ophthalmia mala nō est. Causa enim quāprimum ablata, morbus amputatur. Secūda uero, postquam causa amputatur, habet & signa quæ habent cætera membra cum patiuntur apostema, quæ sunt, tumor, inflammatio, durities, lachrymę, rubor, plenitudo uenarū oculi. Tertia cæteris est fortior, quia & alias habet significationes. Acumen enim palpebræ inuersatur extrinsecus, eiusq; motio uix fit, & albugineus ascendit super nigredinem. Tumor est quadruplex. Vnus fit ex crassa uentositate. Secundus ex phlegmatico humore non crasso. Tertius ex phlegmate crasso. Quartus ex melancholia, qui dicitur scliros, qui omnes sic adinuicem discernuntur. Primus euenit subito, sicut uidemus seniores in æstate pati propter muscarū morsus. Secundus & tertius paulatim fiunt, sine magno dolore & mollitie, minore in secūdo quàm in tertio, quorū color est sicut color totius corporis. Quartus ut plurimū fit in angulis oculorū, & aliquādo dilatatur & ascendit ad supercilia durus, multum habens dolorē. Eius color plumbeus est, qui multoties sequitur uarias & diutinas ophthalmias, & maxime quæ mulieribus contingunt. Duritia nascitur in oculo toto, nascitur & in palpebris, quæ motū grauem facit cum dolore & rubore, nec patiens ualet oculos aperire cū à somno surrexerit, attamen sunt lachrymæ salsæ & nitrosæ. dolor & rubor in toto corpore palpebris fiunt ex humiditatib. salsis aut acutis, si cōiunctiua est plena crassi sanguinis, quæ cum inflatur, rubei fit coloris. Est & proflua, quæ pudorem & timorem facit.

De paßionibus palpebrarum & angulorū suorum. Cap. IX

Pasiones palpebræ quædam sunt communes morbis totius corporis, sicut uerrucæ, scrophulæ, & similia. Nascunturq; uel extrinsecus uel intrinsecus. Extrinsecus, sicut est crassities, quæ est quasi pinguedo uiscosa relata neruis & pāniculis. Nasciturq; in palpebra superiori, intrinsecus scabies, grando, petrositas, & uiscositas. Scabies quatuor modis est, una dicitur psorophthalmia, alia choma, tertia sycosis, quarta telosis, Prima secunda leuior est, quæ magis aspera dolorem & grauitatē facit. Vtraq; tamen in oculis humiditatem generat. Tertia dura est & asperior, quia palpebræ interioris quasi scissura est. Quarta cæteris deterior est & durior ad sanandum. Grando est tumor crassus in interioribus coagulatus, ut quasi grando uideatur. Inuiscatio est quædam uiscositas palpebram cum pupilla iungens siue in eius albedine, siue in eius nigredine, uel utrasque palpebras simul iungens, qualis fit propter uulnera in oculis. Item nocumentum palpebræ triplex est. Vnum, erectio palpebræ superioris, ne oculi albedo posit cooperiri, quod aut est naturaliter, aut cum palpebræ tortura mala fit. Aliud est palpebræ breuitas. Tertium est palpebrę inuersio ad partem inferiorem,

A quando nascitur aut propter aliquod uulnus, uel propter carnem superfluā in carnibus natam. Rasura & uulnus nascuntur in eis sicut & in corpore toto in extremitate palpebræ. Pili superflui ad interiora cōuersi nocent, & pili aliquando à palpebris cadunt. Nascūtur ibi pediculi & ordeoli. Pili superflui in interioribus palpebræ nascuntur, qui pungunt & ad oculos humorem adducūt: pili cadunt aut propter humorem ad eos fluentem, aut propter alopeciā, & aliquando cum duritia, grossitie palpebrę, & rubore. Hordeolus est apostema nascens in extremitate palpebrę. Aegilops est ulcus inter oculos & nares, quod si fuerit neglectū, fiet ex eo fistula putrefaciens os, & quandoq; putredo fluit per foramen ad nares, aliquādo ad palpebram eiusq; cartilaginem putrefacit, & si palpe

B bra digito tacta fuerit, putredo ab ea effluit, grando & lachrymæ noxiæ sunt oculis. Lachrymę fiūt uel apostemate in foramine inter oculos & nares existente, qui hoc habent semper lachrymas patiuntur, nec fiunt lachrymæ ex conamine medicorum acutas medicinas in scabie ponentium.

De paßionibus corneæ. Cap. X

Pasio in cornea nascens, uel propter oculos, uel propter totum corpus causatur, in qua tamen infirmus magnum dolorem sentit in neruo, & patitur extensionem in panniculis oculorū, qui panniculi ruborem & extensionem sentiunt ascendere, & maxime, si ambulat, aut mouetur, capitis dolorem patitur, & ab oculis subtiles & acuti humo

C res fluunt, neq; potest acuta collyria sustinere, neque ualēt oculis imposita. Pasio corneæ propria est uulnus, macula, obscuritas, sanies, & talia multa, septem nominibus dicta, quarum quatuor intrinsecus, tres uero sunt superficietenus. Intrinsecus hæc sunt. Prima est uulnus, cuius color est quasi fumus, quandam partem nigredinis operiens. Secunda uulnus, plus primo concauū, sed tamen albidius. Tertia uulnus partem albedinis & nigredinis operiens. Pars tamen qua tegitur albedo, rubei coloris est, quę uero super nigredinem stat, alba est. Quarta est uulnus quoddam in modum faculæ putrefactum. Pasiones uero exteriores hæ sunt. Prima est quoddam uulnus concauum & angustum. Secunda est uulnus concauum, sed lar-

D gius. Tertia uulnus plus cæteris putrefactum: hoc obliuioni tradito, oculorum pāniculi putrefient. Quare autem omnes corneæ pasiones aliquando curabiles, aliquando incurabiles sint, causa duplex est, aut propter diuersitatem uulnerum, aut propter diuersitatem materierum in uulnere existentium, & cornea de multis corticibus composita est, uno super alium locato. Aliquando uulnus in primo, aliquando in secundo, nōnunquam in tertio cortice nascitur, propter materiam quæ in quantitate multa est, aut pauca, aliquādo alba, aliquādo nigra, modo subtilis, modo crassa, calida sola, uel acuta, uel nitrosa, uel dulcis. Quod post tertiū corticem est, molestius est quàm quod post secundum, & post secūdum quàm post primum, salubrius quod fit in superficie, deterius quod est

post

post omnes cortices. Materia si fuerit multa calida, patiens magnum in oculo sentit dolorē: multitudo enim materiei facit extensionem & calidum dolorem. Item salubrius est quod non est in loco pupillæ, deterius quod in loco pupillæ: quia si scindatur uulnus, non sumus securi, quin per uueam pupilla egrediatur, & fluat humiditas oculorum, quòd si uulnus super pupillam sit, uulnere sanato uisus offenditur.

De egreßione uuæ, & paßionibus eius. Cap. XI

Egreßio uuæ quatuor modis fit. Aliquando enim egreditur parum, ut uidentes pustulam esse putent. Sed si discrete inspiciatur uuea sani oculi, & uuea infirmi oculi, & si earum colores sint dissimiles scias pupillam egredi. Si uero similes, apostema ibi ortum esse: aliquando plus exit, & tunc satis apparet eam esse egressam. Tertius modus est, cum tantū egreditur ut palpebræ minus præualeāt, & pili palpebram pungentes iungēdo dolorem inferant, & hunc modum melon dicunt. Quartus modus γόμφος Græcè, Latinè dicitur clauus: quia egrediens pelliculas uueę superficiētenus operit, unde eius forma fit quasi clauus. Paßiones uueæ sunt, dilatatio, aut constrictio. Dilatatio autem fit quatuor modis, aut ex nulla causa patenti, uel propter percußionem, uel propter apostema, uel propter aliam paßionem.

De suffusione, seu cataracta. Cap. XII

Inter uueam & crystallinum humorem aqua nascitur coagulata, prohibens spiritum uisibilem à pupilla exire, quæ paßio si est incipiens, obscura est, perfecta uero facillime cognoscitᷣ. Sed qui ad hanc uenturi sunt paßionem, eis ante oculos cimices uolant, quibusdam autem quasi flammæ apparent, incidentibus autē uisus amputatur, & color pupillæ amputatur: huius aquæ color est diuersus, quędam enim aeri, quædam uitro aßimilatur, alia est quasi album habēs colorem, alia quasi cœli colorem, alia quasi uiridem, alia quasi uenetum. unde antiqui cataractas, ueneticos oculos appellauerūt, sed differētia est, quia uenetici oculi duobus modis fiunt, uel propter aquam si nimiū fuerit coagulata, uel propter siccitatē quam patitur crystallinus. Species aquæ, quæ aeri aßimilatur, facile potest curari, licet eius accidentia sint quæ supra diximus. Secunda uero species quandoq; curabilis est, quandoq; non, quod sic dignoscitur: Si uno oculo clauso pupilla alterius dilatatur, poßibile est sanari, sin autē, minime. causa, quia neruus cōcauus quo uisibilis spiritus ad pupillā ducitur, oppilatus est. Hæc cataracta ex paßiōe stomachi procedit, uel cerebri, sed sic discernitur. Si apparitio in uno oculo fuerit, uel in utroq;, sed diuerse, cataracta ex cerebro esse intelligitᷣ: si in utroq; æqualiter, stomachi esse cognoscitur. Item si modo plus, modo minus apparuerint, ita q̃d stomacho minus digerēte maior fit. Item si patiens, de stomachi arsura, uel ardore murmurauerit. Itē si ex picra exhibita, ista imaginatio decreuit, cum em̄ nō fuerit huius mali cataracta, picra uideᷣ nihil esse proficua. Si fuerit propter cerebrū, plurima ex phrenetica nascitur paßione, quia phrenesis est apostema calidum nascens in cerebri prora: fitq; quasi fuligo, calore secundum humorem de quo nascitur, desiccante, & per uenas circa cerebrū & oculos ad oculorum substantiam penetrante: talia enim apparere facit. Sufficit de paßionibus oculorum uisui apparētibus. Oportet de his dicere quæ difficile intelliguntur, quia intrinsecus nascuntur.

De paßionibus oculi natis intus, & occultis. Cap. XIII

A Paßiones intrinsecus nascentes sunt mollities quæ dicitur paralysis, & desiccatio, quæ spasmus uocatur. Paralysis autem triplex est, uel enim motum amputat, uel uisum, uel utrunq;. Sed uisu amputato absque causa manifesta, uel etiam minorato notabiliter, propter nerui concaui paßionem,

B uel propter uisibilis spiritus paruitatem fit. Neruus patitur constrictionem, uel iuncturæ separationem, & tunc necessario usus corrumpitur. nec enim manifestatur, nisi rationabili inuestigatione comprehendatur: uerbi gratia si uisus absque manifesta causa, uel minuitur, uel aufertur, interrogetur patiens an grauitatem sentiat in prora capitis, aut circa frontem. quo id patiente, scias humores humidißimos ad concauum neruum fluxisse, eumq; obstruxisse, uel apostema ibi generasse. Potest etiam aliter inuestigari, si uno oculo clauso pupilla alterius non dilatatur, neruum obstructum esse non dubitatur. Item patiens interrogetur si in capite fuerit percussus, uel propter casum aliquem uulneratus, quòd si fuerit, nec pupilla exie-

C rit post, nec magis subito uirtus conuersa fuerit, scias neruum esse constrictum. Si autem propinqua uideat, & non longinqua, & non parua, scias spiritum uisibilem esse defectum. Quòd si longinqua & minime propinqua uiderit, & si meridie, uespere uero non, sicut accidit senibus, scias causam esse crasßitiem spiritus, uel suam commistionem cum turbidis humoribus. Hæc sunt accidentia in substantia oculorum latentia. Sed paßiones oculorum in mobilibus locis nascentes, aut sunt propter cerebrum, aut propter neruos, aut propter lacertos. Si propter cerebrum, necessario in utroque oculo corrumpitur motus: si propter neruum, illa pars oculorum offenditur, quæ ab illo

D neruo regitur. quòd si neruus non in toto patitur, sed in parte, motus lacerti qui neruo illi pertinet corrumpitur, nonnunquam paßio non in neruo, sed in essentia lacerti nascitur.

De musculis qui mouent oculos & palpebras, & de uijs per quas fluunt humores ad oculos. Cap. XIIII

Lacerti autem oculorum sunt, ut diximus, duodecim, quorum quinq; oculi ipsi mouētur, tribus utriusque nerui fundamentum corroboratur, & per eos oculi seorsum mouētur. Reliqui quatuor palpebras mouent. Paßio uero lacertorum est duplex, mollities & spasmus. Quòd si lacerti motus oculorum, molles fiant, oculi suæ grauitatis causa descendunt inferius, & cum palpebris se infigunt. Si autem spasmauerint, uersos oculos torquēt, & sic neruis spasmātibus in eadem parte qua ipsi patiuntur, oculi torquentur. Tres uero lacerti utriusque

usq; nerui fundamentum corroborantes, oculos A superius eleuantes, si spasmantur, oculi nō patiuntur, imò inde confortantur: si autem mollificantur, oculis nocent, quia extra egrediuntur. Oculis ergo absque ulla percussione existentibus, uisuq; permanente, scias neruos esse mollificatos: quòd si fuerit ex percussione neruorum, fracturam esse cognoscas. si neruus qui palpebras sursum mouet, mollificetur, palpebra deorsum cadet, si spasmatur, nō ualet oculum claudere: lacertis quibus interius mouent palpebræ mollificatis, oculi non clauduntur, si spasmantur, palpebræ superius non eleuantur. Quòd si lacerti in parte patiente non patiuntur, nec palpebræ in loco eius attinente patiuntur. Humores autem ad oculos fluunt, uel per uenas supra craneum existentes, uel per eas sub B craneo existentes. Si per uenam supra craneū manauerint, frōtis & temporum uenæ crassæ sunt & extensæ, unde ualet si incidantur, uel desiccatiua emplastra uel cataplasmata apponantur. Si autem hæc nō apparuerint, scias humores per uenas quę sub craneo sunt, manare.

Particula quinta est de uirtutibus medicinarum sanantium morbos oculorum.

Cuius sunt capita sex.

De distinctione medicinarū oculorū penes sapores. Cap. I

Qui oculorum passionem uolunt curare, eorum medicinas, & uirtutes earum oportet cognoscere, quæ maxime saporibus ostenduntur. Sapor enim uirtutes innuit. Vnde sciendum quòd quæ ad linguam ueniunt, & nihil in eam faciunt, insi- C pida uocantur. Insipida autem uel sunt simplicia, sicut aqua, uel cōposita, nulla tamē qualitate præualente. Quod si aliqua præualuerit, erit aliquantulùm frigiditati attinens, sicut medicina quę dicitur obstruēs, quæ duobus modis est. aut terrestris & sicca, sicut hæmatites, & tutia, & cadmia, & his similia: uel uiscosa, ut oui albugo, oleum omphacinum. Quibus aer dominatur, linguam pati faciūt, uel cum delectatione, uel cum nocumento. Quæ delectationē inferunt, necessario patet quòd quibus ea faciunt, eis similia sunt. Linguam ergo delectantia humanę cōplexioni sunt similia. Humana autem cōplexio, temperate calida est & humida. Hinc ergo & omnia linguā delectantia, & humana corpora, sicut aqua tepida, delectant. Delecta- D tionē ergo faciētib. si aqua dominet̃, dulcia sunt, si aer, unctuosa erūt. Ideoq; omne nutrimentū uel dulce, uel unctuosum, uel compositū ex utroq;. Quibus uero præter istos sapor alius dominatur, nō nutriūt, sed sunt propter medicinā. Quæ uero nocent, faciunt linguæ punctionē, quæ punctio species est separationis iuncturæ. Separatio enim iuncturæ aut nimia cōstrictione fit, aut incisione. Quæ incisionem faciunt, calida sunt, quæ nimiam constrictionē, frigida sunt. Item linguā separātia, aut multū, aut parū separant. Multum separantia, crassa sunt, terrestria, dura, & amara. Quę nō multum separant, salsa uocantur, Quæ uero subtilia & ignea, dicuntur acuta. Quę autē constringunt, uel sunt crassa, terrestria, uel subtiliatiua, & aquosa. Terrestria, & crassa, multum constrictiua & pontica sunt. Quæ uero minus constrictiua sunt, & styptica, subtilia dicuntur acetosa.

De speciebus saporum, & impreßionibus quas in linguam faciunt. Cap. II

Sapores autem sunt isti, dulcis, unctuosus, amarus, salsus, acutus, pōticus, stypticus, acetosus. Ponticus coadunat linguā & premit, nō solum superficie tenus: uerūetiam intrinsecus, unde obstruit & asperat: Stypticus similiter: Sed salsus lauat & mundificat. Amarus magis salso mundificat, exasperat, & excoriat. Acutus uero mordet, pūgit, & calefacit: Acetosus uero sine calefactione. Dulcis humectat & lenit asperitatem linguæ, & delectationem tribuit: Vnctuosus similiter, sed debilius. Sapidus de genere dulcedinis aquositatē non habet sibi dominantē, etiā in sapido dulcedo tantilla sentitur: Vnde fructus à terra sublimes sunt dulces, & propinqui sapido: quia humiditas eorū uicina est humiditati sapidi. Ponticus ergo terrestris est & frigidus: acetosus, aquosus: amarus, terrestris calidus & igneus: dulcis, calidus & terrestris: unctuosus, aereus. Ponticum quoq; pororum scimus coadunatiuum, constrictiuum, incrassatiuū, refrigeratiuū, & desiccatiuum. Acetosus incidit, subtiliat, aperit, mundificat, attrahit, dissoluit, incidit. Amarus mundificat, lauat, attenuat, & calefacit. Salsus coadunat, obstruit, desiccat, nō multum calefacit. Dulcis mollificat, maturat, & moderate calefacit. Vnctuosus humectat, & mollit sine manifesta delectatione. Et sciendū quòd ponticus & acetosus sunt in frigidatiōe æquales, sed ponticus, terrestris, acetosus, aquosus est: quod & sensu patet & intellectu. Videmus eñ in initio fructus ponticos esse suæ arbori similes, sicut oliuā, uuā, coctana, granata, & similia, quorū quidem quanto sunt pluris temporis, humefiunt, & cum sua humiditate & ponticitate acetositatē recipiūt, deinde sapor paulatim mutat̃, quousq; dulcis fiat. Sed nonnulli ad dulcedinem ueniunt, nulla mediante acetositate. Sed maturatio fructuū fit calore, quæ duobus est modis. Vna naturaliter fit in fructuum essentia ex proprio ipsorū calore, alia ex calore solis. Item sensui patet, quòd uidemus ponticum linguam constringere & desiccare, quod est eminentis frigiditatis actio. Palàm igitur ponticum frigidæ complexionis esse. Item acetosum subtile est, etiam penetrabile, cuius causa est calor in eo ebulliens. Vnde patet ponticum crassum esse & terrestre: acetosum uero, subtile aquosum, quod sic certificatur. Inuenimus fructus in initio ponticos esse & frigidos, quorū pōticitatis minoratio, aut est propter solis calorē, aut propter humiditatē, aut propter utrunq;. Si propter solis calorē, maturati dulcorantur, sicut castaneæ. Si autem propter humiditatem crassam, fiunt fructus pōtici. Si autem propter humiditatem aquosam & quasi aereā mutantur, fiunt acetosi. Si causa caloris & aquosæ humiditatis mutantur, dulces fiunt. Si uero humiditas aerea fuerit, fiunt unctuosi. Item dulcia & amara sunt calida, sed dulcia sunt in caliditate & humi

ditate

ditate tēperata, sic unctuosa, unde utraq; naturæ humanæ cōueniunt, quæ in humiditate & calore temperata sunt. Amara uero sunt calidiora dulcibus, & sicciora, quod arbitratione probat. Omnis liquor si naturali uel extraneo calore coquatur, in primis dulcoratur, sed augmentato colore fit amari saporis, sicut mel cum inueteratur, & etiam super prunas excoquitur. Idcirco dulcia & amara mundificant & lauant, sed dulcia cum moderamine & delectatiōe: amara uero, nō moderate, quia & iuncturam separant. Acuta, & salsa, calida & sicca sunt, acuta tamen calidiora & sicciora quasi ignea, unde incendunt & elidunt: ideoq; exterius posita mundificant, & superfluam carnem in uulneribus natam corrodunt. Salsa uero potui data crassos humores de pectore & capite educūt, epilepsiæ repugnāt: neq; enim uelociter ut acuta penetrant, neq; in eis est tanta crassitudo, ut diu morentur ingredi, sicut pontica. Salsa uero terrestria & calida sunt, sed minus quàm amara. Et hac ratione sapores inuestigantur.

De uirtutibus medicinarum primis, secundis & tertijs, & suis effectibus. Cap. III

Virtus autem medicinæ diuersa intelligitur. Est enim prima, secunda, tertia. Prima quidem quadruplex est, calida, frigida, humida & sicca: quarum unaquæq; quatuor gradus habet, & unicuiq; graduum est initium, medium atq; finis. Quæ igitur primo gradu est, corpus immutat à suo temperamento, sed hæc mutatio sensu nō apparet. Quæ autem in secundo, corpus à temperamēto mutat, sed non multū apparet. In tertio gradu consistens, manifeste mutat, sed non corrumpit. Quæ uero in quarto gradu est, mutat & corrumpit, sed calida cum intentione destruit, frigida cum dormitatione. Quæ uero in quarto gradu sicca sunt, necessario separant iuncturas. Hæc primam habent uirtutem. Secundam uirtutem habentia uocantur, maturatiua, mollitiua, obstruētia, aperitiua, mūdificatiua, incrassatiua, incisiua, incēsiua, putrefactiua, carnis depascitiua, carnis generatiua, solidatiua, doloris mitigatiua. Maturatiua et mollitiua calida sunt. Maturatiua etiam necesse est ut tantum habeant calorem, quantū membro curando necessarium sit, ne minuāt uel augmentent suam naturalem humiditatē. Mollitiua calidiora & humidiora esse oportet: quia membra mollitiuis egētia duritiem habent, cuius causa est humor crassus frigidus & uiscosus, unde calida necessaria sunt quæ crassitiem & coagulationem illius chymi dissoluāt. Oportet ergo ne ille calor sit nimius, ne illius chymi subtilitate resoluta quod crassum est, indurescat, atq; putrescat. Item necesse est ut calor eius sit in fine primi gradus, sicut bdellium, sigia, galbanum, ammoniacū, tum cum medulla uitulina, caprina, bouina, & similia. Maturatiua si sint calida & humida, obstructionem tamen quandam oportet habere qua pori claudantur: quia illis obseratis calor interius adunatur & corroborat, unde & digestiua & cæteræ actiones naturales uigent, sicut facit oleum cum aqua calida, farina frumenti cum aqua, mica panis, seuum porcinū, uel camelinum, pix, resina, gummi cypressi, cera cum oleo, thus & similia. Hæc ergo obstructionem faciunt, sed non tantam ut dissolutioni repugnet. Si igitur mollitiua huiusmodi esse oportet, induratiua necessario erūt frigida, sicut portulaca, psylliū, lens, aqua, solanum, & similia. Obstruentia adeo poros oblimant, ut facile aperiri nō possint, unde necesse est ea esse terrestria, uiscosa, nullā punctionē facientia, quæ si pungunt, mēbra ferre non possunt, & attenuāt, poriq; aperiunt, & sic oportet ea esse absq; calore nimio & frigore. Aperitiua dicuntur esse contraria, ut crassam materiem attenuēt, quæ uirtus in amaris & nitrosis inuenit, sicut sunt iris, amygdala amara, nitrum, orobum, lupinus, dictamus. Sed aperitiua quæ stypticitatem & ponticitatem habent, extra posita non aperiunt, sed pota uiscerum aperiunt obstructionē. Mundificatiua sunt necessario quasi aperitiua, tamen debiliora, ut lauent & mundificent, ut uiolæ, fabæ, dulces amygdalæ, & similia. Medicina corpus mūdificās temperate calefacit, nec desiccat, nec crassitiē habet, sicut chamæmeleum, malua, sambuceleon, radix elenij, & similia. Incrassatiua est quasi obstruens, cōstrictiua oris uenarum crassa est & frigida, styptica, omni carens resolutione. Incensiua multum calida est, sicut allium, cæpa, fel tauri, & similia. Putrefactiua subtilissima est, uastans primo superficiem. Carnis minutiua est, quasi putrefactiua, debilior tamen. Cicatrizatiua est sicca & styptica, sed incisiua, aliquando carnē generat, si modice uulneribus apponitur. Attractiua dicitur naturaliter & accidētaliter: naturaliter cuius attractio est cum calore & subtilitate, sicut sagapenum: accidentaliter cui propter putredinem uirtus innascitur, sicut fermento. Doloris mitigatiua conuenit habere calorem similem calori corporis. Huiusmodi secundam habent uirtutem. Tertiam habent uirtutē, quæ lapidem frangūt, pectus & pulmonem ad screandum iuuant, lac & sperma generant, urinā & menstrua prouocant. Medicina attenuans & incidens nimietate caloris lapidē frangit, ut radix capparis, radix calamenti, uterq; elleborus, acetum scilliticū. Si enim multum habent calorem, lapidem frangere uidentur, si nimium calorem non habuerint, & cum aliquo humido accipiuntur, ad screandum utiliora fiunt: sed si aliquantulum sint calidiora, & tamen in statu temperamenti permaneant, siccitatēq; non habeant, lac & sperma generant: si autem multo plus calidiora fiant, sed non sicciora in ultimitate, menstrua prouocant, ut acorus, petroselinum, seselis, & similia, quæ sunt calida, nec minus sicca.

De diuisione medicinarum sumptarum à plantis, & metallis, & animalibus, exemplisq; earum. Cap. IIII

Medicinam oculorum scire uolentem, uirtutes medicinarum suarum oportet prius cognoscere. Sciendum itaq; quòd oculorum medicatiua quędam de nascentibus terræ, quædam de metallis, quædam de animalibus sunt. De nascentibus est, ut gummi, assa, sagapenum, euphorbiū, myrrha,

opium, thus, tragacāthum, galbanum, sarcocolla, A oculi liciorum, ammoniacū, aut hypocysthis, acacia, marathrū, fœnugræcū, rosæ, glaucium, aloes, amygdalæ, uel sicut galla, ut flos rosæ & frondes, aut folium, aut lignum, ut casia, & cinnamomum, uel ut cortex thuris, uel mandragorę, uel spicę nardi. De metallis sicut hæmatites, sal ammoniacum, flos æris, ærugo, arsenicum, cadmia, nitrum, calcanthum, plumbum, antimonium, ferrum, ferrugo. De animalibus aliquando sunt humores, sicut fel, lac, albumen oui, & urina, aliquando membra eorum, ut cornua, castoreum, quarū omnium uirtutes singulariter ostendam.

De prædictis medicinis & earum effectibus. Cap. V

Assa cæteris gūmis calidior est, incendit & dissoluit. Sagapenū calidū est & subtile, mūdificat & B attenuat maculas oculorum, ualet quoq; suffusioni & obscuritati quę fit ex turbiditate. Euphorbiū subtile incensiuum est. Myrrha calida & sicca, pustulas oculorum absq; dolore mūdificat. Thus calidum in secūdo gradu, siccum in primo. Gummi arabicum frigidum est & siccum, obstruit: Tragacanthū similiter. Sarcocolla desiccat & cōsolidat sine nocumēto oculi. Liciū temperatū est in calore, unde mūdificat & attenuat crassitudinē super pupillam nascentem. Ammoniacū apostemata oculorum mundificat & dissoluit. Rosa refrigerat. Glaucium similiter. Succus hypocystidis cōfortat et refrigerat. Acacia similiter. Mandragora refrigerat, dolorem placat, quia dormitionem prouocat. Marathrum ualet cataractæ, maculas mundificat. C Malum coctanū oppilat & refrigerat. Galla repugnat humoribus ad oculos fluētibus, & membra confortat. Crocus maturat. Balaustia refrigerat, repugnat, desiccat, & confortat. Spica dissoluit & attenuat. Cinnamomum calefacit, maturat, atq; desiccat, & confortat. Hæmatites desiccat, & ualet asperitati palpebrarum, carnem superfluam manducat. Sal mundificat, & desiccat: Similiter sal ammoniacum. Arsenicum rodit & incendit, carnem dissoluit & minuit. Cadmia desiccat atq; constringit & mundificat: quæ incēsa & lota, superiora agit sine punctione, adiuuat etiā oculorum uulnera, maxime si humida, quia desiccat ea. Plumbum desiccat. Antimonium desiccat, & constringit, & calefacit. Aes ustum uulnera consolidat. Cerusa D desiccat & infrigidat. Flos æris desiccat, constringit, & calefacit. Tutia desiccat et infrigidat sine dolore, maxime si lota est: ualet etiā uulneribus, pustulis, & lachrymis oculorum. Ferrugo desiccat & constringit: ualet quoq; contra pustulas spinosas. Aerugo carnem minuit & attenuat. Sciēdum est, quòd omē fel est siccū & attenuatiuum, quod mistum oculi medicinis uisum acuit. Albumē oui confortat & oppilat. Lac lauat & mundificat. Castoreum scindit atq; maturat.

De nouem potentijs medicinarum oculorum, & suis effectibus. Cap. VI

Hæc est diuersitas specierum medicinæ oculis pertinentium. Oppilatiua. Colatiua. Mundificatiua. Aperitiua. Putrefactiua. Constrictiua. Contractiua. Maturatiua. Dormitiua. Oppilatiua duobus modis est, terrestris & sicca, uel humida & uiscosa. Terrestris desiccat humores calidos & subtiles ad oculos fluentes, maxime si ibi sint uulnera, quibus oportet adhiberi mundato capite, prout necesse est, & toto corpore fluxuq; humorū cessante. hæc enim medicina leuiter & subtiliter mediocriter desiccat humores qui in oculorū uenis latitant, & ad oculorum panniculos prohibet penetrare: transactoq; humorū cursu, causaq; fluxionis eorum præterita, hæc medicina non amplius debet dari, q̄ ne dolor oculorum augmentetur, quia panniculi oculorū nimia humorū multitudine extenduntur, unde et quandoq; finduntur. huius tamen medicinæ posteritas non in pauco declaratur tēpore, quoniam aliquando operatur, & si ratio nō expostulat, scilicet uulneribus in oculis apparētibus, uel corrosione in cornea existente: uel uuea egrediente: acutis tamen humoribus ad eos fluentibus, non audemus desiccatiua ponere. Stypticis enim illic positis humores fluere prohibentur, unde dolor augmentatur. quòd si medicina apponatur, materiæ ad oculos fluentis acumen augmentatur. Mollitiua uero seu dissolutiua seu maturatiua, si dentur, humores quidem maturantur: sed tamen in uulneribus caro non generatur, neq; uulnus sanatur. A cetosis frigidis applicatis, punctura, & morsura, & tumor in oculis generantur. Nulla igitur medicina conuenit huic passioni, nisi quæ inter calidū & frigidum tēperata est, uel temperamento uicina, quod facit tutia lota, cadmia usta & lota, similiter cerusa lota. Alia autem medicina oppilatiua, scilicet humida, uiscosa, quam diximus, ualet in hoc loco modis duobus: uno, quia non pungit, sed dolorem mitigat: alio, quia lædit asperitatem ex humorum fluxu factā: uulnera eñi lauat unde dolor mitigatur, quia crassi humores acuti mundificantur. Sed oculorum medicina sæpissime metallina est: quia uero oculi sensum habent acutū, cum metallina, uiscosa & humida misceantur, ne asperitatem faciant, sicut albumen oui, fœnugræcum, lac, gummi Arabicum, tragacanthum, & similia. Medicina aperitiua dissolutiua, necesse est ut sit acuta, quam non expedit ponere in pustulis corneæ, nisi res maturatiua propter sui duritiem non ualeat. Similiter cum apostema tunicarum panniculorum & pellicularum, maturatiuis non curatur, acuta imponatur: quibus tamē maturatiua misceantur, sicut assa, sagapenum, euphorbium, cinamomum, amomum, acorus, asarum, casia, folium, spica. Mundificatiuarū & colatiuarum quædam mundificant, & colant modicū & ualent contra paruas pustulas & uulnera: sicut cadmia, thus, cornu ceruinum, & caprinum, & ut dicit Gal. antimonium. Quædam uero nimium mundificant, quæ ualent ad ungulas, scabies palpebrarum, pruritus, & crassas pustulas: ut ærugo, tragacanthum, sal ammoniacum: quæ omnia pungunt: sed cum lauantur, eorum punctio minoratur. Putrefactiua ualent uetustæ scabiei & asperitati: ungulam uetustam purgant: & pruriginem,

si longi temporis est, curant: ut arsenicũ; flos æris, & similia. Constrictiua medicina etiam temperatæ actionis est, & optime prohibet humorẽ fluentem, pustulas & uulnera, ut rosa, folium, crocus, glaucium. thus fortiter stringit & fluxum humorum amputat. Contractiua magnum generat dolorem, quæ etiam ualet commista cum medicina uisum acuente, quia oculos coadunat. Et est optima contra asperitatem palpebrarum, sicut est balaustia, cortex thuris, ferrugo, flos æris, succus hypocysthidis, succus uuæ agrestis, acacia, glauciũ. Hæc enim lauant & leniunt asperitatem. Maturatiua conuenit apostematibus oculorum & doloribus propter humores clausos in interioribus corneæ: sicut myrrha, crocus, castorium, fœnugræcũ, licium, sarcocolla, melicratum, & similia. Soporifera dolorem magnum patientibus ualent: tunc scilicet cum doloris magnitudine perire uidetur. Caute tamen adhibeantur, quia uisum minuũt & nonnunquam amputant. Idcirco non sæpe apponantur uel appositis calefactiua misceantur. Talia sunt opium, mandragora, & similia.

Pars sexta de apostematib. & dolorib. & ipsorũ curis in generali. postea de ipsis ut insũt oculis, petia, pruritu, carbone: & pilis, uulneribus, fissuris, pustulis corneæ, pãno, scabie, nyctalope. suffusionibus, oculorum exitu, & collyrijs multis contra morbos oculi. Cuius sunt capita duodecim.

De apostematibus & causis ipsorum in generali. Cap. I

Maximo studio curationes passionũ quas sexta particula scripsimus necesse est ostendere. Ac primo de ophthalmia, quoniam quod proposuimus tractabimus: sed quia ophthalmia de genere est apostematum magnorum quæ faciunt dolorem, decet nos de apostematibus generaliter tractare, deinde ad ea quæ in oculis fiunt peruenire. Diximus secundo quòd causa omnium apostematum sunt humores ad membra fluentes, cuius causa uel interior est uel exterior: Interior, ut superabundantia materiæ: Exterior, ut percussio, casus, fractura, uulnus & similia. Præterea membri præparatio ad recipiẽda superflua quatuor modis est, aut propter membri defectionem, aut raritatem, uiæq; largitatem ad membra tendentem, aut propter suæ uirtutis attractionem, fortitudinẽ, uel sui locationem naturalem. Defectio membri aut naturalis est, aut accidẽtalis: naturalis ut cutis quam constituit natura defectiuam, ut superflua ab interioribus ad exteriora, à nobilibus ad ignobilia expulsa, facilius suscipere possit: accidẽtalis ut ex infirmitate præterita. Raritas membri, ut teneritas maxillarum & inguinum. Attractiuæ membri fortitudo fit in membris fortibus propter nimium calorem, qui calor aut naturalis est, aut accidentalis. Propter situalem positionem, sicut si inferius locatum fuerit. humores eñ ad corporis inferiora maxime descendunt. Sed materia quæ defluit, aut est humor, aut est uentositas: si humor, aut sanguineus, aut aquosus, aut phlegmaticus, aut melancholicus. Ventositas autẽ, cum nõ sit subtilis, non generat tumorem. Sanguis autem si temperati co-

A loris est, phlegmonem generat: si calidior & subtilior, erisypelas generat: sed calidissimus sacrum ignẽ facit, & uariolas. Aquosus tumor, est qui hydropisis dicitur phlegmaticus: si fuerit subtilis, tumorem: si crassus, apostema generat, quod interius est quasi pingue seuum. Melancholicus autem cancrum generat: uentositas autem, si fuerit, tumet. Hæc est diuersitas apostematum quæ diuersa exigunt medicamina.

De curis apostematum. Cap. II

Apostemata ergo quę fiũt ex sanguine calidissimo, si eorum causa extrinseca fuerit, nec corporis extiterit plenitudo, medicamine dissolutiuo & repercussiuo curent̃: excalpellatio quoq; uel incisio adhibebitur opportune. Quòd si causa sit intrinse-
B ca, ab initio non dentur mollitiua uel dissolutiua; cum plus q̃ necesse est dissolutiua à locis remotis ad apostema attrahant. Sed neq; repugnantia audemus apponere, ne materia ad mẽbra principalia conuertatur. In initio ergo curationis phlebotomia corpus purget̃: deinde apponant̃ repugnãtia & desiccatiua, temperiem facientia, ut sua siccitate resistãt humoribus, ne ad tumoris perueniant locum, & temperiem complexionis confortẽt, & locum, ut superfluam materiam deuincant. Sciendum quoq; omnia apostemata quatuor tempora habere: Initium, augmentũ, statum, & declinationem. In initio ergo conuenit repugnantia opponi calori. Repugnantia, tenui materia dissoluta in parte, & crassa remanẽte, mollitiua & dissolutiua
C ponuntur: nonnunq̃ in augmento, magno dolore existente, stypticam medicinã & refrigeratiuã ponimus: nimio dolore coacti soporiferam adhibemus. Medicina sanguinolenti apostematis, id est erysipelatis, quę cum nimio est dolore & calore, si causa eius fuerit extrinseca ab initio mollitiua & dissolutiua sit. Si aũt intrinseca fuerit, primo detur choleram rubeam pharmacum purgans, deinde si opportunum est, phlebotomemus, postea medicina infrigidans & humectãs apponatur. calore trãsacto dissolutiua aptetur. Apostema cuius materia fuerit sanguis crassus, si cum uulnere, punctione, & putredine sit, in initio phlebotomia subuenias: deinde uulnera medicina corrosiua & mũdificatiua curantur: sed tamen cõsidera apostema-
D tis magnitudinem ex calore: quia si magnum fuerit, repugnantia pones: si calidissimum, fortem caue medicinam. Aquosum apostema uel solutiõe, uel incisione curetur. Prima aũt species phlegmatis quæ est, ut mel, curatur constrictiuis uel cõfortatiuis & solidatiuis, sicut est uinũ mistum cum licio & nitro. oportet aũt à leuioribus incipi, & sic ad fortiora procedere. Quòd si fuerit inueteratũ apostema, cum incisiua & dissolutiua: & superius ligentur fortiter & inferius leuiter. Secundum genus phlegmatis taliter curatur, dissolutiuis, putrefactiuis & incisiuis. Tertium uero, putrefacientibus & incidentibus, dissolutiua uero non ualent. Quartum genus stylo incensiuo curatur. Melancholicũ apostema, id est cancer difficile curatur, non incidatur, cuius incisio multis inconueniens

estmodis. Primo quia syncopin generat, si locus multas uenas habuerit. Secūdo quia mēbra principalia non patiuntur membrū ligari neq; sanguinem cōstringi nisi cū cauterio: & in loco aliquando nascit̃ in quo nō audemus cauteriū apponere. in huius igit̃ initio corpus ad tēperamentū oportet reuocari, & ad bonū cū phlebotomia & pharmacia & diæta & similibus immutari. Apostema de uentositate factum dissolutiuo curatur.

De causis & cura doloris in generali. Cap. III

Dolor duobus est modis, subita qualitatis immutatione, & iuncturæ separatione. Mutatio uel est de frigore uel de calore, unde causam eius non oportet inuestigari. Separatio iūcturæ tribus modis fit, incisione, fractura, crepatura. Incisio uel extrinseca est cum gladio, uel intrinseca, ut cum acuta humorum qualitate. Fractura autem fit de exterioribus, sicut solidis & crassis corporibus ponderantibus: aut de interioribus, ut de apostematibus. de exterioribus si sit lapis locum in quo scindit conculcat propter utranq; loci extremitatem, qui depressus necessario extēditur. Iunctura quæ separatur de interioribus taliter fit, augmētata materia cōcauitates replet membrorum, doloremq; generat. Materia uero humorum est, uel uentositas uel acuta qualitas. Ideoq; sex sunt causæ doloris, chymus nimius, uentositas non habens exitū, magnum apostema uel durum, humorum acuitas, uel uulnerum siccitas, uel caliditas, uel frigiditas. Si dolor propter nimium chymum fuerit, ipso purgato cessabit. Si propter crassam uentositatē, cibo subtili & potu calidisq; fomētis & cataplasmatibus curatur. Si ex apostematibus, ipsorum curatio est dolorū amputatio. Si ab humorum qualitate processerit incensiua, necesse est chymum purgari, siue in bonum mutari cum medicina doloris mitigatiua. quòd si non sufficiat, soporifera imponamus, ut dolor mitigetur. Quòd si de frigidis crassis & uiscosis humoribus processit, soporiferam caueamus, quia non est tantus dolor qui de his nascitur. Si crassa uentositas exitum non habens causa fuit doloris, res attenuatiua & dissolutiua adhibenda erit, ut uentositas dissoluatur & humores desiccentur. Sic etiam de cæteris cōtraria contrarijs oppone.

De causis & cura dolorum oculorum. Cap. IIII

Oculi uero patiunt̃ ex apostemate uel propter acutos humores ad ipsos fluētes, uel propter pelliculorum suarum extensionē ab humorum plenitudine, aut inclusione crassorū humorum & uiscosorū, uel crassæ uentositatis in loco illo. Si sit propter acutos humores pharmacia det̃, materia deorsum ducatur, & oculi cum albumine oui lauentur. Purgato corpore & apostemate maturari incipiente, balneū diligenter aptetur. Quod si dolor fuerit propter humores interius clausos, totū corpus maxime purgetur, deinde calefacientibus utatur, & oculi cum decoctione fœnugræci lauētur: & ante purgationē totius corporis dissolutiua & calefactiua caueantur, quia ad apostema plus attrahunt ꝙ dissoluunt. Sciendū quòd humores ad

A oculos ueniūt, uel de omnibus partibus, uel de solo capite: si de solo capite, solū caput expedit purgari, postea confortari, & ad tēperiem duci, ne ultra malos humores generet, plurimūq; digerat humores. decet etiā cōfortare cor & corroborare & temperare, quando arteriæ in causa sunt quare humores ad ipsos defluunt: quæ si supra cranēū fuerint desiccatiuū cataplasma & emplastrū apponatur: his nō proficientibus incidantur. Nonnunꝙ dolor fit ex oculis propter sanguinis coagulationem in uenis oculorū clausi, unde plenæ uident̃, & oculorū essentia sanguinolenta: quæ passio curatur uini potatione, tamen balneo præcedente.

De ophthalmia & eius cura. Cap. V

Diximus quòd ophthalmia est apostema calidum nascens in cōiunctiua, & ostendimus curam

B apostematū solis oculis pertinentium. Vnde quia oculi sensum habēt acutissimū, & dolorē ferre nequeunt: nō temere curent̃ forti medicamine, sed cum rebus dolores mitigantibus temperentur: & fiat quod apponendū est humidū, & uiscosum in loco in quo cōgruit immiscetur, et palpebra suauiter eleuata medicina guttatim inijciatur: & ab initio nō nimio existēte dolore medicina aliquid stypticitatis habēs, sicut collyriū in quo est acacia, ponatur: etiā dissolutiuū & maturatiuū medicamen sicut crocus & licium, similiter & styptica ut myrrha & castoriū, thus masculinū. Collyriū quoq; si multū stypticū fuerit, humefiat cum albumine oui lacte & decoctione fœnugræci. Hæc si fecerimus, in uno die dolor remittetur, & passio decli-

C nabit: qua declināte balneū succedat, deinde collyriū priore fortius imponatur sicut nechiū, ut cōstringat & cōfortet oculos, tamen parū acuti collyrij cum eo misceatur, & parū à medio ad multū ascendat. Quòd si ophthalmia cum nimio dolore fuerit, ponat̃ ab initio collyriū, quod dicit̃ diarhodon asperon. Apostemate uero decrescente diarhodon erimoni imponatur, & calefiat sepissime, si nimio pūgetur dolore: & si dolor nō sit multus, sufficit semel aut bis: & hæc calefactio fiat de meliloto, fœnugreco, & similibus. Cataplasment̃ quoque croco, meliloto, coriādro, oui uitello, pane loto in uino. Sed si dolor nimius fuerit, misceatur illi cataplasmati decoctio papaueris: unguentū factū

D de croco, glaucio, licio, gummi, & aloe, ponat̃ supra frontē. Si calidus non fuerit multū, puluis molendini, myrrha, thus, albumē oui. Humoribus uero frigidis existētibus, sulfur, pix liquida, colophonia, & similia apponantur.

De curis petiæ tumoris & pruritus oculorum. Cap. VI

Ad petiam sanguis columbæ, pauonis, & omīa talia prosunt, si cum thure modico misceantur, & calefactio decoctionis hordei & hyssopi prodest. Oculorum tumores habentibus fiat cataplasma ex uuis passis sine acinis ex melicrato uel aceto. Si tamen apostema nō dissoluatur, radix trita admisceatur: tumore nondum dissoluto, succus columbæ apponat̃. Pruritus sicut apostema curetur purgatione corporis et dissolutiōe materię intus clausæ & collyrijs & cataplasmatibus & fomentatio-

ne aquæ calidæ in nocte oculis apposita, quæ mista cum oleo rosato, aut in ouo anatis pruritũ amputat, & oleum rosatum temperate calidum. Sæpe tamen oculis cholericam imponimus medicinam, ut lachrymas in eis prouocet, quibus lauentur, & mollificetur. Pruritus cum nimio fluxu humorum, medicina Erasistrati curatur.

De carne addita in oculis, & carbone. Cap. VII

Si carnes additæ propter uulnera fuerint, nõ curant̃ nisi chirurgia. Excrescentia superfluæ carnis acuta medicina curetur, sicut ærugine æris, sulfure, & similibus. Si aũt caro oculorũ excreuerit superflue, nõ curabitur nisi chirurgia. Quòd si locus ille tumidus fuerit, ualet allium, gummi cum glaucio & uino. Nascitur etiã quoddã in oculis quod dicitur carbo: & sicut apostema curatur: cumq; saniem habuerit, sicut uulnus curatur saniẽ habens. B Quidam medici ponunt in hac passione glauciũ, tragacanthum, rutam, succum maligranati, lanam ustam, uel myrrham & aloem. Huic passioni ualent ammoniacum cum aceto: & aliquando admiscemus cum eis de hordeo & zedoario, & capita muscarum è cera cataplasmata.

De pilorum ablatione & remedio contra casum pilorum. Cap. VIII

Pilis ablatis lauentur loca ipsorum aquis salsis, & aluminosis, & ungantur loca pilorũ palpebræ cum albumine oui, & alumine, staphisagria, & farsima, id est stercore colũbino. Collyriũ Sabor. ualet ad pilos cadentes palpebris. ℞. ossium dactylorum drach. iiij. cadmiæ drach. ij. Aliud Sabor. C ℞. antimonij, calcanthi, tragacanthi pondus æquale: quæ omnia cum melle temperata terantur, deinde collyriũ fiat. Si autẽ pilis cadentibus palpebræ appareãt crassæ, stercus muris cum melle temperatum ualet. superflui pili de palpebris sunt amputandi. Quidam dicunt pilos nõ ultra nasci, si radicibus pilorum extractis sanguine testudinis uel dentibus caninis locus ungatur.

De curis uulnerum & fissurarum in generali. Cap. IX

Oportet primo uniuersaliter dicere de uulneribus, postea uero de ijs quæ propria sunt oculis. Omne uulnus uel concauũ est tantũ, uel fissum. Si multũ fuerit fissum, trina intẽtiõe curat̃. Iũgamus utranq; partẽ, & suamus studiose, & curemus ne incidat puluis, uel pilus. Quòd si magnum uulnus D fuerit, nec pars parti possit cõiungi, nec sanies permaneat in concauitate: necesse est uti desiccatiuo medicamine, ut finita sanie uulnus impleatur carne. Cuius cõpositio est cum causa uel morbo uel accidenti. Si cũ causa sunt humores ad illud fluentes, corpus purgetur pharmacia, & phlebotomia: diæta quoq; tẽperetur: deinde desiccatiuis siccetur. Quòd si fuerit cum morbo, uel est simplex uel cõpositus. Si morbus simplex est, ad temperiem mẽbrorum reducatur. Quòd si cõpositus, uel ut naturam suam membrum egrediatur, uel uulnus multũ concauum sit: duplex medicina necessaria est: Vna qua mẽbrũ ad tẽperamentũ redeat: Altera qua cõcauitas carne repleatur. Impleatur ergo medicamine desiccatiuo mundificatiuo, quod humores coadunatos destruat, uulnusq; à putredine A mundificet. Sed ut per poros possint egredi superflua: unum subtile & continuũ quod latet sensum: aliud crassum, quod ut lutum in corpore coadunatur: & hæc duo superflua plus in uulneribus q̃ alicubi sunt propter loci defectionẽ atq; dolorẽ: necessaria est desiccatiua & mũdificatiua medicina qua mũdificetur & desiccetur superfluitatis sordities. Omne etiã uel concauum est, uel fissum. Et si fuerit cum accidente sicut cum dolore, mitigatiua conueniunt. Fissura si parua sit, non est necessaria nisi coniunctio partium. & parũ medico eget, nisi locus uulneris partem amiserit, quæ pars uel caro est, uel cutis, uel utrunq;. Si sit cutis apponantur styptica uel desiccatiua, ut locus induratus cuti assimuletur. nonnunquam acuta medicina facit B hoc accidentaliter. calida medicina paulatim apposita facit hoc accidentaliter, & locum sua siccitate indurat. Multa uero quantitas ex ea, loco apposita resoluit causam, & minuit fissuram. Quod si caro à uulnere sit amota, in initio carnis generatiua expediunt: deinde locus mundetur, & cuti assimuletur. sed omnem medicinam quæ uulneribus pertinet, necesse est siccam esse, quæ tamen propter causam quandoq; cauẽda est. Parum sicca erit ne multum siccans carnem prohibeat generari. Mundificatiuam quoq; siccam esse oportet: ut putredinem mundet uulnera consolidans. Desiccatiua esse debet ea, quæ generat carnem, quę nec mordicatiua sit, nec abrodens, sed styptica ut caro induretur, cutiq; assimuletur. Hæc est disputatio uniuersalis uulnerum, & medicina. C

De uulneribus oculorum, pustulis in cornea, panno, ungula, nyctalope, scabie. Cap. X

Sed uulneribus oculorũ, si sint simplicia, mundans & colans congruit medicina, quia humores cito undiq; fluunt ad oculos propter acumen sensus eorum. Quòd si uulnus cum tumore sit, uel nimio dolore: apponuntur collyria quæ thus & metalla usta intrant, & cataplasmata: nec pũgitiua cataplasmentur. Aliquando tamen si putredo uulneri insit, colatiua tunc apponat̃. sed intueri oportet an uulnus carnem rodat. inuestigãdum quoq; unde humores ad oculos fluxerint, quo perfecto caput & corpus expedit purgari. deinde apponere collyria desiccatiua, nullamq; facientia punctionẽ. sicut ea quę respiciunt casum, cum dantur cum D lacte uel cum decoctione fœnugræci. Si dolor est nimius, aliquando soporifera medicamina apponuntur: fluxu humorum cessante eis styptica apponuntur. præuidendum tamen ne unde egrediatur, cui egredienti stypticum conuenit adiutoriũ. Collectio & pustulæ in cornea nascentes curantur cum medicina maturatiua, mediocriter colatiua, sicut collyrio recipiente crocum, thus, myrrham, castorium, decoctionẽ fœnugræci. Quòd si non inuenerint & tumor nõ dissoluatur: calidum & aperitiuum appone, sicut sagapenum, euphorbium, & similia. Pannus in oculorum albedine natus colatiuo & mundificatiuo curetur. Quòd si fuerit subtilis, sufficit succus rubei papaueris uel deco

decoctum minoris centaureæ cum melle: si grossius, fortiora dari necesse est: sicut picē liquidam, æs ustum, nitrum, stercus muris, myrrham, sal ammoniacum, & similia. Si aliquid ex eo remanserit, gallam, acaciam & calcanthum appone. Ungula & scabies, si duræ sint etiam & ueteres, incidere eas uel excoriare optimum est: sin autem subtiles, appone æs ustum, florem æris, fel porcinū, sal ammoniacum. His nondum proficientibus appone medicinam putrefacientem atq; rodentem. Scabies non stypticis est curanda, quæ si sit cum uulnere magnoq; pruritu conuertatur palpebra & cum hoc excorietur. Est quædam passio oculorum quam qui habuerint uespere nō uident, quos phlebotomari conuenit de cephalica brachij, & utatur pharmacia, & clysteribus, & caput purgantibus, & gargarismate, & sternutatione mundificentur: uena auris incidatur. Oculis mel cum alumine, & sale ammoniaco apponatur, & cum hepate caprino fumigetur. hæc omnia prosunt.

De suffusione, egressu oculorum, & petia. Cap. XI

Suffusio, id est uisus defectio sic curatur. Caput, & totū purgetur, ut diximus: diæta sit tenuis, deinde utatur collyrijs, fœnumgræcum, mel, sagapenum, asarum, thus recipientibus, & opobalsamum, & ammoniacum. Valet quoq; si uena hepatica incidatur, & sanguisugæ tēporibus apponantur. Oculis extra exeuntibus, uentosa in collo apponatur, oculi ligentur & aqua salsa suffumigentur. Petia curatur sanguine oculis instillato. deinde cum albumine oui oleoq; rosarū ligentur.

De collyrijs multis ad oculorum ægritudines Cap. XII

Collyrium quod dicitur diarhodon in modum piperis ualens in augmento doloris ophthalmiæ. Recipe cadmiæ cerussæ ana drach. xiiij. rosarum drach. duodecim: gummi, amyli ana drach. i. tragacanthi drach. iiij. & s. aloes drach. vi. tempera cum aqua pluuiali, & informa. Aliud in initio ophthalmiæ, quod etiam uetustæ ualet. ℞. acaciæ drach. liiij. gummi. ʒ. xliiij. cadmiæ drac. xxxvi. tēpera cum uino pontico & croco ana drac. xij. tempera cum aqua pluuiali. hæc omia à Paulo sunt ordinata. Ista uero Galenus dicit. Collyrium ualens ad dissoluendū apostema die uno & ad ophthalmiam. ℞. antimonij, acaciæ ana ʒ. lxx. cadmiæ drach. ix. æris usti loti. ʒ. xxi. cerussæ drac. xij. s. myrrhæ. ʒ. vi. sulphuris drach. vi. castorei, opij, calcanthi usti drach. vi. gummi drach. ix. tempera cum albumine oui, in uno die est ualidissimū. Aliud Pauli. ℞. cadmiæ, croci, gummi ana ʒ. iiij. æris usti drach. xxiij. cerussæ, rosarum ana drach. xxij. polij, croci, calcanthi, opij ana. drac. vi. aloes, spicæ, castorij ana drach. i. & s. tempera cum aqua: curat uero ophthalmiam & humores uel propter dolorē, uel uetus uulnus fluentes. Aliud. Recipe cadmiæ, acaciæ, gummi ana drac. ix. antimonij triti drach. xx. castorij, opij, ana drach. vi. licij drach. iiij. & s. myrrhæ drach. xij. spicæ, aloes ana. drach. iiij. gummi, tragacāthi, calcanthi, ana drac. i. & s. tēpera cū uino & aqua myrtina. Aliud ad superiora. ℞. acaciæ, gummi ana ʒ. lx. plumbi loti. ʒ. xxx. spicæ, casiæ ana ʒ. vij. rosarum, cadmiæ ana ʒ. xxx. cerussæ, aloes, opij, croci ana drach. ix. castorij, licij ana drach. iiij. & s. tempera cum albumine oui: ualet uulneribus & omnibus passionibus oculorum uetustis & putrefactis. Aliud in statu conueniens cum albumine oui, in declinatione cum aqua. ℞. cadmiæ uetustæ & lotæ, cerussæ ana drach. vi. amyli, tragacanthi. ana drach. iij. hyoscyami drach. i. & s. croci. drach. vi. glaucij, sarcocollæ ana. drac. vi. opij, drach. iiij. tragacanthi drac. vi. croci drach. iij. gummi, opij drach. i. & s. tempera cum aqua. Aliud ualens in augmento ophthalmiæ. ℞. cadmiæ, cerussæ ana drach. xxiiij. rosarum. xij. gummi, amyli, ana drach. quatuor. tragacanthi, drach. iiij. & s. aloes. drac. iiij. tempera cum aqua. ualet in uulneribus & humoribus uulnerosis & lachrymis ex oculis fluentibus. Aliud ualens ad utilitatem ophthalmiæ & uulnera & adustiones & ad mundificandum uulneris putredinem. ℞. antimonij usti, cadmiæ, rosarū añ. drac. xxiiij. cerussæ tritæ. xxij. opij, drach. vi. tēpera cum aqua. Aliud nimio dolori conueniens & liquidissimos humores ad oculos fluentes reprimens.

Recipe rosarum, drach. vi. & s. opij, spicæ ana drach. i. Aliud. Rosarum, ʒ. xxij. croci. vi. æris usti & loti, drach. i. & s. tempera cum aqua pluuiali. Aliud. ℞. rosarum, drach. xviij. cineris locorum ubi æs funditur, drach. vi. croci, opij, gummi, ana drach. vij. tempera cum aqua pluuiali. Aliud. Recipe gummi drach. iij. tragacanthi, drac. i. & s. tempera cum aqua pluuiali. Aliud. Recipe myrrhæ drach. lxxv. rosarum xl. croci vi. & s. tempera cū uino. Aliud ualet nimio dolori, pustulis, concauis putridis uulneribus corneæ, oculosq; exeūtes comprimit, omnemq; oculorū passionem ad sanandum difficillimam curat. ℞. rosarum drachmas centumocto, gummi xxxvi. cadmiæ ustæ & lotæ drach. xxi. croci undecim: opij, antimonij, drach. ij & s. iarri spicæ drachmas tres: myrrhæ iij. tempera cum aqua pluuiali. Collyrium Pauli. Recipe æris usti, tragacanthi usti, ana drach. viij. croci ij. nitri drach. i. coquantur ad mellis spissitudinem. Aliud eiusdem, ualet scabiei palpebrarum ueteriq; ophthalmiæ, saniem & uulnera aurium & os rodentia sanat. Recipe æris usti drach. quatuor, myrrhæ, drach. i. & s. piperis, croci, uini ana drach. ix. Collyriū Pauli. Recipe cadmiæ auri & argēti drach. iij. tempera cum aqua pluuiali. Collyrium Oribasii ualens in initio ophthalmiæ & uulneribus. ℞. cadmiæ, cerussæ, tragacanthi ana drach. uiginti quatuor, antimonij, gummi usti ana drach. xxi. plumbi incensi, tutiæ, ana drach. uigintiquatuor. Aliud. Amyli. xvi. gummi ix. æris usti, tragacanthi ana ʒ. vi. myrrhæ, opij, ana ʒ. v. Aliud ualens ustioni, uueam egredi prohibens, subueniens uulneribus.

Recipe antimonij usti, cerussæ ana drac. uigintiquatuor, myrrhæ drach. iij. amyli xix. tragacanthi xij. gummi. vi. tēpera cum aqua pluuiali. Aliud ualens pustulis, uulneribus saniosis & nimio dolori duræq; ophthalmiæ. ℞. cadmiæ ustæ &

lotæ drach. uigintiquatuor, antimonij loti & usti. xviij. amyli iij. plumbi incẽsi & loti. xij. tutiæ, myrrhæ ana ʒ. xij. tempera cum aqua. Aliud. Recipe tutiæ drachmas duodecim, cadmiæ lotæ, cerussæ ana drachmas cxxiiij. antimonij incensi & loti. xviij. myrrhæ, opij, ana drachmas quinquaginta, & 5. tragacanthi drachmas duodecim. tempera cum aqua. Aliud utilissimũ asperitati palpebrarum & scabiei. Recipe calcanthi drachmas duas, cadmiæ drachmam unam. ad solẽ cum uino sufficiẽter agita. Aliud. Recipe cadmiæ drachmas vi. calcanthi grana triginta. piperis grana xxxviij. spicæ drachmam unam. & 5. al. drachmas tres & 5. cadmiam & calcanthum tritura sufficienter & agita, deinde cum pipere spicam commisce & tempera. Aliud ualens scabiei & humoribus ad oculos fluentibus ueteriq; passioni & pustulis. Recipe cadmiæ, gallæ, rosarum, gummi, croci, ana drachmas tres. opij, drachmã unam. omnia puluerizata cum uino ad solem sufficienter agita. Ad oculos caliginosos & sanguinolentos, aloes tritum cum albumine oui mirifice prodest: si aloem non habueris, canabis trita idem facit. Ad oculos dolentes, & lachrymas stringendas, & pruritum tollendum. collige mel despumatum, & ex eo unge folia hederæ, & superasperge puluerem fæcis uini, & oculis superpone per noctem. expertũ est. Item chelidonia cocta in aqua si ex eo oculi fomententur, dolentibus prodest. Item coriandrum uiride tritum admisto lacte mulieris oculis superpone, dolorem & tumorem tollit. Idem facit radix cucurbitæ agrestis trita & imposita. Fel caprinum cum melle antiquo mistum & inunctum oculorum caliginem destruit. Ad pannum de oculis abstergendum. Fæcem uini, album oui, rasuram ossis sepiæ facto puluere mitte donec corrodatur. Vitellum oui tritum succoq; apij mistum & inunctum sanguinem spargit. Absinthium uiride cum albumine oui tritum, & nocte suppositum, sanat. Ad tumorem calidum & sanguinem oculorum, anagallis cum albumine oui trita & imposita prodest. Ad tumoris calidi dolorem. Herbam uiolariam cum oleo rosarum tere, & superimpone: mire iuuat. Valet etiam mali granati succus. in uase æneo uel stanneo ipsum coque & cola, & cum opus fuerit utere. Item. Recipe plantaginis, centaureæ, ungulæ caballinæ, pulegij, betonicæ, chamædryos, apij, fœniculi radicum: partes æquales, pone in olla noua, & intra sparge fœnugræcum. Item licium in rodoscomate guttatim impositum ualet. Item auripigmentum, pannum subtile laneum, & fimum hominis combure in olla bene argillata.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI DE RENVM AFFECTVVM DIGNOtione & medicatione, authoris Christiani ut apparet circa finem capitis uigesimitertij. Docet autem calculi curam in genere primum: deinde peculiariter accommodat se puero ad quem scribit capite uigesimotertio. uel potius uigesimoquarto, & deinceps.

hominum naturas. Si non proficiant pharmaca, quorum ratio nobis constat (his enim omnino prius & confidentius utendum est) confugiemus ad illa quæ sine ratione experientia solum commendat, & ex tota substantia agere dicũtur (ut passer troglodytes, pellis leporis, & sanguis hircinus) parce tamen utemur illis. Christianorum refugium ad mysteria sua. 24. De particulari cura illius ad quẽ scribit, qui calidus, humidus, puer, imbecillis, gracilis, meatibus apertis, & facile sentiens erat: Et primum de ratione uictus in genere (non solum ad nephritin) secundum differentias temporum anni, hyemis, ueris, æstatis. 25. De ratione uictus secundũ ætates, in pueritia primum, deinde in senecta.

26. Differentiæ panis quatuor in materia (aliæ enim ex fermentatione & coctione sunt,) & quando quibus

A utendum: tum quæ carnes, & alij cibi qui conueniant, ut pisces, fructus. 27. De potu: & primum de uinis, quorum differentiæ sunt quinque, à colore, sapore, cõsistentia, odore & facultate. postea de aqua, & quæ sit optima: de frigidæ potu. 28. De exercitijs, eorũ utilitate, modo, & tempore. 29. De balneorum usu.

30. De particulari cura & remedijs pueri nephritici ad quem scribit. Triplex differentia frangentium lapides secundum intensionem. Quæ crassam urinam ducant, quæ frequentẽ, quæ stimulent excretoriam uim. De usu diureticorum. 31. Epilogus in quo etiam logicas quasdam quæstiones proponit, quarum solutionem in alio libro fore pollicetur.

CL. GALENO ASCRIPTUS LIBER DE RENUM AFFECTUUM DIGNOTIONE ET MEDICATIONE.

Christophoro Heyl Vuisbadensi interprete.

CAPUT PRIMUM



RENIBUS peculiare quoddam corpus est ex fibris & carne constitutum, quod cum alia parte nulla commune habent: & caro hæc densa est, ne sanguis qui ad ipsos defertur, facili momento diffluat, effundatur, & abeat cum urina. Carnea hæc substantia non paucas habet inuolutiones, in quibus quoniam singulatim per substantiam lapides plerunque generantur, fiunt in renibus grauissimi dolores. Ac de substantia quidem hactenus.

2 Figuram autem renes habent Græcę literę sigma (: & in medio cauitatem quandam, qua ex uenis & arterijs serosum excrementum excipiunt: nam ad eos non maiores solum uenæ, quarum aliæ in cauitatem hanc inferuntur, aliæ in membranam quæ renes circumtegit: sed uasa etiam capilli modo exilia deferuntur.

3 Dexter autem sinistro sublimior est: ne inter operandum, alter trahat, alter retrahat.

4 Iacent ad spinam renes, paulo altius quàm ilia: & ex se urinarios meatus duos emittunt, quibus ad uesicam urina deducitur. Sed habent isti quoque meatus propriam corporis substantiam, quam in alia particula nusquam reperias.

5 Duos autem natura renes produxit, non

C unum: quoniam alias excrementorũ species serosa hæc superfluitas non parum superat, quam attrahere, renum officium est: ignorare enim non debemus alteram cauæ uenæ partem ad corporis nostri inferiores partes deferri: quæ bifariam diuisa est, altera parte sursum, altera deorsum porrigitur. Pars quæ descendit, rursus tripliciter finditur, & pars una ad crura porrigitur, altera ad testiculos, & tertia ad renes. Procedunt uero & de corde arteriæ, quæ serosum excrementum & unà caliditatem immittant: ut ab eis renes calefiant. Sunt enim renes ita ex seroso isto excremento, ut ex atræ bilis succo lien: Quamobrem à dictis iam arterijs color renibus suppeditatur, quò natiuam suam frigiditatem possint euincere. Postquam uero serosum id excremen-

D tum renes attraxerunt, utilem qui in eo est sanguinem ipsi retinent, & ex eo nutriuntur: excrementum uero ipsum serosum à facultate segregatrice ceu inutile expellitur. Sed quandiu in uenis & arterijs hoc cum sanguine currit, excrementum serosum cum segregatum est, lotium nominatur. Proinde quod in sanguine utile est, id sibi renes in nutrimentum seruant: quod autem inutile, id abigunt. Atq; ut bilis uesica, bile delectatur: & lien, atræ bilis succo: ita renes seroso isto excremento gaudent.

6 Renum autẽ operatio est, secernere & percolare serosum excrementum à sanguine. Atque hic renum usus est. Non solum autem renum, sed & singularum partium operatio medico est

inuestiganda quòd ex operatione labefactata cognoscatur quæ particula morbo sit affecta: & ex modo urinæ operationis, quantum sit quæq; affecta. Omnis affectus quo ren laborat, quanquam νεφρῖτις dicitur, siue is similaris sit, siue instrumentalis, siue communis: proprie tamẽ λιθίασις, id est calculi morbus, νεφρῖτις appellatur.

7 Sunt autem lapidis huius quatuor causæ. Efficiens, materialis, instrumentalis, et finalis. nec operosum fuerit discere à rebus externis, lapidis concretionem, aut à frigore, aut à calore fieri uelut in cuniculis & canalibus, cum caliditas, materia non expirante & uentilata exoritur: uerbi gratia cum aqua in aliquo canali substat, calor quidã præter naturã accendit, quo dispergẽte id quod in aqua sic cœnosa partium erat tenuiũ, quod crassarũ est partiũ in terram durescit: manensq; eo in loco substantiæ lapideæ ex qua factus canalis est, adhærescit: & in lapidẽ sic colligitur. Subnectam aliud de eadẽ re notũ exẽplum. In lebete generari lapides sæpe cõpertum est aquæ parte quæ tenuis fuerat dissoluta, manente alia quæ crassa et terrena est: ea enim lebetis uel alius æris corpori affigitur, & lapidescit. Verum in nobis lapidem frigus nõ parit: neq; enim fieri potest, ut uiuo corpori tantum frigus accidat, quo concrescere ualeat in homine lapis, quẽadmodum fieri in externis uidemus: quo fit, ut à calore lapis in homine generetur, eoq; uel uehemẽti, uel tepido. nam si crassa materia est, sufficere potest tepida & moderata caliditas, & quæ naturalis est, ad firmandã & indurandã terræ modo crassam hanc materiã: est enim crassities ad generandum lapidem singulariter accõmodata. sin tenuior est, uehementiori tum planè indigebit caliditate, siue naturali siue præter naturã, qua durescat in terram: siquidem calor tenues materiæ partes euaporare facit, atq; ita, ubi ualuerit, lapidẽ cõformat. Ideoq; simpliciter à calore fit in nobis calculus. Materialis causa est crassus aut glutinosus succus, uel utroq; modo uitiatus. Instrumentalis causa est ren, aut uesica, uel pars alia quæ generando lapidi sit opportuna. Finalem causam haud aliam dicas quàm lapidem ipsum.

8 Sanguis qui in renes deriuat̃, aut crassior seipso est, aut pituitosior, aut magis ad bilem atrã, aut rufam demutatus: ferturq; ad eos, per uenas & arterias, uel in cauitatẽ, uel substantiã: eò delatus si quantitate uel qualitate, uel cõsistentia excedat, astringit̃, detentusq; cõcipit caliditatẽ præter naturam: hæc caliditas præter naturã amplius eum densat, agglutinat, & assat, assatumq; ipsum in terram & lapidẽ cõmutat. Qui itaq; arbitrantur in renum cõcauitate lapides cõsistere solum, cum per urinæ meatus transeunt, discruciari laborantes dicunt. qui uero in ipso renũ corpore gigni lapides arbitrant̃, quo modo & in arthriticis nodi gignuntur: non solum cũ pertranseunt, sed & qñ generantur, & qñ renũ concauitatẽ subeũt, dolorẽ excitari existimant. Sed fieri utroq; modo lapides posse nobis satis persuasum est, cũ succus tenax & crassus tẽpore aliquo assatur in ijs atq; exiccatur. De-
A monstratum est enim in cõmentarijs De facultat. natur. renem trahere ad se quicquid in uenis serosi uel tenuis cum sanguine permistum reperiatur. Sunt igitur meatus qui in renis uentriculum illud transmittunt: qui siquando latius distendant̃, crassius unà aliquid colatur: quo calefacto et exiccato in renis cauitate, lapidosam consistentiam assequitur. Quamobrem si uirtus segregatrix ipsius renis id omne in urinis expulerit, arenosum in ipsis sedimentum proueniet. Si infarctum id & solutu difficile sit quod renis cauitas suscepit, ad eum aliud adhuc nõ absimile ex caua uena immissum deinceps colligitur, & augescit (circumlinitur enim semper quod affluit ei quod iam adest) itaq; lapis non adeo contemnendæ magnitudinis exurgit.
B Quod certe ut facilius fiat, renũ tẽperatura iuuare potest haud mediocriter, si calore naturali hæc ceu feruens & acris fuerit. Atqui si foramẽ & meatus qui ex uena caua in renẽ peruenit, fuerit rare factus, & sanguis humens, neq; crassus neq; glutinosus: tum urina fiet cruenta.

9 Cum itaq; ex sola pituita tenaci & crassa, lapidosorum corporum que in renibus coguntur, substantia coiuerit: color inesse solet, quẽ cineritium nominamus, nõ absimilem lapidi quem fieri in aquis natura calidis uidemus. Hæ nanq;, si tepidiores sint quàm pro temperatione, tofos uidentur producere, neque alij causæ acceptum feremus, quòd pueris in uesica lapides generẽtur, ætate uero florentibus in renibus. Quippe cum actiones
C naturales in pueris sint omẽs fortes, fusa est in eis & dissoluta succorum crassities. Contrario modo se habent qui ætate processerunt: nam actionibus in hisce debilioribus coacta est crassities succorum. Apparet uero in externis id quoq;, cum uidelicet quę crassam naturam habent, per tenuia foramina traijcere institutũ sit. quæ nanq; fusa calore sunt & colliquata, trãsire ocyus uidemus: quæ uero liquata non sunt, traiectioni resistere. harum materierũ exempla nobis sunt, pix, resina, adeps, cera, & mel. Cum itaque in pueris calidum innatum abundet, & fortes sint actiões: crassitudo materiæ diluta in renes delabitur, indeq; facilius in uesicam transit, non parum etiã adiuuante ad transitionis celeritatem ipso actionum robore. in uesica autem existente frigida (membranosa est enim
D paucíq; sanguinis, & ampla intus capacitate) rursus consistit, densaturq; ad eam crassitudinẽ quam paulo ante mõstrauimus: cõsistentiæq; principiũ sumit, si diutius in uesica cõmoretur. Ipsa siquidẽ glutinosa credibilius est ab innato puerorum calore facilius subigi, atq; ideo magis uniri, consistere, & condensari. Adijciamus si libet, puerilium urinarum crassitudinis causam: quæ certe alia non est, quàm puerorum uoracitas, & mouendi excessus mox ab alimento assumpto, dum scilicet pueri ferociunt & ludunt. In lactentibus autem ipsa etiam materia plurimum facit: in adultis enim qui caseo & similium rerum esu delectabantur, lapides in uesica & renibus fieri cognouimus. Id circo λιθίασις uesicę, puerorum est morbus. Haud enim

potest

potest uesicæ collũ tam angustũ in maioribus cor A
poribus esse, ut humorẽ crassum remoretur. At ta
men ne putemus solum hoc sufficiens esse ad lapi
dis generationẽ, nisi calida intemperies eodem ac
cedat: quæ calorem ignitum habeat, non tempera
tum aut modicum. In fœmellis ceruix uesicæ dehi
scit in membrũ genitale, & breuis simul est & lata
ut nullo labore crassa per eam ipsæ meiant quæ in
urina feruntur: quæ dum masculi retinent, quod
sæpe fit, & propter longitudinem & angustiã cer-
uicis uesicæ, materiam uesicæ æstuanti præbent
ad calculi generationem.

10 Signorum alia sunt, ut ita dicam, scientialia,
alia artificialia, alia propria. Proprium signum est,
quod certe, nulloq; medio morbum ostendit. in re
nibus nẽpe lapidem: ut cum arenæ in matula subsi
dẽt, tunc planè ostendať lapidem in renibus esse: B
signumq; hoc constans est & proprium. Quoni-
am uero affectus quidam complicantur, dicemus
quoq; de signis communibus. Cum lotium quod
excernitur sanguinolentum est, signum id esse cõ
mune poterit, uel quòd uasorum apertio sit, uel ru
ptio, uel erosio, uel imbecillitas, uel dilatatio, uel
aliud quicq; eiusmodi. quoniam ruptionẽ exqui-
siti & confertim egesti sanguinis uacuatio sequi-
tur. In apertione paulatim fertur, & sanguis tenu-
issimus emanans cruentã urinam efficit. Si quo-
cunq; tempore & momento sanguis egeritur, im-
becillitas uasorum est: Sin unà cum sanguine aliæ
quoq; crassitudines excernuntur, dilatatio. Nam
sanguine aquoso, manifestum est certumq;, lapi-
dem consistere. Quòd si sanguis qui excernitur sit C
crassus, manifestum est, ipsius crassitudinem uio-
lenta coactione in lapidem esse abituram: si (ut
fit) in ea sanguis uacuatione frigidã exhibeamus,
ut uena coartetur & cõniueat, atq; arteria: nec am
plius sanguinem ullum in renes ingerat, qui cogi
istic possit. fit enim proculdubio in hisce sanandis
error: nam uenam coartant frigida, ut alium san-
guinem inferre non sinat: uerum ea ratione fit, ut
sanguis qui in renibus commoratur, causa sit. Pro-
inde si frigidam exhibeas, uenam cõprimes qui-
dem, ne sanguis deferatur: sed qui renibus illatus
iam est, mox indurabis.

11 Ex stupore cruris quod à rene secundũ lum
bum porrigitur, cognoscere poteris quis ren labo D
ret. nam si dextrum crus stupor occupabit, de-
xter ren ægrotat: sin læuum, sinister. Est uero stu-
por, sentiendi & mouendi in particula aliqua dif-
ficultas, qui fit in crure: quia uena quæ ad inferio
ra demissa est, triplici ramo diuiditur, quorum u-
nus cũ arterijs ad testiculos uadit, & uasa semina-
lia: alius renes ingreditur: tertius ad crura porri-
gitur. Cum igitur in renibus lapis generatur, unà
tum afficitur uena quæ ad crura descendit: sunt e-
nim ambæ ab una sobole cauæ uenæ, quam infe-
ris partibus natura distribuit. igitur uena quæ ad
crura porrigitur, repletur: qua turgente, stringun
tur neruus aut musculus. cum stringitur neruus,
animalem spiritũ ad crura non transmittit, unde
sensu crus priuatur & prouenit stupor. Porrò ex
testiculo quoq; secundum lumbos retracto, scire
possumus renem esse affectum. Si nanq; dexter te
sticulus retrahatur, dextrum pati renem argumẽ-
to est: si sinister, sinistrum. nam à iecore & corde
uena & arteria ad renes procedit, quæ in eorũ ca-
uitatem inseritur. uasa autem seminalia ad testicu-
los feruntur. Quando igitur lapis in renibus gene
ratur, uena illa & arteria distẽduntur, & seminalia
uasa quæ ad testes pertingunt, atq; ita per cõpas-
sionem testes retrahuntur.

12 Tradunt aliqui, uehementis doloris ratio
ne uigilias uomitum excitare. debebant itaque
podagrici, lippientes, & qui uehementi dolore,
& uigilijs exercentur uomere. Sed ea de causa hi
non uomunt, immo propter posituram renum: ij
nanque positi sunt secundum spinam post intesti-
na, & uentriculum: quapropter facta in renibus
uiolenta quadam distentione, per copulas affe-
ctio ad intestina & uẽtriculum digreditur, indeq;
affectione ascendente, sequitur subuersio. Quo-
niam uero cum lapis subest, quædam uelut titil-
latio oritur, naturaq; ad eius quod molestat expul
sionem stimulatur, ideo spiritus occurrunt: qui-
bus irrumpentibus in fistulosam pudendorũ par-
tem, ipsam immaniter tentigine afficiunt. nam in
omni motione naturali sanguis & spiritus con-
currunt, qui sunt naturæ uehicula.

13 Cum uero demonstratum sit cor, iecur, &
renes in concauitate non sentire, in superficie au-
tem sentire (quoniam in superficie nerui sentien-
tes feruntur, in concauitate uero nulli sunt) quo-
modo hæc dolorem persentiscunt. An quia gra-
uatur cauitas, ideo dolor exurgit: extenditur nan-
que membrana quæ foris est undiq;, quod caui-
tas interna sit repleta, et sic extensa membrana do
lorem facit. In renum itaque substantia dolor iti-
dem generatur, quando concauitas ex lapide gra
uata est, & circumtenditur, profertq; consensio-
ne dolorem in superficiem: quippe quæ neruos
sentientes habeat & membranam. In meatibus au
tem urinæ, & qui neruosi sint & sensibiles, dolor
fit sæuissimus. Dolor præterea uehementissimus
fit in renibus, propterea quòd eorum cauernulæ
non sunt latæ, sed angustæ, & renes ob firmita-
tem substantiæ non diducantur ut uesica. Cur re-
num lapides magna ex parte minores sunt æqua-
les, & molliores? nempe quia diuturni non sunt.
Qui calculo laborant, his primo urinæ sunt aquo-
sæ: cum enim sit obstructio, ceu per cribrum efflu
unt, post arenosæ, demum calculi excernuntur,
cum dolor cessauerit. Sicut in mulieribus parien-
tibus ad fœtus egressum partes dilatantur: ita hic
uiolentia, renum substantia fatiscit, & egreditur
lapis. cum ad renum cauitatem subit, in mẽbrana
quæ istic substat, quoniã facili sensu est, dolorem
mouet uehementẽ. & multo magis cũ meatus uri
næ ingrediť, ꝓpter angustiã & sensum eorũ. quan
tisper enim in renũ corpore sistitur, non multum
solicitat, quoniam, ut diximus, eorum substantia
sensibilis non est. Sæpe nanq; pre magnitudine in
collo uesicæ detenti lapides in extremum pericu-
lum

lum doloris acumine patientes agunt, nec urinas sinunt excerni. Vidi ego quendã, cui per alias uias elapsus, in uiriliũ extremitate lapis hæserat, minimumq; abfuit quin urinæ difficultate, & dolore acutissimo homo interiret, nisi angusto tandẽ forcipe eximere potuissemus, sectionẽ per longum superne moliti. nam urinæ meatũ, nisi urgeat magna necessitas, incidere nõ oportet, ne fiat fistulosa pars ea & urina profluat.

14 Inuenias tamen qui dolorẽ non habẽt, nec sanguinem mingunt, quibus calculi in renibus cõgesti non sunt. At tenues arenulæ haud magno negocio quidẽ excernunt: quod qui faciũt, nec ęgrotare se putant, quando dolorem nullum sentiant. Verũ nihil est hac in re contẽnendum, cum tẽpore omnia grauiora reddant. Lapides & arenulę colore differunt, tum ob caliditatẽ, tum ob materiã: nam ut quidq; illorũ longiori tempore retinetur, ita rursum, flauum, rubeum, aut nigrum efficitur. Haud aliter & à succis fiunt lapides & arenæ, colore uel sandarachę simili, uel nigro, uel pallido, uel alio aliquo colore pro succorũ uarietate. Fiũt aũt lapides in cõcauitate renum, in eorum substantia, & ubicunq; fieri commode possunt, aut parui aut maiusculi, interdum pauciores, interdum plures. Differuntq; magnitudine, figura, colore, asperitate, & multitudine. Nigros siquidem inuenias, & subalbos, & pallidos. Ac rotundi, lenes, & parui, facile excernuntur: maiores, uel aliter figurati, & maxime oblongi & asperi, difficulter. Arenulæ uero prodeunt & egeruntur dum fiunt lapides: cum facti sunt, haud fieri potest ut efferantur, quia in lapidem sunt coacti, nisi natura ipsa ultro conterat & excernat, uel ars per medicamentum tritorium naturæ auxiliata, conterat & euacuet ipsas. Nemo uero ignorabit colicum & renum affectũ unà plerunq; incidere. Deprehenduntur tamen proprijs signis: nam aluus exonerata colicis medetur: nephriticos quoq; à principio mitigat. Et iam aliqui dederunt medicamentum quo aluus subducta, & dolor cessauit primo, secundo, & tertio die, quarto prodijt lapis. Cum autem simul inciderint renũ & coli affectiones mutuo particulæ communicãt intensione & remissione: tenduntur enim ob cõtinuitatem partes haud aliter quàm funiculus: & neque superne ructus ullus, neq; infra flatus quispiam exit.

15 Si renum affectus subito inuadat, & qui laborat cibo nuper refectus sit, cibiq; adhuc sint incocti sicut ęgrotus eos ingessit, aut semicocti, uel succorũ multitudine corpus grauatũ habeat: oportet ante aliã curationẽ, uel potius mitigationem, nisi quicq̃ impedimẽto est, uomitũ prouocare. Mox si in intestinis excrementorum superfluitates fuerint, per idoneos clysteres extrahere, modo nihil obstet. Postea si totum corpus plenum fuerit, considerare quisnam humor sit, qui ipsum repleuerit. Atq; si sanguis is est euacuationem instituere oportet, cum nihil impedit: minorem tamen multo quàm plenitudo desiderabat. Quid ita? quoniam lapidem non planè statim eximere possu-
A mus, potissimum cum magnus est: ideoq; oportet pleniorẽ sanguinis euacuationem cauere, propter consumptionem, quę tempore adhuc aliquo in corpore futura est. Sin quatuor humores abundauerint, potius uena incidenda est ante purgationem, q̃ purgandũ ante uenæ sectionẽ. Quoniã si per sanguinis missionem corpus prius uacuatum fuerit, purgãs medicamentũ exhibitum uenas & arterias, & inanes corporis regiones inuenit non oppletas: quo fit, ut absq; ullo impedimento in totum corpus dimanet ad attrahẽdum succos facillimeq; fiat eorũ euacuatio per uasorum spatia & fusionem tenuitatemtemq; succorum. Nam si uasa sanguine repleta sint, & purgatiuũ dederis: non poterit propter plenitudinẽ in corpus differri: un-
B de fit, ut substet, & nihil efficiat: aut si quicq; facit, male faciat. Ex medico quidem purgans medicamentum: ex natura uero totum negociũ pendet: hæc enim à purgante medicamento excitata, facultatẽ segregatricẽ aduocat, qua segreget inutilia ab utilibus. ac utilia quidem retentrix facultas detinet: inutilia uero expultrix facultas expellit. non oportet aũt simul uenam secare & purgare: uerum prius sanguinem detrahere, deinde uirtutem pulchre refocillare. quoniam ipsa nos gubernat, & medicamentis auxiliatur. medicamẽta eñ per seipsa nihil efficiunt, ideoq; corroboranda uirtus est, ut possit natura uti purgatiuis exhibitis ceu instrumentis, atq; quod decens est, perficere. Huc præterea accedit q una cum sanguine multũ
C è uitali spiritu excernitur: quo excreto refrigescit totum corpus, & opera naturalia deterius obeuntur. Ea propter uirtutem prius refocillare oportet, deinde medicamentum purgans exhibere.

16 Sed quia affectus renalis est, & materia ex qua lapis generat̃ crassa, materiamq; crassam sursum reuellere prõptum non est, magis uero ad ipsius lationẽ spectantibus deorsum uacuare expeditum: ob id si ualida sit uirtus, uenam quæ in poplite est aperiemus, uel quæ ad malleolos: sin imbecillis, uenam quæ est in cubito. nã si uirtute debili infra euacuabimus, retentrix facultas, quæ est imbecillis, non retinebit: sed uniuersa in præceps rapietur, & partẽ assiduo defluxu impetet, succis uidelicet in locũ imbecillẽ perpetuò procũbenti-
D bus. Quapropter cum firma uirtus est, conuenit ex uena quæ in poplite est, sanguinẽ mittere: cum debilis ea est, reuellere ad superiora. Quam uero ob rem, si quæris: ne materiæ plus in renes deriuetur. Hinc est q cum cibaria, pituitam, & succũ uomitu euacuauimus, tranquillitas quædam fiat & leuatio. Eijcitur nanq; cibus & pituita quæ uentriculum grauent: à uẽtriculo autem renes stringuntur & urinæ meatus. quo fit ut grauior sit oblæsio. Sunt itaque primum ista diluenda, quæ stomachus excipiens ceu debilior distendebatur & premebatur: quibus euacuatis leuatio sequitur, & nõdum tamen perfecta liberatio. Vacuamus etiam per clysterem excrementa: ne colo & reliquis intestinis constrictis atque grauatis, unà quoque ren laborans stringatur prematurque, atque sic

amplius doleat. Quod manifestum est, quia stercoris obstructione renes plerũq; exasperari compertum sit, enematis iniectione renalem dolorem esse mitigatum: uel quòd ab ea uacuatione ren aliquis nõ sit amplius cõpressus: uel quòd ex stercore nulli postea flatus prodierint: qui in renes impingentes, ipsos ut imbecilles comprimunt & extendunt. Sed neque sanguinem, neque alium succum plus æquo relinqui in corpore par est, ne multa hinc renis uasa distenta plus doloris concitent. Quæcunque enim uel dolent, uel calent, uel extenduntur, per uehementes & acutos dolores, ad se materias accersunt.

17 Proinde doloribus siue repente siue pedetentim in renem incursantibus ex commemoratis iam causis, ilico, nisi quid prohibeat, aluum decocto aliquo eluemus, caricarum, fœnograeci, aristolochiæ, & similium. ac, si uacuatum satis est, bene uertit: sin minus, bis, ter, aut amplius uacuandum enemate est, sed ex eorum decocto quæ conducibilia sunt, & familiaria naturæ ægrotantis, ne angantur grauenturq; renes & uiæ urinales. Posteaquam autem aluus satis excreuit, iniicienda sunt quæ urinæ uias dilatare, renes laxare, calculum deprimere, & morsus mitigare queant. utilis ad hæc materia est oleum anethinum, in quo eliquatus sit gallinaceus adeps quamrecẽs: maximopere uero phasiani adeps, uel butyrum recens, aut similium aliquid. Quæ si in promptu non sint, fœnogræcũ, & altheæ uel radicem uel semen, aut similium aliquid decoquentes oleo iniiciemus. Nam hæc omnia uias dilatant, & lapides deprimunt, necnon doloris uehementiam mitigant. Sed horum usum frequentius assequitur is qui exploratum habet naturalium facultatum uigorem: immoderata nanque emollitio & laxatio uirium robur exoluit: quod solatur & perfecte curat uniuersum dolorem.

18 Post uomitum autem & enemata conferet locum qui affectus est fomẽtis humectantibus & relaxantibus delinire, quantisper lapis in rene hæret: ut interim tamẽ curemus, ne ut dictum iam est iis abutamur. huc faciunt etiam cucurbitulæ, quæ sæpe lapidem celeriter adeo transferunt, ut subitam eius mali leuationem possint comparare, lapide nimirum in locum ampliorem translato. quapropter supra à renibus initium faciẽdum est, procedendumq; ad inguina per obliquam ilium positionem, quo loco frequenter dolores incedunt: quod cum institueris, nihil est utilius quàm partes eas in laborantibus prius calfacere, postea cucurbitulas admouere: alioqui lapis sicubi maior fuerit inuẽtus, arctius figitur: cumq; uiolẽtius urgeat, nõnunquam periculum haud mediocre doloribus accersit. quare fomentare iam nominatis insessionibus proderit, si mali communicatio ad pudenda usq; processit, atq; id cum fœnogræco, althea, semine lini, anetho, gummi, & similibus aqua diligenter incoctis & dulci oleo infusis. Conducet etiam emplastrum ex triticea farina, aut hordeacea cum lini semine, & fœnogræco, & melle, & oleo anethino, & gleucino: quæ cum decoctione prædicta elixabimus, inspergentes in ipsa cataplasmatis ebullitione, radice altheæ pulcherrime tusam, & cribro discretã, terebinthinãq; resinã cũ desinit feruere decoctũ, aliquib. adiectis seminibus quæ flatus discutiunt, si quam subesse inflationẽ intelleximus, ut sunt anethi et apii semina, fœniculum, ligusticũ, & alia id genus, pro laborantis temperamento. Fiet aũt cataplasma optimum ex lupini farina decocta cum musto, si à decoctione peucedani radicem minutissime leuigatam admisceamus & chamæmelum. Bonum etiam fuerit panem musto incoquere, & cataplasma inde lumbis imponere et ilibus. Nec minus proderit uesicã & partẽ sub umbilico cataplasmate cõfirmare, ita ut crebra permutatiõe alia atq; alia subinde admoueamus, priusq; refrigeratũ sit primũ quodq;. Sin illud non liceat, tepefactorio possumus alio, ne refrigescat quod impositum est, fouere: quod fiet si pro fomento cataplasmati aquam calidam in uase testaceo uel æneo imponamus.

19 Post alui uero & supra & infra sicut diximus euacuationem, phlebotomiam, purgatiões, fomenta, insessiones, si dolores adhuc perseuerẽt, uti lotionibus cõuenit dulcium aquarum: Aliqui enim uel ante uenæ sectionẽ & reliquam curationem, balnea admiserunt, propter doloris immanitatem: Aliqui, si nihil esset quod urgeret, post sanguinis missionem & curationẽ reliquam. Balnea sane humectant & calefaciunt euestigio: calida siquidem aqua lenitionẽ affert cum calefactione: In quam tamen qui frequentius se demittit, inescatus lenimento doloris, quod lotio præstat, corporis uires exoluit, quarum est, quicquid corpus infestat, propulsare. Eam ob rem cum cessauerit dolor, auferenda balnea sunt, & fomẽta adhibenda: sed ex medicamentis quæ patientis naturæ sint accommodatissima. Cæterum si excessu doloris homo periclitetur, commodius erit stupefacientib. succurrere: nam aliter ea nunquam usurpes, quippe cum dolorem non sedent, sed sua temperatura sensum auferant, ipsumq; fallãt: quæ dispositio postea multam curam requirit.

20 Quòd si spiritus aliquis crassus qui unà cũ calculo morbum exasperet, suspectus nobis fuerit: prędictis fomentis & cataplasmatis admiscebimus quę digerẽdæ inflationis naturam habent, sicut rutã, anethũ, nigellam, & hoc genus alia, diligenter attrita, post perfectã ebullitionẽ. Sed eadẽ ad fomẽta & enemata aquæ incoquimus absq; contusione. Verũ si omnibus his peractis adhuc lapides fixi permaneant, à multis cibis atq; potionibus laborantem abstinebimus, & iis quæ ipsius naturæ sunt minus conuenientia, ne uenter repletus, grauatus, inflatusq; ciborum succorumúe aut flatuum copia, repletiõe hac renes premat & uiolentia prosequatur. Sint uero quibus utitur omnia modica, & laborantis naturæ tum qualitate tũ quantitate accommoda. Veruntamen si laborantis natura calidior esset, & sitis uehemẽtior, uacuato prius toto corpore & ab excrementis repurgato, si

to, si qui frigidam bibere essent consueti, & phlegmone nullum uiscus laboraret, nec esset imbecille, frigidã sæpe copiose exhibuimus. renibus ita corroboratis, e uestigio lapidẽ impactum expulerunt. In corporibus autem plethoricis, id est quæ succorum quatuor multitudine æqualiter redundant, & excremẽtosis, & in quibus uiscus aliquod debilitate affectum est, & ea sorte alijs, frigidę potio cauere conuenit.

21 Cæterũ si & post hæc omnia quæ diximus lapis adhuc firmiter resistat, utendum est medicaminibus quibus conteratur, quæ tepidam facultatem habeant. Nam calida urinã prouocantia indurant lapidẽ. Quæ uero tepidã uirtutẽ habent, paulatim cõminuunt lapidẽ, nec eum duriorem reddunt: eiusmodi sunt damasonium, petroselinum, polytrichon, & his similia. Sed forsan dubitaret aliquis, quomodo lapidem possint cõminuere quę tepidam facultatem habẽt. cui nos respondemus. Lapis ille cum ab intemperie & ualido calore sit factus, ob id merito exhibemus quæ uirtutem tepidam obtinent, ut quæ cõtraria ijs sint, à quibus lapis est effectus. Sic enim multo tempore attenuamus, conterimus, & superamus ipsum. Quippe tepida ceu minus calida sunt ualde calidis contraria. Diureticis ergo & ualde calidis uti non poteris, ne crassam materiam eo pacto indures, & in lapidem celerrime commutes. Cũ uero lapis nondũ constitit, neq; magnus est, sed tantum obstructio fit ab arenis, uel crassis & tenacibus succis: tunc calida secure porrigas, & quæ obstructiones aperiant, haud ueritus ut lapidescat materia. Cũ nanq; arenæ sint quæ obstruunt, si porrigas quæ aperiant, & calida, qualia sunt medicamentum ex aniso, & pipere, apium, phu, & similium aliquid: euacuabis & dissolues eas.

22 Ad prædicta uero breuiter delibandum est quomodo quis se à lapide præseruet, ne qui iam curati sunt, eos noua lapidis generatio rursus perturbet. Quoniam autẽ eorum qui calculo infestantur, sanabiles sunt alij, alij minime, In pręseruando maximi sunt momenti ciborum moderatio, & bonę coctiones. Satietates enim & cruditates hunc morbum non exacerbant modo, sed etiã pariunt, ubi nullus erat. Quapropter nihil est feruens ingerendum, quod renes possit & uesicam calfacere. Nec minus cauendum à cibis est, qui duram substantiam habent, & qui ægre diuidũtur: quiq; substantiam habent pleniorem, & qui multum nutriunt, tum qui celeriter in corpus distribuuntur ante perfectam concoctionẽ, item qui innatant, difficulterq; descendunt & inflant, ac uias oblimant, aut aliter corporibus adhærescũt pertinacius. Nã uentriculus talibus alimentis grauatus, cruda hæc ad iecur & renes detrudit: incoctum autem alimẽtum à uentriculo confertim illuc expulsum planè concrescit, atq; cum tumultu semel atq; iterum in renes delatũ in lapides mutatur ob renis alicuius diuturnam contrectationem. Sed ad uictus rationem transeamus. Vinum ita sit tenue admodum & album, non ualde uetus: dulcia uero & nigra

A uina calculosis sunt inepta. Aqua uero in uniuersa uictus ratione sit purissima & purgata: nam fluuiales, palustres, & omnes aquæ stagnãtes, quæq; segniter fluunt, & non commouentur, omnes generare lapidem possunt: atque ut paucis de omni uictus ratione præcipiam, in frigidis & carnosis, diæta sit planè extenuans: in calidis & gracilibus media sit inter extenuantia & crassefacientia. Ab aliorum omnium saturitate cauere conuenit, & præcipue dulcium, & caseaceorum nutrimentorum, & crassorum, & tenacium, & pinguium. Cruditatemq; ideo aduersissimam esse putãdum est, in quam si calculosorum aliquis incidat, somno diutius aut quieti prorsus indulgeat. Præcordiaq; proprijs manibus calefaciat, donec concocta rite omnia sint, & infra subsidant. Locis temperatis & in aere puro fiant exercitia, ab his quibus liberum tempus est. Irascantur interdum. Deambulationes & exercitia laborantis naturę conueniant: est enim desidia in primis noxia. Sit

B aluus soluta assidue, modo ne instet aliud quippiam: cum nanque hæc probe excernit, urinæ profluent libere. Vnctionibus si oportet uti, quando oportet uti, sint quæ contra locorum iniuriã queant corpus communire: ut sunt rubrificationes, dropaces, & quæ ex sinapi fiunt. Aquarum etiam quæ natura calidæ sunt, usus prodest, cũ nihil prohibet. Considerare etiam accuratę debes de sanguine mittendo cum tempus adest, si corpus sanguine plenum uideatur. Exundans enim nisi euacues, confluet in partem imbecilliorem. Sed purgatione uti præstiterit in his qui malis succis sunt

C repleti. nam eos qui inordinate degũt, & succum crudum in superiori uentriculo multum colligũt, à cœna frequenter uomere facito, nisi sit quamob rem prætermittant. Post prouidentiam quæ toti corpori adhibetur, offerre conuenit medicamenta quæ renes purgent: sicut quæ obstructiones aperiunt, quæ urinas crassissimas, uiscosas, fœtidas, multas à uenis, renibus, urinæ meatibus, atq; uesica educunt: quo numero sunt cardui decoctum, & alia prædicta. Sæpe magno usui sunt quę urinam mouent.

23 Hæc ut omnes homines cõmuniter moneremus, non ut exquisitam disciplinã traderemus,

D sunt à nobis exposita. Quamobrem tibi gratia est habenda, quoniam per te sunt omnia tradita. Porrò constat ab unicæ qualitatis indicatione, parari perfectam & exquisitam curationem non posse: sed indigere nos alijs adhuc, quæ ab eo genere nõ sint aliena: hinc est quòd cõmonefacere de illis etiam aliquid operæpretium putemus. Variatur enim medicatio pro diuersis causis, ætatibus, locis, anni temporibus, habitibusq; & dispositionibus, moribus & consuetudinibus, temperamentis, sensus facilitate & difficultate, partium differentijs, positionibus, alijsq; id genus compluribus. quam obrem opus est optimum medicum diligenter id nosse, quod secundum naturam est. Qui nanq; id quod secundum naturam est, exquisite perspexit: celerius cognoscet id quod est præter naturam.

Neq;

Neq; enim prædictæ causæ solummodo medicationem uariant, sed proprij quoq; naturarum modi, propter quos medicamenta, uel plurimum probata sæpe nihil cōducunt atq; fallunt: quapropter obseruare cōuenit. Et nisi curationi obtemperēt, uel ob naturæ proprietatē, uel affectus apparatū, uel aliud quippiā: his relictis ad alia quæ utilia plane sunt, transire necessarium est. Id quod faciendū non tantum in medicamentis est, sed & alijs omnibus tum auxilijs, tum uiuendi institutis. Verum memoratas hic proprietates, aliaq; complura quę dicta non sunt, non omnes qui ad medicinæ sacraria accesserunt (licet sint alioqui argutissimi) sed qui semper ægris assistent, & explorabunt naturæ motus, assequentur. Proinde si ob latentem aliquam & propriam causam, artificiali cuiusquam iudicio, medicamenta non respondeant, oportebit propter urgentem uehementiæ necessitatem, ad ea quæ ueteres obseruatione tradiderunt, & quæ à tota substantia operantur, descendere. Ea dico quæ experimento, & exercitatione haud rationali sunt reperta: quod genus sunt passer troglodytes, leporina pellis combusta, sanguis hircinus, & alia infinita tam simplicia, quàm composita medicamenta. Quorum multa abominanda sunt, quæ exercitatio non rationalis inuenit: uel natura, uel fortuna quadam, uel obiter non data opera, uel imitatione, uel insomnio, uel oraculis, uel traditione, uel alijs quibusdam, ex quibus empirice constat. Quæ omnia cum ratiōe indiscussa nostro tempore sint, non ponemus magnam in eis fiduciam, quia modum utilitatis illorum ignoramus. Quòd si aliquando cogente aliqua necessitate adhibeamus, non debemus his abuti, ne quemadmodum absq; comperta & manifesta causa iuuarunt, ita uicissim offendant. Qui nanq; uolet esse præclarus medicus, & ratione quæq;, non temere agere: circa qualitates & effectrices, & operationes debet uersari, & in eis fiduciam ponere: quippe qui sic methodo compertum habeat calidi & frigidi, humidi & sicci effectus, item acerborum, austerorū, acidorum, dulcium, salsorum, amarorum, acrium, & omni qualitate carentium, nec ignoret, quem effectum præstent, quæ crassarum sunt partium, quæ tenuium, quæ obstructiones aperiunt, quæ attrahūt, quę emplastica sunt, & alia quoq; singillatim. Enimuero ut plurimum ratio constat, lapides conterente materia uti magis decens est, quàm quorum ratio cognita non est, ueluti damasonio, petroselino, polytricho, & similibus his uirtute. quæ probatiora etiam eo sunt, quòd tepida facultate constent. Verum si tandem casibus ita deploratis, & hæc frustra admoueris, non absurdum erit nos ceu Christianos (sic deo rem cōmittas) ad maxima nostra & uere arcana confugere, quibus & credo & confiteor, non corporis solum affectus, & à quibus omnes medici desperarint persanari, sed omnes etiam animi passiones funditus extirpari.

24 Reliquum sermonem ad te peculiariter, tanquam hypothesim cōuertam. Cum multa sint quæ restaurare sanitatem possunt mihi ab alimento necessario incipiendum uidetur: nam alijs auxilijs non semper utimur, sed alimento carere nullū animal planè potest, siue ualeat, siue ægrotet. Quoniam uero tutior est & cōpendiosissima uia ad affectus leuationem unica uictus ratio: quandoquidem aliorum medicamentorum abusus & permutatio, sic ut comperi, multis sæpe non leues morbos pepererunt: tu animæ meæ sol, qui calidius es & humidius temperamentum sortitus, & ætatem puerilem, uiresq; non ita robustas, habitū gracilem & rarum, & facilem insuper ad percipienda incōmoda sensionem: ob temperaturam, ætatem, habitum, & raritatem assumes horum qualitati similia in nutrimentis ciborum & potuum, & quæ ualeas concoquere. Ob debilitatē autem uirtutis pauca, & eo sæpius. Pauca quidem debilitatis uirium gratia. nam onus ferenti conueniat oportet: sæpius uero quia necessitas urget. Athletæ enim, uiatores, milites, & omnes qui ualida exercitia obeunt, modo ualeant inculpate, abstinere à nullis debent, uel cibis, uel potibus quæ ad manū sunt, uel quæ occasio præstitit, quia uti ijs oportet quæ est necessitas elargita. Quibus non solum uiuere ita licet, sed & his qui negocijs urbanis plurimum distrahuntur, & patroni aut uindices propugnandis clientibus negociosius degunt. Tu uero qui nūc tui iuris es, hyeme comedes plurima, plurima dico nō ad tuas uires sed aliorū anni temporū respectu. Quemadmodū & Hippocrates artis nostrę princeps inquit. Aestate & autumno cibos difficillime ferunt: hyeme facillime, uer secundo loco est. Idem rursus alibi ait: Ventres hyeme & uere calidiores sunt natura, & somni longissimi. In his itaq; temporibus alimenta plura tribuenda sunt: siquidem calor innatus multus est, ideo pleniori alimento indigent. Indicio sunt ætates & athletæ. Bibes autem aliorum anni temporum comparatione minimū. Debetq; potus esse album & tenue uinum, quod admodum uetus non sit. Sed & obsonia hoc tempore assa debent esse ut plurimum. Vtendumq; oleribus & leguminibus tum parcissime est. Et hæc omnia magna ex parte calida & sicca nō propter temperiem ætatemq; tuam assumes: sed propter intemperiē quæ ex anni tempore frigida et humida est. Post ubi uer aduenerit, potus uberior, dilutiorq; parum conducet, & esculenta molliora pauciora q;. Quin & obsonia ex assis ad elixa cōmutabis, oleraq; nonnunquam assumes. Verum ad hæc ab illis non subito, sed paulatim tibi transeundum est, ne uniuersa illa & subita mutatio comparet offensam: sicut traditū ab Hippocrate est. Plurimum atq; repente euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniā omne nimium est naturæ inimicum: quod uero paulatim fit, tutum est, cum aliàs, tum uero cū ab alio ad aliud transitur. uberiorem uero & aquosiorem potum præcipio: non plurimum, neque aquosissimum. Plurimum enim & aquosissimum æstate bibitur, quod tempus hyemi planè contrarium

trarium est. Ver autem sicut medio loco est inter hæc duo extrema, ita mediam quoque rationem uiuendi requirit. Hæc autem uiuendi ratio tibi conducit nō ob anni tempus solum, sed ob tuam etiā temperaturam atque ætatem. Et hunc in modum, uerno tempore te geres. Aliis autem anni temporibus paulo diuersius, non propter ætatem tuam & temperaturam solum, sed & anni temporum intemperiem.

25 Sicut uero anni temporum differentiæ non eandem uictus rationem demonstrant, ita & corporis habitus. Carnosos siquidē & molles, frigidosque & humidos, ut plurimum siccius alimentum confirmat. Qui contrario modo se habent, contrarium. Tibi itaque, quia medio es & temperato habitu, maiori tempore uictus ratio temperata cōueniet. Quæ nanque secundum naturam sunt, ut plurimum similibus indigent: quæ præter naturam contrariis. Puerorum temperamentum calidum est & humidū, cum non possit auctio & conformatio in alia temperatura fieri, quàm puerili. Ob hoc igitur similia te oportet & multa nutrimēta usurpare, ut multa & uaria concoquere assuescas. Quippe hac ratione natura uentrem & iecur ampla & capacia formauit, et alias unà omnes partes. Quòd si quando tibi plus humiditatis quàm pro sanitate conueniat aderit, siccari tamen nō ut alii debes: propterea quòd auctioni nihil æque aduersetur ac siccitas. Hac de causa uitanda tibi sunt quæcunque exiccant, calefaciunt, & extenuāt. Atque hic modus est quo uitam instituas, ut tua natura ualeat inculpatius. Senes autem propter membrorum quidem duritiem frigidi sunt & sicci: propter excremēta uero frigidi & humidi. Senes itaque partium quidem solidarum frigiditate, contrariorum contraria postulabunt (nempe frigiditatis calefactionem) in cibariis poculentis & reliqua uiuendi ratione: euacuationem uero earundem inter se mutuo propter excrementa. In his paucum nutrimentum desideratur, ob uirtutis imbecillitatem, id quod est ab Hippocrate traditū. Quæ crescunt, plurimum habent innati calidi. plurimo igitur egent alimēto, alioqui corpus absumitur. Senibus uero parum innati caloris inest, paucis propterea fomentis indigent. Et rursus: Senes facillime ieiunium ferunt.

26 Panes differunt materia, fermentatione, & ratione coquēdi. Materiæ differentiæ sunt quatuor. siligineus, σιλιγνίτης Græce nominatur. σεμιδαλίτης Latine similagineus dicitur. αὐτόπυρος, quem συγκόμιστος quoque Græci nominauerunt, quod ex farina uniuersa comportata, non discussis furfuribus constet. πιτυρίας ac si furfuraceum diceres Latine. Horum nos incōmoda atque affectus edocebimus. Plurimi est alimenti siligineus, qui & diutissime in corpore moratur, & efficacissimus est. secundum locum obtinet similagineus. inferior his est syncomistos, ita ut haberi medius possit. omnibus infirmior est furfuraceus. Tibi uero, cum uales, cōmodissimus siligineus est: cum renum morbus infestat, quod nolim, dum laboras

A ab hoc abstine, et si te moueat edendi desiderium, furfuraceis uti mediisque tuto poteris. Nam conducibilius tibi esse genus hoc potest, nisi prohibeat aliquid, quia pauci nutrimēti est, & in uentre colligit excrementa, quibus ad excretionem descendit expeditius: astringitque nonnihil ex furfuris natura, quamobrem ocyus deiicitur, in intestinis ad expulsionem irritatis. Quando in hoc affectu nihil perinde conducit, atque uentrem semper lenem & solubilem habere: cum enim probe is subducitur, urinę possunt puriores proferri. Panes reliqui, maximeque siligineus & similagineus, cōtrario modo aluum retinent, quia difficulter secernūtur. Et hinc est quòd iecoris & renum obstructiones pariant: tametsi alibiliores sint & uegetent plenius.

B E uolucribus laudantur, quæ mediam quandam materiam præstant extenuantium & crassefacientium: ut sunt perdices, attagines, galli, gallinæ, columbæ, phasiani, passeres, & ante alias quæ turritæ nominantur. hæ nanque habent naturalem efficaciam. E terrestribus optimi succi est caro suilla, & hominibus maximopere familiaris, maximeque tum nutribilis, tum corroborans: sed glutinosum quiddam habet & crassum: ob id qui diutius ea uictitant, iecoris & renum obstructione corripiuntur: eoque longiori ab ea interuallo abstinendum. Paruorum autem porcellorū carnibus si parum, & assidue utaris, nihil offendent. Ceruinam carnem uitabis, quippe quæ dura sit, concoctu difficilis, & melancholica. Ouilla carne utilius est ex

C interuallis uti, quòd excrementosa sit & mali succi. Agnorum uero hœdorumque carnibus quoties libitum fuerit uteris. Ex aquatilibus animalibus, pisces qui saxatiles nominantur, non erunt tibi comesti inutiles: quales sunt gobii, muli, chartilagineorū genus. aliique qui generare bonum succum possunt. Ad hæc marinorū aliqui, & qui mollem testam habent. Astaci, paguri, cancri, carabi & carabides, & quibus dura testa est. De fructibus autem quid dicam? neque enim nobis ceu alimentum idonei sunt pleríque ipsorum: sed ceu medicamenta quæ stomachum & uentriculum corroborent, assumuntur. De cibariis hactenus.

27 De potu autem dicendum nunc est, et uino potissimū: nam alii liquores uel ad nutritionē

D nihil conferunt, uel aduersantur etiam nutritioni plerunque. Vinum uero solum nutrit, quoniā plus habet ad nostra corpora familiaritatis, quàm alii humores omnes. nam oleum & mel habent quidem & ipsa aliquid conuenientiæ nobiscum, sed non tantum quantū uinum. Sunt tamen uini differentiæ quibus discernatur: inter quas prima est quam color exhibet. Secundam præbet degustata qualitas. Tertia consistentię debetur. Quarta in odore est. Quintam uiribus metimur. De quibus omnibus singulatim differere superuacuū erat: dicendumque est, quodnam tibi uinum peculiariter conducat. Aliud etenim alii uinū confert, idemque rursus alii minus. Tibi uero conducit tenue & album uinum, quodque parum aquæ sustineat. Nam eiusmodi uinū facile descendit, & succos qui sunt

in nobis attenuat, & excernit per urinas, uirtutemq; corroborat. Alia uina tibi non conferunt, sicut in alijs utilia sunt. Non uidetur ab re, de aqua paucis hic sermonem facere. aqua tam sanis quàm ægrotantibus cōmune solatium est, & maximopere necessaria, quòd mundanorum & singularium elementorum hoc unum sit, ex quibus uniuersis tota nostri corporis constitutio est conflata. Quamobrē de ea fuero haud ociose dicturus. Aqua purissima tribus sensibus iudicatur, gustu, uisu, olfactu. Gustu si nullam planè qualitatem præ se ferat, sed uideatur ab omni qualitate immunis. Visu si pura, syncera, & exquisite clara. Olfactu, si eorum nihil inest, quæ in aquis uitiosis esse olfactus testatur: ut sunt aciditas, putredo, acumen, salsedo, aliquodue aliud uitium quod nomine careat. Quatu aūt commode quouis & tempore & modo uti possis aqua, sit purissima defæcata, leuis, & fontana, cuius natura est frigida. quòd si etiā cito à præcordijs descendit, potiorē non desiderabis. Haud uero sicut uino, cibis, exercitijs, uigilijs & somno, secundum ætatum & temperaturarum diuersitatem alijs atq; alijs uti cōmodum est: sic etiā aqua non eadem semper uti est ex usu: Imò quā utilem esse modo diximus, ea uti audacter poteris, & puer, & adolescens, & senex, quacunq; naturæ differentia prēditus. Quoniam uero aqua una plus alia frigida reperitur, hac de causa non omnibus prodest aquæ frigidæ potu indifferenter uti, uerum supra modum calidis pinguibus & carnosis, siue naturali habitu siue acquisito, & his qui se uehementer exercent quiq; consueuerunt frigidam potare, innocua est si frigidam bibant. Quòd si aliter aliqui se habeant, minus bibant ex ea. qui uero iuuenili sunt ætate, & in rebus ciuilibus uersantur negociosius, q̄ ut exerceri ordinate & uictitare queant, fontanā sumāt, relicta niuali aqua. Hæc nanq; tametsi iuuenilia corpora mox offendere non uidetur, noxa uidelicet quæ paulatim increscit non percepta: tempore tamen procedēti cum ętas declinat, difficulter sanabiles aut incurabiles planè morbos inducere nata est, in neruis, articulis, & uisceribus. Quam offensionem pars aliqua corporis percipit, quæcunq; debilissima est natura. Quam ob rem uti debes fontana, & ea defæcata, de qua plus assumas quàm de uino. Ac de aqua quidem breuibus hactenus.

27 Tempus nunc est, ut de exercitationibus uerba faciam. In quibus corpus contentiosius mouendum non est, donec uidelicet uires succumbant. nec imperfecte exercitandum, ut membra perspiratione non satis distrahātur: sed ut uiribus cuiusq; proportione respōdeat. Quippe uehemētia relatione ad aliquid est: quo fit, ut dimotio eadē alij sit exercitatio, alij minime. Vtile est igitur quenq; id exercitationis genus eligere, cui est potissimum assuefactus. nec pugilum, cursorum, & luctatorum exercitationem subire. ab exercitatione uero tria imprimis cōmoda proueniunt: nam instrumentorum duritiam dum inuicem confligantur, & innati caloris incrementum concitatio-

A remq; spiritus motum efficit: quibus uniuersæ cōmoditates aliæ sigillatim sequuntur. Instrumentorum nanq; duritiam sequitur firmitas, atq; immunitas ab iniurijs, quæ undecunq; in corpore expectantur. Augmentū caloris sequitur fortis alimenti distribuendi attractio, & promptior alteratio, et commodior nutritio, & excrementorum offusio, per quam dura quidem membra molliuntur, humentia uero extenuantur & diffluunt, meatusq; totius corporis dilatantur & patescunt. Ex ualido autem spiritus motu eosdem meatus purgari necesse est, & euacuari superflua excremēta. cum uero nobis ab exercitatione cōmoditates tantæ accedant, cōmodum earum utendarum tempus inuenire difficile non est. Nam cum alimentorū distributionem adiuuent, nullam oportet multitudi-

B nem crudorum, neq; ciborum, neq; humorū, uel circa uentrē, uel mesaraicas, uel iecur, uel reliqua uasa contineri, quia periculum esset ne diffunderentur ad omnes corporis partes, priusquam concocta fierent nutritioni utilia. Et quia meatus expurgant, euacuantq; superfluitates, melius est ante cibum eas instituere. Corpora enim non pura (inquit Hippocrates) quanto magis nutries, tanto magis lædes. Quare ex prædictis clarū est, hoc tempus exercitationibus admodum conuenire. illud præcipue curandum in quocunq; exercitationis genere, ut fiat in loco salubri & aere puro. Sed hæc de exercitationibus dicta sufficiant.

29 Crebris autem lotionibus utere, temperatis & breuibus, non propter ægritudinem, sed

C quod ad auctionem tuam, nutritionem, cōformationemq; faciant. Cui rei optimū erit tempus cum nutrimentum hesternum perfecte concoctum est & subsedit, aliaq; iam nutrimēti necessitas impendet: item cum & in iecore, & uenis celebrata concoctio fuerit. Id quod sciet medicus qui tibi assidet, & tui perpetuo curam gerit. Nempe uentris exquisitam cōcoctionem ex deiectionibus: Iecoris & uenosi generis ex naturalibus urinis. Vnde constat tibi à cibo lauandū non esse, ne obstructio circa iecur & renes eueniat. Cauebis etiā uini assumptionem protinus à balneis, nam uino caput tentatur: ut conducibilius sit primo temperatam aquam assumere. Igitur non frigidæ aquæ, non ui-

D ni, non zithi, uel siceræ potus mox cum laueris, damno carebit: quippe quæ & ipsa uentriculum, iecur, & neruos offendant: si non temperie, contactu saltem. Profuerit insuper tibi non statim ubi à somno surrexeris lauare, sed aliqua dimotione interposita: nōnunquam etiam mediocri exercitio. Nam exercitia moderata atq; idonea, tuæ naturæ sunt utilia, quod concoctionē, sanguificationem, & nutritionem meliorem operentur: & ob id non uulgariter adiuuent bonum habitum, uires impleant, tertiamq; concoctionem perficiāt. Sed de his hæc quoq; sufficiant.

30 Proinde si te calculorum passio repente inuaserit si cibum nuper assumpseris, & in corpore fluctuationem pręsentiscas: totum euomito, siue id naturaliter facias, siue arte adiutus, utrocūq; modo

modo uisum tuo medico fuerit: postea somno te committes. Cumq; alia qua in aluo indurata extrementa hærere suspicatus fueris, clystere hæc nisi quid prohibeat uacuentur. Quòd si dolor intolerabiliter affligit, in aquam calidam te dimitte. Veruntamen ne ipsa sicut paulo ante ostendimus, abutare: nam calida perfusio dolorem mitigat quidem, sed uires etiam resoluit, quæ morbi causam & quicquid in corpore inutile est discutiunt. Post uomitus & enemata, fomentis & emplastris laborantem particulā delinias: atq; id ex medicamentis quæ naturæ ægrotantis conueniant. At si lapis defixus in rene subsisteret, acetum saccharum, acetum scilliticum, & quæ lapidem simpliciter conterunt, assumere oportet, sicut est decoctum radicis graminis, damasonij, adianti, polytrichi, & similium. Quæ si inefficaces uideantur, ijs quæ lapidē frangunt uti poteris, quales sunt regalium asparagorum radices, bdellium ex Arabia aduectum, semen altheæ, milium solis, betonica, saxifragia, pulegium, capparis Aegyptiæ radix, cucumerum satiuorum semina, & quæ istorum uiribus sunt propinqua. Quòd si aliquo pacto ne hæc quidem proficiant, utendum putarim medicamentis quæ lapidem potenter frangendi uirtutem habeāt. Potenter uero diuidūt lapidem, lapis Iudaicus (& si calculum in renibus fixum est masculo: sin in uesica hæreat, & ob magnitudinem excerni haud possit, fœmineo lapide utaris. Nam masculus, lapidem qui in renibus est frāgit: fœmineus, qui in uesica:) uitrum combustum, lapis Cappadox, & paliuri semen. Hæc sunt quæ calculum uiolentius frangūt. Si uero crassus succus in corpore subest, & urinarum crassarum euacuatione sit opus: crassam urinam agunt cardui radix, rubia & similia. Quòd si frequentes urinas ducere opus fuerit, frequentes urinas ducent acorus, pastinaca, assarum, ammi, et similia. Quòd si natura in deponenda urina pigra fuerit, ipsam excitabunt scordiū, chamædaphne, bryoniæ cauliculi, & quæ uiribus sunt ad hāc rem paribus. Quæ uero mouendæ urinæ naturam habent, ea periculosius lapidem pellunt: temperatura nāq; sunt acri, & ob id calida & sicca, insuperq; naturæ colligentis & segregantis collectam serositatem. Sed quæ ignitas constitutiones in se non habent, rumpendo lapidi sunt magis idonea, quia incidunt opportune, & minimam caliditatem obtinent. Caliditas autem exiccādo porum colligit, non incidit. Quapropter quæ minus calida cum hoc quod incidendi facultatem habent, sunt meliora. Quæ uero urinam mouent, calida sunt & sicca, atq; acria, quamobrem secernunt quidem serosum sanguinem: sed quicquid in se crassius ille habet, id cogunt & compingunt. Propterea ijs qui calculorū morbo sunt affecti, apponi non debēt: Hæc tamen si ueluti ductoribus & uectoribus ad locum affectum, usi quandoq; fuerimus, prodesunt. Cæterum post lapidis excretionem medicamentis utendum est opportunis ad reficiendum & colligendum, quæ morsu, asperitate & feruore descendens calculus exulcerauit. præsertim, si magnus atque angulosus is fuit. Postea ubi corpus ex colligentium medicamentorum beneficio, satis collectum agnoueris, tum & foris & intus præseruātia admouebis. Sed ne in hoc rei summā esse putemus. Imò quantisper ad prouidentiam hanc opera datur, tantisper conferentibus tam cibis quàm potibus, & quæ concoquere ualeas utaris. Ex nutrimentis enim & potibus quæ naturæ tuæ conueniunt, balneisq;, & exercitijs atque similibus; uirtutes singulariter corroborantur: sicut inuicem ex illorum contrarijs debilitantur & deijciūtur. Hinc est quòd propter uirium erectionem & uigorem, usus similium maxime desiderētur. Viribus enim roboratis & confirmatis, tantum momentum ad morbi generationem habere nihil potest, quin ab ijs ilico profligetur. Quod adeo uerum est, ut nihil subesse in uniuerso corpore inutile eædem patiantur.

31 Hæc sunt pauca quæ non equidem in iustam hac de re institutionem, sed breuem submonitionem sedulo tuus minister tibi offero. Quod ad perfectam de his omnibus traditionē attinet, id nobis uetustissimi sapientię professores diligenter prosecuti exhibuerunt. Quod restat, medicus qui tibi à latere est, & curam tui perpetuo gerit, meus conseruus & hæc & ueterum scripta & tuæ naturæ conuenientia me magis & alijs omnibus, quantum homini permissum est, prospexit ex ijs quæ edoctus iam est, & ex naturæ tuæ exprompta cognitione perspiciet. Ei te ergo solum committas, nam ita te ille (quod dijs testibus affirmare ausim) sedulo curat, ut quisquam alius curare omnino possit. Quandoquidem is cui natura hominis alicuius perspecta sic est, ut quid secundum naturam in ea sit exploratum habeat: expeditius alijs omnibus cognoscat, quid præter naturam eidem acciderit. At quanquam animus erat disceptationem de paucis quibusdam in medium afferre, id tamen reseruandum in aliud tempus uidetur, nam in præsentia locum habere non possunt. Cuiusmodi est, quinam hoc affectu liberari possint, qui liberari non possint: & an lapis hic causa sit, an morbus, an morbi symptoma. Et, si est causa, præincipiens ne sit, an antecedens, an coniuncta: Idq; similarium, an instrumentorum, an utrorunq;. Iam si morbus est, an similaris sit, an instrumentalis, an communis. Si symptoma actione sit læsa, an excernatur quod retinendum erat, uel retineatur quod excernendum. An affectus sit quidam, an utrunque illi acciderit, ut & causa sit, & morbus, & symptoma.

CL. GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE VICTVS RATIONE IN MORBIS ACVTIS,

Commentarius primus.

Ioanne Vasseo Meldensi interprete.



1 QVI gnidias appellatas sententias cōscripserūt, hi sanè quæ ægri in morbis singulis patiuntur, & quonam modo non nulla his eueniāt, recte scripserunt: atq; ea quoq; quæ medicinæ imperitus quispiā scribere potuisset, si ab ægro unoquoque qualia patitur probè intellexisset. Verum quæ medicum non referente ægro ipso perdiscere oportet, multa ex his sunt prætermissa, alia in aliјs.

Non solū nihil eorū quæ ægri patiūtur prætermiserunt qui gnidias scripserūt sentētias: uerū q̃q; & ultra id quod iustū est, de quibusdā mentionem fecerunt, ut paulo post ostendā. Neq; id artis opus est, si nihil prætermiserint eorū quę à plebe ipsa cognosci possint. Non etenim is artifici est scopus, sed quæ ad curationē idonea sunt omnia scribere. Quapropter sæpius nōnulla adјcere quæ uulgus nō nouit, erit opus: et multa quę huic nota sunt auferre, si nihil ad finem artis conferre uideantur.

2 Et quædam ad coniecturalem cognitionem (τέκμαρσιν dicunt) peropportuna.

Τέκμαρσις est quæ per τεκμήριον fit cognitio. τεκμήριον autē appellant ueteres syllogisticum signū, non autem simpliciter signum omne, ut in opere De coniectura & signo est demonstratum. Quæ igitur medicis ad huiusmodi cognitionē tum necessaria tum utilia existunt, non omnia ait gnidiјs in sententiјs scripta esse, sed prætermissa pleraq;.

3 Cum autem ad coniecturalem cognitionem dicatur quonā modo curare singula oporteat, in his multa aliter ꝙ illi enarrauerunt, sentio.

Ex quo multa quæ ad coniecturalē cognitionē expedita & idonea existunt, à gnidiјs medicis prętermissa esse dixit, quam nam dicat coniecturalē cognitionē, ipse consequenter docuit. Quonam modo curare singula oporteat inquiens. Nempe quod ad horū inuētionē utile fuerit, id ex arte est. Sed forsan quis opinabitur prætermissas esse quæ tum ad dignotionē, tum ad prænotionē conferūt coniecturas. Verū res non ita habet, cū de necessitate in his quæ ad curationē idonea sunt, hæ contineantur. Si enim ad optimæ curationis inuentionem nihil cōferrent morborū dignotio & futuro-

A rum prenotio, prorsus hæ superuacaret. Nunc aūt quòd conferant, ob id cōmodæ existunt. Ergo ꝙ affectuū dignotio ad curationē ualde necessaria sit, recensere nō est opus. Nam in primis quis nam sit morbus dignoscere oportet, deinde curationē ipsius ita aggredi. Quòd uero prænotio ad curationē quoq; cōmoda sit, demonstrauit in præfatione prognostici Hippocrates. Qui ergo oīa quæ ad medicinā spectant, cōmoda ea uel ad dignotio-

B nem uel curationē uel prænotionē esse dixerit, uirtute idem dicit. Curatio siquidem per se à medicis exercetur: Prænotio aūt & dignotio propter curationē. Quo fit ut nemo finem artis dignotionē uel prænotionem sicuti curationem asseuerauerit. Intellige aūt in præsentiarū curationē, sublationem morbi, non eam quidē quæ adhuc fit, sed quæ iam facta sit. Sed de omnibus abunde est scriptū in eo libro qui De fine medicinæ agit. Nec expedit, ut in præsentiarum quippiam præpostere & præter institutū faciamus, utpote qui iam ueteris mētem uel sine exquisito finis examine cognouerimus. Verum cum & modo alio dictio præsens plerisq; in exemplaribus, fide etiā dignis scripta sit, de ea mentionē facere non intempestiuū fuerit. Differt autem ab ante scripta dictione syllaba una uideli-

C cet uel, ut ad hunc modum sit. Cum autem ad coniecturalem cognitionē dicatur, uel quonam modo curare singula oporteat. Qui ita scribunt, per τεκμαρσιν dignotionem & prænotionē intelligūt. & per uerba hæc, quonam modo curare singula oporteat, curationē, nolentes eam in τεκμάρσεως nomine cōtineri. Quod si ita habet, in antescripta dictione qua dicitur, Multa prætermissa sunt, alia in aliјs, & nōnulla ad coniecturalē cognitionem peropportuna, non recte sanatoriā artis partē prætermisisse uidetur Hippocrates. Sed quòd hi respondeant ob id resumptam scriptamq; quę sequitur dictionem, ut quod sanatorium est adјceret, nemo est qui ignoret. Verum quoniā de re ad curationem congrua disceptatio non sit, ob eas res

D sermonē protrahere est superfluū. Pergamus igit̃ ad ea quibus quæ ad sanationē utilia sunt, docet.

4 Atq; nō ob id solū nō laudo: uerum ꝙ & paucis numero sint usi medicamētis. Nēpe maximus medicamētorū quibus in morbis non acutis usi reperiuntur, est tempestiue exhibitorū tum elateriј, tum seri, tum lactis. quæ si bona essent, morbisq; quib. dari censerent, cōgruerent, multo sanè digniora laude erant, ꝙ paucissima satis facerent. Sed res impræsentiarum non ita habet.

Paucis quoque numero auxilijs usos eos ait, nisi in acutis morbis. quasi in his multa dixerint. quod sane fecerunt. Quę uero longis in morbis dixerũt, hæc uere sunt. Nam & per tempestiuam elaterij, seri & lactis potionem perficiuntur. A

5 Qui uero secundum adornauerunt librum, hi medice magis quæ singulis exhibenda sunt, percurrerunt.

Liber secũdus à primo scriptus adornatus digestusque dicitur, cum institutum habens idem, plurimas dictionũ easdem, nonnulla quidem eorũ quę in priore erant, abstracta habet, alia aũt adiecta, & alia permutata. Exemplũ rei huius si perspicuitatem desideras, secundum Eupolidis Autolycũ ex priore adornatum digestumque habes. Sic & gnidias sententias à primis secundas Gnidij ediderunt medici. quæ nonnulla quidem haberent eadẽ omnia, alia uero adiecta, & alia sublata, ueluti & alia permutata. Secundum igitur hunc librum, Hippocrates priore medicinalem magis esse asserit. B

6 Sed de diæta, id est uictus ratione, nihil quod effatu dignum sit conscripserunt ueteres, quanquam id magnum esset.

Is curationis ductus cõtextusque qui per consuetam materiam efficitur, diæta, id est uictus ratio nuncupatur: ut qui per consuetas tum sectiones tum adustiones & quæcunque alia manu fiunt, chirurgia. Tertiam ab his medicinæ partem Pharmaceuticen dicunt, quæ scilicet per medicamenta absoluitur perficiturque. C Accusat autem priscos Hippocrates quòd de uictus ratione nihil effatu dignum conscripserint: idque dixit, non quòd nullum quod ad uictus rationem spectaret theorema conscripserint, sed quòd non effatu dignum. Quale nam aũt sit effatu dignum, docebit in sequẽtibus.

7 Fuerunt uero qui uarios morborũ singulorum modos, diuersasque horum sectiones diuisionesque non ignorauerint.

Non solum uarios morborum modos nõ ignorauerunt, uerũ quoque & ultra quàm decet de his scripserunt, ut ostendam in sequentibus.

8 Verũ morborũ singulorũ numeros clare pronunciare uolentes non recte scripserunt, quippe cum non facile numerari queant, D si quis languentium morbos alterũ ab altero quadãtenus differre, nullumque morbum eundem uideri, quin idem quoque nomen habeat, coniectauerit: Mihi uero placet omni in arte animũ tum cõuertere tum adpellere. Nam quæ probe uel recte procedunt officia, probe & recte singula peragere oportet. Quæ item celeritatẽ desiderant, celeriter adimplere: & quæ synceritatẽ, syncere: & quæ sine dolore administrari postulant, citra dolorẽ omnem administrare. Cætera quoque huiusmodi oĩa secus q̃ alij ad meliorem formam nos redigere conuenit. Maxime autem medicũ laudauero qui in morbis acutis, ui quorum plurimi hominum enecantur, secus quàm cæteri in melius procedat. Sũt hi igitur acuti morbi quos prisci nominatim perstrinxerunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus, & quicunque alij hos cõsequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ interficiunt.

Dixi paulo ante Gnidios medicos cõfestim ab initio de morbis plusque oportet scripsisse. Scripserunt siquidem bilis morbos septem. Pari modo & paulo infra uesicæ duodecim: Renum quoque quatuor: Stranguriæ quatuor: Deinde tetanos tres: Morbi præterea regij genera quatuor: Atque tandem phthises tres. Nempe ad corporum uarietates, quæ multas ob causas permutabãtur, respexerunt, morborũ identitatem haudquaquã contemplati. quomodo est cõtemplatus Hippocrates ad horum inuentionẽ methodo usus, qua duntaxat morborũ numerum inuenire conceditur. Methodum aũt eam in Methodi medendi principio demõstrauimus, diximusque aliquid in lib. De elemẽtis secundum Hippocratis mentem. Habes quoque & à nobis cõpendio quodam scriptum unum De morborum differentijs cõmentarium: sed hoc in loco dictiones prosequi est opus. Nempe is expositionis scopus existit. Nam si quis inter exponendum demonstrationes scripserit, sermonẽ protrahet, & præcipuam quæ sanationis morborũ causa existit, dimittet. partem inquam quæ ad maxime letalium morborum curationẽ excellit præstatque. Summa quidem præsentis dictionis hæc est, particularia uero dictionis deinceps explicabo.

9 Cũ enim nullus cõmunis pestiferi morbi modus passim grassatus fuerit, sed morbi & σποράδες, id est sparsim priuatimque prehendentes, & similes fuerint: ab his plures quàm ab alijs omnibus intereunt.

Ostẽdit hac oratiõe Hippocrates morbos multos uno fieri tẽpore, quos si perniciosi fuerint, pestem appellant. Si uero mitiores, altera quadã indicant appellatione, epidemos uel epidemios nominãtes, ut epidemus morbus sit qui tempore anni aliquo in regione aliqua abundet insolescatque. Pestis uero, epidemia perniciosa. Est autẽ & aliud morbi genus commune multis, quod in regione superuenit acceditque, endemumque uel endemium appellitatur, quasi patrium dixeris aut uernaculũ. His autem omnibus aduersantur σποράδες, id est qui sparsim priuatimque prehendunt, ægros discrepanter fatigantes, neque secundum cõmunem modum constantes. Sed quidnam est quod ab Hippocrate dicitur? Sed morbi, & σποράδες, & similes fuerint. Nempe contrariũ dicendum fuit. Et non similes eos inter se esse: si utique aliquid morborum similitudine & endemium & epidemum, & pestiferum iudicari debuit. Duorum igitur alterum

rum, uel meliorem hanc scriptionem existimare oportet. Sed morbi & σποράδες, & non similes fuerint: uel similes eos dicere oportuit non inter se, sed morbis ante dictis, id est consuetis: quoniam rarius quidem tum epidemij, tum pestiferi fiunt: uocati uero sporadici freque͂ter. De quibus et hoc in loco agetur, ueluti de epidemijs in libro Epidemiorum morborum, & de endemijs in libro De aquis, aere, & locis. Nullum autem peculiarem de peste confecit librum, quoniã ex epidemijs unum esse illam per libros Epidemiorum demonstrauit.

10 Idiotæ uero non admodum cognoscu͂t eos qui in huiusmodi præ alijs præstant.

Idiotas ait non omnino cognoscere medicos eos qui, præ alijs pręstant. Quòd autem acutos dicat palam est de quibus ante sermonem fecit.

11 Aliaq; auxilia magis lauda͂t, uitupera͂tq;.

Neq; conuenientes, neq; laudabiles curationes dignoscere ait idiotas, sed alias magis. Quo fit ut eas neq; rectè laudent, neq; uituperent. Deinceps tanquam eorum quæ dixit demonstratione͂ adijciens hæc scribit.

12 Magnum autem rei argumentũ quòd uulgus morbos huiusmodi sanatione͂q; utpote rude planè ignoret, uelut quos studio consequi oportet, est hoc. nempe qui medici non sunt, medici esse ob huiuscemodi morbos uidentur. facile siquide͂ nomina discu͂tur quæ apud ægros usui esse existimata sunt. Si enim quispiam ptisanæ cremore͂, uinũq; hoc uel illud, & melicratũ nominauerit, referre omnia eade͂ medici tũ boni tũ mali plebeijs huiusmodi uidentur. Sed res ipsa secus habet. Nempe hi quantũ ad hæc attinet supra modum inter se differunt.

Quòd materijs huiusmodi eorũ quæ ad uictus ratione͂ spectant, medici utant͂ tum boni tum mali, ob id quis nam melior sit, dignoscere nequeunt idiotæ: utpote qui discernere non posint quinam te͂pestiue & debito modo præsidiorũ materias ægris administrent. & quinã citra hęc. Hippocrates au͂t ubi impræsentiarũ secundũ præfiniuit procemiũ, à co͂seque͂tibus in oratione præsenti exordit͂.

13 Digna aute͂ scribi mihi maxime uidentur, quæ quanq; medicis utilia existant: tamen ignorantur. quæ inquam insignes profectus & insignes offensas adferunt. Quæ autem ignorantur, hæc sunt. Cur in acutis morbis medici quidam ptisanas nõ colatas perpetuo exhibeant, & recte curare sese existiment. alij omnino contendant, hordeum ut nullum æger uoret, subsecuturam inde quæ insignis sit offensam ueriti: sed cremorem linteo colatũ porrigant. Alij uero neq; crassam ptisanam, neq; cremorem exhibeant, atq; ex his quidam quoad æger ad septimam usq; peruenerit diem, alij perpetuo donec morbus iudicatus fuerit.

Logicam magis speculationem sapere uidetur, quod ab Hippocrate in quæstionem disceptationemq; ponitur: cum & sine huiusmodi speculationibus rectè sanare queamus. Nempe morbos rectè sanare inest medicis ex faciendorum cognitione, & non ex causæ inuestigatione, ob quam sunt controuersi qui uarias in huiusmodi morbis scripserunt curationes. Est uero secundum ueritatem id non co͂modissimum modo, uerum quoq; & omnium primum, atq; quęsitu necessarium, ut procedente exponam sermone. quòd enim quæstione dignũ sit, quod proponit, & quo soluat modò ante percurrere est melius. Quòd igitur quæstione dignum sit, hinc disces. Nam de philosophorũ co͂trouersia nullam habemus quæ euidens sit coniecturam. Neq; enim si genitus mundus sit, neq; si interitus conscius, neq; si extra ipsum inane non sit, neq; si infinitus, neq; si is solus unus sit, neq; si plures, neq; quot numero si plures, neq; horũ multitudo incomprehensibilis sit, aut infinita, manifeste coniectari potest. Ad hunc sanè modum & de alijs multis quæ in philosophia quæruntur, nonnulla quide͂ iudicare prorsus nequiuimus, alia uero non sine magna contemplatione. Verum de ipsis quæ ægros iuuant, non similiter est. Nempe etsi ad ipsa inuenienda longo opus sit tempore, uiroq; à multis discrepante, quæ tame͂ sese reperisse quidam iactant, ea facilem habere iudicatione͂ uidebuntur. Nempe si ægris quidem adhibita præsidium attulerint, laudare oportet atq; agnoscere: si uero detrime͂to fuerint, uitare atq; repellere. Quæ uero nihil auxilij uel offensæ effatu dignum præstiterint, in neutrius horum ratione censere co͂uenit. Sed sanè medicos ab euidenter offendentibus abhorrere oportet. Si ergo parum exuperantibus insistant qui quouis modo ab initio sunt opinati, nihil mirum uideri debet. In his uero quæ admodum recesserunt, atq; usq; adeo ut à quibusdã laudentur, ab alijs culpentur, admirari quispiam eos poterit, qui ualde offendentia extollunt, uel eos qui uere iuuantia uitupera͂t. Id sanè est quod Hippocrates particulari uno exemplo proponit. Dictum autem & id nec secus ipsius solutio ab Erasistrato in primo libro De febribus, paucisq; & euidenter, utpote qui Hippocratem planè est secutus. Percurrens etenim in libro præfato medicos tum eos qui aduersissimum febrientibus uictũ præscribunt, tum eos qui longis inedijs ægros ipsos conficiunt, atq; Petronã ipsum qui tum carnes tum uinũ exhibebat: In textura sermonis hoc infert pacto: In multis igitur ualde magnis plagis incidebant: si autem febrientes omnes ex tali curationis modo male liberabantur, qui ita curaba͂t, à curatione desistebant. Sed ut uidetur non febribus omnibus ope͂ fert ide͂ sanationis modus. Laudandi igitur cũ Erasistratus, tum alij qui quæstionem hanc proposuerunt, et solutione͂ eius scripserunt

rũt: laudandus quoq; & qui præ cæteris eam proposuit. Scieris præterea & eam nõ magis de acutis morbis q̃ de alijs omnibus proponi soluiq;. Nẽpe responsio de omnibus cõmunis est. Non enim in acutorũ modo, uerũ quoq; & morborum aliorũ curatione cõtrouersi fuerunt medici, atq; ob id longo tempore sua in cibi exhibendi regula permanent, q̃ nonnullos ab ea euidẽter iuuari uidẽt. In cæteris autẽ qui nihil inde auxilij recipiunt, fortassis quidem & ægros occulte aliquid deliquisse suspicantur. quanq; id nõ sit, sed quod retulit Hippocrates in libro De fracturis: ubi agẽs de his qui fracturas cum uulneribus perperam ligãt, atq; ob id lædunt, ait: Non enim deligationẽ causam esse existimant, sed aliud quoddam infortuniũ. Hoc & eos in uictus ratione opinari uerisimile est. Quod autẽ præsenti in oratione recensuit Hippocrates, id palàm est, ubi quis eam secũ cogitans bis & ter legerit. Nempe ex particulari exẽplo cõmunem doceri sermonẽ comperiet, quem & uniuersalem uocare consueuerunt, non Philosophi modo, uerum quoq; & propè omnes Logicæ artis non imperiti. Erasistratus ergo aduersissimarũ meminit uictus rationum. Hippocrates uero relictis monstrosis alienisq;, ad moderatiores se contulit. Monstrosæ etenim alienæq; uere sunt, tum quæ per inediam fiunt summam, tum quæ per repletionẽ immoderatam, qua utebatur Petronas. Moderatę uero quarũ meminit Hippocrates in acutis morbis, ab insignibus exhibentur medicis. Quidam enim hordeaceã ptisanã in his administrant, alij cremorem duntaxat, alij ne hunc quidem in acutis morbis ante iudicationẽ, sed tempore interiacente solos exhibent potus, aquã melicratumq;, & si opus sit oxymeli. Controuersię igitur causa est quã Hippocrates ipse in sequentibus exequetur, & quam ab Erasistrato in primo De febribus bene enuntiari asserebam. Est autẽ ea q̃ aliqui solo ptisanæ cremore indigent, alij hordeacea ptisana, & alij horũ neutro, sed potibus solis ad iudicationem usq; feliciter seruantur. Demonstrabit autem in sequentibus quinam hordeacea indigent ptisana, & qui ptisanæ cremore, & qui neutro horum.

14 Sanè quæstiones huiusmodi proponere medici non consueuerunt: neq; forsan si proponantur, soluuntur.

Quòd primus Hippocrates quæstionem hanc proposuerit, solueritq;, ex hac notũ euadit dictione. Neq; enim, inquit, tales quæstiones proponi à medicis consueuerunt. Quòd si & eas quis fortassis proposuerit, solutio non reperietur.

15. Calumniam uero usq; adeo grauẽ patitur apud uulgum ars tota, ut nullo pacto medicina esse uideatur.

Hac quoq; in oratione ex particulari exemplo rem quandam uniuersalem docet. Nempe in primis quod qualemcunq; tractantium exercitationem cõtrouersia, iustam ignorantiæ suspicionem ostendit. Secundo quod concordia ipsa, merito

A magnam cognitionis spem demonstrat, quod nimirum mathematicis disciplinis ualde contulit. Neq; enim discipulos solum alliciunt, credulosq; reddunt, uerum quoq; & apud idiotas sese uerissimas existimandas præstant. Mathematicis igitur demonstrationibus usos ait, qui euidenter quippiam & citra quamuis ambiguitatem demonstrauerunt. Sed controuersiæ rationem diligenter in sequenti oratione prosequitur.

16 Quapropter acutissimis in morbis usqueadeo dissentiũt inter se artifices, ut quæ alter porrigit optima esse existimans, ea alter mala esse putet: atq; fere ob id uaticinationi (quam græce μαντικὴν uocant) ars ip-
B sa similis esse uideatur. augures siquidem alitem eandem si ad sinistrã uolauerit, bonã faustamq; esse putant: si ad dextrã, malã infaustamq;. Talia quoq; in aruspicina (quã ἱεροσκοπίαν dicũt) uidentur, alia in alijs: sed uaticinantium nonnulli contraria sentiunt. Dico autem speculationem hanc esse & pulcherrimam & cognatam plurimis & cõmodissimis quæ in arte comperiuntur.

Vaticinationem appellauit Hippocrates augurium: & aruspicinam, uictimariam à plerisq; appellatã, quam uere antiqui alij ἱεροσκοπίαν uocãt, quòd ἱερεῖα, id est hostias inspicientes qui in ea sci-
C entia graues & præstantes sunt, ex ipsis uentura prænuncient. ἱερεῖα autem scimus appellari omnia quæ dijs ad honorem exhibemus, quales sunt quę litantur uictimæ, quarum exta inspicientes ἱεροσκόποι, id est aruspices prædicunt. Eos uero qui ex auium uolatu augurantur, quos οἰωνιστὰς & οἰωνοσκόπους, id est auspices appellãt, nũc μάντεις, id est augures appellauit Hippocrates, quanq; μάντεως nomen & μαντικῆς de omnibus quæ ita prædicũt artibus proferatur. Nempe μάντεις uocantur, & ἱεροσκόποι, & οἰωνισταὶ & qui appellãtur γενεθλιακοί, & qui per notas & qui ex uictimis futura prædicunt. Præterea & χρησμολόγοι, id est fatidici, & θεομάντεις, id est diuini uates. Sunt qui et ὀνειροπόλους, id est somniorum interpretes à poeta appellatos
D inter μάντεις, id est uaticinantes collocant. Sed cõstat Hippocratem solos οἰωνιστὰς appellare μάντεις ut poeta appellauit. Nam is in plerisq; sui operis poetici partibus οἰωνιστικὴν artem uenturorum prænotionem esse demonstrat. Quomodo & in primo Iliados circa initia ait, ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα, ἢ καὶ ὀνειροπόλον, καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι. id est, Consulamus itaq; augurem quempiam, aut aruspicem, aut somniorum interpretẽ. Nempe & ab Ioue ostenduntur insomnia. ἱερῆα quidem dicens, ἱεροσκόπον. ὀνειροπόλον uero qui circa somnia uersatur. μάντιν autem οἰωνιστὴν, id est augurẽ auspicemq;. Sæpius etenim in suo opere poetico huius meminit in maximis rebus, diuinandi etiam arte per alites usus. Sed forsan hæc & q̃ decet plura de huius nominis μάντεως appellatione dicta

cta à nobis sunt, atque ob id ad quod dicitur transi- A reiam est tempestiuum. Quod enim ait Hippocrates, tale est: Qui diuinatorias artes prosequuntur in particularibus multis nihil minus quam medici discordant. Vidi equidem aliquando augures in uolatibus ipsis quos dextros & sinistros memorauit Hippocrates, discordantes. Alter Arabs erat, alter Græcus, atque ex Asia nostra. Arabs dicebat dextrã alitẽ, laborantes mulieres seruare: sinistram uiros. Qui uero ex Asia nostra erat, dextrã alitẽ in uirorum morbis apparentem, interrogantibus ipsis si seruaretur, astruere interrogationẽ recensebat, sinistram uero denegare. Interrogabã præterea eos an quomodocunque uolantẽ uel dextrã uel sinistrã alitem pollere eadem significandi facultate dicerent, nihilque differre putarent, si aut celsissima aut B terræ propinquissima, aut media uolaret. Et si media, an si propius uel celsissimam, uel infimam, uel adhuc inter has mediam. Pari modo & si auis uel propinqua uel longinqua uolaret, an ne in his nulla foret distinctio. Arabs eas nihil ea quæ uel in altitudinem uel longitudinẽ uel latitudinẽ esset distantia discrepare respondebat. Græcus uero de symmetro distinguebat, dextro & sinistro, asserebatque ab auguribus hæc scripta esse, atque immoderatas distãtias moderatis cõtrarias esse, testesque in eam rem libros Appolletis, Athenæi, Chæremonis, Artemidori Phocæ, atque aliorũ multorũ qui in augurandi arte clari essent, proferebat. Deprehendi itaque proculdubio Arabem & confusum & à distinguendi arte alienum: Græcũ uero distincte lo- C qui, & artificẽ esse. Nempe artis quæ suorũ theorematum iudicium per experimẽta habet, dissidentia ex distincta & indistincta rerum explicatione oritur. Quod ab Hippocrate edoctus græcum augurem in auiũ uolatu artificiosum magis iudicaui: quippe qui & ex abũdantia quam celebratissimos augurum testes exhiberet, fide dignus magis erat. Cum uero Arabs plurimos ægrotantium quibus uera prædixerat, testes citaret, succedentis ut plurimũ euenti subsecuti causam pronunciaui. Nempe si auis dextra moderate distans uiros seruat, immoderate uero distãs fœminas: sint autem plures quæ immoderate distent, una uero duntaxat quæ moderate, iure quidem multis succedet ex animi sententia, paucis uero non succedet. Græcus autẽ D alias adijciebat distinctiones, quibus etsi dextra auis immoderate distaret, interdum tamen seruandum uirum laborantem declararet. Nempe cinædum, & qui molle et muliebre studium exerceret, ueluti & sacrificulũ mulieris schemate seruari dicebat, rursumque & id ab optimis scriptum esse auguribus demonstrabat. Adde quòd & alias quasdam adijciebat distinctiones, in quibus Arabs nihil intelligere uidebatur. Retuli hæc propter sequentem dictionem quam nemo conuenienter exposuit, sicuti neque eam quæ ante scripta est, ubi ait: Quæstiones sane huiusmodi proponere non consueuerunt medici, neque forsan si proponantur solui reperiuntur. Nam cum clare inquit græce τοιάδε, latine huiusmodi, id est quæ ita dissident,

A quidam de ptisana sola perperam intellexerunt: alij autem paulo his melius de uictu acutorum, alij de omni simpliciter uictu, alij uero de curatione uniuersa prioribus quidẽ melius, sed neque adhuc absolute. Causam enim totius dissidij quæsiuit Hippocrates in omni arte quæ experimentis iudicari possit. Quòd autem id ita habeat, manifeste per sequentem condisces orationem.

17 Nempe & ægris omnibus ad sanitatẽ magnum quippiam potest, sanisque ad securitatem, seseque exercitantibus ad bonum habitum, atque ad quod quilibet uoluerit.

Sermo præsens eos arguit qui Hippocratẽ existimant præscriptã dictionẽ de ptisana sola propo B suisse: eosque qui de uictus ratione siue acutorum morborũ, siue simpliciter uniuersa factum id putant. Pari modo & eos qui de curatione uniuersã problema esse existimauerunt. Nempe prior oratio quæ ita habet: Nempe & ægris omnibus ad sanitatẽ magnũ quippiam potest, eos arguit qui de ptisana, atque alios qui de sola uel acutorũ uel morborũ aliorũ uictus ratione antecedentẽ orationẽ esse opinãtur. Neque enim ægri omnes à sola uictus ratione curantur: cum multi sint, qui manuũ opera & medicamentorũ administratione indigeant. Adhuc uero magis neque à ptisana sola. Neque igitur de diæta sola acutorum, neque de diæta simpliciter quæ est in omnibus morbis &c. sermo Hippocrati existit, neque de sola ea quæ ex his oritur contro- C uersia: sed de omni simpliciter arte quæ experimẽtis tum discerni, tum iudicari nata sit. Qui etenim cõmunẽ uniuersalemque iudicandi notã reperit, ex ea quæ particularia sunt iudicat. Particulare autẽ unum est & quod de ptisana medicis in cõtrouersiã uenit: sicuti & quod de uictus ratione non acutorum modo, uerũ quoque & morborũ aliorũ: atque etiam quod generalius est de curatione uniuersa: & quod adhuc hoc generalius uniuersaliusque est de omni corporis prouidentia, & si sanorũ ea fuerit. Nempe & hi ea indigent arte, non quæ ad consequendam sanitatẽ præcepta tradat, sed ad præsentem conseruandam. Quod non prætermisit Hippocrates cum inquit: Sanisque ad securitatẽ. Nempe ut talis seruetur, securitate est opus. Vtilẽ quo- D que ait esse speculationem & his qui exercitantur ad habitum bonum. ut enim ægrorum curatio ea quæ nunc ab Hippocrate proposita est speculatione indiget: sic & sanorum securitas, ut præsens sanitas conseruetur. Sic & sese exercitantium prouidentia ut bonũ habitũ cõsequantur. Hæc igitur omnia artis quæ circa corpus uersatur sunt. Sed quod serie continuata dicitur, ad omnem extenditur artem. Quid nã etenim est quod ait: Et ad quod quilibet uoluerit? Nẽpe augur, aruspex, musicus, rhetor, & artifex omnis simpliciter causam eius quæ in sua arte reperitur, cõtrouersiæ unã esse sciet: cũ scilicet unusquisque particulare ad uniuersale transfert. Ita sane & in auguribus factã cõtrouersiã deprehendi, eũque qui ueriora loqueret iudicaui, atque ob id augurum memini Arabis & Græci. Nempe artis

artis omnis constitutio ex propriorum à cōmunibus distinctione oritur. Qui enim hæc distinguere potest, is optimus censetur artifex. Vt autē constitutio, sic & iudicatio in distinctione substātiam habet. Nempe falluntur qui artes cōstituunt, cum quod cuipiam contigit, id uel in omnes uel in plures quàm oportet extendunt. Quod siquidē nulli prorsus contigit, nemo id in tali arte persuadebit sibi uerum esse. Nam in hoc uere oritur controuersia, cum unusquisq; rem sibi persuadet, non circa illud quod assumitur confingiturq; cōtentiose litigans: quomodo nonnulli de quibusdam secus quàm sentiebant, fecerunt. quomodo & qui proponunt ambiguum esse utrum uigilamus dormimusúe, aut sapimus insanimusúe. Quòd si manifestum esse id indulgeatur, utri sanè magis uera loquuntur, anceps inquiunt esse, an qui uigilant his qui dormiunt, uel quàm insanientes qui non insaniūt. Nullus siquidem qui sibi rem persuaserit, aut qui secum opinatus fuerit, ita sermones facit: sed qui contentiose litigat, secusq; quàm sentiat facit. Quidam autem in arte medicinali res nouas quidem sunt aggressi, & cum rebus prioribus melius quippiam inuenire nequiuerūt, ex uulgi affectione quam Hippocrates recensuit, ægrotarūt. Nempe quod externū inusitatumq; est, & nondum an utile est intellectum, laudant magis quàm assuetū quod utile esse est cognitum. Sunt qui ob uictus suauissimi promissionem persuadentes ægros alliciunt, doli uafriciæq; non ignari: sed id propter lucri gloriæq; cupiditatem, aggrediuntur. Excepta ergo ea quę uerbis fit controuersia, quam etiam uiri huiusmodi inter se habent, quæ secundum rei ueritatem est controuersia oritur, quòd enunciatio non distinguatur, sed de pluribus quàm oportet, uel omnibus tanq; similiter habentibus efferatur. Atq; ob id iuste laudādus uenit Hippocrates, qui de sola secundum rei ueritatem meminit controuersia: quam qui artē constituere aliquam uolunt patiuntur, cum secū suaq; in anima differēter opinant, & nō uerbis subdole simulatis id agunt ob gloriæ uel lucri cupiditatem. Nullus enim qui animi consilia uere per experimenta iudicat, *Petronæ* uictus rationē recipiet, carnes assas administrans uinumq; nigrum in his qui acuta laborant febre, neq; in tanta siti ita temperans ut cotulæ aquæ uigesimam porrigat partem. Talia siquidem diætemata absurda sunt: duorumq; alterū existit. Nempe aut quòd externa inusitataq; sunt, uafris ab hominibus exercitantur paranturq;: aut summam propter temeritatē id agunt, si planè soli ueritatē reperisse existimauerint. Quæ uero ab Hippocrate scripta sunt, ea in prudētibus uiris qui uere artē constituere student reperiri possunt: cum non maxima sit læsio, quando quibus non oportet offeruntur. Talia igitur distinctu difficilem habent eam quæ experimentis conficitur iudicationem: quæ autem ualde differunt, facilem. Controuersiam igitur in his quæ parū inter se exuperant, iudicare & quibus nam ptisana sola exhibenda in acutis morbis sit, & quibus hordeacea, & quibus

A nullo pacto id faciendum sit, sed potus solus ad iudicationē usq; porrigendus sit, demonstrare Hippocratis diligentia est dignum.

18 Ptisana igitur frumentaceis gustamētis recte præferri mihi uidetur in acutis morbis, eosq; qui eam prætulerūt, laudo. Nempe uiscositas eius leuis, continua, iucunda, lubrica, & mediocriter humens, sitim minime infert: et si quid ablui eget, probe abluit. Nō adstringit, nō male turbat, neq; in uentre tumescit. Nempe inter coquendū quoad maxime potuit intumuit.

B Orationem hanc tantummodo legisse mihi uidetur qui librū hunc De ptisana inscripserunt: ueluti procemij partē primam qui aduersus Gnidias sententias titulum fecerunt. Nam Hippocrates in secunda procemij parte nō amplius Gnidios medicos contra agere: sed sese ad curationis acutorū morborum exercitationem conuertere est uisus. Tertia autē procemij pars quā hucusq; percurrit, ad eam quæ uictū morbis acutis præscribit, artem spectat. Neq; tamē ad eam solā est accōmoda, uerum quoq; & alteri qui uniuersalior sit, subiecta est sermoni. Demonstrauimus autē in his quos in scripta De fracturis articulisq; parauimus cōmentarijs, Hippocratē subiectos specialesq; sermones pro alijs quibusdam uniuersalioribus obsignare consueuisse, doctrinamq; uniuersaliū ex ipsis quæ

C tanq; exempla cōstituit efficere. Neq; enim ita ab instituto recedit, neq; sæpius præcipit quod multorum cōmune existit. Quo autē modo in ptisana sermonem fecit, causam eius quæ de ipsa est contentionis tum uestigans tum decernens, sic & de omni acutorum morborum uictu rectam tulit sententiam. Quinetiam & de uenæ sectione & purgatione, & tum glandis tū clysteris usu: de cataplasmatis itē, fotibus, uino, aqua mulsa, oxymelite & balneo, non parua inter medicos exorta est cōtrouersia. Quę omīa libro in hoc percurrit Hippocrates methodo una quā nuper dixi, uim cuius neq; ignorasse uisi sunt, qui se Empiricos nominauerunt, diorismis, id est distinctionibus propria à cōmunibus separantes. Consueuerunt autem diasto

D las magis quàm diorismos appellare sermones eos, qui quod proprium est, à cōmuni separant distinguuntq;. Iam ergo quæ ab Hippocrate de ptisana dicuntur, uideamus. Videntur ergo mihi (inquit) priores medici frumētaceis gustamētis prætulisse in acutis morbis ptisanā. Frumentacea gustamenta intelligit quę ex frumento fiunt: frumentum aūt græce σίτου homines appellant, maxime quidem triticum, sed iam etiam ordeum ac zeam illis attribuunt. Appellationem uero ad plura extendentes, cerealia quoq; appellata semina cōnumerant, lentem uidelicet, fabam, lupinum, cicerculam, panicum, milium, pisum, fœnum græcum, auenam, tipham, cicera, & quæcunq; id genus alia. Horū igitur omnium frumentaceorum gustamentorū, cætera quidem etiā uulgo damnantur,

quod

quod protinus magnum inferant detrimentũ. Panis autem solus & chondrus in acutis administrantur morbis, & ad hæc sola, ptisana cõparari potest. Lens siquidem, & milium, & fœnum græcũ tanq; medicamenta ob quosdam uentris morbos exhibentur, & non tanq; nutritura cibaria. Ptisanã igitur recte prælatã esse ait frumentaceis edulijs, pani scilicet, chondro, & zeæ, ex qua fit tragus appellatus. Nam eorũ qui chondrum temporibus Hippocratis nondũ fuisse existimant, ignorantiam argues tum ex quibusdã antiquis comicis qui chondri meminerunt, tum etiã ex Hippocrate ipso qui in libro De uictu salubri de chondro ipso mentionem fecit. Nam etsi liber ille Hippocratis non sit, sed uel Euriphontis, uel Phaontis, uel Philistionis, uel Aristonis, uel alterius cuiuspiam ex antiquis (nempe ad multos librũ hunc referunt) sanè omnes hi ueteres uiri sunt, atq; ex eis quidam & Hippocrate antiquiores existunt, alij uero tempore ipsius uixerunt. Loquor autẽ de Hippocrate Heraclidæ filio, qui librum hunc confecit. Nam auus ipsius Gnosidici filius Hippocrates, quorundam iudicio nihil omnino scripsit, aliorum uero sentẽtia duos scripsit De mẽbris fractis & articulis. Quare autẽ ptisana frumentaceis edulijs non perperam anteposita sit, ostendetur per ea quę ipse infert inquiens: Quęcunq; etenim ad acutorũ morborum sanationẽ insunt bona, nulli alteri inesse cõperies, Recte autem iudicabis, si & acutorũ morborũ naturam & ptisanæ uires cognoueris. Natura igitur acutorũ morborum est, uti ipse paulo ante dixit, ut horum febres omnino sint continuæ. febris uero ortus caloris natiui ad igneum est conuersio, ut alibi demõstrauit, & nunc manifestabit inquiens. Ex thorace siquidem incipit, atq; ad caput flammam mittit. Preterea in libris Vulgarium morborũ, febrẽ magnã ignẽ uocare consueuit: quasi non aliam habeat naturam pręter quàm ignis substantiam. Si igitur contraria contrariorũ remedia existant, sanè febris peculiare remedium ut uirtute tum refrigerante tum humectante sit, oportet. Id namq; febris naturæ quæ & calida & sicca est, contrarium erit. Talis siquidem naturæ est ignis. Præterea cum febres & ex humorum putredine oriantur, non paruam diligentiam adhibere oportet ut quicquid ex ipsis concoqui possit, concoquatur: & quod iam exustum sit, neq; amplius concoqui possit, euacuetur. Quòd si febrientibus ipsis cibi usus sit, qui hæc efficere queat, si etiam facile tum coquitur, tum distribuitur, iam omnia hęc quibus est opus habuerit. Quænam igitur sit ptisanæ uirtus, ex Hippocrate audiamus: Viscositas, inquit, læuis est. Læue, exasperanti opponitur. Exasperãt autem acria, acida, & astringentia: Acria sanè omnia calfaciunt, ut eruum, fœnum græcum. Acidorum cætera quidem dimittantur: de oxymelite uero est duntaxat cogitandũ. Dimittantur pari modo ex astringentibus pira agrestia, & mespila, & quæcũq; huiusmodi, atq; ex frumentaceis lens & similia. Exasperantium igitur malitiam ptisana effugit, utpote quæ læuorem non tactu solum uerũ quoq; & facultate habeat. Est item & uiscositas eius cõtinua. Est siquidem in omni parte sibijpsi similis propter exactam coniunctionem. quod zeę nullo inest pacto. Laudatur præterea non parum quod in ptisana iucundũ & mite existit, quod immiti iniucundoq; opponitur, id est quod dum sumitur, insuauitatẽ quandam facit. Sicut deniq; & panis insuauis est, dum sumitur, nisi abũde ipsum maceraueris madefecerisq;. Imò & ita superatur ab ea quæ in ptisana est iucunditate; quæ mandi non indigeat, sed potuũ instar sorberi possit. Neq; paruæ est prærogatiuæ ptisanæ lubricitas, præsertim cremoris. Pertransit enim thoracem in nulla ipsius parte quippiam dum transit, relinquens, ue luti faciunt quę in meatibus infarcta adeo obstruant, ut uix absolui possint. Quod accidit uiscosis omnibus excepta ptisana. Hinc sanè quæ ex chondro fit sorbitio, quod quidem uiscosum sit, habet: sed lubrico est destituta. Ptisanæ autem inest & lubricum & detergens: quapropter medici ad detergendum eum qui in uentre infarctus est, humorẽ, uomitibus exhibito ptisanæ cremore ueluti & aqua mulsa, utuntur. Crudam quoq; conterunt ptisanam puerorum mangones, faciesq; ut uitiosos cutis exterant colores, illinunt. Quod autem in ea detersorium existit, id & ad deiectionem est idoneum, distributionemq;, præsertim ubi ex sima hepatis ad gibbam transmeare debeat quæ distribuitur alimonia. Hic etenim infarciuntur quæ crassi succi sunt, & quæ tenaciter glutinis modo adhærent. Atq; ob id chondrus non in affectis iocinore solum maxime nocet: uerũ quoq; & in his qui uiscus hoc nullo quidẽ pacto læsum, sed cum meatuum angustia naturaliter afformatũ habent. Qui igitur ita natura affecti sunt, ipsis tum uiscosa tum crassi succi omnia infarciuntur, atq; opplent, atq; ob id grauitatem in eo uiscere sentiunt, cum hæc distribuuntur. Pręterea ptisanę uiscositas humens est: sed non uehementer, ut aqua & melicratũ, sorbitio itẽ ex chondro, & ea quæ sorbenẽ oua. Nempe ea omnia stomachũ languentibus ipsis ita manifeste supinant, ut subuersum ipsum esse existimẽt. Verũ Ptisana humectare quidẽ ualet: sed stomachũ subuertere nõ potest. Stomachũ autẽ hoc in loco intelligere oportet ut huiusce tẽporis homines dicere consueuerunt, non meatum uentriculi tantummodo, uerũ quoq; & os ipsius. Quod si imbecillũ fuerit, atq; exolutũ, manet diutius in eo quod indigestum est supernatans. Sed contrarium usu euenire natũ est, ubi à cibo aliquo boni succi reductũ, quod cõtinet expellit. Nempe humor protinus cum ipso recedit, & coquitur, atq; quod ita expulsum est deijcitur. Nec secus q; crudum manet, tardeq; cedit quod in ore uentris supernatat. Nẽpe partis huius munus est appetere, non concoquere. Quæ igitur astringunt edulia, ut uentriculi os roborant, sic & plus iusto exiccant. Pari modo & quæ ex chõdro paratẽ sorbitio, ut humectat, ita & supinare nata est. Ptisana igitẽ humectantiũ uim assecuta, malitiã effugit. Deinceps ptisanã sitim minime inferre ait Hippocrates, maximum

mum quippiam & hoc esse in his qui corpus tum exurũt tum siccant morbis testatus. Hac sanè occasione ptisana quàm aqua mulsa lõge melior existit, quanq; abluendi bonitatem quam deinceps huic inesse ait, similiter aquæ mulsæ nacta fuerit, imò si ptisanam aquæ mulsæ comparaueris, ptisanam ipsam in acutis morbis & superiorem & melioris conditionis esse reperies, quod procedente ostendam sermone. Nam de ptisana sermonẽ absoluere est tempestiuum. Probe siquidem abluere dixit cũ adiectione: Si quid ablui egeat, quasi non in omnibus acutis morbis probe abluẽte utamur edulio. Nempe cætera omnia quæ de ptisana dicuntur bona morbis omnino prosunt acutis: sed abluendi bonitas quibus uentrem subduci uolumus, ubi cibus in uia morat̃, est idonea. Probe igitur abluere febrili affectioni neq; tanq; contrariũ, neq; tanq; familiare auxilium unum utile existit: sed bene tanq; symptomatis alicuius emendatorium correctoriũq;. Deinceps inquit: Neq; astringit, neq; male turbat, uiscositas scilicet ptisanæ: sic enim sermonem de ea inchoauit. Non astringere autem quibusdam maxime bonum existit. Nemo siquidem astringentibus utitur cibis, nisi uel propter symptoma, quod animi deliquiũ inducat, uel propter immoderatũ uentris profluuium. Cogũt siquidem constringuntq; corpora, uiasq; tum distributionis, tum alimoniæ, tum eius quæ foras fit perspirationis conniuere faciunt, quas reclusas apertasq; esse conducit. Quòd autem non turbet, id est, nullam dum cõcoquitur faciat perturbationem, in laude & ipsum præstat ptisanæ. Perturbatio autem huiusmodi ex multis pariter eduliis: his quidem uentrem mordentibus, aliis uero inflantibus, aliis item quæ pugnãtibus facultate partibus cõstant: quod tum in lenticula tum in brassica reperitur. Nempe solidum ipsarũ corpus uentrẽ cohibet, ius autem ipsum proritat, subducitq;. Sic & qui cerebrum cum oleo & garo condiunt totum ex ipsis tum dissimilare, tum sibiipsi pugnãs efficiunt: cerebro quidẽ stabili & tarde meante, mistis uero ipsi ad deiectionẽ excitare idoneis. Pari modo & de ouo dicendum, siue cum melle siue cum sale, siue cum garo adsumatur. Nempe quod ex ipsis constat, differentes habet facultates. Iura item ferè omnia. Quapropter & circa sermonis initia uiscositatem ptisanæ laudans inquit, continua, φ sanè citra totius in partibus omnibus similitudinẽ non fit. Verũ impræsentia huic uerbo turbat, adiecit hoc aduerbium male (sic Græce ὅτι ἀγαθὸν κακόν) ptisanam non turbare haudquaq; simpliciter asserens, sed male adiiciens. Nihil enim ciborũ concoctioni quàm hoc ipsum aduersatur magis. Quo fit ut qui De concoctione scripserunt, ciborum uarietatem præsertimq; ubi uariis constent facultatibus nocẽtissimam dixerint, utpote quæ ingesta ipsa probe concoqui prohiberet. Obseruant id maxime tum exercitiorum magistri, gymnastæ appellati, tum qui legitime athleticam exercent. Prandio siquidem panem duntaxat edunt, in cœna uero carnẽ. Plura de his enuntiarem nisi scirem

A te inuenire ipsa posse, qui ex his quæ de cõcoctione in cõmentariis De facultatibus naturalibus dicuntur sis instructus. Cõmentarios autem huiusmodi si neglexeris, frustra in his uersaris. Quapropter de perturbatione huiusmodi supersedens, ad omnium ultimum me transferam, quod ab Hippocrate de ptisana adhuc loquente dicitur, Neq; in uentre tumescit. Nempe multos ptisanã quòd flatuosa esset damnantes haudquaq; ignorans nõ abs re adiecit. Nam inter coquendum quoad maxime potuit, intumuit. Qua sanè adiectione crimen, controuersiamq;, simul & purgationem significauit, concoctionẽq; edocuit. Scribit quædam & nihilominus de coctione in sequentibus, sed in præsentia tantillum hoc sermoni de ptisana adiiciam. Ptisanam si ualde coxeris, cibũ haudquaq;
B flatuosum efficies. Pulmentum autem ex faba fresa, neq; si tribus coxeris diebus flatu uiduum orba tumq; reddideris. Nempe ex propria substantia quod flatuosum est habet, non autem ob diminutam cocturam ueluti ptisana. Sunt qui ab ipsius coctione ocyus recedere consueuerunt, potissimũq; diuitum coqui. Terũt siquidem crudam eam, atq; deinde parum calfaciunt. Non enim coctam dominis offerũt. Sed de coctione ptisanæ ut dixi rursum dicetur. Nunc autẽ posteaq; uires ipsius demonstrauit, deinceps usus distinctiones docebit, ad quem & ego me conferam, ubi me in sequentibus absoluturum sermonem de ptisanę ad aquam mulsam & alia, comparatione præmonuero.

C 19 Qui igitur in huiusmodi morbis ptisana utetur, ne uno quidem die uasa ut ita dicã inaniri permittat, sed ab usu eius nequaquam desistat, nisi uel propter medicamentum uel clysterem, eum desistere opus sit.

Soluere incipit quod quæritur. Sed quoniã dictionem ipsam non exacte interpretatus sit, ob id obscurum ambiguumq; reddidit sermonẽ. Quapropter quonam maxime expositus modo nihil obscuritatis habeat, referre conabor, sermonemq; ab initio hoc repetam pacto. Quęnam est causa discordiæ cur in acutis morbis alii quidem ptisana hordeacea utantur, alii solo ptisanæ cremore, alii ne hoc quidem ad morbi usq; iudicationem: hoc
D sanè est problema. Sed solutionem deinceps audi. Qui acutis laborant morbis, alii quidem à cremore solo, alii à ptisana ipsa, alii ab horũ neutro iuuantur. Sed sanè immodestius de omnibus morbo acuto laborantibus tulit medicorũ unusquisq; sententiam, non considerata ea quæ in omnibus esse debuit experientia. Sed distinguam ego, demonstraboq; quinam à ptisana iuuantur, quinam à cremore solo, & quinam neutro indigeant. Tota igitur ptisana uti debẽt ex acuto morbo laborantes, qui neq; alio quopiã ante indigent remedio, quale uel per sectam uenam, uel uentris subductionẽ uel quippiam simile fieri solet, neq; etiam eis insit quod periculum minetur symptoma. Cremore autem, qui aliquid tum fallacius, tum periculi magis particeps habent. Quos uero uel sanguinis missione

sione, uel purgatione uacuare expedit, uel etiã do- A
lores sedare: his non ante uel ptisanam uel cremorem dabis quàm quippiam eorum quæ dixi feceris. Sanè hęc Hippocratem pręscripsisse oportuit, & ab unoquoq; singularium rursus incepisse: atq; hoc pacto futurum sermonē obscuritate omni uiduum priuatumq; fecisse. Verũ quoniã id non fecit, non absq; causa obscurus abiecto conuenienter ordine est effectus. Nos aũt dictiones ipsius secuti, reducamus unamquanq; ad ea quæ ante dicta sunt capita, atq; in primis diligentia adhibita pręsentem exponamus dictionē. Quare me latius explicantem Hippocratis dictionē, simulq; & uerba aliqua gratia perspicuitatis adijcientē audito. Qui igitur ægrotantes ptisana in his morbis utuntur (dicam autem paulo post quinam ea uti debe- B
ant) hi quidem nulla die uasa inaniri (ut ita dicã) permittãt, nisi desistere debeãt uel propter medicamentũ uel propter clysterē. His ergo si bis dederis, cum opus habuerint, bene facies, atq; tanta copia, quantã corporis tolerat uirtus. Explicabo aũt tibi scopos quibus attentus uel per uentrē, uel per uenas ipsos euacuabis, aut fotibus cataplasmatis ue uteris. Hæc si prædixisset, deinde singula seriatim resumens cõuenienti exposuisset ordine: non obscurus fuisset sermo ipsius. Nunc autē quod interrepit, interlabiturq; semper, ad finē usq; persequi cupiens, ubi sermonē non parum suspensum esse uoluit, iure obscurum fecit. Vera autē me loqui deprehendes, si dictiones singulas omnes claras manifestasq; inueneris: orationem uero totam C
incompositam & ob id obscuram.

20 Proinde qui bis die cibare cõsueuerũt, bis ptisanam dare oportet. qui semel, semel quidē primo die detur, dein ἐκ προσαγωγῆς id est, sensim paulatimq;, si fieri potest, bis quoq; detur si opus habere uisum fuerit.

Bis cibandos ipsos inquit qui bis cibari consueuerunt, atq; si adsumendi necessitas fuerit, etiamsi semel tantum cibari consueuerunt, ptisanam bis dabis, ab ipso quidē semel incipiens, sed paulatim ad bis ipsum procedens, nempe ἐκ προσαγωγῆς, id est sensim, id declarat. Fitq; res hoc pacto. Semel quidem dabis, quod satis sit: sed minimũ sit quod secundo exhibeas. Deinde paulatim augebis, idq; D
efficies donec ambas æquari alimonias cõtinget. Sed nondũ sermonis huius fides huic patet qui librum hunc Hippocratis legit, quòd neq; ab ipso est præmonstratum quinam sint qui cõmode ptisana utantur. Verum ubi mediocriter ægrotantes ab ipso ita cibari prædixero, paulo post & Hippocratē ipsum uelle id demõstrabo. Atq; hæc tibi sit præsentis huius dictionis expositio. Sunt autē pleriq; qui dictionem hoc scribant pacto: Qui semel cibari cõsueuerũt, semel quidē prima die dandum sensim paulatimq;, q̃d si fieri potest, bis quoq; detur si opus habere uisum fuerit. Sed mēte caret dictio hæc. Nã, ꝙ prima det̃ die sensim paulatimq;, fieri non potest, cum sensim ipsum pluribus ingestiõib. fieri natũ sit: nõ semel neq; statim in prima.

21 Verum inter initia neq; multam, neq; crassam admodum dare oportet: sed quantum & ob consuetudinem, & ne multa uasorum inanitio fiat, ingerere conuenit.

Qui Hippocratem replere ægrotantes asserũt quòd his qui citra periculum agunt, bis quotidie ptisanam dare iubeat, si quod in dictione retulit, considerarent, seipsos condemnarent. Tantum siquidem sorbitionis dari præcipit, quantum alimoniæ corpori & ob consuetudinem & ut non multa fiat uacuatio, administrari conuenit. Si igitur ptisanæ oxybaphum, id est cotulæ quartam partem quæ quotidie ad septimam usq; uel nonam diem exhibetur, minoris esse facultatis quàm id quo alunt nutrimentum faterentur, mea sententia à nugis sese cohibuissent. Sed paulopost id declarabo, atq; in præsentia uerbum hoc inter initia, quod Græci dicunt κατ' ἀρχὰς, exponam. Neq; enim morbi principium id significat. Sed ex eo generalius audi significatum. Nempe cum ęgrotans primũ ptisana egere uidebitur, tũc protinus neq; multam, neq; admodum crassam dato. A multa siquidem & subita tum repletione tum uacuatione abstinuit Hippocrates.

22 Verum dandæ sorbitionis quantitas hoc obseruabitur pacto. Nempe si morbus siccior ꝙ ut quispiam existimet fuerit, non multũ dare oportet: sed ante sorbitionē, uel mulsam uel uinum utrum magis auxiliaturum putaueris, propinare conuenit, quod autē modis singulis iuuare possit, dicetur.

Morbus siccior uarijs dignoscitur modis, quanquam uniuersalem cõmunemq; rationem habeãt eandem. Peripneumonia quidem & pleuritis atq; omnino qui tum pulmonem, tum asperam arteriam infestant morbi, cum nihil ab affectis expuitur partibus: iocinoris uero morbi, uel mesaræi, uel uentris, uel ieiuni, uel intestinorum, uel lienis, ubi aluus prorsus cohibita sit, aut pro necessitate excernat tum dura tum aridiora, & in sese cõuoluta caprarumq; stercora referentia excrementa. Morbi tum arteriarum tum uenarum dignoscuntur linguæ siccitate, & ea quæ totum corpus occupat ariditate. Phlegmonæ pari modo fiunt duræ in his quę tum foris tum conspicue apparent ulceribus, ubi scilicet nulla ex ipsis sanies effluat. Sæpius & in oculis phlegmonæ etiam duræ oriuntur nihil excernentes. Cerebri præterea ægritudines, quæ neq; per nares neq; per palatum expurgãtur, iure optimo siccæ dicuntur. Et sanè superfluitatũ nihil excernere, siccorũ omnium morborũ notam esse non ignoras. Non immerito igitur Hippocrates humectantium aliquid ante ptisanam adsumi iubet, ut uel aquam mulsam uel uinum, tanquã hæc quàm aqua magis humectent. Sed quoniam uires ipsorum sese enarraturum pollicetur, ob id & nos eorũ quæ ad aquam est comparationē, in eam differemus libri partem, quæ horum uires edocet.

23 At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur, talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem, ut dicam summatim, augere conuenit. Nẽpe quæ citius magisq; madescunt, iudicationis denunciant celeritatem. Quæ uero tardius minusq;, tardiorem significant iudicationem.

A morborum siccorum genere ad eos qui contrario pugnant modo conuersus, deinde memorato citra omnium adiectionem uno, narrationem suam cõmune omniũ eiusdem generis exemplũ ratus, merito obscuritatem fecit. Nempe os madescere, & talia à pulmone expui qualia oportet, morbi non simpliciter sunt humidi notæ, qui omnino in omni sit corporis parte: sed cum cuiuspiã eorum quæ respirationi subseruiunt, instrumentorum affectione. Ob eam rem, ut dixi, dictio Hippocratis obscurior est reddita. Sed quod ab eo enunciatur uerũ omnino est: q; scilicet quæ per sputa ueluti oportet excreta expurgãtur, celeriter iudicantur. Contraria uero duorũ alterum subeunt. Nempe aut in perniciem, aut in longum finiuntur tempus. Ergo qui probe expurgantur, his ptisanã dare oportet, uirium corroborandarũ gratia, quo expuitionibus humorum ex pulmone per tussim fientibus sufficiant. Nam qualia esse oportet, sunt ea quę coctionis notas habent, de quibus absolute diximus tum in his quos De crisibus, tum in illis quos De tẽporibus morborũ fecimus cõmentarijs: præterea & in expositione aphorismi illius ubi Hippocrates quonam oportet modo ex apparentibus prænotiones facere ostendens, sermonis exemplum pleuritidem scripsit hoc pacto. Veluti in pleuriticis si sputũ inter initia ꝓtinus appareat, morbũ breuiat: si uero postea appareat, producit.

24 Et hæc quidem per se talia parte plurima existũt. Sed multa quoq; alia peropportuna quæ coniectanda sunt, prætermittuntur, quæ postea dicentur.

Dixi & ego sermoni huic deesse nõ pauca quæ ad distincte definiteq; loquendũ cõmoda existũt, de quibus & ipse agere pollicetur. Sed impræsentia de his solum uult intelligere quæ dicta sunt. Ea siquidem per se talia sunt qualia ipse percurrit.

25 Et quãto maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem usq; dare oportet: sed maxime duos ab iudicatione dies, quibus utiq; uel quinto, uel septimo, uel nono fieri debeat morbi iudicatio. Nã & dierum tum paritas tum imparitas perpendenda sunt. Post hoc autem mane sorbitionem dabis, sero autem ad cibaria tete conferes.

Κρίσιν, id est iudicationẽ, nunc dixit uel perfectã morbi solutionem, uel permutationem eam quæ usqueadeo insignis sit, ut æger periculũ omne euaserit. Duos aũt ab iudicatione iubet adnotari dies, ut & eos qui diebus tum paribus tum imparibus

A fiant accessionum circuitus obseruemus. Contingit siquidem interdum ut tanquam soluto exacte morbo ægri confidant, cibentur deinde negligentius, & eius quę per circuitum repetat accessionis occasionem præbeant. Tutum igitur est etiam si morbus iudicatus fuerit, ad duos usq; dies diligentem uictus rationem qua æger usus fuit, seruare. Præteritis autem ab iudicatione diebus duobus, iam securum est plenius cibare, sic ut neq; mutationẽ eam quæ uniuersim subitoq; fit, efficiamus, sed mane quidem sorbitionem demus, postea uero progrediente die iam & frumentacea exhibeamus alimenta. Cõstat igitur Hippocratẽ languentibus ipsis neq; aliud quippiã ante præfinitũ tempus nuper dictũ dare, neq; panem, sed ptisana omnino

B contentũ esse. Quod ægrum satiantis replentisq; non est, sed potius, si quis uitio uertere uoluerit, tenuius quàm oportet cibantis. Verũ ita cibare neq; tenuius iusto est, neq; plenius quàm oportet: sed exuperantiarũ exacte est medium, & maxime laudabile. Quòd autẽ ita cibare sit medium, argumento est eorum qui contraria uitio uertunt, contentio. Quo è numero Thessalus eiusq; sequaces, tanq; ægros replentem accusant Hippocratẽ, Erasistratus uero tanq; fame necantem. Nam quę ab Erasistrato in primo de febrib. aduersus Apollonium Dexippumq; Hippocratis discipulos dicuntur, calumniam habent eius qui per famem sit cruciatus, qui ad Hippocratem magistrum refertur. Sed sane Erasistrato ignoscendum magis, ut-

C pote qui uerisimilia dicat: cæteros uero qui Hippocratem ægros replere aiunt, uiros Thessalo dignos esse est existimandũ: qui neq; aliud quippiam scriptorum Hippocratis, neq; quæ de uictus ratione proferuntur, nouerunt.

26 Talia autem parte plurima prosunt ijs qui protinus tota utuntur ptisana.

Siue totam, siue hordeaceam, siue ptisanã simpliciter dixerit: unum & idem ex tribus his significatur uocabulis, ptisanã unoquoq; non colatã significante. Nempe si à decoctione quis ipsam colauerit, deinde cremorem separauerit, dederitq;, is neq; tota, neq; hordeacea, neq; simpliciter dicta uti ptisana dicetur, sed solo ptisanæ cremore. Rursus autẽ impræsentia memorabo quinam sint, qui

D ptisana tota ab initio uti debeãt, breuisq; erit memoratio, nisi segniter desidioseq; quę prędicta sũt audiuisti. Si ergo quæ expuuntur utilia fuerint, ægerq; neq; medicamẽto neq; clysteri egere uideatur, ptisana hunc cibare iubet. Sed & consilij rationem ipse adiecit, inquiens.

27 Dolores siquidem pleuriticorũ confestim sponte desinunt ubi aliquid effatu dignum tum expui, tum expurgari cœperit. & purgationes longe perfectiores existũt. minusq; purulenti ita fiunt quàm si quis aliter cibaret. Præterea iudicationes simpliciores facilioresq;, & minus reuersoriæ.

Probe autem hæc omnia à ptisana fiunt, tum q; hume-

A humectet, mediocriterq; incidat quę expui debēt
humida, tum demum quòd uirtutē roboret. Con-
currentibus siquidem utrisq; ocyus expurgantur,
qui respirationis instrumenta infestant humores,
quos quidem & humectare & secare potest ptisa-
næ modo aqua mulsa: sed uirtuti robur non addit:
contraria autē pollent facultate & panis & chon-
drus. Nempe uirtutem quidem roborāt: sed neq;
humectant, neq; secāt. Quod neq; alteri cuipiam
inest eorum quæ medici languentibus dare con-
sueuerunt, uerbi gratia, ouis, gallorum testiculis,
alis, piscibus, iuuenibus columbis, & quæcunq; id
genus sunt. Quare qui lenticulam ex aceto confe
ctam pleuritico in ea morbi declinatione quæ ni-
hil aliud quàm coctorum expuitionē desideraret,
B exhibuit, is nō immerito languēti ipsi qui sequen-
ti nocte suffocatus est, mortis occasionem dedisse
est uisus: imò lenticulam nemo qui mentis cōpos
fuerit, dederit. Quòd si æger aquam mulsam ptisa-
namq; fastidierit, pisces saxatiles sunt maxime ido
nei, ex aqua scilicet & porro & anetho & sale ac
moderato oleo parati: atq; ex nō saxatilibus asel-
li. Sed antea oxymeli propinare oportet: neq; em̄
id stomacho aduersatur, nisi affectis in languente
neruis, & in muliere, utero. Quòd si oxymelitis lo
co medicamentum aliud dare uolueris, dabis eam
quæ ex marrubio & iride fit, confectionem. Nem
pe hæc si per se cum mulsa bibatur, maturat probe
quæ tum in thorace, tum in pulmone sunt super-
flua, atq; ad expuitiones præparat.

C 28 Ptisanā autē ex optimo confectam esse
hordeo oportet, atq; q̄ probissime coctā,
& maxime si non solo uti debeas cremore.

Probatissimū hordeum prius quàm experiaris,
ex eo solo quòd & plenum sit, & nihil rugosum in
se habeat, iudicabitur. Sed experientia iudicatum
per decoctionem deprehendetur, ubi scilicet plu
rimum intumuerit, & succum fecerit plurimum,
quod stabile ratūq; facultatis ipsius est argumen-
tum. Nempe quod ab alendi bonitate sumitur, id
scientificum non est, neq; perpetuo uerū, quanq;
ut plurimū insigne egregiūq;. Ptisanam autē per-
petuo optimā esse iubet: sed maxime si non solo
uti cremore uelimus, uerū & ipsa tota. Quare autē
D id præcipiat, manifeste declarauit cum inquit,

29 Nā præter reliquas ptisanæ facultates
lubricitas eius ne hordeū cū deuoratur no-
xā inferat, efficit: neq; em̄ adhæret, neq; in
recto thoracis manet tramite, ἴξιν eū uocāt.

Hippocratē ἴξιν ut plurimū quidem εὔθυνσιν,
id est rectum tramitē. Interdum autem & φορὰν, id
est delationē dicere non ignoramus. Quòd autē
ptisanę haustę per thoracē tum rectū iter, tum de-
latio ad uentrē usq; per stomachū fiat, liquidò con
stat omnibus: uultq; Hippocrates in ea re nihil ip-
si adhærere. Nempe cum multa in thoracis pulmo
nisq; affectionibus existit caliditas, quod adhæret
arescitq; atq; adeo pertinaciter obstruit, ut uix ab-
solui posit, id anxietatem quandam & sitim facit.

30 Lubricissima autem est, sitim maxime
arcet, facillime cōcoquitur, & infirmissima
existit si optime cocta fuerit, quibus omni-
bus est opus.

Ptisanā probe coctā non lubricissimam modo,
maximeq; ab inferenda siti alienā, & facilis domi-
turę esse astruxit, sed tandem infirmissimā esse ad-
iecit. Quòd maxime lubrica sit, si probe cocta fue-
rit, iam antea est enunciatū. Sed q ab inferēda siti
maxime aliena sit, hic propter hordei naturā con-
tinuo adijcitur. Est autē hordeum temperamento
frigidū. Verū quonā pacto substantiā ipsam tum
frigidam, tum calidam iudicare oporteat, inter ani
mantia quidem in libris De temperamentis dixi-
mus: inter ea uero quæ anima carent, in his quos
De simplicium medicamentorū uiribus fecimus
cōmentarijs. Imò & facillimæ ait esse cōcoctionis
ptisanam huiusmodi, utpote quę dissoluta sit, neq;
quippiam habeat quod & durum sit, & difficulter
perfici posit, atq; haudquaq; flatuosam iam pro-
pter longam coctură effectā esse. Quantum uero
spectat ad id quod in dictionis fine dixit ptisanam
huiusmodi infirmissimam asserens: si nihil de pro-
bissima ipsius cōcoctione antea egisset, promptū
esset sermonē Hippocratis ad eam quæ in uentre
fit domituram referendum affirmare: quasi infir-
missimā dixisset quæ in uentre & facile uincatur,
& perficiatur, & permutetur. Sed quoniā id prædi
xit, infirmitatē illā intelligere oportet: q uel pau-
cā prętet corpori alimoniā, uel nullā habeat qua-
litatē quæ usqueadeo uehemens sit, ut uel neruos
uel mentem feriat, quomodo acetum uinumq;.

31 Nisi igitur quis quantum deest contu-
lerit ut ptisanæ sorbitio sufficiēter paretur,
crebrius sanè detrimentum afferet.

Docere incipit quæ paulo ante se dicturū pro-
misit cum dixit, multa quoq; alia peropportuna
quæ coniectanda sunt prætermittuntur, quæ po-
stea dicentur. Quod autem uerbum πμωρῆσαι, id
est conferre tum apud apud antiquos, tum apud
Hippocratem ipsum sępius pro βοηθῆσαι, id est au
xiliari dictum sit, demonstratū est & in alijs libris
per eas quas in ipsos confecimus enarrationes.

32 Qnibus enim cibus statim inclusus, si
quis non uacuato eo sorbitionē dederit, do
lorē si adest adaugebit: si nō adest, protinus
inducet, frequentiorq; reddetur spiritus,
quod malum est. Nempe pulmonē exiccat,
fatigatq; tum hypochondrium, tum uentrē
imum, tum septum transuersum.

Cibū dixit quod ab edulijs in intestinis ipsis cō
tinetur excrementū. quod Græci & σκύβαλον &
κόπρον appellāt. Si igitur incluso eo, id est ex mul-
to tempore haudquaquam eiecto, ptisanam quis
propinauerit, lateri offensam fieri est necesse pro-
pter intestinorum opilationem, quam ex collecto
in ipsis stercore, flatuq; propter oblatā ptisanam
haudquaq; pertranseunte, & demum ob prauam

quæ ad affectam partem fit distributionem nacta sunt. Quo fit ut exhausta ptisana, necessario dolorem si adsit, adaugeat: & si conquieuerit, reducat. Nempe uapores, flatuosiq; spiritus, et scybalorum exhalationes cum ad latus perueniunt, dolorem ipsi pariunt, adaugentq; ob eas causas & frequentior fiet respiratio. Vocauit autem totam respirationem spiritum & in Prognostico, & in libris Populariter uagantium morborum. Densata autē frequensq; reddita respiratio, respiratorijs in organis assiduum ob motum caliditatē efficit maiorē, qua siccantur tum pulmo, tum septū transuersum: siccanturq; unà & calfiunt eæ quæ tum in hypochondrio, tum in peritonæo existunt, animalis partes. Omnes siquidem in respirationibus unà cum thorace mouentur. Quod autē principio dictionis dicitur. Quibus enim cibus statim inclusus est, Vocem hanc, statim, ordine habet cōmutato, quæ si suam peculiaremq; acceperit concinnitatē cōpositionemq;, dictio ita habebit. Nisi præfato ptisanaceæ sorbitionis modo suppetias tulerimus, frequētius orietur læsio. statim siquidē quibus cibus inclusus est, nisi quis prius uacuato eo sorbitionem ita dederit, maximam afferet offensam. A B

33 Præterea si lateris dolor assiduus est, calidisq; fomentis non remittitur, sputūq; nō procedit, sed κατὰγλισχραινόμενον ἀσαπέως, id est summe citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quis dolorem uel alui subductione, uel secta uena pro utriusuis exigentia soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem. C

Quòd de pleuritide tanꝙ exemplo agat Hippocrates, memoria non excidat. fieri autē pleuritidem ipsam propter inflammationē eius quæ costas succingit membranæ ostendimus. Si igitur cū in uigore fuerit inflammatio ptisanam quis dederit, ægrum grauiter offendet. Vigentis autem inflammationis notæ sunt, dolor assiduus, & quod nullo pacto à calidis fomētis remittatur. Cōtinuo aūt & alia adijcitur pleuritidis non magnæ modo uerū & morosæ nota. ꝙ scilicet sputū abunde glutinosum ab euacuatione arceatur, infarctumq; affectis partibus sit & detentū. Nempe hoc uerbum κατὰγλισχραίνεσθαι plus aliquid indicat, dictione maximā significante glutinositatē, facta præpositionis huius κατὰ adiectione. Satis igitur fuerit ex ipsius additamento quod ita glutinosum sit ab eo quod concoquitur distinxisse. Nempe quod concoquitur, mediocriter glutinosum existit, non tamen καταγλισχραίνεται, id est neq; extreme neq; summe id habet. Et ne quis in ea re falleretur, continuo Hippocrates uerbo huic καταγλισχραινόμενον aduerbiū hoc ἀσαπῶς adscripsit, ꝗd idē cū ἀπέπτως id est incoctibiliter significat. Nēpe καταγλισχραινόμενον ἀπέπτως, id est citra coctibilitatē glutinosum malū est. Aegro aūt ita affecto si quis ptisanā dederit, prius quàm dolorē uel secta uena uel uentris euacuatione soluerit, hominē perimet. Nempe in D

præsenti & tali pleuritide, postea quàm à calidis fomentis nō remissum esse dolorē dixit, statim duo alia habet aduersus dolorem remedia, sanguinis missionē scilicet & purgationē. Nam eorum quæ ex opio, hyoscyamo, & mandragora conficiuntur medicamentorum usus, pleuritidis dolorem non sanat, sed sensum tollit enecatq;. Nunc ergo sectionis uenæ meminit simpliciter & purgationis. Sed deinceps super utriusq; usu distinguetur.

34 Ob has igitur προφάσιας, id est, causas, atq; ob alias similes adhuc magis, qui tota utūtur ptisana, septimo die uel celerius moriuntur: alij quidem deliri, alij uero ob difficultatem spirandi stertoremq; præfocati.

Quòd sæpius appellet causas προφάσεις, demonstratum quidem in his quas in alios libros parauimus enarrationibus. Sed quas nam alias præter dictas unà celeriorem inferre mortem dicat, adijcere sermoni oportet. Nunc siquidem sumptionem ptisanæ prius ꝙ soluatur dolor recensuit. sputiq; ob frequentem respirationem glutinositatem, ob quam & suffocātur. Sed lædi quoq; asserit, si prius ut supponitur, quàm uacuati sint, uinum sumpserint, aquam item mulsam & oxymeli. Nempe de alijs omnibus neq; idiotis ipsis non constat. Non abs re igitur ait alios mente læsos mori. Id enim contingere natum est si uinum uinosaq; intempestiue sumpserint.

35 Non perperam autem hos antiqui siderátos esse existimauerunt, tum maxime ob id, tum non minime quòd mortuis latus liuidum plagæ simile uideretur.

Veteres talis prehendit opinio tum propter necis celeritatem, tum quòd nonnullorum latus affectum liuore uideretur, ubi scilicet inflammationis erat radix. Sanguine etenim in latus ob dolorem perueniente, quantum ipsius ad cutem distributū est, id in morte perfrigeratum nigrorem cōtraxit: similiter illis qui ita ex plaga affecti sunt.

36 Rei huius causa est, quoniam prius ꝙ dolor soluatur, pereunt. Cito siquidem fiunt anhelosi.

Quòd autem hoc respirent pacto, deinceps ipse ostendit inquiens,

37 A multo autem frequentiq; spiritu ut iam dictū est, summe tum uiscosum, tū incoctum effectū sputū fieri egressum prohibet.

Quòd prius ἀσαπὲς dixit, nunc ἄπεπτον, id est incoctum dicit. fidemq; facit quòd et probe tunc uocis transpositionem fecimus.

38 Imò stertorē inducit, in bronchijs pulmonis retentū. Et ubi ad hoc deuenerit, letale iam plerunq; existit. Nā & sputū quod intus retinetur, prohibet aeris ad interna delationem, cogitq; ipsum celeriter egredi.

Non omnis aer in huiusmodi affectionibus ad interna ferri prohibetur, Nempe si id fieret, hominem

minē protinus mori esset necesse, non secus quàm his accidit qui strangulantur. Verū quod usui respirationis cōferat, intro ferri prohibetur. quapropter ad dies aliquot sufficiunt, sed tractu temporis aucta indigentia moriuntur.

39 Et ita ad malum sibijnuicem opitulantur. Nempe retentū sputū, frequentem spiritum reddit, qui frequens effectus sputum adglutinat, atq; expui prohibet.

Quòd uerbo hoc τιμωρέειν pro opitulari tum antiqui alij, tum Hippocrates usi sint, sæpius ante dictum est, & nunc sanè συντιμωρέειν ἀλλήλοις εἰς τὸ κακὸν dixit pro συμπράττειν & λυσιτελεῖν, id est opitulari & prodesse. atq; quonam modo sibi inuicem opitulentur prosintq;, perspicue quidē ipse ostendit, sed & à nobis dicetur. Sputū in bronchijs pulmonis tenaciter adhærens, pulmonis canali angustiā parit, atq; ob eam angustiam minus ægri inspirant. Quo autē minus inspirant, eo magis insatiabilem reddunt respirationis necessitatem. atq; ob id citius à priore inspiratione ad secundam properant. quod densum frequentemq; spiritū uocant.

40 Prehendunt autem hæc non solum si ptisana intempestiue utantur, uerū & multo magis si quippiā aliud quod ptisana deterius sit, uel ederint uel biberint.

Iam rei huius paulo ante meminit cū dixit, Ob has igitur causas, atq; ob alias similes magis. Imò eo in loco de uino, aqua mulsa, & oxymelite mentionem fecimus. Hic autem & alia intelligere est opus, quæ ita affectis non aliter pleriq; medici exhibent quæ etiam quàm aqua mulsa, uinum & oxymeli nocent magis.

41 Bene igitur ut plurimū similia sunt auxilia tum ijs qui tota utuntur ptisana, tū ijs qui cremore ipsius: uerum qui neutro horum, sed potione sola utuntur, his interdū non uno est auxiliandum modo.

Auxilia inquit similia sunt & ijs qui ptisana, & ijs qui cremore ipsius utunt̄. Sed qui potione duntaxat utuntur, his interdum differenter opitulari oportet. Sed qualis nam sit huiusmodi differētia, in sequentibus perdocet.

42 Verum omnia hæc ad hunc modum facere oportet. Si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haudquaquā purgato febris uel cum dolore uel sine dolore inceperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partē descendisse coniectum fuerit.

Sermonem lacerum frustatimq; sectum, neq; continenter & conuenienti digestū ordine fecisse sese deprehendit Hippocrates. quapropter resumens ipsum, ad accōmodum perducit principiū. hoc autem ideo ipsi accidit, ꝙ quæstionem super medicorum cōtrouersia soluere conatus, in ea solutione de rationibus curatorijs mentionē fecit,

A qui sanè re intellecta atq; his quidem permutatis, sermonē ab initio aliter percurrere debuit. Nempe & ita mihi aliquando felicius contingere est uisum, utpote qui ijs quæ ante scripta fuerant, permutatis, alio de ipsis scripserim modo. Sed quonā pacto & quęstionem ab ipso propositam soluere, & sermoni ordinē dare debuit, his exponam ego qui talia interpretari exponiq; desiderant, uiamq; dilucidabo: iam ergo animum conuerte, sermonē ab initio auditurus. Quare cōtingit ut interdū præstantes medici de curatione dissideant? ꝙ scilicet in nonnullis expertum conuenire omnibus putauerunt. Sic sanè & in uictus ratione in morbis acutis fuerunt controuersi: alij quidem ægros ad iudicationē usq; ptisanæ cremore seruantes: alij ptisānam ipsam exhibentes: alij autem neutrū horum

B administrantes, ex parte autem uerum quidem dixerunt omnes: sed ex parte falsi circūuentiq; sunt. Nempe quidā ex acutis morbis ptisana indigent, alij cremore, alij horum neutro ad iudicationem usq;. Verum lucis gratia de acuto morbo uno tanquam exemplo sermonē faciam. Et demum pleuritidis super curatione agere proponatur. Si languenti non multo ante tempore cibato, neq; uentris oneribus expurgato febris inceperit, sorbitionem huic non dabis donec quæ administrata est alimonia, penetratis plurimis intestinis, ad ultimū usq; peruenisse uidebitur. Principium huiusmodi ubi quispiam sermoni fecerit, atq; deinceps omnia proprio dotauerit ordine, doctrinam in his

C haudquaquam obscuram pariet.

43 Vbi autem dolor aliquis uexauerit, oxymeli bibendum dabis: hyeme calidum, æstate frigidum. quod si multa sitis fuerit, melicrato utendum & aqua.

Siticuloso existente ægro, ab oxymelite admodum multo maxime temperandum præcipit, quapropter continuata serie tum melicrati, tum aquæ mentionem fecit. Nempe quantum ad morbum spectat, oxymelite magis est utendum, uerum si æger accepto multo oxymelite adhuc sitiuerit, melicratum insuper dare oportet. Quod si & ab ea re sitiuerit, aquam offerendam putato. Nempe aqua per se pota culpa non caret. Causas uero ob

D quas aqua pota culpetur, in sequentibus atq; in ea libri parte, quæ de uirtutib. ipsius agit, perdisces. Nunc autem quod præsenti adposuit orationi recensebimus, qua scilicet præcepit oxymelite utendum, hyeme quidem calido, æstate uero frigido. Nēpe id ad eam quæ in acutis morbis magno est adiumento nos hortatur gelidæ aquæ potionem, quam omnino prætermisisse uidetur Hippocrates: atq; ob eam rem à quibusdā est culpatus. Res etenim doceri non negligenter incuriosèq; narrari debuit. Quam ergo sententiam de frigidæ aquæ potu habuerit, præsenti ex sermone dignosci ualet. Nempe si Hippocrates sitientibus oxymeli frigidum aliquando exhibeat: quòd & aquam daturus sit, est manifestum. Quamuis enim non prorsus de frigidæ potione id pręceperit, ueruntamen

præceptionem sequitur ipsius: utpote qui febrem ex natiuo calore exardescente suscitari existimet, atq; contraria contrariorum esse remedia. Cum autem ignis tum calidus, tum siccus sit, atq; ob id etiam febris, sanè aqua febris naturæ aduersissima est, corpus tum refrigerans, tum humectans. Et sanè ab ea si tempestiue detur, febres protinus extingui uidentur. Dictũ sanè abunde in libris Methodi medendi: sed & nunc rei summa dicetur. Cum ergo febris fuerit, constante uirtute, tunc non solum non offendes, uerum & iuuabis abunde. Potio autem frigidæ huiusmodi, tanta sit quantũ frigidæ aquæ æger citra respirationem haurire possit. Oxymelitis uero exiguum datur, neq; singulis oblationibus plus dimidio, in hoc ergo exhibitionis scopus est dissimilis. Nẽpe ad febris extinctionem frigida affatim atq; ad laborantis usq; satietatem bibitur. Quę enim ita bibitur aqua sanationis gratia bibitur. Oxymeli uero æstate datur frigidũ, ne laborantis adaugeat sitim, imò ut aduersus etiã contrarium conferre possit. Ob eas etiam causas frigidum oxymeli ante morbi coctionem dari iubet, quasi frigidam aquam ad satietatem usq; in eiusmodi affectione dare æstate haudquaq; debeamus. Densat siquidem inflammationem si ex ea febrierint, crudosq; perfrigeratione reddit humores, ubi ex ipsis morbum contraxerint, sed ab oxymelite corrigetur, quod secandi uim habet. Nempe quod secat penetratq;, id spissanti cogẽtiq; corpora est contrarium.

44 Postea si dolor quispiam uel periculũ comparuerit, sorbitionẽ dare oportet neq; multam, neq; crassam: sed post septimã uel nonam si ualidus sit.

Qui Hippocratem ægros ἐμπιπλᾶν, id est replere dixerunt, (ita enim uerbo sunt usi) dictionem hanc prætermittere mihi uidetur: ut qui fame necare ipsum dicunt, solam hanc legisse apparent. Quòd si utriq; animaduertissent, eorumq; quæ ab ipso bene enarrata sunt meminissent, quonam scilicet pacto naturæ inter se ualde differant, forsan eos contraria Hippocrati imponere puduisset, & potissimum si reliqua animo uolutassent quæ ipse demonstrauit, regiones inter se differre ostẽdens, anni tempora, ætates, consuetudines, & proprios peculiaresq; languenti unicuiq; ante morbum uictus. Si ergo in omnibus quę dicta sunt, contrario habentes modo inter se comparaueris, maximas in uictus ratione comperies differẽtias. Quas ubi è regione inter se ordinaueris, iam & hoc pacto multas consistere in medio exacte uidebis. Sed de huiusmodi differentijs dictum quidem absolute in libris methodi medendi, dicetur quoq; & nunc rei summa. Statue igitur quempiã natura siccum quidem corporis habitu, sed superficie densum spissumq;, latis uenis, uirtute uitali ualida, cibisq; non multis assuetum ægrotare hyeme non admodum frigida, in regione etiam eiusmodi, atq; prius quàm ægrotaret ocio deditum, insatiabiliterq; cibis multi nutrimenti abusum. Præterea & os uen-

A tris ualidum sit, quod & stomachum quidam appellant. Sit autem & alter contrario adfectus modo, humidus quidẽ & mollis, & uirtute uitali imbecilla, & qui plures cibos ingerere cõsueuit: Aegrotetq; æstatis tempore ęstuoso, & regione eiusmodi, statuamusq; hominem antequam ægrotaret, tum curis, tum assiduis actionibus fatigatum, pauca præter consuetudinem edisse, & oleracea, & quæ haudquaq; nutriunt. Ventris item os non ualidum, sed natura imbecillum habere, atq; his ita habentibus, uterq; eodẽ si uolueris morbo infestetur, ea scilicet quam Hippocrates ueluti exemplum hoc in loco constituit, pleuritide. Anne una tibi uictus ratio in utroq; definienda uidetur? An posterior à prima die alendus: prior uero potu solo ad septimam usq; gubernandus, ubi morbum non longius protracturum sese speraueris? B Ego sanè qui longa experientia utrunq; probauerim, optimam ita fore uictus formam assero. Nam si uice uersa feceris, priorẽ scilicet à principio nutrire aggressus, posteriorẽ uero ad septimum usq; sine cibo seruare uolueris, trucidabis sanè ante quartum diem utrunq;. Nempe alterum citissime præfocabis, alterius uero uires prosternes. Cæterum adijce si uelis ætatem utriq; contrariam: priorem quadragenarium constituens, posteriorẽ puerum. Nam hoc pacto citius adhuc ad mortem uterq; properabit. Sed sanè omnia hæc quę nunc dicta sunt, ad unum reducuntur scopũ, qui uno uerbo ab Hippocrate est declaratus. Quid enim ait, C Sorbitionem dare oportet post septimã si ualidus fuerit? Verbũ siquidẽ unum est: sed ex omnibus quę nuper dicta sunt inuenitur. Si enim usq; ad septimũ sufficere poterit, ex oxymelitis, & melicrati, & aquæ usu, per ea quæ dixi omnia liberabitur ac sanabitur. Nam si quædam affuerint, quædam defuerint, præsentium uires, ad absentiũ uires cõferens, quot diebus sufficere ex tali uictus specie æger possit, deprehendes. Verum hæc nostris in tractationibus demonstrata sunt, quas si legisti, memoriæ mandes oportet: si non legisti, in eas te prius transfer, si sententiæ Hippocratis ueritatem cognoscere uolueris. Omnia siquidem in operibus omnibus dicta sunt à nobis qui uerissima Hippocratis dogmata sequimur. Sed cum fieri non D possit, ut homo unus conuenientem methodum & singularia quæ in ea sunt omnia doceat, neque ideo ab Hippocrate singularia omnia auditurũ te existimaueris. At potius culpa eos qui cum ea quæ ab Hippocrate bene præcepta sunt, elaborare & conficere deberent, laudis appetentia ducti sectam aliam constituunt. Verum nos qui ueritatem honoramus, laudamus Hippocratem cum in cæteris omnibus, tũ q in unoquoq; opere proprium scopũ ita docuerit, ut huic attẽtus omnino quispiam definitam certamq; inuentionis auxilio rũ habeat uiã, Sic sanè & cibandi scopũ unũ communem prorsus, tum sanis, tum languentibus esse demonstrauimus. Is aũt facultatis uitalis custodia est, quam nũc manifeste explicuit cũ dixit: Si ualidus fuerit. Ob eandem sanè facultatẽ sani edimus, &

& bibimus, aliaq; omnia uitæ munia exequimur. Propter hanc eandē & ægri ad cibos potusq; procedimus. Nempe morbus suæ affectionis indicat auxilia, phlebotomiā uidelicet, clysma, cataplasma, purgationē, oxymeli, aquā mulsam, atq; aliorum unumquodq;. Virtutis uero custodia solā indicat alimoniā. Si igitur morbosam affectionem nullo pacto ostenderet alimonia, nos uirtuti soli attendentes ægros ut sanos aleremus. Sed quoniam sæpius noxā uti ostendimus affert, ob id morbi affectionem, non tanquā cibi indicatricem, sed tanq; prohibitricem contemplamur. Vbi ergo nō prohibuerit, facultasq; præceperit, tunc nutrimus. Neq; enim cibus morbi affectionem sua ratione iuuabit. Id sanè dixi, quoniam sæpius materia una uim tum cibi tum medicamenti obtinet, ut ptisana. Nempe q uirtutem roboret, id ea efficere tanquam alimentū nata est: sed quoniam & siccat & humectat quæ expui oportet, ideo medicamenti obtinet rationē. Chondrus ergo pleuritico cibus tātum existit, oxymeli uero medicamentum. Sed utranq; facultatē ptisana obtinet, usumq; languentibus ipsis exhibet, sed ingeritur uirium quidē cōseruandarum gratia tanquam alimentum, ut uero soluatur morbus tanquam medicamentum. Cum igitur uirtus ad morbi usq; iudicationem sine ptisanæ sorbitione suffecerit, oxymeli & aqua mulsa satis sunt: oxymeli quidem uim medicamenti solam habens: aqua mulsa uero cibi pauci & imbecilli. At si iudicationē septima die citius futuram speraueris, ut uerbi gratia uel quarta uel quinta, ægros sanè multos sufficere citra ptisanę sorbitionē posse comperies. Quòd si ad septimam usq; protrahatur, paucos omnino: suntq; hi qui & uirtutem habēt ualentem, corporisq; habitum tum durum, tum ægre transpirabilē, succosq; uel crassos uel uiscosos, atque si ambiens aer calidus non fuerit. Nempe si nihil è nostro efflueret corpore, alimento opus nō esset: sed quoniā q̄d defluit, huius proportione effluit, etiam cibi quantitatem definimus. Quibus igitur per cuticulares meatus parum exhalat, fieri potest ut his summam consulamus inediam, & magis ubi uirtutem ab initio ualidam habuerint. Nam uelociter laborat quæ imbecilla ueluti senum fuerit, & si corpus parum exhalauerit. Quapropter & pauloante quadragenarij meminimus, & non septuagenarij.

45 At si nuper cibato cibus prior nō descenderit, uirtusq; ualida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet. Si uero uirtus imbecilla fuerit, glande est utendum, nisi aluus sua sponte probe deiecerit.

Rursus et hoc in loco remediorū indicationem ab affectu corporis accepit, simulq; uirtutem cōsiderauit, non tanquam remediorum usum aliquando indicantem, sed tanq; cōtrario indicantem modo, interdum autem & prohibentem. Nō enim q æger ualida sit uirtute, ob id clysmate est opus, sed clysmatis indicatio ex uentris desumitur affectu. Si uero uirtus ualida fuerit, uacuationi non reclamat: quæ si imbecilla est, uacuationem ipsam inhibet. Sed rursus ad Hippocratis consuetudinē conuerte animū, qui in talibus aliquando de sola agit uirtute, sicut in ante dicta uidere est dictiōe, sed interdū adijcit ætatem. Præcipuus siquidē est uirtutis scopus, sed ad notitiam eius confert etiā ætatis cognitio, cito quidem in pueris laborante propter copiā effluuij uirtute, in ætate uero florentibus abunde sufficiente. Cæterū quomodo in pueris corporis substantia tum mollis tū humida pręcipua exolutionis uiriū causa efficitur: sic & in regionibus & anni temporibus res habet. Nēpe horum caliditas uelociter cōfestimq; uirtutē uacuationis quātitate soluit: iure igitur Hippocrates ex uirtute interdum sola distinctionum huiusmodi doctrinam efficit, interdum & quippiā ex alijs adijcit, unà cum ipsis & cætera commemorans.

46 Tempus autē dandæ sorbitionis tum per initia, tum per omnē morbi decursum hoc maxime seruare oportet. Nam si pedes frigidi fuerint, non à sorbitione modo, uerum quoq; & maxime à potu temperandū. At cum caliditas ad pedes descēderit, tunc dare expedit. Sanè tempus ualere admodū putandū cum in morbis omnibus, tū præcipue in acutis, & potissimū quibus febris uehementior suberit, periculūq; summum.

Quomodo dixi unum quidē esse alimoniæ scopum custodiā uirtutis, necessariò aūt simul morbi affectionem contemplandā esse, ita cibi offerendi tempus ex morbo nō prohibente inuenit. Quantum siquidem ex primo uirtutis scopo est, interdū & per accessionum initia alimoniæ existit necessitas, sicuti & in sanis ubi primū in naturalibus euacuationibus quis propè eo deuenit ut ægrotet, refectione ipsi opus est. Sed quoniā in accessionum tum principijs, tum incrementis ingesta alimonia lædere admodū nata sit, ob id differimus ipsius exhibitionem, quanq; corpus ipsum iamiam indigere uideatur. Quod nā igitur optimū languentibus ipsis dandæ alimoniæ tempus? Sanè cum moderatissime habuerint, tū thorax, tum uenter: deterrimum uero cū ea deterrime habuerint. Deterrime aūt habēt in accessionū principijs: moderatissime uero in declinationibus. Constat igitur optimum cibi ministrandi tempus in ægrotantiū declinationibus esse. Accessionis aūt principiū fit calore omni toto ex corpore ad cor thoracemq; concurrente. Incrementū cum paulatim ad extremas corporis partes sese expandit. Status cū ex æquo corpus totum occupat. Verum declinatio contrariū principio modū habet, perspirante scilicet caliditate atq; mediū corporis relinquente, quod uno ostendit uerbo inquiēs: Cū ad pedes calor descenderit. Neq; enim idē est calidos ex frigidis fieri pedes, et caliditatē in eos transire. Nā descendere transitionem caliditatis ex alia parte in aliā manifestat. Fieri aūt potest ut pedes calfiant, manente in corporis medio caliditate, quod in uigore ipso cōtingit.

47 In primis autem & maxime cremore, deinde ptisana uteris, præscriptis coniecturis diligenter attentus.

Postea quàm Hippocrates prædixit quãdo potu solo regere ægrotantes oporteat, & quãdo ptisana: nunc quando cremore solo, & quando ptisana ipsa utendum sit, distinguit, breui quidẽ & conspicua distinctione. Nempe ad coniecturas quas recensuit, animum cõuertens, quis nã ex languentibus ptisana uti possit, comperies: sic tamen ut à

A cremore ipso exorsus ad ipsam sensim paulatimq; te trãsferas. Dico autem sensim paulatimq;, ut primum quidem solo utaris cremore, deinde cremoris quidem plus exhibeas, ptisanæ autẽ exiguum: deinceps æqualiter utrunq;, mox ptisanæ plus, atque tandem eam solam: sciens ptisanam ipsam ad corporis nutrimentum uirtutisq; robur exuberare, cremorẽ autem ad concoctionem confectionemq; facilem esse. Cum igitur morbi conditionem uirtutisq; robur uergere ad melius uideris, auge & tu ptisanæ oblationem.

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE VICTVS RATIONE IN MORBIS ACVTIS

Commentarius secundus.



1 **LATERIS dolorem siue is per exordia fuerit, siue postea obortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere, non abs re existit.**

Quod à me sepius est enũciatum, ad memoriam & nũc id reuocare est melius. Nempe quòd exponuntur explananturq; quæ obscuritatem habent dictiones: neq; tamen expositores id tantũmodo in cõmentarijs faciunt, uerum quoq; & ea quæ dicuntur in libris in quos cõmentaria parant, astruũt & demonstrãt. Ob eum igitur morem cogor ego & his consentire quos non probo, atq; ut plurimum ad ea quę explicatiõe egent, sententiã meam prodere, & efferre. Neq; tamen eorum quæ in huiusmodi cõmentarijs uera mihi apparent demonstrationes scribo, utpote qui de his singulis peculiariter scripserim: sed solas earum quæ cæteris in tractationibus demonstratæ sunt rerum summas ad memoriam reuoco, quod & hoc loco in mentione doloris sum facturus. Ergo quòd dolor in sensilibus fiat corporibus, cum ea ipsa in id quod præter naturam est, subito simulq; transmutantur, diximus & in libro De elementis secundum Hippocratis mentem, & in eo quem De symptomatum causis fecimus. Præterea & quonã pacto transmutatio ea bifariam fiat, corporibus huiusmodi aliàs tum subito simulq;, tum uiolenter secundum qualitatem alterascẽtibus, aliàs unitatis dissolutione. Alterantur autem subito simulq; ab efficientibus qualitatibus, cum & calfiunt, & perfrigerantur, & siccantur, & humectantur. Verum unitas dissoluitur corrumpiturq;, ubi corpora illa uel uehementer distenduntur, uel comprimuntur. Ad hunc igitur modum dolor lateris in pleuriticis affectibus, de quibus agit Hippocrates, ortũ habet. Nã phlegmone illis in locis præ caloris qui præter naturam est copia, partes eas quæ phlegmone obsidentur, per distemperantiam contristat, & repletione distendit. Primo autem auxilio si doloris uel sanari uel mitigari fomentis calidis possit, tentandũ pręcipit Hippocrates. Nempe fomenta calida cutim ipsam ad perspirationes rariorem efficere, phleg-

B monesq; sanguinẽ tum tenuare, tum per halitum digerere consueuerunt. Quæ si facta fuerint, non solum sanguinis aliquid euacuabitur, uerum quoque et affectæ quæ minus distenduntur partes, mitius exinde & mansuetius dolebunt. At eum sanguis in phlegmone non diminuitur, uel etiam spiritus uaporosus ex calore generatur, tunc dolorẽ augeri contingit. Sanguis autem non deminuitur propter eam quæ in toto corpore est, humorum redundãtiam. Nam pars quæ calore afficitur, plus trahit quàm euaporet. Nempe quæ calfaciunt, sua pte natura ut hoc habent, ut quod in his quas contingunt, continetur partibus digerant, sic & quod redundat ex propinquis trahunt. Cum igitur fomenta calida dolorẽ non soluerint, corpus totum

C insigni aliqua euacuatione præuacuabis. Vacuatio autem insignis in morbis acutis, aut per uentrem, aut per uenę sectionem fit. Quarum alteram adsumi præcipit Hippocrates, scoposq; eius quæ præsidio magis esse possit edocet. Summa ergo præsentis narrationis hæc est. Verum quæ particulatim ab eo dicuntur, & quæ multis tum obscura, tum ambigua existunt, in sequentibus explanabo. Multis dixi, quoniam his qui sese in dictionibus antiquis intelligendis exercuerunt, pauca omnino obscura sunt. At in hisce commentarijs intentionem non eò tantum dirigimus.

2 Fomentorum calidorum probatissimũ est aqua calida, uel in utre, uel in uesica, uel

D **in uasculo, aut æneo, aut testaceo admota.**

Fomenta calida proculdubio uocat, quæ corpus quouis modo calfaciũt. Quorum alia prorsus humida, alia sicca, & alia ex utrisq; mista. Mordentia præterea alia, & alia mordendi facultate carentia, & ex ijs cõmista tertia. Primum igitur horum genus, cuius in dictiõe meminit, morsu caret, atq; humidum existit. Secundũ ex utrisq; sicco & humido, mordenti & morsu priuato cõmistũ est. Tertium aũt siccum quidem, sed uel mordẽs uel morsu carens. Quòd si & affectiones quæ unoquoq; dictorum generum egent recensuisset, orationem profecto suam tanto perfectiorem melioremq;, quanto & legentibus ipsis utiliorem fecisset. Sed quia non recensuit, propterea neque id recensere

necessarium

necessarium erit nobis qui doctrinam alterius explanamus, non nostrã persequimur. At uero quoniam partes meæ sunt contra ꝙ expositores cæteri agere, (Nempe illi suis in enarrationibus sophisticas quę discentes ipsos ad finẽ artis nullo pacto iuuare possint, superseminant quæstiones: ego autem semper quæ cõmodissima sunt prosequi molior) ob id & nunc doctrinæ Hippocratis prætermissa quidem ab eo, sed quæ toti sentẽtiæ dogmatisq; atq; uniuersalibus præceptis quodam accedunt consequio, adiĳcere nõ cunctabor. Quanam igitur ratione fotus omnis doloribus sæpiuscule adiumento sit, prius dictum est. Dictum quoq; & de his est doloribus qui à fotu nullo pacto, nisi prius uacuato uniuerso corpore, iuuãtur. Verũ cum hæc fotibus omnibus cõmunia sint, humidi quidem phlegmonis his quæ à biliosiore succo factæ sunt, opitulantur. Sicci uero ĳs quæ à tenui aquosoq; sanguine exortæ sunt. Perpetuo siquidem cõtraria contrariorum esse remedia meminisse oportet. hoc igitur scopo fotus morsu carentes aduersus mordẽtes succos prosunt. Mordentes uero ꝙ tenuent, cõtra crassos uiscososq; ualent humores. Eam ob rem quisnam in ea quæ phlegmone obsidetur parte euincat humor obseruabis, ab ĳs quæ retuli auspicatus: ætate scilicet laborantis, naturali temperatura, anni temporibus, locis, & uita antecedente: & si phlegmone uideatur, ex ĳs quæ ipsi tum in colore, tum in magnitudine, tum in duritie, tum in mollitie, contigerunt. Et si pleuritidem uel peripneumoniã curaueris, ex ĳs quæ spuendo excernunt. Verum cum præfata omnis dignotio coniecturalis sit & nõ scientifica, non certa cõpertaq;, præsertim ubi in corporis imo sita sit, quæ dolore afficitur particula, ab his inchoare te oportet, quæ ꝙ cætera magis auxilio esse tibi uidebuntur. Quòd si nihil præsidĳ tuleris, ad alia etiam te trãsferre conueniet. Dolore autem non sedato, ad aliã totius corporis accede euacuationẽ. Videt ergo Hippocrates ab eo incepisse fotu, qui periculo omni uacat. Is autem est qui minime mordet, humidusq; existit. Nempe tametsi nihil aduersus malũ fecerit, non tamen magnum, & insigne adferet detrimentum. Cęterum fotus qui ex aceto, uel eruo, uel sale fiunt, nisi propitiam conuenientemq; consequantur affectionem, non solum non salutares erunt, uerũ quoq; & malum augebũt, utpote qui fortem efficacemq; habeant facultatem.

3 Verũ prius molle quippiã lateri ut et mitior et iucũdior fotus fiat, supponere oportet.

Postea ꝙ in utre, uel uesica, uel uasculo aut æneo aut testaceo positã aquam lateri exhiberi præcepit, hac indictione prius molle aliquid supponi ĳs quæ lateri tum quadrare, tum cohærere debeant, ut nullo pacto angat, prorsusq; iucunda sit eorum quę exhibentur applicatio præcipit Hippocrates. Cuiusmodi fuerit lana mollis, uel linteum multiplex, uel quippiã eorum quæ tũ tenera tum mollia existũt. Sed paulo post de eo qui per spongiam fit fotu agens, nihil supponi iubet.

4 Vtilis aũt & spongiæ mollis magnæque atque ex aqua calida expressæ applicatio. Sed fomentũ linteo uestiendum, ut uis eius plusculo sufficiat tẽpore permaneatq;: atq; simul ne halitus ad laborantis spiritum feratur, nisi forsan & id prodesse aliquando uideatur: nempe interdum prodest.

Cætera quidem quæ in dictione cõtinentur, liquida manifestaq; existũnt: sed de halitu est discutiendũ, qui & lædit & contristat, non spirandi difficultatem caloris incremento solum proritans: sed pulmonis angustiã, qua ob replentem qui humidus est halitum afficitur. Solis igitur laterum doloribus, tum siccis, tum quibus nihil expuitur, idonea est halitus inspiratio, plus auxilĳ ꝙ noxæ adferens: hoc igitur in loco scriptum est primum fotus genus. Mox ad secundum sese conferens inquit:

5 Præterea & hordeum & eruũ in aceto ita diluto ut paulo acidius sit, ꝗ ut quis bibere possit madefacta dissolutaq; & feruefacta atq; in saculos cõiecta lateri apponuntur, atq; ad hunc modum furfur.

Hordeũ eruũq; non semina quæ integra sint, ex aceto & aqua excoquere præcipit, sed prius contusa cõminutaq;, cõstatq; Hippocratẽ uelle id ex uerbo hoc λύσαντα. (λύειν siquidẽ madefacio & dissoluo significat) atq; aliter ex actione ipsa certior fies. Nempe hoc pacto tum blandior, tum efficacior erit fotus: furfur deniq; & hoc pacto parare pręcipit. fotus aũt huiusmodi priore efficacior uirtute aceti redditur. Quòd si & ex eruo paretur, conferet sanè & is non parum. Nempe eruum crassos humores tum secare, tum conficere, tum euaporare potest, atque ob id fotibus huiusmodi utemur ubi crassos uiscososq; humores in ea quæ phlegmone obsidetur parte collectos suspicabimur. Tibi aũt sanè id constabit ex antecedente uictu si humores huiusmodi produxerit anni temporibus, & locis, & ætate. Præterea & si beneuoli hi mansuetiq; quos prius memorauimus, fotus nihil præsidĳ attulerint. Nam ubi de corporis totius repletione distinxeris, cum uidelicet neq; huius notæ apparuerint, neq; beneuoli mitesq; hi fotus quippiam iuuerint, succorũ existimabis crassitiem, quę in halitũ soluitur, flatuosumq; spiritũ, qui ob denegatum exitũ contristat grauatq;. Flatum ergo hũc parientesq; ipsum humores, præfati discutiunt fotus, & potissimũ qui ex eruo parãtur. Præterea & sermonem percurrens Hippocrates, manifeste simul & optime metricã aceti ad aquam temperaturam memorauit. Nempe acetum ita dilutum esse oportere inquit, ut paulo acidius sit, ꝙ ut quispiã biberit, ut scilicet & acrius ob mordẽdi facultatẽ, & aquosius ꝓpter operatiõis ignauitatẽ uitemus. In incidendis igit̃ atq; per halitũ digerẽdis tũ crassioribus tum uiscosioribus succis, aquoso oxycrato cõgruentius fuerit quod acrius est. Sed quoniã medicamẽta huiusmodi nõ tolerãt quæ phlegmone

ne obsidentur partes, ob id mediā utriusq; exuperantię temperiē fecit. Hoc tibi sit secundū fotuum quos ab initio trifariam separauimus genus.

6 Siccis ex fomentis maxime conueniunt quæ ex sale milioq; frictis torrefactisq; atq; in sacculis conclusis parantur. Leue siquidē quippiam & beneuolum iucundumq; est milium.

Cum de sale & milio agit Hippocrates, ad tertium fotuum quos ab initio distinximus, genus se sē trāsfert: Est autem communis utrique siccitas: sali uero peculiariter inest mordacitas. Milium autem morsu caret.

7 Fomentū huiusmodi, et dolores ad claiuiculam humerumq; pertinentes soluit.

Ex adiectione huius coniunctionis, &, ostendit & dolores alios soluere, utpote eos qui ad hypochondria pertinent.

8 Sectio autem non similiter tollit dolorem, nisi is ad clauiculam pertingat.

Sectio, inquit, uenæ scilicet, quam non similiter soluere inquiens, auxiliari & ipsam non negauit. Sed de huiusmodi auxilio, in sequentibus fusius latiusq; scribit.

9 Verum si fomētis dolor non placetur, nō diutius calefacito: siccat enim id pulmones, atq; ad suppurationem excitat.

Fomenta uaria, alia quidem humida, alia sicca, & alia mordentia, aliaq; mordacitate carentia ubi percurreris, si ab horum experientia dolor non leuetur, totū corpus uacuabis à fomentis desistens, cum pulmonem exiccent, & suppurationem excitent. Fit autem suppuratio huiuscemodi, lateris inflammatione non exhalante, sed in pus transeunte, mox pure ipso in mediam thoracis pulmonisq; regionem confluente.

10 At siquidem dolor ad clauiculam pertigerit, aut molesta sit uel brachio, uel mammæ, uel partibus septo transuerso superioribus grauitas, internam cubiti uenam secare expedit: neq; ut copiose sanguis detrahatur, est cunctandum, sed eousq; auferendus donec rubidior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit. Nā utrunq; cōtingit.

Pro eorum qui inflammationē pariunt humorum uergentia inclinationeq;, uacuationes facit Hippocrates. Nempe quod dicitur, Quò natura uergit, per loca conferentia eò ducere, Id uerissimum existit. Cōtingit autem interdum id ob differentiam partium eius quę costas succingit membranæ. Nempe superiores ipsius partes cū inflammantur, ad clauiculā brachiumq; & māmam condolentiam extendunt. Inferiores uero ad septum transuersum & hypochondrium. Cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, uenam in cubito secare eam oportet quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuellere tum

A uacuare possit: uerum si partibus infernis affectus consenserit, purgatione uacuare expedit. Recte autem grauitatem circa brachium esse & non dolorem dixit. Nempe quòd hoc in loco sanguis magis aceruetur, repatq;, signum est grauitas quæ ex multitudine fit. Tensiones autē & in sola affectus participatione fieri consueuerunt, cum uidelicet partes ijs quæ inflammantur attiguæ citra sanguinis redundantiam tenduntur. Ob id igitur sanguinem redundantem secta interna uena uacuādum præcipit. Sunt autē in interno cubiti articulo plures quas secare consueuimus uenæ, de quibus abunde quidem in Anatomicarū tractationum tertio, atq; in alio libro qui seorsum De uenarum arteriarumq; sectione scriptus est, diximus: sed impræsentiarum de ipsis summatim agemus, ab initio ducentes orationem. Vena caua ex gibba hepatis sursum ad dextrā cordis aurem sanguinem deferens, partibus quidem interiacentibus exiguum ipsius distribuit, sed cordi ipsi plurimum elargitur. Deinde ab eo tanquā ab initio progressa ad collum recto festinat tramite, atque in duas rectas scinditur in thoracis parte uenas, easq; insignes quas iugulares uocant. propagātur autem ab ipsa prius quàm ad cor ipsum pertingat, insignes quidem uenæ ad septum transuersum: paruæ autem ad inferiorem thoracis partem quæ octo costis constat, contendentes. Pars autem hæc ab una quæ coniugio caret nutritur uena, quæ in quibusdam animantibus supra cor enascitur: in cæteris uero ut etiam in hominibus ex ea emergit parte, qua iam cordis aurem uena caua tangit: hinc siquidem emergens, humilius depressiusq; per cor defertur atq; in spinā contorquetur. Vena igitur hęc ad inferiorem thoracis partem defertur, & utrinq; costis octo ad septum usq; transuersum distribuitur. Cęteræ autem sublimiores thoracis costæ quatuor ab alio uenarum nutriuntur coniugio, quod à uena caua propagatur prius quàm ea in iugulares scindaē. Ab his igitur duabus uenis deinceps sunt quæ ad manus per axillas pertingūt. Verum quæ humerariæ appellātur, ab ipsa caua postea q̃ in iugularias fissa est, utrinq; una iam thoracem extra progignūtur, habentq; radices ijs quæ in superficie extant iugularijs communes. A iugularijs siquidem quæ in superficie extant, ut partes ferè omnes tum colli tum capitis in superficie constitutæ nutriunē: sic & à iugularijs altius profundiusq; latētibus partes omnes altius profundiusq; latentes ali contingit. Verum quæ circa scapulas atque in collo dorsali existunt loca, uenas habēt quæ ex inferioribus præfatæ radicis communis partibus ad ipsas ascendunt. Cōmunem dico radicē quam proxime dixi et ijs quę in superficie cōstitutę sunt iugularijs & humerarijs cōmunem esse. Non immerito igitur humeraria superiores clauicularum partes, easq; quæ & in collo & capite existūt: tum magis, tum uelocius euacuat. Axiliaria uero thoracis partes & magis eas quæ in sublimi sitæ sunt, præsertimq; in hominibus ipsis. Nempe infernas demissasq; omnes uena una altera nutrit quæ sub

corde à uena caua procedit. Ex sinistra autem parte uenę illius quę infernas thoracis partes alit, atque ad costarũ radices prona fertur, adusque septũ trãsuersum singulis intercostalibus spatijs tũ sinistris tum dextris rami distribuũtur. Verum quod reliquum ex ea est, septum transuersum penetrat, primisque ab eo corporibus dispensatur. Cęterum quę per axillas ad manus feruntur uenæ, proximas ijs quę sublimes thoracis alunt partes, radices habẽt, suntque quàm quæ per humerũ ad manus contendunt, longe maiores. ascendũt aũt ad internam brachij utriusque regionẽ: atque cum per ipsam prone feruntur, musculis ipsis qui inibi situm habent, notabiles dispensant ramos. Verum cum ad cubiti articulum propè uenerint, uenas brachij internas ad ipsius cubiti ossis nodum qui hic positũ habet, producunt: quicquid uero reliquũ est, bifariã scissum diuisumque per cubiti flexũ defertur, parte ea quæ in superficie cõstituitur, uenã eam quę in eo cubiti flexu secatur efficiente: penitiore uero eam quę cũ arteria diuiditur. Secatur quoque & uena alia in cubito obliqua, ueluti & hæc quæ in utraque manu una est humerariæ non exigua portio. Nempe & hęc per brachium subter cutem conspicue percurrens, in ipso cubiti articulo qua sublimiores extãt partes, figurata scilicet ut Hippocrates in lib. De membris fractis docuit, manu, diuiditur. Quæ igitur sublimior uenę ipsius à fissura portio per externa cubiti loca defertur, ea post fissuram ipsam secatur, qua primæ uenæ radici è directo maxime respondet. Eam ob causam & sublimiora claicularum loca citissime euacuat. Portio aũt quę in cubiti flexum oblique fertur, minus quidẽ ea, sed cęteris magis eas euacuat partes. Pars uero quæ ab interna notabili uena oblique etiam fertur, minime quidem prȩfatas uacuat partes: uerum maxime thoracis superiora, quod radices tum eius quæ per axillã ad manũ fertur, tum eius quę superiores thoracis alit partes uicinæ admodũ existant. Secare igitur hãc iubet Hippocrates prius quàm uenæ quæ ex humerariæ fissura prouenit, præsens sit, inseraturque. Quæ si aliquãdo non cõparuerit, uice huius secamus aliquã ex internis quas recta in os cubiti sidere mergique didicimus. Quòd si & eæ non comparuerint, accedimus ad eam quæ ex præfatarũ duarum uenarum obliquarũ insitione progignitur. Verum & cum ea interdum nõ apparere possit, humeraria apparente, seca humerariam, qui scilicet uacuationes ab uniuerso animalium corpore fieri noueris, quanquam neque celeriter, neque similiter ex uena omni fiant. Nos uero partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis in acutis præsertim morbis uacuare contendimus. Quod sanè interna cubiti uena facit, multoque magis ubi sanguinis redundãtia ad superiora uergere uideatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint. Nempe in eo malo tũ brachiũ tum mamma grauari solent. Verum quæ partes thoracis inferiores prope septum transuersum infestant phlegmonæ, non abs re dolorem ad hypochondrium transmittunt. Quo fit ut dolores huiusmodi non

A admodum iuuet quæ in cubito fit uacuatio, corde scilicet mediũ occupante. Nempe uenam quæ inferiores thoracis alit partes sub corde emergere audiuisti. Dicta quidem mihi hæc sunt super eo quod ab Hippocrate bene scriptum est, de secanda scilicet interna cubiti uena. Sed quod uacuandi sanguinis terminũ coloris mutationem posuerit, deinceps est differendũ. Quicquid ergo sanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur: reliquum aũt in partibus omnibus simile manet. Eam ob causam sanguine qui in totum spargitur corpus pituitosiore existente, rubicundior sanè erit qui in eo quod phlegmone obsidetur latere continetur. Quòd si sanguis in corpus totum diffusus, rubidus fuerit, is proculdubio
B qui ad phlegmonẽ est adustus assatusque, in nigrũ permutabitur. Liuidus aũt in ea quæ fit à rubido ad nigrum transmutatione mediũ obtinet. Coloris igitur mutatio sanguinis ex particula imflãmata translationem sufficienter commonstrat. Vacuationis igitur modum mensuramque quæ affectui peculiaris sit, diximus. Sed cum interdum uirtus tantum uacuare prohibeat, parti ipsi quæ phlegmone obsessa est, minus quidem futurũ auxiliũ scire oportet. Quo fit ut non uirtutẽ exoluere melius sit, quàm sanguinem uacuare redundantem.

11 Si uero eas quæ sub septo trãsuerso sunt partes dolor infestat, nullumque ad claiculam signum fecerit: uentrem uel nigro uera-
C tro, uel peplio mollire oportet. Sed ueratro nigro uel daucum, uel seseli, uel cyminum, uel anisum, uel aliud quippiã boni odoris miscebis. Peplio uero silphij succũ, quanquam & hæc inter se mista non dissimiliter agant. Cæterum ueratrũ nigrum tum melius tum ad iudicationem iuuantius quàm peplium uentrem soluit: sed peplium flatum magis excutit. Dolorẽ præterea ambo hæc sedant. Sedant quoque & alia quæ expurgant medicamenta. Verum omniũ quæ nouerim uiderimque, hæc potissima existũt. Nẽpe & quæ in sorbitionibus dantur purgantia medica-
D menta auxiliãtur, quæcunque scilicet nõ ualde insuauia existũt, uel propter amaritudinẽ, uel aliã quampiã iniucũditatẽ, uel quantitatem, uel colorẽ, uel suspicionem aliquã.

Quòd medicamẽta purgantia per experientiã inueniantur, & quos nam expurgent humores, & an omnino purgent, in libris De simplicium medicamentorum uiribus didicisti. Quòd uero purgationis necessitas sit, si redundantes humores deorsum repant, est quoque ratione scitum animaduersumque: sed id testimonium ratamque fidem ab experimentis habet. Edocuit autẽ Hippocrates facultatem medicamentorũ quæ in huiusmodi affectibus propinat: ueratrum quidem nigrum κρισιμώτερα, id est ad iudicationem iuuantius uacuare, peplium

plium uero flatus magis excutere affirmans. Quæ A aũt ab Hippocrate κρισιμώτερα, id est ad crisim iuuantiora dicuntur, ea morbi iudicium faciunt magis, quod facultate uerbo huic ὠφελιμώτερα, id est iuuantiora idem existit. At cum purgantia omnia medicamẽta uentrem, præsertimq; os ipsius quòd maxime, tum neruosum, tum sensile existat, affligant lædantq;, ob id eorum quæ boni sunt odoris mistio excogitata est, ne sola synceraq; purgantiũ medicamentorum uirtus os uentris tangat. Permista quoque inter se tum peplium tum elleborum ὁμοιότροπα, id est modi similis esse ait, quod est facultatibus conuenire, & in nullo cõtrouersa esse. Nam & in purgantium medicamentorum permistione controuersia est, non quãdo aliud quidem bilis aliud uero pituitæ excretorium fuerit, (Nam B eodẽ tempore uacuari tum bilis tum pituita possunt) sed quando aliud quidem protinus, aliud uero longo à propinatione tempore purgationem mouere natũ sit. Nempe hoc pacto inæqualis eorum quæ simul ingesta sunt fit uacuatio. inæqualem dico cum iam altera quidem desinere, altera uero incipere uideatur. Nempe quod citius purgare consueuit medicamentum, id & ex alio quippiam simul uacuat. Quo fit ut quod exiguũ ipsius relinquitur, imbecillius reddatur, et longe tardius suam inchoet purgationem. Præfinito igitur uacuationis tempore simile est elleboro peplium, potestq; elleboro similiter nigrum subducere humorem. Cetera uero tum dictionis huius tum sequentium patent. Cõsiderare igitur hæc atq; in memo- C ria tenere nos oportet, sed non perpetuò in pleuriticis uti debemus, ad memoriam reuocantes Aphorismum illum ubi dicitur, In acutis morbis raro & in principijs, purgantibus medicamentis est utendum. Vbi igitur (inquit) non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, uerum & cum febre uehementissima, multo magis uitanda est purgantis medicamẽti administratio, atq; per sectionem uenę uacuandum magis, etiam si ad hypochondrium dolor finiatur. Nempe & si minus quidem auxilium ꝙ per purgationem sequatur, securius tamen multo existit. Imò nullum ex eo quod per uenæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximũ subeunte quod per purgationem tentatur: & potissimũ si laborantis na- D turam expertus quis non fuerit. Nempe alij difficulter natura purgantur: alij modico adsumpto medicamento purgantur copiose. Quibus igitur dare quadrabit, his medicamenti tantum propina quantũ in plurimis mediocriter uacuare tum nouisti tum sis expertus. Si enim hominis naturã nõ noueris, metus est ne plus iusto uacues, uel nullo pacto uacuationem moueas: aut si moueris, non tamen sufficienter uacues. Quæ omnia magnas in morbis acutis pariunt offensas. quod non facile ut in ijs qui non febricitant emendatur. Cum igitur febris non uehemẽs fuerit, naturamq; laborantis expertus fueris, ad medicamenti purgãtis potum te conferes, ijs quæ ab Hippocrate dicta sunt uel etiam alijs similis naturæ usus. Quo è numero est quod ex colocynthide paratur medicamentum, quod iam ex usu hieram uocant. Id sanè uarijs paratur modis: sed quod elleborum accipit scammoniamq; nõ habet, id ijs qui medicamen subductorium omnino adsumere possunt, optimum est.

12 Vbi autem quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato, neq; insigniter minore quam consuetum est quantitate.

Et aliàs quidem uẽtris ori quod & stomachum uocant, ut in ipsis purgantium medicamentorum potibus, illæsum maneat, consulere oportet, præsertimq; ubi febrientibus tale quippiam propinatur. Verum pręcipua ne offendatur, cautio est, medicamentum quod propinatur, purum non sit: sed cum alijs quæ malitiam ipsius hebetare nata sunt, temperatum mistumq;. Nempe purgantium omnium medicamentorum natura, corporũ quæ expurgantur naturis contraria est, atq; ut quispiam dixerit, letalis, & deleteria, id est uenenosa. ut autẽ succi papaueris, mandragoræq;, & hyoscyami, atque aliorum huiusmodi multorum quæ nobis & substantia & uiribus aduersa corpus perimere nata sunt, portionem exiguam adsumẽtes, magnam percipimus cõmoditatem: sic & purgantium medicamentorũ quorum natura corporibus nostris aduersa est, exiguam aliquam partem præcidentes ad suppetias ferẽdas utimur. Quo item modo in horum medicamentorũ potu seminum aliqua quæ boni sint odoris miscemus, quæ & malitiam obtundere nata sint, & operationem ipsorum nõ prohibeant, tenuentq; ita incidantq; ut & crassos incidant humores, & uias quibus uacuatio fiat, aperiant patefaciantq;: sic & à sumpto medicamento ptisanam sorbere confert. Nempe purgans medicamentum ipsum tanquam exiguum ad uentris quidem fundum peruenit: uerum dum trãsit, stomachus & quæcunq; uentris sublimior pars non qualitatẽ medicamenti purgantis modo: uerum & substantiæ quæ in transitu hæret aliquid adsumẽs, uehemẽter læditur. Ptisanæ igitur cremor superingestus cõmoditatem affert. Nempe & detergere, & deorsum trahere q̃d uiæ adhæret, & qualitatem medicamenti quod his adhæret partibus, tum temperare, tum permutare potest. Ob eas igitur causas à purgantis medicamenti potu, ptisanã supersorberi præcipit. sed ubi purgatio cœpit, ab ea uult abstinendum, purgantis medicamẽti operationem exolui ueritus. atq; ob eam rem ait:

13 Et quoniam ab re non est, purgatione in media sorbitionem dare non conducit. At ubi purgatio desierit, tunc sorbitio detur, sed cõsueta minor: deinde liberalius perpetuo exhibeatur, si & dolor cessauerit, & nihil aliud obicem fecerit.

Contra quàm pleriq; huius temporis medici rem hanc docuit Hippocrates. Nempe hi ubi uacuauerunt, copiose nutriunt. Hippocrates uero à purgatione ptisanæ minus ministrari iubet. Nam corpo

corporũ quæ expurgata sunt, natura expurgatione agitata labefactaq; tolerare alimoniam non potest: neq; probe eam conficere nisi omnino pauca fuerit. Purgatis igitur tantum cremoris prima die exhibendum quantum domare possint. Deinde paulatim sensimq; adaugere oportet, si et dolor, ut inquit, cessauerit, et nihil aliud prohibuerit. Quod de dolore ait, est manifestũ: sed, nihil aliud prohibere, ad præfatas referre oportet si intelligere uolueris, distinctiones, in quibus demonstrauit quo nam pacto morbis acutis laborãtes absq; sorbitionibus regere oporteat. Sũma uero horum est, cũ uel morbum ante iudicationem nulla sorbitione indigere sperabimus, uel in quib. summa est quæ phlegmonem facit cruditas.

14 Sermo autem mihi idem est, si & ptisanæ cremore utendum sit.

B Tempus exhibendorum tum ptisanæ tum cremoris ipsius & antea simile esse demonstrauit, re una duntaxat differentiã horum definiens. Nempe à cremore principium exhibitionis facit.

15 Melius siquidẽ esse dico ut protinus à morbi initio sorbere incipias q̃ inanitis uacuatisq; uenis uel die tertio, uel quarto, uel quinto, uel sexto, uel septimo, si ante hoc tẽpus morbus haudquaquam iudicatus fuerit, sorbitionem inchoare.

Quod in Aphorismis scripsit Hippocrates, id & in præsentiarũ persequitur, in morbi omnis uigore tenuissimo utẽdum uictu præcipiens. Si igitur quinta die morbi uigor futurus sit, & æger solo usus potu sufficere non possit, melius esse ait si protinus ab initio ptisanam dederis, & neq; tertio die neq; quarto sorbitionem inchoaueris. Sic sanè & eos qui uel quinto uel sexto uel septimo sorbitionẽ inchoant falli circumueniriq;, si ante hoc tempus morbus nõ fuerit iudicatus. Per iudicationem intelligo ut dixi non perfectam morbi mutationem solum: uerum quoque & effatu dignam transmutationem.

16 Præparationes autem & his tales fiãt, quales dictæ sunt. De sorbitionis igitur exhibitione, ita sentio.

Et quibus ab initio sorbitionẽ daturus sis, præparationẽ similiter fieri præcipit. Id est, siue sectionis uenæ, siue clysmatis, siue balani necessitas fuerit, illud ante faciendum iubet.

17 De potu quoq; qualemcumq; ex declarandis potaturus quispiam sit, eadẽ omnino mihi est ratio.

Si laborantẽ potu solo citra ptisanę sorbitionẽ rexeris, pręfatas quoq; pręparatiões te facere iubet .i. aut uenam secare, aut clysmate uel balano uti.

18 Verum & medicos contra omnino q̃ oportet agere scio. Nempe omnes, languẽtes ipsos per initia morborũ duos uel tres uel etiã plures dies inedia siccare, atq; ita tũ

A sorbitiones tum potus exhibere uolũt, idq; forsan q; magnæ corporis mutationi magnam quampiam obijcere mutationẽ ipsis decẽs esse uideatur. Verũ mutatio ipsa bene quidẽ habet non modica: sed recte trãsferenda uenit. Iam aũt & ciborũ exhibitio mutationis rationem maxime subit.

Medicos culpat Hippocrates qui languentes ipsos in absoluta ciborum abstinentia seruant: deinde eos protinus alij quidem in sorbitionem, alij ad potuum ingestionem deducunt. Non ita tamẽ mentionẽ eorum fecit qui cibos ualidiores ante morbi concoctionem ministrant. Consueuit siquidem ut ante dixi, interdum prætermissis quæ maxima sunt erratis culpare minora, & eam quæ ex illis oritur demonstrare offensam. Qui autem ita transmutant, forsan (inquit) rationabiliter transmutare arbitrantur, in magna corporis transmutatione effatu dignam uictus permutationem facientes. Quòd sanè bene eos existimasse ait, non tamen de transmutatione omni, sed bene aliqua est putandũ. De qua partim prædixit, & partim quippiam est dicturus, sermone adstruẽs declinandas esse repentinas mutationes.

19 Maxime ergo lædẽtur qui tota utẽtur ptisana, nisi recte trãsferãtur. lędẽtur quoq; & qui solo utẽtur cremore, lædẽtur præterea & qui solo utentur potu, sed hi minime.

C Dictam paulo ante subitam uictus mutationẽ, qua primis diebus in absoluta ciborũ abstinentia seruatos languentes circa diem quartum nutrire incipiũt, maxime quidem nocere ait, si in ptisanã totam transferantur, minus uero si in cremorem, sed ἥκιστα, id est ἐλάχιστα, quod minimum indicat, offendi eos qui ad solos procedũt potus. Nempe ex magnitudine uirtutis eorum quæ offeruntur, magnitudo oritur offensæ.

20 Oportet autem & ex sanorũ hominũ uictu disciplinam quæ conferat, facere. Nã si sanis quibusdam tales uel tales cibi multum differre uideãtur, cum in alijs quibusdam tum in mutationibus, quomodo & in D morbis quibusdam & maxime in acutis nõ ualde differant?

Incipit Hippocrates præfatam ab ipso de uictu sententiam demonstrare, arguens unà & eos qui contrario uictum instituunt modo: sed ut dilucidus cõspicuusq; reddatur sermo, summam ipsius omnẽ præfari melius esse mihi uidetur. Est autem earũ quę in eam rem adsumuntur sumptionum dignitas altera uniuersalis hæc. Si bene ualentibus læsionem adferant repentinæ uictus ad contraria mutatiões, multo magis ęgrotãtibus ipsis. Quod uarijs etiam modis possumus interpretari, aliud in aliam transumentes dictionẽ, ut hoc pacto. In repentinis uictus mutationibus qui sani sunt, ægris minus læduntur. uel sic, Aegri sanis magis læduntur

tur: uel ad hunc modum, Detrimẽta ſanos minus quàm ægros afficiunt. Generalior hæc interpretatio. Validiores minus afficiunt, imbecilliores magis detrimenta. Licet & aliter uim ſermonis interpretari, aut ex eo quod per ſe & primum utile ſit ad quod demonſtratur: aut ex aliqua continentium ipſum uel dignitatum uel ſumptionum. Talis quidem tibi ſit per ſe credibilis ſumptionũ altera: lemmata Græci dicunt. Lẽmata uero id eſt ſumptiones uocare conſueuit Ariſtoteles dignitates, uel proloquia, uel poſtulata. Sed alteram cui fides per experientiæ lucem acceſſit, deinceps audi: Sanos etiã repentina uictus mutatio offendit. Ex utraq; hac ſumptiõe cõcludiť languẽtes à repẽtina uictus mutatione lędi magis: ſed multo magis qui acutis infeſtanť morbis. Hęc eſt uis ſermõis. Verũ Hippocrates alteram ex ſumptionibus per ſe tum B priorem tum credibiliorẽ, protinus citra ſtructuram ac cõfirmationem accipit. Altera uero ijs quę ſingulatim per experientiam noſcuntur, cõfirmatur. Quod & ſequens declarat oratio.

21 Atqui quòd ſimplex tum cibus tũ potus ſemper ſibi ſimilis ad ſanitatẽ tutior ſit, & ſi quis ſubito ad alterum uel meliorem ſe transferat, facile diſcitur, intelligiturq;.

Alteram ſumptionum earum quæ ad præſentis ſermonis demonſtrationem præſtant, nunc ex multis particularibus exemplis aſtruere incipit, fidem ipſius in unam colligens ſummam, quæ talis eſt. Magnæ & repentinæ præter conſuetudinem mutationes non paruam ſanis afferunt læſionem. Quanquam ſermo hic conſpicuus ſit, tamen ſi quippiam quod explanatione indigeat intercidere uidebitur, ijs qui exercitati non ſunt, in ſequẽti ſerie explanare nõ cunctabor: Nempe hic commentarios propoſito non horum modo qui in ſermonibus ſunt exercitati, uerum quoq; & eorum qui exercitati non ſunt, tum liberalis, tum benignitatis plenus exiſtit. Quòd ſi quis præfatas diſciplinas neq; didicerit, neq; expertus fuerit, aliud quippiam agat.

22 Nempe tum ijs qui bis die comedunt, tum ijs qui ſemel, noxam imbecillitatẽq; pariunt repentinæ mutationes: quiq; prandere nõ cõſueuerunt, & prandent, ſtatim ægre habent. toto corpore graues redduntur, & parum ualentes, & deſides. Quòd ſi ſupercœnauerint, acidum ructant. alios uero alui leuitas exercet. Nempe uentriculus præter conſuetudinem grauatur, ſuperſicceſcere conſuetus non bis tumeſcere, neq; bis cibos coquere.

Non ſolum quòd in repentina conſuetudinis mutatione ualde lædantur, uerum quoq; & quænam læſiones fiant, & quonam modo ſingulas emendare oporteat ſcribẽs Hippocrates, ob id ſermonem prolixum facit. Nam ſi duntaxat quòd in

A repentina conſuetudinis mutatione lædanť oſtenderet, ob id ſermo illi totus breuis foret. Prima igitur cõſuetudinis mutatio quã nunc exprompſit, eſt de ijs qui prandere nõ aſſueti pranſi aliquãdo ſunt. Ait eñ tales & ægre habere, & toto corpore graues fieri, parũ item ualere & deſides reddi. Contingunt aũt hæc ipſis grauata ab alimento ueluti à pondere facultate. Neq; enim ægre ea habet propria ratione, ueluti in cibi penuria fieri conſueuit. Ob eam igitur cauſam hoc in loco ſermoni adiecit totum corpus grauari ijs qui bis cibati ſunt, eosq; fieri deſidioſiores. Verũ in aſſuetis prandere & nõ prãſis imbecillitatẽ quidem uirtutis ſcripſit, ſed grauitatẽ non adſcripſit. Nempe & in talibus mutationibus imbecillitať ſua ratione uirtus. Præterea cum deſides fieri in præſenti uictus mutatione aſſerat, in contraria timidos eſſe dixit, quaſi opus omne peroſos & ueluti opus aggredi ueritos diceres. Nempe res ita habet. Nam qui ita affecti ſunt, uirtutis imbecillitatem uere ſentiunt: atq; ob id eas quas ante promptius obibant, obire nõ audent actiones. Quinetiam & ijs qui diminute cibantur, uiſcera opinione pendere ait, eosq; tum calidum, tum χλωρὸν, id eſt uiride meiere. Calidum inquiens, id eſt ſolito calidius, χλωρὸν uero, id eſt uiride iuxta morem quendam Aſiaticorum Græcorum, qui & nunc obſeruatur. ὠχροὺς ſiquidem, id eſt pallidos quoſdam uidentes, cauſam cur ita χλωροὶ, id eſt uirides facti ſunt interrogant. χλωρὸν & ὠχρὸν, id eſt uiride & pallidum nihil differre exiſtimãtes. Viſumq; quendam χλωρότερον, C id eſt uiridiorem dicunt. ὠχρότερον, id eſt pallidiorem ita ſignificantes. Eſt autem ὠχρὸν χρῶμα, id eſt color pallidus ueluti ignis, & color ὤχρας uocatæ, cuius prima ſyllaba acuitur coloris cuiuſdã ſignificatione. Fitq; talis color permiſta aquoſo excremento pallida & amara & flaua appellata bile. Nempe flauus color quantum à rubro in albiorem ſecedit, tantum à flauo pallidus. Scripſit & alia quædam ſymptomata quæ ita affectis fiunt. De quibus cum ad eam quæ de ipſis eſt mentionem peruenerimus, agemus. Præſentem autem dictionem diſcutiamus. Quę in non aſſuetis prandere contingere ait, his adhuc & hoc adiecit. Si autem ſupercœnauerint, acidum ructant. Quòd au- D tem ructus acidi fiant & propter uentriculi frigiditatem, & propter pituitam ſæpius in eo aceruatam, & propter ciborum multitudinem, aut ſi pauci quidem ſint poteſtate tamen frigidorum, didicimus. Omnium autem præfatorum commune eſt calorem uentris ingenitum uinci à cibis, non eos uincere, neq; his præſtare, neq; probe ipſos conficere poſſe: ut ſi modicæ flammæ lignorum multitudinem ſuperaceruaueris, uel & citra multitudinem tum uiridia tum humida ſuperpoſueris. Cęteris ita cibatis απατίλην, id eſt alui leuitatem ſiue humidam deiectionem fieri ait. Verum in exemplaribus non paucis non απατίλην ſcriptum inuenies, ſed ἄσην: ut eo uocabulo ῥιπτασμὸν, id eſt proiectum intelligamus corporis hominis huius qui ita cibatus eſt, corporis inquam ob cibi multitudi

A titudinem ἀσωμένου, id est grauiter molesteq; habentis atq; implacidi inquietiq; dũ in lecto iacet, & sese permutantis. Cæterũ quòd circa dictionis finem cibi confectionem coctioni similem esse oporteat, manifestè ostendit, tanquam à calore fiat non sicco squalẽtiq;, cuiusmodi est febrilis, sed ab humido uaporosoq;, cuiusmodi est qui in animalibus secundum naturam existit.

23 Conuenit aũt his permutationẽ æqua uirtute cõpensare. Dormire siquidẽ eos oportet, tanquã noctem à cœna hyeme quidẽ circa frigus, ęstate uero citra calorẽ, agãt. Quòd si dormire non queant, plures lentè ambulando absoluant circuitus, neq; stent, B neq; cœnent, aut pauca & innocua. Minus præterea bibant: sed meracius et nõ dilutũ. Magis præterea & is afficietur, qui ter die replebitur, ac etiã multo magis qui crebrius, quanq; sint nonnulli qui ter die satiati facile ferant, utpote qui ita sunt consueti.

Hoc in loco referre hæc nõ erat necesse. Nempe docere proposuerat quonam pacto repentinæ consuetudinum mutationes nos lædant, non autem quo tales lesiones modo curare oporteat. Verum quoniã Hippocrati hoc tẽtare est uisum, propterea quæ scripsit prosequemur. Maxime quidẽ is dormire ipsos plurimum iubet: & si dormire nequeant, plures lenta ambulatione absoluant circuitus, idq; ut quamplurimi expositorum aiunt, C post cœnam: sed ut eorum quæ dicuntur sensus præcipit, post prandium. Nam oratio hæc, tanq; noctem agant, de somno meridiano nõ de nocturno dici expostulat. Præterea quòd continuata est scriptũ serie, ubi inquit: Si uero dormire non queant, plures lentè ambulando absoluant circuitus, neq; stent, nihil præterea cœnẽt uel pauca & innocua, testatur Hippocratẽ uelle eos à prandio dormire, non à cœna. Duorũ igitur alterũ. Nam aut emendanda tanq; errati conscia scriptio, atque ita scribendum, Dormire siquidem eos oportet post prãdium tanq; noctem agant: hyeme quidẽ citra frigus, æstate uero citra calorem. uel si seruare uolumus orationẽ hanc à cœna, intelligenda est hoc pacto dictio: dormire siquidem eos oportet ut à D cœna ante dormiebant, sic & nunc post prandiũ tanquam noctem agant. Quod autem uelit Hippocrates eos uel nihil omnino uel parce & leuiter cœnare, sensus est manifestus. Ventrem siquidem uult requiescere, laboremq; quo grauatus afficiebatur refoueri, quòd præter consuetudinem pransus homo fuerat. Hinc sequens est & minus bibere, sed non aquosum, nõ dilutum. Nempe fluctuationem humiditatemq; & refrigerationem uitare oportet ubi à ciborum multitudine uenter grauatus fuerit. Potum aũt qui exhibetur, nõ aquosum esse conuenit, sed uẽtris tum calfactoriam tum roboratoriam obtinere facultatem. Cætera quæ continuantur, liquida sunt & manifesta.

24 Præterea qui bis die cibũ sumere consueuerũt, ij nisi prãsi fuerint, ægre habent, parũ ualent, timidiq; ad quoduis opus fiũt, & cardialgici. Nẽpe his uiscera pendere uidentur, calidum mingũt & uiride, id est pallidum, stercusq; exuritur: Sunt quibus os amarescit, oculi cauantur, et tempora saliũt, partesq; frigescunt extremæ.

Cætera quidem huius dictionis in eorum comparatione quæ præter consuetudinẽ pransis contingere diximus, sunt explanata: sed de reliquis nunc dicam. ἀφοδὸν, id est ἀποπάτημα, id est stercus ipsorum siue alui purgationẽ incendi exuriq; inquit, à calore scilicet assatã. Nempe corpus magis tum siccescit tum ignescit, ijs qui consuetũ relinquũt prandium. Alijs os amarescere ait, utpote ijs qui biliosiorem habent naturam: hisq; caui fiunt oculi ab eadem qua excrementum aduritur causa siccescentes. Quòd autem in amaræ bilis naturis uernaculis calor in id quod igneum est digrediatur, propterea & tempora saliunt, id est temporum arteriæ euidẽter pulsant. Partes præterea corporis extremæ frigidiores fiunt, quòd uenter biliosis repleatur humoribus, quorum morsu atque contristatione affectus, uirtutem dissoluit, corporisq; extrema perfrigerat.

25 Plurimi quoq; horum qui pransi non sunt, cœnare nequeunt. qui si cœnauerint, uentris grauitate afficiuntur: ac difficilius cubant multo q; si pransi fuissent.

Picrocholi natura præter consuetudinem impransi permanentes, cibos auersantur fastidiũtq;, uentre scilicet, male tum tractato tum afflicto. Verum qui coacti cibum sumpserint, grauantur: atq; ob id δυσκοιτεῦσι, ut ipse inquit, id est male habentes in lecto permanent & traducunt.

26 Cum igitur talia ob dimidiatæ diei uictus à consuetudine digressionem sanis cõtingant, neq; adijci quicquam neq; subtrahi commode uidetur.

Rursus inter exponendum quæ contingunt ualentibus ijs qui subito cõsuetudinem permutauerunt, sermonis summam obiter atq; ueluti appendicem adiecit, cuius gratia omnia hæc exponit quæ sanis contingunt. Nempe ut constat, si beneualẽtibus uictus dimidiatæ diei permutatio adeo molesta sit, quomodo non admodum languentibus ipsis molesta erit? Deinde rursus ad explanationem eorum quæ sanis cõtingunt reuertitur in sequenti dictione quæ ita habet.

27 Qui igitur præter cõsuetudinẽ semel pastus toto die exinanitis uasis quantũ consueuit, cœnauit, si tunc impransus laborauerit, parumq; ualuerit, atq; adsumpta cœna tũc grauatus fuerit, multo magis eũ grauari par est: quòd si adhuc plusculis horis uene

exinanitæ fuerint, atque repente cœnauerit, magis adhuc grauabitur.

Quod ait huiusmodi est. Si qui præter cōsuetudinē impransus permanens minus cōsueto cœnauerit, nocte grauetur: multo magis grauabit qui solito plura est cœnatus. Qui aūt plusculo tēpore exinanitis uasis repente cœnauerit, magis adhuc grauabit. Nempe qui impransi præter consuetudinem permanent, horum alij ad minus temporis inediam protendunt, alij ad longius interuallū, hos igitur grauari adhuc magis ait.

28 Quibus igitur præter cōsuetudinē uenæ sunt inanitæ, ij eodē die ueniūt reficiendi. Vitent in primis frigus, calorē et laborē. Nempe hæc omnia moleste feruntur: deinde cœnam solito minorē faciant, eamque nō siccam sed humentiorem: deinceps bibant, neque dilutum, neque minus quàm ingestorum ratio postulat. Postero autem die pauca prandeant: ut accessione sensim crescente, ad cōsuetudinem redeant.

Vt eorū qui præter consuetudinē pranderunt detrimēta emēdauit, sic & eos qui semel duntaxat die præter consuetudinē ederunt afflicti sunt, uult in primis uitare tū calorem tum frigus, tum labores: hæc nempe omnia moleste ferri ait. Adde quod & minus solito cœnare ipsos iubet: quanquam plerique maxime contrà agant. Nam prandere ob negocium aliquod prohibitos uolūt in cœna, et eam quę in prandio omissa est adsumere alimoniam, haud scientes quod eget quidem uere alimonia omissa corpus, sed ipsam cōficere non possit uentriculus ob longiorē abstinentiā læsus afflictusque. Quinetiam Hippocrates ut alimoniæ minus uult exhiberi, ita & eam humidiorē. Nēpe huiusmodi alimonia exsiccatis tum uētri tum corpori uniuerso peculiare auxilium præstat. Roborare præterea & uentrem ipsorū iubet uini potu, neque dilutū, neque minus quàm cibi proportio exigit potandum præcipiens. Dilutum enim, uentris robur exoluit. Minus uero quàm cibi proportio expostulat, uentri exarefacto inhabile existit. Postero quoque die ita affectos uictui prospicere iubet: qui consuetorū ciborū minus ingesserunt, atque ita lęsi sunt, ut sensim paulatimque in pristinam redeant consuetudinem.

29 Talia uero molestius ferunt, qui parte superiore picrocholi existunt.

Iam & ego paulo ante dixi picrocholos .i. amaræ bilis homines subitariam eam quæ à uictu ad abstinentiā fit digressionē pituitosis difficilius molestiusûe ferre. Bilescit siquidē ocyus his totus tum corporis tū uētris habitus. Sed quare non simpliciter dixit picrocholi? at parte superiore? Nēpe cū flaua bilis quam & pallidā & amarā nominitant, superiori supernatat uentri, iure optimo tales parte superiore picrocholos dicimus. Cum uero per sedem demittitur, parte inferiore picrocholos asserimus. Paulo siquidem rhetori qui toto corporis habitu pituitosus erat, diebus singulis supernatabat flaua bilis, primamque ipsam uomebat à lauacro non paucum. Eudemo autem philosopho qui temperamento biliosus erat, per sedem demittebatur: raroque is quanquam aliquando pallidam uomebat bilem. Vt autem Pauli excrementa bilis exiguum habebant, ita Eudemi multum. Qui igitur præter consuetudinem non prandent, si & toto corporis habitu, & superiore uentre picrocholi fuerint, his necessario contingunt quæ paulo ante dixit omnia. At qui uentre duntaxat superiore picrocholi existunt, his tolerātiæ difficultas similiter continget: sed ex reliquis symptomatis alia quidem nullo pacto erunt, alia erunt quidem sed moderatiora. Prædixit quoque & eos qui præter consuetudinē non prandent, timidos ad quāuis operationem esse, stomachi erosionibus affici, pensilia uideri ipsis uiscera, calidum & uiride meiere, exurique excrementa. Alijs os amarescere, oculos cauari, tempora palpitare, extrema perfrigere. Sed horum alia toto habitu picrocholis cōtingunt magis, alia autem superiore duntaxat uētre talibus. Atque ob id ad quamuis operationē timiditas, extremorum perfrictio, mictus calidus uiridisque, deiectionū adustio, cauatio oculorum, & temporum saltus toto habitu picrocholis usu eueniunt. Vtrisque autem pensilium uiscerum opinio, & oris amaritudo. Nam ob insuetam abstinētiam, tum suspensa tum pendula percipiunt uiscera. Verum ob bilis exuperantiam picrocholis toto corpore os amarescit: non quòd affectio in ore magis fiat, sed quòd sentiendi partem eam natura generis humorum discretoriam fecit. Venter autem magis quidem his exuritur, quibus ex hepate in uentrem bilis effusa supernatat, minus autem quibus deorsum mittitur. Nam his quidem intestinum proritat ad excretionem, illis uero stomachum mordet. Ob eam rem Eudemus diebus singulis, bis & interdū ter deijciebat. Paulus autem interdum nullo pacto excernebat. Nisi etenim intestina à mordente aliquo irritentur, uel copioso excremēto grauent, excretionis prōptitudinē non accipiunt. Neutrū horū impransis contingit: neque enim mordentur intestina bile in os ascendēte, atque illa non mordente cōtristanteque. Neque grauitas his fit, qui omnino non comederunt.

30 Non assuetam autē cibi abstinentiam facilius omnino ferunt qui parte superiore pituitosi sunt. quo fit ut si semel die cibo utantur, facilius etiam ferant.

Prius quidem parte superiore picrocholos usum cibi qui semel die fit, difficilius tolerare dixit. Nunc autem ad pituitosos se transferrens, pro cibi usu qui semel die fit, inediæ meminit: ex habente manifestius detrimentum, ad minus noxium translationem ex proportione faciens. Nam si magis quidem lædi eos qui sine cibo totum præter consuetum permanserunt diem ęquum sit, minus autem qui non prandent, & pituitosi picrocholis cibi usum qui semel die fit facilius ferant,

quòd sanè & inediam facilius ferant, palàm est omnibus. Causa autem cur pituitosi facilius cibi usum qui semel die fit, ferant, ex ijs quæ antea de biliosis dicta sunt euadit conspicua. Nam bilis humor in ipsis inedijs amarior redditur. Pituita uero temporis processu coquitur, sanguisque efficitur, neutra bile in sanguinis substantiam redire ualente. cum ex sanguine quidem plus calefacto flaua bilis generetur, ex eodem uero assato adustoque atq; etiam ex crasso atra. Pituitę autem generatio in pituitosis edulijs sanguinem perpetuò antecedit: atque generatione ipsius media cibi in sanguinem transeunt. Neque hoc deterioribus tantum cibis contingit, uerum & quibusdam eorum qui salubres admodum esse uidetur, ut pani chondro, semidali. Ego sanè eam quæ mihi optima esse uidetur narraui conscriptionem. Nempe quod in ea docetur, per se uerum est: atque continuatam cum ijs quæ ante dicta sunt habet seriem: qui optimæ explanationis sunt scopi. Non tamen in exemplaribus omnibus consimilem inuenies descriptionem, sed in alijs & alijs pugnantem. Cæterum aliter in libris ferè omnibus reperitur dictio hæc falso sermone, & nullam quæ antedictis continuetur seriem seruante.

31 Potissimum sanè & hoc argumentum quòd maxime mutationes eorum quæ circa naturam nostram habitumq; cōtingūt, maxime morbos committunt.

Multa quidem apud Hippocratem φύσεως, id est naturæ nomen indicat, sed hoc in loco temperaturam significari quispiam existimauerit, ueluti & partium ipsarum structuram compositionemq;, ἕξιν, id est habitum appellari, quo in structuræ genere continetur & bilis ad partes superiores fluctuatio & ad inferna deiectio, & uiscerū tum suspensio, tum constantia stabilitasq;. Nempe cum uenter magnus existit, uiscera confirmat & stabilit, tametsi cibis uacuus destitutusq; fuerit. Verum cum paruus est, cibis quidem refertus cōfirmat: uacuatus uero subsidētia relinquit. Hinc fit ut suspensa sentiant uiscera. Quibus autem bilis flaua rursum natat fluctuatq;, ante est dictum, meatu bilem ipsam ex hepate ad id intestinum quod Græci ἔκφυσιν uocant, quasi è uentre enatum dixeris, deferente, neque structuram habente eandem. Nam interdum quibusdam portio aliqua ab ipso ad uentrem procedit. his quidem supernatat biliosum excrementū: cæteris uero deorsum omnino uoluitur.

32 Non igitur intempestiue neq; fortes uasorum inanitiones moliri, neq; cum morbi uigent, feruoremq; habent, cibum dare, neq; repente huc uel illuc in toto negocio quicquam mutare licet.

Dictio hæc præter ordinem scripta est, copulari siquidem debuit cum ea quæ scripta est ante: ut tota oratio talis foret: Talia uero molestius ferunt qui parte superiore picrocholi existunt. At non

A assuetam cibi abstinentiam facilius omnino ferunt, qui parte superiore sunt pituitosi, quo fit ut cibi usum qui semel die fit facilius etiam ferant. Non igit intempestiue, neque fortes uasorum inanitiones moliri, neq; cum morbi uigent, feruoremq; habēt, cibum dare licet. Nam postea quàm sermonem quo magnas uictus mutationes ostendit sanos ipsos, ne dum languentes lædere, compleuit absoluitq;: iure intulit cuius gratia mentionem de his omnibus fecit inquiens: non igitur intempestiue neq; fortes uasorum inanitiones moliri licet. Quanquam autem & institutum etiam per relata sufficienter demonstrauerit, uidetur tamen & ad alterum transire sermonem qui hæc cōmonstret, liberaliter testimonio usus. Principium igitur sequentis sermonis iure censetur dictio
B hæc. potissimum sanè & hoc argumentum quòd maxime mutationes eorum quæ circa naturā nostram habitumq; cōtingunt, maxime morbos cōmittunt. Cui quidem dictioni cōtinua fuerit quæ ita sequitur. Multa autē his germana eorum quæ uentri contingunt, atq; alia quis dixerit. Dictionē sanè hanc sum explanaturus, sed nunc ad præsentem reuertar quę hanc habet mentem. Non intempestiue neq; uehemēter fame necare, neq; in morborum consistentijs uictum ex inedia ad cibi oblationem permutare licet, sicuti neq; subito ad cōtrarium. Ex quibus sequitur talem instituendam uictus rationem qualem is præcepit. Summa autem horum est, declinandas esse subitas repentinasq; ad contraria permutationes.

C 33 Multa autem his germana eorum quæ uentri contingunt, atq; alia quispiā dixerit, ut exempli gratia. Cibos quibus uti consueuerunt, facile ferūt, tametsi natura haudquaquam boni fuerint, similiter & potus. Cibos uero quibus uti non consueuerunt etiam si mali non fuerint, moleste ferunt. Consimili modo & potus.

Quæ similia cōgruentiaq; existūt, atq; ut quispiam dixerit, genere iuncta cognataq;, consueuit uocare Hippocrates ἀδελφιζόμενα, id est germana, quòd eorum qui genere iuuguntur & familiarissimi & genere omnium iunctissimi sunt ἀδελφοί,
D id est germani. Nam propinquitates cæteræ his posteriores sunt, ut patrum matrumq; fratres sorores q;, & fratrum sororumq; filij filiæq;, & quæcunque id genus sunt. Cætera dictionis clara sunt. Nā demōstrat Hippocrates sermonem eundē quem ab initio demonstrauit, cuius summa est. Consuetudo maxime potest, repentinaq; ab ea digressio corpora non parum offendit.

34 Si ergo multa præter solitum carnis deuoratio, uel alia, uel silphion, uel ipsius succus, uel caulis, uel alia consimilia, quæ seorsum insignibus sunt prædita uiribus, uētriculis quibusdam magis q̄ alia labores inferāt, minus quis admirabitur. Ad iure admi

raberis si didiceris quantam maza turbationem, tumorem, flatum, torminaq; mazam deuorare non assueto pariat, si præter consuetudinem ingesta fuerit, uel qualem panis ipse calidus deuoratus sitim inferat, & repentinam plenitudinem, quòd tum exiccet, tum tarde descendat, & quàm uaria inter se pariant purissimi confusaneiq; panes si præter consuetudinem deuorentur, & maza similiter uel arida, uel humida, uel tenax: qualiter item & polentæ afficiant, recentes quidem eos qui recentibus uti non consueuerunt, et aliæ eos qui recentibus ex consueto utuntur. Ad hæc quid faciant uini, & aquę potationes præter consuetudinem in aliud subito translatæ, quid dilutū item uinum, meracumq; repente pota. Dilutum enim cum infirmitate humētem reddit uentrem superiorem, flatuosumq; inferiorem. Meracum uero uenarum pulsationem efficit, capitisq; grauitatem, & sitim infert. Præterea quid uinū album nigrūq; præter solitum mutata, quæ etiamsi ambo uinosa fuerint, ualde alterant corpus. Quare dulce uinosumq; minus quis dixerit mirum esse non idem posse ubi repentina fuerit mutatio.

Sermonis totius sensum intelligentiāq; ubi prius dixerimus, ad particulares quæ in eo sunt dictiones perueniemus. Orationis igit totius sensus talis est. Victus mutationē in eos qui insigni prediti sunt uirtute, tum cibos, tū potus nemo qui lædentem corpora uiderit, admirabit: uerū eam quæ fit neq; sine læsione in cibos potusq; non insigni prēditos uirtute, iure quis admirabitur. Talis quidem est sermōis totius intelligētia. Sed ut particulatim dicā, orationis totius principiū mentionē eorū facit ciborū qui fortem uehementēq; habent facultatem, ut carnium deuorationis, aliorū, silphij, succi eiusdē & caulis. Nēpe silphium totum fortē habet facultatē, sigillatimq; succus ipsius & caulis. Verum hæc quidē simpliciter dixit, sed cū carniū deuorationis meminit, adiecit hic uerbum multa. Nempe multa carniū deuoratio magnā habebit facultatē, mediocris uero non magnā. Quæ huic succedit dictio ad eos accedit cibos qui non magna cōstāt uirtute, mazam uidelicet et panē uel calidū, uel frigidū, uel purū, uel syncomiston, id est confusaneū. Quod panē nō purum syncomiston appellet, cōstat & ex ea quæ ad purum est oppositione. Panem hūc homines huius tēporis autopyron appellant, nō discreto scilicet furfuraceo, sed unà cū syncera puraq; farina macerato conspersoq;. Post hæc de polētis mētionē fecit, recentesq; uocauit ποταίνιας Ionum uoce usus & antiquorū.

A Memorauit postea & uini & aquę potationes pręter solitū mutatas. Meraciorē itē & dilutiorē potum. Quibus adiecit dilutū uinum in uentre superiore πλάδον, id est humiditatē infirmitatēq; facere, flatūq; in inferiore. Meracū uero palpitationē temporū capitis grauitatem & sitim, idq; caliditate, dilutū aūt contraria tum humiditate, tum frigore. Mentionē quoq; & de uinorū ipsorū differentia fecit, ex his omnibus colligens quod in uniuersum ab initio ipsi propositū institutumq;, omnem scilicet cōsuetudinis subitam permutationē non paruum corpori adferre detrimentum.

35 Cæterum partem hinc aliquā sermoni contrario τιμωρητέον, id est iuuare oportet. Nempe his uictus mutatio facta est, corpo- B re neq; ad robur ut cibos adijcere, neq; ad infirmitatē ut cibos diminuere oporteret haud quaquam permutato.

Verbum hoc τιμωρητέον opitulandum siue iuuandum indicat. Neq; aūt opitulatio alia sermoni huic fuerit præter patrocinium q uera loquitur. Nempe cum ex duobus sermonibus unus ipsi placuerit, alter uero aduersetur, & ei quidem qui placuit hucusq; est patrocinatus, nunc ad alterius patrociniū descēdit, cuius sentētia quis cōuenire dixerit ut languentes ab insigni uictus mutatione iuuentur, qñ & corporis affectio in contrariū his quidem qui antea sani uiuebant, nunc uero ægrotant, permutata sit. Sanè & in huius sermonis gra- C tiam uniuersaliter antea est locutus his uerbis. Transmutatio autē bene habet non modica, sed ὀρθῶς, id est recte transferēda uenit. Deinde quid aduerbium hoc ὀρθῶς indicet, nō paucis ostendit, sed ad summam subducens colligēsq; dixit: Non igitur intempestiue neq; fortes uasorum inanitiones moliri, neq; cum morbi uigent feruoremq; habent cibum dare, neq; repente huc uel illuc in toto negocio quicquam mutare licet. Quare & ambiguitatē soluere iam anticipat, quā nuper enunciauit sermoni consentiens. Adijcietq; impræsentiarum aliquid cum inquiet: Cōijcere aūt oportet & robur, & morbi cuiusq; speciē, & cætera quæ his succedūt, quæ in sequēti dictione explanabo.

36 Cōijcere aūt oportet & robur, & mor- D bi cuiusq; speciē hominis itē naturam, atq; ægrotantis in uictu cōsuetudinē, non in cibis solum, uerū quoq; & in potionibus.

Conuenienti in acutis morbis uictus institutioni quam docuit, & roboris considerationem, & morbi speciem, præterea & hominis naturam, cōsuetudinemq; ipsius adijcere iubet Hippocrates. Nempe summa quam astruit est, Non permutandam esse uictus speciem priusquam signa coctionis manifesta sint. Id autem fiet, si quot diebus ad uigorem morbus uenturus sit pręcognoueris. Verum cum uictus, quē manifestabo, pro maioris minorisúe ratione permutari possit, quòd laborātes inter se differant uirtutis tum robore, tum infirmitate, naturali item tēperamento & morbi specie, atq;

atq; antecedente cõsuetudine, si ad ea respexeris, poteris artificiose tũ magis, tũ minus animaduertere, an uidelicet uel oxymelite uel melicrato ægrum regere debeas, aut solam aquam bibendam adusq; coctionis notas dare, aut ptisanã aut ptisanæ solũ cremorẽ, deinde an bis aut semel die. In uictu igitur tum magis, tum minus per ea quæ dixit cõijcere oportet. Nam si ægrum ptisanæ cremore indigere cõperias, iam tibi nõ etiã constat quantum de eo sis propinaturus. Consimili modo de oxymelite, melicrato, & aqua. Verũ quomodo ad generis uictus inuentionẽ operæpretiũ est ut cognoscas an robusta uel infirma sit laborãtis facultas, quot itẽ diebus morbi coctio futura sit: sic & considerandũ quantũ uel robusta, uel infirma fuerit. Nempe in uirtutis tum robore, tum infirmitate magis & minus ualde discrepãt. Sic morbi quoq; discrimina differentiasq; conijcere oportet. Neq; enĩ satis est cognoscere ꝙ pleuritis uel peripneumonia sit, sed & qualis nam sit cognoscere oporret in dolore, febre, & sputis. Nempe pleuritidum quæ cum dolore sunt, aliæ quidẽ magis, aliæ uero minus tales existunt, febremq; uehementẽ habẽt tum magis, tũ minus particulares pleuritides. Cæterum non parua est in ijs quæ expuũtur differentia, ut in Prognostico est dictum. Cum igitur particulatim in dictis differentijs uarient ægri, fieri nequit ut in Empiricorũ appellatis syndromis reperiatur disciplina. Neq; enim eorũ qui in uirtute cõperiuntur excessuũ differẽtiæ scribi possunt, neq; febris uehemẽtia, neq; sputorũ quantitas, neq; in particularib. coloribus, dissimilibusq; eductionibus magis minusq;. Verũ cuiusq; rei uirtute intellecta, om̃es inter se cõparare, summãq; omnem ex ipsis colligere oportet. Qua quidem in re tum meliores, tum deteriores reperiunẽ medici, quanquã eadẽ didicerint. Nempe qui perspicaci magis pollent sensu, ijs qui hebetiorẽ habent, euadunt probatiores: laboris item amatiores, segnioribus, exercitatioresq;, minus exercitatis: atq; qui memoriam tenaciorẽ habent ijs qui minus ea ualent. Ex particulariũ igitur omniũ uirtute colligere in summam omnem formã totam singulorũq; ciborum quantitatem cõmodius est. Nam imbecillitas sæpius quidẽ, sed paulatim cibandũ indicat. Fidemq; rei huic facit ꝙ æger bis cibari suetus sit. Facultatis autẽ robur cõtrariũ indicat. Nam si in homine semel cibari sueto uideatur, semel ipsum cibare oportet, q̃d indicant ambæ cõiecturæ. Sic & corpus bene difflabile ad cibationẽ stimulat. Quod ægre difflatur, ad contraria agit. Quod itẽ tenues habet succos, id cibãdum indicat. Quod his non cõstat, cõtrarium cõmonstrat. Atq; unumquodq; ex his quæ dicta sunt, magis minusq; proportionaliter sibi & auxiliorũ usum tum auget, tum remittit. Sed de huiusmodi, omnia in Methodo medendi deinceps & ordine ita exarata sunt, ut tũ citissime condiscere, tũ facillime ad memoriã reuocare possis. fieri siquidẽ nequit ut libro uno præsenti bene omnia scribat Hippocrates, atq; ordine doceat, utpote qui primus horũ inuentionẽ sit molitus. Qui

A tamen hæc ab Hippocrate tum transuersim, tum inordinate scripta didicerit, totamq; suam uitã in eam quæ ex operibus docet meditationẽ exercitationemq; deuouerit, is & lucẽ & ordinẽ doctrinæ adijcere poterit. Quòd si & pluribus libris fecerit, quanta futura sit claritatis eorũ quæ docentur exuperantia, liquidò patet. Nemo ergo animum despondeat, si hinc confundatur scoporum multitudine affatim circumseptus. Nam si quòd particulatim horũ unũquodq; à nobis in Methodo medendi demonstratum sit intellexerit, atq; ad illam translatus laboriose singula didicerit, ea sanè quæ nunc incomposite inordinateq; dicuntur liquido cognoscet, speculationẽq; in ipsis artis operibus exercens ueritatem ipsius laudabit.

B

37 Ciborum autem adiectioni intendendum multo minus, subtrahere uero omnino sæpenumero expedit, cum æger sufficere possit donec morbus maturescat.

Quoniam uictus cuiusq; species ex ijs quæ antea dixit inuenitur, atq; inde quæ in ante scripta dictione referuntur, conijcere operæpretium sit, ut in singulis uictus formis quantitas reperiatur, præsenti dictione. Ciborum autem adiectioni intendendum multo minus, prorsus uero subtrahere sæpenumero expedit, cognoscẽs præsidiorũ singulorũ quantitatẽ artificiosa egere cõiectura. Artificiose aũt cõijcere uiri esse, qui uires omniũ quæ in arte sunt didicerit, memoriæ mãdauerit, atq; diligentia omni adhibita sese in operibus artis exer-
C cuerit, paucią tales existãt, iure optimo quæ præsenti in quã dictione referuntur ascripsit, in quantitate ipsa ad id quod minus sit procedẽdum esse magis q̃ ad id quod exuperat ubi quis à iusto modo abscedit, admonẽs. Nempe quod plus est, exuperatq;, noxas interdũ inemendabiles facit. Verũ quod minus est, facile emẽdatur. Nempe si uirtus labare uideaẽ, cibi exiguũ insuper ministrare possumus. Verum si in uentrẽ absorptus fuerit cibus, quod redundat superfluitq; si aliàs, multo magis in acutis morbis tollere est difficile. Nempe prorsus subtrahere sæpenumero expedit, cũ æger sufficere possit, donec morbi uigor ad maturitatem perducatur. Rursum præfatæ dictiõis partẽ hanc
D assumpsit nos familiaris huius scopi admonẽs quũ tum hic, tum in aphorismis habetur. Nempe si æger ad morbi usq; uigorẽ sine cibo sufficere possẽ uideatur, in omni ciborũ abstinentia eum & potu solo moderaberis, cum tibi uidebitur necessitas.

38 Quibus autẽ id faciẽdum sit, scribetur.

Quòd prædixerit Hippocrates cõmõstrata uniuersali uictus ratione in hoc libro se trãsiturum ad cæteras omnes acutas ægritudines, liquido constat. Veruntamen opus huiusmodi non reperitur. Nempe quæ in hoc libro à balneorum consideratione extant, si quis ueluti in typo ab Hippocrate ad futurã memoriã scripta, in domo reperiẽs post uiri mortẽ deprompsit: forsan ratione quidẽ hoc fecit, ueruntamẽ ut liber digna Hippocratis men

te non sunt, sicuti neq; ea quæ de morbis & affecti bus inscripta sunt, quanquam multa in his bene scripta sint. Sed super ea re in ijs quæ in ea scriptæ sunt expositionibus disceptabimus.

39 Multa autem & alia ijs quæ dicta sunt, germana quis scribere potest.

Rursus ad eum reuertitur sermonẽ quem multis certũ ratumq; fecit exemplis, mutationem consuetudinis languẽtibus noxã afferre demõstrans, sed quoniã à sanis in eos transiit, ob id quæ similia sunt & congruentia bene ἠδελφισμένα, id est germana dixit: Quòd autẽ postea dicturus est, sermonis huius testimoniũ existit, quanq; non simile, nõ cõgruens, nec germanũ, ut ipse appellauit, sed id quod peruestigatur. Patebit autem tibi mens Hippocratis in sequentis dictionis expositione.

B

40 Hoc autẽ uerius efficaciusq; testimoniũ. Neq; enim rei de qua plurimus factus est sermo germanũ existit, sed res ipsa commodissimũ est documentũ. Nempe quidã per morbi acuti exordia eodem quo laborare cœperũt die comederũt, alij postero die, alij quiduis, alij cyceonem sorpserunt. Sanè hæc omnia deterius quidẽ habent quàm si modo alio cibaretur quis, sed quæ hoc tẽpore peccata fiunt, ea minus multo lædũt, q; si prius quidẽ dieb. uel duobus, uel tribus uasa quis integre exinaniuerit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit. Sed sanè deterius aget qui omnibus his diebus uasa ante exinaniuerit, & sequentibus quibusdã diebus ita pauerit prius q; morbus maturus reddatur. Nẽpe hoc pacto mortẽ plurimis liquido affert, nisi morbus omnino beneficus fuerit. Quæ uero in principio cõmittũtur delicta, ea nõ similiter his domantib. renituntur, sed facilius domari possunt.

C

Ante ab ijs quæ bene ualentibus ex consuetudinis mutatione contingunt, ad languẽtes ipsos per similitudinem transiit, transiturus autem & nunc, atque ipsum quod nunc instituitur ferè ita habere est demonstraturus. Sed quid'nam id fuit? sanè quòd neq; à principio neque primis diebus fame cruciatos ægros cum prope uigorem iam peruenerint, replere oportet. Tota autem dictione uult ostendere grauiorem contingere ægris offensam cum prope uigorem erratum sit, quàm si in morborum principijs quippiã delinquatur. Inquit enim: Quæ hoc tempore peccata fiunt, ea minus lædunt, quàm si primis diebus, duobus uel tribus uasa quis integre exinaniuerit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit, atq; etiã anteq; morbus, ut Græco uerbo inquit, πέπειρος reddat. Quod πέπειρον, appellet πεπεμμένον, id est quod ad maturitatẽ est perductũ, palàm est omnib. Morbos præterea εὐήθεις, id est beneficos dixit, non quidẽ maleficos morososq;, quos Græci κακοήθεις uocant, sed εὐτρέπτους, id est qui facile ad bonũ uergũt. Scimus etenĩ ueterũ multos ita uti dictiõe, ita quoq; & Hippocratem, ut alibi est dictum.

A

41 Hoc sanè maximum reor esse argumentum quòd primis diebus quauis sorbitione nequaquam eos priuemus, quibus futurum est ut paulopost sorbitionibus quibusuis uti debeant.

Sermonẽ hoc in loco eum dixit quẽ sæpius antea demõstrauit, nutrire scilicet sorbitionibus, ab initio præcipiens eos qui ad uigorem usq; sufficere citra ptisanę ingestionem nõ possunt. Nam eos prope uigorem nutrire compellemur, cum ad tenuiorem uictus formam, etiam si antea plenius cibati fuerint, transeundum sit.

42 Funditus ergo qui hordeacea utuntur ptisana male passuros ægros ignorãt, si duobus uel tribus diebus antea exinanitis uasis sorbere incipiãt: neq; etiã qui solo utuntur cremore q; sorbentes lædentur, intelligũt, cũ sorbitionẽ nõ recte inchoabũt. Sed tunc cauẽt magnamq; intelligũt læsionẽ, si æger ante maturationem morbi ptisanã hordeaceam sorbeat cremore uti suetus. Quæ omnia efficaciter demonstrant medicos nõ recte ægrotantes ad cibos inducere, quippe qui uasa exinaniãt in his morbis, in quibus sorbitionem exhibere oportet. Et contrà in quibus ex uasorũ inanitione ad sorbitiones transeundum non sit, in illis transeant.

Aduerbium hoc πυθμένοθεν, id est funditus uel παντελῶς, id est omnino, uel ἐξ ἀρχῆς, id est ab initio Hippocrati indicat. Nã medicos ignorare ait quando primum uel ptisanam, uel cremorẽ ægrotis dare oporteat, bene tamẽ scire si ante morbi coctionem ptisanam hordeaceã dederint, se ægrum læsuros. Sequẽtem autem dictionis huius seriem quæ eadem ex eisdem sæpius dictis ostẽdit de industria ob claritatem transgrediar.

D

43 Et ut plurimũ ἀπάρτι, id est exquisite. Interdũ autẽ hoc tẽpore, interdũ & alio ex uasorũ inanitione ad sorbitiones trãseunt, ubi sæpius à sorbitionibus ad uasorum inanitionem transire expedit, si ita ex morbi acerbatione contigerit.

Hoc aduerbiũ ἀπάρτι & apud autores atticos, & apud Hippocratẽ pro ἀπηρτισμένως ἢ ἀκριβῶς, id est exquisite & absolute. In quo significatu & nunc est usus Hippocrates, demonstrare uolens medicos in illo maxime tẽpore permutare uictus rationẽ ex abstinentia cibi ad sorbitiones, quo ad abstinentiam accedere oportet. Atq; hinc manifestissime ostendens cum morbi uigor adest, tunc tenuissimo de necessitate uictu esse tuendum.

Inter

44 Interdum autē & cruda tum à capite, A
tum à thorace attrahũtur biliosa, uigiliæq;
his accedũt, ob quas nõ coquitur morbus,
tristesq; & amari hi fiunt, desipiunt, incerti
& discurrentes lucis splendores oculis obij
ciuntur, aures implentur sono, friget extre-
ma, urinæ crudescũt, sputa tenuia fiunt, sal-
sa, colore syncero & exigua, sudores circa
collũ, anxietates inquietationesq;, & spiri-
tus offendens in ea quæ sursum fit aeris lo-
tione frequens uel magnus, supercilia qua-
dantenus amplificãtur, deliquia animi fiũt,
uestiũ à pectore reiectiões, manuũ tremor, B
atq; interdum labij inferioris concussio.

Vniuersa hæc contingere his ait qui perperam
cibati sunt à medicis, qui primis diebus exsiccatos
ęgros die tertio uel quarto, uel quinto, uel sexto re
pente ad edulia nõ peracto morbi uigore permu-
tauerũt. Quasi peracto morbi uigore, conuenien-
ter eos uictum permutasse dicat. Quòd autē dice-
bat: Permutare quidem oportet sanorum uictum
in morbis, neq; tamen temere id agēdum, iam pa-
tere ex prædictis arbitror. Nempe cũ una quidem
corporis cõditio sana sit, altera quæ à morbi initio
ad statum usq; extendit, mox & tertia quę ad per-
fectam usq; morbi solutionem sese prorogat, dein
de & quarta quæ totius conualescentiæ tēpus ad-
usq; sanitatis habitũ occupat, in nulla harum qua- C
tuor cõditionum permutationes uictus insignes
facere oportet, nisi prius in alterã conditionis spe-
ciem peruentum sit. Qui igitur ægrotos morbo-
rum exordijs in omni ciborum abstinentia seruãt,
si ad uigorem usque talem uictus speciem seruare
possint, nemo eos culpauerit. Quòd si facere non
possunt ob interlabentes ægrorũ uires, quòd per-
peram inedia utantur προταριχεύσαντες, id est ex-
siccantes ægros palàm est omnibus. Hoc autē uer
bo abstinētiæ importunitatem plus iusto corpus
exsiccantē euidenter demonstrat: ubi etenim quo
tempore prope uigorem tenuius cibandum fuit,
in eo cibũ dare coacti sunt, quòd ægros abstinen-
tia immoderate exsiccauerint est manifestũ, quod
uocatur ταριχεύεσθαι. Ob id igitur modo cibandi D
huic succedere ait symptomata multa, & praua:
quæ omnia continuata recenset serie à biliosis cru
dis exorsus. Nēpe biliosa cruda ita appellauit quo
niam & excrementorũ coctionē appellat, quan-
quam mutata corpus nutrire non possunt, ut bilis
utraq; & serosi humores qui græce ἰχῶρες dicun-
tur. Veruntamen quoniam & talia euincit natu-
ra, cocta quidem uocare consueuit Hippocrates
excrementa huiusmodi, quæ à natura ipsa euicta
sunt, cruda uero quę non sunt euicta. Ob id & pus
in phlegmonis quæ concoquuntur fieri ait, quan
quam pars nulla ex pure alimoniam excipiat, ue-
luti accipit ex crudis appellatis humoribus & pi-
tuita, quæ reliquum perfectionis assecuta & pror
sus cocta, corpus nutrire possunt. Sic igitur & bi-
liosorũ humorum concoctio existit, ut sanguinis
qui in phlegmone est in pus migrantis: intelligen
tibus nobis coctionis nomen in suo uniuersaliore
significato. Est autē uniuersalius, cum natura cau-
sis fortior fuerit, permutaueritq; eas suo robore.
Quæ igitur ueluti in anima carēte corpore putre-
scunt, nihil ad permutationem conferente innato
calore à cõcoctionis ratione degenerãt: hoc sanè
contingit etiã aquosis his humiditatibus quæ per
urinas excernuntur: atq; ob id crudas urinas con
coqui dicimus, quanquã corpus ex coctis urinis
ali nòn possit. Generali præterea hoc concoctio-
nis significato utimur, cum uel catarrhũ, uel cory-
zam, uel fluētes ex ulceribus humiditates, uel eas
quæ ex oculis manãt, aut crudas aut coctas esse di
cimus. Ad hunc modum & bilem uel crudam, ac
incoctã, uel coctã esse pronunciamus. Cruda qui-
dem flaua admodũ est & acris & male olens. Co-
cta autē & pallidior & minimũ male olens. Bilem
igitur crudam incoctamq; ait ad uentrē de neces-
sitate cõfluere, quæ ob prauã uictus rationē tum
ex capite tum ex thorace trahitur, idq; cum fame
ægros necant, nullo utili solatium uentri præstan-
tes, atq; cum ex inedia ad ualidos cibos prope ui-
gorem intempestiue transeũt. Recenset deinceps
& symptomata alia, quæ prauam ob uictus ratio-
nem oriuntur. In primis quidem uigilias, quæ lon
gam inediam, cibosq; intempestiue exhibitos cõ
sequũtur, quæ utraq; medicorum culpant uictus
rationem. Quòd autē uigilias morbi cruditas con
sequatur, manifestum sanè existit si somnos cõco-
ctio sequi debeat. Cęterum pertristes inquit fiunt,
tum ob longam inediam, tum ob ualidum repen-
tinum alimentũ quo grauatur uenter, grauatusq;
tristes reddit & mœstos. Adde quòd et amaros fie
ri ait, quippiam manifeste præfato consimile astru
ens: ut etem sunt qui ex melancholia mœsti fiunt,
sic alij quidem sæpius acriter excandescunt, tan-
quã collecta aceruataq; in stomacho bile. Vel sa-
nè cum amaros fieri ait, eam quæ in ipsorũ ore ex
tali bile fit amaritudinem indicat. Desipientiæ &
acres excandescentias & bilem amaram uel in sto
macho, uel in cerebro collectã, cõsequi natę sunt.
Incerti & discurrētes lucis splendores qui μαρμαρυ-
γὰς Græcè dicuntur, oculis fiunt propter eam
quę à uentre est exhalationem euaporationemq;
& propter sanguinis qui ad caput fertur, abundan
tiam. Atq; ex his prius quidem ex importuna in-
terdum fit ciborum oblatione, alterum autē pro-
pter eam quæ commodo futura sit sanguinis eru-
ptionem, uel delirium imminens. Consimiliter &
aures sonis implentur, tum propter eos qui à uen
tre sursum feruntur uapores, tum propter flatuo-
sum spiritũ qui in capite ipso oritur. Corporis ex-
trema quæ sunt pedes & manus prompte perfri-
gere, male habēte uentris ore haudquaquam nos
præterit, utpote cum uel propter longã inediam
uehemēter à mordētibus mordetur humoribus,
uel ob importunam cibi multitudinem grauatur.
Patitur autem utrunq; ex ea quæ antedicta est ui-
ctus ratione, qua medici ægros primis diebus ubi

fame

ſame exſiccauerint, tūc cū tenuiter cibandū ſit, ad frumētacea repente trāſeunt edulia. Ob eandem rationem neq; eorum qui ita cibantur, urinæ concoquuntur. Nam in ea quæ citra uel cremoris ptiſanæ, uel melicrati, uel oxymelitis oblationem fit exiccatione, ſanguis propterea quòd non purgetur bileſcit, propterq; ſubitā ad eſculenta permutationē uenter cōpatiente ipſi facultate uitali grauatur. Quo fit ut ſtomachicę appellatę ſyncopę manifeſtò nobis indicent facultatis uitalis ad os uentris condolentiā. Hoc ſiquidē tum magis, tum primum ex importunis, tum inedijs tum cibis affligitur. Ob id igitur ſputa, & tenuia, & ſalſa, & parua, & ſynceris coloribus fieri ait, & ſudorē circa collū duntaxat, & anxietatē inquietationēq;, & ſpirādi difficultatē. Crudus ſiquidē manet morbus propter exceſſum utrunq;, longā ſcilicet inediā, & intempeſtiuā cibi oblationē. Cruditatem aūt ipſam conſequuntur ſputa cōmemorata, ueluti & circa collum ſudores, uirtute & ob famis anginā lāgueſcente, & ob cibū intempeſtiuū grauata. Cōſimili modo & anxietas inquietatioq; quā grece ἀσρίων dixit, cōmune eſt utriſq; ſymptoma, & ob lōgam inediam quę uentrē humoribus replet, & propter cibū intempeſtiuū grauantē. Verū ſpirādi difficultas qua ſpiritus offendit, ob cibū intempeſtiuū magis q̄ ob indigentiā oritur. Nam ſpiritū inter inſpirandū & offendere & quaſi ſiſti, tū anguſtiæ, tum cōuulſionis eſt nota. Latio etenim quę ſurſum fit, expirationē facit. Tali aūt ſpiritui cōtrarium tum in ſecūdo tum in ſexto De morbis populariter uagantibus libro percurrit inquiēs: Duplex intro reuocatio ueluti inſuper inſpirātibus. Quod aūt ob cibū intēpeſtiuum & nō propter penuriā talis fiat ſpirandi difficultas, patet ex ſermōe Hippocratis ſpiritū frequentē uel magnū ualde perperā cibatis fieri aſſerētis. fit ſiquidē frequens magnusq;, acto in anguſtiā ſepto trāſuerſo ab ea quæ in uētre continet alimonia, cum uidelicet neq; uicta, neq; probe à uentre cōfecta inflationem parit. Nempe tunc ob ſepti tranſuerſi anguſtiā de neceſsitate minus aeris inſpirat, quanquā thorax ſe ea qua prius dilatabat, dilatatiōe dilatet. Ergo quod nūc aeris deeſt priori qui inſpirabat, id deficientē diminutumq; reſpirationis uſum facit, atq; ob eam rem animal maiorem reſpirationē facere cogit, uel frequentiorē, uel utrāq;. Dictū autē abūde de ſpirandi difficultatibus omībus, in libris De ſpirādi difficultate, ubi tum harū, tum aliarum difficultatum ſpirandi cauſas unà cum proprijs demonſtrationibus ſcripſimus: uerum quantū ad præſens attinet, hæc ſufficiūt. Ait præterea & ex præpoſtero cibatu ſupercilia quadantenus amplificari. Verū id bifariā ſcriptū inuenitur. Nempe in quibuſdā exemplaribus ſingulari numero ad hunc modū: Supercilium quadantenus amplificatur. In cæteris uero pluraliter, Supercilia quadantenus amplificātur. Significatur aūt ex ea dictione ſupercilia ipſa quodammodo diſtrahi uel retrahi. Fitq; illud interdū quidem ambobus conuulſione intentis, aut altero ſolo: interdum aūt & altero reſoluto. Deinceps

A ait deliquia animi fieri, ſermonē ad ſymptomata referens, per quæ & ueſtium reiectiones fiunt ardentibus ægris. Interdū autem & manus totæ tremulæ fiunt, plus aucto malo. Concuſsio autem labri inferioris, morſum in ore uentris uehemētem ſignificat. Quo fit ut tale ſymptoma, uomitus acrium humorum etiam ſignum ſit.

45 Hæc ſi ab initio apparuerint, delirium graue uehemensq; indicant, atq; ut plurimum ægri moriuntur.

Dicta, inquit, ſymptomata ſi circa morborū initia fiant, delirīū uehemēs denunciāt. Morbi initiū nunc intelligere oportet totū illud tēpus in quo nondū exiſtūt cōcoctionis notæ. Nempe & in li-
B bris De iudicationibus dictū eſt nomen principij & plura ſignificare, & ſignificatum quod nunc dictum eſt, ſecundū eam eſſe diuiſionē qua morborum tēpora diuidentes morbos ipſos conſtare ex principio, augmēto, uigore, & declinatione aſſerimus. Ergo cum nuper dicta ſymptomata ubi prope morbi uigorē apparent, indicationē futuram conſtantibus in morbis ſignificēt, ſanè ſi in principio fiant, iudicationē quidem nō denunciant (nihil eīm in principio iudicari poteſt) ſed delirij notæ exiſtunt. Scriptū autē & de his abunde in libris De iudicationibus, ex quibus totū qui de his eſt ſermonē perdiſces, cum illic plenior ſit q̄ ut nunc omnino percurrere oporteat. Sed ſanè ut in cæteris, ita in his ſummatim perſtringere ſatis erit. Er-
C go quoties natura ad excretionē properat, effatu digna in corpore fit perturbatio, ob quā ſymptomata huiuſmodi cum manifeſtiſsimis coctionis ſignis apparēt. Verū cum perturbatio efficitur ſimilis, nullo à natura ad infeſtantiū excretionē facto apparatu, tunc periculoſiſsimū eſt ſignum. Dictū iam & cæteris in cōmentarijs De κρισίμοις, id eſt iudicatorijs ſymptomatis qualia ſint, & quænam ipſorum natura, et quonam pacto ab his differant quæ ἐπιφαινόμενα, id eſt ſuperapparentia uocant, quo in genere erūt, & ipſa coctionis ſigna. Nempe & Prognoſticū, & librū De humoribus, & Aphoriſmos iam ante hunc librum expoſuimus. Sanè ſemper de his eadē dicere ad eum ſpectat qui prolixioribus uti conſueuit ſermonibus.

D 46 Qui autē euadunt, hi uel cum abſceſſu uel ſanguinis è naribus fluxione, uel puris craſsi expuitione euadunt, neq; aliter.

Cum mori ipſos dixit, non ſimpliciter dixit, ſed ut plurimū aſcripſit: quapropter quonam pacto quidā ex ipſis ſeruentur dicere ſequens erat: quos nunc percurrit, atq; quoſdam ex ipſis ſeruari ait, aut per ſanguinis eruptionem, aut per abſceſſum, aut puris abunde cocti expuitionem, ſimul ex his quę retulit ęgros in huiuſmodi ſymptomata incurrere propter multitudinem, ſignificans.

47 Neque ſanè horum ita peritos uideo medicos, qui ut oportet dignoſcāt eas quæ in morbis contingunt uirium infirmitates,

& quæ ob uaſorũ inanitionẽ, quam κενεαγ-
γείην dicũt, & quæ ob aliam quampiã irri-
tationẽ, & quæ ob πόνον, id eſt dolorem, &
quæ ob morbi acumen fiant. Quas itẽ natu
ra noſtra habitusq; ſingulis affectuum ſpe-
cies, omnigenas fabrefaciat, quãuis cogni-
tæ ſalutem, & mortem ignoratæ ferant.

Quoniã de ægri robore imbecillitateq; ſermo-
nem fecit, qui uictus ſcopi ſunt non cõtemnendi,
ob id nũc ſermonem de imbecillitate repetit, qui-
bus hæc fiat modis medicos cognoſcere debere
aſſerens. Nempe quòd quædam fiat ob uaſorum
inanitionem, hoc enim uocabulum κενεαγγεία, id
proprie & primũ ſignificat, atq; ob id ἀσιτία, id eſt
ciborũ abſtinẽtia κενεαγγεία, id eſt uaſorũ inanitio
ſepius dicitur, tanꝗ nomine generis etiã in ſpecie
homines omẽs uti cõſueuerint. Alia aũt ob πόνον
id eſt, laborẽ, ſeu proprie dictũ ut dolori idem ſit,
ſeu ut quiſpiã dixerit, malã affectionẽ, qua in acu-
tis morbis male ægri afficiuntur. Aliã præterea ui
rium imbecillitatẽ ob aliã quandam fieri ait irrita-
tionem. Nam ſi morſum dixit uel uentris, uel inte
ſtinorũ, ſymptoma hoc ſub dolorũ nomine intel-
lexiſſe eſt uiſus. Verũ ſi uel uigilias uel oris uẽtris
affectionẽ dixit, nõ proprie interpretari uiſus eſt.
Cæterum uirtus exolui uidetur, & ob euacuatio-
nem quæ fit uel ſanguinis eruptione, uel uomitu,
uel deiectionibus, uel ſudoribus, & ob longiorẽ
quàm par ſit inediam, & propter tum dolorem ali
quem, tum uigilias, tum aſsiduas purgãdi uentris
ſuſcitationes, atq; etiam cum os uentris ita affliga
tur, ut ſyncope inſultet, idq; uel propter grauãtis
alimoniæ multitudinẽ, uel contriſtantẽ quandam
ipſius qualitatẽ. Nempe hæc uirtutẽ celerrime tũ
fatigant tum diſſoluũt. Omnes igitur hæ uiriũ of-
fenſæ ex manifeſtis quidẽ fiunt cauſis, ſed aliæ ex
nõ manifeſtis, ut quãdo abſq; manifeſta uacuatio-
ne, uel uigilijs, uel inedia, uel oris uentris ſenſu æ-
gri ad talẽ ſubtrahunt corporis affectionẽ, qualẽ
in Prognoſtico ſcripſit Hippocrates inquiens: Na
ris acuta, oculi cõcaui, collapſa tẽpora, & quæ de-
inceps ſunt. Nam hæc corporis cõditio fit quidẽ
& ob uigilias, & ob excretionẽ quandã quæ mul-
ta ſit, & ob inediã: fit quoq; & abſq; his, cum ſcili-
cet corporis humores tenues fuerint, & febris ca-
lor acris. Nam euaporantur qui ita extenuantur
per inſenſibilem euacuationẽ. Cæteris autẽ & ob
intemperaturã principis unius partis affectæ im-
becilla redditur facultas. Primũ ſiquidem affecta
prima laborat, deinde affectuũ participatiõe & re
liquæ duæ. Didiciſti eñ unã eſſe in neruis faculta-
tem quę principium habet cerebrum, alterã in ar-
terijs cuius principiũ eſt cor: tertiã uero in uenis
quæ ex hepate oritur. Ergo partis unius quęuis il-
la fuerit, intẽperatura propriã interdum facultatẽ
uiolauit, cui affectus participatione conſenſerunt
reliquæ duæ facultates. Velociſsimæ igitur fiunt,
corde patiente, mortes. Deinde, affecto cerebro.
Tardiſsimæ ab hepate prodeũt. Vt eñ partes hæ-

A intemperie affectæ maximã facultatis unaquæq;
ſuæ offenſam incurrunt, ſic partes aliæ principio
unicuiq; propius appoſitæ ſi forte intemperatura
affligantur, uirtutum principia ad ſympathiam a-
gunt. Sunt etiã aliæ quæ quamuis propius appoſi
tæ nõ ſint, ob generalem tamen cõmunitatem uel
quandam affectiõis proprietatem partes uirtutũ
principia cõtinentes lædũt. Os igitur uentris cum
uitalem facultatẽ ad ſympathiã agit, ſyncopas in
fert: cũ uero proprie animalẽ appellatã, deſipien-
tias uel conuulſiones. Vterus interdũ & apnœas,
quas non ſpirationes propè dixeris: interdum &
neruorũ contenſiones. Verũ ſingula hæc cõpleta
ſimpliciter cognoſcuntur: cum uero fiunt & ſen-
ſim increſcunt, medicos pleroſq; latent. Quæ ſanè
B non quando ob magnitudinẽ auxilio iam carent,
tunc cognoſcere oportet, quod uulgo contingit,
ſed & cum incipiũt, & fiunt, hoc ſiquidẽ optimũ
eſt. Quòd ſi fieri nõ poteſt, ſaltẽ omnino cum in-
creſcunt, dignoſcere eſt neceſſe. Sanè hæc omnia
Hippocrates ſignificaſſe mihi uidet cum inquit.
Quas itẽ natura noſtra habitusq; ſingulis affectio
num ſpecies omnigenas fabrefaciat: ubi naturam
temperaturã dixit, & habitũ ſtruem corporis cõ-
poſitionẽq;. Nam qui rarã ex natura habẽt textu-
ram, tum euaporant, tum ſyncopã facile incurrũt.
Qui uero denſiore conſtant textura, hi in morbis
cunctantur, diutiusq; trahunt. Sic autem & partes
nõnulli habent, alias quidem frigidiores, alias ca-
lidiores, alias ſicciores, & alias humidiores: ſed o-
C mnibus peculiaris temperamento morbus.

48 Ingens ſiquidem malum eſt ſi ob dolo
rem morbiq; acumẽ imbecillitato porrexe
rit quis potũ uel ſorbitionem copioſiorem,
uel eſculentũ, imbecillitatem eam ex uaſorũ
inanitione contigiſſe arbitratus. Neq; ſanè
calumniam effugere poteſt, qui ægre ualen
tem ex uaſorum inanitione non cognoſcit,
torquetq; uictus genere. Periculum ſiqui-
dem adfert erratũ hoc: ſed longe minus ꝙ
alterum, atq; riſu dignũ magis. Nam ſi me-
dicus alius uel plebeius ægrũ interuiſerit,
D cognoueritq; ea quæ cõtigerũt, dederitq;
tum edendũ tum bibendum quod alter ue
tuerit, is præſidium attuliſſe exiſtimabitur.
Talia autẽ maxime ab his uituperantur ho
minibus, qui res ad nigrũ uertũt. Nẽpe qui
ægrum interuiſit uel medicus uel plebeius,
hunc à mortuis ſuſcitaſſe ipſis uidetur.

Ob dolores ſępius ægri ſine pulſu reddunt, ani
miq; deliquia incurrũt, & nullo pacto queũt mo-
ueri, ſimiliter & ob morbi acumen. Sunt autẽ qui-
bus nõ ob hęc uirtus offendit, ſed ob uaſorũ quo-
modolibet factã euacuationẽ. Siue igit ob euacua
tionẽ ſenſui manifeſtã, ſiue ob eã quę per halitũ fit
diſcuſsionẽ, ſiue ob inediã uirtus labefactata fue-
rit: qui ita affecti ſunt, cibari ꝙ celerrime expoſtu-
lant

lant. Contrà aũt qui ob dolorẽ uel morbi acumen parũ ualentẽ habẽt facultatẽ, uacuatiõe interdum magis ꝙ repletione indigẽt. Imò qui cibũ his exhibet, maximũ adfert detrimentũ. Verum qui ex uasorum inanitione parum ualent, hos si quis diæta tenui presserit, lædet: quanq; non æque euidenter uel celeriter. Ignorare autem si æger parum ualeat ob uacuationẽ, magis ꝙ ob dolorem, probro uertitur. Cætera dictionis manifesta sunt.

49 Scribemus autem & horũ notas, quibus singula dignosci possint.

Rursum & hic pollicetur Hippocrates, sicuti paulo ante, se librum alium quendam De morbis acutis scripturum.

50 Similia porro ijs quæ uentriculo contingunt, hæc existũt. Nam si corpus totum præter consuetudinem, ualde quieuerit, nõ confestim robustum magis euadit: quod si diutius ociatum ad labores sese repente uerterit, uile profecto quippiã euidenter operabitur. Ita de cæteris corporis partibus est existimandum. Nempe & pes, & cæteræ quæ articulis præditæ sunt partes laborare non consuetæ, tale quippiam patiuntur si post longum tempus ad laborem subito se uertant. Hæc tolerabunt oculi & dentes, & quicquid homini est: præterea & cubile præter consuetudinem & molle & durum, laborem facit. Quod item sub diuo est, præter solitum corpus indurat.

Rursus ad institutum redijt Hippocrates absoluto De uirtutis imbecillitate sermone, quem per digressionem à pristino mutauerat instituto: aitq; quæ nunc dicuntur similia quodammodo esse ijs quæ uentri contingere antea dicta sunt. Nempe scopum dirigit ad summam eam in qua mutationes subitas magnam languentibus adferre læsionem astruit. Quod autem hoc in loco scribit, huiusmodi est. Vt uenter diutius omino ociatus functionem perficere probe non potest nisi prius sensim rursum assuescat, & suas exerceat operatiões: sic corpus uniuersum singulæq; aliæ partes. Deinde & partes aliquas serie continuata nominatim commemorat, atq; tandem in fine sermonis, eius quæ in cubili fit mutationis mentionem fecit, astruens sanè & nunc quod ab initio de consuetudinis mutatione est ab eo propositum.

51 Sed horum omniũ exempla quædam perstringere satis fuerit. Nam si quis ulcus neq; admodum insigne, neq; ualde uile in tibia acceperit, fueritq; homo cui neq; admodum difficulter neq; ualde prõpte ulcera sanẽtur, & prima protinus die ita iacens curetur, ut nequaquam crus tollat: hoc sane pacto sine inflammatione manebit, citiusq;

A sanitati restituetur ꝙ si obambulans curetur. Quod si uel quinto uel sexto uel superiore adhuc die surrexerit, atque ambulare uoluerit, magis dolebit ꝙ si statim ab initio obãbulans curatus fuisset. Porro si & multũ & repente se fatigauerit, multo magis dolebit, ꝙ si illo modo curatus in dieb. huiusmodi sese lassum et defatigatum reddiderit.

De repentina adhuc mutatione ut antea in exemplis alijs, ita & nunc in ulcere sermonem facit Hippocrates. Nam si quispiam, inquit, ulcus in tibia habẽs, qui & quiescere et iacere indigeat, quiete ambulet (hoc enim significat πλανώμενος ἰητρεύοιτο, id est obambulans curetur) lædetur quidem prorsus: sed minus quàm qui primis diebus quieuerit, deinde subito circa quintũ uel sextum diem etiam ἀνωτέρω, id est superiorem, tertium uidelicet uel quartum ambulare cœperit. Sunt qui uocabulum hoc ἀνωτέρω de sequentibus dici diebus existiment, septimo scilicet, octauo & nono: quod si ipsis placebat, eos principiũ dictionis per ε & ξ. ἐξωτέρω & non ἀνωτέρω per α & ν. Quid igitur dicent? Num & tale fieri aliquãdo poterit ulcus, ut etiam si quis septima, aut octaua obambulare incipiat, ubi antea quieuit, non parum, sed etiam multum lædatur? Ita sanè sentio, si ulcus magnum fuerit, uel laborãs fuerit unus ex his quibus ulcus difficulter curatur, & magis si ambo concurrerint. Quòd si neq; ulcus magnum fuerit, neq; laborans fuerit cui difficulter ulcera curentur, curetur autẽ conueniẽter (nam & hoc subaudire in sermone oportet) iam circa septimam aut octauã bene habebit, & ambulare citra læsionem poterit. Quam ob causam sermoni adiecit, Vlcus neq; admodum ἐπίκαιρον, id est notabile insigneq;, neq; ualde εὔηθες, id est uile: simplex scilicet εὔηθες uocans. Fueritq; itẽ homo cui non admodũ difficulter ulcera sanentur. Is siquidem si nihil aliud circa curationem erratũ sit, solum quia mediocriter ambulet, quum decũbere deberet, lædetur quidem: sed non ita grauiter ut si primis diebus quieuerit, mox tertia uel quarta uel quinta uel sexta obambulare cœperit. Qui uero magnũ ulcus habuerit, & is sit cui difficulter ulcera sanentur, non mediocriter, sed grauiter lędetur ab initio obambulans: ueluti & qui paruum ulcus habuerit, atq; is sit cui faciliter admodum ulcera sanentur, si primis diebus quieuerit, & quinta uel sexta ambulare cœperit, non grauiter, sed mediocriter offendetur. Ob eam igitur causam Hippocrates de eo qui in utraq; oppositione medium obtinet, sermonẽ fecit. Oppositionẽ autem dico, tum eam quæ in magno & paruo ulcere comperitur, tum eam qua homo dicitur δυσελκὴς & εὐελκὴς, id est cui tum difficile, tum facile ulcera sanantur. Quòd nihil referat dicere insigne ulcus, uel magnũ palàm est. Nempe ἐπίκαιρον, id est insigne, aut propter loci naturam tale fit, magnum ex potentia fiens etiamsi diuisione corporis paruum sit, aut ipsa diuisionis magni-

tudi-

tudine insigne fieri poterit. Εὐτελὲς uero, id est uile quod simplex est & paruũ uel propter loci naturam quæ uilis & abiecta est, uel propter diuisionẽ ipsam paruam factam, dicitur.

52 Omnia igitur hæc inter se subitam omnem supra modum huc & illuc mutationẽ nocumentum inferre perpetuo testantur.

In exẽplis singulis præsentis sermonis mentionem facit Hippocrates, quapropter & nunc in exemplo quod de ulcere facit, idem est executus. Nempe διὰ τέλεος, id est perpetuo idem significat quod διὰ παντὸς & ἀεὶ, id est ubiq; & semper.

53 Multiplex itaq; in uentre est læsio. Nã si ex multa uasorũ inanitione repente quid plus iusto ingeratur: similiter si reliquũ corpus diutius ociatum subito ad laborem uehementem sese uerterit, multo magis læditur quàm si ex multo cibo ad uasorum inanitionem transferatur. Corpus reuera his cessare oportet, etsi ex multa fatigatiõe subito ad ocium ignauiamq; desciuerit. Oportet autem & illis uentrem à ciborum cessare multitudine, alioqui læsio in corpore fiet, corpusq; totum grauabitur.

Quod primũ omniũ demonstrare decreuerat, id de subitis in uentre mutationibus fuit. Deinde ab hoc ad generalius quod & uniuersalius dicunt trãsiens, de repẽtina omni cõsuetudinis mutatione hucusq; percurrit. Nam cum specialiora in generalioribus & particularia in uniuersalibus cõtineantur, uentrisq; permutatio cum subita omniũ mutatione demõstrata sit, nunc rursum ad uentrẽ reuersus mutationũ quę in eo fiunt differẽtias edocet. Aitq; longe grauiorẽ in uictus mutatione esse læsionẽ cum ex multa inedia repente plus modico ingeritur, quàm si ex multo cibo ad inediã transmutatio fuerit. Simile huic fieri in toto corpore rursus ostendit. Nam minus læduntur qui ex motiõe ad quietẽ subito transeunt, quàm qui ex quiete ad motionem demigrant. Rursum & hoc in loco permutationis intẽpestiuę emẽdationes correctionesq;, ueluti & in præmissis adscripsit, quanquam id ad prę-sentẽ non uideatur pertinere speculationẽ. Quæ autem adscripsit, hæc sunt, Qui ex motu quidem actioneq; in ocium segniciemq; transeũt, eos ἐλινύειν, id est cessare & toto quiescere corpore præcipit, quod idem huic sententiæ existit. Vbi fames, laborandum non est. Verum qui ex multa fatigatione ad quietem transeunt, eos pauciora ingerere iubet, quod est et uentriculũ quiescere. Quoniã qui toto corpore non laborãs consueta ingeret, is multitudinem subalet. Qua efficitur ratione ut totum corpus grauetur, laboret q;. πόνος, id est labor nunc Hippocrati læsionem indicat, multis particularibus læsionibus genus existens.

54 De mutatione quæ in hæc uel illa fit, plurima sum locutus, quo reuera hæc no-

A uisse cõmodissimũ sit, cum ad omnia, tum ad id de quo nunc agitur, quod in morbis acutis ex uasorum inanitione ad sorbitiones transitur. Transeundum enim uelut ego iam præcipio: deinde sorbitionibus haudquaquam utendum priusquam morbus ad maturitatẽ perductus fuerit, aut signũ aliquod aliud apparuerit, ut ni intestinis uacuatoriũ uel proritatorium, uel in hypochondrijs qualia scribentur signa.

Rursus sermonem totum in summã unam coegit Hippocrates. In habentibus quidem similiter B uictum haudquaquam permutare præcipiens, uerum in ijs qui ex sanitate ad morbũ transeunt permutare quidem, non tamen ut cæteri permutant. Deinde cõpendio quodam uictus scopum in acutis morbis declarauit. Nam si morbus maturuerit, transeundum ad cremoris ptisanæ exhibitionem præcepit: & si adhuc crudus fuerit, non transeundum, nisi forsan symptoma aliquod quod uires prosternat apparuerit, ut uel uacuatio uentris immodica, uel aliud quippiam quod proritet. Communi autem proritationis nomine comprehẽdit omnia quæ quouis modo uirtutem ad infirmitatem agũt: quo in numero censent & morsus quẽ acris humor, siue in intestinis, siue in uẽtriculo & præsertim ipsius ore parit, & uigilia, & ira, & mœ C ror, & lumbrici elmynthes qui ab intestinis ad uẽtrem usq; ascendunt, & cutis totius aut membri alicuius qui nocte aggrediatur pruritus: ita ut uirtus non solum ob iritationẽ, uerum quoq; & propter uigilias exoluatur. Præterea inquit: Vel in hypochondrijs qualia scribẽtur signa. Nam & ipsa dandam uel non dandam cõmonstrabũt alimoniam. Fieri siquidem potest ut intelligatur, utrunq;: sed alterum magis pro sermonum cõsequentia. Nempe præcipiens à ptisana abstinendum ante morbi maturationem, cum scilicet æger sufficere possit, adiecit. Nisi signum aliquod apparuerit uel in intestinis uacuatoriũ aut proritatoriũ, uel hypochondria qualia scribentur, tanquã hæc cremoris exhibitionem ante morbi maturitatẽ admoneant. For D te hypochondria dicit quę uehemẽter exaruerũt, & squalida admodum existunt. Talia nempe contingunt & mortiferæ faciei de qua in Prognostico dixit, Naris acuta, oculi concaui, & collapsa tẽpora. Nempe is signorum concursus hypochondriũ habet ita compressum, ut quempiam ex inexercitatis fallat, tanquam reuulsum uideatur. Verũ apprimi uehementer ob siccitatem, & propter phlegmonem reuelli idem non sunt, quanq; exuperãs corporis siccitas tensionem septo trãsuerso & hypochõdrio pariat maiorem. Sed maxime animaduertas distinguasq; à siccitate phlegmonẽ, quòd sanatio nõ una sit, oportet. Nempe qui hoc ipsum ob phlegmonem habet, tenui egent uictu: qui uero ob siccitatem, cõtrario, ubi sæpiuscule paucum exhibemus ptisanæ cremorem.

55 Fortis uigilia, potus ciboscꝫ tum crudos tum incoctos reddit: uerum ea quæ in alia fit transmutatio, corpus dissoluit, excoctionemcꝫ & capitis grauitatem parit.

Sæpius existimaui librum hũc in typis repertũ, post mortem Hippocratis esse publicatum. Non secus etenim ꝙ hoc pacto facta esse uidetur inordinata sermonum compositio. Nam quæ ab Hippocrate inueniebantur exempla: hæc in libro ad fidem uniuersalem scripta sunt, alia quidem in facie, alia in tergo. Necꝫ enim unicuique tum ascripto tum addito suum asignare ordinẽ potuit. Ergo quod ab Hippocrate in præsentiarum dicitur, id manifeste tum incompositum tum inordinatũ existit. Necꝫ enim loco in hoc ascribẽdæ rei huius occasio fuit: quanquam bene paulo ante, cum de ea quæ præter consuetudinem ad contrarium fit

A mutatione exempla scripsit. Nempe illis adscribi debuit. Quæ etenim ad uigiliam insueta fit mutatio, crudiores tum cibos tum potus efficit. Ad somnum uero multũ, eumcꝫ studio quodam accersi tum segniciẽ corporis & capitis grauitatẽ. Quam eñ dixit ἐφθότητα, id est excoctionẽ, & dissolutionem, & capitis grauitatem, uerbo uno coniunctã comprehrehensamcꝫ manifestat roboris exolutionem. Commonstrat autem & nomen ἐφθότητος, id est excoctionis, quæ ob calidã humiditatem fit, non ob siccitatem. Nempe uigilia per halitum digerere & siccare, non quæ in imo sunt coquere nata est. Somnus uero humectare, spiritumcꝫ & effluuia cohibere. Non igitur abscꝫ ratiõe in eorum qui plurimum præter consuetudinem dormiunt corpore halituosa redundant excremẽta: atcꝫ ob

B eam rem tota ipsorum constitutio excoctis similiter exoluta redditur.

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS
DE VICTVS RATIONE IN MORBIS ACVTIS
Commentarius tertius.



VIBVS autem notis uinũ dulce uinosumcꝫ & albũ & nigrum, melicratũcꝫ & aqua & oxymeli insigniantur in morbis acutis, distinguere oportet.

Non incomposite solũ inordinatecꝫ, uerum quocꝫ & diminute uinorum catalogum fecit. Est siquidem una ipsorum differentia in colore, Alterã qualitas in gustatu facit, Tertia cõsistentiã respicit, Quartã odor progignit, Et quinta in uirtute reperit̃. Quæ ergo in colore est, ea album, nigrum, fuluum, flauum, & rubrum dicitur. Verum cum & aliæ quę mediũ obtineant sint differentiæ, sane ut in colore sic in uirtute permistæ reperiuntur. Quæ autem ex uinorum gustatu est differẽtia, ea in dulce & austerum diuiditur: & ex his medium, tum quòd nullam quæ manifesta sit habet qualitatem, tum quòd ex utraque cõstat qualitate: pręterea et in id quod acre appellitatur. Verum quæ in consistentia reperitur differentia, in aquosum secatur & tenue & in ualde crassum, & in horum medium, atcꝫ in ea quæ medium hoc & extrema interiacent. At secundum eam quæ in odore est, alia quidem boni odoris sunt, alia uero non boni odoris existunt, sed feriẽtem quandam & insuauem nacta sunt qualitatem. Alia nullo pacto odorem habent, sed sunt aquæ instar inodora. Differentia uero in facultate est, ob quã aliud quidem potens, aliud uero imbecillum, aliud mediũ, atcꝫ aliud quod medium hoc & extrema interiacet. Vinum potens uehemẽter celeritercꝫ corpus calfacit, caputcꝫ ferit. Imbecillum contrario agit modo. Quæ uero medium obtinent, nota euadũt si ab externis distinguantur. Potens uinosum appellatur, imbecillum aquosum. Nempe in quo uinum aquam euincit, id cum in aliquo uehementissimum esse uidebimus, iure uinosum appellabimus. Sicuti & contrarium aquosum, quod aquæ maxime in omnib. simile existit tenuitate scilicet, & colore, & odoris carentia, et non manifesta calfactione. Hæ igitur in uinis propriam secundũ naturam reperiuntur differentiæ. Sunt qui his adijciant eam quæ ex tẽpore desumitur differentiam:

C qua uetusta quędam sint admodũ, alia recentia, & alia quæ in medio horum cõsistant. Sed quòd differẽtiæ huiusmodi eorum sint quæ extrinsecus accidant, palàm est. Nempe quatenus tẽpore acriora & calidiora fiunt uina, atcꝫ unà cum his tum colorem, tum substantiam, tum odorem mutant, eatenus differentiam aliquam in uinis tempus facere uidetur. Quòd si nihil horum immutetur, necꝫ ab aliquo uinum uetus dicetur, necꝫ recẽs. Immo necꝫ nunc ita dicunt tanꝗ uini ipsius annis opus prima ratione habentes, sed tanꝗ simul cum annis facultatem cõmonstrantes. Non enim ob tempus uina uel iuuant uel lædunt, sed ex propriarũ differentiarum mutatione id habẽt. Ergo cum de uinorum agimus differentijs, temporis mentionẽ facimus per accidens, & non proprie necꝫ primũ.

D Cæterum inter proprias uinorum differẽtias quædam iuuant læduntcꝫ prima ratione, aliæ non per se propriecꝫ sed per accidens. Dulcedo quidem & austeritas propria ratione, sic tum potẽtia tum imbecillitas, tum tenuitas, tũ crassities. Sed differentiæ quæ tum colore, tum odore desumuntur, non primum sed per accidens: quoniam uinorum hæc quidem & aquosa & alba & fulua & nigra, alia aquosa & inodora ut aqua, uel instar aromatis unguenticꝫ beneolentia. Si igitur uinorũ hæ sint differentiæ quæ & secundum propriã uirtutẽ & per accidens numerentur: iam tibi constat de eo tum ordinis tum numeri qui in præsenti dictiõe sit defectu. At si in sequentibus omnium quæ cõmodæ sunt, differentiarũ meminisse Hippocrates uidetur, ue-

tur, ueniam interpretationis defectui dabimus.

2 Vinum dulce uinoso minus caput grauat, minusque mentem ferit, atque quouis alio facilius per intestina descēdit, lienem tamē iecurque tumefacit: picrocholisque nullo pacto est idoneū. Nempe his sitim facit, superiusque intestinum inflat, nō tamē inferiori pro flatus ratione est inimicum, etsi nō admodū penetret qui à dulci uino est flatus, sed diutius circa hypochondria moretur.

Vinū dulce secundum gustandi qualitatē nominatur, secundū quā & austerū & acre, ut aquosum prætermittamus quod non omnino ab astringente degenerat: tametsi languidam exolutamque habeat astringendi qualitatē. Nam si aquæ cōparaueris, percipies manifeste ex ea cōparatiōe gustū huiusmodi uinorum, eorum esse quæ modicā nacta sunt astringentiam. Aquosum autē uinum appellant homines quod aquæ tum colore tum substantia simile est. Perspicuū siquidē ut aqua splendidum & purū, & substantia tenue uidetur: Protinus autem et facultate aquæ simile existit, neque imbecillum caput feriēs, neque infirmos neruos, quando ne quidem manifeste calfacit. Sed de uino hoc rursum tractabitur. Dulce igitur uinum hoc quidem modo ab ea quæ in gustu reperitur qualitate est nominatum, sed multis numeris ab aqua & colore & substantia recessit. Neque enim tenue exquisite, neque album uidisti aliquādo uinum dulce, sed plus minus à dictis recedit, & neutrum horum habet. Dulcia autem uina maxime sunt Theręum & Scybelites, crassa utraque & nigra. Dulcia quoque & ea quæ in Mæonia sunt, Therinū & Caryinū tanto dictis & crasitie & nigritie superiora, quanto dulcedine inferiora. Præterea quod Hepsema & Sireon à Græcis, & à Latinis sapa appellatū ex cocto musto conficitur, quo dulcius uino perficitur, eo & colore nigrius & substātia crasius apparet. Quarto autem De simplicium medicamentorum uiribus dulcem omnem saporem à caliditate, quę non immoderata & uehemens sit, fieri demōstrauimus, sicuti & acrem in uehementer calfacientibus. Acrimonia siquidem horū est inseparabilis. In usu uero uinum dulce mediocriter calfacere uidetur, sitimque facit propter tum caliditatem tum crasitiem. Ita sanè & mustum quo diutius in igne uersat, eo tum crasius, tum nigrius, tum dulcius euadit, quanquam supra modum coctum amaritudinem cōtrahat, quo modo & mel ipsum: quod quāquam omnium dulcisimum sit, longa tamen coctione amarum redditur. Sed ut iam retuli de qualitatibus omnibus gustabilibus in quarto De simplicium medicamentorum uiribus est tractatum, atque hoc in loco ut in alijs super Hippocratis libros Expositionibus non demonstrationes, sed conclusa tantummodo recenseo. Cum igitur uinum dulce uiscus calfaciat, sitque ut dictum est substantia crassum, particulares ipsius facultates quas epotū cōmonstrat, secundas qualitates cōsequuntur. Color siquidē sua ratione nullo pacto uel iuuare uel lædere potest. Ergo uinum huiusmodi pro substantiæ crasitie tarde meat: quapropter tantū abest ut ex obstructis partibus aliquid adimat, ut etiā obstructiones adaugeat. Atque ob id hepati adfecto maximū adfert detrimentū, præsertimque ubi uel phlegmone uel scirrhus occupauerit. Sed moderatius lædit ubi uel ab humorū crasitie uiscus oppilat, uel propter imbecillitatē afficitur, uti in affectionibus quæ proprie hepaticæ nuncupātur. Post hepar lien à uinis crasis læditur: nō tamē pulmo cum bronchia crassum habent humorē. Nempe in hepate ex amplis portæ uasis ad angusta strictaque uasorū tum gibbæ tum simæ partis procedit extrema: per quæ eorū omniū quæ in corpus totū digeruntur transmeatio fit. At in pulmone cōtrario euenit modo. Nam per uenas multas digestus cōfectusque in amplā bronchiorū & primo minorū irruit capacitatē: atque ab his ad maiora excipitur, secū & crassos tollēs humores, quibus nō calidior solum, uerū quoque & tenuior existit. Scis aūt pulmonem ipsum ab humorib. crasis uiscosisque per tusses expurgari. Nā qui aquosi sunt, & exquisite tenues, aerē qui tusiēdo extramittitur, cicūfluunt. Aer etenim tanque manus quædam existit, quæ sursum crassos humores secum ferat. Sed crasitiē humorū talē esse oportet ut ab aere sursum ferri possit, & nō ut lutū bronchijs illitam esse & infarctā. Ob id sanè uiscosos humores tusses nō expurgāt. Nempe manent & interna uisci instar occupant bronchia. Ergo quę ad eductionem eorum qui in pulmone continentur crassorum humorum futura sunt idonea medicamenta, moderatam humiditatē habere debent. Quòd si uiscosi humores fuerint: nō humiditate solum est opus, uerum quoque & ea quæ ab acidis fiat succis detersione. Ob eam rem melicratum quidem ad crassorum humorum expuitionē est conuenientisimū, oxymeli uero ad uiscosorum. Post melicratum ptisana est: atque ab ea uinum dulce, si coctis iam tum peripneumonia tum pleuritide propinetur, idque non uexatis inflammatione corporibus. Quòd si uinū huiusmodi epotū sitim faciat, ad expuitionem minus idoneum redditur. Verum ut uno absoluā uerbo, uinum dulce in acutis morbis ad expuitionem tum propter dictas operationes, tum propter communem uinorum omnium rationem qua uires roborant, idoneum existit, & maxime ijs qui quęuis humida quæ tum in thorace tum in pulmone continentur, expuūt. Didicisti autem humida illa uaria tum substantijs, tum qualitatibus tum uirtute esse in Prognostico, ubi sputorum exposui differētias. Nullum sanè bonum aliud uinum huiusmodi habet febrientibus propinatum. Minus tamen uinoso quod uehemēter calfacit, lædere poterit. Commodum præterea aliud, nihil habet præter antedicta nisi quòd uentris permeationē modice iuuet. Ob id igitur Hippocrates ubi à minus lędentibus quæ multa sunt, doctrinæ exordium fecit, ad iuuamenta ipsius quę pauca sunt circa finem sermonis transit. Percurramus igitur quæ recenset, dictionem

ipſius perſequẽtes. Vinũ dulce minus ꝗ̃ fortia potentiaꝗ; mentem ferire ait, id eſt minus deliria progignere. Fortia ſiquidẽ uina uehemẽter calfacientia caput humoribus uaporibusꝗ; & caliditate replent. Vina igit̃ dulcia quo magis à uehementi caliditate abſunt, eo minus cum caput grauant, tum mentẽ lædunt: ſed facilius per inteſtina deſcendere ait, et uiſcera tumefacere, id eſt uiſcerũ tumores augere. Sed de his dixi paulo ante. Præterea dulce uinũ nõ idoneũ eſſe ait picrocholis, id eſt, qui amaram bilem ſibi aceruant. Nempe medici χολὴν, id eſt bilem ſimpliciter & pallidam & flauam dicere conſueuerunt. μέλαιναν uero χολὴν, id eſt nigram bilem hoc toto appellare & nõ χολὴν id eſt bilem ſimpliciter: ſed hæc quidem acida eſt, amara autẽ quæ flaua. Ob eas res Picrocholos appellat Hippocrates, qui redundantẽ habẽt huiuſmodi bilẽ. Permiſta autem aquoſis humoribus & liquidiſſima & pallida uidetur. Sola uero cũ exiſtit, et craſſa & flaua eſt. Quæ aũt huiuſmodi bilem procreant, ſunt calida & ſicca temperamẽta, ad cuius generationẽ idonei ſunt & dulces omnes humores. Quo fit ut omnium horum maxime mel bileſcat, quòd dulciſſimũ ſit: deinde & dulcia uina. Non ſolum autẽ quòd caliditas multa tales humores amaros reddit, propterea dulce uinũ febrientibus, & præſertim ubi calidi & ſicci temperatura fuerint, idoneum nõ eſt: uerũ quoꝗ; & ꝙ craſſa ſint huiuſmodi uina, neꝗ; per urinas uelociter deſcẽdant, neꝗ; cito difflentur tranſpirẽtꝗ;. Quo fit ut bilioſos humores neꝗ; ſecũ agant, neꝗ; excernant. Solis ergo his unum ineſt bonum quòd uentrem emolliant: quòd ſi nõ fecerint, omni pacto nocent. Præterea & ſiticuloſa ſunt, hac re quòd facile bileſcant, cõmonſtrantia. Flatuoſum quoꝗ; uinum huiuſmodi eſſe aſſerit. Nempe incaleſcentes craſſi humores ſpiritum ſibi ſimilem generant, tum uaporoſum, tum craſſum. Qui autem talis eſt, inflationes parit. Quapropter ex tenuibus uinis non generatur ſpiritus, quanꝗ; interdum quippiã generet̃, quod & tenuium ſit partium & aeroſum, non nebuloſum uaporoſumꝗ;. Cæterũ dulce uinum inferioribus inteſtinis non eſſe inimicum ait, quanquam tarde meet qui ab ipſo eſt flatus, moreturꝗ; circa hypochondrium. Ea autem occaſio eſt ob quam nõ admodũ turbet inferiora inteſtina, quia circa hypochondrium moretur, donec perfecte coctus & tenuatus fuerit: ꝙ ſi ſemel coctus fuerit, commeabiliorem tenuiorumꝗ; partiũ habebit naturã. Qua igitur ratiõe à ſupernis ad infernas expellitur partes, eadem ab infernis extra mittitur.

3 Vrinas ſiquidem hoc minus, quàm uinoſum album omnino mouet.

Quodnam uocauit uinoſum album, conſiderabimus. Nam antea uinoſum uinum tum eſſe tum appellari diximus, quod iure optimo aquoſo opponit̃. Valenter igitur ipſum et calfacere, & caput replere, & deſipientias procreare, & calorẽ febrilem augere eſt operæpretiũ. Sed uinũ huiuſmodi album non eſt, neꝗ; cum nouum exiſtit, neꝗ; cum

A uetus, quando ne quidem aliud quippiã antiquorum uinorum manet album, etſi quãmaxime circa initia tale fuerit: imò ſemper fuluius redditur, & tandem flauum. Videtur ergo Hippocrates dixiſſe uinoſum album, auſterum, quod neꝗ; ipſum urinas mouet: ſed ſi tale craſſum fuerit, circa hypochondrium moratur: ſi uero non craſſum neque multũ moratur, ut nigrum: neꝗ; albis ſimul & mediocriter auſteris ſimiliter ad urinas deſcẽdit. Nẽpe uina hæc urinas ciẽt, quòd utranꝗ; tarde per urinas deſcendendi effugerunt proprietatem, tum eam quę aquę eſt quam ob frigiditatem nacta eſt, tum eam quam uinum nigrum propter craſsitiem habet. Vinum ſiquidem album & auſterum minime calidum inter uina exiſtit. atꝗ; ob id ijs quæ ad
B uentrem fiunt deſtillationibus idoneum. Non tamen abunde ciet urinas hoc uinũ. At forſan Hippocrates uino huic nigrum comparans, minus ciere urinas ipſum ait.

4 Sputum autem alio efficacius educit quod dulce eſt.

Quodnã aliud dicit? utrum'ne pręſens ad quod dulce cõparans dixit, Vrinas ſiquidẽ hoc minus ꝗ̃ uinoſum albũ omnino mouet. An nõ hoc ſolũ, ſed ſimpliciter omne id quod dulce nõ eſt? Cũ ergo Hippocrates quantũ ad dictionẽ hanc attinet obſcurus ſit, credibiliusꝗ; ſit ipſum nunc de uinoſo albo ſermonẽ intelligere, rurſum & alia oritur ambiguitas, eo quod quodnã ſit uinoſum album,
C nõ ualde manifeſtum ſit. utrum'ne id quod uehementer calfacit? an quod ualde aſtringit? quod acerbũ Græci appellitãt, ueluti quod moderatius, auſterum. Quonã igitur pacto habeat quod in dictione eſt, ego impræſentiarũ exponã. Sputũ maxime omnium uinorum dulce educit, ubi non ſupra modum craſſum fuerit, ueluti & quoties non uſqueadeo ad fuluũ ſeceſſerit, ut exoluta in eo ſint tum craſsities tum dulcedo. Prauum autem febri auxilium eſt uinum fuluum, quòd uehemẽter calidum ſit. Verum poſt uinũ dulce non admodum craſſum ad eorum quæ in pulmone ſunt eductionem conueniens eſt aquoſum uinũ, uirtutẽ ſcilicet roborans, & humores tum humectãs tum madefaciens mediocriter. Quod cæteris uinis omni-
D bus innocentius febrientibus exhibetur.

5 Et ſanè quibus propinatũ ſitim facit, his minus quàm uinũ aliud educit: quibus uero ſitim non facit, uino alio magis educit.

Vinũ aliud nunc dixit, quod omnino ſiticuloſum nõ eſt. Quare autem uinũ ſiticuloſum minus ſputa educat, facile inuenies, ſi quæ antedicta ſunt ad memoriã reuocaueris. Nempe ſitis quibuſdam perſeuerat qui dulce uinũ bibũt, quòd febrilis calor in ipſis tũ moroſior tum maleficentior exiſtat. Qui ſi talis fuerit, ſputum ſiccat craſsiusꝗ; & uiſcoſius reddit. Quòd autem ſputum huiuſmodi difficulter educatur, uerbis non eſt opus.

6 Vinum autem album uinoſum iam plurima maximaꝗ; parte laudatum quidem &

culpa-

culpatum in uini dulcis enarratione. Ad uesicam uero uino alio magis penetrat, urinasque prouocat, & perpetuo perrumpit: atque multa ad opem his morbis ferendam facit. Nempe etsi uino alio ad cætera inhabilius existat: ueruntamen quæ in uesica ab eo fit purgatio liberat, si propellatur quale oportet. Bonæ hæ cōiecturæ sunt de uino tum profectus, tum detrimenti, quas qui me seniores sunt, non didicerunt.

De uino hoc in dulcis uini mentione diximus, postea quam uires ipsorū cōparauit, perquisiuitque. Dixi autem non paruā esse quæstionē an albū simul & austerū uinū album uinosum dixit, uel quod uehementer inter uina alba calfacit. Nempe ex uinis albis nullū ualenter calfacere potest. Quod enim summe calidū est, id cōtinuo & flauū existit, uelutiet quod ab ipso est fuluū. Mox ab his rubrum, & deinde dulce. Album autē minus quidem his omnibus calfacit: sed differentias particulares aliaque omnia pro pluris minorisque ratione habet interualla. Quod autē uinum huiusmodi dulci facilius ad uesicā pertinet, dictum antea. Sed ad alia dulci inhabilius esse ait, quæ sunt uentris subductio & eductio sputorum, bonas autem has ait coniecturas esse, id est notas facultatis uinorum.

7 Fuluo autem uino & nigro austero in morbis huiusmodi ad hæc uteris, si neque grauitas capitis fuerit, neque mētis cōcussio, neque sputo uia concludatur, neque teneatur urina: excrementa autē & humētiora & ramentosa magis fuerint. In his autem ex albo migrandum, & ijs quæ similia existunt.

Dulce quidem uinū continuo & nigrū existit: non tamen nigrū omne continuo & dulce. Nam ex his quędā austera sunt, qualia apud nos in Asia prope Pergamō in Perperine & Aegis. Quod autem in Cilicia est Albates, austerū simul & dulce existit, qualitatib. cōstans cōtrarijs: quo fit ut prauum sit, quia neque distribuatur, neque descēdat, sed plus iusto in uentre permaneat superiore, atque ipsum inflet. At quod citra dulcedinē nigrū austerū est, id uentri utile existit, quādo uel plura iusto descendunt uel ramentosa: tunc enim est idoneū sicuti & uinum album austerum, & quæcunque alia astringentia medicamenta. In eum usum & fuluū uinū prodesse ait, nō omnino simpliciter fuluum affirmans: sed fuluum austerum. Nam de utrisque te intelligere oportet quod in principio dictiōis existit, qua dicitur, Fuluo autem uino & nigro austeris, in morbis huiusmodi ad hæc uteris. Duplex siquidem fuluum, ut nigrum: aliud siquidem dulce, aliud austerū. Atque cum tertium præter utrūque existat ex utriusque qualitatis permistione cōstans, attamen quod una est præditum qualitate, id colore utroque duplex existit. Caput autē & mentem fuluum magis ferit quòd & calidius nigro existat.

A Febres quoque ratiōe eadē auget, quibus idonea sola ea quæ aquosa sunt. Non immerito igitur uinis austeris utendum prohibuit siue ea colore fulua siue nigra fuerint, in capitis grauitatibus & mentis læsione ubi febris ipsam percusserit, atque amplius in thoracis pulmonisque ægritudinibus in quibus sputum detinetur, uina huiusmodi inhabilia esse ait, atque cum urinæ supprimuntur, propter crassitiem uidelicet & astringendi facultatem.

8 Quòd autem superiora quidem omnia uesicāque minus offendet, si dilutius fuerit: intestina uero iuuabit magis, si meracius, neminem latere debet.

Vinū meracius, ut dixit, intestinis magis cōuenit: quo fit ut nō abs re iuuet ipsa astrictionis ratione, propter quam omnino iuuamentū habet. Verum huiusmodi astrictionem labefactat exoluitque si aqua temperatū fuerit, atque ob eam rem minus ipsa iuuat. Quo autem modo hæc iuuat magis astringendi ratione ubi meracius fuerit, sic thoracē caputque magis offendit. hæc sunt sanè quæ manifestauit inquiēs, Superiora quidem omnia lædit, lædit quoque & corpora ea quibus per urinas expurgari est opus. Nempe austerum uinū, excretiones omnes cohibet. De uinis hæc locutus Hippocrates, cōtinuo ad melicratum trāsit, cæteris quidem ferè omnibus de uino demōstratis: at prætermisso uno quod non absoluit, & ego obiter percurram, quod scilicet febrientibus maxime idoneū aquosum sit. Est autem uinū hoc albū colore, substantia tenue, nullam earum quę cæteris uinis insunt habēs qualitatē, neque austeritatē, neque astringentiā, neque dulcedinē, neque acrimoniā, neque odorem. Nempe uino huic omniū soli ut tum aquæ tum uini mala effugeret, est datum. Prodeunt autem talia in unaquaque gēte aliqua. In Italia imbecillum Sabinum, quod febrientibus administrāt. In Asia Titacazenum & Tibicenum. Sed uini huius notas ubi intellexeris, talia facile in qualibet gente reperies, ubi & ualde tenuia & aquosa producuntur uina. Reperi equidem talia in Cilicia, Phœnicia, Palestine, Scyro, & Creta. Imò ut retuli in regionib. uidi omnibus: & quod mirum magis sit, in Aegypto. Crassa siquidem uina & odora & ualde fortia, in feruidis progignuntur regionibus. In Italia uero, & Bithynia, & Asia si multa producantur aquosa, nihil mirum. Sed quæret quispiam quam ob rem Hippocrates in antecedēte dictione peculiarem de his uinis prætermisit sermonem, cum febrientibus quam cætera omnia sint iucūdiora. Sanè qui id petit, Hippocratē uinum huiusmodi nesciuisse haud quaque ostendere poterit. Nempe post paulo cum de melicrato agit, hæc scribit. Cæterum uino albo tenui paucifero, & inodoro quodāmodo fortius est, & quodammodo infirmius. Hæc ait Hippocrates, uino albo tenui & paucifero, id est parū aquæ ferenti & inodoro melicratū cōparans. Vini igitur uinosi notas tum cōspicue tū exacte recensens percurrensque quonā scilicet pacto tum caput tum mentē feriat, de aquoso ipsi contrario discipli

nam sufficientẽ esse existimauit, cum aduersa contrariaq; ipsi inesse ratiocinari possumus.

9 Melicratũ, id est mulsa, per totum morbum in acutis epota parte plurima tum picrocholis, tum his quibus tumefacta sunt uiscera (μεγαλοσπλάγχνους uocant) minus quàm non huiusmodi est idonea.

Oratio hæc, Per totum morbum, ostendit Hippocratem de his intelligere morbis in quibus cremorem exhibere idoneum nõ esse demonstrauit prius quàm ad morbi peruentum sit uigorẽ. Nam si æger acuta febre laboret, neque tum in thorace tum in pulmone fuerit morbus, uiresq; ualuerint, & morbus quintum ultra diem sese prorogaturus non sit, aqua mulsa sola epota abunde ægro sufficere potest. Et cæteris quidem om̃ibus in morbis huiusmodi est conuenientissima: sed picrocholis minus propitia existit. Nam in ipsis bilescit, nisi prius uel intestina uel uesicam pertransierit. Quæ si pertransierit, non solum nihil lædit, uerum quoque & maxime iuuat. Nam secum biliosa deducit excrementa: hac sanè cum ratione temperaturam quoq; ipsius demonstrauit. Nempe in huiusmodi naturis, dilutior exhibita mulsa cõfert. Neq; enim hoc pacto siticulosa existit, neque bilem generat. Vt autẽ picrocholis ita megalosplanchnis haudquaquam idoneum esse ait. Megalosplanchnos nunc dixit non eos quibus magna ex natura ipsa sunt uiscera, sed quibus ea ex affectu aliquo intumuerũt, siue scirrhum, siue phlegmonẽ, siue œdema nacta sunt. Mala siquidem est in his quòd cito pertransire uiscera ipsa nõ possit, & facile bilescat, præsertimq; in phlegmonis propter caloris magnitudinẽ: in cæteris aũt qui preter naturam sunt tumoribus, minus detrimenti affert.

10 Porrò et siticulosa minus ꝗ dulce uinũ existit. Nempe & pulmonẽ mollit, & sputũ mediocriter educit, et tusses mitigat. Habet etenim uim quandã exterẽdi quæ plusquã mediocriter uiscosum facit sputum.

Quam ob causam aqua mulsa minus ꝗ uinum dulce siticulosa sit, dixi antea, cũ utraq; quatenus dulcia sunt, eatenus facile bilescere demonstrarẽ. Verũ quòd tenuior penetratiorq; ut omnia subeat, existit, ea ratiõe minus uino dulci est siticulosa. Quo fit ut si aliquãdo plusculo tempore in uentre manserit, tunc uino dulci non minus siticulosa reddatur, quod rarẽter cõtingit. Aqua uero mulsa, uino dulci citius uentrẽ intestinaq; omnia penetrat. Nec secus hepar adusq; tum renes tum uesicã non rarẽter quidem sed perpetuo. Ob hæc igitur uino dulci minus siticulosa existit. Hippocrates idem quanquã non ita sed modo alio dixit, mulsæ uirtutem ex ijs quæ in pulmone facit demonstrãs. Nempe quod hæc nõ efficeret, nisi uias meatusq; ipsius penetraret abstergeretq;, palam omnibus existit. Præterea sputum educere non simpliciter dixit, sed hoc aduerbium, mediocriter, adscripsit.

A Neq; eñ ualenter educit ut oxymeli, sed mitigat: quo oxymeli priuatur. Nempe oxymeli tusses incitat, tum irritans tum asperans, quatenus scilicet uehementer detergit. Mulsa uero & præsertim aquosa dilutaq;, detersoria quæ minima sit participat facultate. Vocatur autem huiusmodi facultas σμηκτική, à qua & nunc Hippocrates nomen fecit σμηγματῶδες, De mulsa ita scribẽs, ἔχει γὰρ σμηγματῶδές τι, id est, habet etenim uim quandã exterendi detergẽdiq;. Mediocri aũt participare ipsam facultate huiusmodi ostẽdit adijciẽs uocabulo huic σμηγματῶδες uocabulum hoc τι. Nempe quibusuis adijciat, paucitatem indicat. Hæc igitur pauca uis extergẽdi in mulsa, nõ quia extersoria est, ideo impotens est, sed quia pauca est. Ad glutinosum B siquidem sputum, medicamentũ uehementer abstergere oportet, ꝙ glutinosum eum, qui in bronchijs pulmonis cõtinetur detergere possit humorem. Quòd si talis quispiã in thoracis pulmonisq; medio aceruatus fuerit, iam & maior ut probe spuatur, tum incisoriæ tum detersoriæ uirtutis est necessitas, quæ id à succingente costas membrana detergat, dissecet, & tenuet. Nam & fieri nõ potest ut talis humor aliter per membranam, quæ uiscus ambit, ad pulmõis bronchia trãsferatur. Non igitur bene est usus dictione Hippocrates cũ huic orationi, Habet enim uim quandam exterendi, eam quæ sequitur adiecit: Quæ plusquam mediocriter καταγλισχραίνει, id est uiscosum reddit sputum. Nam melius dixisset, Habet enim uim quan- C dam exterendi detergẽdiq; quæ exigua sit, & quę sæpenumero uiscosum fieri sputum sinit. Non enim ob mulsam glutinosum fieri sputum contingit, cum id sanè sputo huiusmodi proprium inest. Mulsa igitur nil iuuat: sed excrementi naturam talem permanere sinit. Quapropter melius dixisset nihil glutinosum sputum iuuari, & nõ tale à mulsa fieri. Nam hoc uerbum καταγλισχραίνειν quod ab Hippocrate dicitur sputum à mulsa tale fieri, cum emphasi significat.

11 Ciet autem & urinas abunde mulsa, nisi ex uisceribus aliquod prohibuerit.

Mulsam ante, quòd uias omnes quæ uentrẽ renesq; interiacent facile penetret, ciere urinas dixi, D atq; ubi iecur male afficitur, usui haudquaq; conuenire demõstraui. Lieni præterea si phlegmone obsideat molesta est, atq; multo magis intestinis uentriq;. Nam cito ignescens ob phlegmones caliditatem in bilem conuertitur. Melle siquidem ob dulcedinem delectãtur tum uiscera tum uenter, quo fit ut tum citius tũ aceruatim magis alliciant. Melli quoq; & dulcia alia idem habere quis dixerit, atq; ideo ut ad uentrem ita ad uiscera accõmodari. Venter autem his oblectari uidetur. Nempe ubi ea deglutiuit, manifeste quodammodo ab assumptis delectat, ueluti ẽ cõtrario ab asperãtibus amarisq; offenditur, neq; solum cum adsumũtur, uerũ quoq; & ubi adsumpta sunt, ad aliquod usq; tẽpus. Quo fit ut nemo ea nisi interdum uice medicamenti, ut ob collectos præter naturam in uentre hu-

tre humores, ingerat. ubi enim secūdum naturam habuerit, iniucunda ipsi talia omnia sunt: iucunda autem sola quæ dulcia existunt. Sanè in appellato gutture maxima ex deuoratis dulcibus exoritur uoluptas, corpore scilicet loci illius peculiare quippiam cū succo huiusmodi habēte. Idem aūt hoc corpus est etiam uētriculi interna tunica ut & ea quæ linguam ambit. Verū in lingua euidentissimā habet dulcedinis sensionem. In gutture aūt uoluptatis. Sensio uero manifesta continuo efficitur & in uentris ore, quod dulcibus assumptis delectatur, modo animans secundū naturā habuerit. Viscera igitur hoc pacto dulci gaudere succo, plurimūq; ipsius celeriter euocātia cū ualent, frui, aliq;: cum uero febriunt & phlegmone obsident, in id quod biliosum est dulcem succum cōuertere par est. Videntur igitur quæ συκωτὰ, id est ficata ex caricarum esu appellātur, tum maxima tum suauissima esse iocinore ipso ut liquet ex dulciū esu alimentū uberius accipiente. Verum in phlegmonis febribusq; rerum huiusmodi ingestio non in probam alimoniam, sed in bilis generationē demigrat: febrilis siquidem calor exuperat: natiuus autem deficit, qui bene temperatus erat.

12 Biliosa quoq; alui deijcit magis: interdū quidē bona, sed interdū quàm decet magis colore saturata spumantioraq;, quod biliosis magis, & his quibus tumefacta sunt uiscera contingit.

Reuocare ad memoriam oportet dictionē ante enunciatā: in qua mulsam uino dulci cōparans dicebat, Porrò & siticulosa minus q̃ dulce uinum existit. Nam & hoc in loco mulsam eandem ad uinum dulce comparans biliosa alui excrementa deijcere magis pronunciauit. Nempe & biliosa deijcere uinum dulce potest, Verum mulsa, biliosa interdum quæ bona sunt subducit, interdum & uitiosa, quę syncere admodū biliosa existunt, bilem scilicet uel fuluam uel flauam habentia crassamq;. Bilis igitur ea spumā accipit sæpius quidem ratione ea qua in ijs quę uehementer igne calfiunt, spuma exurgit, sæpenumero autem & in ijs quæ à flatu agitant̃ humoribus. Horū primū caliditatis exuperantis nota est. Secundū uero instrumentorū angustiā, & flatuosi spiritus interclusi, uiāq; haudquaquā liberā habentis agitationē denotat. Biliosa aūt huiusmodi magna ex parte subducuntur in his febribus quæ liquefaciunt & ad tabem perducunt, quibus fermè omniū aduersissima, nocētissimaq; est mulsæ potio, ueluti & modo cōtrario potio aquæ frigidæ iuuātissima. Excrementū huiusmodi ait à mulsa magis generari ijs qui natura biliosi. i. immoderate calidi existūt, atq; in his morbis quibus uiscus aliquod phlegmone infestatur. Cōmune siquidem nomē hoc in loco eorum qui inflammantur peculiare factum est. Neq; enim propter scirrhum uel œdema febris incenditur. Ergo quòd in acutis morbis, de quibus agit Hippocrates, ubi tumor in uisceribus fuerit, phlegmones symptoma sit, non œdematis uel scirrhi, constat

A omnibus. Hos autem nunc μεγαλοσπλάγχνους appellauit, quasi uiscerosos dixeris.

13 Mulsa igitur quæ dilutior est, sputum educit magis, pulmonemq; mollit. Meracior uero spumosa excrementa, atq; plus q̃ conuenit colorata biliosa calidioraq; quàm dilutior agit magis.

Mel in acutis morbis bilescere, atq; ob id nobis afferre molestiā, antea dixi. Aquam prȩterea tarde penetrare, atq; in hypochondrijs diutius morari, atq; ob eas res fugiendam. At quod ex utrisq; mistum sit, cōueniens redditur, q̃ ea cōstet temperatura qua aquæ plurimæ tantū mellis permistū fuerit, ut uiam aquæ paret, & ad distributionē agat.
B Nempe his ita temperatis, urinæ facilius penetrabunt, ocyusq; sputū educetur. Quòd si mellis plurimū admistū fuerit, sitim facit, & uiscosum reddit sputū. Atq; ob eas res aquosior mulsa tum ad sputi eductionē: tū ad penetrationē urinarū idonea magis existit: meracior uero ad uētris deiectiōes. Nempe quanto magis proritabit, tanto magis & uelocius subducet. Clysterib. ergo infusa quo meracior, eo magis excretoria reddet. Causaq; erit deiectionum, tum earum quæ κατακορέως, id est ἱκανῶς, hoc est ualde biliosæ existūt, tū spumosarum. Talia siquidem trahere magis potest q̃ intestina tū mordere, tū detergere. Adde q̃ & in bilem flauam transiens, ea occasione biliosorum excremētorū copiam simul adauget, quo fit ut ipsius usum
C non laudet Hippocrates. Declarat autem ex horum uerborum adiectione: καὶ μᾶλλον τοῦ καιροῦ κατακορέως χολώδεα. i. atq; plus q̃ conuenit ualde biliosa. Nam μᾶλλον τοῦ καιροῦ dicere consueuit pro μᾶλλον τοῦ προσήκοντος, id est plusquam conuenit. Spumosas item deiectiones & in Prognostico damnauit. Et κατακορέως, id est ἀκράτως, hoc est syncere biliosa mala sunt. Neq; eñ κατακορέως, neq; ἀκράτως, sed mediocriter talia esse oportet. Horum igitur non immemor cum uel ex mulsa epota uel absq; ipsa quis spumosa simul & syncere biliosa deiecerit, febrem sciueris esse quæ liquefaciat & ab tabem perducat: atq; ob id ab usu mulsæ abstineto, atq; in ptisanæ cremorem deuenito signū quodpiā coctionis morbi quantumuis momentaneū ex urinis obseruans. Nam si tunc frigi-
D dam dederis, maximo eris præsidio.

14 Deiectiones autem huiusmodi habēt quidem & alias quæ graues sunt offensas. Neq; enim hypochondriorum extingunt ardorem, sed excitāt. Inquietationemq; & membrorum iactationem faciūt. Intestina autem sedemq; exulcerant.

Consueuit Hippocrates βλάβας, id est offensas σίνεα dicere, ut in libris De fracturis et articulis est demōstratū. Nā σίνειν Iones dicūt pro βλάπτειν, id est lædere. Immo & βλαβερὰ, id est nocua, σινάμωρα sæpenumero appellauit. Graues igitur offensas habent, inquit, præfatę deiectiones, id est, pure

biliosæ ſimul & ſpumoſæ. Conſueuit autem Hippocrates de ſignis notisq; uocibus uti, tum cauſarum, tũ quæ læduntur corporum. Deiectiones ergo huiuſmodi ſignificare commodius dixiſſet: ſed habere dixit, quanquam corpora affecta læſiones habeant, cauſæ faciant, & ſigna indicẽt. Sed quænam ſint quæ à dictis proueniunt deiectionibus offenſæ, ab Hippocrate audi inquiente: Neque enim hypochondriorum extingunt ardorem: ſed excitant. Hoc autem ideo dixit, quoniam ſæpius biliosorum deiectio hypochondriorum feruorẽ protinus extinguit. Quare in malignis maleficisq; biliosis adiecit, quòd talia excernentibus ipſis nõ extinguuntur, ſed omnino uice uerſa increſcunt augentûrque. Neq; ardor hypochondriorum ſedatur, quin potius uehementior redditur. Adde quòd ῥιπτάζονται, id eſt ἄσην & δυσφορίαν habent, id eſt implacidi inquietiq; fiunt. Deiectiones ſiquidem huiuſmodi flãmantis in hypochondrijs ipſis affectionis ſymptomata exiſtunt: atque in inteſtinis ramentoſam parit acrimonia affectionem. Sanè affectionis huius quæ ſyncere biliosa ſunt, cauſæ exiſtunt: eius uero quæ in hypochondrijs exiſtit, ſigna. Verũ Hippocrates, ut dixi, uocabulis cauſas indicantibus de ſignis uti cõſueuit.

15 Sed horum auxilia ſcribentur.

Quòd morborum ſingulorum remedia ſe ſcripturum propoſuerit, & in ſuperioribus indicauit, & hoc in loco non minus. Verum an & quæ libro huic poſt ſermonẽ de balneis adiecta ſunt, digna Hippocrate exiſtant, & quæ in libris De morbis uel de affectionibus ſcripta ſunt, inter exponendum conſiderabimus.

16 Qui ergo in morbis huiuſcemodi relictis ſorbitionibus mulſa potionis alterius uice utetur, is ut multa feliciter cõſequetur, ſic ei nequaquam præter animi ſententiam ſuccedẽt multa. Verum quibus danda ſit, & quibus non, & quam ob cauſam, iam magna ex parte eſt dictum.

Significauit & nunc manifeſtiſsime, ad morbi uſq; iudicationẽ ſola uti mulſa cõſulens. Nẽpe in ſolis qui colliquefaciũt morbis, uel in quibus hominũ uirtus ad morbi uſq; iudicationem ſufficere non poſsit, ad ptiſanæ cremorem perueniemus. In alijs uero ſolam exhibere mulſam eſt cõmodius.

17 Damnata autem propterea ab hominibus eſt mulſa, quòd bibẽtes ad ultimum imbecillitatis agat, atq; ob id citam adferre mortem ſit creditum. Verum id ob eos qui ſeipſos fame conficere conſtituerunt, dictũ fuerit. Sunt enim qui ſola utãtur mulſa, tanquam huiuſmodi exiſtat.

Dicere ſumme à mulſa imbecillitari & mulſam nullo pacto nutrire uel exigue, idem nõ eſt. Quippe cum tria hæc inter ſe diſtent: Nam quæ uires euertunt, ut ſanguinis eruptio, deiectio ſuperflua, ſudor immodicus, & per accidens cibi abſtinen-

A tia, ſumme imbecillitare dicũtur. At quæ nullo pacto nutriunt, ut aqua: ea uirtutem neq; ſumme imbecillitare neque roborare quiſpiam uere dixerit, niſi id aliquando per accidens contingat. Aqua ſi quidem non ut alimentum uires recreat, ſed bene ut medicamentum ad temperamẽti ſymmetriam quæ propter ipſius immoderationem imbecilla ſunt reducens. Tertio deinceps loco ſunt quæ exigue nutriunt. quibus qui tantũmodo utitur, tãetſi interire poſsit, nõ tamen tanq; uires ſubuertentibus, ſed tanq; eas non quod ſatis ſit roborantibus. Quo è genere eſt mulſa. Nã ſi quis dieb. quatuor cibo priuatus interire poſsit, is mulſæ uſu nõ quintũ modo, uerũ quoq; & ſextũ attinget. Sermonẽ hunc & de melle intelligas. Nempe melius natura mulſam ipſam inter modice nutrientia facit. Nam

B humiditatẽ non modo Hippocrates: uerũ quoq; & medicorum probatiſsimi ferè omnes cibi uehiculum non cibũ cẽſuerunt. Hæc ſanè eadem quæ nunc dicuntur, de mulſa & melle ſcripſit non obſcure Hippocrates in ſequentibus.

18 Sed hoc non omnino ita habet.

Non omino ſiquidem uerum eſt eos qui ſeipſos fame conficere conſtituerunt, propter mulſam mortem obire. Moriunt̃ etenim & ſi aquam ſolam biberint: ſed quod exiguam corpori præſtet alimoniam, ob id ſola uitam ſeruare non ſufficit. Quod etiam accidit ubi quis ſolius ptiſanæ cremorem perpetuo ſorbeat.

C 19 Sed mulſa q̃ aqua multo potẽtior eſt, ſola epota, niſi aluum perturbet.

Indicare uidetur per hanc uocem, potentior, quòd & aqua aliquam nutriendi uim habeat. euenit autem eo quòd oris uentriculi ariditas irrigatur, ut diu, qui aquã bibant, magis durent, quàm qui nihil aſſumunt. Secure autem, niſi aluum perturbet, addidit, de mulſa ſermonẽ faciens: illos enim iure peius habere facit propter euacuationẽ, quibus aluum perturbat, ſimulq; uerbum id perturbat, immoderatam ſignificat excretionem & non mediocrem. Scire quidem oportet mulſam crudam aluum magis ſoluere, coctam autẽ bene, magis nutrire. Hoc autẽ obiter à te ſit cognitum. Videamus autẽ quæ deinceps ſcribit uino mulſam comparans.

D 20 Sed & uino albo tenui paucifero & inodoro, quodammodo fortior eſt, & quodammodo infirmior.

Sunt qui dictionem ſcribãt ſine hoc uerbo, eſt, hoc pacto: Sed & uino albo tenui paucifero & inodoro, quodammodo fortior et quodammodo infirmior. Alij pro quodãmodo legunt interdum ad hũc modum: Sed et uino albo tenui paucifero & inodoro, interdum quidẽ fortior, interdum autem & infirmior. Sed ex omnibus uis eſt eadem atq; idem intellectus. Nam Hippocrates mulſam uino huiuſmodi quadantenus fortiorem, & quadantenus imbecilliorem dicit. Feci autẽ mentionem uini huius citra tractationem de uinis ubi

Hippo-

A Hippocrates de eo tanquam qui nō nosset ipsum conticuit. Nunc uero clare docuit, tum substantiam memorans, ex hoc uerbo tenui, tum uirtutis imbecillitatem cum adiecit oligophoro, id est paucifero. Vocatur siquidem oligophorum siue pauciferum quod ut bibatur minima eget aquæ mistione. Contrario autem modo polyphorum uel multiferum appellatur, quod ut bene temperetur, multam exigit aquam. ac si dixeris, quod aquæ multum sustinere potest ad temperatam mistionem. Quod uero pauciferum appellatur, id fractum infirmumq; & ad potum inutile redditur si multa dilueris aqua. Atqui quæ in uino hoc est caretia odoris, ea imbecillitatis frigiditatisq; maxima existit nota, ut in hoc aquæ similis, non secus q̃ fortis odor maximum roboris signum. Vi- B num siquidem aquosum leuissimam in ligno uitis habuit transmutationē. Leuissimam quoq; & elemēti terrei permistionem: ut aqua sit, quæ parum terreæ ac calidæ essentiæ assumpsit, & quæ ad harum unionem paucissima coctura opus habuit. Cōtrarium autem tum uinosum, tum multiferum neque à leui coctione tale efficitur, utpote quòd ab aqua longissimo recedat interuallo. Quò factū est ut insignem consecutum fuerit tum caliditatem tum odorem.

21 Vini autē mellisq; meracitas si robur utriusq; contemplatus fueris, insigne recipit discrimē. Nam si duplam uini meri mensuram ad mellis delinctū quis biberit, à so- C lo nimirū melle ualidior longe reddetur, nisi uentrem turbauerit. Nam & multo plus stercoris deijcietur.

Si mulsæ & nō mellis dixisset Hippocrates manifestius enunciasset. Nam de mulsa hucusq; egit, ipsamq; uino ex aqua diluto comparauit, neq; ipsam per se: sed ut iusta fieret comparatio. Ob id sermonem suum ad mel uinumq; reuocauit. Sunt autem qui in huiusmodi comparationibus non reliquos modo uolentes: sed semetipsos quoq; inuitos circumueniant fallantq;. Cæteri meraciora purioraq; experti non puris solis sed quouis modo temperatis illorum uires contribuunt. Non secus alij aquosiora experti ex illis de omibus quoquo D modo tēperatis sententiā ferunt. Nō ita tamen de rebus iudicium est faciēdum. At si iustā facturus sis de ipsis cōparationē, mulsam ad eorum quæ bibuntur uinorum tēperaturam in aquæ permistione ita ex proportione existimabis, ut uinum non meracius & mulsa aquosior fuerit. Sed quoniā in mistione proportionē exacte seruare difficile est, ob id ad ea quæ uere immista & proprie pura appellata transtulit sermonē Hippocrates, uino nullo pacto diluto mel ipsum comparans. Aitq; duplum uini epotū minus alere q̃ mellis simplum. Verum quoniā plura uinorū genera existunt, nō quæ fortia sunt, caputq; feriunt, & desipiētias creare possunt, in hoc exprompsit sermōe: sed uinum imbecillum aquosumq;. Melq; ipsum huic cōparans plus alere enunciauit. Cæterum cum uini duplo mel dimidium cōparare uoluerit, non quod solum utrunq; per se & citra aquæ mistionē æger sumere debeat asseruit, sed si post utrunq; dimensum pro arbitrio ingerat, nō minus differt. Potest siquidem si res tulerit, mellis cyathum unum uel per se accipere, uel aquæ quantū uolet mistū ingerere, atq; id quotidie bibere. Vel denuo uini cyathos duos diebus singulis ut uolet aqua temperatos. Tali siquidem experimento tum in plurimis similiter in cæteris habentibus hominibus, tum etiam in uno magis per idem tēporis spatiū cognoscetur exquisita utriusq; facultas. Si enim mel non ex naturæ proprietate uentrem turbat, qui melle utuntur, diebus pluribus abunde sufficiēt. Si ergo res ita habet, cur in principio orationis dixit Hippocrates: Sed & uino albo tenui paucifero & inodoro interdum fortior interdū infirmior, sed semper fortior secundū nuper dicta uidet: qm̄ prius q̃ de cōparatione iusta distinxisset, docuissetq; citra distinctionē absoluto sermone bene & secure dixit: Inuenietur mulsa uino quadātenus fortior, & quadantenus infirmior. Si enim temperamenti utriusq; analogiam quis nō distinxerit, interdum quidem infirmius uinum, interdū & mulsa esse uidebitur. Verum si hęc distinxeris ut est dictū, atq; eam quam mel in uentre facit turbationē contemplatus fueris, mulsam ad nutriendū ualidiorē semper deprehēdes q̃ uinum eadem proportione dilutum tēperatūq;. Quòd si & excremētū quod ex mulsa ita moderatū excernitur, ut uirtutē non exsoluat, adnotaueris, tibi etiā magis ex mulsa copiosior uidebit nutritio q̃ ex uino. Nā si etiā multo plus exeat excrementū, laborans tamen pluribus diebus ex mulsa sufficiat, certe ad nutritionē mel uino, tum potentius tum ualidius uidetur.

22 Mulsa tamen post ptisanæ sorbitionē epota ualde replet, inflat, & hypochondriorum uisceribus est inutilis. Sed si ante sorbitiones bibatur, non ut superepota lædit: sed iuuat.

De ordine ait Hippocrates quem in usu mulsæ ptisanæq; quis optime seruare debeat. Verū uno mulsæ ptisanæq; edoctus exēplo uniuersalē hunc accipe sermonē. Nā perpetuo prius ingerēda sunt quæ & facilius corrūpuntur, & quæ subducuntur magis. Posterius uero contraria. Ptisana aūt quàm mulsa difficilius corrūpitur, & descēdit tardius. Si ergo mulsa primo sumpta fuerit, ex ea quædā ptisanæ ad deiectionem fit deductio. Verū si ptisana primū sumpta fuerit, subduci mulsa prohibetur. Inflabitq; hypochondria: atq; tandem in bilem conuersa, ptisanæ etiam detrimentum afferet.

23 Cocta autē mulsa, facie quidem cruda longe est melior: splendida siquidem & tenuis & alba & pellucida existit. Sed qua ab ea euariet uirtute non habeo quod dicam. Neq; em̄ est suauior si mel bonū fuerit, im-

becillior tamen & minus ſtercoris ducens. Quorum neutro ut caſtigetur mulſa opus habet. Cocto tamen probiſsime utendum ſi mel uitioſum fuerit, impurum, nigrum, et mali odoris. Nempe coctura plurimam malignitatum turpitudinem tollit.

Tota dictione coctæ crudæq; mulſæ differentias docet Hippocrates: ſed nullam deſiderat expoſitionem.

De oxymelite.

24 Oxymeli uocatum potum ſæpius quidem in his morbis commoditatem habere reperies. Nam ſputum educit, & facilẽ reddit ſpirationem.

Καλεόμενον, id eſt uocatũ aut quod uocaṫ, & καλεῖσθαι, id eſt uocari, atq; his ſimilia adijcere Hippocratem non ignoras: interdum quidem ꝙ hæc appellatio Græcis omĩbus nullo pacto uſitata ſit, interdum uero ꝙ abrogata, atq; interdum ꝙ artificioſum quippiam demonſtret. ut τῶν τῶν κροταφίτων καὶ μασσητήρων μυῶν, id eſt temporalibus & maſticatorijs muſculis declarauimus. Sed quod artificioſum nihil indicet oxymelitis appellatio, cõſtat omnibus. Appellationem igitur ex adiectione τοῦ καλεύμενον uel damnauit, uel tanquã inuſitatã indicauit: poteſt autem & utrunq; feciſſe. Nam forſan tunc primũ in cõmunem uenit uſum, forſan & uocem damnat tanꝗ ex ſolis aceto & melle conſtare medicamentum explanantem, uel tanꝗ mellis differentiã indicantẽ. quaſi ita quiſpiam diceret, Mel aũt quod acre eſt, talẽ habet facultatẽ. Ergo de uerbi huius καλεύμενον adiectione nemo ignorat. quapropter ad id quod cõmodat deſcẽdamus. Non enim ex aceti melliſq; miſtione tantum oxymelitis eſt cõpoſitio: uerum ex mulſa paulũ aceti accipiẽte. Sed ut coquatur melius eſt. Nempe uirtus aceti ita coctura imminuitur, ut mulſa quidem ab eo cui miſcetur auxilium ſumat, offenſam autẽ non habeat. Auxilium autẽ in orationis exordio enunciauit, atq; poſtea enunciabit. Offenſas uero ad dictionis totius calcem adijciet. Dictũ eſt igiṫ in exordio, Sputũ ſiquidẽ educit, & facilem reddit ſpirationem. Deinceps uero ea dicta ſunt quæ ex intelligentia uerborum ipſius diſcemus.

25 Tempora uero hæc habet.

Καιρὸς, id eſt tempora dixit, uel tempora quibus ex conſuetudine utendum ſit, uel tẽpora quibus iuuare ſoleat. Nẽpe & in hoc ſignificatu καιροῦ id eſt temporis appellatione interdum uti Hippocratem oſtendi.

26 Quòd ualde acre exiſtit, nihil mediocriter in ijs quæ nõ facile educuntur ſputis efficiet. Nam ſi quæ ſtridulã aſperitatẽ faciunt educeret, gutturq; lubricaret & ueluti dilataret, pulmonẽ certe leniret: nẽpe ipſum mollirer. Quæ ſi contingerẽt, maxime prodeſſet. Interdũ uero accidit, cum ualde acre fuerit, ut ſputũ nõ educat: ſed uiſcoſum reddat, adferatq; detrimentum.

In quibus acri oxymelite utendum ſit, in his fieri aliquando ex eo offenſam docet Hippocrates. Nẽpe in quibus nemo prorſus tali quod acre eſt medicamẽto uteretur, tales recenſere offenſas ſuperfluũ eſt. Neq; eñ ſimpliciter de acri oxymelite ſermonẽ fecit, ſed aduerbium hoc κάρτα, id eſt ualde adiecit. quod λίαν & σφόδρα. i. admodũ, uehementerq; ſignificat. Tale igitur oxymeli nihil mediocriter in craſsis glutinoſiſq; pulmõis ſputis efficere conſueuit, in quibus eo ſolo quiſpiam utatur, ſed ea uel ſecat, detergit educitq;: uel facere id nõ ualens, exiccat. Nempe ut huiuſmodi medicamentum ſecandi uim habet, ita & exiccandi: utimur autem eo in craſsis pulmonis ſputis non tanquam exiccante (nẽpe hoc pacto detrimentũ adferret) ſed tanquam incidente & detergẽte. Cum igitur hæc facere nõ ualet, tantum abeſt ut utilitati ſit, ut etiã maxime noceat: ſed quãdo neq; ſecat, neq; detergit, in ſequentibus docebit. Volo autẽ impræſentiarum de ea quæ in multis reperitur libris ſcriptura agere. Non eñ per σ, ſecundã huius nominis μέσον ſyllabam; ſed ζ, ſcriptã inuenimus, ut dictio tota talis ſit, τὸ μὲν κάρτα ὀξὺ ἐὸν οὐ μέζον ποιήσειν, id eſt, Quod ualde acre exiſtit, nihil inſigne efficiet. Sed id falſum eſt. Nempe inferẽs magnum aliquando fieri ab eo iuuamentũ oſtendit, interdum & detrimẽtũ. Quare perpetuo inſigne quippiam facit, & nullo pacto leue paruumq;. De quo aũt eſt uerũ dicere ꝙ perpetuo magnum uel malum uel bonũ facit, de illo melius nihil mediocriter ab eo fieri quiſpiam dixerit.

27 Potiſsimum aũt ita afficiũtur qui aliàs pernicioſe habentes neq; tuſsire neq; quæ intus continentur excreare poſſunt.

Sputa craſſa uehementer glutinari, nihilq; ab exhibito, quod acre ſit, oxymelite iuuari ait his cõtingere qui aliàs pernicioſe afficiunṫ, id eſt quibus crudus ſupra modum exiſtit morbus. Nempe hi nihil expuunt.

28 Cum hæc ita habuerint, uires hominis perpende. Nam ſi de eo ſperaueris, dabis.

Poſtea quàm eos qui aliàs pernicioſe ægrotant, ab oxymelite nihil iuuari prædixit, paucisq; ex ipſis adiuti liberentur, ob id & ipſius quod rarenter contingit non tacuit auxilium. Fit autem auxiliũ huiuſmodi ab acri ſupramodum oxymelite cum ægri uires ualent. Nempe ſi non ualent, non iuuabit quod tale eſt oxymeli. Duorum ſiquidem alterum efficiet. Nam uel prorſus non ſecabit: ſed quod glutinoſum eſt glutinoſius reddet, uel diſſecabit, abſtergétque. Verum ſubitam uniuerſamq;, tum eductionem, tum uacuationem quam molietur, non ſufferente natura continget ſtrangulari hominem

Cum

29 Cum autẽ dare uolueris, perquam tepidum paulatimq́; & non affatim dabis.

Si æger ob sputorum tum crassitiem tum uiscositatem nihil expuerit, uirtusq́; ualida fuerit, oxymeli dari iubet ualde acre, paulatim & ἀλιροχλιαροῦ quod est ἄλιρως χλίαρου, id est perq̃; tepidũ. Id aũt calidi frigidiq́; exacte est medium. Nam q̃ uehemẽtem habeat facultatẽ propterea copiose ipsum uno haustu offerre ueretur. Pari modo & esta te frigidũ porrigere ut antea precepit, ideo timet, quia tũ pleuritides tũ peripneumoniæ in quibus nihil expuitur crudæ sunt. Coctioni aũt perpetuo calidum opitulaẽ confertq́;: frigidũ uero renititur & aduersatur. Sed quam ob causam calidum etiam oxymeli deuitat Hippocrates? Certe ob morbi malignitatem malũq́; morẽ. ne uidelicet protinus ex tali potione cruda persistat affectio, hominemq́; à calido oxymelite siticulosiorẽ fieri contingat. Nempe q̃ symptoma hoc uiscosum reddat sputũ, exposuit. Tutius ergo mediocriter tepidũ esse oxymeli arbitratur Hippocrates, utpote qui calidi eam quæ succederet possit, frigidiq́; de necessitate successuram fugiat læsionem.

30 Quod autem parum acre est, os faucesq́; humectat, sputum educit, & sitim sedat, qua occasione hypochondrio uisceribusq́; est beneuolum, mellisq́; inhibet noxas. Nempe quod in melle biliosum est, temperat castigatq́;.

Postea q̃ de supra modũ acri oxymelite sermonem absoluit, ad id quod mediocriter acre est transiit, humectare ipsum os faucesq́;, & sputũ educere, & sitim sedare in textura orationis inquiẽs: Nẽpe quod omnia quibus iuuari ægritudines natæ sunt habet, id eorũ quæ nocere ualent ob uim temperaturæ nihil habet. Nã mulsæ tantũ aceti est admistum, ut quod in ipsa biliosum sit, queat sufficienter κολάσαι, id est καθελεῖν, πεπαινῶσαι, id est castigare, inuertere, & supprimere. Nẽpe in quarto De simplicium medicamentorũ uiribus dulcem succum acri maxime potẽtia aduersari demonstrauimus. Cũ itaq́; mulsæ facultas cetera quidem omnia quibus morbi huiusmodi opus habẽt, cõtineat, in uno aũt duntaxat cõtraria ipsis sit, q̃ scilicet supercalfacta ipsa bilescat, migrationẽ sane huiusmodi permistio aceti cohibens, optimũ efficit medicamentũ. Nempe minime siticulosum erit, atq́; ob id sputa quæ nõ omnino crassa glutinosaq́; sunt, facile educet. has aũt quæ duæ numero existunt operationes, consequitur partium oris fauciumq́; humectatio. Qua uero occasiõe hoc facit, ea tum lieni tum hepati maximam adfert suauitatem, uiscera suauiter iucundeq́; expurgans.

31 Flatũ præterea discutit et urinas mouet

De mediocriter acri oxymelite adhuc disserẽs, hæc protulit. Nam in pulmõis thoracisq́; affectionibus plurimo est usui, maximeq́; insignem habet patrocinatum ob metricam illam aquæ acetiq́; & mellis permistionem. Tale siquidem oxymeli spiritũ crassum glutinosumq́; in hypochõdrio secat: flatusq́; abrũpens, uias omes expurgat: atq́; ad urinas tum serosa tum biliosa agit excrementa.

32 Sed partem intestini imam reddit humentiorem facitq́; ramenta.

Eam quæ supra id quod secundum naturam est innascitur partibus humiditatem, πλαδδῦν Hippocratem nominare neminẽ ex nobis præterit. hoc igitur efficere ait oxymeli. Nam quicquid crassi glutinosiq́; succi superius infarcitur, id abradit secatq́;, atque ad excretionem subducit. facile item et hac facultate ab iocinore facit excrementorum eductiones, ita ut collectis superioribus cunctis humiditatibus in intestinis ipsis & potissimum infernis, ob multitudinẽ quidem innascatur ea quæ supra naturam est humiditas, ob qualitatem uero intestini abrasio. Nempe & oxymeli detergente præditũ facultate, tandem abradet intestinum. Eiusdem quoque est facultatis quod cum oxymelite descendat biliosum excrementum. Quapropter & sine oxymelite si aliquando exuperarit, intestinum abradet.

33 Interdũ aũt & hoc in acutis morbis est inutile, & potissimũ q̃ non flatum modo foras prodire uetet, uerũ quoq́; & reuerti faciat. Præterea & maxime uires frangit, & extremas infrigidat partes.

In acutis interdum morbis abradi intestinum bonum non est. Nempe ea qua elici ramenta solẽt affectio, partium quæ in superficie constant ulceratio est. Quę cum talis existat, à perrumpentibus omnibus & præsertim mordentibus, molestiam recipit intestinum. Quod affectum nisi protinus mordentia excreuerit, ad regionem superiorẽ, ea quæ perrũpũt, remittit. Quo fit ut ea occasiõe flatus etiam sursum recurrat. Naturalẽ siquidem functionem circũstringentem, exprimentemq́; sortita sunt intestina, ut in cõmentarijs De facultatib. naturalibus est demonstratum. Sed quæ cõtinentur à partibus quibus continentur reijci uelocitatis est opus. Cum igitur superne motus exordium habet, quę continentur deorsum habent excretionem. Verũ si motio inferne capit exordia, sursum feruntur. Quòd sane etiam in habentibus secundum naturam usu uenire uidetur. cum scilicet uniuersim raptimq́; subeũte ad inferna intestina bile continemus excretionem, aut propter aliquam negocij curam quæ interpellari non possit, aut quòd non prope sit quo uenter exoneretur locus. Nempe tunc emergere sursumq́; ferri bilẽ ita percipimus ut nõ adbuc excerni possit. Sunt quibus ex huiusmodi bilis recursu stomachus male habet Alijs caput replet, & ob morsum dolet. alij patiuntur utrunq́;. hoc igitur pacto quæ ramenta habet intestinorũ affectio, deorsum interdum excernit celeriter, ægrorum molestiam nequaq́; sustinens. Interdum autẽ & à partibus inferioribus ad superiores, ubi quæ perrũpunt nõ protinus per sedem prodierint, sed is qui sedem circulariter ambit mu-

sculus

sculus, tum contractus, tum recti intestini extremum ipsum adstringendo cōplexus, principium motiōis obstrictoriæ ex infernis partibus ad superiores fecerit. Ob eam igitur causam nō flatus modo, uerum & excrementum in huiusmodi affectionibus reuertitur. Contingit autem & uires offendi ob eū qui in transitu ipso sequit morsum. Nam quæ abraduntur, tametsi quod perrumpit breuissimū habeat morsum, uehemēter tamen infestāt. Scimus aūt dolorem omnē uires exoluere euertereq;, atq; ob id partes infrigidare extremas.

34 Et hæc sola est quam nouerim oxymelitis noxa, quæ scribi digna sit.

Oxymeli mediocriter temperatum, noxas omnes quæ ex melle, aceto, & aqua emergunt, effugisse paulo ante est demonstratū. Quòd si aliquādo nocuerit, solum nocet, quòd abradat intestina: idq; facit in ijs qui imbecillam habent facultatem, & pati idoneum intestinum.

35 Exiguū aūt portionis huius nocte quidem & ieiuno ante sorbitionem dare expedit, quanquam & à sorbitione, modo longum intersit tempus, nihil uetet bibere.

Vbi facultatem quam habet percurrit, ad rationem temporis quo maxime ipsum quis porrigere debeat, inpræsenti peruenit. & potissimum, cum qui oxymelite uti debet is sorbitionibus alatur. Nempe ubi quis nō sorbitionibus sed potione sola regatur, tempus in illis postea docet. Ait ergo in sorbitione utentibus illud duntaxat obseruandum tēpus quo sorbitio ingeri debet. Ptisanæ autem cremor sorbitio est, qui ut corpus alat roboretq;, adsumitur. Ad quæ cōfert si nutritionis tempore solus in uentre contineatur. Nempe antea didicisti ea quæ ingerūtur multiplicia & præsertim facultate dissimilia, magnam progignere in uentre turbationem. Ob eam igitur causam non porrigendum oxymeli, nisi cremor concoctus fuerit. Qui si coctus fuerit, licet tum nocte tum appetente die ante sorbitionem sumere. Tempus autem inter sorbitionem oxymeliq; medium satisfacit si ptisanæ cremor uacuū simul & purum ex ea quæ ab oxymelite facta est abstersione, uentriculum ingrediatur.

36 Qui autem non sorbitionibus sed potione sola utuntur, his non semper oxymelite uti expedit, præsertimq; quòd intestina abradantur, ac exasperentur. Nam cum stercore uidua & destituta sint, magis hoc perpetientur: & quū uasorū uacuatio adsit, postea etiam aqua mulsa uires detraxerit.

Qui uictus rationem non ex ptisana sed ex potu solo sibi instituūt, ijs nō per totum morbum est conueniens oxymeli, & quòd uehementius intestinum ipsum tum nudum tum humore alio destitutum abradat: nam à ptisana quodāmodo oblinitur ubi eam adsumpserint: & ꝙ corpus nihil à mulsa accipiat auxilij. Mulsę aūt auxiliū quod corporibus adfert, cum de mulsa ageret, prædixit.

37 Quòd si potum hunc & quidem multum per totum morbi tempus profecturū existimaueris, paulum aceti, tantūq; ut duntaxat sentiri possit, infunde. sic enim & ea quæ lædere solet, minime læserit: et his quę auxilio opus habent, opem tulerit.

Cum sitim quidem mulsa inferat, sputa autem in bronchijs pulmonis contineantur uel glutinosa uel admodum crassa, tunc solo est utēdum oxymelite. Neq; memoria excidat dicta hæc esse de ijs quibus relicta sorbitione potionis solius est usus. Si igitur ut dixi solo utendū sit oxymelite, paulum aceti mulsę infundere cōuenit, ut aceti usu cōmodoq; fruat, & fugiat qđ ab eo est detrimentū. Sed acetum mulsę cōmistum excoquere oportet. Nempe hoc pacto ad nocendū infirmius reddit.

38 Vt autem in summa dicatur, quæ ab aceto est acredo, picrocholis magis quàm melancholicis prodest: amara siquidē dissoluuntur desciscuntq; in pituitam cum ab aceto in sublime attolluntur. Nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur. Nempe atra sursum ducit acetum.

Picrocholas naturas appellat Hippocrates, quæ amarum sibi contraxerunt succum, qui est bilis flaua. his idoneum esse ait acetum, quod melancholicis aduersissimum existit. Nam & bilem nigram acidam esse contingit, cum scilicet præter naturā habente corpore, & syncera & impermista fuerit. Nempe cum recte ualet, plurimū quidem prædictæ habet qualitatis, non tamen exquisitam ipsam. Reliqua dictionis manifesta sunt. Docet siquidem in ea quonā pacto acetum picrocholis qui in tēperamento calido cæteros uincūt, adiumento sit: utpote quod frigidum sit.

39 Mulieribus autem longe magis quàm uiris aduersatur acetum. Nam uterum dolore afficit.

Quòd acetum suapte natura neruos offendat, testatur experimētum, & ratio demonstrat. Nempe exangues sunt, et ideo frigidi facileq; ab ijs quę perfrigerant simul & tenues habent partes afficiuntur medicamentis. Læduntur præterea & à reliquis perfrigerantibus omnibus: sed substantia aceti quod tenuium est partium, in eorum mergitur profundum: atq; in omnes ita irrumpit partes, ut ne minimū quidem ex eis illæsum maneat. Sic igitur acetum neruosas offendit partes. Vterum autem anatomici ferè omes neruosum esse dicūt. Verum et absq; eorum adnotatione, quam ex anatomica inspectione fecerunt, poteris & tu de ea ratiocinatione colligere: Nempe ad maximam laxatur molem, & ad minimam contrahitur. Quantus etenim fœtus fuerit, tātum ipsum perpetuo circulariter ambit. Impleturq; spatium omne ab eo, etiam si fœtus paruus fuerit uel magnus, ueluti uentera

terà cibis. Sed uentris non magna est ad contraria permutatio, uteri autem maximæ. Plurimum autem dilatari laxariq; neruosorum propriũ est corporum, & non carnosorum.

De aqua.

40 Aquæ quæ in acutis bibitur morbis, nullum sanè aliud habeo quod illi concedã officium. Neq; enim in peripneumonicis tussim sedat, neq; sputum educit: imò cæteris minus, si quis aquæ potione prorsus utatur. Verum si inter oxymeli & mulsam paulum aquæ sorbeatur, ob qualitatis potionũ transmutationẽ sputũ educit. Nempe intus inũdationẽ parit. Aliàs neq; sitim sedat, sed amarescit. Nẽpe ei qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa. Hypochõdrio præterea est infesta malaq;, atq; etiã pessima biliosissimaq;, & uiriũ maxima labefactatio ubi in uacuitatẽ uenerit. Adde q; lienem auget iecurq; ubi phlegmone obsidetur, fluctuatq; et innatat. Tarde siquidem meat, q; frigida & incoctibilis sit, neq; aluũ deijcit, neq; urinas mouet. Atq; ex eo quoque nocua est quòd stercoris ducendi suapte natura expers sit. Quam si pedibus frigentibus aliquãdo quis biberit, ea his omnib. multo magis nocebit, ad quoduis eorum uenerit.

Neq; incidẽdi uim habet aqua ut acetum: neq; calida est ut mel. quod sanè non calfacit modo, uerum quoque & detergit, secatq;. Tarde igitur iure optimo meat aqua, difficulter cõcoquitur, atq; ægre descendit: quanquam alioqui & optima sit, & culpa omni uacet. Nam quæ uel limosa, uel male olens, uel salsa, uel alterius cuiuspiam medicamentosę qualitatis particeps existit, ea non simpliciter est aqua: sed cum tali quadã permistione medicamenti. ut si mel uitiosum, uel ptisanã, uel acetum, uel uinũ, uel quippiã tale designaueris. Non enim ex illo genus totum culpabis, sed id solũ ad quod conuertis mentem. Cum igitur super singulis, de quibus enunciat Hippocrates, sermo de optimis sit, ita & nũc intellige, singula quæ dicunt ad optimam referens aquã. Ea aũt purissima est, & omni aliena qualitate destituta. Hæc igitur quanq; optima sit, multo tamẽ tempore in uentriculo manet, fluctuationesq; plurimũ parit. Quo fit ut cũ biliosus uentriculus fuerit, corrũpatur & illa. Præterea & cum ex uentriculo ad ieiunũ intestinũ ægre perueniat, non facile distribuitur, neq; in hepar, & minus in renes, thoracem, & pulmonem. Quo fit ut neq; urinas mouere nata sit, neq; sputũ educere. Imò neq; per totum corpus molitur transpirationes. Id nanq; substantię, quæ tenuium sit partium, opus est, calidæq;, non frigidæ & crassarũ partiũ. Neq; pręterea sitim sedat quòd in amplis tum uentris tum intestinorum animalis instrumentis plu-

A sculo maneat tempore. Neq; prorsus imas penetrat partes, neq; siccitatem humectat. Quòd autem non alat, antea est dictum. Quo fit ut neq; facultatem uitalẽ roborare possit. Atq; hæ sunt causæ propter quas Hippocrates ad mulsam, oxymeli, & uinum se contulit, in ęgris ab aqua abstinens. Iam igitur ob eas causas nunquam ea quis utatur. Vtuntur tamen & alij quidam medici, atq; etiam Hippocrates: sed hic minus, cæteri magis. Nempe quòd cęteris perperam utantur circunuenti ad aquam ipsam recurrunt, quæ non insigniter quod præter animi sententiam succedat, habet, quando ne uirtutem quidem. Sic enim Erasistratus dicebat: Fortes tum ciborum tum potuum facultates tempestiue quidem adsumptæ maximum iuuamentum: intempestiue uero maximam offensam adferunt. B Quem autem uitiosum esse dico, tum oxymelitis, tum mulsæ, tum uini usum, is quidẽ oritur, & ob repentinas mutationes, ut ipse ostendit, & magna ex parte ob synceram quæ à medicis fit permistionem. Cum igitur seni cuidam ægrotanti quotidie uinum aquosum exhiberem, quidam ex huiusmodi medicis præsens, me uini minimum aquæ ipsi instillantem contemplatus risit, ægrumq; uinum non bibere sed duntaxat uidere dixit, non sanè intelligens mistionis uini quod gratia uoluptatis datur, ad aquam aliam esse symmetriam, & aliam esse eius quod ad opem ferendam ministratur. Nam uini omnino minimum ueluti excitationem quandam quæ ad distributionem aquam tra- C hat, permiscemus, quo duntaxat aquæ tollamus synceritatem, nõ autem aquam uinum faciamus. Sunt autem pleriq; ex sanis qui uinum aqua dilutum bibant, sed in his aquam gustatu ipso euincere non oportet. In ægris uero ita ut modica sit uini repræsentatio. Sic & de oxymelite pauloante dicebat aquosum laudans. Quòd item tutius quispiam ea uteretur quæ aquosa est mulsa. Nam syncera puraq;, nisi uentrẽ subducere anticipauerit, magis nocebit, & potissimum in amaræ bilis hominibus, & his quibus præter naturam tumefacta sunt uiscera. In his & aqua detrimentũ adfert, cum plus iusto in hypochondrijs morata bilescit. Nempe & præter hæc omnia quæ habet mala, stercoris ducẽdi adhuc est expers, neq; ullo pacto aluum subdu- D cit. Aquam aũt in principijs accessionum potam lædere (quod manifestauit cum dixit: Quam si pedibus frigentibus quis aliquãdo biberit, ea his omnibus multo magis nocebit) eorũ est quæ omnib. & nota & certa & cõfessa sunt. Quando igitur bibi idonea est aqua? Cũ scilicet potu solo ęger usus fuerit, nullo pacto accepto ptisanæ cremore. Tũc enim in potionũ aliarum medio aquam tempestiue quis ingesserit, & præsertim cum siticulosus æger fuerit. Nempe eam πλημμυρίδα quandam, id est humidi cuiuspiam copiam abundantiamq; facere ait. Quo fit ut inter mulsam oxymeliq; parum aquæ exhibeat, quòd ijs quæ expui debẽt, cõferat ad humectationẽ. Imò & cum uinum grauiter nocet, tunc aquam propinat. Quonam autem pacto id demonstraturus sit Hippocrates, audiemus.

41 Cum uero in huiusmodi morbis fortè capitis grauitatem uel mentis læsionem suspicatus fueris, à uino penitus est abstinendum: aquamq; tũc dare oportet uel uinum aquosum, fuluumq; & prorsus inodorum, atq; ab ipsius potione, aquæ exiguũ superbibendum. Nam hoc modo uini potentia caput mentemq; minus tentabit.

Mens tentari lædiq; dicitur, cũ æger febre correptus desipuerit. Nunc ergò mentis læsionem de sipientiam dicit, in qua uino abstinendũ præcipit. Pari modo & in uehementibus capitis doloribus. De utroq; antea est dictum. Sed impræsentiarum ubi in prædictis symptomatis à uino omnino abstinendum prædixit, consequenter aquosum fuluumq; omnino & quod odore careat, dandũ ait. Aquosum quidem & inodorũ dare bene dicitur, sed flauum non admodum recipio. Nam ad ea aquosum album melius existit. Etiam uero in eam gratiam cum uina talia sunt, superbibendam confestim aquã tutius præcepit: Minus enim, inquit, uini robur quod uehemens est, caput, mentemq; tentabit, ἅπτοιτο quidẽ uerbo usus sibijpsi usitato consuetoq;. quo ἅψιν τῶν φρενῶν, id est mentis lesionem ab huiusmodi uerbo quod ἅψεως nomine hominibus usitatius est sese fecisse ostẽdit. Caput aũt mentemq; uino tentari ait, q; propter caliditatem celeriter ad caput feratur, feruentesq; in corpore secum ferat humores. Qua aũt ratione caput male afficit, ea & mentem. Nam in capite sapere ipsum situm est, & ea animæ pars quæ ratiocinatur.

42 In quibus autem maxime aqua utendum sit, & quando ualde multa, & quando modica, & quando gelida, & quando calida: partim quidẽ antea dictum est, partim uero suo tempore dicetur.

Erasistratus quidẽ in libro De febribus malicio se satis criminatur Hippocratẽ, discipulos ipsius propè accusans Apollonium et Dexippum, quos ait cereos cyathos duodecim ad sextantalem cotylæ cyathum effinxisse, atq; unũ ex his uel duos febrientibus admetiri. Verum Hippocrates nõ hic solum, uerũ quoq; & in antedictis potionibus omnibus copiosius largiùs ue manifeste uti uisus est. Quod & in præsenti dictione liquido ostendit inquiens: In quibus aũt maxime aqua utendũ sit, & quãdo ualde multa. Nã & τὸ κάρτα πολλῶν, τὸ λίαν πολλῶν, id est ualde & supra modum multa significat. sed sanè satis erat dicere multã aliquando dari aquã sine adiectione aduerbij huius κάρτα, in ostẽsionẽ malitiæ Erasistrati, qui de Apollonio & Dexippo mentionẽ facit, nec ullum horũ librũ ostendere potest, nec Hippocratẽ ipsum intelligit aperte dicentẽ, Et quando utendũ ualde multa. Quinetiam & superiore oratione mulsam inter oxymeliq; aquã porrigens utilem esse ait, q; πλημμυρίδα, id est humiditatis abundantiam parit. Scripsit & antea de mulsa & oxymelite aquosis, quòd os humectant, & urinas cient: nõ utiq; cyathum horum porrigens, sed quantitatẽ insignem, qua & os humectari, & urinæ cieri, & quæ pulmonẽ infestent expui possint. Preterea et de oxymelite ita scripsit. Quòd si potũ hunc, & quidẽ multũ per totũ morbi tempus profuturũ existimaueris, adijciens hic multum. De malitia aũt Erasistrati aduersus Hippocratem dicta hæc sufficiant. Cæterum recordemur Hippocratẽ quomodo ante, ita, & nũc polliceri se in morbis singulis propriã facturum doctrinam. cum hoc in loco uictus instituendi artẽ non sufficienter conficiat: sed uniuersalia sola in exemplo morbi unius, scilicet pleuritidis prosequatur.

43 De reliquis potibus, cuiusmodi est hordeaceus, & qui ab herbis uiridibus, uua passa, uinaceis, tritico, cnico, myrtis, punico, & alijs parantur, cum horũ aliquo uti tempestiuum fuerit, in morbo ipso scribetur: ubi & de compositis agetur medicamentis.

Habet quoq; suam & hæc dictio doctrinæ alterius quæ de morbis singulis sit, promissionẽ. Verum quicquid sit, liquido cõstat uel libros qui De singulorũ acutorum morborũ curatione ab Hippocrate scripti sunt non extare, uel prorsus nõ scriptos esse. Nam qui nunc circumferuntur, Hippocrate non sunt digni. Sunt tamen multa quæ mentem ipsius oleant, ueluti & quæ huic libro adiacent ab eo qui de balneis est sermone. Sed, ut dixi, de singulis in horum expositione commodius differemus.

De balneis.

44 Balneum in plerisq; morbis cõfert. In his quidem perpetuò, in alijs uero nõ, estq; quando minus utendum sit quòd imparatum homines habeant. Nã in paucis domibus parantur necessaria, reperiunturq; qui rem ut oportet curẽt. Quòd si exacte quispiam nõ lauetur, non mediocrem incurret noxam. Tecto siquidem est opus quod fumo careat, copiosa item aqua, & crebra lauatione: sed quæ immediocris non sit, nisi res ita postulauerit.

Balnea huiusmodi, tẽporibus Hippocratis non dum cõstructa fuisse uidentur. Nempe dicere, paucis in domibus parari necessaria, & reperiri qui rẽ probe curent, opusq; præterea tecto esse non fumoso, copiosa aqua, & quæcunq; deinceps dixit, quòd in domibus calefiebat adhuc intra lebetes aqua labrisq; infundebatur, argumentum habet. Quòd aũt in fine dictionis ait, crebra opus esse lauatione, sed quæ immediocris nõ sit, nisi res ita postulauerit, si utiq; memoria nõ excidat, in sequẽti doctrina obseruabimus. Nã ipse inquiet, Sunt qui immediocri aliquãdo egẽt lauatione. id aũt est cũ æger multa, dum lauaẽ, perfunditur aqua. Quòd si dicere nõ uideaẽ, nos ipsi nõ simpliciter quidẽ, neque ut inciderit, sed cum eorũ quæ ab ipso scribuntur

tur consequentiæ obseruatione percunctabimur.

45 Neq; etiam defricare oportet. quòd si aliquãdo defricandũ sit, calido aliquo, atq; multiplici plus q̃ receptum est utẽdum de frictorio, perfundendaq; aqua multa, & celeriter post perfundenda.

Nullus æger cum lauatur defricari expostulat, nisi sordidus sit, & pruritu uexetur. Nempe qui ægrotant, aqua citra laborem omnem læsionemq; prolui debent. Defrictio autem purgatorijs medicamentis fit tum mordentibus tũ siccantibus. quo fit ut ea tum uirtuti tũ usui balneorũ aduersissima sit. Si uero æger defricari debeat, uel propter sordes uel propter pruritum, uim medicamenti defrictorij multa admista aqua, immisso quoque oleo, supprimere oportet. Quocirca inquit Hippocrates, Atq; multiplici plus q̃ receptũ est, id est q̃ sanis consuetũ sit, utendũ defrictorio. Nõ enim substantiam medicamenti defrictorij in ægris multiplicem accipiendam præcipit, cum non defricare magis q̃ defricare uelit: sed defrictorij copiam in ægris multiplicem fieri iubet per aquæ adauctionem. Ea siquidem ratio defrictoria quoq; uitare præcepit non excitante uel sorditie uel pruritu, acribusq; ipsis & synceris non utendũ. Sicut autem multitudine aquæ admistæ dissoluit defricatis medicamenti acrimoniam, eodem modo totius defrictorij uim dissoluit, superinfundẽs statim multam aquã calidã puramq;. Deinde rursus alia præcipit.

46 Via ad solium breuis sit.

Cõmune id est siue in balneo hominem laueris siue in domo aliqua extruxeris pyrã, et labrũ aqua impleueris. Quod & nunc in castris fit sępius cum lauari quempiam deficiente balnei loco oportet.

47 Facilisq; tum ingressus tum egressus.

Prorsus siquidem citra fatigationem lassitudinemq; ægrum seruare iubet. atq; ob id solium facilem tum ingressum, tum egressum habere uoluit. Id proculdubio fiet, si paries qui aquam continet neq; sublimis, neq; angustus fuerit. Maxime autẽ laudabile et à labore omni alienũ est q̃d in aquarũ sponte nascentium conficitur lauacris. Nempe solia humilia ita depressaq; prope omnes conficiunt ut nihil solij pauimento quod propè est emineat.

48 Qui lauatur, componat sese, taceat, & nihil agat: sed cæteros tum perfundere tum abstergere sinat.

Hæc quoq; prædictis similiter ut æger non lassetur, cõferunt. Nẽpe & ęgrotãtis quies ut corpus in balneo tum laxius tũ mollius reddatur, est idonea. Nam cũ mouetur corpus, musculi extenduntur, qui minus tum molliuntur, tum relaxantur.

49 Multæ quoq; aquæ misturæ parẽtur.

Cũ Hippocrates inquit, & μεταϰέρασμα πολὺ ἡτοιμάσθω. id est multæ quoq; aquæ misturæ parentũ, potest unico legi uerbo, μεταϰέρασμα, potest etiã intelligi hæc præpositio μετὰ per se, & seorsum ϰέρασμα. Nam Hippocrates non in hoc solum libro,

A uerum & in alijs Ionum more per defectũ uti præpositione μετὰ uidetur. Plene autem atq; integre ita legetur, & μετὰ ταῦτα ϰέρασμα πολὺ ἡτοιμάσθω, id est multæ quoq; post hæc aquæ misturæ parentur. Siue autem quis uno intelligat uerbo μεταϰέρασμα, siue distinguat distrahatq; pro μετὰ ταῦτα ϰέρασμα una est dictionis utriusque intelligentia. Vult siquidem misturam parari, eum qui in solio lotus est perfusurus, quod medici huius temporis omnes efficere consueuerunt, cum ægrum lauerint. Neq; enim in labrum frigidum ingredi permittunt, sed tepida perfundunt aqua. Alij solia tota aqua huiusmodi replent. Nam ut corpus, tum laxius, tum rarius, calida lauatione est redditum: ita rursum quiete paulatimq; cõtrahere ipsum, & co-
B gere, & densare in animo habet. Nempe id ad uirtutis robur confert, facitq; ut non facile homo lædatur, si subita quędam in ambiente aere fiat ad frigidum permutatio. Ob id sanè & qui rectè ualẽt, à balneo calido sese in frigidam proijciũt aquam. Sed qui ægrotant, contactũ frigidæ non sustinent citra læsionẽ. Quapropter frigidam calidæ mistione supprimimus. Mistionis autem modum inueniemus, in primis quidẽ si corporis affectionẽ inspexerimus: deinde & propriã laborantis naturã ætatemq; & anni tempus & regionem & præsentem cœli statum. Probe autem facient qui à calido balneo tepidas non minus trium generum aquas, quæ inter se differant, parabunt: ut prima quidem admodum tepida sit, secũda uero minus: & tertia
C adhuc quæ magis ad frigidum declinet. Tale autẽ quippiam uelle uisus est Hippocrates cum præcepit misturas multas parari. Nempe quod paratur, id non simpliciter modò multũ, uerum & uarium multiplexq; esse est melius, ut paulatim à calido ad frigidum procedatur: cũ subitã ad contrarium mutationem æger non ferat.

50 Celeresq; faciant perfusiones.

Ταχέιας, id est celeres, referre oportet, non ad eam solum quę in perfusione fit actionem: uerum quoq; & ad illud quod actiones interiacet spaciũ: ut primam inter perfusionẽ secundamq; parum sit interualli. Quòd si quis proprie nominauerit, nõ ταχέιας, id est celeres, sed πυϰνὰς, id est frequentes dixerit. Quanquam apud ueteres usus horum
D nominum πυϰνῶ & ταχέως confundatur. Nam aliquando πυϰνὰς, id est frequẽtes actiones, ταχέιας, id est celeres uocant.

51 Et spongijs pro strigili utantur.

Neq; strigilibus in ægris ipsis, neq; spõgia medici huiusce temporis utunt: sed à balneo eos linteo cõtegunt, alij uestibus & potissimũ puris ut plurimũ sudẽt, obuoluunt. Sed nõ semper ægrũ ipsum à balneo copiose sudare cõuenit. Nẽpe sæpius laborantẽ ad balneũ non uacuandi corporis gratia ducimus: sed prorsus contrariã ob rationẽ: ut scilicet humectetur, madescatq; quod immoderatius exaruit. In talibus igiẽ nõ in balneo sunt expectandi sudores multi: sed quã citissime solij aquã ingredi, & postea balneo egressos detergere expedit.

52 Et non ualde siccũ perungant corpus.

Oratio hæc succedit quidem huic, Et spongijs pro strigili utantur. Sed qui sermonis proprietatẽ contemplatus fuerit, is de unctionis in balneo usu intelliget, ne eorũ quę de necessitate dicenda sunt quippiã prætermissum esse uideaẽ. Nam ubi post balneum spõgia aquam detersit Hippocrates, obscurum quidem est an corpus unxerit: bene tamẽ ęgri corpus cum humidum existit perungendum esse constat, nisi quispiam oleum cum aqua ipsum detergere rursus dixerit. Est igiẽ utile ut de unctionis in balneo usu discutiatur: sed necessaria magis est super unctionis tempore discussio, an oleũ perfundere conueniat, uel ubi qui lauatur sudauerit, uel cum siccus adhuc est confestim ubi sese exuerit, & prius quàm sudauerit, uel horum neutrum fuerit: sed ubi humescere cœperit. Sanè quicunque eorum meminit quę de olei facultate in Simplicium medicamentorũ tractatione dicũtur, is exacte nouit optimum esse olei usus in ijs qui lauantur tempus, quod tertio diciẽ loco: nouitque quonã pacto calfactum corpori exhibere cõueniat. Nempe id corpus mollius reddit laxiusque, cum frigidum suo contactu non solum horum neutrum efficere natum sit, sed & eos qui lauantur horrore afficiat.

53 Caput uero spõgia, quoad maxime fieri poterit, resiccare oportet.

Quòd in balneo caput curiose detergendum sit, ut ne minimum quidem supersit humiditatis nequaquam est ambiguum. Nam quicquid relinquitur, perfrigerare consueuit. Non tamen à spongia ut fiat, effici potest, nisi statim ab initio post ministurarum usum. Capitis tamen aquam linteo detergere est melius.

54 Neque caput ipsum modo, uerum & extrema, & quamuis aliam corporis partem à frigoris iniuria prohibere conuenit.

Dixisse id per se seorsumque parum esse mihi uidetur. quòd enim pars nulla omnino nuda esse debeat cum à balneo aquam eorum qui lauantur detergunt, constat liquido omnibus. Nam quę ita denudantur partes, cito eas perfrigerari nemo ignorat.

55 Lauari quoque is non debet, qui nuper uel sorpsit uel bibit.

Nõ in ægris modo, uerũ quoque & in sanis, nullus cõfestim à cibi uel potus sumptione lauari debet. Nã qui biberunt, his caput repletur: qui uero cibũ sumpserunt, his nõ caput modo, uerũ & corpus totum alimoniã ad se prius quàm concocta fuerit trahit.

56 Neque confestim à balneo sorbendum, neque bibendum.

Sedata quæ ex balneo est turbatione, tum esse tum bibere melius est, ueluti & composita ea quæ ab exercitatione oritur. Nam cibum protinus uel potum sumere, caput replet, deuoratumque interdum superfluitare facit.

57 Magni autẽ admodum pendere oportet si æger cum recte ualuit, balneum ualde

A affectauit, & lauari fuerit assuetus. Nempe tales magis appetunt, iuuanturque cum loti fuerint, adeo ut lædantur si nõ fuerint loti.

Demõstrata sunt hęc per totũ ferè horũ cõmentariorũ secundũ ubi dictiones exposuimus, in quibus parte plurima cõsuetudinum uires enarrauit.

58 Peripneumoniæ autẽ magis quàm ardenti febri confert. Nam lateris pectorisque & dorsi mulcet dolorẽ, sputum maturat, educitque, & spiritum facilem reddit. Lassitudines tollit, mollit articulos, et cutem per summa apparentẽ, urinas ciet, capitis soluit grauitatẽ, & nares humectat. Tot ergo insunt

B in balneo bona, quibus omnibus est opus. Cæterũ si in apparatu re una uel pluribus defectum sit, metus est ne nõ prosit. unum siquidem horum, quoduis fuerit, si à ministris nõ ut oportet, præparetur, ualde lædit.

Quare peripneumonias magis quàm febres ardentes iuuet balneum, ostendit Hippocrates cum inquit, Nam lateris pectorisque & dorsi mulcet dolorem, sputum maturat, educitque, & spiritum facilem reddit. Ob hæc etenim omnia peripneumonicis maximo est præsidio. Sanantur siquidem qui contenta in pulmonibus sputa expuunt. Pleuritici quoque ob doloris mitigationẽ ualde iuuantur. Quapropter duorũ alterũ. Nempe uel ita scribendum,

C Peripneumoniæ autẽ & pleuritidi magis quàm ardenti febri cõfert: uel in peripneumonia pleuritidem subaudire oportet. Nam pleuritis dolorẽ in latere habet: Peripneumonia nõ habet. Cæterum cum peripneumonijs magis quàm ardentibus febribus cõferre balneum inquit, docet quoque & æstuantibus quibusdã auxilio esse: uerum oratio hæc distinctionẽ expostulat, quã nõdum efficere possumus, quia tempus quo lauari ęgrotãtes uelit, nõ definierit. Vbi aũt sequenti dictione enarrantem Hippocratem quosnam haudquaquã lauare uelit intellexerimus, ad balnei tẽpus ita perueniemus.

59 Qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent, ij non sunt lauandi, neque hi

D quibus magis quàm decet detinetur, & soluta nõ sit: neque quibus uires languent, nec cibum fastidiẽtes, nec nauseabundi, nec biliosa ructantes, nec quibus sanguis è naribus profluit, nisi minus quàm decet fluxerit, nec quod decet te latet. Nam si minus quàm decet fluat, lauabis, etsi uniuersum corpus in cæteris, etsi caput duntaxat iuuerit. Si igitur apparatus hi conuenientes fuerint, ægerque feliciter balneum suscepturus sit, quotidie lauare oportet.

Quibus complura per uentrẽ subducuntur, his balneũ sistit, ea ad corpus uniuersum reuellẽs, atque hac occasiõe detrimentũ affert. Quòd aũt qui nullo mo

lo modo deiecerunt eos antea uetustã fæcem euacuasse melius sit, nemo ignorat. sicuti neq; quòd γεγυιωμένους, hoc est τοὺς καταλελυμένους, id est quibus iam non uigent sed cessant uires, balneũ amplius euertit. Ait præterea et ἀσώδεας, id est cibum fastidiẽtes, & nauseabundos haudquaq; lauãdos, Nẽpe hos uiribus ita defici metus est, ut succedat ea quæ stomachica appellat̃ syncope. Succedunt his quibus os uentriculi bile redundat, quos nota indicauit inquiens: Nec biliosa ructantes. Pari modo neq; eos lauare cõuenit quibus profluit abunde è naribus sanguis. Nã si minus fluxerit, lauare est consentaneũ. Sunt autem ij qui uehementiore egent balneo, id est qui multa aqua perfundendi sunt, ut sanguis qui in capite est, uehementius moueatur. Cõsimiliter lauabimus si sanguis nullo pacto erumpat, & erumpere debeat. Ex adiectione autem huius sermonis: Et si uniuersum corpus in cæteris, & si caput duntaxat iuuerit: clarius adhuc significauit quod sæpius in domo calfacta ægrum absq; solio collocet, & caput duntaxat citra reliquas corporis partes calida perfundat aqua.

60 Lauandi autẽ cupidos si quotidie bis laueris, nihil peccabis.

Qui Victori Romano principi librũ De uictus ratione Hippocratis tradidit medicus, is dictionẽ hanc & alias quadam decurtatas scripsit: sicuti & illã in qua dicit, Nõ protelent̃ primi sorbẽdi dies. Præterea &, Qui bis die cibum sumere sunt assueti, his bis dare oportet. Verũ utriusq; harũ dictionum dimidiã partem subtraxit: sed præsentis quidem nihil, tempus uero nõ adiecit, ubi φιλολουτοῦντας, id est lauãdi cupidos eos intelligit, qui cũ sani sunt, lauari gaudẽt, atq; ob id sępius lauant̃. Nempe hi cum lauantur, eũ accipiunt qui ex consuetudine est scopum. In sequentibus aũt ab Hippocrate tempus quo ægros lauari uelit, audiemus.

61 Tutius aũt longe balneo uti possunt, qui tota utuntur ptisana, q̃ qui solo utũtur cremore: quanquã & ij interdũ uti possint: minime autem qui potu solo utuntur.

Tempus quo lauandum sit, hoc in loco patefecit Hippocrates. q; si ab initio pronunciasset, multa sane, quę loco medio dicta sunt, non obscura & ambigua essent. Ptisanam enim totam porrigit, ijs qui mitius quietiusq; habent. solum uero cremorem ijs qui deterius degunt. uerum ijs qui periculosius acutiusq; laborant, potus solos. Quòd autem toto in hoc commentario de thoracis pulmonisq; affectibus egerit, plurima quidem exempli uice in his morborũ partibus, & præsertim pleuritidis uniuersalia præcipiẽs sæpius est demonstratum. Est expositũ quoq; quonã pacto coctis morbis ptisana uti uelit, quo tempore & balneum sine periculo adhibetur, utpote quod ad sputorũ quæ in thorace & pulmone continentur, expurgationem maxime conferat. Qui igitur ita habent, & quæ ex consuetudine est accesserit indicatio, his lauationem duplicare nihil prohibet. Ait pręterea

A balneum ἥκιστα, id est minimum iuuare eos qui solo utuntur potu. ubi ἥκιστα τὸ ἐλάχιστον, id est minimum significat, & non, ut quidam aiunt οὐδαμῶς, id est nullo pacto. Nam inferens, inquit.

62 Est sanè & quando uti possint. Ex his autẽ quæ ante scripta sunt, quosnam in singulis uiuendi modis iuuaturum sit balneũ, & quos non, conijcere oportet. Nã quibus aliquid eorum quæ balneum & bonũ reddere & iuuare possunt, deest: hos lauare nõ expedit. Quib. uero nihil deest, signũq; adest ipsis in q̊ lauare cõueniat: lauare oportet.

Non adiecit quidem quando his balneo utendum sit, sed nos qui sententiam ipsius sequimur,
B dicemus. Potum solum his exhibet Hippocrates quos acuti infestant morbi: ubi uires ad morbi usque uigorem, qui interdum cum ipsa coctione existit, ueluti in morbis thoracis, pulmonisq;, suffecturas sperauerit. Coctis siquidem qui affectum progignunt humoribus, confestim exscreabunt. Quòd si qualia oportet solum expuere cœperint, in neutro adhuc modorum neq; in affectu, neq; in symptomatis morbus augebitur. Nam sæpius affectio ipsa qua laborant mitior quidem existit, sed symptomata augentur, ut in phlegmone obsessis particulis quo ipse inquit modo: Cum pus conficitur, tunc dolores & febres fiunt magis quàm cum factum fuerit. Sæpius autem mutuis exultant in-
C crementis diminutionibusq; symptomatum magnitudines & ea quæ affectionis est. fitq; id in his phlegmonis in quibus pus effluit quod iam est cõfectum, ut in uulneribus quibusdam fieri consueuit, & in peripneumonijs pleuritidibusq;. Possunt ergo in his morbis & hi quibus potus solus usui est, nõ inutiliter lauari. Nempe dolorem ipsorum balneum mitigare ait, & sputa maturare. Sed sanè uacuato prius corpore, id factitandum. Scierisq; in uniuersum de balneorum uiribus, quòd si non antea uacuato corpore exhibeatur, membris affectis fluxionem parit. uacuato autem si exhibeatur, coctionem iuuat. Nempe corpore toto ante uacuato adhibitum, insuper uacuatoriam obtinet facultatem. Quo fit ut ex febre ardente laboranti-
D bus his tantũ opituletur qui sine tumore uel phlegmones uel erysipelatos laborant, feruente in ipsis per totum corpus bile. Quòd si coctionis signa habuerint, his multo magis conferet. Verum si ęstuosa febris ob salsam pituitam putrefactam oriatur, aduersissimum illis esse balneum scire oportet. Neq; enim pituitosus humor ut biliosus per cutim euacuatur, propterea quòd tum crassus tum glutinosus sit, neq; extinguitur longa egens concoctione. Non sum autem immemor uerborum Hippocratis, quæ in principio libri huius hoc refert pacto: Quæ autem medicum ante animaduertisse ægro non referente oportet, plurima prætermissa sunt. Hæc siquidem qui Hippocratem Dogmaticum esse putant, locos affectos esse dixerunt, & ipsorũ affectiones ac causas. Sed qui Hip

pocratem Empiricum esse existimant, anni tempora esse, regiones, ætates, consuetudines & ambientis nos aeris conditiones affirmauerunt. Hæc equidem omnia tum quæ à dogmaticis, tum quæ ab Empiricis dicuntur, utilia esse non ignoro. Verum scopos multos hoc in libro recensens Hippocrates, ad quos quis respiciens uictus formam inuenire possit, nullius eorum quæ dicta sunt, præter quàm consuetudinis mentionem fecit. Sed sanè nonnulla alia quæ reminiscentiam exigunt, tractauit. Atq; ob id sermonẽ sum remoratus, ut hac quæ breuis sit interpretatione eos, qui totum legerunt librum, habeã sermonis huius per intelligentiam assecutores. Vnus sanè & præcipuus scopus tanquam in exemplo pleuritidis talis in dictione ab Hippocrate enarratur: Siquidem siccior fuerit morbus quàm ut quispiam putauerit, nõ multum dare oportet, sed ante sorbitionem uel mulsam, uel uinum, utrum magis auxiliaturum putaueris, propinare conuenit. Post hæc deinceps ait: At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem ut dicam summatim augere cõuenit. Verum tum hæc tum quæ serie continuata dicuntur, non sunt à Gnidijs sententijs definita. Post hęc & morbi coctionem animaduertendam esse ait Hippocrates, qui sanè scopus totius propemodum est Hippocrati uictus instituendi generis, atq; earum quæ in eo particulariter fiunt permutationũ. Alias quoq; & subinde apponit distinctiones quæ tales sunt, Quibus enim cibus statim inclusus est, si quis non uacuato eo sorbitionem dederit, dolorem si adest adaugebit, & si non adest protinus inducet. Et amplius, Præterea si lateris dolor assiduus est, calidisq; fomentis non remittatur, sputumq; non procedit, sed extreme citra coctibilitatẽ glutinosum sit, nisi quis dolorem uel alui subductione uel secta uena pro utriusuis significatione soluerit, ptisanãm autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem. Proinde & rursus distinguens, ait: Si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haudquaq; purgato febris uel cũ dolore uel sine dolore inceperit, à sorbitione tãtisper est temperandũ, donec cibum ad infernã intestini partẽ descendisse coniectum sit. Tum rursus: Si nuper cibato cibus prior nõ descenderit, uirtusq; ualida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet. Si uero uirtus imbecillior fuerit, balano est utendum, nisi aluus sua sponte probe deiecerit. Adiecit ergo in hac dictione eum qui à uirtute est scopum ueluti in sequentibus sæpenumero, & id cõsiderari præcipiens quænam causa & affectio sit quæ uirtutem prosternat. ubi & hoc à medicis ignorari adiecit. Prǫterea adiecit quòd ijs qui dolorẽ ad hypochondrium pertinentem habent ea quæ per talia medicamenta fiat, auxilio sit purgatio. Cæteris autem quibus dolor uel grauitas ad brachium uel pectus extenditur, uenæ sectio. hæc autem & reliqua huiusmodi, quę item de consuetudine dicta sunt, à Gnidijs medicis omnino sunt prætermissa, multoq; magis naturæ & corporum temperamenta, de quibus sępenumero in hoc libro egit, hos picrocholos appellans, alios melancholicos. His autem scopis inhærens, de ea quæ tum in sanis, tum in ægris fit uictus ratione agit, quonam pacto & emendare & corrigere oporteat demonstrans. Præterea & in eo quem de uino, oxymelite, & aqua facit sermone, scopos recensuit eosdem. Meminit quoque & coctionis morbi sæpius, non paruum scopum uniuersæ uictus formæ, earumq; quæ in ipsa fiunt mutationum hunc efficiens. Pari modo & de morbi uigore quippiam dixit, ad quem respiciẽs neq; tanq; ad abiectissimũ in uictus ratione scopum alimoniam ministrat. Cuncta hæc & reliqua talia à Gnidijs medicis prætermissa sunt, quæ medicum antè animaduertisse non dicente ægro oportet.

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE VICTVS RATIONE IN MORBIS ACVTIS

Commentarius quartus.

PROLOGVS



QVAE in libro De uictus ratione post eũ qui De balneis est sermonem scribuntur, iure optimo pleriq; medicorũ Hippocratis non esse sunt suspicati. Nam ab ijs quę ante scripta sunt, & ui interpretationis & theorematũ integritate longo discedunt interuallo. Neq; tamen abs re adducti sunt qui & Hippocratis esse existimauerũt. Nẽpe eorum quæ scripta sunt sententia propositum ipsius menteq; usq; adeo redolet, ut discipulũ Hippocratis aliquẽ scripsisse suspicio sit, imò & ex his multa dictionẽ unà cum sententia ita absolutã inculpatãq; habent, ut rursum & ea ab Hippocrate scripta esse suspicandum sit, utpote qui librũ componere, ubi singulariter morbi cuiusq; acuti curationem doceret, ut in libro De uictus ratione in morbis acutis promiserat, sese apparauerit. Præterea & alias in præsenti libro reperies dictiões quę Hippocrate ita indignæ sunt, ut legitimis iustisq; adscriptas esse suspicari te oporteat. Sicuti & in Aphorismis ipsis quidã huiusmodi uisi sunt, partib. libri ultimis adiecti adscriptiq;. Qui enim interferunt, in memoriã multis primas cõscriptiones ultimis adscribunt. Quod & in libro De capitis uulneribus factum esse uidetur, & in secũdo De morbis uulgaribus. Nec secus in eo qui nũc nobis proponitur libro reperimus quæ interferuntur, atque adhuc magis partibus ultimis. Cũ igitur quatuor ut quispiã dixerit, in eo reperiantur genera, unum quidem & dictione & sententia Hippocrate dignum, Alterum quidem altero solum uel dictione uel sententia, Nonnulla uero horum neutro, in

singulis eorum quæ ad expositionẽ nobis exprolmentur dictionibus idipsum declarabimus.

1 Causus, id est febris ardens fit, cum uenulæ tempore æstiuo exiccatæ, acres & biliosas quæ tenues sint, trahunt ad se humiditates, quas ἰχῶρας uocant.

Aestiuum anni tempus dixit calidum & siccum siue ultimo uere fuerit, siue prima æstate, siue in horum temporũ medijs uel extremis, siue primo autumno. Quòd autem aeris nos ambientis temperamentum dispositionẽ corporis secum mutet, siccum quidem ad sicciorẽ, humidum uero ad humidiorem, in cõmentarijs Epidemiorum morborum est demonstratũ. Quòd item & anni tempus mediocre & temperatum naturalem seruet temperaturam, cæteris quæ in uniuersa uictus lege agunt homines modo habentibus simili. Demonstratum præterea & corpus quod à naturali mode rataq; conditione sese alienauit commutauitq;, id propter quod alienatum est & cõmutatũ ob illud peculiari egere auxilio, ut arefactum humectatione, humectatum exiccatione, calfactum perfrigeratione, & perfrigeratum calfactione. Cum igitur ob aliquam rerum, quarum exempla dicit Hippocrates, circumstantiam uenulas aliquas qualibet in parte corporis exiccari contigerit, à uicinis partibus trahunt hæ humiditates. Si ergo quæ ad arefactas uenas feruntur humiditates, ut substãtia humidam naturam, ita & uim humectatoriã habuerint, pars naturalem cõmoderationẽ recipit. Verũ si humiditas qualitate acris fuerit, & facultate siccatoria, corpus incẽditur: ut si ex nobis quispiam siticulosus effectus liberaliter biberit uel uinum quod quia aqua marina largior mista sit, tethalassomenon dicunt, purum, uel aquam salsam. Scio equidem me aliquando ex æstiuo itinere siticulosum redditum bibisse uini ueteris paulo sincerioris calicem unum, atq; ex eo sitim magis auxisse, non placasse. Vt igitur nos quanq; mente quæ appetitum moderetur prediti interdum quidem negligentius, interdum autẽ & incontinentius, atq; etiam cum in promptu melius non sit, ad potũ aliquem qui & salsus & acris sit peruenire cogimur: sic & uenarũ facultas attractoria perpetuo uicinis ex partibus humiditatem attrahit, substantiam ipsius qualis nam sit, nullo pacto discernens. Ratione etenim caret qua quippiam ex meliori scrutari posit. Sed ut pueri brutaq; ad casu oblatũ humorem cum sitiunt irruunt, hoc pacto & illa. Si ergo in una quapiã corporis parte affectio ea fiat, in ea solum qui erysipelas referat, affectus quispiã erit. Verum si uenæ totius corporis supra modũ exiccatæ calidas carnosis è partibus humiditates traxerint, in toto corpore fiet quæ causum referet affectio. Causus uero proprie dictus non caliditatis quæ per totum fit corpus differt modo uehementia, uerũ quoq; & siti. Nam sitis in eo uehemẽs est, & incompescibilis. Deest ergo præsenti dictioni singularis de causi generatione sermo, quem nos nuper adiecimus. Nempe in una corporis parte quæuis illa sit, interdũ causus gignitur, interdũ & toto in corpore. Verum cum in toto sit corpore, sitim omnino parit: cum uero in una parte, non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat. Omniũ autẽ primũ & maxime id facit os uẽtriculi, deinde uentriculus, atq; ab eo stomachus, pòst pulmo, & subinde ieiunũ intestinũ. Vtrũ igitur ita tantũmodò fit causus, ut dixit, cũ scilicet acres & biliosas quæ tenues sunt humiditates ad se traxerint uenulæ? An ne & carne id ferente erit causus? siue in parte una, siue toto in corpore pati eam contigerit? Ostendimus etenim etiã ipsam uim habere eorum quorũ indiga est attractoriam. Preterea & fieri potest ut modo altero similis affectio fiat. Modũ alterum dico cum ex ualidioribus partibus ad imbecilliorẽ aliquã mittantur excrementa. Nẽpe quòd membris singulis ut attractoria, sic & expulsoria insit facultas, est declaratũ, fieri ergo potest ut interdum quidem ex parte una, interdum uero et ex pluribus acres & biliosæ quæ tenues sint humiditates exacte ad dictas fundanẽ particulas, quę scilicet imbecilliores sunt. Quòd Hippocrates ἰχῶρας, tenues humiditates appellet, liquido constat.

2 Febris quoq; uehemẽs habet, corpusq; ueluti ab ossearia lassitudine habitum laborat, doletq;.

Febris ergo uehemẽs habet, propter naturã tenuium humiditatum quas & acres & biliosas ait: Nempe his superueniunt febres uehemẽtissimæ, id est quæ multã & acerrimã habent caliditatẽ. Sicuti & pituitosos sequũtur succos quæ & minorẽ & minus acrẽ habẽt. Laborat aũt corpus totũ lassitudine ulcerosa propter tenuiũ humiditatũ acrimoniã. Sed de lassitudinũ omniũ differentijs absolute in libris De tuenda ualetudine est tractatum.

3 Fit autem magna ex parte longũ ob iter, longamq; sitim, cũ uenulæ arefactæ, acres calidasq; fluxiones ad se traxerint.

Tum in principio dixit, tum rursum hoc in loco adiecit uerbũ hoc arefactæ procatarcticas appellatas causas ueluti exemplo manifestans: primitiuas nunc dicunt. Siquidem calidæ omnes, & siccę causos progignere possunt. Scio equidẽ nõnullos ob liberalẽ uini quod tethalassomenon uocãt potionẽ causo fuisse correptos. Veluti & alios ob salsamentorum salsarũq; carniũ atq; aliorũ quorundam salsorum usum immoderatum. Alius ex ambulatione & æstu ueniens, primum quidem lauit se, deinde domũ perductus, uini misti plus bibit, cœpitq; protinus affici causo: alius autẽ ob iram, & alius ob uigilias causum incurrerunt.

4 Fit autem lingua aspera, sicca, & ualde nigra, uentrisq; morsu dolet, deiectionesq; & liquidæ & pallidæ fiunt: urgetq; sitis uehemens, & uigiliæ, atq; interdum mentis aberratio.

Percurrit hoc in loco quæ causum subsequuntur, quę & συμπίπτοντα, id est cõsidentia siue cõsistentia

ſiſtentia uocant. Sunt autẽ hæc: lingua ſicca, aſpera, & nigra, uentris morſus, deiectiones pallidæ, uehemens ſitis, & uigiliæ, interdum quoq; & deſipientia. Lingua ſane areſcit, ꝙ tota corporis affectio ſicca ſit & calida, febriſq; talis. Ventris uero morſus propter tenuium humiditatum, quæ illuc cõfluunt, oritur. Deiectiones autem pro ſucci redundantia. Liquidaſq; eas dixit, nullo pacto concoctas exprimens. Coctio enim omnia cogit incraſſatq;. Qui aũt ita habent, uigilant ob ſiccitatẽ. Nempe humiditatẽ immoderatam profundas ad ſomnum delationes, multam uero ſiccitatem uigilias procreare eſt demonſtratũ. Accedit quoq; & ab alijs ſymptomatis fatigatio quæ uigiliarũ cauſa eſt. Deſipientiã autẽ fieri didicimus ob eam quæ ad caput recurrit bilẽm, & ob temperaturę caliditatem ſiccitatemq;. Quòd aũt ubi quiſpiam bilem ſimpliciter dixerit, amara ſignificetur, antea eſt enunciatũ, ꝙ item bilem eandem & pallidam & flauam appellent. Vt ergò nihil eorũ quę ad cauſum bilioſum ſpectant prætermiſſum uideř, niſi quòd non ſolum fit per attractionẽ, ſed & per tenuium humiditatum effluuium, ſic abunde fuſeq; ſcripta quædam ſunt. Nempe ex ijs quæ dicta ſunt, quædam ſunt ſymptomata cauſum indicantia, quæ παθογνωμονικὰ dicunt, alia uero συνεδρεύοντα, id eſt conſident. Verum quę cauſos procreant, alia quidem προηγούμενα. i. antegredientia, alia uero προκατάρχοντα, id eſt præincipientia à medicis appellantur. Omnium autem quæ dixi prægredientiũ ſymptomatum, potes tibi ut lubet catalogum facere. Sed qui librũ hunc ſcripſit, à prægredientibus fecit exordium. Venulas etenim exiccari pręgrediens cauſa eſt. Deinceps autem cum præincipientia ut ambulationem longam & ſitim dicere debuit, non ea dixit, ſed ex ijs quę affectum indicant quippiam dixit, ut febrem uehementem. Debuit & hic ſitim uehementẽ adijcere, quam poſtea ſimul cum alijs quæ conſidentia uocantur ſymptomatis dixit, quorum quædam aliquando, alia perpetuò cauſis inſunt, quod & ipſe oſtẽdit inquiẽs: Interdum autem & mentis aberratio. Nam interdum, perpetuo opponitur. Ego autẽ dico & uentrem morderi & bilioſa deijcere nõ eſſe ex ijs quæ perpetuò inſunt. Nempe ꝙ uehemẽs morbus ſit, motuſq; acrium & tenuium humiditatũ ad interna ſit, propterea hæc contingunt, ijs quidem qui uentrem heparq; cauſi ueluti ſedem habent. Verũ ijs qui pulmonem ueluti ſedem habent, hæc non admodum contingunt, ſed quæ de lingua dicuntur & deſipientia magis. Difficulter etiã & hi ſpirant, ea ſcilicet quæ denſa & magna eſt ſpirandi difficultate, efflantq; continenter os aperientes, igneiq; ſpiritus effuſione leuantur. uerum totã ſpirandi difficultatẽ prætermiſit, quam in Prognoſtico dictã oſtendimus. Cæterũ incompoſite atq; inordinate ſymptomata linguæ recenſuit. Nempe debuit primũ ſiccã dixiſſe, deinde aſperã. Nam ob immoderatam ſiccitatem lingua aſpera redditur: ut ſi aſpera ſit omnino & ſicca exiſtat. Quòd autẽ ob caliditatem immoderatã nigreſcat, ut his quibus cutis ſole uſta ſit, iam ante didicimus.

5 Huic aquæ, mulſæq; coctæ & aquoſæ quantum uoluerit bibendum dabis.

Liber hic etſi Hippocratis non ſit, eum tamen legitimo operi iam tẽporibus Eraſiſtrati adiectũ eſſe, ueterẽ eſſe declarat. Quapropter mirandum quonã pacto Eraſiſtratus calices cereos in Apollonium & Dexippũ retorſiſſe auſus ſit. Nam qui librũ hunc ſcripſit, mentem Hippocratis Eraſiſtrato melius intelligẽs, cauſo laborantibus quantum placet bibere concedit. Demonſtrauiq; & in legitima uoluminis huius parte ita ſentire Hippocratem. Sed de Eraſiſtrati malitia ſatis hęc ſint. Et iam ſcrutemur quæ in oratione dicuntur. Præcipit ſiquidẽ neq; aquam ſolam, neq; mulſam ſolam his propinandam qui cauſo laborant. Scis etenim aquã ꝙ natura frigida ſit, tarde penetrare, & quàm plurimo tempore in hypochondrijs manentẽ corrumpi in acutis morbis: mel autẽ facile bileſcere. Ob id mulſam aquoſam dari iubet, ut aqua, nulla in ſuperiore uentre facta mora à miſto melle ad diſtributionẽ trahatur. Ob eas cauſas & coctam ipſam exhibet. Nempe quàm cruda ſitim magis arcet, & flatu magis uacat, urinaſq; magis ciet, ut quæ cruda eſt, deiectionẽ. Minus ſiquidẽ acris ſit quæ cocta eſt, non ſolum ꝙ in coctura concoquatur: uerum ꝙ & ſpumoſum ipſius omne tollitur. Nempe quod acre & flatuoſum exiſtit, in mulſæ ſubſtantia. Cocta autẽ, tum morſu caret, tum flatu uacat, diſtribuiturq; melius ꝙ̃ per inteſtina deſcendat: quo fit ut eam ob cauſam magis alat ꝙ̃ cruda. Cæterum qui ita laborant, citra ptiſanæ ſuccum mulſa nutriendi ſunt. Sed quomodo in acutis morbis ſolos exhibere potus oporteat, in libri huius non ſpuria parte eſt prædictum. hæc omnia quæ ad pręſentis orationis expoſitionem pertinent, ijs qui & ante legerunt, & meminerunt eas quæ in illis factæ ſunt expoſitiones, ad hunc modum & dicta ſunt & dicentur.

6 Quòd ſi os amarum fuerit, uomere confert, & uentrem ſubluere.

Bilis amaritudo, amarum os reddit. Vna enim & cõmunis tunica eſt, & quæ uentri interna eſt, & omnis ea quæ os ſubungit. Non ergo ſine ratione ſermonis huius ſcriptor bilem tum per uomitum, tum per clyſterem euacuat.

7 Verum ſi ad hæc non ſoluatur, lacte aſinæ cocto purgabis.

Quòd omnino quidem eam quæ in uentre eſt bilem uacuare uelit, timeat autẽ purgantia medicamenta, quòd & acria & calida prorſus exiſtant, ob id ad lac aſinæ diuertit, utpote quod nullam ut non aliud ullum habeat acrimoniã, ſed præ omnibus unum humiditate exuperat, atq; ob id ſolum uentrẽ ſubit. Præcoquit autẽ ipſum ob flatus. Sed ſane ſolo uti ſero poteris, per oxymeli ipſum ubi lac ante coxeris, ſeparans. Vas quoq; æneum frigida plenũ aqua cõtinenter in lac demittes. Nam & hæc ſi probe fiat demiſſio, ſerũ à caſeo ſeparat.

8 Salsum autem nihil neque acre exhibendum, non enim sufferet.

Salsus succus qualis nam sit, ex sale apparet. De acris autem tum substantia tum facultate, dictum est in quarto Simplicium medicamentorum. Piper siquidem, sinapi, pyrethrum, & quæcunque uiribus calida sunt, acria quoque gustantibus apparent. Quo fit ut tum acria tum salsa tanquam causum augentia uitare iubeat. Salsa autem acribus magis siccant, quanquam illis nõ similiter, sed minus calfaciant.

9 Sorbitionẽ uero nisi iudicationes transierint, non dabis.

Sermonem ita ut robustam esse uirtutẽ subaudiendum sit, intellige. Nempe hoc pacto Hippocrates doctrinam facit magna ex parte quæ singulis in scopis præcipiuntur scribens. Quo pacto cũ semel dixit, cõparare inter se quæ demõstrata sunt cõsideratis ipsorum uiribus oportet. Quòd sorbitio ante iudicationẽ danda non sit, in prima huius libri, quæ legitima est, parte est demonstratum.

10 Et si è naribus fluxerit sanguis, soluitur ægritudo: atque si sudores superuenerint, iudicatorij legitimi cum urinis albis crassisque & leuibus subsidentijs.

In acutis febribus quod ex sanguine feruet, ad caput fertur. cum igitur rescissis ruptisque uenis natura idipsum unà cum aceruatis uaporibus effuderit, cæteris promptius dominatur & imperat. Pari modo & cum per sudores eas quæ tenues sunt humiditates expulerit, morbum sanat, si utique morbo iam cocto superuenerint. Nam de re huiusmodi iam sæpius in alijs explanatorijs commentarijs est dictũ, atque in ijs qui de iudicationibus sunt confecti. Vt igitur in prima libri huius parte, quam omnes legitimam fatentur, eum qui à morbi coctione est scopum ad uictus rationẽ cõmodissimũ accepit, sic & nunc ad prædictionem. Subticuit quidem coctionis nomen: sed cõstantissimam ipsius notam in urinis scripsit. Optima igitur urina est, quæ albam & leuem habet subsidentiã, ut in Prognostico est demonstratum. Neque tamẽ ad spem salutis semper apparere expostulabis, cum si enæorema medio uase innatans naturali tũ colore tum substantia cõmodum uideris, satis tibi erit. Et iam his ita habentibus in interpretatione exuberauit dictio. Nam ob dictas urinas constat & sudores iudicatorios esse, quapropter & frustra adiectũ. Legitimi præterea non proprie dicunt. Nam de morborum speciebus talem inferre consueuerunt appellationem, cum alij medicorum probatissimi, tum Hippocrates ipse.

11 Et si abscessus aliquis factus fuerit.

Rarissime per abscessum iudicatur causus, atque adhuc magis si citra partis corporis adiectionem, recensionem quis fecerit. Nempe parotidibus, id est abscessibus qui post aures fiunt, causos scio iudicatos, sed non legitimos. Id autẽ paulo post condisces post expositionem.

12 Verum si absque his soluatur, reuertetur ægritudo, uel coxa uel crus dolebit, expuetque crassa si sanus est futurus.

Vbi de sanguinis eruptione sudoreque egit, si absque his causus desierit, suspectam ait esse solutionem. Nam paulò post reuertetur: Erit siquidẽ ait in recidiua crurum dolor uel coxæ, spuetque crassa. Nempe quòd iudicãdus, sanguinis eruptione uel sudore uel abscessũ opus habeat, potest quis arbitrari rectè dictum esse, si dictis adiecerit quæ curationi intendens ipse scripsit, uomere scilicet præcipiens, atque aluum subducere, potumque aquam & mulsam aquosam coctam comministrans. Quare si cum his quidem & sanguinis eruptionem, & sudores, & abscessum causum soluere quis dixerit, aliàs autem solui non posse, sermonem fortasse iustum æquumque dicere uidebitur. Iustum autem æquumque dico quasi mediocriter uera loquentem atque priore magis, non tamẽ integrum absolutũque prorsus. Neque enim uerus est sermo. Nempe quod in Aphorismis dicitur: A causo habito rigore superueniente solutio, uerissimum existit. Rigorem autem hunc de necessitate sequitur interdum quidem sudor solus, interdum uero & biliosorum uomitus solus, atque interdum deiectio sola: sed plerunque ex dictis tribus duo fiunt, & rursum quandoque tria. Nempe horum duorum de necessitate alterum in causo fit si ad integritatem desinere debeat. Nã biliosi humores uel perfecte uacuabuntur uel extinguentur. Prætermissa itaque uidebitur precipua causorum sanatio: frigidæ scilicet potus, quo causos prorsus curauimus nullo ex his moriente, quibus frigidam tempestiue propinauimus, cuius expositionẽ priore quidem libri huius parte paucis percurrimus: at in cæteris tum cõmentarijs tum operibus fusius. Sed forte quispiã me asserere putabit nullum ex ijs qui causo laborant moriturũ qui aquam tempestiue biberit, quanquam id non asseram, sed quòd omnibus quibus propinaui cũ adeo multi extiterunt ut numeri non meminerim, successit auxilium & salus. quod idem non est, ut si diceres causo laborantes si frigidam biberint, seruandos. Nam qui perniciose insalubriterque habent, eos neque per aliud quippiam, neque per aquam seruari est possibile, quibus neque ministrare sum conatus. Quod autem in fine dictionis narratur, Expuetque crassa si sanus est futurus, in his tantũ causis obseruare debes qui passo pulmone oriuntur.

13 Causi genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa.

Veteres Grecos reperio nomen generis interdum in homonymis usurpare. homonymis inquã quæ unum quidem habent significatum: sed ex ipsius diuisione ad plures deducũtur differentias. In quo sæpius dicere consueuimus genericas rei huius differentias esse uel duas uel tres uel quatuor uel quotquot esse possunt. Sed cum homonyma duplicia sint, aliqua quidem nullo pacto inter se communicantia, ut cum canem dicimus & terre-

terrestrem & marinum. Alia uero quæ cum synonymis aliquatenus cōmunia existant, cum ab uno factam appellationem habuerint, ad quam interdum referantur, cōsiderandum ut dictum est duo esse causorum genera: quod exacte quidem cognoscetur, si substantiæ utriusque ratio quæ in appellatione est, ostensa fuerit. Sed quoniā à mentis cōceptu ratio iudicium accipit, perscrutandū si mentis conceptum causi ita cōsonum habemus ut hominis, bouis, & equi. At cum oratio cōmentario prolixior futura sit, tum ipsam tum cæteras ad breuem contrahere summam conabimur, hoc exorsi modo. Febrem causum medicos reperio appellantes cum urens caliditas, sitisque incompescibilis hominē torquet. Quod si ita habet, causum eum in quo corpus non uritur, sitisque leuis sit, causum B quidem simpliciter, exquisitum autem legitimūque nō dicemus: eumque qui pro dimidia parte talis sit, breuioris doctrinæ gratia causum nothum appellare haud malum fuerit. Quo autem modo tertianis in febribus appellatione huiusmodi uti cōsueuimus, ita duo causorū genera esse intelligemus, ut tertianarum genera duo esse quispiam dixerit, unum exquisitum legitimumque: alterum uero nothum spuriūque, cui uidelicet ex legitimis quidem symptomatis nonnulla insunt, aliqua uero non. Quòd autem secundus causus de quo in hac parte docere instituimus, tanquam diminutus quidam sit, atque non exacte absolutus, certior fies si mentē ad ea symptomata quæ è scriptore ipso in eo fieri dicuntur, cōuerteris. Nempe principio ait: Aluus C soluta, sitis magna, non eo adiecto quod in priore adiecit. Nothus siquidem causus ex legitimis symptomatis alterum quidem habet, alterū non. Deinceps autem linguā asperam esse inquiens & siccam, non adiecit nigram quomodo in priore: sed pro hoc symptomate salsam dixit. Nempe ut cum lingua amarulenta redditur, flauam redundare bilem ostēdit: ita cum salsa, salsum salsuginosumque appellatum humorē, qui ex pituitæ generibus, quæ tria sunt, unum existit ut tibi innotuit, acido scilicet dulci & salso. Quomodo igitur prior causus ex amara bile cōstans, pallidas geminam ob causam pariebat excretiones, tū quod tenuis fuerat, tum quòd febris urens in ipso augebatur, augescēte in ipso insuper flaua bile: sic pituitosus humor neque D facile excernitur, neque febrem auget, neque sitim ardentem habet, neque inflatur, atque ob id de eo dixit aluus soluta, excernere ipsam solā ostēdens, quod ipsi non excernere aduersatur. subit siquidem his uenter, non tamen secundum humoris cuiuspiam formam speciemque: sed iis quæ in alimentum ministrata sunt, corruptis. Non enim hi potu degūt, ut quamplurimi eorum qui priore infestātur causo. Deinde illi citam habent excretionē, tenuem scilicet & feruentē assecuti humorē. Seram uero hi ob frigidam glutinosamque & crassam pituitæ substantiam. fieri ergo nequit ut qui ita laborant, solo utātur potu. Id siquidem didicimus in his morbis qui in quinta & septima die ualida existente uirtute coctionē sunt recepturi. Verū si morbus ad nonum uel decimūquartū uel uigesimū sese prorogaturus sit, in eo circa initia ptisanę cremore utimur.

14 Vrinæ defectus.

Dici id ab ipso cōsueuit uel cum non effatu digna uel nullo pacto emittitur urina. fit autem in instituto præsenti sermone causo propter humoris crassitiem.

15 Vigilia.

Causo utrique cōmune id est, atque ob id in priore mentionem huius fecit. fit siquidem in illo magis quam caput accendatur, inflammeturque magis.

16 Et perfrigerata extrema.

Symptoma hoc secundi est causi. Verū sermonem non simpliciter efferre conuenit, sed cum distinctione aliqua. Neque enim perpetuò talis existit, at cum malignus fuerit. Nempe in biliosis urentibusque febribus, caliditatem ad extrema usque corporis extendit, etsi nō malignus causus fuerit. At in pituitosis fumosa est caliditatis substantia, cum scilicet uel in uentre uel hepate uel pulmone salsus humor putruerit, ob quam quidē caliditas ignea redditur. Verū si malignus fuerit morbus, perfrigerantur extrema ob uirtutis imbecillitatē, phlegmonesque totum ad se sanguinem trahentis magnitudinem. Nam absque his nunquam letalis efficitur morbus.

17 Causus hic, nisi sanguis è naribus fluxerit, uel circa collū abscessus fiat, uel crus doluerit, et æger sputa crassa excreauerit (hæc aūt adstricta aluo fiunt) uel coxæ dolor, uel pudendi liuor superuenerit, non iudicatur, testis quoque intensus iudicatorius existit.

Quòd soluantur per abscessus magis quàm per excretiones quæ ex pituita putrescente oriuntur febres, sæpius est demonstratū. At in præsenti causo non abscessus modo cōmemorauit, uerū quoque & sanguinis profusionem adiecit, magisque in his causis quorum sedes in pulmone existit. Nempe in huiusmodi affectionibus caput incalescit, sanguine repletur, effunditque quod ex eo redundat tū ruptis tum adapertis uenis. Ob eandem causam ceruici abscessus fiunt, & parotides iis qui ita afficiuntur. Verū quibus affectionis sedes in ieiuno uel hepate existit, deorsum magis fiunt abscessus. qua efficit ratione ut crus doleat, pudendū liueat, testiculusque his tendatur qui ita afficiuntur. Fit aūt testis intentio interdū ab ea quæ in eo sit inflāmatione, interdum quoque & ob cuiuspiam eorū quæ superius inflāmantur ulceratione. Quosdā autem eorum etiam sputa crassa spuere, de his qui in pulmone affectum habent, dictum est, facta iam concoctione. Ex eo igitur liquet doctrinā confusam esse inordinatam & indefinitā. quod tametsi eam quæ librorum gratia fit delineationē deceat, libro tamē nullo pacto est peculiare propriūque. Nā cum multis mēbris passis tales fiant febres, deinceps et ex ordine symptomatum catalogū scribere oportebat, & non inordinate indefiniteque, sed secundū peculiarē propriumque, & præsentē morbum efficere

cere. Et sane in hunc dictum est modum, aluus soluta, non ꝙ causis symptoma hoc perpetuo insit, sed ut interdum. Nam quibus uenter ita ut dictũ afficitur, his corrupto cibo deiectiones liquidæ existunt. Verum quibus pulmo ita habet, uentre haudquaꝗ patiẽte, his deiectiones huiusmodi de necessitate non fiunt, cum interdum modo cõtrario ita affectis dura aluus contingat, & difficulter excernant. Præterea & quibus in iocinore causi subest radix, & qui ob iecur causo laborant, ijs quę excernuntur, interdum quidem liquida existunt, & interdum sicca ueluti quæ σπυραθώδη appellantur, quasi caprini stercoris pilulis similia dixeris, cõbustis scilicet à uisceris phlegmone excrementis, σκύβαλα Græci uocant. Cum igitur uiscus huiusmodi solũ phlegmone obsidebitur, id efficiet. Verum si cum phlegmone fuerit & imbecillitas, liquida deijciuntur, uiscere scilicet alimentũ ad se trahere nequeũte. Sed deiectiones huiusmodi ab ijs quæ uẽtre affecto fiãt, succositate distinguunt.

18 Sorbitiones dato attractorias.

Quod sepius dicere solitus ꝙ scilicet obscura lectio nihil doceat, id & nunc dicam. Nam qui ex pituitę uitio laborant, oxymelitis quidem potus his est cõmodissimus: sed alimentũ ptisanæ cremor. Ego tamen quanꝗ hoc noscam, atꝗ à nullo didicerim, diuinare non possum quas nam dicat attractorias sorbitiones. Oxymeli siquidem & secatorium, & incisorium, & abstersorium dici potest, attractorium tamen nullo pacto, quia sane quod ab ipso attrahatur demonstrare nõ possumus. Ad hunc modũ neꝗ ptisanæ cremorẽ attractoriũ esse asseremus. Sed forte quispiam dicet uelle ipsum uentrẽ subducere attractorijs, id est quæ crassum trahunt succum, cuiusmodi est etiam pituita. At uero sorbitiones non dixisset. Nempe hoc munus medicamentorum est & non sorbitionum, sicuti neꝗ potuum. Innotuit ergo quonam pacto in obscuris dictionibus nihil certi compertiꝗ habeamus. Quapropter neꝗ dictionem hanc aggredi conabimur, quòd nihil in ea certum finitumꝗ reperiatur. Cæterum non mihi constat quonam homines pacto ut in alijs multis manifeste errent, sic & in eo ꝙ ijs quæ obscure dicũtur gaudeant: quanquam omnes uno fermè ore perspicuitatẽ orationis uirtutẽ esse, obscuritatẽ uero uitiũ proclament.

19 In acutis morbis sanguinem detrahes si uehemens morbus uideatur, florueritꝗ ægrotanti ætas, & uirium adfuerit robur.

Sermo hic nimirum Hippocrate est dignus. Subit mihi in admirationẽ ꝙ inter aphorismos eum non scripserit, cum in paucis uerbis uis magna cõperiatur, quod aphorismis usu euenire solet. De his ergo qui sanguinis egent detractione frequens apud medicos fuit sermo. Quorum quæ de ea detractione maxime probabilia uidentur, duobus à me scriptis secure sunt enarrata libris, quorum alter De sanguinis detractione inscribitur: in quo quæ cõmodant omnia docentur. Alter scriptus est, ut dixi, medicis tum Empiricis tum Dogmati-

A cis. Verum amethodi, id est ab omni methodo alieni Thessalij uti & cætera sine demonstratione simpliciter dicunt, sic & sanguinis detractionem χαλαστικόν, id est relaxatorium censent esse remedium. χαλαστικόν uero non uno exponũt modo, ut per cõmentarios nostros cum de Methodica secta ageremus ostendimus. Qui igitur omnem de sanguinis missione historiã intelligere uoluerit, legere tum nostros tum reliquorum medicorum libros potest. Nũc uero summam ipsam in paucos tandem relatam scopos audi. Sanguinem etenim primũ detrahes si magnus tibi uideatur morbus. Tali autem remedio utitur propter uehementes affectus, quod à qualitate desumitur. Neꝗ refert si uel uehemẽtem uel magnum morbum dixeris.

B Secundus sanguinis detrahendi scopus est: si ęger ætate floruerit. Neꝗ enim puer neꝗ senex, sanguinis sustinent detractionem, etiam si morbus quo ipsi laborauerint magnus fuerit. Tertium scopum non prætermisit libri huius conscriptor, qui uitalis facultatis robur existit. Neꝗ enim in ijs qui ætate florent, cum languẽt perpetuo robur apparet. Quam ob causam quis forte duo hæc sola pro scopis detrahendi sanguinis satis esse autumabit, magnitudinem scilicet morbi & uirtutis robur. Neꝗ enim senex ꝙ annosus sit, per se sed propter uirtutis imbecillitatẽ nõ fert sanguinis detractionẽ. At certe pueri quanꝗ uitali facultate ualeant, tamen neꝗ hi sanguinis sustinent missionẽ. Prompte eñi eorũ substantia tum propter humiditatẽ, tum pro

C pter temperamenti caliditatẽ euaporatur. Detractione igitur sanguinis non egent qui insitam naturalemꝗ habent uacuationẽ, ob eam causam scoporũ sanguinis detrahendi numero non satisfacere uidentur magnitudo morbi & uirtutis robur. Meliusꝗ feceris si & florentium ætatẽ adieceris. Quod porrò in fronte dictionis dictum est: In acutis morbis sanguinem detrahes, ut cõsideretur est dignum. Sed quomodo longorum morborũ non meminit? Quoniã sanè De acutis nunc docet, atꝗ ob id solos eos memorauit. Nempe & ex longis multi sunt qui sanguinis egent detractione, cum & hi dictis tribus subiaceant scopis. Cæterũ cum omnia hæc recte dicta sint, quosdam tamen non recte usos fuisse est putandum. Quo è numero est

D Menodotus Empiricus in sola plethorica appellata syndrome sanguinis missionẽ obseruari asseuerans. Nos autem & ea non existente, uenam secamus cum dolor uehemens hominem prehenderit, uel pars aliqua fracta fuerit, uel os ex loco pulsum sit, uel alius quispiam articulus cõtractus reductusꝗ sit. Neꝗ etiam plethorica facta syndrome sanguinem semper mittimus, sed & frictione, & balneis multis, & abstinẽtia quæ tribus uel quatuor diebus fiat, ad id quod naturale est reuocamus. Verum de his abunde tum in libro De plenitudine, tum in libro De sanguinis detractione est pronunciatum, preterea & in libro De morbis curandis. Ad præsens ergo hæc ueluti in sanguinis detractionis cõmentario dicta sufficiant. Verũ ut nihil desit, adijciã & eũ qui ab ambiente nos aere desumi-

desumitur scopum, cùm fuerit abunde calidus & siccus, ita ut cito ab eo corpus euaporetur. Nempe tunc à sanguinis missione abstinemus, etiam si morbus magnus fuerit, florensq; ætate homo. Id ergo autor solũ prætermisit, reliquis scriptis, atq; etiã patientis ipsius corporis habitũ. Verũ præcedẽte oratione & mẽtionẽ habitus fecit, qui & ætatis differẽtias in se cõprehẽdere potest, ut ostẽdã.

20 Porrò si angina fuerit, & si aliud quippiam ex pleuriticis malũ, ecligmate repurgato: at si æger ob copiosam sanguinis missionem imbecillior fuerit, clysmum tertio quoq; die uẽtri infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat.

συνάγχη, id est angina partium quæ in faucibus sitæ sunt phlegmone est, quæ post sanguinis missionẽ repurgari potest, id est quæ in partibus phlegmone obsessis cõtinent̃, per sputa euacuari possunt. Nempe corpus impurum excrementosumq; quod uacuat̃, iure optimo expurgari quispiã pronunciauerit. Cæteris aũt acutis morbis omissis, de pleuritide mentionẽ facit, quomodo & in prima libri parte fecit: Si uero imbecillior, inquit, æger tibi esse uidebitur, uel propter sanguinis ablati copiam, uel ob aliã quamuis rationẽ, purgationis uice clysterẽ tertio quoq; infundes die. Nempe relaxato per sanguinis missionẽ corpore, qđ ex morbificis humoribus qualitate uitiosum superfluit, per clysterem id euacuari iubet. Quòd autem scopus illi sit non solũ alimenti excremẽta subducere uerum quoq; & passum locum expurgare, palàm est. Quòd uero finem orationis facit: Et fame indigeat, ijs qui in primo libro à nobis demonstrata meminerunt, etiam manifestum euadit.

21 Obsessa inflãmatione hypochondria non spirituum interclusione, septi transuersi intentio, uel spirituum protensiones, quibus orthopnœa sicca pus nõ subit: sed à spirituum interclusione pathemata hæc superueniunt. potissimum uero & iocineris dolores, & lienis grauitas, atq; inflãmationes aliæ, & superiores septo dolores, morborumq; collectiones quas σύστροφας dicunt, solui non possunt, si quis primum purgante uti medicamento aggressus fuerit. Nam uenæ sectio in his præferenda uenit. Deinde clysmis est opus si non uehemens & magnus fuerit morbus. si uero non, etiam postea medicamẽto opus est, & sanè id etiam post sanguinis missionẽ secure & cum moderatione porrigendum est.

Morborum qui primũ sanguinis egent missione, deinde ab ea purgari expostulant, catalogum facit. Primumq; inter omnes scribit, φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια, id est flagrantia flammantiaq; hypochondria. Neq; uocẽ hanc φλεγμαίνοντα ex Hippocratis consuetudine audias uelim. Nempe flammantes morbi omnes & calidi, uoce hac significantur. cuiusmodi sunt erysipelata, herpetes et carbunculi, & quæ proprie phlegmonæ appellãtur, Verum recentiores medici omnes speciei flagrantium corporum uni uetus cõmune nomen indũt. uocantq; hoc pacto solum eum tumorem qui durus cum dolore & multa caliditate existit. Verum cum & alij præter naturã existunt tumores ut scirrhus, & qui à recentioribus medicis œdema appellatur: Fuit siquidẽ & id aliquando cõmune nomen tumorum omnium præter naturã atq; ipsius inflationis: Diximus quidẽ alibi libro uno De tumoribus præter naturam: uerum impręsentiarum ut cætera, ita & hoc summatim dicatur. Scirrhus quidẽ durus tumor est, & doloris expers. Verum inflatio bifariã est: Nempe collecto in quibusdam cauitatibus uel sensui expositis uel ratione cõtemplabilibus flatuoso spiritu. Fuerunt sanè qui aliquando tumores præter naturam in musculis secuerunt, tanq; pus in imo reperturi: sed nihil aliud præterq; spiritũ qui totam per carnem minutatim disseminatus esset inuenerunt. Præterea & thrombis solis aliquando ita sectis humiditas uel uiscosa uel muscosa est reperta. Verũ in talibus tumor uel ex thrombo uel mucore erat, carne ad hũc affici modum apparente: spiritus autẽ in ea per minuta est disseminatus. Non igitur in præsenti dictione, Phlegmone obsessa hypochondria, secundum assuetum Hippocrati significatũ dicta esse uidentur. Nempe quam mentẽ habebit quod ipsi adijcitur, non flatuum interclusione: cum flammea caliditas in hypochondrijs siue cum flatu fuerit, siue non, eandem habeat indicationẽ. Neq; etiã ita dicere est uisus, ut aceruatim coniunctimq; tum inflammationẽ tum spirituum interclusionẽ fieri dicatur, cum id falsum sit. Nunq; enim spiritus interclusio flagrantẽ hypochondrio infert affectionẽ. Qui ergo hæc scripsit: Phlegmone obsessa hypochondria: dicere est uisus quę in tumorem sublata sunt. Post hæc autẽ mentionẽ de septi trãsuersi intensione fecit: deinde & protensione spiritus. septi transuersi intensio manifesta est omnibus. Sed spiritus protensos dicere uisus est ueluti interruptos. De quibus in prima libri huius parte scriptum est: Spiritus offendens in ea quæ extra fit aeris delatione. Super quo in dictionis illius expositione est enarratũ. Siccã autẽ orthopnœã dixit eam spirandi difficultatẽ quæ sine sputis uel tusti usqueadeo uehemens est, ut inclinari citra suffocationẽ qui ita afficit̃, non possit, quam fieri non ignoras ab angustia earũ pulmonis capacitatũ quæ spiritũ deferunt. quæ id patiuntur, iacentibus magis, minusq; stantibus, & profecto recte sedentibus omnibus quæ in thorace existunt partibus. quo fit ut & orthopnœa appellitetur. Sed cum ea interdum fiat ob uisceris phlegmonem, ut in peripneumonijs, interdumq; & oppletis bronchijs, sanguinis missione ait egere eos qui orthopnœa sunt affecti, eos inquam quibus pus collectũ non sit. Nempe quibus collectũ sit, eos puris uacuatione egere constat

constat. Qui autem à spiritus interclusione (quod in angustiã acto pulmone fieri solet) hæc patiuntur, eos sanguinis missione iuuabis. Pari modo & iocinoris dolores splenisq; atq; cęteras omnes inflammationes sanguinis detractio iuuabit, atq; uniuersas morborum collectiones, Gręci συστροφὰς dicunt. Quòd autem συστροφὰς morborum dixerit eas quæ ab intumescẽtibus fiunt partibus, par est. Audio siquidem & nũc multos in Asia nostra tumores prẹter naturam omnes ita nuncupantes. In his siquidem prius quàm sanguis mittatur, purgationem interdicere oportet, quanquam & hanc quoq; mentẽ rationemq; deinceps dicat in ea quę sequitur dictione.

22 Quicunq; autem ea quæ inflammãtur statim morborum inter initia medicamento soluere conantur, ij non solum ab intensa inflammataq; parte nihil adimunt, cum non cedat obsequaturq; quæ adhuc cruda est affectio: uerũ quoq; & quæ morbo aduersa, & sana sunt, absumunt contabefaciuntq;. ductoq; ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit, qui ubi corpus uicerit, remedium non habet.

Hunc exposuimus aphorismum cum illum exponeremus. Cocta medicari et mouere. atq; in eisdem quibus & nunc symptomatis. Recte autẽ ad sanguinis missionem propius deueniendum præcipit, ubi uitiosi aliqui humores in partẽ aliquam confluant atq; in ea aceruentur, quod modo quodam ut dixi συστρέφεσθαι, id est, colligi in ea parte dicitur. Quod autem in fine ante hanc scriptæ dictionis scribitur, quidam dignotioni inaccessum efficiunt, nomen φαρμακείην in casu accusandi pro nominatiuo legentes ad hũc modum, ἀσφαλείας μὲν καὶ μετριότητος δέονται φλεβοτομίαν μετὰ φαρμακείην. qua dictione significari uolunt ad sanguinis missionem à medicamento ueniendum. Verum in tota dictione prius ad sanguinis missionem ueniendum, deinde ad medicamentum præcipitur: non autem econtrario ut ij scribunt assumendum medicamentum, deinde ad sanguinis detractionem deueniendum. Cætera dictionis dilucida his sunt, qui exacte dicta nostra animaduerterunt.

23 Quòd autẽ quis repente obmutescat, id uenarum interceptiones occlusionesq; faciunt, si sano absq; occasione uel forti alia causa id contigerit.

Venarum ἀπολήψεις, id est interceptiones, appellat oppletiones quæ à copia exoriuntur. Cum igitur supra modũ oppletæ fuerint uenæ, premi uirtutẽ grauariq; est necesse, atq; in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob multitudinem copiamq; suffocationi quippiam simile patitur. Oriuntur siquidem epilepsiæ, & apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ. Nempe uno cõmuni Aphoniæ, id est uocis carentiæ symptomate, symptoma

A ta huiusmodi significauit. Adiecit autem orationi, Si sano absq; occasione uel alia forti causa id cõtigerit. ubi πρόφασιν, id est occasionem dixit, causam euidentẽ manifestamq;. ut si quis in lucta uel pancratio ex cubitorum complexu ad periculum suffocationis circumductus fuerit. Causam uero aliam fortem dixit qualis uel timore uel maximo animi mœrore perturbatis accidit. In ægris autem uocis priuatio huiusmodi fieri potest, læsis duntaxat ijs quæ uoci efformandæ subseruiunt instrumentis, uel etiã ijs quæ respirationi deputauit natura. potest quoq; contingere ob recentem quandam exolutionem & afflictionem uirtutis. Vt autem ab huiusmodi aphonijs uocisq; priuationibus eam distinguat quæ in oratione apposita est, B adiecit, si sano contigerit.

24 Venam igitur brachij dextri internam secare oportet.

Velocissime & plurimum ex ijs quę principes sunt partibus uena ea corpus uacuat, atq; ob id in acutissimis morbis ad eam sese confert.

25 Sanguinemq; auferre inspecta secundum habitum ætatemq; pluris minorisue ratione.

Superius cum de scopis missionis sanguinis ageret, corporis habitum quidem omisit, sed hoc in loco uirium non meminit. Verum habitus nomen pro uirtutis nomine dictum esse opinantur nonnulli una de re ambo dici perperã existimantes. C Nempe habitum ad corporis constitutionem referẽtes dicimus, utpote cum quis uel mollis uel durus fuerit. Robur uero uirtutis functionum uehemẽtiæ attribuimus. Ex quo fit ut duo hi sint scopi uacuandi quidem indicationẽ quòd cõmunes sint, habentes, sed inter se differentes, ueluti & ab ætate. Verum ætatem ipsam ad corporis habitum referre est melius, & non uirtutem. Nam pueris propter habitus mollitiem, succi perspirabili cute facile digeruntur. Senibus uero non facile propter siccitatem & frigiditatem, satisq; esse tres hos detrahendi sanguinis scopos quispiam dicere potest, indicationem accipientibus nobis & à morbi qui curatur magnitudine, & habitu, & uirtute. Cuiusnam autem ambiens nos aer sit temperaturæ D inspiciendum esse est supra dictum.

26 Quamplurimis autem horum accedũt hæc, faciei rubores, oculorum constantia, manuum porrectio, dentium stridores, pulsus, maxillarum contractio, perfrigeratio extremorum, & spirituum in uenis interceptiones.

Inter hæc quæ deinceps accedunt, faciei solius qui ante scribuntur, rubores sanguinis copiam indicant. Succedit oculorum cõstantia, id est immobilitas & manuum porrectiones. Nempe & eas lędi ob neruorum principium contingit, sed aliter quàm fit oculorum constantia. Nempe ea ueluti

torporem quendam functionum in neruorũ primordijs indicat. Manuum uero porrectiones & dentium fremitus neq; ob quietem, neq; ob principij immobilitatem, sed propter uitiatam motionem exoriuntur. Quid autem pulsus indicet, non omnino cõstat. Nempe ueteres in motionibus dolorem in membris inflammatis excitantibus, hoc promunt proferuntq; nomen: in palpitationibus quoq;: & præterea in uehementi arteriarum motione. Maxillarũ contractio conuulsionis est symptoma, manuumq; porrectiones & fremitus dentium. Extremorum uero perfrictio in huiusmodi affectionibus caliditatem natiuam ab humorum multitudine grauari ostendit. Quod autem in fine dictionis apponitur, id ut de pulsus carentia ἀσφύξιαν Græci uocant, dicatur probabile est. Nam ueteres, arterias, uenas appellabant. Spirituum sanè interceptiones quasi inclinationes & quietes ab autore dici possunt. Sunt qui sequentis dictionis alteram habentis sententiam principium constituant dictionem hanc, cui quæ deinceps scripta est, coniungunt copulantq;.

27 Cum dolores accesserint, bilis atræ fluxionumq; acrium distillationes fiunt. Dolent morsa interna, morsæq; atq; admodũ arefactæ uenæ intenduntur, trahuntq; inflammatæ quæ influunt. quapropter corrupto sanguine nequeuntibusq; spiritibus naturales pertransire meatus infrigidationes fiunt ob stationem, uertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & cõuulsiones, si iam ad cor, uel hepar, uel in uenam peruenerint. Hinc epilepsiæ, & paraplexiæ si continentes locos fluxiones inuaserint, atq; à spiritibus exire nequeuntibus exaruerint.

Eiusdem cum prædictis generis est sermo qui nunc effertur, quem & nõnulli illis copulant, atq; ob eam causam bifariam uerbum hoc προσγένηται id est accesserint, scribi reperitur. Sunt enim qui præsentem sermonem cum prędictis coniungant scribentes πρὸς syllabam cum s elemento, alij uero non coniungunt, scribuntq; πρὸ sine s. Verũ quod in oratione dicitur, huiusmodi est: Dolorum motio fluxionẽ humiditatum ad eam quæ dolore uexatur partem excitare cõsueuit. Cum igitur uitiosis succis corpus refertum fuerit, bilis atræ cæterorumq; acrium humorũ fluxiones exoriuntur, ob quas dolet æger magis, mordenturq; interna, grauanturq; morsæ à prædictis humoribus quæ in affecto loco sunt uenæ: idq; ipsum rei alterius fit causa. Nempe repleta fluxionibus huiusmodi quæ afficitur particula, corrumpitur quidẽ in primis sanguis ipse, deinde uasa opplentur, & hoc in eo cunctas spirituum uias arcet cohibetq;. Nempe & id declarauit inquiens: Nequeuntibusq; spiritibus naturales pertrãsire meatus, quod sanè spirituum interceptiones paulo ante uocauit. Cum autẽ sanguis constiterit, atq; cum eo spiritus, infrigidationes fiunt, uertigines, aphoniæ, capitis grauitates, & conuulsiones, quibus succedunt paraplexiæ, & epilepsiæ, cum in locos oppletas uenas continentes desiderint fluxiones. Locos dixit corporis partes, quas autor ante scripsit, Cor, hepar, & uenam quæ prædicta coniungit uiscera. Venam inquam postea à medicis cauam appellatam, quòd uenarum omniũ quæ per corpus animalis disseminantur, latissima sit. Iure igitur sanguis in locis huiusmodi propter uenarum repletionem spiritum penetrare non permittit, sed ueluti in mortuo corpore congelatur, quod & autor ipse ostẽdit inquiẽs: Atq; spiritibus exire nequeuntibus, exaruerint, at proprie magis dixisset à spiritibus. Cõgelantur siquidem & quæ siccantur, & quę perfrigerantur. Nunc autem non propter exiccationem concrescit cõgelaturq; sanguis, & qui in ipsum defluunt uitiosi succi. Nempe exeuntibus ipsis, & incorruptus & naturaliter fusus liquidusq; redditur sanguis. Verum cum manent, natiuamq; caliditatem respuunt ac extinguuntur, is tanquam mortuo in corpore cõgelatur. Cum ergo ita affectis sanguis detrahitur, is frigidus crassusq; & uix effluens apparet, idq; propter huiusmodi perfrigerationem. Interdum autem & toto corpore conuulsiones fiunt. Interdumq; salubriter & commode. Nempe corpus totum quatientes, uniuersas calfaciunt partes adeo ut ex multitudine aliud per cutim digeratur, aliud ad aliquam ex non præcipuis expellatur partem: ubi cum indissolubiliter impactum fuerit, paraplexiã facit. Nam quòd eas quæ apoplexia uel epilepsia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt, paralyses, id est resolutiones, Hippocrates ita appellet, est demonstratum. Interdum quoq; & facta absq; conuulsione apoplexia nonnullis morbus in partis resolutionem finiuit, qui paraplexia appellatur. Cætera dictionis sunt manifesta.

28 Talibus sanè prius adhibitis fomentis, uenam confestim ab initio secare oportet, cum nondum fixa sint omnia quæ contristant, tum spiritus tum fluxiones. Facilius etenim remedijs patent.

Qui ita habent, his ante fotus adhibere oportet, quoniam congelatus est in ipsis sanguis, difficulterq; effluit. Sed quoniam & in fotu ipso fricatio fiat, facere quod scripsimus est melius: secare scilicet internam cubiti uenam. Non enim semper ita concreuisse sanguis reperitur ut effluere non possit. Fricandæ igitur in eo tẽpore multis ab hominibus cunctæ corporis partes, etsi mediocriter sanguis fluxerit, rursus fricandæ, superq; auferendus sanguis. Si uero non fluxerit, fricandæ & fouendæ donec fluxerit: ubi uero in paraplexiã desierit affectio, breui fricare expedit tempore & fouere. deinde rursum fricare & fouere donec citissime hæc desierint, dum fixi adhuc non sunt spiritus, & euacuationi contumaces.

Postea

29 Postea reficere expedit, & habita iudicationis ratione superiorem uentrem si non leuetur, purgare: inferiori uero si non deiecerit, clysmum inijcere. Coctum deinde asinæ lac dabis, bibetq; heminis duodecim non minus; & si uirtus tolerauerit, sexdecim magis.

Ab ea quæ per sanguinis missionem fit uacuatione, refici hominem roborariq; præcipit: ut si nihil leuatus uideatur, ad eam quæ per superiores partes, id est per uomitum fit purgationem agatur. Verum purgans medicamentum neq; nominatim perstrinxit, neq; ipsius fecit delectū. Nempe quòd ad morbi magnitudinem uirtutisq; robur respicientes uel album ueratrum, uel ex alijs quæ uomitum cient quicquam exhibeamus nemo ambigit. Quæ autem de aluo inferiore dicta sunt, clara existunt, expositorisq; haud indiga. Neq; admirationi sit lactis copia, cum antiquis omnibus ita fuerit assuetum. Quòd autem lac asinę propter humiditatem exhibeant, supra est dictū: atq; amplius, quòd non spissetur epotum ueluti quę crassa sunt. At cum eo mellis quippiam salisq; miscere oportet.

30 Synanchus, id est angina fit cum hyeme uereq; fluxio multa & uiscosa ad iugulares defluxerit uenas, plurimamq; hæ propter latitudinem traxerint fluxionem. Cum autem & frigida & glutinosa fuerit, spiritus obstruit permeationes. sanguinemq; coercens, quæ uicina sunt inspissat: sanguinemq; ipsum immobilem reddit, & cōstantem, quippe cum frigida natura sit & obstrictoria, ob id suffocantur liuente lingua, atque in rotundum acta, flexaq; propter eas quæ linguæ subduntur uenas. Nam præcisa uua quam nonnulli cionida, id est columellam uocant, uena utrinq; crassa apparet. Cum igitur hæ oppletæ fuerint, linguæ quæ ob siccitatem & sicca & spongiosa existit innituntur. Lingua autem ui ex uenis humidum accipit, atq; ex lata rotunda, ex bene colorata liuens, ex molli dura, atq; ex facile flexili flectenti contumax efficitur. Eam ob causam cito iugulat, nisi cito aduersus eam pugnaueris. Sanguinē ergo ex brachijs detrahes, mox uenas quæ sub lingua sunt secabis, deinde medicamentis quibusdam delinitu cōmodis uteris, calida exhibebis gargarismata, caput abrades, ceratumq; tum collo tum capiti circūpones. Lanisq; circumuolues, molliq; spongia ex aqua ca-

A lida expressa fouebis: bibet autem aquam, & mulsam non frigidam, cremoremq; assumet, ubi ex iudicatione in tuto fuerit.

Siue synanchon dicere uolueris siue cynanchon uel alterum quidem horum synanchen, alterum uero cynanchen, siue utrunq; synanchen uocaueris, duas synanches sciueris esse rationes. Nempe ad curationē nominibus opus nobis non est. Consueuit siquidem eam docere longe melius quàm ij qui in nominibus falsa enunciant. Subscribam autem tibi compendiose doctrinam ipsius peculiarem, suscepto ita exordio. Fluxionū quæ ex capite deferuntur, quædam substantia tenues existunt, alię ex crassis uiscosisq; humoribus cōstant.
B Quæ igitur tenues sunt, hæ latis penetratis uenis in angustioribus detinentur. Tales autē sunt quæ summum guttur ambiunt. Contrarium autem in crassis contingit, quòd non ingrediantur uniuersas quæ strictæ admodum existunt uenas, ante scilicet in capacioribus detentæ. Cum igitur in faucium uenis tales impacti fuerint humores, pars in tumorem attollitur; ueluti summum guttur ex alijs, quanquam summi gutturis quàm faucīū strictiores multo existant uenæ. Corpus autem totum uacare excrementis debet, & non plethoricum esse geminā ob causam. Nempe tum ob eam quæ à uacuatione est reuulsionem, tum quòd uacuato corpore cū à parte affecta quod influit expellimus, id facilius suscipiet, nihilq; si calido ali-
C quo euaporare uolueris à corpore ipso parti calfactæ mittetur. Corpus igitur totum uena secta uacuare oportet, & purgatione & clysteribus. Verū adfectas partes medicamentis astringētibus quæ profluentes retrudant humores, atq; ex infarctis qui non admodum infarcti sunt, & glutinosi & crassi, calidisq; acribus quæ cōtentos in membris passis digerant humores. Venæ uero quæ sub lingua sunt, eam quæ faucibus est phlegmonem sine medicamentis uacuant. Sed quoniam humorum crassi alij glutinosiq; sunt, acrioribus propterea indigent medicamentis, quæ scilicet & secare, & in tenuia diuidere, & tum glutinosa, tum crassa cō fringere possint. Præterea & ad exteriorē superficiem reuellere oportet circumpositis collo quæ
D attractoria polleant facultate medicamētis. Nempe colli superficiarias partes quàm imas affici est melius, quòd spiritus quidem cum inspirationes fiunt, ad fauces gutturq; summū irruat, & cum expirationes fiunt, per ea foras deferatur. Sæpius uero quæ ad partes prædictas procedunt fluxiones, eæ ad partes quasdā alias exprimēte natura transmutantur, atq; interdum principio ita deferuntur, ut rursum aliæ oriantur tum faucium, tum summi gutturis fluxionum differentiæ. Quòd autem quę ad cutem recesserunt, ijs quæ in profundum decubuerunt multo faciliora curatu existant, constat omnibus. Cōmune tamē in utrisq; tum collo, tum capite, à quo fluxiones fiunt, auxilium tibi sit. Sermo hic synancharum species, & causas & affectos

locos & curationes docuit. Neq; si uel synanchen uel cynanchen, uel synanchon uel cynanchon appellaret, fuit sollicitus. Qui igitur librum hunc scripsit, neglectis nominibus omnes, qui tum in faucibus tum summo gutture existunt, arctantq; respirationem affectus synanchos appellitans, duas horum species esse ait, alteram quidem quæ à glutinosa frigidaq; fluxione facta sit, quã pituitosam uocare posis. Alteram uero à calida acriq;, quam si picrocholam biliosamq; simpliciter appellaueris, non peccabis. Priorem autem fluxionem in latiores decumbere uenas ait, biliosam etiam in tenuiores peruenire ostendens. Cætera dictionis sunt manifesta. Ad ea autem quę retuli, conuertas animum oportet, & si primum non intellexeris, bis & ter lege & intelliges: ego autem ad secundam synanchi speciem transibo.

31 Cum æstate uel autumno fluxerit ex capite calida & nitrosa fluxio, quasi ab anni tempore tum acris, tum calida fuerit, atque huiusmodi sit, mordet, ulcerat, spiritu implet, orthopnœam parit, siccitatemq; multam, præterea quæ intuenti apparent haud quaquam tumentia uidentur.

Quo modo & quam ob causam hæc fiunt? Nimirum à calidis & acribus. Priorem siquidem fluxionem quæ pituitosa est, hyeme uel uere defluere ait, hanc autem secundam in autumno aut æstate. In alijs anni temporibus ex proportione ut antea est dictum. Orthopnœam autem huic superuenire anginæ generi ait, quæ insignis nota est angustiæ, partem ex ijs quæ respirationi subseruiunt aliquam fatigantis, ut supra est demonstratũ. Quòd si hos amplissime aperire os uolueris, linguãq; represseris cohibuerisq;, ut quæ in faucibus sunt inspectare queas, nullum sanè preter naturam tumorem ut in ante dictis inuenies, quod scriptor explanauit cum inquit: Præterea quæ intuenti apparẽt ἰσχνὰ, id est non tumentia uidentur. Nempe quod in faucium meatu inflammatum est, non uidetur, quantum autem ex apertis uidetur, id omne citra inflammationẽ existit, partesq; non tument. Nempe hæc uox ἰσχνὸν, tumenti præter naturam interdum opponitur. Quam uocis huius nunc dictam significationem ignorantes nonnulli, dictionem ridicule exponunt. Alij autem transmutant, uelut hi qui ad hunc scribunt modum. Præterea quę intuenti apparẽt, ἄχροα, id est decolora uidentur. Cæterum ita affectis fit interdum ut & fluxionis partem recipiãt summo gutturi uicini atq; à tergo siti ordinatiq; musculi, ubi et gula siue stomachus, qui sæpius & ipse afficitur. Post hoc itaq; in præsenti dictione scriptum quoq; est quod sequitur.

32 Tendines quoq; ceruicis posteriores contenduntur, apparentq; tetani modo intendi.

Quod deinceps dictum est, magis adhuc summum guttur affici ostendit. Nempe & uocis gene-

A rationem in ea animalis absolui parte est demonstratum. Quapropter inquit,

33 Voxq; ἀπέῤῥωγε, id est abrupta est, & spiritus paruus est.

Nempe uox omnino ἀπέῤῥωγε, id est ἀπόλλυται id est disperijt abruptaq; est, passo ut dictũ est summo gutture. Respiratio autem parua redditur propter meatus angustiam. Recensetur autem in commentarijs De difficultate spirandi quòd breuior tempore sit & interuallis frequens, quod scriptor in hunc enunciauit modum.

34 Spiritusq; reuulsio frequens & uiolenta accedit.

Spiritum & eam quæ inspirationi succedit ex-
B pirationem, & eam quæ expirationi succedit inspirationem dixit. Ex utroq; enim frequens redditur spiritus. Nam ita affectis quæ inspirationi succedit quies breue tempus habet, similiter & quæ expirationi succedit ante inspirationem. Demonstrationes horum in libris De spirandi difficultate enarratæ sunt.

35 Talibus arteria ulceratur, incediturq; pulmo, neq; externũ aerem admittere intrò queũt, quibus nisi ad exteriores partes malũ sua sponte perferatur, hi grauius ineuitabiliusq; habebunt & propter anni tempus, et ꝙ à calidis acribusq; id fit humorib.

Arteriam quoq; ulcerari ijs qui ita affecti sunt
C dictum est & propter humoris acrimoniã, sed pulmonem ardere uiduatum destitutumq; ait, doctrinæ ueræ sermonem cõiungens copulansq;. Nempe in cõmentario De usu respirationis demonstratum est animal in respirationis priuatione non ob substãtiæ penuriã perire: sed ꝙ calor natiuus tum refrigerio tum uentilatione destituatur, quapropter nõ immerito qui immoderatior existit pulmonem accendit. Hanc igitur anginæ speciẽ tum grauiorem tum ineuitabiliorẽ esse priore ait, tum propter ante dicta, tum ꝙ æstiuũ autumnaleq; sit anni tempus, & ꝙ ex acrioribus oriatur humoribus. Qua efficitur ratione ut ea quæ cum coniunctione est dictio, melior sit quàm ea quæ sine coniunctione est. significat autem ab ijs quæ antea dicta
D sunt, & propter anni tempus in quo fit, & propter humorẽ à quo oritur, maioris esse periculi secundam anginæ speciem. Nõ est ergo simpliciter scribendum ꝙ tum grauior tum uitiatu difficilior sit propter anni tempus. Quòd si & absq; cõiunctione scriptionem seruare quis uoluerit, coniunctionem eam ita subaudire oportebit ut si in dictione esset. Multa siquidem atq; alia apud antiquos defectiuo modo scripta reperiuntur.

36 Si febris hominem prehenderit, uetere excremento non descendente, uel nuper cibatum, siue cum lateris dolore siue non, is quieti tantisper permittendus donec cibus primum ad uentrem imum descenderit.

Dictiones quoqꝫ huiuſmodi ea quæ libro De uictu in acutis morbis apponuntur Hippocratis ſcripta non eſſe oſtēdunt. Non enim qui perfecte De pleuritide in legitima libri huius parte tractauerat, eum rurſus hic pauca apponere oportebat.

37 Sumat autē in potu oxymeli. At cum grauitas ad lumbos uſqꝫ deſcenderit, tū uel clyſmum dare, uel medicamēto purgare oportet. Atqꝫ cum purgatus fuerit, ſorbitionem primum mox aquam mulſam, deinde cibaria, & coctos piſces miniſtrare. uinūqꝫ quod aquoſum ſit & exiguū noctu, interdiu uero dilutam mulſam. Cum uero flatus male olentes fuerint, balanus uel clyſmus confert: ſi non, bibentem oxymeli tantiſper cohibere oportet, donec ad inferiorem aluum deſcenderit: deinde clyſmate ſubducere conuenit.

Indefinite indiſtincteqꝫ dictū eſt, quanqꝫ quod hic ſcriptum eſt, definite diſtincteqꝫ in legitima libri huius parte dictū ſit, & quæ poſt id uſquequo piſcium meminit Hippocrates, quoniā adhuc de languētibus in libro ipſe agebat, & non ijs qui ex morbo reualeſcūt. Cętera dictionis manifeſta ſūt.

38 At ſi liquidam aluum habenti cauſus ſuperuenerit, ſi tibi purgatio idonea uideatur: eam non tribus primis diebus adhibebis, ſed quarto.

Quòd intempeſtiue quidem hic de cauſo egerit, prædictis ſcilicet in principio tum differentijs tum curationibus, nemo eſt qui ignoret. Nempe & dictiones ex mente ſunt aphoriſmi illius, Cocta medicari & mouere, non cruda, neqꝫ in principio niſi turgeant. Plurima uero non turgent. Quidam aliter ſcribunt cauſos ab initio medicari uolentes ut dictio talis ſit, Intra tertium diem adhibebis. Expedit igitur non omnino à tertio medicari die: ſed ut aphoriſmus canit, In acutis morbis raro & in principijs medicamento purgante uti. Rem ergo ſecundum aphoriſmorum mentem definire oportet, ſcrutariqꝫ cum in principijs purgatione utendum ſit, & cum morbi coctio expectanda ſit. Qui autem uel in principio ſimpliciter dixerit, uel neutrum definierit, fallitur.

39 Cum autem purgaueris, ſorbitionibus utitor, obſeruatis ita febriū acceſsionibus ut nunqꝫ cum adſunt, neqꝫ cū futuræ ſunt, exhibeas: ſed uel cum ceſſant, uel quieuerunt & maxime à principio receſſerunt. Frigentibus ergo pedibus, neqꝫ potū neqꝫ ſorbitionem, neqꝫ aliud quippiam huiuſmodi dabis. Sed maximum exiſtimato ſi id tantiſper obſeruaueris donec ualde incaluerint. Deinde ita quod confert exhibe. Frigiditas ſiquidem pedum, parte plurima febris acceſſuræ ſignū exiſtit. quo tempore ſi quid porrigas, maxime prorſus peccabis. Nempe & morbum non parum augebis. At uero cū febris deſierit, cōtrario modo pedes reliquo corpore calidiores fiūt, Nempe cū augetur, pedes perfrigerat: inceſaqꝫ ex thorace ad caput flammā mittit. Calore igitur toto ad ſupernas partes cōcurrente atqꝫ ad caput expirante, non abſqꝫ cauſa pedes frigeſcunt. utpote qui natura & carne uacent, & neruis abundent, præterea & à calidiſsimis ſeparati locis perfrigerātur, ſeſe ad thoracem colligente calore. Rurſum & cum febris ſoluitur: & in minutas redigitur partes, calor ad pedes ex proportione deſcendit. Quo tempore caput & thorax refrixerūt, atqꝫ ob id ſorbitio danda. Nempe cum pedes frigidi fuerint, uenter de neceſsitate calet, faſtiditqꝫ cibū, intenditur hypochondrium, iactatur propter internam turbationem corpus, mens fixa non eſt, dolet æger, lancinatur uellicaturqꝫ, uomere affectat: & ſi mala uomuerit, dolet. Ergo cum calor ad pedes deſcenderit, curritqꝫ urina, & ſi non ſudet, omnia ceſſant. quo tempore ſorbitionē dare expedit. nā aliàs pernicioſa exiſtit.

De particulari cibi miniſtrandi tempore dictū quidem eſt paucis in legitima libri parte: ſed ęque & nunc prolixius manifeſtiusqꝫ dicitur, quaſi ſermo præſens alterius ſit explanatio ſeruata Hippocratis mente, quam tum in cæteris dixit tum in eo quòd febrem ex thorace accendi, atqꝫ in caput flammam mittere ait.

40 Quibus autem aluus per febres perpetuo liquida eſt, his pedes maxime calfaciēs ceromatiſqꝫ contegens atqꝫ faſcijs obuoluens ita attēde ut reliquo corpore frigidiores non ſint. ſi uero pedes calent, calorificū nullum exhibe: ſed ne frigeſcant obſerua, potu autem eſt utendum quamminimo, aqua frigida uel mulſa.

διὰ τέλεως idem cum διὰ παντὸς τοῦ χρόνου, ſemper & perpetuo ſignificat. At cum multi exiſtant affectus in quibus per totum malum aluum liquidam eſſe contingit, fieriqꝫ nequeat ut curationem habeant unam, quomodo ſæpius eſt demonſtratū, tantum abeſt ut ex dictione quicquā utiliter dicatur, ut etiam iacturam facturus ſit, qui ſcriptū curationis modū in affectibus multis iuuare crediderit. Nā ut cętera omittā, cum aluus liquida eſſe poſsit, tū propter uentris phlegmonē, tū propter cōtabe facientē colliquantēqꝫ febrē, frigidæ potus phlegmone cōtrarius eſt: colliquantib. uero febribus cōuenientiſsimus, eo q̄d didiciſti tēpore exhibitus.

41 Quibus per febres aluus liquida est,& mens turbatur,horumq́ multi floccos uellunt,nares q́ fodiunt,& parum quidem interrogatis respondent, sed ex se nihil quod compositum sit dicunt: talia his melancholica esse arbitror. His igitur ita habentibus, si uenter liquidus fuerit, ac colliquuerit,sorbitiones frigidiores crassiores q́ exhibendas esse puto.potus q́ qui sistant, uinosiores q́ quàm astringentiores.

Phreniticorũ sane reliqua sunt symptomata.Sed uenter quidẽ interdum cum phrenitide liquidus efficitur,non tamen id proprie ipsi inest,quapropter liquidã aluũ distincte curare expedit. Phrenitim uero alia seorsum persequi sanatione,in ea aũt quã autor scripsit sanatione nullo pacto animi intentionẽ ad phrenitidẽ dirigit:sed curare eum magis uelle arbitror affectionẽ quandam ex uentris quidẽ parte aliqua prodeuntẽ, sed caput ita ad cõdolentiã trahentẽ, ut ex uẽtris affectu desipiat. Talia autẽ nõ recte melancholica esse dictũ est. Magis enim ea à flaua ꝓficiscunt̃ bile, cohibita aluo.

42 Quibus itẽ febribus uertigines à principio,& capitis pulsus sunt,& urina tenuis, his ad iudicationes usq́ febris accessionem expectare oportet. quòd si delirent quoq́, nil mirum.

Cum caput circumagi uidet̃, δῖνος,id est uertigo uocat̃ affectio: cum autẽ & tenebricosa simul fuerit uisio, σκοτόδινος,id est tenebricosa uertigo appellitat̃: fit autẽ ob inordinatã spiritus flatuosi motionẽ, qui uel in capite localẽ habet generationẽ uel sursum ex infernis fertur partibus. Omnes autẽ spirituũ huiusmodi generationes turbationẽ indicant.ob quas et cum symptomatis tumultuosis iudicationes fiunt. Scire etenim oportet affectiones huiusmodi medium quodãmodo obtinere tum earum quæ periculo uacant, tum perniciosarum.Conatur siquidẽ caliditas natiua corporis humores tum dissoluere,tum effundere:sed tenuare ipsos & per inuisibilia foramina excernere non potest. Cũ uero perfecte languet, neq́ soluere incipit,atq́ ob id spiritus flatuosus non summe languente natiua caliditate ortum habet. Aegre igitur ualere periculo omni uacat. Natura siquidem morbo superior existit. Verum maxime ægre ualere letale est. Natura enim non parũ à morbo uincitur.Cum autẽ non uincitur, prædicta fiunt symptomata,atq́ posteaq́ languerit,iudicationes absoluuntur,aliæ ad salutẽ,aliæ ad mortẽ.Pulsus autẽ qui in capite fiunt,id est sensibiles arteriarum motiones,caliditatis multę symptomata existunt.Ob quas sæpenumero deliria fiunt. Ad hunc itaq́ modum uniuersim habentibus quæ dicta sunt, cũ ubi quis parum ualere cœperit, ab urinarum quidem tenuitate cruditas morbi iudicetur, caput autẽ flatuoso impletum esse spiritu significent uertigines cũ pulsibus,scire oportet naturã haudquaq́ quie- A scere: sed interdum contentos in corpore prauos humores ita aggredi, ut à bonis eos separet, atque quouis modo excernat,uel ad eã quę minus præcipua sit reijciat partẽ. Prædictus igitur sermo ad antedictorum prænotionẽ præsentionem q́ maxime cõfert. Nempe interdum ab initio mali febres quidẽ moderatæ fiunt,sed symptomata huiusmodi caput infestant propter contentorum in corporis uentre humorum calorẽ atq́ exhalationem.Sanè capitis solius quouis aliter modo habentis caliditatem, balneum iuuabit, ptisanæ q́ cremor pro sorbitione satis erit. Verũ cum spiritus calidus flatuosus q́ ob humorum prauitatẽ ad caput fertur, lauare hos non confert. Tute igitur singula hæc facienda sunt. Distinctio autem affectionum una sola est ex urinarum cruditate & concoctione, quorum autor recte meminit inquiens: Vrina tenuis, quod sæpius cruditatis signum esse est pronunciatum. Quo fit ut nullus sit medicus qui in morbis huiusmodi negligentius urinas contempletur.

B

43 Quibus principio urinæ & nebulosæ & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit. Quòd si urinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis. at si uideatur, clysterẽ exhibebis. Tales enim ita curare conuenit.

Siue ijs quę in antedicta oratione relata sunt hęc cõiungit, siue non, quod ex ipsis utile quis habere cõmune potest, ꝙ scilicet corporis purgationem prorsus uitare oporteat cum in humoribus adest cruditas, id manifestauit inquiens: Vrinæ tenues, tanq́ crassæ coctionis notas habeant, in ipsa adeo substantia, & hoc uerbum νεφελώδεα, id est nebulosæ, urinas significat nebulas habentes. Nempe nigras adiecisset, si nos eas audire uoluisset. Multa siquidem nomina cõmunia citra distinctionẽ dicere cõsueuerunt, cum id quod in significantijs rerum melius est, declarare uoluerint. Sic sanè cũ iudicationes ad salutem fuerint, simpliciter dicunt, iudicatus est. Defuncto uero iudicato non simpliciter efferunt, sed hoc totum iudicatus obijt. Præterea cum quis excretã bilem simpliciter dixerit, pallidã & non nigrã intelligimus. Sic certe, & impræsentiarũ urinas nebulosas audire oportet eas quæ albas habẽt nebulas, quæ coctionis notæ existunt. Quoniã igitur cocta medicat̃, ob id & nunc ita scripsit libri huius autor. Tales autẽ ita curare confert. Nihil aũt de sanguinis missione locutus, ea particulatim enarrat ex ordine omnia, nõ ꝙ interdum ita habentibus, sanguinis missione opus non sit, sed ꝙ nunc sola alia docere uelit. Nempe de sanguinis missione abunde supra est dictum.

C

D

44 Corpus quieti permittere, ungere, & æqualiter contegere oportet, mulsam q́ aquosam bibendam & ptisanæ cremorem uesperi sorbendum dabis. Ventrem ab initio clystere duces: sed medicamẽta purgantia non admouebis. Nempe si uentrẽ mo-

ueris, urina non maturabitur, febrisq; citra tum sudorem tum iudicationem in lõgum protrahetur tempus.

Sermonem quoq; hũc percurrit, scopum in eo habens eam quæ cũ moderata calfactione sit quietem. Cremorem aũt ptisanæ ab initio elargitur, ꝗ mulsa ad uigorem usq; & iudicationem sufficere non possit. Morbus siquidem crudus est, & longe absunt concoctiones. Præterea mulsam quę aquosa sit, adhibet, propterea ꝗ aquam per se & solam nihil boni habere demonstratũ sit. Vesperi autem ptisanam mauult exhiberi quàm mulsam. Nempe cũ antea in legitima libri huius parte didicerimus ptisanam mulsa posterius exhibendam, melius fuisset & nunc ita dicere: Mulsam quidem prius, posteriorem uero ptisanam exhibe. At uero cum uesperi pro posterius dixerit, particulariorem efficit doctrinam & non uniuersaliorem. Cur autem eos purgare haud uelit, in quibus summa inest cruditas, causam recēsuit epilogisticã magis ꝗ analogisticam, quam recensere ad eum spectat, qui quod fit, sola citra Logicam demonstratione experientia nouit. Dogmatici autem uiri erat docere quam ob causam purgantibus nobis ita habẽtes non coquatur urina, febrisq; sine sudore et iudicatiõe perseueret. Perfectius quidem & diligẽtius alibi hæc omnia sumus contemplati: sed impræsentiarum quod pręsenti enarrationi prodesse posit, summatim dicemus. Tu ergo animũ ad me cõuerte. Cum facultates, ut scis, quatuor sint, atq; inter eas non minime ualeat alteratrix, perquam dispensatis ab ea corporibus natura alimentũ adsimilat, coctio hec nuncupatur nutrituræ substantiæ permutatio secundum qualitatem existens. Natura igitur adsumpto in uentrem deuoratoq; alimento, à cæteris quidem motionibus cessare debet, ut soli quod coquendis cibis deputatum sit operi uacet. sed auxilio externo aliquo indiget, si aliquãdo imbecillior reddita fuerit, quo modò & in ea humorũ quę in uenis fit cõcoctione contingit. Quiete quidem indiget sequentem ante caliditatẽ, ꝗ calfactum, frigefactumq;, uel exiccatum, & humectatum sit, singulis horum alio & alio tempore factis. ob id igitur qui hæc scripsit, hominẽ curari uoluit quieti permissum, unctũ, & æqualiter uestimentis obuolutum. Nempe aduersus uim febris humiditatem eam quæ unctionibus cõparatur, remedium esse putauit. præterea & neque ualenter calfacere neq; perfrigerare, sed tepefacere, quibus maxime indigent quæ coquuntur maturanturq;. Quòd si hæc coctioni humorũ conferant, purgationes cõtrariæ existũt. Nempe corpus uehemẽter mouentes frangunt. Tali siquidẽ uirtute prædita sunt omnia quæ purgãt medicamẽta. hæc est ergo causa cur purgatiões coctionibus aduersenẽ. Ad eã aũt quæ sermoni huic continuatur seriem pergamus.

45 Cum iudicatio propè fuerit sorbitionem ne dederis, si perturbetur: sed cum perturbatio desierit, atq; in melius profectum

A sit. Obseruandæ autem febrium omnium iudicationes, sorbitiones que hoc auferendæ tempore.

Mentem Hippocratis etiam hoc in loco seruat qui librum hunc scripsit. In principio quidem mulsam & ptisanę cremorem exhibens, & cum propè est iudicatio cremorem tollens.

46 Consueuerunt febres hæ protrahi & impetuosos humorum de loco ad locum illapsus habere, siquidem infernæ partes frigidæ fuerint, circa aures & collum. Si uero non fuerint frigidæ, alias mutationes habent. Nempe fluit è naribus sanguis & uen-

B tres hi turbantur.

Quibus urina ob humorum cruditatem tenuis est, his iure optimo protrahuntur febres, quæ ante coctionem solui nequeunt. Quòd aũt tales per impetuosos humorum de loco ad locum illapsus iudicentur, sæpius iam est dictum. Rarius autem & per excretionẽ solutiones horum fiunt. Vtrum autẽ in superiore corporis parte uel inferiore abscessus ex his humorum illapsibus generabit, quę hic dicuntur, ijs quæ in prognostico scripta sunt, concordant consentiuntq;.

47 Quibus febres graues & implacidæ sunt, & hypochondria contendunt, iacentesq; ægri sese continere non possunt, atq;

C extrema frigescunt, absolutissima tum diligentia tum custodia indigent: eosq; ita degere oportet ut nihil præter oxymeli aquosum tangãt, sorbitionẽ aũt nõ dabis donec sese malum remiserit, & urinæ maturentur.

ἀσώδεας febres appellat in quibus ægri ἀσῶνται, id est grauiter afficiuntur, atq; implacide molesteq; habent: difficilis autem tolerantia atq; implaciditas inquietatióque sequitur interdum febrem immobilem & æstuosam, sæpius quoque & stomachi malitiam. Os autem uentriculi ita me dicentem audi. Incepit ergo à febribus ipsis, ἀσώδεας, id est graues & implacidas inquiens, & hypochondria contendentes, deinde ad febrientes per-

D transiit. Nam quòd iacentes sese cõtinere nõ possint, de febrientibus est dictum, ueluti & quòd extrema refrigerantur. Iacentes autem sese non continere, grauiter languentium, atque difficulter ferentium, implacidorumq; & inquietorum nota est. Extrema autem frigere, magnæ uiscerum phlegmones, quæ ex crassis succis orta sit, ut antea demonstrauimus, cum de secunda causi specie ageremus. Quòd si uehemens frigus fuerit, quòd uirtus ualde imbecilla sit, iam tibi coniectura est. Non immerito igitur ita languentes plurima, tum custodia, tum diligentia indigere ait. Porrigit autem & ipsis non absque causa oxymeli, utpote crassos glutinososq; propter humores fatigatis. Adiecit autem sermoni aquosum tanquam contrarium illi, quod his exhiberi solet, in quo-

rum pulmonibus tales cõtinentur humores. Nam acrius longe illis esse conuenit, quòd propter longam in distributione ad affectam partem delationem de necessitate soluatur uirtus, his uero tale hypochondrio incursat quale epotum est. Nullo autem pacto sorbitionem ita habentibus dare prius quàm morbus ad maturitatem deductus fuerit, indistincte est pronunciatum, seruantibus nobis quod edocuit Hippocrates. Adijciendum sermoni, si æger suffecerit. quod ut patet forte prætermisit.

48 Iacere autem in conclaui obscuro debent, & lecto ualde molli, diuq; positũ eum sustinere, & quamminime sese proijcere & iactare. Nempe id tales maxime iuuat.

Nunc decubitum obscura in domo non tanquam maturatorium auxilium, sed tanquam difficilis tolerantiæ inquietationisq; quæ ob ἄσην, id est molestiam angoremq; fit correctorium uoluit. Gratia cuius & lecti mollis meminit. Tentare autem seipsum non proijcere sed conquiescere, laboranti modo utroque commodat, tanquam & morbi totius concoctionem iuuans, & uirtutem ipsam conseruans.

49 Hypochondrium autem lini semine illines, cauebisq; ne cum apponitur, æger horrescat: sit autem summe tepidum ex aqua & oleo coctum.

Mollit lini semen, idq; habet ut non manifeste calfaciat, quæ maxime expostulat phlegmone omnis. Et sanè tactu tale ipsum præparat, quale & secundum uirtutem est, perquam tepidum ipsum adhibere præcipiens. Cæterum aquæ & olei mistura tepidam generat caliditatem, mollitq; & mitigat: utpote moderatam habens facultatem. Cuius potissimum esse debent ut demonstrauimus quæ & maturant & per halitum digerunt.

50 Coniectura autem colligere oportet ex urinis quidnam futurum sit. Nempe crassiores pallidioresq;, meliores, tenuiores uero & nigriores, perniciosæ magis.

Non quicquid futurum ex urinis docet, sed uel salutem uel mortem. Salutem indicant crassiores & pallidiores. Crassiores autem dixit tenuibus & non naturalibus comparans, ut & paulo ante intelligere uoluit. Neque enim crassas neque tenues quæ secundum naturam habent dixeris, si recte uolueris interpretari. Porrò tenues & nigræ, deterrimæ sunt. A tenuibus siquidem solis, morbi cruditas indicatur. Nam quod exacte tenue est, id aquosum est, quapropter & album. Sed prænotiones ex urinis, in commentarijs Prognostici dictæ sunt.

51 Si autem mutationes habent, tempus indicant, morbus'que de necessitate modo ad peius, modo ad melius permutat inæqualitatem.

A Nempe si id & in laborantibus obseruaueris, uere hominem ex urinarum uarietate in longius decidere tempus reperies, atq; medias incurrere permutationes. Plures namq; significantur affectiones quæ non eadem egent curatione, neq; æqualem habent solutionis præfinitionem.

52 Inconstantes febres donec constent sinere oportet: ubi autem constiterunt, uictu & curatione conuenienti occurres, q̊d naturale est contemplatus.

Febres inconstantes dixit in quibus nihil καθεστηκὸς, id est constans quietumq; existit. quod significat τὸ βέβαιον, id est, certum compertumq;. Sunt autem certa quæ in periodis & urinis apparent. In B superq; in exactis febrium speciebus. Sed periodi omnino non apparent primis diebus: urinæ uero superueniunt alias aliæ, & sæpenumero ter quaterq; interdiu & noctu meiere contingit. Dissimilesq; inter se apparent urinæ. Formam ergo talis febris inconstantem esse ait, quod idem est perinde atq; diceres non exacte formam unam seruantem. Exposui tibi exactas febrium formas & in commentarijs De febrium differentijs & in secundo Iudicationum libro. In huiusmodi itaq; febribus non in principio uictu uti præcipit: sed sinere donec qualis nam sit febris cognoscamus, & tunc uictus formam præfinire.

53 Sunt autem facies ægrotantiũ multæ.

ὄψιας, id est facies dixit, quasi differentias uel C modos uel species. Aegrotãtium uero, pro ijs qui ægrotantibus fiunt morbis. Nempe sæpius est demonstratum eam esse antiquis omnibus consuetudinem ut à pathematis ad patientes, & à patientibus ad pathemata transferant appellationes: quare si febrium uel febrientium differentias dicere nihil referat. Sic & pleuriticorum uel angina laborantium, aut pleuritidis uel anginæ. Facies ergo dixit laborantium, quoniam eos oculis cõtemplantes reperimus differentias.

54 Quo fit ut animaduertere debeat medicus, ne quampiam manifestarum causarum ignoret.

D Quòd manifestas causas Græce προφάσεις appellet, didicimus, & sanè nunc eam de his appellationem ferre constat. Infert igitur.

55 Neque eas quæ ad ratiocinationem spectant, neq; quæ in numerum parem uel imparem apparere oportet.

Quasi causarum alias quidem manifestas absq; ratione artificiosa cognoscant omnes, alias uero soli qui ratione artificiosa utuntur. His quoq; & attendendum ait quas in numerum parem uel imparem apparere oportet.

56 Maxime uero numerus impar est obseruandus. Nempe hi dies in hanc uel illam declinantes partem reddunt.

Dies impares multa pollere uirtute non simpli

A citer, ſed in acutis morbis eſt intelligẽdum. quòd inſignes in utranq; tum ſalutem tum mortem mutationes efficiant, id enim ſignificat uocabulum quod Græce ἑτεροῤῥοπίας, id eſt huc & illuc declinantes dixit. In acutis quidem hi ſunt, tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, decimusquartus & decimusſeptimus. In longis, ſexageſimus, & octogeſimus. Medij horum ſunt uigeſimus, trigeſimusquartus, & quadrageſimus. Impares autem & hi ſunt.

57 Obſeruare autem oportet primum diem quo æger parum ualere cœpit, principiumq; unde & quando inſpicere, exiſtimatur ſiquidem id ſcitum præcipuũ. Cum autem ægrum interrogaueris, atq; omnia B fueris perſcrutatus, in primis quidem quonam habet caput modo, ſi dolore careat, nihilq; graue in ſe habeat, deinde ſi hypochõdria latusq; dolore infeſtentur, ſi uidelicet hypochondrium laboret, uel attollatur uel obliquitatem habeat uel ſatietatem, aut latus doleat, ſimulq; cũ dolore tuſsicula fuerit, uel tormina dolor'ue uentris: cum inquam horum quippiam hypochondrio aderit, potiſsimum uentrem clyſmis ſoluere oportet, bibat autem mulſam calidam coctam'que. Ad hæc perdiſcendum ſi cum exurgit, defectu animæ corripiatur, & ſi facile C ſpiret. Inſpiciendum quoq; utrum'ne deiectio nigra admodum colore fuerit, uel ſyncera qualis ſanorum exiſtit, & ſi febris exacerbet die. Nempe in huiuſmodi morbis, tertianæ conſiderandæ ſunt exacerbationes, cõſpicienda præterea & alia, & ſi quarta dies tertiæ quippiã ſimile attulerit. Nam tunc æger in periculo eſt. Quantum autem ad ſigna attinet, nigra deiectio mortem indicat. Quæ uero ſanę ſimilis, cum omni die apparuerit, ſalutem.

Obſeruandam in primis ait primam eſſe diem, D in qua morbi cauſam cognoſci iubet. Nempe hæc oratio ἐξ ὅτου καὶ ὅτε, id eſt unde & quando quiſnam ſit morbus indicat. Interrogari autem præcipit in primis quidem quonam modo habet caput, mox hypochondria, deinde latus: hypochondria quidem ſi dolor quiſpiam afficiat, uel attollantur, uel quandam habent σκολιότητα, id eſt ἀνωμαλίαν id eſt obliquitatem ſiue inæqualitatem, quod in Prognoſtico hac dictum eſt oratione. Si inæqualiter affecta ſunt dextra ac ſiniſtra parte. Vel ſi κόρον habent, inquit, quod ciborum repletionem eſſe arbitror. Interrogari quoque & alia quæ in dictione habentur iubet. Deinde hypochondrijs ita affectis ſoluere aluum clyſteribus præcipit, mulſamq; bibere calidam & coctam. Sed indiſtincte hæc locutus deinceps ſcribit. Ad hæc perdiſcendum ſi cum exurgit, defectu animi corripiatur; & ſi, inquit, facile ſpiret, quod defectu animi correpto opponitur. Conſpiciendam præterea iubet deiectionem utrum ne nigra ſit, uel ſyncera & inculpata, qualis in ſanis eſſe uidetur: ueluti & ſi febris tertio exacerbet die. Et ſi his ita habentibus quarta dies tertiæ quippiam ſimile in acceſsione attulerit, periculoſam eam eſſe aſſeuerans. Nempe quartam diem quæ ſeptimæ index eſt, rem nouam edere ex grauibus eſt notis. Rei autem nouæ editio deſignatioq; patet omnibus. Nam ſi prima die & tertia fiat acceſsio, & ſecunda facta haudquaquam fuerit, quòd quinta acceſsionem habitura ſit par eſt, & non quarta, quapropter ſi quarta habuerit, mali cuiuſpiam alterius generationẽ demonſtrat. Si autem & nigra deiecerit, mortem indicat fore. Tu autem multa ex dictis prætermittens, memoriam rei huius habe. Nam ſi prima & tertia die proportionalem attulerit acceſsionem febris, atq; nouiter quidem quarta paroxyſmum fecerit, ſed æger nigra deiecerit: ſignum eſt letiferum. Quòd ſi diebus omnibus ſanis ſimilia deiecerit: ſalutem ægro ſpera.

58 Cum autem uenter glandi non obedierit, ſpiritusq; tum placidus, tum quietus fuerit, ſurgensq; æger in ſedem, uel dum in lecto eſt animæ defectu corripiatur: ſi hæc uel mari uel fœminæ inter initia fuerint, delirium fore expecta.

Confuſa eſt dictionis huius intelligentia. Nempe ubi glans nihil profecerit, uideturq; æger placidus quietusq; eſſe, ſi utiq; & cum exurgit defectu animæ corripitur, delirium expectandum, perperàm dictum eſſe mihi uidetur, cum rei huic neque experientia neq; ratio patrocinentur, quanquam tale quippiam aliquando fiat. Prænotiones tamen non eorum ſunt quæ raro accidũt, ſed eorum quæ ſemper uel magna ex parte.

59 Manus quoque contemplari oportet. Nam ſi tremulæ fuerint, huic ſanguis è naribus profluet.

Sermo quoque hic neq; quod perpetuum eſt, neque quod magna ex parte fit, ſed quod raro accidit docet.

60 Nares quoq; inſpiciendæ. Nam ſi per utranq; ſpiritus æqualiter trahatur, & ſi multus ex ipſis feratur, cõuulſio fieri conſueuit: quæ ſi fiat, propinqua mors eſt, quã prædicere pulchrum fuerit.

Cum tremunt manus, nempè ita dicere expedit, ſi ſpiritus multus per utranq; narem feratur, conuulſionem ſuperuenire ait. Conſueuit autem ita appellare conuulſificam affectionem, quæ in muſculis naris pinnas mouentibus fit.

61 Si in febre hyemali lingua aſpera red-

ditur

ditur, prehendantque animæ defectiones, huic tametsi febris remitti consueuit, in eo tamen qui per famem fit cruciatu, conseruare ægrum oportet, & aquæ, mulsæque potione & ptisanæ cremore, neque febris quieti est fidendum. Nempe qui signa huiusmodi habent, his mortis periculum impendet. Ergo cum hæc noueris, optiméque contemplatus fueris: ita prædicere pulchrum fuerit.

Sunt qui febrem hyemalem simpliciter intelligant eam quæ in hyeme fit, alij eam quæ hyemi natura peculiaris sit. Ea autem ex pituita est, ueluti æstiua ex ipsa bile. Si ergo inquit in huiusmodi febre lingua aspera fuerit, atque animæ defectus, eam periculosam esse est fatendum, atque ob eam rem febrium quieti fidendum non est, si cum prauis fiant tum symptomatis tum signis, ueluti in præsentiarum cum animæ defectu & linguæ asperitate. Nō negligenter itaque ait regendos ægros, aquámque & mulsam & ptisanæ cremorem exhibēdum. Sed sanè hæc pugnare uidentur aduersus id quod fame cruciandos dixerit. Nam huiusmodi cruciatus qui Græce λιμοκτονία dicitur, maxime quidem abstinentiam omnimodam significat: aut si non, saltem eam quæ in potibus solis fit uictus rationem. Sic sanè & mulsam & ptisanæ cremorem dare permisit. Videtur ergo eos ob id fame cruciandos dicere, quòd qui remissiones huiusmodi quietissimas habent, longo ita tempore in his morentur, protrahantque, ut falsi circumuentique nonnulli ualidiorem ministrauerint alimoniam, & potissimum ob animæ defectionem. Quo fit ut ad uictum hunc is qui per mulsam atque ptisanæ cremorem multis fit diebus recte dictus sit ex fame cruciatus, uel inedia.

62 Cum autem in febribus quinta die terrificum quippiam fuerit, uel uenter repente liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, uel uocis priuatio, uel conuellatur æger, uel singultiat, ex his angi grauiter'que affici consueuit, sudores'que circa tum mustacem, tum faciem, tum ceruicem ab occipitio esse consueuerunt. Qui autem hæc patiuntur spirituosi paulopost morientur.

Ex ijs quæ per obseruationem empirice à medicis scripta sunt, quædam talia existunt, id est ex semel aut bis conspectis modi uniuersalis adnotationem habent, tanquam sæpenumero in eisdem & similiter considerari possint. Tale autem quiddā & id est quod nūc dicitur. Nempe contēplatus ægrum quendam liquida quædam deiecisse, atque animæ defectu prehensum, uocéque priuatum, alium uero conuulsum, & postea uel ambos uel alterum ἀσώδη, id est anxietate plenum grauiterque af-

A fectum, partésque, tum faciei, tum colli sudantes, deinde obijsse, hæc scripsit quòd signorum Empiricorum cōcursum existimaret. Sed sanè hæc possunt & stomachicam prægredi syncopen, fierique ualent & propter copiam oppressa uirtute, uel ea ipsa alio languente modo. Vnumquodque siquidem eorum quæ dicta sunt, per se malum est, nedum si omnia concurrunt. Nempe ex repentinis deiectionibus deficere animam periculosum est, ueluti & uoce priuari, & angore plenum esse, partibus uero tum faciei, tum capitis duntaxat sudare non bonum. Quo igitur modo hæc tum multa tum mala existunt, sic & alia quæ in Prognostico scripta sunt. Potestque quispiam hæc inter se connectens uideri nouum quippiam docere. Quòd si &
B dictionem obscuram ambiguamque ueluti ęnigma sermoni miscuerit, iam plebeijs & ex ea sapientior esse uidebitur. Admirantur siquidem plebeij quæ non intelligunt. Viro autem qui superuenientia symptomata ab eorum quæ morbum indicant concursu distinguere nouit, sermo is uarius quidem deprehendetur, sed inutilis. Nempe pathognomonica syndrome (ita enim Græci symptomatum ęgritudinem indicantium concursum uocant) morbi speciem demonstrat. Superuenientia uero symptomata mansuetudinē ipsius & malitiam, eumque qui singulorum horum symptomatum uires didicit, quæ apparent, tum æstimare, tum inter se comparare oportet. Et siquidem tum fortiora, tum plura uidentur quàm bona mala, ho-
C minem in periculo esse est sciendum. Verum si bona malis & fortiora & plura fuerint, de ægro bene sperandum. Quod te facere iubet & ipse Hippocrates. Nempe in Prognostico singulorum, tum symptomatum, tum signorum uires particulatim docuit, atque circa libri finem ita ait: Oportet autem eum qui recte sit, tum conualituros, tum morituros prædicturus, præterea & in quibus ægritudo pluribus diebus, & in quibus, paucioribus permansura sit, signa omnia perdiscere, atque æstimatis eorum inter se uiribus, ut scriptum est, ferre sententiam. Signorum autem uires æstimari pręcipit, atque ex ipsis prenoscere quidnam futurum sit. Vbi ergo bona malis permista fuerint, uiribus quodam modo paria æquaque, exercitato est opus ui-
D ro qui in operibus ea sæpenumero fuerit contemplatus. Vbi uero omnia uel mala, ut nunc, fuerint, uel bona, cuiuis patet quid futurum sit. Cum enim deijciente aluo deficere animam signum per se malum sit, pari modo & malum uocis priuatio, si præterea æger neruorum distentione conflictetur, uel singultiat, uel anxietate refertus sit, manifestius indicabit periculum. Si præter hæc & aliud quodpiam malum superuenerit signum, ut circa faciem ceruicemque sudores, atque adhuc quæ nunc à scriptore huius libri dicūtur, nullo quod bonum sit malis permisto signo, quòd talis de necessitate ex signorum malorum aceruatione morietur, notum euadit. Adiectū autem in fine dictionis πνευματωθέντες, id est spirituosi facti, tanquā ænigma,

ceu

ceu quippiam eorum quę de necessitate fore non reclamant, quicquid significet, siue spirituum copiam quibus uenter inflari possit, siue magnam et frequentem respirationem, quam sane his quas comitatur affectionibus haudquaquam bonam esse didicimus, ueluti & eam quæ uentris est. Quapropter uestiganda alia signa non sunt, his de necessitate antegredientibus. Ex his enim, & non ueluti ex nõnullis quæ casu eueniunt, futurorum secura quædam fit prænotio.

63 Quibus per febres crura tuberculis afficiuntur, ea'que tractu temporis manente etiamnum febre non maturuerint, faucibusq; haudquaquam tumentibus irrepserit suffocatio, non maturuerint inquã sed extincta sint, ijs sanguis è naribus fluere consueuit, qui si multus fluxerit, morbi solutionem portendit: si non multus, morbi prolixitatem. Quare quo minus fluxerit, eo deterius & prolixius erit malum. quòd si & alia facilia fuerint, pedum dolores sunt expectãdi, qui si pedem affecerint, & dolorosus perseueret, inflammeturq; & non leuetur, dolores post paulo ad ceruicem peruenient, clauiculam'que, et pectus, & articulum. Nempe & hic tuberculosus fieri debet. Quibus extinctis, si manus uel contrahantur, uel tremulæ fiant, talem neruorum distentio comprehendit, & desipientia, supercilijs oriuntur quæ φλυζάκια uocant, rubores'que ægrum habent, & ex palpebris altera ad alteram germinat: dura prehendit phlegmone, tumet uehementer oculus, & delirium ualde crescit, intenditur'que, atque noctu magis quàm interdiu indicatur. Signorum autem multa fiunt in numero impari magis quàm pari. Vtro tamen horum fiant, perniciosa superueniunt.

Qui librum hunc confecit, is hæc omnia quæ dicta sunt, deinceps inter se contemplatus uniuersalem quendam particulari ex obseruatione sermonem temere fecisse mihi uidetur. Melius siquidem erat, si quo Hippocrates modo in epidemijs morbis scribere consueuit, is ita fecisset, præfatus quidem ab initio patientis nomen deinde dies in quibus singula facta sint, narratione assecutus, ut & in ipsis quæ nunc dicta sunt symptomatis facere potuit. Nempe in cuiuspiam cruribus orta sint tubercula, eaq; non recipiant maturitatem, febriat quoque is, & suffocationem incurrens ab his liber sit tuberculis, existimabit profecto quis sursum factam humorũ qui crus infestabant transmutationem, quæ in horum transitu suffocationem homini peperit. Si ergo talis euasurus est, profluere per nares sanguis poterit. qui si multus fuerit, morbum soluit: si non, protrahetur ægritudo. Et si reliqua bene fiant, succedantq;, rursum ad pedes decũbere huic dolor poterit. Quod ita factum esse statuatur, ueluti ex his hominem πυριφλεγῆ factum esse, quod caliditatem multam circa pedem manifestare consueuit, uel febrem multam igneamq; & flagrantem. Et si post hæc non soluta fuerint symptomata, reuersa iterum ad superiores partes humorum copia dolores pariet in collo, clauicula, humero, & pectore. Vt autem huic omnia hæc absque ratione contigerunt (nempe id extincta esse fuit) ita manus tremulas factas esse statuatur: deinde neruorum distentionem quòd ad neruosas partes decubuerit humorum copia, principiumq; ipsorum prehenderit, unde desipientia, subsecutam esse. Contemplatus igitur autor quendã ex ijs qui ita affecti sunt, φλυκταίνας, id est pustulas in supercilijs habentem (nempe id significant φλυζάκια) omnibus ita habentibus futurum symptoma hoc temere pronunciauit. Idemq; de ijs quæ continuata serie scripta sunt, sermo existit. Nempe quod uni ita affectorum uel duobus factum est, id ad omnes extendens, ait & ipsos rubores habere, & ex palpebris alteram ad alteram germinare, duram quoq; fieri phlegmonem, & uehementer tumere oculos. Quorum cætera quidem cuiuis patent, sed ex palpebris alteram ad alteram germinare est ambiguum, utrum ne significare uoluerit, quandam ex parte earum exurgentem consertionem, uel carnosam quandam generationem, ab altera quidem enascentem, sed ad alteram sese extendentẽ. At uero si rei huius quo pacto inuẽtio quippiam utilitatis afferret, de ea amplior fusiorq; mihi facta esset scrutatio.

64 Hos si ab initio purgare uolueris id ante diem quintum facito, ubi uenter murmurauerit: si non, à medicamentis abstineto. Verum si murmurauerit, fuerintq; excrementa biliosa, scammonia mediocriter purgato. quantum uero ad aliam pertinet sanationem, quamminime exhibebis tum potus tum sorbitiones, ut melius æger habeat, nisi remissione facta decimamquartam fuerit egressus.

Sanationem prædictæ concursionis scribit, quam nominatim perstringere mihi, ut dixi, non placet, cum etiam & sanatio nihil commune habeat præter ea quæ sæpius ante sunt enarrata. Ait siquidem considerandam aluum, quam per murmurationes cognitam, purgandam esse præcipit. & si biliosa deorsum repant, scammoniam biliosa expurgãtem exhibet. Quod uero ad reliquum sanationis attinet, sorbitiones ualdè exiguas ministrari præcipit, quousque remissione facta decimumquartum pertransierint diem, qua oratione

morbum

morbum ante decimumquartum diem coqui nō poſſe ſignificatur.

65 Cum febricitanti decimoquarto die uox intercepta fuerit, tantum abeſt ut morbus celeriter tum ſolui, tum diſcedere conſueuerit, ut etiã diuturnitas ipſi indicetur. Cum ergo in eo die apparuerit uocis interceptio, morbus protrahitur.

Dictio hæc his ſuperfluit qui mala ſymptomata maiori prædita eſſe facultate didicerunt, cum in diebus iudicatorijs apparent. Nempe qui librū hunc ſcripſit, nunc in re una quæ decimoquarto diei eſt particularis, hoc eſt uſus uniuerſali. Nempe ut diebus cæteris iudicatorijs, ſic & decimaquarta ſi malum aliquod ſymptoma apparuerit, id maiorem habet efficaciam. Adnotare autem oportet quod futurum eſt, neq; ſimpliciter, neque ut res tulerit, ſed cum diſtinctione. Nam ſi ex ſignis bonis quæ maiorem habent efficaciam, laboranti adfuerint, longiori tempore ſaluari æger poterit. At ſi nullum tale fuerit, morietur, nequeunte morbi concoctioni ſatisfacere uirtute. Qui igitur hæc ſcripſit, prolixiorem omnino fore morbum male pronunciauit. Nempe & is cito mori poteſt cui uox decimoquarto die interrupta eſt, ſi cum ſæuis alijs notis factum fuerit hoc ſymptoma.

66 Cum febrientis lingua quarto die turbata quædam loquitur, uenterq; liquida biliosa deijcit, talis delirare conſueuit. Sed obſeruare & aſſequi euentus oportet.

Id quoq; & in alio quodam die apparet, uerum ſi quarto apparuerit in primis periculoſiorem ſeptimum fore demonſtrat. id eſt quæ illo die futura ſunt.

67 In acutis morbis quæ æſtate & autumno fit, repentina ſanguinis diſtillatio, robur, multamq; in uenis inflammationem ſignificat. Itemq; quòd poſtero die urina tenuis apparebit. Et ſi æger ætate floruerit, fuerit'que corpore ob exercitationes bene carnoſo uel melancholico, uel ex potatione manus tremulæ fuerint, delirium uel cōuulſionem prædicere bene eſt.

Dictio quoque hæc ſymptomatum multorum quæ non in ægro omni coeunt conueniuntq;, implicationem permiſtionemq; habet. quo fit ut & inutilia ſint, quę ad hunc ſcribuntur modum, cum doctrina ab uniuerſalibus recipiat commoditatem, quo Hippocrates modo facere conſueuit. Dictum autem eſt uniuerſalium quædam perpetuam quandam habere uirtutem uſumq;, alia uero ut plurimū. Quòd ſi anceps quippiam uel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile cenſetur. Quæ igitur recenſuit, particulatim contemplemur, atque ante omnia quod primo eſt dictum. In acutis mor-

A bis, quæ æſtate & autumno fit repentina ſanguinis diſtillatio, robur, & multam in uenis inflammationem indicat. Melius ſiquidem erat quòd robur uenas curatione egere indicaret pronūciare. Nouimus enim quòd ſanguinis è naribus ſtillationes malum ſemper quippiam eſſe ait, propterea quòd natura quidem cōcupiat quod ſuperfluum eſt excernere, ſed ob propriam imbecillitatem nequeat, uel ſanguinis craſsiciem, uel partium denſitatem, uel quædam ex his, uel propter omnium concurſum. Cum autem malum ſemper hoc ſignum ſit, magisq; quòd primis tum æſtatis, tum autumni temporibus uirtutem ipſius intendi contingit, (nempe in eis diebus flaua redundat bilis, ambiensq; nos aer calidus eſt: quo fit ut ſanguinē

B utranq; ob cauſam, bene fluentem eſſe oporteat) magnitudo quędā cauſæ indicatur propter quam fluere inhibetur, quam robur eſſe ait, forte denſitatem ita appellans. Quòd porrò ita affecti uenarum curatione egeant, nondum oſtendit, prius quàm aſtruat quam nam dicat curationem, nec tamen dixit. Prædictionem præterea primam dixit, quòd ſcilicet poſtero die urina tenuis apparebit, non ſolo eo die de neceſsitate crudis apparentibus, uerum quoque & alijs præcedentibus. Conuulſionem quoque & deſipientiam fore ait, ſi laborans ætate floruerit. Præterea & exercitati, & bonę ipſius carnoſitatis meminit, & temperamenti. Nempe melancholicus, nomen eſt temperamenti. huc adde quòd ex potatione eum manus

C habere tremulas ait: hæc ſanè ſymptomata poſſunt inter ſe complicari permiſcerique, non tamen de neceſsitate, quibus magna ex parte ſuccedent deſipientia & conuulſio.

68 Etſi paribus quidem diebus ſuperuenerint, melius: in iudicatione autem perniciosum, niſi multus abunde effuſus ſanguis uiam redundantiæ fecerit, uel per nares, uel per ſedem, uel per abſceſſus, uel ad hypochondriorum dolores, uel ad teſtes, uel ad crura. Coctis autem his, uiæ patent ſputis, urinæq; excernuntur craſſæ, læues, & albæ.

D Gemina eſt ſcriptio in hoc uerbo ἐπιγίνεσθαι, id eſt ſuperuenire, una quidem ſcripta per τ elementum tertia ſyllaba, altera per γ. Verū ſiue per priorem ſcriptionē ægros diebus paribus ἐπιτείνεσθαι, id eſt intendi dixerit, ſiue ſecundum poſteriorem prædicta ſymptomata diebus paribus, ἐπιγίνεσθαι, id eſt ſuperuenire affirmauerit, non continuo exiſtit & melius. quanq; id dixit: Neq; enim ſi pares fuerint intueri oportet, ſed ſi & iudicatorij. Nempe quartam quæ par eſt, & ipſe ex ordine paulo ante maximam habere facultatem aſſeruit. Cæterum quod deinceps dicitur, uerum exiſtit. Nam ſi ſanguis multus, quouis modo id fiat, excretus fuerit ſalutis ſpem habet. Præterea & per abſceſſum ipſos & per commutationem ſeruari ait: abſceſſum

ſceſſum quidẽ ferè ſua peculiari appellatione declarans. Sed cõmutationẽ cũ ait ad hypochondriorum dolores, uel ad teſtes, uel ad crura. Differũt aũt inter ſe. ἀπόστασις, id eſt abſceſſus iudicationẽ infert, ægrumq; à moleſtijs omnibus liberat. μετάστασις aũt, id eſt cõmutatio aliarum habet principiũm acceſſionum offenſionumq;, ut & aliud exigat tempus ad coctionem mali corporis locus, ad quem infeſtantium humorũ facta ſit cõmutatio. Eam ob cauſam adiecit, Coctis aũt his permeationes fiunt ſputis, uel craſſis urinis leuibus & albis. ſignã coctę cõmutationis edocens ex coctis, tum ſputis tum urinis.

69 Febri ſingultuoſæ laſerpitij ſuccũ, oxymeli, daucum tritum propina, galbanũq; ex melle & cyminum in eclegmate, ſorbendumq; ptiſanæ cremorem dato. Talis autem euadere non poteſt, niſi ſudores ſuper uenerint iudicatorij, & ſomni æquales, urinæq; exierint craſſæ & acres, aut in abſceſſum confirmetur morbus.

λύγγας & λύγγους, id eſt ſingultus appellare conſueuerunt. Sunt autem motiones quædam ſtomachi conuulſificæ, quas quidem fieri aiunt propter immoderatam, uel inanitionem, uel repletionem. Quæ ſi propter inanitionem fiant, ferè ſanationem non recipiunt: ſi uero ob repletionem fuerint, ab iis quæ infarcta ſecant abſterguntq; ſananť medicamentis. Quo è numero ſunt quæ hoc in loco ſcripta ſunt. Videtur autem & nunc morſus is fieri propter acrimoniam ſtomachum mordentem, ut cum quiſpiam piperis plus uel ſimile quippiam deuorarit. Et ſanè fuerunt ex febrientibus qui in ſingultu rodentem acerrimumq; uomuerunt humorem. à quo tandem ſymptomate ſunt liberati: uerum febris huiuſmodi nequaquam ſingultuoſa appellatur. Nempe ut ſingultuoſa uocitetur, permanere amplius debet ſingultus, uel etiam per totum morbum ſimul cum febre exacerbare. febrem hanc per ſudores iudicatorios, ſomnosq; æquales, uacuatasq; urinas, tum craſſas, tũ acres ſanari ait, talibus quidem uel excretis, uel in abſceſſum confirmatis.

70 Coccalus, id eſt nux pinea & myrrha in ecclegmate exhibeantur, bibantq; oxymelitis per quam exiguum.

Scriptum quoq; & inordinate hoc eſt. Commodius ſiquidẽ feciſſet, ſi paulo ante in ea orationis parte qua eos ſanauit quibus tum thorax, tũ pulmo per ſputa expurgari debent, id ſcripſiſſet, & non febri ſingultuoſæ adieciſſet. Et ſanè quod dicitur obſcurum eſt & claritate deſtitutũ. Nempe κόκκαλος ab ipſo dictus, non ita ſed κῶνος magis ab antiquis Græcis appellitatur, ueluti à recentioribus medicis propemodum omnibus στρόβιλος. Conſueuit autem ex eo eclegma cõficere ubi maxime pinguis fuerit, id eſt ubi multã circũfuſam habuerit quæ peculiaris ſit reſinam. Coquunt autem fructum hunc in aqua cum praſsio recenti, mox decocto mellis exiguũ miſcent, coquuntq; iterum donec mellis accipiat craſsitudinem. quo ad hunc modum confecto medicamenta utimur ad thoracis pulmonisq; expuitiones. Quo autem modo & alia quædam medicamento huic ſæpius immittunt, ita & authorem libri huius myrrham immittere uerisimile eſt, quod poſtea uelut compendio manifeſtauit inquiens: Coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur. Poteſt autem & ipſos qui eduntur κώνους cum myrrha exhibere, atq; huic fortaſſe mel non perperam medicamento miſceri intellexerimus. Sunt qui dictionem hanc ab ante ſcripta ſeparant, ſeorſumq; ſcribunt. alij finem ante ſcriptæ principium huius efficiunt hoc pacto, Si autem abſceſſus confirmentur, coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur, ut morbis in abſceſſum confirmatis ea medicamentum eſſe intelligamus, quod à ratione alienũ cenſeo propter id quod ita infertur. Bibantq; oxymelitis perquam exiguum. Nempe in ſingultuoſa febre formidandum acetum præcipit ratio. In his uero quæ in abſceſſum cõfirmantur nequaquam. Eam ob cauſam ſunt qui dictionem hanc quadantenus quidem antea ſcriptæ cõiungant copulẽtq;. ſed quadantenus ſeparant. atque adiecta coniunctione autem, ita ſcribunt: Si autem in abſceſſum firmetur morbus, tanq; de ſingultuoſa antedicta febre id dictum ſit. uolente autore ſi in abſceſſum aliquãdo firmari cõtigerit ſingultuoſam febrem, coccalum cũ myrrha exhibere, & copioſam oxymelitis uitare potionem. Syllaba autẽ ultima uerbi huius στηρίζη, id eſt firmetur, ſiue per ζ literã ſcribatur, ſiue per ξ, nullam quæ in ſignis ſit facit ſermonis mutationem.

71 Quòd ſi ſupra modũ ſiticuloſi fuerint, bibant aquam hordei.

Quòd potum hunc tanquam ſitim adimentem exhibeat, eſt manifeſtũ. Sed melius feciſſet ſi prius quonam pacto parare hordeum oporteat enunciaſſet. utrum'ne ſimpliciter madefacere, uel ex eo zythum ut huius temporis homines, conficere, uel quouis alio parare modo.

72 In peripneumonijs & pleuritide ita conſiderare oportet, ſi febris acuta fuerit, ſi dolores lateris uel alterum, uel utrunq; infeſtent, & ſi æger in ea quæ ſurſum fit ſpiritus latione laboret, tuſſesq; adſint, et ſputa educantur, rufa uel liuida, uel & tenuia & ſpumoſa, & florida, & ſi quippiam aliud diſcrepans habeat ab his quæ illis fieri ſolent. Hunc ſic degere oportet.

Pleuritidis peripneumoniæq; tum magna, tum effatu digna quidem omĩa in legitima libri huius parte ſunt definita diſtinctaq;: ſed quæ medicis omnibus patent, ea ſunt prætermiſſa. Talia autem ſunt quæ in præſentiarum ab authore ſcribuntur. Et primum quidem à ueteribus Empiricis appel-

lata syndrome, quam ueteres affectibus considen tia symptomata appellabãt. si uidelicet febris acuta, dolorq; lateris uel alterius uel utriusq;, & potissimũ qui in expiratiõe fit. Nẽpe id est, Et si æger in ea quæ sursum fit spiritus latione laboret. tusses adsint, & sputa educanť, rufa & liuida, & tenuia, & spumosa, & florida, & quouis aliter modo præter solitum euariantia. Nempe hoc significat inquiẽs: Et si quippiam aliud discrepans habeat: præter ea omnia quæ in pleuriticis ac peripneumonicis apparere solent, ea quæ his contingunt, dicit. Hunc sic degere oportet.

73 Si dolor sursum penetrauerit, uel clauiculam, uel mammam, uel brachium, uenam brachij internam secare oportet qua dolor afficit parte.

Rursus & in præsenti loco partis legitimæ sentẽtiã elaborat. quoniã in ea prætermissum est, qđ simul cũ dictis intelligiť, adijcitq; illud uenam scilicet secandã recto à latere dolẽte tramite: qđ exposuit inquiẽs, Venã brachij internã secare oportet qua dolor afficit parte. sed manifesta usus breuitate, orationẽ negligentius percurrit. Nam uenã cubiti dicere debuit cũ uenam brachij dixit.

74 Sanguineq; auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore. ampliusq; non ueritus si dolor acutus fuerit, ad animi usq; defectionem detrahet.

Rursus hoc in loco plus q̃ mediocriter scopos detractionis sanguinis omnes recensere conatus, quosdã silentio præterijt. Neq; enim uirtutis meminit, neq; sanguinis mutationis, nec uero regionis, nec cõstitutionis aeris. Plus aũt auferre atq; ad animi usq; defectionẽ id audacter agere præcipiens, deliquit sanè in dictione cũ adiecit quam ob causam audere cõueniat. Nempe q; dolor acutus sit, plus quidem sanguinis uacuamus: sed fluere sinimus, nõ quia acutus sit, sed ob alia: utpote si uirtus robusta fuerit, floruerit ætas, sanguis abundauerit, & laborantis natura tum densior, tũ durior, atq; ægre magis perspirabilis, & sanguinis copiosi fuerit, anni etiam tempus, & aeris constitutio temperata. sic sanè & regio. Nempe quòd ad animæ usq; defectionẽ sanguinem auferre non ueream ur, nobis ex his accidit.

75 Clysterem postea exhibebis.

A sanguinis missione clysterem exhibere iubet. Sed melius erat adiecisse distinctionem Hippocraticam: si nõ sponte probe deiecerit aluus.

76 Si dolor sub thorace fuerit, ualdeq; infestauerit, pleuritico uentrem medicamẽto subpurgabis, nihilq; dũ purgabitur dabis. à purgatione aũt oxymeli: ueruntamẽ purgans medicamentũ quarto die ministrabis, tribusq; primis diebus clysteres exhibebis: quibus si nõ leuetur, adhunc purgabis modum. Custodies deinde ægrũ donec ad febris priuationẽ et septimũ peruenit diẽ, qui

A si in tuto esse uideatur, in primis exiguũ tenuemq; cremorẽ, eumq; melle conditũ dabis. si uero facile sputũ educat, & facile spiret, lateraq; nõ doleãt, sensim crassiorem copiosioremq; & bis die ministrabis.

Pleuriticum nominauit, id quod ab Hippocrate in legitima libri huius parte est dictum: ubi ita habentes pleuriticos purgat, facit autẽ id duobus modis. Quarto uero die medicamẽtũ indistinctè pronunciauit. Neq; enim omnino aliquod remediorum huiusmodi ægro iniungere oportet desumpto à numero dierum scopo. Sed quod Hippocrates recensuit, est exequendum. Nam uel statim ab initio prius quàm in partem aliquam con-

B firmentur humores medicandum, uel postea cum ad maturitatẽ perducti fuerint. Quam ob causam & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta medicamenta dedimus, & non in quarta solum quomodo is dixit.

77 Quòd si non facile liberetur, potionis minus, sorbitionem exiguam, cremoremq; tenuem, & semel exhibebis: atq; eo quo melius degit tẽpore, quod ex urinis deprehendes. Nẽpe in istiuscemodi morbis sorbitio ante urinarum sputorumq; concoctionem danda non est. Quòd si purgatus multa deiecerit, dare oportet, minus tamen & tenui-

C us. Non enim ob uacuationẽ dormire neq; concoquere poterit similiter, neq; iudicationes sustinere. Verum ubi crudorũ colliquatio facta fuerit, & quæ renituntur reiecta, nihil obstabit.

De particulari cibi exhibẽdi tẽpore agens Hippocrates, & libri huius autor in ijs quæ supra scripta sunt, eã quæ tũ in thorace, tũ in pedibus est caliditatẽ animaduertendã esse uoluerunt. Nẽpe urinarũ cõsideratio ad uniuersalẽ uictus formã, non ad particularem cõmoda esse uidetur. Quo fit ut non recte hoc in loco cremorẽ tenuẽ semel exhibendum eo quo melius degit tẽpore, deprehendẽdumq; ex urinis. Nempe tametsi breuissimam

D in particularibus accessionibus ad melius inclinationem urinæ habuerint, tempus tamen huiusmodi nõ usq; adeo protrahitur, ut has recondamus, expectemusq; utrũ nebulas uel sublimes uel subsidentes habuerint. Hæc siquidẽ nõ pauco fiũt tẽpore. Atqui in acutis morbis interdũ ægri in declinationis principio de necessitate sunt alendi.

78 Cocta autem sunt sputa, cum puri similia fuerint. Vrinæ aũt cum hypostases erui modo subrubras habuerint. Cæteris autẽ laterum doloribus tepefactoria apponere, & ceromata nihil uetat, cruraq; & lumbos oleo calido inũgere, & pinguedine illinire. hypochondrijs quoq; ad usq; mammas ex lini semine cataplasma imponere: ubi autẽ

peripneumonia ad statū peruenerit quādo A
non repurgantur, auxilium non habet. & mala est si laborās ægre spirauerit, fuerint que urinæ tenues, & acres, atq; si sudores circa ceruicem caputq; oriantur. Nempe sudores huiusmodi mali sunt, uincente ob æstum impetumq; et uiolentiam ægritudine nisi urinæ multæ et crassæ prodierint, & cō cocta exierint sputa. Vtrum autem ex his sponte euenerit, soluit morbum.

Neq; authorem hunc de coctis urinis supra ad hunc scripsisse modum recordor, neq; Hippocratem aliter asserere, q̄ quòd urina optima sit, quæ sedimentū habet, tum album, tum leue, tum æqua B
le. Cæterū quæ de peripneumonicis pleuriticisq; in orationis textura narrantur cōspicua sunt, tum ubi libri huius author ab Hippocratis recedit sententia, tum ubi maxime, uel prorsus, uel aliqua ex parte huic annuit & consentit.

79 Peripneumoniæ eclicton seu eclegma. Galbanum & nucleum pineum ex melle attico dabis, uel abrotonum ex oxymelite. Piper quoq; & nigrum elleborum ubi feruefeceris pleuritico etiā circa initia dolenti bibēdū offeres. Quòd si panacē ex oxymelite feruefactā percolatāq; propinaueris, bene facies. Proderit aūt & hæc hepaticis, aut ex C
septi transuersi dolore affectis, atq; his omnibus qui aut per aluum aut per urinas expelli desiderāt ex uino & melle. Verū quæ uentri expurgando exhibiturus sis, ea cum mulsa aquosa, & multa propinabis.

Medicamentum primum secundumq; sputa educunt. Sed quod ex elleboro nigro conficitur, uentrem subducit. Quod uero ex panace est, quibus nam utile sit recensuit.

80 Dysenteria quæ cessauit, abscessum aut tumorē aliquem pariet, si non ad febres, aut sudores, & urinas crassas & albas ac ualde perspicuas, aut ad tertianas, aut ad uaricē, D
aut ad testem, aut ad crura, aut ad coxam dolor decubuerit.

Sermo quoq; præsens sine definitione & distinctione est prolatus. quòd neq; qualē dicat dysenteriam demonstrauerit, neq; quomodo quæ cessauerit, hæc inferat.

81 In biliosa febre morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus morbum soluit: si uero absq; rigore præter occasionē superuenerit, pestiferum.

Neq; procul dubio ante septimum diem cum rigore enatus morbus regius febrem soluit, neq; post septimum. Sed sane ita distinguere oportet. Febrientibus morbus regius superuenit, interdū

quidem tanquam affectionis hepatis symptoma. Interdum quoq; & natura bilem per cutim excernere contēdente, sed nequeunte. ueluti in impetuosis humorum à loco ad locum illapsibus omnibus fieri cōsueuit. Verū in Aphorismis de huiusmodi morbis regijs est enunciatum.

82 Lumborū tetanus, atq; in melancholicis per uenas spirituū interceptiones cū fuerint, sanguinis detractione soluuntur.

Cum inquit propter melancholicum sanguinem in uenis redundantem spirituū interceptiones fiunt, sanguinis missio soluit, si interceptionē dicit spirituum qui in arterijs sunt (nam & arterias, antiqui uenas appellabant) quænam alia fuerit quàm pulsus carētia priuatioq;? Græcis ἀσφυξία dicitur: si uero eorum qui in pulmone sunt spirituum, interceptionem dicit, rursum & appellatam apnœam quasi nō respirationem dixeris, obscure insinuabit. Potest quoq; sanguinis tum copia, tum crassitudo non arterias modo inflare ut permeare non possit, uerum quoq; & proprie appellatas uenas.

83 Cum autem ob tendines uehementer in anteriorē reuellūtur partem, sudoresq; circa ceruicem faciemq; oriūtur, morsis ob dolorem arescentibusq; ijs qui ad οὐραῖον, id est caudam uergunt tendinibus. Crassissimi hi spinā continuant, qua maximæ enatæ copulæ ad pedes usq; finiūtur. Is si neq; febris, neq; somnus superuenerint, fuerint que secutæ coctionē habentes urinæ, sudoresq; iudicatorij, uinū creticū uinosum bibat, edatq; farinā coctā. Cerato quoq; perungat, & crura ad pedes usq; calida in pelui madefacta, superposito uelamine contegant, brachia itē ad digitos usq; inuoluantur. Spinā præterea à ceruice ad coxā usq; molli pelle quæ pinguedine et cera illita sit, uelabis, ita ut anteriora etiā cōplectat. Et interposito tēpore p utriculos calida aqua infusa fouebis, & linteo obuolues, & in cōclaui cubare ægrū facies. Vētrē aūt ipsū nō admodū solueris nisi balano, si longo iā tēpore se cōtinuerit, idq; si bene tibi processerit, satis est. Sin minus, mei radicem in uino odoro tritam & daucum mane ieiuno prius q̄ madefeceris propina. Post hæc cito farinam coctam tepidam uoret plurimam, uinumq; cum uoluerit bene temperatum superbibat: idq; si ad melius tibi ꝓcesserit, satis est. si non, prædicere te oportet.

Sermo quoq; hic indistincte et indiscrete est ꝓlatus, prȩter id q & nomina quædā improprie scripta sunt. Nēpe ob dolorē morderi tēdines impro-

pric est dictũ, uerbo hoc mordere acribus humoribus & non doloribus quadrante: præterea & qđ in principio dictiõis dicit, Vehemẽter in anteriorẽ reuellunt partẽ. Deinde ait: Arescẽtibus qui ad ὀυραῖον. i. caudã uergũt tendinibus, qui crassiores spinã cõtinuant. Eos qui usq; ad caudã protẽdunt ita uocãs. Appellãt aũt ὀυραῖον ossis sacri extremũ. Quòd si partẽ utranq; tendi manifestare uoluerit, atq; tũ in anteriorẽ, tũ in posteriorẽ tetanũ intendi, fieri sanè potest. quo modo paulo ante dixit, Tetanus lũborũ. Non tutò aũt morbi facilitatẽ ex urinarũ cõcoctione prænoscit. Nẽpe tãetsi febris cruditates per urinas manifeste iudicent, morborũ tamẽ musculos infestãtiũ, haudquaq; secura est per urinas significatio, sed hoc quidẽ exiguũ est. Vinũ aũt his indiscrete exhibere utrũne ob frigiditatẽ passus æger fuerit, an aliã ob causã nõ exiguum est delictũ: imo petulãs potius immodestũq;. Absq; itẽ ratiõe dictũ est uentrẽ soluendũ nõ esse nisi balano. Nẽpe in eiusmodi morbis cõmode interdum soluit. Cætera dictionis manifesta sunt.

84 Morbi omnes soluuntur uel per os, uel per aluum, uel per uesicam, uel per aliã quæ talis sit, partem, sudor autem morbis omnibus est communis.

Sermo hic neq; uniuersalis est, neq; cõmuniter inest omnibus, neq; enim per hæc solum morbi soluuntur, uerum quoq; & per uterum, & per sanguinis è naribus eruptionem.

85 Quibus à capite fluxio est, his elleborum dare oportet.

Elleborum dare omnibus quibus à capite fluxio est, non est necesse. Nempe interdũ capiti soli prouidere consueuimus.

86 Quicũq; propter abscessum, uel phleborrhagian, uel incontinentiam, uel aliam quampiam fortem causam suppurãtur: his ne elleborũ dederis, neq; etenim proderit. & si quippiam afficiatur æger, fecisse id uidebitur elleborus. Si uero corpus dissoluatur, uel caput doleat, uel oppleãtur aures, uel nares, uel sputũ, uel genuũ grauitas afficiat, uel corpus præter solitũ tumeat: quodcũq; horũ cõtigerit, dabis. modo hæc neq; ob potũ fiant, neq; ob ueneres, neq; ob tristitiã, neq; ob curas, neq; ob uigilias. Si enim quippiã horum causam fecerit, ad id curationem dirigere oportet.

Phleborrhagian, uenarũ ruptionẽ dicit. Quòd aũt neq; ex huiusmodi causa suppuratis, neq; ijs qui ꝓpter abscessum, neq; ob causam aliã, afficiũt dare elleborũ oporteat, nemo ignorat. Sed qui ob incontinentiã intẽperantiãq; suppurant, perperã in hoc recensentur catalogo. Intẽperantia ipsa per se intẽperãtes lædente, ut redundantia, cruditate, crapula, uenere multa, uigilijs & quibusdã similibus. Cęterũ prædicens quibusnã elleborũ exhibe-

A re oporteat, inquit: Si uero corpus dissoluat. i. fractum admodũ reddat, absq; scilicet manifesta causa, uel dolor in capite diuturnus & solutu difficilis fuerit. Nẽpe & id te subaudire oportet in capitis dolore, & deinceps in ijs quæ serie continuata dicũtur omnibus, oppletis scilicet auribus, naribus & sputo. Adijcit & genuũ grauitatẽ dolorẽq;, & corporis præter solitũ tumorẽ. In omnibus siquidẽ ijs quæ sine manifesta causa facta sunt, uult elleborum exhiberi. Diuertens aũt sermonẽ uniuersalem ad particularia inquit: Modo neq; ob ueneres, neq; ob curas, neq; ob uigilias dicta facta sint. Si enim ex horum aliquo facta sint, pugnandũ ad uersus efficientẽ causam præcipit. Quænam autẽ ex his omnibus quæ recensuit, uere diligenterq;

B dicta sint, & quæ non, didicistis tum in Hippocratis libris, tum in commentarijs nostris.

87 Dolores ex itinere si fuerit, lateris, dorsi, lũborũ, & coxæ, et qui inter respirãdũ dolẽt occasionẽ habẽtes. Sæpius eñ dolores ex crapula cibisq; inflãtibus ad lumbos & coxã uenire cõsueuerunt. Quibus talia fuerint, urinæ difficultas accedit. Horum iter causa est, corizæ item & raucedinis.

Sine ordine hæc memorauit. Nã prædicẽs dolores ex itinere, laterũ, dorsi, lumborũ, & coxę, rei inanis exhibitionẽ repræsentationẽq; fecit, perinde atq; quonã modo hæc curent esset dicturus. Dein

C de facto ita additamento, Sæpius eñ dolores ex crapulis cibisq; inflantibus uenire cõsueuerũt. Intulit, Quib. talia fuerint, urinæ difficultas accedit. Posthæc quoq; inquit: Horũ iter causa est, corizæ item et raucedinis: acephalũ ut quispiã dixerit, id est sine capite & uertice rei faciens sermonem.

88 Quæ ob uictus rationẽ eueniunt, multa quidẽ unusquisq; ꝓ nõ assueta uictus forma maxime annotat. Nã qui prãdere nõ cõsueuerunt, & prãsi fuerint, his tumor uẽtris ingẽs accidit, dormitatio, & plenitudo: q; si supercœnauerint, uẽter turbabitur. hi à balneo (cõfert eñ) dormiãt. expgefactiq; plures lenta ambulatiõe absoluãt circuitus: et si uentrẽ exonerauerint, cœnẽt, parumq; uini

D sed meracioris bibãt. Si uentrẽ nõ exonerauerint, corpus oleo calido perungãt. Et si sitiuerint, uinũ aquosum albũ & dulce bibãt: si uero nõ obdormiãt, amplius quiescãt. Reliquus aũt talis instituatur uictus, qualis ex crapula laborãtib. institui solet. Pocula aquosiora tarde meãt, ac ueluti in orbẽ aguntur, circaq; hypochõdria innatãt, & nõ decurrũt ad urinas. Quib. qui repletus fuerit, nullũ celeriter ex his absoluet opus quæ intentũ corpus ui & celeritate cõficere pot. Maxime aũt quiescat donec cũ cibis conco

cta fuerit: Meraciora uero & austeriora pal A pitationē in corpore atq; in capite pulsum efficiūt. His bene fuerit si superdormiāt, calidūq; quippiā sorbeant ex ijs q̄ suauissima habēt. Ieiuniū em̄ aduersus capitis dolorem crapulāq; malum est. Qui semel tantū die cibum adsumūt, imbecilli fiunt: & calidū mingunt, utpote præter cōsuetū uacuati, os ipsis salsum efficitur, & amaricat, atq; in quouis opere cōtremiscunt, tēpora cōtendunt, cœnāq; nō ita cōcoquere perinde atq; prāsi fuissent, queunt. Minus igitur q̄ cōsueuerunt bibāt, liquidioreq; mazam panis loco B adsumant, atq; ex oleribus rumicē, uel maluam, uel betas, & ptisanam. Dum aūt cibantur, uinū modice bibant, aquosiusq;, atq; à cœna parum ambulent, donec excurrat urina minxerintq;. Vtātur aūt et piscib. coctis.

Totum hunc sermonem in legitima libri huius parte abunde, tum elaboratum, tum explanatum scimus: quo fit ut ex illis quæ modo dicantur simili possis cum discernere, tum iudicare. Neq; mihi diutius morari in his est necesse.

90 Cibi aūt maxime notas et indicia faciūt

Eduliorū uim nō ex ratione aliqua sed experientia iudicari conuenit. Neq; hic refert βρώματα uel ἐδέσματα. i. cibos uel edulia dicere. Ceterū qui C hęc scripsit, tale quippiā ostendit per hoc uerbum ἐπισημαίνειν, id est notas & indicia facere. Nempe nota corporibus signūq; fit (ut inquit) secundum unamquamq; quæ ex cibis ualentibus fit mutationem. Consequenter aūt ea enumerat.

91 Allium flatum parit, caliditatemq; in thorace, capitis item grauitatem facit, & anxietatem si & alius quispiam dolor ex consuetudine ante infestauerit, ipsum irritat. Cæterum urinas ciet, estq; hoc præditum bono. eumq; qui potaturus sit et ebrius est, uorare allium optimum est.

Si unumquodq; eduliorum experientia iudicā D dum sit, non recte dictum esse uidetur flatuosum esse allium, neq; caliditatis maioris sensum quam cepam comedētibus inferre. neq; in ulla alia corporis parte, neq; etiam in thorace, neque similiter ἄσην, id est anxietatem, & potissimum ubi quis ipsum parum ante feruefactum adsumpserit. Eduliorum autem multa corpus si plethoricum fuerit calfaciunt: cum uero ante uacuatum fuerit, siccāt abunde. Peccauit igitur libri huius author qui indiscrete rem enunciauit. Nam melius erat uti dictum est definire. Impræsentiarum autē simpliciter de allio censuit, sed melius fecisset, si & exiccare & calfacere ipsum dixisset, et nō flatuosum esse. Nempe aduersus indiscretum indistinctumq; ferre sententiam consuetudo non est. Subaudire aūt oportet ubi tēpestiue datū fuerit, qđ parato ante corpore manifestat. Ante aūt parat si neq; plethoricū neq; cacochymū fuerit. Nō recte igit capitis grauitatē ab eo fieri ait. Nēpe si præuacuato corpore alliū obtuleris, capitis grauitatē sanabis, partisq; alterius omnis. Demiror aūt quonam pacto quæ hucusq; percurrit præfatus, deinceps dixerit: Eumq; qui potaturus sit, & ebrius est, uorare ipsum optimum est. Videtur autem ex his neq; crapulam neq; ebrietatem efficere, sed ab his ita prę-seruare ut & grauitatem expellere possit, & flatus sanare. Vera quidem hæc dixit, atq; adhuc ex cientibus urinas unū esse allium. Sed alia falso adiecit, simulq; & pugnantia inter se dixit.

92 Caseus flatum parit, atq; adstrictionē, cibosq; accendit, & crudum quoque incoctumq; existit, atq; ijs qui se potu repleuerunt deterrimum est.

Caseus recens & mollis duro & sicco flatuosior existit, minusq; quàm durus siccusq; astringit, id est uentrē sistit. Siccus etenim flatuosus minus est, sed uētrem magis sistit. præterea & siticulosus magis existit, quod ostendit cū inquit: Cibosq; accendit. Crudum aūt & incoctum in dictionis iacet medio, quod exacta enunciatione caret. Ostendit autem q̄ crudum omne incoctumq; in corporis humoribus contractum ex huiusmodi edulijs fieri natū est, cuiusmodi est caseus, crudum & incoctum existens edulium. quasi ita diceret: Caseus flatū parit atq; astrictionē uentris: æstuosusq; est. præterea & crudū & incoctile est edulium, talesq; succos generat. Ait præterea & deterrimum esse ijs qui se potu repleuerunt, qđ & idiotis ipsis patet. Neq; siquidē aliàs bonū est edulium caseus, utpote qui crassum succū & coctu difficilem pariat. Si uero inter bibendū eo quis utatur repletus, deterrimū omniū eduliorum redditur. Grauat siquidem os uentris primumq; corrumpitur, & alia deinceps secum corrumpit.

93 Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta: minime autem uel macerata, uel uiridia. His autem utendum non est nisi cum cibarijs. Sed horum singula suum uitium habent.

Ventrē implēt legumina omīa, coctuq; difficilima sunt quæ cruda existūt. fricta flatuosa minus: sed cōcoctioni nō minus renitunt. Quæ aūt plurimum cocta sunt, ea existūt moderatiora. Quod autem sequitur in exēplaribus nonnullis scriptū est ita, Et macerata, & uiridia, ut & talia prefatis uitijs sint prædita. In q̄plurimis uero non ita scriptū reperitur, sed principio altero in hunc modum: Minime aūt uel macerata, uel uiridia. Viridia dicunt quæ sicca non sunt, neq; exacte perfecta. Macerata uero quæ in aqua fuerint madefacta. Cæterū leguminibus haudquaq; sine cibarij s utendum esse pręcepit. cibaria nimirum eos qui ex tritico panes fiunt, affirmās: uel simpliciter omnia quæ quouis modo parantur, uel forsitan & alia omnia ex qui-

bus panes conficiūt: zeam scilicet, tipham, & hordeum. rustici ex milio panes conficiunt.

94 Cicer flatum parit crudum frictūq;, & dolorem.

Sunt qui cicer scribant ob id flatuosum esse q pudenda intendat. Attamen quum in fine dictionis dolorē dixerit, id ad eum referre oportet, qui propter inflationem fit dolorem.

95 Lens astringit, atq; turbationem facit, si non detracto cortice ingeratur.

Vocem hanc ἀράδην, turbationem quādam & ueluti pugnā quę in uētre ex discrepātibus facultate cibarijs oritur, significari dixit, quo modo & nūc significat, si cū cortice adsumatur: utpote quæ q caro ipsius longe coctu difficilior existat.

96 Lupinus inter hæc minime mala habet

Vocabulum hoc ἥκιστα, id est minime, uocabulo huic μάλιστα, id est maxime contrarium indicat. Lupinum autem minime prædictorum omnium ait habere mala.

97 Laserpitij tum caulis, tum succus non nullis quidē maxime, inexpertis uero per uentrem non descendit. Nominatur autem hoc malum cholera arida.

Laserpitij radicem homines æquiuoce cum tota herba uocare consueuerunt, hanc & herbæ succum inexpertis, id est inassuetis siccam generare choleram ait. Sed quænam ea sit, post paulo ipse docebit ita inquiens: Ab arida cholera uēter inflatur, & strepitus insunt. Patet ergo spiritum flatuosum ex laserpitij ingestione colligi in uētre. est enim acre & æstuosum. Quidnam autem significet uocabulum hoc, Nonnullis, nihil ex dictione est manifestum. Atque ob id explanaturus quispiam quod maxime probabile uidebitur, id esse affirmabit. Nempe in talibus dicere quod ex ratione est, incertum existit.

98 Maxime aūt id fit, si cum multo caseo, aut bubularū carnium edulio misceatur.

Siccam ab eo uocatam choleram ait maxime his fieri qui laserpitium simul cum caseo multum ingesserunt, aut cum carne bubula. Nempe flatus qui ex laserpitio oritur, cum opplentibus & tarde penetrantibus edulijs mistus manet in uentre, & non descendit.

99 Bubulæ etenim carnes melancholica proritant pathemata. Nempe harum natura insuperabilis est, nec quiuis uentriculus eas concoquere potest.

Agebat quidem de laserpitij uirtute: sed bubularum carnium esum supermiscuit, factoq; ad Pathemata melancholica trāsitu, ea à bubulis carnibus proritari ait. Deinde uelut assignans causas hoc ait: Nempe harū natura insuperabilis est. Vsus est igitur hac coniunctione, Nempe, eorum modo qui dictorum causas referunt. Non tamen cur à bubulis carnibus melancholica proritentur

A pathemata, causam dixit: quanquam aliam quampiam communiorem dixerit, qua scilicet natura ægre conficiatur, & ualida sit. Natura enim ea insuperabilis est, quam nullus superauit.

100 At optime liberabūtur, qui coctis utentur & perquàm uetustis.

Hæc quoq; sermonis textura uniuersaliorem habet admonitionem nō in melancholicis. Nam bubulis carnibus & coctis & uetustis uti præstat: sicuti & alijs omnibus quæ difficulter cōcoquuntur. At improprie uoce hac βέλτιστα, id est optime, est usus. Neq; enim melancholico laborātes morbo, neq; homo alius quispiam, uel sanus uel æger, optime liberatur bubulas carnes & coctas & uetustas ingerens. Nam omnibus ipsas edentibus,
B hæ non bonam præstant alimoniam: bene tamen talia ingerentes cæteris minus læduntur. Si ergo pro uoce hac βέλτιστα dixeris οὐχ ἥκιστα, id est non minime, sermonem reddes integrum.

101 Caprinæ carnes quæ in bubulis mala sunt, omnia habent, & cruditatē. Suntq; flatuosiores, ructusq; magis generant, & choleram pariunt. Verum quæ odoratissimæ, solidæ, & suauissimæ sunt, hæ optimæ sunt tum coctæ, tum crudæ: quæ uero suauitate omni carent, male olent, & duræ sunt, hæ deterrimæ atq; non recentes.

Cur caprinæ carnes bubulis uitiosiores sint, cau-
C sam hoc in loco dixit. Nempe cum coctu difficiles bubularum modo existant, flatuosiores etiam sunt, & sæpius mouent ructus qui malam habeant qualitatem. Cum uero bubulis & acriores & calidiores sint, si incoctæ maneāt, choleram pariunt. Qua efficitur ratione, ut frigidas eas magis q calidas esitare oporteat.

102 Optimæ autem æstate, autumno uero penitus illaudabiles.

Optimas esse ait caprinas carnes, inter se quidem non cum cæteris comparatas. oportebat igitur, quantum ad anni tempus attinet, uitiosissimas ob temperaturam esse. Contingit autem capris tempore æstiuo meliorem esse alimoniam. quomodo praua sunt quæ herbas uorant anima-
D lia, ubi uiridem herbam non habeant. Capris autem maxime idoneam præbent alimoniam germina arborum caulesq;, quos à fine ueris æstas largiter & copiose habet. Quòd autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum posit, potes ex uulpibus certior fieri, qui autumno probatissimam ob uuas habent carnem. Sic passer & ficedula maxime laudabilem carnem obtinent. Autumno igitur capræ nutrimento idoneo destitutæ, tum deterrimam, tum per quam tenuem habent carnem. Hyeme autē meliorem sanguinis consequuntur habitum, naturalem intemperiem à temperatura temporis contractam corrigentes.

103 Porcelli carnes prauæ sunt, cū uel crudiusculæ uel ambustæ fuerint. Nempe tum

chole

choleraceæ ſunt & turbatoriæ. Suillæ autem carnium omnium optimæ ſunt: ualentiſsimæ uero quæ non admodum neq; pingues neq; graciles ſunt, nec uictimæ ueteris ætatem ſunt aſſecutæ. Edēdæ uero ſunt detracta pelle & frigidiuſculæ.

χοίρου proprie appellabāt ueteres porcū ualde paruū, ut apud poetā reperitur, ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε τὰ δμώεσσι πάρεστι χοίρε᾽ ἀτὰρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσιν, id eſt ueſcere nūc ô hoſpes. ſeruorū cibus porcelli ſunt. Proci etenim plus q̃ abſolutos edunt ſues. Non ſanè uideo quo pacto ſyalos ederent proci: (nam & ſyalos ueteres appellabāt ſues eos, qui perfectos abſolutosq; ſupra eſſent) niſi q & ignariſsimi eſſent dignoſcēdorū tum eorū quæ facile cōcoquuntur, tum ſuauiū eduliorum, quales & ſeſe oſtendebāt cum uētres caprarū pingui & ſanguine plenos eſitarēt. quò ſanè quod difficilius concoquaꝰ eduliū reperies nullum. Caro autē optima tum ad ſuauitatē tum ad cōcoctionē eorū eſt qui mediā ætatē ſunt aſſecuti: ueluti deterrima eſt porci uetuſtiſsimi, atq; eius qui cōfeſtim à partu uoraꝰ porcelli. Nempe hi terreſtriū ferè omniū quæ uorāt homines animaliū, maxime humidam obtinēt carnē. Atq; ob eam rem cū nuper genitorum caro exuperanter humida ſit, plurimam inde generat pituitā: & ſi ſubcruda fuerit, multo adhuc magis. Simili quoq; ratione pinguiſsimā ſuū carnem ea quā medij & bene carnoſi habent, deteriorem exiſtimat, ſuſpicionē humiditatis habens, ob quam pinguedo omnis carne ſui generis deterior tū ad cōcoctionē tum nutritionē exiſtit. Quæ aūt ob aſſationē ambuſtæ ſunt, tum ad ſucci bonitatē tū ad cōcoctionē ſunt inhabiles, cholerāq; pariūt propter eam quæ his accidit acrimoniā. Nēpe ea choleraceorū eduliorū cōmunis eſt malitia, cū & humida & acria fuerint. Talia ſiquidem ſimiliter corrūpuntur, ſuaq; acrimonia uaſorū eorū quę ad uentrē decūbunt, ora remordent: atq; fluxionum earū quæ ex toto corpore in eum fiunt, cauſæ efficiuntur. Quòd aūt porcelli abſq; pelle, id eſt abſq; cute edendi ſint, nemo ignorat. Non eñ cutis animalis carni ſimiliter concoqui nata eſt, utpote q frigidior exiſtat. Frigidiuſculos quoq; & hos manifeſte edendos præcipit, calidas oēs carnes ueritus, ac fortaſſe calidas frigidiuſculis tū ęſtuſiores tum flatuoſiores eſſe exiſtimans. Ego autem in caprinis carnibus & quæcunq; calida ſunt, ſermonē admitto. In moderatis uero tum caliditate tum frigiditate, cuiuſmodi ſuillæ carnes ſunt, ſimpliciter indiſcrete ita dici non admitto. Nempe ei qui diſtinxerit, calidæ frigidis idoneæ magis erunt.

104 Ab arida cholera uenter inflatur, ſtrepitus fiunt, & dolor tum laterum tum lumborū, nihilq; aluus deijcit, ſed aſtringitur.

Cholerā ab hominibus ſimpliciter appellatam ab arida per humiditatem diſtinguit. In utraq; autem nomine communi eſt uſus: generationis modum qui cōmunis eſt reſpiciens. Vt enim cholera

A humida ex acribus oritur humoribus qui ex eſorum corruptione prodierūt, ſic arida ex ſpiritu flatuoſo acri. Quo fit ut quæ prope uentrem ſint neruoſa corpora mordeantur, intendanturq;, & dolorem pariant. At cum ſpiritus hi poſſunt interdum quidem retineri, interdū & exire, aridam propter retentos ſpiritus generari choleram aſſerere non poſſum. Nam probabilius fuerit, ita appellare quę penetrant egeruntur q;.

105 Ita affectum ne uomat ſeruato, uenterq; ſubducatur. Clyſterem ergo ex calido & perquam pingui adhibebis, perunctum'que in aquam demittes calidam, & quamplurimam in ſcapha reclinans, & ca-
B lida ſenſim perfundes: & ſi calfacto uenter ſubducitur, morbus ſolutus eſt.

Quamcitiſsime clyſterē exhibere & uomitum prohibere præcepta ſunt cōmunia omniū quæ in uentre præter naturā continenꝰ, & quæ ut excernantur apprime cōtendimus. Simili modo & calidum exhibere clyſterem. prouocat ſiquidem calidum: & frigidū reprimit. Clyſma autē pingue aridam proprie ſanat: quoniā & uirtute contrariū eſt ſiccitatem nimirū humectans, morſusq; leniens. Eundem habens ſcopum ſi in ſcapha fouēdo tum aqua tum oleo & calfacis & mitigas ſolarisq;.

106 Confert quoq; & huic dormire.

An eum dum in ſcapha fouetur dormire uelit, an ſine illa, non conſtat. Quòd autem ipſum dor-
C mire per ſe cruditatibus omnibus maximo remedio ſit, conſideranti patet.

107 Bibere item uinum tenue & uetus & meracius.

Vinum quidem exhibet ut concoctioni adiumento ſit, ſed tenue ut in uentre non moretur, uetus uero & meracius ut calfaciat magis. Vinum ſiquidem omne habitum calfacit, magisq; quod uetus eſt.

108 Oleū quoq; dabis ut quieſcat & uenter ſubducatur, & ſoluitur morbus.

Oleum quæ acria ſunt lenit, placatq; & ſiccitatem emendat, uentremq; moderate ſubducit, quibus omnibus ei qui curatur eſt opus.
D
109 A cibis autem atq; alijs abſtineat.

Si corpori nihil deſit, nullaq; apponendi quippiam premat neceſsitas, & cruda quædam concoctionis indiga contineantur, his requie eſt opus & non cibarijs prius quàm contenta mediocriter concoquantur.

110 Verum ſi dolor non ceſſauerit, lac aſinæ bibendum donec purgetur dabis.

Si feceris quod dictum eſt & dolor non ſoluatur, contriſtantis cauſæ maiorem eſſe acrimoniam exiſtimādum, atque ob id corpus purgare oportet. Lacte aſini utendum præcipit, quod purgantia inter medicamēta omnia mitius tranquilliusq; exiſtit: id quoq; & lacte oīni humidius eſt, & uentrem magis ſubducit.

112 Si uenter liquidus fuerit, bilisq; excernatur, uexētq; tormina, & uomitus, & suffocatio, quiescere his est optimum, mulsam bibere, & uomere.

An de arida adhuc cholera agat, an per se hęc intelligēda sint, nō satis cōstat. Sed quocunq; res ierit, contineri in uētre uidet̃ bilis quæ acris & eluicōtumax sit. Ventrē aũt moderate subducere atq; quæ in uentre continent̃ concoquere molit̃. Subducetur autem mediocriter aqua mulsa: & per requiē concoctio fiet. Qui aũt in affectionib. huiusmodi sæpius ualenter auxiliatur, is cacochymiam ualente medicamento affatim expurgat, uires cōtemplatus, ægri habitũ, anni tēpus, ætatē, & aeris constitutionē. Quòd aũt in fine dictionis dicitur, mulsam bibere & uomere, quasi superiorem uentrem expurgari autor uoluerit, melius cum aduerbio, non, dicetur. Nam mulsa detergendi pollens facultate, quæ corrupta sunt in naturalē præuertit uiam, idq; citra oris uentris tum læsionem tum periculum quæ per uomitum contrahi possunt.

113 Hydropũ duæ sunt naturæ, quorũ hyposarcidius si hominē aggreditur, uitari nō potest: alter ex flatibus constat, multaq; & bona indiget fortuna. Curaturq; tolerātia, fotu, & tēperātia. Sicca aũt & acria edat. Ita enim maxime tũ minget, tũ ualebit. Si difficulter spirauerit, fueritq; anni tempus æstiuũ, & floruerit ætas, uiribusq; fuerit ualentibus, sanguinē à brachio tolles: deinde calidos panes ex uino nigro & oleo tinctos dabis, isq; quāminime bibat, et quāplurimũ laboret, suillāq; edat carnosā ex aceto coctā, ut aduersus arduas resistat inambulatiōes.

Sunt qui nō hyposarcidiũ: sed episarcidiũ scribant. Neq; tamē anasarca & catasarca alicubi scriptum reperi, quanq; recētiores ita nominēt. Cum autem hydropũ naturas duas affirmauerit, atq; de posteriore flatus citra quoduis aliud symptoma dixerit, de priore aũt nihil omnino, nō solũ in aliquo cōfusus uidetur, uerũ quoq; & in hydropum differētijs falli apparet. Quidam ergo ex medicis quatuor hydropũ differētias esse affirmant, à iusto recedētes: aduersus quos uerba impræsentiarũ facere tempestiuũ non est: uerũ qui hæc scripsit, manifeste defecit. Nempe hydropũ unus humidi substantia tenuis copiā in tota inferiore thoracis regione aceruat, quā aliquādo perpũgentes humidum euacuamus. Alter locũ hunc nō aqua sed spiritu plenũ habet, & ferè superiora om̃ia tumētia, hunc tympaniā appellāt. Qui autē habitũ totũ pituitæ plenũ habet, eum hyposarcidiũ nōnulli appellāt. Quo fit ut nō exacte duas hydropũ esse naturas dixerit. Neq; etiā recte protulit ἐγχειρέων γίγνεται, id est si aggredit̃. Nam uerius dixisset ita scribens: Interficit aũt protinus posteaq; factus fuerit. Scripta est aũt ita dictio, sed perperā ab eo qui

A primũ scripsit. Alterius sanè hydropum quę ex flatu cōstare ait, sanationē scribit, quæ profecto hydropũ omniũ quod cōmune est, habet. Principio aũt scripsit tolerantiā, fotũ, & tēperantiā, calida & sicca gustare admonens, quod solius anasarca est, quem ut insanabilē prætermisit. Nempe hic solus cum incipit, eget interdum sanguinis detractione cũ scilicet ex retētione uel hæmorrhoidis uel muliebrium uel ex quapiā quæ ita pletorica sit causa, inceperit. Tympaniā uero & ascitē nullus per sanguinis missionē sanare est ausus. In eo igit̃ qui sanguinis detractione eget, fiat quæ subsequēs est curatio, quę scilicet calfacit et siccat. Sanè libri huius autor ad id quod expedit intētionē direxisse uidetur. Non tamē recte dixit, Si difficulter spirauerit, B sanguinis eget detractione, si nō propter plethoram hydropa incurrat, propè scilicet ad extinctionem accedēte naturali caliditate ut igni cōtingit. Nempe ut ignis propè extinguit̃ immissis lignis tum humidis tum multis, nisi quis multitudinē sustulerit: sic & in frigidiore ob copiā sanguine, ubi calor natiuus propè extinguit̃, præsentissimũ est remedium sanguinis missio, quo tempore periculum ita prehenderit. Perperā itaq; dictioni apponitur, fueritq; anni tēpus æstiuũ. Nempe plus minus auferendi sanguinis alia quædā scopi esse dicta sunt, sicuti & anni tēpus: auxilij uero huius, affectionis natura. Dioscorides nō æstiuũ anni tempus scripsit, sed uernũ, uirtutis exolutionem æstate adfuturā suspicatus, hyeme uero affectioni C perfrigeratione. Vulgariter autē et inepte admodum panes calidos ex uino nigro & oleo ei cui sanguis est detractus exhibet, scopũ quidem uerũ roborandæ uirtutis habens, ut exercitationũ patientijs sufficere possit. Sed materiā scopo dignā nō inuenit. Vinũ etenim nigrũ, sanguinē plurimum generat, sed tantum ut & superfluus sit, & melancholicus fiat. Verũ huic melius est uinum dare fuluum, tenue quidē substantia ut urinas moueat: sed non ætate nouũ. quo modo sanè multis contingit. Vinorum etenim nouorũ nullum est fuluum: sed uel albũ uel rubrum uel nigrũ. uetustate autē fiunt & fulua et flaua. Atqui quāminimum bibere & quāplurimũ laborare rectissime est dictum. Nempe talis uiuēdi modus calfacit & siccat. Suillæ carnes D si quo dictum est modo edantur, florentibus ætate & ualidis dari possunt. Cæterorum autē nullus eas probe coquere potest. utpote qui iam propè est ut caloris natiui patiatur extinctionē. Melius ergo ita affectis dare quæ probe coquent.

114 Qui uentrē inferiorē calidum habet, subeūtq; acres deiectiōes & inæquales, hi à colliquatiōe id patiūtur, qui si ualentes fuerint, reuelles elleboro albo: si non, cremorē tritici horni crassum frigidũq; dabis, & lenticulæ fresæ decoctum, panemq; subcinericium, & pisces febriētibus quidē elixos, nō febriētibus uero assos: uinũ præterea haud quaq; febrientibus nigrum dabis. Alijs ue

ro aquam

co aquā aut à mespilis, aut myrtis, aut malis, aut sorbis, aut palmulis, aut uitiū œnanthe. A

Excrementa his ob inustionē non ob colliquationē subire proprie magis dixisset. Nam colliquatio in eo fit absumpta cōtabefactaq; propter febrē morosam uel pinguedine uel molli carne. Inustio uero in uentre orit̃ propter acrē eorū quæ ingesta sunt caliditatē, ob quā & febrire cōtingit: Elleborū præterea huic albū exhibet, quod indicauit per hoc uerbū ἀνασπάσαι, id est reuellere: nempe per uentrē superiorē. Si uero æger quauis ex causa nō possit elleborū adsumere, uiceritq; acrimonia, edulia & pocula dare iubet tū astringētia tum perfrigerantia. Adijcit aūt edulijs & quæ assiccare possunt, ueluti panes subcinericios, atq; assos pisces. His ita & nō sine ratiōe enunciatis, quémnā uentrē inferiorē dicat, est contēplandū. Veteres enim thoracē interdū uentrē superiorē appellantes, aliāmēti receptaculū ōme quod à septo trāsuerso est, uentrē inferiorē nominãt. Interdū aūt uentrē superiorē appellantes in quē cibi adsumunt̃, quę ab eo sunt ōmia uentrē inferiorē uocitãt. Interdū quoq; & sola quæ crassiora sunt intestina. Sunt qui colon duntaxat uentrē inferiorē uocant. Forsan igit̃ quæsiuissemus quam'nam uel quas'nam ex prædictis particulis probabilius impræsentiarū intelligere sperabamus, si effatu dignum quippiā percepturi eramus. Sed quoniā horū inuētio nihil nos admonet magis q̃ ea quæ ipsi & scimus & discernimus, ꝙ nōnulla quidē recte dicta sunt, nōnulla uero nō, cognitionisq; curiositatē magis q̃ cōmoditatē habēt, melius est cito relinquere, & potissimū cū huiusmodi lib. Hippocratis legitim⁹ nō sit. B

115 Si uero febris non fuerit, uexentq; tormina, primū quidē lactis asinini calidi pauxillū deinde sensim paulatimq; plus bibat, & lini semē, & triticeā polentā & fabas Aegyptias, exēpto eo quod in ipsis amarū est, molita ac trita inspergat. Aut oua semiconcreta assata edat, & similam, & milium, & chondrum ex lacte coctum. Cocta hæc & refrigerata edat, atq; his similia tum pocula, tum edulia ingerat. C

Quāplurimi exponentiū cōuenientius hęc cum prædictis cōponunt, præsentē sermonē adhuc de ijs qui calidū habēt uentrē inferiorē fieri existimãtes. Alij paucíq; separãt, & seorsum exponūt, scopusq; his est ut interdū quidē cacochymiā expurgent, interdū uero & contēperent infrenentq;. Interdumq; resiccēt, & interdum perfrigerēt. Lac ergo asininū expurgare potest & contēperare. Lini semen tū siccare, tū perfrigerare. Quæ aūt ex tritico conficiunt̃ polentæ, contēperant, quibus non perperā remiscent̃ hordeaceæ, utpote quæ siccēt & perfrigerēt. Fabę Aegyptię mediocriter perfrigerare possunt. Oua aūt et simila & chōdrus, crassi sunt succi & boni, & humorum acrimoniā infrenãt. Siccat aūt in edulio miliū quo perfrigerat mo- D

do. Ōmia hæc frigida exhibet, ꝑpter humorū qui affectum procreãt tū acrimoniā, tum caliditatem.

116 Eius medicinæ partis quæ uictu medetur, maximū est febrium tum intētiones, tū declinationes, nō in acutis modo: uerum quoq; & in longis obseruare, ut tēpora quibus cibi offerendi non sunt, & tuto, & quibus offerēdi existūt, cognoscas, atq; adhuc quādo plurimū ab intētione aberint.

Artis ciborū exhibendorū maximū esse ait particulare cibi porrigēdi tēpus nosse: scopūq; unum ait, ꝙ scilicet tēpus illud quo cibus exhiberi debet quāplurimū absit ab febris intētione, quam ἐπίτασιν dicit, accessionis principiū intelligēs. Id aūt nō in diuturnis solū sed quoq; in acutis uerū esse uidetur. Sed quare lōgis in morbis adiecit? Nempe ꝙ in his magis & forsan solis euidens sit scopus. In acutis etenim morbis deprehensa in pedibus caliditas, cibi tēpestiue offerendi signum sufficiēs est. Non tamen in longis ita nutrire oportet, sed melior declinationis pars est expectanda, quod in acutis haudquaq; est expectandū timore cito futuræ accessionis. Sunt qui dictionē hanc ita scribãt, Eius medicinæ partis quæ uictu medet̃, maximū est ut in acutis ita & in longis obseruare & scire quādo cibū dare oporteat. Alij finem dictiōis ita scribūt. Atq; adhuc cū plurimū à febris accessione aberūt scire oportet: ut præter cætera quæ nos in ægro contēplari uoluit, & id admoneat. Quod si quis perquirit, & nō particulari tēpestiue cibandi inuentioni copulat, id importunū esse de alimonia præceptum atq; re nulla dignum uidetur.

117 Cognoscere aūt & eos oportet qui capite dolēt uel ob exercitatiōes, uel cursum, uel iter, uel uenatū, uel quēuis aliū importunum laborē, uel uenerea. Decolores itē, raucos, lienosos, exāgues, spirituosos, sicce tussiētes, siticulosos, flatuosos, & uenarū interceptiōes. Huc adde quibus extēta sunt tum hypochōdria, tū dorsum, tū latera, torpentes, obscure uidentes, eos quibus aurium tinnitus est molestus, eos qui urinas non continent, morbo laborantes regio, quorū uenter cruda egerit, sanguinē è naribus uel sede uehementer profundentes, inflatos, & quos uehemēs dolor infestat. Nulli etenim horum nisi superuicerint, medicamentum exhibebis. Nam periculo ægrum expones, nihilq; iuuabis: spontaneasq; tum permutationes, tum iudicationes adimes.

Quod inordinate & pręparationis ad cōmentationē modo omnia hoc in libro scripta sint, cuius patere arbitror. Multa sane ut dixi in hoc bene dicta sunt, ob quæ ad ea quæ dicta sunt, nō recte quidam animo & studio incubuerūt, magisq; qui sibi conscij fuerunt ueluti discretoria eorum quæ scribun-

buntur scientia carẽtes. Quæ ergo hac in dictione dicuntur, catalogũ habẽt eorum qui ut medicationem recipiant idonei nõ sunt. καθαίρεσθαι aũt, id est purgari, & φαρμακεύεσθαι, id est medicamẽto purgãte uti, idẽ significãt, uelut etiã φαρμακεύειν & καθαίρειν. Videamus ergo quibus'nam ab initio purgationem interdicat. Capite dolentes recẽset, uel ob exercitationes, uel alium quemuis importunũ laborẽ: summatim eos intelligens qui ex intempestiuis laboribus capite dolent haudquaq; expurgãdos. Labores aũt intẽpestiui importuniq; omnino sunt, quos presens hoc tẽpore corporis affectio ferre nõ potest. Admonebo autẽ te te impræsentiarũ rei quæ ad multa est utilis, quã semper in memoria haberi uelim. Corpore igitur nostro ad morbosam affectionẽ parato ita ut prope completa sit, externum quippiã obueniens eam affectionem manifestat, febrem uidelicet accendens: uel capitis dolorem, uel catarrhũ, uel tussim excitans, uel aliud quod tale sit. Deinde ex eo continenter ad morbosam affectionis præparationem nõ sine periculo languent: neq; cursu morbum excitante uel uehementi omnino motione, ut neq; intemperãtia, uel perfrigeratiõe, uel alia quauis simili causa. Nihil etenim horũ suapte natura, uehementem generare languorẽ potest. Nam si febris ab horũ aliquo fiat, hæc ex diariarũ genere erit: aut si symptoma aliquod aliud generet, id sæpius pauco edurabit interuallo. Et hoc sane ut retuli propter corporis affectionem. unũquodq; enim horũ nõ morbi causa, sed πρόφασις, id est occasio est. Nam huiusmodi causas propriissime quis appellauerit προφάσεις, nõ simpliciter euidentes & manifestas, ut hi sæpius uocare cõsueuerũt, cum ab aliqua manifestarũ causarũ noxa in corpore euidens fuerit. Si enim nulla alia corporis affectio adfuerit, neq; morbus effatu dignus subsequet, eiusq; quod in corpore fit detrimẽti quod ipsum fecit, causa est. Scieris itaq; hoc in loco de his agi causis quæ nõ sua ratione corpori adferũt detrimentũ. Summa autẽ horũ est una quidem & prima labores qui ex parte multas species habent, cursus scilicet, luctæ, pancratia, uenerea, fricatio, æstuatio, frigus, uigilia, ira, mœror, & timor. Venereorũ quidẽ meminit, uerũ cætera subticuit, quanq; uirtute eadẽ prædita foret. Nam quæ ut dictũ est spiritũ perturbãt, ea purgatione non egent, q; morbus huiusmodi à cacochymia cõtractus non sit: ab his autẽ digressus indicijs autor quos prius dixit declarauit. Proprie autem ἀχρόους, id est decolores, λειφαίμους, id est sanguine carẽtes uocãt: eosq; qui corpus aliter q̃ secundũ naturã sit affectũ habent κακοχρόους, id est mali coloris appellant. Hi ergo decolores calfieri expostulãt tum exercitationibus, tum uini facultate calidi potu, & cibis qui talem obtineãt facultatem. Raucos deinde subiungit. Nempe & horũ humiditatẽ & frigiditatẽ ob delapsum ad summũ guttur rheuma sanare cõuenit, exiccatis scilicet topicorũ auxiliorũ usu tum capite tum cæteris quæ adfecta sunt mẽbris. Præterea & lienosos purgatione haudquaq; egere inquit, quod non recte di-

A ctum arbitror, cum lienosis, si quibus alijs, purganda sint quæ nigra existunt. Post lienosos meminit λειφαίμων, id est eorũ qui sanguinis inopiã habent, etsi nõ aperte manifesteq; fuerint decolores. Deinde mentionẽ de spirituosis facit, sicce tussientibus, & siticulosis, obscure ita locutus ut nõ cõstet utrum'ne singuli horũ seorsum intelligẽdi ueniãt, an hi tres unà comprehẽdendi. Neq; adhuc in singulis horum seorsum intellectis perspicuus est sermo, ut & antea iam est enunciatũ. Nempe πνευματώδεις, id est spirituosos sæpius eos duntaxat uocant, qui cũ inspirãt, aeris indigent. Interdũ aũt & inflatos, quorũ uterq; multas habet causas, quas omnes si percurrero, prolixior q̃ par sit sermo est futurus, præter id q; quidã ex his sanguinis missionem exigere uident. alij purgationẽ, & remediũ

B aliud alij. Sic & sicce tussientes nõ affectione una fiunt, neq; siticulosi. Neq; etiã impræsentiarũ certiores fieri possumus an'ne de febrientibus siticulosis sermo sit, an de nõ febrientibus, an de utrisq;. Quòd si unius horũ quod in Aphorismis recensetur, meminerimus, quod uniuersale est tollet. Dictum aũt in Aphorismis, Si nõ febriẽti inappetentia fuerit, oris uẽtriculi morsus, tenebricosa uertigo, & oris amaror, id per superiora purgatiõe indigere significat. Si autẽ os amaricat siticulosi sunt. Pari modo & quinã flatuosi ab ipso dicũtur haud scio, an uidelicet cũ uenarum interceptiõe flatuosi effecti intelligẽdi sunt, cũ sint nõnulli qui per se legãt. atq; adeo singula dictiõis huius si possem trãs-

C mutare, possem omĩa quæ cognoscere utile sit nõ citra librorũ multitudinem docere: ueluti & de ijs quæ deinceps dicunt. Ait eñ, Quibus extẽta sunt tũ hypochõdria tum dorsum tum latera, torpẽtes obscure uidẽtes, eos quibus auriũ tinnitus est molestus, & qui urinas nõ continẽt. Nempe in singulis his pathematis & causę & affectiones sunt multæ, uarijsq; egẽtes curationib. Quarũ profecto nõ nullæ eam quæ per bilis eductoriũ medicamentũ fiat, purgationẽ expostulabũt. De his ergo omnibus, atq; adhuc de ijs quæ deinceps dicunt, nõ enunciationes indistinctas, sed distinctiões doctrinasq; tũ claras, tũ longo rerũ usu probatas habes in nostris tractationibus: quas qui intellexerit, omnia quæ ab autore hoc recitãtur discernere uale-

D bit. Atq; si partis meminerit quã & legitimã & cõmodæ doctrinæ plenã fassi sumus. In ea siquidem parte cũ demõstratiõe & explanatione cõgruentibusq; distinctionib. scripta sunt omnia. Sed quæ ita disseminata sunt ut præsens oratio, nihil iuuare possunt. Nẽpe si quis nũc singula horũ simpliciter & indistincte audierit, is multa aduersus artẽ perperã moliet. Quod si singula ut oportet distinxerit, primũ quidẽ nihil impræsentiarum ad eorũ inuentionẽ iuuari deprehendet, deinde ad eã quæ de præsentibus sit cõtemplationẽ multis egere libris uidebit. Nec uero plerisq; hominũ persuaderi potest ut aggrediant quidẽ sola ea scripta quæ manifesta sunt, ea aũt relinquant his qui scripserũt quæ talia non sunt. Nam iustũ hoc est, quũ illi nullam curã adhibuerint, ut nos ea quę ipsi scripserũt

intelligeremus:neqꝫ nos adeò ſedulò incumbere, quærentes ac diuinantes de his quæ dicunt.

118 Si cuipiam ſanguinem auferre cōfert, uentrem cōfirmare oportet, & ita auferre, mox inediam præcipere, & uinum tollere. Deinde congruenti uictu & fotibus humidis reliquam curationem abſoluere.

Fluente aluo ſanguinem non detrahes. Nam ſi poſt detractionem perſeuerat fluor, uirtutem proſternit. Inediam autē præcipere quibus detractus fuerit ſanguis & uinum tollere recte dictum eſt, ut & congruo uti uictu: ſed fotibus humidis curare ſi de omnibus quidem quibus ſublatus fuerit ſanguis dicatur id falſum eſt, ſi uero de aliquibus, dicere oportuit.

119 Si uero uenter denſus aſtrictuſqꝫ tibi uideatur, mollem huic adhibe clyſterem.

Dignum conſcriptione quòd omnibus pateat, hoc non eſt.

120 Quòd ſi medicamentum opus ſit, elleboro tute ſurſum expurga. Deorſum uero talium neminem.

Tanquā ægritudinē prædixerit, in qua hæc fieri iubet ſermonem facit. tametſi nihil prædixerit. Vel ergo exempta eſt quædā oratio in qua oſtendebatur ægritudo, uel obliuioſus fuit qui hæc ſcripſit. uel talis qualis ab antiquis appellatur μετέωρος, id eſt nondum fixo animo, ſed ſuſpenſus.

121 Optimum autem eſt ſi urinæ cieātur, ſudores prouocentur, inambulent, & tranquille ita ſeſe perfricent, ut non denſiorem reddant habitum. Quòd ſi in lecto iacuerit, perfricent eum alij.

Scripſit quoque & hæc ita tanquam ægritudinem prædixerit.

122 Et ſi in thorace ſupra ſeptum tranſuerſum infeſtet affectio, reſideat frequentius qui afficitur, minimeqꝫ reclinent donec uires ualeāt, ſedenteqꝫ calido multo diu defricent. Si uero dolor uentrem inferiorem ſub ſepto tranſuerſo infeſtat, iaceat is (conuenit enim) nulloqꝫ pacto corpus moueatur, extra defrictionem.

Oratione ex hac quis cōiecerit tum hæc tū quę ea præcedūt omnia, de doloribus ſcripta eſſe. Prætermiſſa igitꝛ principio diſtinctionis ſunt hæc, peccante primi libri huius ſcriptore & manēte poſtea peccato. Quamobrē fieri non poteſt ut quiſpiam in his ueritatem perueſtiget, ne cui plus ꝙ̄ temere in huiuſmodi tempus conterere uideamur.

123 Quæ autē ex uentre inferiore ſoluuntur tū per urinas, tum per ſudores, ſi mediocriter per ſe delabūtur, quæ parua ſunt ſoluuntur, uehementia uero pernicioſa ſunt. Nempe tales uel intereūt, uel non ſine ma-

A lis alijs ſaneſcūt. Nam eiuſmodi incumbūt ac firmantur.

Per talem quoqꝫ dictionem conijcere licet de dolorum curatione omnia quæ ab ipſo ante ſcripta ſunt, dicta eſſe.

124 Poculū hydropico. Cantharides tres abiectis ſingularū tum capite, tū pedibus, tū alis, in cyathis aquæ tribus terātur, atqꝫ cum bibens doluerit, calida perfundatur, ungatur autē prius. Et ieiunus bibat, & panes calidos ex oleo uel pinguedine edat.

Quidam dictionis huius mentē haudquaqꝫ intelligens audax medicus prædictas partes à cantharidibus abiecit, deditqꝫ hydropico corpora, cui cū B à primo die abſceſſus in ſura cōparuiſſet, poſt tres alios dies ſectus eſt, effuſaqꝫ copioſa aqua, curatus eſſe uiſus eſt, ꝙ pars tumoris pręter naturam plurima ſtatim ad moderationem redacta ſit, ueruntamen non multis poſt diebus obijt. Quam ob cauſam medico quidam crimen ingeſſit perperā data eſſe cantharidum corpora inquiens. Nempe propinanda ablatis corporibus, tum caput tū pedes, tum alas, idqꝫ eſſe quod in dictione enunciaretur. Quare nō cūctatus audax ille medicus hydropico alteri ita propinauit, moxqꝫ facto ſimiliter in femore abſceſſu, ſectoqꝫ multis poſt dieb. hominē mori contigit, quanquam urinarum prouocatorio medicamento ex cantharidibus confecto quidam ci- C tra bibentium incommodum uſi ſint.

125 Sanguinem ſupprimētia quæ Græci ἴσχαιμα dicūt. Fici ſuccū lana ſuſceptū intus ad uenam appone. Vel coagulum inuolutum ad nares immitte. Vel chalcitidē digito ante tractam preme, cartilagineſqꝫ utrinqꝫ foris cōprime, & uētrem lacte aſinæ cocto ſolue. caputqꝫ rade, & perfrigerantia ſi calidū anni tēpus fuerit, adhibe. Seſamoides ſuperiorē uētrē purgat dimidiæ drachmæ pondere in oxymelite tritū & potui datum. Miſcetur aūt ueratris ita ut tertiam efficiat partē. Nempe id hoc pacto minus ſuf- D focat. Ad trichoſin. Filū ubi acui foramē habenti ſubieceris, celſioremqꝫ atqꝫ acuminatam ſupra tenſæ palpebræ partem ad inferiorē uſqꝫ traieceris, quod ſuperius eſt inferiori liga, fila autē extendens conſue & colliga donec deciderint. Et ſi ſatis quidē fuerit, bene eſt, ſi nō deficitqꝫ aliquid, hæc repete. Hæmorrhoidas modo ſimili tranſmittes. Nam acui craſsiſsimum lanæ ſuccidæ filū & quāmaximū immittes ac colligabis, ſecurior etenī eſt huiuſmodi curatio. Deinde comprimes, & contabeſcēte uteris medicamēto, neqꝫ priuſquā deciderit perfundes.

unamqꝫ

unamꝗ perpetuo relinques, & postea refectis uiribus purgabis elleboro. Exercitetur deinde, & sudet, & mane multum perfricetur. A cursu contineatur, & crapula, & ab acribus, excepto origano. Vomat per dies septem interpositos, aut ter in mense. Nam hoc pacto optime corpus habebit. Vinum fuluum bibat, austerū, & aquosum, & paucum. Purulentis dissectos scyllæ orbiculos in aqua excoque, aquamꝗ ualde feruefactā effunde, aliāꝗ infunde & coque, ita ut tangenti percocti & molles appareāt. Deinde ubi triueris, cyminū frictū misce, sesamaꝗ alba, & recentes quæ tritæ sint amygdalas, atque ex melle eclegma facito, datoꝗ. Post hæc uinum bibat dulce, & peplum appellatum Meconium album, tritū acetabuli parui mensura, in aqua loturæ farinæ recentis dilutum ac coctū, melle affuso tepidum sorbeat. Sicꝗ diē transigat. Deinde ad ea quæ contingunt respiciens cœnam dato. Fabarum item purarum quadrantem accipe, surculosꝗ rubiæ duodecim immisce, atꝗ excoque, & pingui addito delingenda porrige. Ad oculos. Spodium lotum abunderꝗ uelut farinæ massam subactū non liquidum leue teres, acerbosꝗ uuæ acerbæ amaræꝗ succo humectabis, in sole desiccabis. humectare autem oportet ut ad illitionem commodum sit, cum autem siccū factū fuerit, læui, trito, & sicco perunge oculos, & angulos consperge. Ad eosdem. Ebeni drachmā, æris usti obolos ix. & croci obolos iij. in cote tere. quæ ubi triueris, uini dulcis cotulam atticā infunde. deinde soli expone, contege, atꝗ ubi coctu exaruerint, ipsis utere. Ad eorum dolores. Chalcitidis drachmā, uuæ expressæ partes duas, myrrhā crocumꝗ tere, mustum permisce. In sole excoque, & eo dolentes oculos perunge. sit autem in uase id æneo. Quonā pa-

A cto uuluæ strangulatio cognoscatur. Digitis duobus comprime: si sentit, ea est: si nō, conuulsio est. Ad Hydropicos. Peplim econij appellati acetabulum paruū Atticum rotundum, potio una, squamæ æris specilla lota tria. Hæc leuiter trita, & cum farina recēti agglutinata, ac in catapotia efformata, deglutienda dato. purgant aquā deorsum.

Aliud, quod stercora per aluū expellit. In caricas tithymalli succum instilla, in singulas septies. deinde in uas nouum compositas reconde, ac exhibe ante cibū. Aliud. B Peplū quod & meconium appellatur, aqua affusa terito ac excolato, & farinam placentarum torrefactarum ammiscens, & mel coctum affundēs, hydropicis edendum dato: & uinum dulce aquosum, aut aquā mulsam aquosam, insuper bibēdam. At meconium quod primum excrementum à pueris prodit, collectum recondito ac curato.

Liber hic ex his planè ostenditur cōmentarius esse uarijs mistisꝗ constans theorematis, quòd in eo incomposite inordinatè que ab alijs in alia fiat transitus, quomodo & hic in ea quæ per nares fit sanguinis profusione scripta sunt auxilia. Nempe alia parti ipsi quæ sanguinem profundit exhiben- C tur. Alia reuellunt, ut alui solutio. Alia caput addensant astringuntꝗ, ut perfrigerantia. Quæ deinceps sunt, omnia medicamētorum scriptiones habent, & quædam commista auxilia. De appellato igitur sesamoide sermonem in primis facit. Mox pilorum in palpebris manualem operationē scribit, quam ἀναβεῤῥογχισμὸν appellant. Pari modo & hæmorrhoidων, alteriusꝗ earum sanationis meminit. Postea purulentorum tum medicamenta tum sorbitiones scripsit. Atꝗ ab his compositiones eorum quæ ad oculos deputata sunt medicamentorum. Præterea de strangulationis uuluæ dignotione egit. Mox de meconio: Postea de aquæ eductorio medicamento. deinde de eo quod stercora D expellit. Et demum hydericis de meconio & placentis exhibet: sunt autem eorū quæ serie continuata dicta sunt plurima quidem manifesta, alia nequaquam manifesta sunt, de quibus deinceps faciam sermonem.

CL. GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS QVI QVAE IN MEDICATRINA FIVNT, INSCRIBITVR, COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

PROLOGVS.



EDICVM hunc librũ Quæ in medicatrina fiũt, inscripsit. melius tamẽ erat, si dixisset, de ijs quæ in Medicatrina fiunt. quẽadmodũ nõnulli, Dioclis, necnõ Philotimi, & Mantię libros inscribũt. nam cũ hi quoq; de eodem argumẽto conscripserint, in quibusdã exẽplaribus absolute sine prępositiõe [de] & pronomine [ijs] hoc est, quæ in Medicatrina fiunt, in paucis cum pręposi-tione & pronomine, id est de ijs quæ in Medicatrina fiunt, inscriptio reperit̃. Sed illorũ libri plura cõtinent documenta. hic uero Hippocratis, post enumerationẽ eorum quæ manuũ operationem absoluunt ac cõplent, De ligandi ratione pertractat. idq; in primis exercendũ esse censet. Quæ sanẽ exercitatio in lignis quoq; ad hominũ imitationem formatis fieri, sin minus, in puerorũ certe corporibus non incõmode potest. Atq; hæc quidem anteq̃ ad singula particulatim exponenda uenerimus, à libro ipso coacti, diximus. Nunc ea dicam quæ nõ liber, sed illi à me exprimunt, qui exẽplaria scribenda transmutãt, & quaslibet ueterũ autorum lectiones, prout ipsi uoluerint, facile admittere cõsueuerunt. nõnulli enim sunt, qui ualde antiqua exẽplaria uel trecentos iam annos descripta hinc inde cõquisierint, alia in mẽbranis, alia in tiliæ codicibus exarata, cuiusmodi apud nos Pergami reperiunt̃. Omnia igitur apud eos qui primi explanauerunt, aduertere proposui, ut ex plerisq; autoritateq; dignissimis ueras lectiones ac germanas inuenirẽ, resq; mihi in hoc melius q̃ sperauer-am, cessit. nam om̃ia ferè tam Hippocratis exemplaria, q̃ explanatorũ cõmentaria inter se consen-tientia offendi. ut eorũ audaciã nõ demirari summopere nõ potuerim, qui heri ac nudiustertius cõmentaria cõscribunt, omniũq; Hippocratis librorum peculiarẽ quandã editionẽ faciũt. inter quos sunt Dioscorides etiã et Artemidorus qui Capito appellatus est: qui circa ueteres lectiões multa innouarunt. Verum quia longã nimis orationẽ nostram euasurã uidebam, si cõmemorare lectiones omnes uoluissem, melius esse existimaui, ut ueteres tantũmodo ascriberem, paucis tamen quibusdam adiunctis, quæ parũ uariarent. atq; ex ijs ipsis illas præcipue, quæ apud priores libri huius explanatores comprobant̃. Veteres autem explanatores quatuor sunt, duo qui in omnes Hippocratis libros cõmẽtaria composuerunt, Zeuxis & Heraclides: duo qui non in om̃es, Bacchius & Asclepiades. Ac de his quidem satis. Sed quo clarius res pateat, à principio breuiter perinde ac si nihil dixerimus, repetemus. Liber hic Hippocratis qui quæ in Medicatrina fiunt, inscribitur, in principio commune totius medicinæ exordium cõtinet, ut

B paulo post demonstrabimus. ac propterea nõ immerito nonnulli eum ante cætera omnia legendũ esse censuerũt, eam hinc doctrinã polliciti, quam postea in ijs quas Introductiones inscripserunt, quidam tradidere. Deinde post commune exordium de ijs quæ in Medicatrina loco uidelicet ad medicationem idoneo exerceri queunt, ea docet, quæ medicam artem discere incipientibus utilissima sunt. atq; hoc ita se habere perspicies, si uerborum ipsius Hippocratis explanationibus hisce nostris diligenter attenderis.

1 Similia an dissimilia sint, à principio inspiciendum, ex maximis, ex facillimis, ex ijs quæ omnino quocunque modo cogno-

C scuntur.

Siue sanum esse, siue sanitatem, siue quidpiam aliud huiusmodi medicæ artis finẽ esse quispiam dixerit, id per se ab ijs qui artem tractant, consideratur. perspicuum enim est contemplationẽ quandam esse, quam discere is debet, qui naturalem siue dispositionem, siue dispensationem, siue constitutionem, siue aliud aliquid appellare libeat, correcturus est. reliqua uero omnia huiusce artis non per se uel discimus, uel docemus, uel omnino audimus, sed ob id quia unũquodq; eorum ad finem ipsum conducit, ac confert. ut exẽpli causa, discretiua artis pars, quam significatiuã recentiores uocant, exercenda prius quàm curatiua ab ijs est, qui recte medicinã sunt tractaturi, ut differentias mor-

D borum in ægrotis discernere exacte ualeãt, ubi similitudinem aliquam habuerint. nihil intersit autem in præsenti hac tractatione, si dispositionem contrariã naturali corporis nostri cõstitutioni utrisq; nominibus appellauero, sicut Græcis omnibus mos est. qui modo totum hoc genus morbũ, modo passionem seu affectionem uocare consueuerunt. Huius igitur discretiuæ partis, nõ secus ac curatiuæ maxime generalis scopus ac finis nunc traditur. sicut enim in illa contrariorum contraria esse remedia discimus, qui communis totius curationis est finis ac scopus: ita hic discretiuę communis maxime scopus est, posse discernere in quo maxime ægrotantium corpus sanorum corpori simile sit. quemadmodũ ipse Hippocrates in Præsa

gijs tractat, Si ipse, inquiens, sibijpsi est similis aliqua in parte, optimũ est. id quod etiã in libro De articulis declarauit, ubi uult ut membro corporis quod naturaliter sese habet, id quod affectũ est, cõparemus. nõ eñ absolute illic cõparationem esse faciendam inquit, sed male affecti hominis dexteras partes sinistris cõferre iubet, neq; alienos articulos inspiciẽdos, id est aliorum hominũ monet. Idem nunc tibi faciendum censet, cum inquit, similia an dissimilia sint inspiciendũ à principio est, ex maximis, ex facillimis. perinde ac si ita dixisset, ægrotantiũ corpora statim à principio dignoscere ac discernere debemus, in quo similia sanis ac ualentibus, in quo item dissimilia sint. si eñ ita fecerimus, ex maximis facultate, cognitu uero facillimis morborũ significationes sumemus. Sciẽdum eñ est, nõ alia esse maxima, alia facillima. quippe cum ijsdem signis cõtingat, ut facultate maxima, dignotione facillima sint. ut ea sunt quæ in Præsagijs statim in principio ad hunc modũ cõmemorat. nares acutæ, oculi cõcaui, collapsa tẽpora, atq; huiusmodi cętera, quæ deinceps enumerant. nam hęc et maximã habere uim ad pręsagiendũ, nemo est qui nesciat, qui uel mediocriter in tractatione artis uersatus est, & facillimã dignotionẽ exhibere omnes etiã imperiti artis nõ ignorãt. quippe cũ statim ubi quis ad ægrotũ ingredit, nulla alia corporis pars prius cõtemplandã se offerat, q̃ facies. si igitur æger sibijpsi cõferatur, ut iussit, & certior dignotio habebitur, & ex maximis simul ac facillimis exordio facto artis ipsius negociũ tractabitur. Sed errare fortasse aliquis in ijs posset, qui acutas nares, oculos cõcauos, collapsa tempora ex naturali sua corporis cõformatione habẽt. quocirca si ægrotãtis corpus simile multorũ hominum corpori inueniamus, certo dignoscemus nullo eum prauo morbo, aut praua affectione esse occupatũ. sin, ita ut ab Hippocrate describit, inspexerimus, cætera uero in reliquo corpore signa fuerint salutaria, naturalem eam faciei dispositionem esse sperabimus: quoq; certior dignotio nostra efficiatur, hac de re illos qui prius quàm ægrotaret, hominis habitum noscebant, percontabimur. siq; hi nobiscum consenserint, tunc demũ certiorem prænotionem habebimus: nõ tamen ita certam, ut si nos ipsi ægrotantem prius cognouissemus, consuetudineq; eius usi essemus. nam si eum sæpe sanũ inspexerimus qui tunc præter naturam affectus est, fiet, ut quanta sit differentia signorum quæ in eo sunt, melius perspiciamus. licet eñ audiuerimus ab alijs, conijciamusq; ægrotantem natura & nares acutas habere, & oculos concauos: id tamẽ solus ille ita scit, qui uersari cum eo consueuit: si modo hoc cognoscere medicis necessariũ est. nõ eñ tantum utile nobis est, si præter naturam esse affectum corpus nouerimus, sed etiã quanto acutiores nares sint, scire oportet, quanto cauiores oculi, quanto item magis collapsa tempora, quàm naturaliter soleant. & unumquodq; aliud, ut inquit, nõ absolute graue est, sed quod simili maxime est cõtrarium, id grauissimũ est. maxime contrarium

A quod uidelicet à naturali cõstitutione plurimum recessit, grauissimũ, nõ absolute graue periculum indicare asserens, quatenus & magis & minus id significatur. quæ ex facie igitur apparent signa, & cognitu facillima sunt, & uim maximam habent, quæ tum in principio statim dixit, tum de oculis deinceps commemorat. nõ pauca uero ex ijs quæ in præsagijs recenset, alia non maxima, alia non facillima, alia neq; maxima neq; facillima consideranti tibi uidebuntur. de quibus latius quidem in explanatione illius libri dictum à nobis est: pauca tamen nõnulla exempli causa etiam hic repetentur. Nam supinũ iacere, manusq; & crura non secus ac resolutos iactare, non ex praua affectione interdum, sed ex mollitie nimioq; luxu ægrotantis euenit: ut nisi mores quoq; eius nouerimus, erraturi simus. At ut omniũ quos inuisimus mores

B cognoscamus, fieri nõ potest. quocirca uix in paucis aliquib. ipsa hæc nõ requirẽda sunt. quippe cũ non magnum quid significare interdum ipsa inueniamus, ut in cubatione: quandoq; maximũ, ut in modestis, si aspectum audaciorem, uocemq; habeant. simili modo quoq; uox strepens, uel dolorem, uel deliriũ indicat in ijs qui id facere audientibus aliquibus uerẽtur. nam si præsentes non uereantur, nullius id erit nota. quare etiam hic ægrotantis mores scire oportebit. quẽadmodum etiam consuetudinem eorum qui in uentrẽ dormire cõsueuerunt, & naturam eorum qui dormiendo aut dentibus strident, aut nõ exacte oculis cõniuent,

C ita ut palpebræ committantur. Huiusmodi enim omnia ubi & consuetudinem & naturã ægrotantis uel prænouerimus, uel ab aliquo qui prænouerit, audiuerimus, dignotionem nobis afferre poterunt, & quandoq; bona, quãdoq; mala denunciabunt. ac nigra quidem urina, uel nigrum sputũ, uel nigra bilis inter initia morborum apparet, & uim maximam habet, & dignotionem facillimam affert. quẽadmodum ecõtrario in acutis morbis ex facili spirare, & in urina subsidere album, læue, æquale, maximam uim ad salutem habere consueuit. Sed quoniam satis iam de ijs quæ ad dignotionem attinent, dictum à nobis est, in exemplũ eorum quæ & magnam habent uim, & cognitu facillima sunt, & omnino ac quocũq; modo cognoscuntur, siue experientia, siue ratione, non tamen

D tantam habent uim, tamq; facilem dignotionem, sed præcognitione, uel interrogatiõe ad ægrotantium consuetudines, mores ac naturas percipiendas indiget, deinceps de ijs quę manuũ tractatione exercentur, nõnulla differemus, atq; euidentiæ causa exemplũ proponemus, quod statim in principio libri de articulis scripsit Hippocrates, ubi de brachij luxationibus agit. In hoc enim & maximũ & facillimũ ad dignotionem inest, si rotundus tumor ac durus in ala apparet. fieri enim id non potest, nisi caput brachij è iunctura sua exciderit, in locumq; alæ fuerit prolapsum. nam superhumeralis quam ἐπωμίδα appellant, sinus, tum luxationis brachij, tum auulsionis summi humeri qui altius recessit, cõmune signum est. Quocirca si labo

rantem

rantem partem sanæ cōpararis, atq; ubi uisum fuerit in suo naturali statu non consistere, brachium excidisse iudicaris, nota hæc non ita in ala magnā statim uim, facilemq; dignotionem habet. ac magis quoq; in ui deficit indicium, quod ex brachij motu sumitur. nam attollere brachium non potest homo etiam cum qui ibi sunt musculi uel contusi, uel intēti, uel inflammati fuerint: quemadmodum etiam cum fibræ aliquæ ipsorū auulsæ in ima parte sunt. Ego sanè tale quid contigisse olim memini, quod referā: Cum in summo humero auulsio cuidam prius accidisset, deinde alterū brachiū postea luxationem esset passum, in palæstra autē hoc euenit, medicus quidam utrorumq; brachiorum superhumerales similes conspicatus, temere statim pronūciauit, percussum fuisse eo loci hominem asserens, ac propterea non immerito dolore afflictari: articulum uero absq; læsione ulla esse. consuluitq; ut in balneum quàm citissime profectus oleo multo uteretē, in solioq; aqua pleno immoraretur. cumq; inde fuisset egressus, contecta percussa parte lanis oleo tinctis cui parū ceræ fuisset adiectum, cubaret, ac quiesceret. quod cum fecisset ille, tota nocte dolore uexatus est, atq; agitatus. unde & eundem illum medicum, & nōnullos alios qui uidelicet absq; ratione experientia uti in arte tractanda consueuerunt, conuocandos curauit. at ille qui priore die deceptus temere atq; inconsiderate articulum naturaliter sese habere iudicauerat, cum ad ægrotantem peruenisset, uidissetq; ibi duos peiores medicos atq; ignobiliores, indignatus est, quasi fuisset contemptus. id tamen minime præ se ferēs, procacius adhuc ex indignatione in naturali sede esse articulationem asseuerauit, cum utriusq; brachij superhumerales simili modo sese habere nihilo minus inueniret. cūq; inflammatio quędā percussi humeri existeret, iussit ut aqua multa calida locū foueret, oleūq; assidue copiosum interfūderet, ac lanis rursus inuolutus, nō secus ac prius, quiesceret. sed quia ita etiam faciendo nihil ex his opis consequebatur, tertio die ego quoq; fui conuocatus. quo cum uenissem, & uidissem dolore carentem humerū excauatiorem superhumeralē habere q̄ ille qui affectus erat, ut pote cum aucta inflāmatio fuisset, diligenter eum qui naturaliter sese habere uidebatur, inspexi, atq; in eo aduerti summum eius sursum recessisse. qua remotus, necnō quia nihil ex cōuenienti curatione iuuari homo uidebatur, sub alam inflāmati humeri iniectis digitis explorās, in ea ferè caput brachij eminere deprehendi. ac certioris cognitionis causa ala alterius humeri inuestigata, nullaq; extuberatione huiusmodi ibi deprehensa, luxatū esse brachiū dixi, medicosq; id ignorasse, propterea q; alterius brachij summū humerum fuisse auulsum nescientes, ei quasi in naturali statu esset constitutus, alterum percussum cōparabāt. facileq; id nos posse cognoscere aiebam, si ab ægroto requireremus, an in summo alterius brachij humero ictum aliquem aliquando fuisset perpessus. at ille interrogatus principio quidem negabat, postea tamē,

A cum ei succurrisset, confessus est se olim è uehiculo delapsum ea parte fuisse contusum, ita tamē ut facile tribus aut quatuor diebus lana ex oleo suprà percussionē imposita conualuerit. Sed quorsum à me dicta hæc sunt? ut ostēdam scilicet quantum notæ quibus necessariarū affectionū cognitio acquiritur, dignitate inter se differant. cum enī non potest quis brachium affectum attollere, cōmune id etiam aliorum multorū indiciū est. quippe cum sæpe fiat, ut tendones musculorum qui ea parte sunt, & ipsi etiam quandoq; musculi uel prædurati, uel inflammati, quinetiā contusi, aut in profunda sui parte scissi, aut fibras aliquas abruptas habentes, imbecillum ita brachium reddant, ut in sublime attolli nequeat. ob hæc quoque non tam

B in hoc brachij motu quàm in reliquis etiā indolescunt. cōcauitas uero in superhumerali cōmunis etiam ipsa ad auulsionem significatio est. at tumor sub ala durus, ac rotundus satis superq; brachium luxatum esse denūciat: ut si soli ei fidem adhibeas, nunq; erraturus sis. quin facillimā etiā dignotionē affert. quippe cū oporteat digitos sub alam tantummodo inijcere, & eminētiam contrectare, & cōfestim caput brachij ibi manifeste appareat. affectus autem musculorum: cum neq; attollere brachium quispiam potest, neq; sine dolore mouere, exercitata ratione multaq; cōsideratione indiget: unà tamen cum ijs quæ maximam habent uim, facillimaq; sunt cognitu, horum cognitio fit, siue experientia, siue ratione artem quispiā tractet. expe-

C rimentarius enī qui utiq; experiētia sola rem persequitur, inspicit eos qui ab ipsis concursus appellanē, quæ sunt eorū quæ acciderunt collectiones: cumq; sæpe eadē uiderit una in occasione, omnia memoria tenet ac conseruat. atq; ubi ex hac obseruatione multos cōcursus fuerit expertus, tūc quæ in multis cōcursibus, quæ item in uno tantū euenisse cognorit, diligēter aduertit. atq; ita demū in communium & propriorum cognitionem uenit. quam consequitur signorū in ui & efficacia diuersitatis animaduersio. quod enim in multis cōcursibus fuit obseruatum, q̄ quod in paucis: quòd in paucis, quàm quod in duobus: quod in duobus, q̄ quod in uno tantū, maiorē uim habet. Verūtamen experimētarius medicus sicut propria ita cō-

D munia quoq; obseruat, ac memorat. nam ea unà cum proprijs utpote quæ cum illis eueniant, animaduertit. At ille qui ratiōe signorū uniuscuiusq; morbi inuentionē indagat, multo magis ac citius cōmunia & propria cognoscit, non modo multo tempore, ut experimētarius, sed ne die quidē uno aut hora una expectata. ubi enim brachium è propria sede excidisse, & in alā prolapsum esse aduerterit, reliqua omnia etiā simul intelliget: primum tumorem ibi præter naturam esse appariturū, deinde sinuatum in superhumerali locum futurū, capite brachij quod in alam recessit, priuatum: tum scapulæ ceruicem cum superiecta brachio sit, effecturam ut non nisi ægre attolli queat: nec non dolore uehemēti infestandos musculos: quippe qui ubi mouere ita brachium conati fuerint, uiolen-

ter distendantur: simili modo etiam euēturum, ut A brachium doleat, si admouere id ad costas quispiā uelit. atq; ita omnino ac quocũq; modo nō solum ea quæ maximas habent uires, sed etiam reliqua omnia cognoscet. quippe cum una hac uia omnia reperiātur, quæ altero modo non ex facillimis cognitu, sed ex ostensione inueniuntur. caput igitur brachij in ala deprehensum prōptissimam habet uim. at musculorum affectio maiore quidem consideratione indiget, sed tamen etiam ipsa, licet utrisq; & facilitate dignotiōis, & ui à tumore qui in ala apparet, superetur, eadem cōtemplatione ab artificibus medicis percipi consueuit. Merito ergo Hippocrates iussit, ut morborũ dignotiones, quas recentiores σημειώσεις, id est significationes seu notationes appellant, B ex similium ac dissimilium consideratione sumamus, ante alia artis opera: quæ uidelicet & præcognitione & curatione fiunt: merito itē & ex ijs quæ ui maxima, & dignotiōe facillima sunt: & præter hæc tertio loco exilis quoq; quæ omnino ac quocunq; modo cognoscuntur, licet & dignitate & facilitate dignotionis alijs sint inferiora. Posteaq; uero hic ex quibus dignotiones affectionum sumere oporteat prædixit, id est ex similibus ijs quæ naturaliter sese habent, & dissimilibus, qualiaq; ea fuerint docuit: in sequēte oratione ad ea nominatim declarāda descendit, in hunc modum inquiens.

2 Quæ & uidere, & tāgere, et audire licet.

Cum artis partē quæ morbos discernit, primũ C omnium exercendam esse censuerit ex ijs quæ in ægrotantis corpore sanis sunt similia uel dissimilia, eaq; esse dixerit partim maxima & facillima, partim eiusmodi ut cum his necessario cognoscātur: nunc quænam hæc sint, ut dixi, docet, dum inquit. quæ & uidere, & tangere, & audire licet. uidere quidem, quæ sunt uisibilia uidelicet: tāgere, quæ tactu: audire, quæ auditu percipi queunt. nā quod de facie in principio præsagiorum scriptum est, uidere licet nares acutas, oculos concauos, tēpora collapsa: tāgere, aures frigidas: uidere simul & tangere, faciei cutem, cum dura & arida, & distenta est: audire, quæ deinceps in eodē libro subiungit, sternutamentũ, tussim, flatum, strepitum, cum præter naturam ægrotus uocem emittit, quę D uel delirium, uel clangorem, aut raucedinem, aut tale quippiam præ se fert. in ijs uero quę ad chirurgiam attinent, uidere licet ea quæ nigrescunt, quæ rubescunt, quę quocũq; alio modo naturalē colorem uel immutant, uel seruāt. prętereа sicut in humeri articulo, sinũ superhumeralis, & summi humeri prominentiam uidere, caput uero brachij in ala attrectare licet, aut audire possumus sonitus qui de ægrotantis corpore contingunt, quemadmodum in cōfracto thorace cum spiritus ad uulnus efflatur.

3 Quæ uisu & tactu, et auditu, & naribus, itē & lingua, & sentētia possumus sentire.

Sensibus omnibus sententiam deinceps substituit, id est cogitationem & rationem, quam mentem, & intellectum communiter homines appellare consueuerunt. Quoniam uero eorum quoq; quæ uoce proferũtur, est quædā ratio, distinguentes philosophi antedictam hanc internam siue intus affectam uocant, qua & consequentia & repugnantia ijs quæ cognoscuntur, & diuisio, & compositio, & resolutio, & demōstratio, & cætera huiusmodi continētur. cur autem cum prius narium & linguæ sensuum mentionē nullam fecerit, cum dixit, quæ & uidere & tangere & audire licet, nũc unà cum mente quinq; sensuum deinceps meminerit, merito in quæstionē uenit. qua de re multa multi dixerunt, alij absurda & indigna quæ commemorentur, alij digna, & satis probabilia. Dicũt enim hinc exordio sumpto Hippocratem iubere ut ex similitudine & dissimilitudine sensibiliũ dignotionem affectionũ & morborum sumamus. sensibilia autē proprie quidem ea dici aiunt quæ nulla alia facultate indigent, ut discernantur, sed sola sensus perceptione contenta sunt. sed improprie sensibilia quoq; eadem appellatione nuncupari, quæ nō nisi à pluribus dignoscũtur; sensu uidelicet, & memoria, & ratiōe ea quæ tũ compositiua, tum in summā collectiua uocatur. colorē autem ex ijs esse quæ proprie sensibilia sunt, non secus ac succũ, & uaporem, & uocem, nec non duritiem & mollitiem, caliditatemq; & frigiditatē, &, ut summatim dicā, omnes tactu perceptibiles qualitates. at neq; malum, neq; punicũ, neq; apiũ, neq; aliam aliquam substantiam totā sensu cognosci posse affirmāt, sed opinione, ut dicebat Plato, cũ sensu irrationali coniuncta. opinabilia uero omnia huiusmodi esse, ac propterea fieri sæpe ut in dignotione ipsorũ nonnulli decipiantur, cum uel figurā tantũ, uel utraq; hæc inspexerint similia ijs quæ antea profuerant. nam & mala & punica & apia & uuas & nuces, aliosq; multos huiusmodi fructus è cera fictos priusq; olfactu, & gustu, & tactu tentētur, à ueris differre minime uideri: ut qui omnibus sensibus usum ipsorum superauerit falli omnino nequeat. superare autem omnibus sensibus quempiam non sine memoria & connumeratione posse. connumerationē uero neq; sensus esse, neq; memoriæ, sed sententiæ, id est mentis asserunt. appellant autem connumerationem nō hoc modo solum, uerumetiam consummationē seu in summam collectionem quæ συγκεφαλαίωσις dicitur. inquiunt igitur Hippocratem, quando dixit quæ & uidere & tangere & audire licet, sensibilium ipsorum loco exempli mentionem fecisse: quando uero ab ijs recedēs quę simpliciter & proprie sensibilia sunt, ad totas substantias trāsiit, merito & omnes sensus commemorasse & unà cum ipsis mentem quoq; posuisse. ut tota ipsius oratio huiusmodi sit. conuenit medicum morborum dignotionē ab ipsa similium & dissimilium contemplatione incipere, aliquando in simplicibus qualitatibus, aliquando in totis corporibus facta comparatione. atq; hæc quidem expositio non aliena à ratione est. est tamen etiā altera quædā huiusmodi. Hippocratem aiunt quando dixit quæ & uide

re & tangere, & audire est, de medico, quando postea subiũgit, quæ & uisu & auditu & tactu & naribus & lingua, & sentẽtia percipiuntur, de ægrotante intellexisse. ut nõ modo ex ijs dignotionem habendam censeat, quę ipse medicus uidet, & tangit, & audit, uerumetiã ex ijs quæ ægrotus uidet, audit, tangit, olfacit, & gustat. quęq; mente uel intelligit, uel delirat. nam ex mente ægrotantis si delirat, aut minime, quandam medicum utilitatem ad dignotionem faciendam cõsequi perspicuum est. alij asserunt, uisu, tactu, auditu, naribus, & lingua ad ægrotantẽ, mente aũt ad medicũ referri debere. quippe cum medicus ex ijs quæ uidet ægrotus, audit, tangit, olfacit, & gustat, non secus, atq; morbo, mente ad coniecturã faciendam de ægrotante ratiocinetur. nam si omnia ipsi ægroto gustanti amara uideantur, quemadmodũ morbo regio laborantibus usu uenit, flaua bile: si salsa, salsa pituita: si acida, acida imbutã ei linguã iudicabit. ita quoq; propriam sudoris, si forte in os defluxerit, qualitatem interdum percipere posse ægrotantẽ affirmant. Sed ijs qui hoc modo interpretãtur, illud aduersatur, quòd medici olfactus esse pręter missus uidetur, quo in multis uti consueuit. nam & in deiectionibus, & urinis, & sputis, ulceribus item, & ipso ægrotãtis anhelitu persentiẽdo ad significationẽ sumendã olfactu uti medicus solet. tametsi liceat dicere id à librarijs fuisse prætermissum. queadmodum alia multa in multis & Hippocratis & aliorum libris inueniuntur partim errata, partim prætermissa. adde quòd talem etiam explanationem nõnulli tradiderunt, ut dicant, nõ idem esse uidere, tangere, & audire, & uisu, tactu, & auditu sentire. quippe cum uidere, tangere, & audire sine comprehensione possimus, sentire uero sine cõprehensione minime ualeamus. hæc sensus expositio Simię Stoici est. atq; idcirco à Quinti discipulo Iphitiano qui Stoicã philosophiam sectatur, admittitur. Quod isti dicũt huiusmodi est. Alteram partẽ aiunt huiusce orationis de genere solo rerũ docere ex quibus significatiões nostræ ducuntur. alterã quæ sequitur, de eo quod per se exquisitũ ac certum est. perinde ac si ita esset scriptũ. dignotiones faciendæ sunt ex similibus & dissimilibus ei quod naturaliter est constitutum, quæ in ægrotantis corpore apparent. ea aũt sunt sensibilia. atq; ex his ipsis nõ quę aut hallucinatus est, aut obaudiuit, aut aliquo alio sensu perperam sensit, sed quæ comprehensibiliter, ut ipsi dicunt, unoquoq; sensu necnon etiam sententia, id est mente sensit quispiã. menti enim hic uerbũ sentiẽdi attribuisse Hippocratem asserũt. unde in prima parte huius orationis Hippocrates unius aut duorũ etiã mentionẽ fecit. totũ siquidẽ ipsorum genus exemplo indicare uoluit. in secũda omnia unà cũ mente cõmemorauit, certam atq; exquisitam enunciationem faciens. quippe cum omnibus his commune sit, ut comprehensibiliter obiectarum rerũ species expressas percipiant. Quoniam uero id quod pollicitus fuerã, iam præstiti, commemorauiq; ea quæ probabiliter à quibusdam hanc in rem dicta

A sunt, ut non sæpe Hippocrates dixisse de ijsdẽ uideatur: meũ quidẽ iam est ut ad sequentia pertranseam: tuum, ut quæ ex his commemoratis optima opinio sit, consideres, eiq; assentiare. De nomine item sententiæ, id est γνώμης, nõnulla addit, apud ueteres asserens in significato mentis, siue cogitationis, siue intellectionis accipi consueuisse. cuius testimonia cũ multa sint, satis erit si pauca hic subiunxero. Critias in primo Aphorismo hæc scribit. Neq; quæ reliquo corpore sentit neq; quæ sententia cognoscit. & item. Cognoscunt homines an sanus sit aliquis sententia. & in primo Congressionũ libro. Si ipse ita te exercuisses, ut sententia præstares, minime ab ipso iniuria hac fuisses affectus. & sæpe in eodem, & in secundo à sensibus ex aduerso distinguere sentẽtiam uidetur. quemadmo-B dum etiã Antipho in primo De ueritate, Qui hæc cognoscit neq; uisu uidet longitudinem, neq; qui cognoscit longitudinẽ, sententia eam non cognoscit. Item. Omnibus enim hominibus sententia in corporis sanitatem, & morbum, & cætera omnia diffunditur. & Plato in quinto reipublicæ, Igitur, inquit, huius cogitationẽ ut cognoscẽtis, sententiam, ut opinantis, opinionẽ rectè esse diceremus. Lysias etiam contra Poliuchum. Ille enim in omnibus quæ sua ipsius sententia usus pro nostra multitudine egit, sicut multorum bonorum in causa fuisse ciuitati nostræ, ita plurimis incõmodis & malis hostes affecisse conspicietur. Aeschines quoq; Socraticus in eodem significato quo isti nomine C hoc usus est. Nec non Hyperides in oratione contra Dioclem, & alij complures tum oratores, tum medici, & Poetæ obseruasse idem uidentur: quos omnes hic commemorare superuacaneum est.

4 Quæ quibus cognoscimus, omnibus licet cognoscere.

Hic quoq; nõ immerito in dubitationem uenit quæ nã sint aliæ facultates præter sensum & mentem à natura nobis traditę, quæ ad dignoscendum idoneæ sint ea quæ extrinsecus obijciuntur. quasi enim omnes complexus non sit, nunc ita subiungit, quæ quibus cognoscimus omnibus licet cognoscere. cur igitur in hunc modum dictum hoc esse existimẽ, iam explicabo: si prius necessarium D quoddã ad ea quę dicẽda sunt, proposuero, quod à multis etiam ueteribus dictũ iam est, quibus placet nullam esse opinionẽ, quã qui sectas constituerunt, philosophi uideãtur inuenisse: sed omnia illa priori tempore iam dicta sępe simul cum aliorum memoria interijsse. quocirca ne putes Pyrrhoniã sectam, aut Academicam, aut Stoicã, aut Peripateticam, aut aliquã aliam post Hippocratem extitisse, rerum ipsarum opinione inductus. ipsi enim Pyrrhonij in antiquissimos uiros suam sectã referunt. uerisimile igitur est Hippocratis tempestate imò non est uerisimile, sed necessarium, eos qui tunc erant, inter se de naturalibus iudicãdi facultatibus altercari ac disceptare consueuisse. ut alij sicut postea Pyrrhonij, nihil esse huiusmodi asseferent, alij sensum solum talem esse statuerent: alij

sensu postposito uerum esse dicerent id quod circumfertur; Mens uidet, & mens audit, reliqua surda & cæca sunt: quidam item utraque hæc naturaliter iudicandi uim habere affirmarent: ac sensu sensibilia, mẽte & intellectu intelligibilia percipi posse: nonnulli præter has alias quoque esse animæ nostræ facultates existimarent. ut igitur calumniam ipsorũ euitet Hippocrates, duarum ipse facultatũ in genere mentionem fecit, sensus & mẽtis: quas me etiam nostis solas semper ostendere diiudicatiuas cognitionum in nobis esse. captiosorum tamen & sophistarum causa postea adiunxit, quæ quibus cognoscimus omnibus licet cognoscere. ac nonnulli quidem mentem alterius esse naturæ opinãtur, cogitationẽ alterius, alterius item eam, quæ interna, atque intus affecta ratio appellatur: atque harum plures facultates statuunt. sed à me in libris De communi ratione demõstratum est tres esse omnes in nobis facultates, quibus ad constitutiones & artium & librorum utimur, sensum utique mentem, & memoriam. ac memoriam quidem recondere ac seruare in se ea quæ sensu & mente cognita fuerint, quasi cellam quandam & receptaculum eorum, non inuentricem. nam inuentionem & iudicium quæsitarum rerum sensus ac mentis in nobis esse. Veruntamen cum de his ipsis oratio est, cõcedit unusquisque aliam intellectionis, aliam rationis, aliam item si ita uolunt, mentis & cogitationis esse facultatem. quippe cum satis ipsi sit, quòd euidenter omes homines & malũ & mespilum & uuam & aliorum fructuũ corpora dignoscunt, siue ea dignotio una, siue duabus, siue pluribus facultatibus efficiatur. simili modo persuasum omnes homines habent & motionem esse, & causam, & signũ tum hæc ipsa quę antedicta sunt, tum mentem & memoriam, & electionem. quæ, sicut alia multa, quasi nõ essent, Asclepiades subuertere conatus est. His ita expositis planum iam esse factum puto qua de causa Hippocrates hic licet satis superius rem explicasset, subiungendum censuerit, quæ quibus cognoscimus omnibus licet cognoscere. auspicari enim medicus opera artis ab affectuum dignotiõe debet, ea quæ in ægrotante apparent, cum sanis cõparãdo, & spectando quę illis similia, quę item dissimilia sint, cognitionemque horum aliorumque omnium sensu & mente percipere. & si quid aliud præter hæc de omnibus communiter uidetur posse iudicare, simili modo eo antedictas res discernere, quacunque scilicet ratione cognoscere homines possumus. sensibilia em̃ significat dum inquit, quæ & tangere & audire licet, horum autem iudicatricem duplicem facultatem, sensum uidelicet & mẽtem sequentibus uerbis declarat. cum ait quæ & auditu, & naribus, & lingua &c. sentire est. quæ quidem utræque manifeste memoriæ inseruiunt. quòd si aliquam aliam introducit quispiam facultatem, eam nos non repudiamus, si re uera esse utilis conspiciatur. dicendo enim quibus cognoscimus omnibus licet cognoscere, & sententiam, id est mentem cõplexus est, & copiã fecit iis qui esse quandam aliam iudicandi facultatem opinantur, eam nobis ut ostendant. Quæ aũt hucusque ab Hippocrate hoc in libro scripta sunt, medicæ materiæ communia sunt, ac propterea uicem exordii ad totam artem obtinere ea dixi. quæ uero sequuntur, iam ad manuũ operam, eamque chirurgiam pertinent, quæ in Medicatrina uel discere uel tractare illi possunt, qui in arte exercentur. Sed ne existimet quispiã me præter meam consuetudinem expositionem hanc longius protraxisse, is sciat, quæcunque res ad totam artẽ cõmunes sunt, eas prolixius tractari debere, quàm quæ parti alicui conueniunt: & præsertim cum de eis aliquo in libro quispiam ita dicat, ut non amplius sit mentionem facturus. quemadmodum ego in librorum Hippocratis explanatione facere proposui: ut & omnia sensu & mente discernam, & quæ dicta à me modo sunt, amplius non repetam. Adde quòd neque pro dignitate rei produxi orationẽ. nam cũ potuissem cõmemorare & in iudiciũ uocare dissentionẽ quæ de numero animę facultatũ existit, melius esse duxi ad eum qui de cõmuni ratione scriptus est tractatum relegare eum, qui de his cognoscere accuratius uellet. præterea cũ alia quęstio incideret, dum dicebatur à similis & dissimilis cõtemplatione esse incipiendum, utrũ quia non omnino quippiam in omnibus distinctũ atque absolutũ reperiebat, idem differret à simili, spõte hoc alibi explicatũ hic prætermisi. nã in eam cõsiderationem hoc quoque incidebat. Illud etiã omissum à me fuit, utrum ex iisdem an ex similibus obseruationes ab experimentariis fierent. nonnulli enim ex ipsis etiam experimentariis ex similibus asserunt. alii qui diligentiores sunt, totius suæ institutionis conuenientiam seruãtes omnes suas obseruationes ex iisdem fieri aiunt, tam quæ morborum dignotiuę, quàm quę pręcognitiuę, aut curatiuæ appellant. nam Dionem phrenesi laborantẽ eundem esse dicunt cũ Theone, phrenesi eadem affectũ in eo utique quod utrique phrenesi laborant. alii sunt qui simile absolute dici negẽt, sed duobus modis & dici & intelligi asseuerent: uno, cũ simile id intelligit quod nullo modo uariat. ut gemini Iouis filii in omnibus prorsus similes: altero, cũ aliquid alicui magis uel minus accedit. apud antiquissimos tamen & medicos & philosophos, quorũ adhuc scripta extãt, talis usus similitudinis nõ reperitur. quippe qui cõfuse & indistincte similium appellatione usurpare consueuerint: aliàs de iisdem quæ formæ inter se nullã habent diuersitatem, ut si sinistrũ oculũ dextro similẽ esse dicant, cum utrique in uno & eodem homine cõsiderantur: aliàs in diuersis etiã hominibus siue cæsius, siue fuluus, siue niger sit. quatenus em̃ oculi sunt, eatenus similes esse eos dicunt. licet magis usitatum sit fuluũ fuluo, cæsium cæsio esse similem asserere. quẽadmodum etiam nasum aduncum adunco, simũ simo, rectum recto esse similem dicere consueuimus.

5 Quæ autem manuum operam spectãt, ex medicatrina.

Tales breues loquutiões manifeste dedita opera ab

ra ab ijs fieri uidentur, qui enunciare obſcure aliquid uolunt. ubi enim unius aut duorum aut ad ſummum trium nominum aut uerborum adiectione clara reddi tota oratio poteſt, quo pacto obſcuritatem non fuiſſe affectatã dicendum eſt? ego igitur formam loquutionis referam qua quis uſus hoc planius atq; euidentius expoſuiſſet, quæ huiuſmodi eſt. medicina omnis communem habet ſcopum ac finem ad affectiones, ægrotationesq; dignoſcendas, ſimilitudinem ac diſſimilitudinem quam cum ſanis habent, ex ijs quæ euidenter ſenſui et intellectui apparent inuentionẽ comparans ac iudicium. Ego autem ea tantum dicam quæ ad manuum operam ſpectant, quæ in medicina & oſtendi diſcentibus, & in affectis exerceri poſſunt. in hũc modum ferè dixiſſet, qui aperte rem enunciare uoluiſſet. nonnulli aũt ſcribũt medicatrinã hic, id eſt ἰητρεῖον in ultima ſyllaba per η, ut ſit κατ' ἰητρείην, id eſt ex medicina, ſeu ex medica ratiõe, non ex loco ad exercendas huiuſmodi medicationes idoneo, quem ἰατρεῖον, hoc eſt medicatrinam uocamus. ac ſi ita dixiſſet. quæ uero ad chirurgiam attinent, quæ ex arte medica fiunt, ſunt hæc. deinceps tamẽ uidetur libri huius author ſiue ipſe Hippocrates fuerit, ſiue filius ipſius Theſſalus, neq; omnium operationum & chirurgiarum mentionem facere quæ ex medicina fiunt, neque omnium quæ in medicatrina exercentur; ſed earum tantummodo, quæ diſcentibus & ijs qui introducuntur, utiles ſunt, & tamen à medicatrina libri ſumpta inſcriptio eſt. quam poſtea Diocles, et Philotimus, & Mantias eſt imitatus. melius uero fuiſſet, ut dixi, ſi de ijs quæ in medicatrina tractantur, liber hic fuiſſet inſcriptus. miror autem quòd Aſclepiades cum lectionem τῶν ἰητρεῖον ſeruarit, eam idem ſignificare exiſtimauerit, quod in medicina. cum tamen κατ' ἰητρείην, id eſt ex medicatione, κατ' ἰητρεῖον, id eſt ex medicatrina id ſignificet. niſi medicatrinam quod eſt ἰατρεῖον ἰατρείην, id eſt morborum medicationem interpretetur. Sed hęc ad uerborum conſiderationem ſpectant, quæ nõ multi facere conſueuerunt, qui rerum ueritati incumbunt. propoſitarum autem rerum doctrina ex ſequenti lectione principium ſumit.

6 Aegrotãs, agẽs, miniſtri, inſtrumẽta, lumen, ubi, quo modo, quot, quo modo, quãdo, corpus, cõmoda, tẽpus, modus, locus.

Hac oratione omnia commemorat, à quibus & per quæ, & cũ quibus pars operaria artis, id eſt chirurgica exercetur, atq; unumquodq; ordinate percenſet, quale eſſe debeat, quoq; modo & tẽpore in uſum deduci. quorum pleraq; aperta ſunt ac clara. ægrotãs enim, & agens, & miniſtri, & inſtrumenta, & lumen nulla indigent in præſentia expoſitione, preſertim cum ipſe etiam author de ipſis his in ſequentibus diſſerat: doceatq;, quo modo ægrotus exhibere ſe medico debeat: quo modo medicum circa ipſum operari: quo itẽ modo qui aſtant, miniſtrare oporteat. De inſtrumentis quoq; & lumine quæ cognoſcẽda nobis ſint, tradit. poſtea uero de deligatiõe longã producit orationem dicendi breuitate minime ſeruata; qua in toto reliquo libro utitur. quanq; id fecit, ne quicq; quod utile eſſet, prætermitteret. quæcunq; igitur præter ægrotantem, & agentem, & miniſtros, & inſtrumenta, & lumen dicta hic ſunt, inſpicienda ſunt, atq; exponenda. ac primum quod primo poſitum eſt ubi, quod græce ὅκου dicit Ionico more pro ὅπου, π in κ uerſo, locum ſignificat in quo quippiam collocatum eſt. quo circa de omnibus antepoſitis dictũ id eſſe aſſerere non abſurde poſſemus. nam & ægrotans loco idoneo indiget. uocantur aũt ægrotantia ea de quibus eſt chirurgia. medico itẽ & miniſtris nihilominus quàm ægrotanti loco eſt opus. inſtrumenta etiam conuenientem locum requirunt. lumen quoq; quod artificiale eſt, ut hoc in loco efficiatur in noſtra ſitũ eſt poteſtate. ὅκως autem quod ſubiungit pro ὅπως id eſt quomodo, tam apud Ionas quàm alios qualitatem quaſi quandam rerum quæ traduntur, ſignificat. non modo enim debent qui diſcunt artem, locum cognoſcere, ubi uel cubans, ſed ſedens ægrotus operatione manuum curandus ſit, uerum etiam quo habitu, quaq; figura ſit collocandus, aduertere. Idem de eo & qui operatur, & qui miniſtrat, intelligendum eſt. necnon de inſtrumentis, quæ non ſolum loco accommodato eſſe appoſita, ſed eo ordine præparata eſſe debent, ut & à medico, & à miniſtris capi facillime poſsint. hic commoda uidetur prætermiſiſſe, cum ſubintelligi cum inſtrumentis apte queant. de quibus quo pacto deinceps inordinate meminerit, paulo poſt uidebimus. nunc quæ ſequuntur explicemus. ſubiungit quot, quo modo, quæ utraque ad unumquodque eorum quæ dicta iam ſunt, referuntur. ea enim omnia quæ præparanda ad chirurgiam ſunt cognoſci à diſcentibus debent. & quot ſunt, & quomodo eis uti oporteat: ut quod paulo ſuperius poſuit quo modo poſt ubi in ſitu & collocatione: quod nunc dicit, in uſu qualitatem ſignificet. unde illud poſt ubi conſtitutum eſt, quod eſt loci aduerbium; hoc, poſt quot relatiuum, quod operationes quaſdam per inſtrumenta quædam; accommoda uidetur præ ſe ferre. Quod ſubiungit quando occaſionem manifeſte exprimit qua unaquaq; re utẽdum eſt. de ijs uero quæ poſtea addit in hunc modum, corpus, cõmoda, tẽpus, modus, locus, merito quęritur, quid ſibi uelint. nam corpus affecti hominis ea parte ſignificauit, ubi de ęgrotante meminit. tẽpus item cum quando, modum cum quo modo, locum cum ubi dixit, manifeſtauit. cur igitur hæc adiunxit? ut nõ omittam q; commoda etiam hic præter ordinem interiecta ſunt, cũ melius uel cum inſtrumẽtis ſtatui, uel ſi etiam omnino nihil de eis ſcriptum fuiſſet, à nobis unà cum inſtrumentis intelligi potuerint. ſed de his illud reſpõderi poteſt, ſcalpros, terebellas, hamos, raſoria, laminas, mẽbranæ cuſtodes, & cætera huiuſmodi cõmodorũ nomine hic ab eo non fuiſſe appellata, cũ ſimul cũ inſtrumentis utpote ipſis cognata intelligi à nobis ſatis que-

A ant. sed ea tantum quæ ex domestico apparatu utilia ad curationem sunt. quemadmodum in libro De uictu in acutis morbis dixit, ubi de balneo agit. paucis enim in domibus inquit, cōmoda præparata habentur, & ministri idonei. alueos igitur, rotas, pelues, labra, & cætera id genus, ἄρμενα hic, id est commoda uocari censendum est, quæ cōmoda ijs qui curantur, & necessaria sunt. de reliquis quæ dicta hic sunt, restat absurditas. fortasse igitur hic corpus partem affectam uocauit: tempus uero id, quod ipsi est annexū. scire enim oportet in chirurgijs quota sit affectio quę in curationē uenit. quippe cum ipse neq; extendenda membra neq; articulos reponendos tertio aut quarto post die moneat. potest etiam ipsius curationis operariæ tempus intelligi. eo quòd nonnulla eiusmodi B sunt, quibus manuum operam adhibere quàm citissimam tentandum sit, cum uidelicet ex refrigeratione maximū impendet periculū. ut in ijs quorum uulnera consuenda sunt. nam si longiore mora trahatur curatio in magnitudinē doloris protinus incidunt. alia longioris temporis chirurgiā requirunt, ut suffusiones: in quibus opus est posteaquam fuerūt deductæ, aliquandiu eo loco interpunctoriā acum detinere, ubi manere eas cōpressas firmiter uolumus. modus autem hic de morbi creatione dictum uidetˀ, ut quo modo fractio, aut articuli luxatio facta fuerit, cognoscēdum esse doceat. queadmodum in libro De uulneribus in capite modos refert quibus uulnera efficiuntur his uerbis. Os in capite tot modis uulneratur. & dein C de: horum autem modorum unius cuiusq; plures formæ fracturæ in uulneratione euadunt. Item postea: cōtundi autem posset os in sua ipsius natura, sic ut nulla osi scissura accederet. ac secundus iste modus est. tum deinceps ubi alium dixit, subiungit: ac tertius quidē hic est. & rursus: hic est quartus. postea: quintus hic modus est. Cæterum absurdissimum hic uidetur, quid loci rursus hic meminerit, cum superius -ubi- aduerbium quod locum significat, posuerit: hinc enim fit, ut nonnulli orationis huius aliam expositionem comminiscantur: diuersamq; insuper lectionem afferant. pro hoc enim ὅκου, id est -ubi- quod antedictū est, legunt: cum tamē et qui librum hunc explanarūt, & pleriq; ex experimentarijs lectionem priorem D agnoscant. uerba ipsa clarioris euidentiæ causa iterum repetam. ægrotans. agens. ministri. instrumenta. lumen. ubi. quo modo. quot. quo modo. quando. corpus. commoda. tempus. modus. ubi dicunt igitur Hippocratem cum dixit -ubi- in superiori parte horum uerborum absolute id accepisse, cum & corpori ægrotantis, & rebus commodis & necessarijs accommodari queat. cōmoda siquidem hic uocare ea quę prius appellauit instrumenta, in fine uero corpori ægrotantis & cōmodis distincte illud attribuisse. quippe cum & ęgrotantis corpus & commodæ ipsæ res & necessariæ accommodato loco collocanda sint. Sed si priorem lectionem sequamur & antedictam nostram explanationē, locus qui in calce huius orationis positus est de menbro affecto corporis dictus esse intelligetur. medici enim sicut membra corporis, ita loca etiā appellare cōsueuerunt. atq; integri libri à nōnullis scripti sunt de locis affectis. Hucusq; capita rerum demonstrandarū tantūmodo exposita sunt. doctrina ipsa cum sequēti lectione initium sumet. Quocirca his quæ sequūtur attendendū diligēter tibi esse censeo. nam quod nō recte in his intellectum fuerit, non mediocre in artis operibus damnum afferet. si aūt quæ hactenus dicta sunt, non bene perceperimus, non magnam iacturam faciemus.

7 Agens uel sedens, uel stans congruenter ad se, ad id quod tractatur, ad lucem.

In superiori oratiōe catalogū ipsi de rebus factū esse dixi à quibus, & per quas, & cū quibus, & circa quas operationes manuū adhibere necessariū est. à quibus, sunt & medicus, et ministri. per quas, instrumēta. cū quibus, lumen & locus. circa quas & totū corpus eius qui tractatur, & pars affecta. quarū singulę cuiusmodi esse debeant, & hic & in sequentibus docet, non seruato tamē ordine, quo prius eas enumerauit. ab ægrotante enim cum inceperit, de medico primum hic agit. id aūt ueteribus omnibus consuetum est. à quibus innumera huiusmodi exēpla colligi possent. sed in præsentia id satis erit quod à Poeta in Iliadis secundo in nauium enumeratione ita dictum est.

Quis nam inter uirtute uiros fortissimus atq;
Inter equos fuerit, mihi tu Iouis inclyta proles
Musa refer, qui sunt Atridarum arma secuti.

Hic cum prius uiros dixerit, deinde equos, nō prius uiros recenset, sed equos in hunc modum,

Inter equos longe superabant uiribus omnes
Admeti bijuges, quas tunc Eumelus agebat,
Sicut aues uolucri penetrantes agmina cursu,
Aetate inter se, atq; æquo discrimine dorsi,
Atq; colore pares. quas olim pulcher Apollo
Pieria in sacra pauit, fera bella mouentes.
Ast hominū Telamone satus fortissimus Aiax
Omnium erat, quando iratus cedebat Achilles.

Alibi item cum dixisset.

Illic ploratus audiri & uota uirorum.

postea ad secundum prius respondens subiungit.

Qui aut occidebant, aut sæua morte peribant.

at in septimo Iliadis libro quasi dedita opera uellet ostendere talis loquutionis curā habendā non esse, cum oēs res ordine enumerasset, quod secundum dixerat primū resumit, deinde quintum aut quartum, postea tertium. Carmina autem ea sunt quæ in hunc modum exordiuntur.

Illic Bœotus, longis & uestibus Ion,
Locrenses, phthij, & præclaræ stirpis Epæi.

De ordine igiť quo in oratione utitur, hæc nūc semel dicta sufficiant, ut nō amplius alibi audienda sibi esse censeat quispiam. quæ aūt hic de agente ipso dicit, id est de operante medico, clara unicuique sunt, qui attendere uerbis his uelit. inquit enim siue sedentem, siue stantem eum qui operatur exercere chirurgiam debere, congrue & accōmodate se haben

se habentem ad id quod tractat, & ad lucẽ. eam rationem ordinis quam modo diximus, etiã hic seruat nam hanc ad unamquanq; rem medici cõgruitatem deinceps explicando, id quod ultimo loco dixerat primum resumit. quæ est lux. A

8 Ac lucis quidem duæ sunt species, communis altera, altera artificialis. communis in nobis nõ est. in nobis est artificialis.

De specierum quoq; nomine si semel nunc audiueris, perpetuũ id habe. mos ueteribus est, ut ea quæ ex diuisione generalium rerum euadunt, differentias, species, & modos appellẽt. Ita hic Hippocrates lucis duas esse species ait, perinde ac si differentias, ac modos duos esse dixisset. Alteram igitur lucem cõmunem esse dicit, qua omnes homines utimur, præcipue sub dio, secundo in domibus magnis atq; amplis, quæ magnis fenestris atq; ostijs copiosum lumen accipiunt. cuiusmodi nunc etiam plerisq; in urbibus curantibus medicis dari consueuerunt. quas à medicatione quam in ipsis exercent, medicatrinas appellant. lumen aũt artificiale etiam ipsum primum fit, cum lucernas, aut faces, aut funalia, aut tale quidpiam incendimus: secundo cum fenestras aperimus aut totas, aut ex parte, aut alijs clausis alias aperimus. ac de ostijs eadem ratio est. B

9 Quarum utriusque duplices usus sunt uel ad lucem, uel sub lucem.

Vtrisq; ex speciebus splendoris & communis & artificialis duo usus sunt uel ad lucem uel sub lucem. ad lucem uocat, cum ad lumen aduersum fuerit quod inspicitur & curatur: sub lucem, cum ab ea parum declinat. ut in suffusionibus fit, atque omnino in oculorum affectibus, quippe cum neque dignoscere morbos eorum exacte, si ad lucem aduersus sit, qui ægrotat, neq; curationem adhibere liceat. quo circa in his cauendum est, ne qui curari uult, ad lucem conuertatur, sed sub lucem, id est auersus à luce, aut oblique collocatus maneat. quod de oculis ipsis non de palpebris à me dictum intellige. circa has enim operari possumus etiam si homo conuersus ad lucem sit. quemadmodum in uesicarũ aquosarum sublatione, aut illaqueatione pilorum aut sutione, aut demum ubi medico apertis palpebris opus non est. si tamẽ ulceratus admodum fuerit qui lippitudine laborat, habeatq; eam quam uuam uocant, prorsus auersus à luce esse debet omni tempore, nisi cũ medicamentũ oculis medicus imponit. tũc eñ absq; luce inspicere medicus læsam partẽ nequit. sicut si aut unguẽ excidere, aut suffusionẽ deducere, aut tale quippiam operari uelit. nam tunc oblique ad lucem collocandus æger est: ut neq; à fulgore lucis oculi pupilla feriatur, neq; medicus frustretur, quin spectare curandam partẽ ualeat. atq; ille quidem planè qui à luce auersus est neq; ad lucẽ, neq; sub lucem, sed à luce magis appellabitur. necnon qui obliquus ad lucem collocatus est. melior tamen Hippocrati uisa est hæc enunciatio, quàm si per lucem, aut ab luce dixisset.

10 Sub lucem & paruus usus, & aperta moderatio est.

Superius demonstratũ est, nullum ex alijs mẽbris exceptis oculis tali chirurgia indigere. qm̃ uero, ut dixi, fieri non potest ut auersus à luce penitus quispiam sit, qui curatur, in medio statu & ab auersione à luce, & ab aduersione ad lucem collocare hominem uult. non tamen æque in omnibus morbis auersum à luce esse cõuenit, sed quatenus ipse morbus requirit. qui enim ulcerati sunt et suppurati, & uua laborant, inflãmationeq; aliquam magnam, aut fluxionem acrem habent, paruo etiam fulgore ita percutiuntur, ut & doleant & fluxu statim infestentur. illi autem à fulgore minorẽ molestiam percipiunt, quorum aut suffusio interpungitur, aut unguis, aut tuberculum exciditur, quod ἐγκανθὶς, id ex inangularis appellatur. moderatio igitur qua illum, qui curatur, à lucis fulgore esse auersum oportet, tibi si duobus his attẽderis, inuenietur. ut uidelicet medicus clare in oculo id quod in operatione agit, inspiciat. & qui tractatur non uehementi aliquo dolore crucietur. nam uterq; ex his scopus contrariam collocationem tibi præscribet, prout alter alteri præualere conspicietur. quòd si neuter præualuerit, medium habitum & statum eliges eorum qui tum ad lucẽ prorsus aduersi, tum ab ea auersi penitus sunt. Ego tibi uiam exposui, qua si uteris moderatã conuersionem reperire facile poteris. Hippocrates uero ita dixit, existimans moderationem facile omnibus, si inuenire uoluerint, manifestam euasuram. nõ enim ineruditos homines, ut nos nunc, sed admodum exercitatos in disciplinis docebat. qui ex consequutione eorũ quæ prius fuerant demõstrata, talia ex sese excogitare non difficulter possent.

11 Quod ad lucẽ uero attinet, ex præsentibus, ex cõferẽtibus luminib. ad claritatẽ cõuertere debemus id quod curare uolumus.

Vt quæcunque ait medicus in curatione ex manu in ægrotantis corpore diligentissime inspiciat, in omnibus corporis partibus, exceptis oculis clarissima lux eligenda est. clarissima autem lux est in subdiali loco à sole illustrato, cum nulla res lumen eius impedit: sed interdum in diuersorio eius qui curandus est, nihil huiusmodi reperitur. sæpe si reperitur, eò prodire non confert, cum per hyemẽ frigus, per æstatem calor infestet. quorum utriusque propria quædam læsio est. adde quòd uenti quoq; cauendi sunt. horum enim causa sæpenumero fit, ut nõ modo in liberum aerem, uerum etiam ad ianuas, & fenestras quas uentus uehemẽtior perflat, deducere ægrotum uitemus. nam sicut in illis cauendi uenti maxime sunt, in quibus neruos pati aliquid timemus, sic in putrescentibus sol euitandus, cũ ad sanguinis eruptionem apti sint. recte igitur adiũxit ex præsentibus, ex conferentibus. non enim ex præsentibus luminibus claritas tantummodo est eligenda, sed illud insuper considerandum, an quod clarissimum est, ex conferentibus sit.

Præter

12 Præter ea quæ aut latere debent, aut uidere turpe est.

Non clara locutione sententiam hic suã explicauit autor. sed uidetur dicere partes ægrotãtium tractandas quę aut latere debent, aut uidere turpe est, ad lucem non esse conuertendas, cum tamen non id uelit. nam ita postea subiungit.

13 Atq; ita quod tractatur aduersum ad lucem, qui tractat aduersum ei quod curatur, collocari oportet, sic ut ne obumbret.

Hoc enim modo tota sententia ab eo erat explicanda. Quod ad lucem uero attinet ex præsentibus ex conferentibus luminibus ad claritatem conuertere debemus id quod curare uolumus, ita quidem ut puram, & nõ adumbratam lucem usq; quaq; seruemus. sed in ijs quæ uel latere oportet, uel uidere turpe est, ita collocare se medicus debet, ut & alios omnes impediat, quo minus inspicere tractandas partes queant, & sibi nulla ex parte obũbret. atq; hic totius huius orationis sensus est. sed fortasse quispiam clare audire cupit, quam obrem medicus eos qui circumstant, celare quippiam uelit. nonnulli sunt ex præsentibus quos ex actas quasdã ex manu curationes docere fortasse non uult, cũ digni non sint. domestici itẽ aliqui & familiares ipsius ægrotantis incidere interdũ partes aliquas uetant, quę eiusmodi indigent curatione. dolent enim atq; indignant̃ aduersus medicũ, & carnificem uocant. cum tamen sæpe etiam alterum ex testibus putrefactum excidere prorsus necesse sit, & neruum per trãsuersum secare ne in cõuulsionem incidat ægrotus. alij item ex uulgaribus hominibus puris copiam spectare nõ patiuntur. quidam ne permittunt quidem, ut quod pus continet corpus aperiatur. quibus in rebus medicus dat operam, ut ipsis inscientibus locum affectum secet, & pus totum educat, atque exprimat. idem quandoq; ob laborantiũ timiditatẽ à nobis fit. quippe cum adeo timidi nonnulli sint ad huiusmodi curationes suscipiendas, ut priusquam secti fuerint, ex doloris expectatione animæ defectu collabantur. his quod probabile est, est dicendum: cras nos de curatiõe & chirurgia considera turos, in præsentia satis esse, si locus aut foueatur spongijs, aut aqua perluatur, atq; ad emplastrum, aut medicamẽtum recipiendum præparetur. atq; ita inexpectato sectio homini adhibenda est. atq; in his quidem medicus inspectioni præsentiũ obstabit, ea causa ut lateat id quod agit. in alijs ob pudorem ægroti locum curandum à conspectu auertet. qui enim ægrotat aliquando summopere curat, ne à plerisq; uideatur, si in sede, aut pudendis morbus sit. hæc enim loca occultare consueuerũt. si fœmina sit, circa nates & pectus. circa uentrem etiam, ac multo magis circa pubem uerecundiæ causa conspectus uitandus. Sed quidam hic Hippocratem damnat, ridicule hæc dixisse eum asserens. quippe cũ qui uideri nolunt, dum huiusmodi in partibus curantur, facile possint omĩbus qui intersunt, è cubiculo exclusis soli medico rem cõmittere, uno solo aut duobus admissis, qui familiarissimi sint. at is planè nescit, neq; expertus est, & multos esse qui sicut inspici morbos suos erubescunt, ita prohibere à cõspectu nõnullos atq; amouere uereantur. & multos quoq;, qui etiã si prohibeãtur, cõtendentes ac curiose ægrotãtis affectionem scire affectantes cũ familiares & amici sint, impudenter remanere uelint. Qua propter in huiusmodi occasionibus medicus, quod nullo negocio facere potest, obsequi ægrotanti debet, & solus ipsum tractare, & nemine aduertente ita exercere chirurgiam ut plerosq; lateat. potest eñ ut dixi cum uel aqua perfundit, uel spõgijs fouet, quasi nihil operaturus sit, repente opus absoluere, dum aliud quid agũt, qui curiose inspecturi singula assistebant. atq; hæc quidẽ quæ in huiusmodi altercationem uenire possunt præter medicinæ contemplationes sunt, quæ tamen nos ex rei consequutione, imò propter calumniantium cõtradictionem coacti fuimus commemorare. Sed iam ad ea quæ sequũtur transeundum est.

14 Ita enim & qui agit, inspiciet, & quod tractatur, non inspicietur.

Hic quoq; integra loquutio huiusmodi esset. ita eñ qui agit, inspicit partẽ quę curat̃. ea aũt pars ab alijs nõ inspicitur. non enim ad medicos utraq; spectant, ut & uideatur, & non uideatur.

15 Ad se autem ita, ut si sedeat, pedes in superiorẽ partẽ processiõe directi ad genua sint, interuallo uero parum distent. genua autem inguinibus paulo superiora existãt, ea distantia sit quæ idonea cubitis, tum positione, tum appositione.

Vbi conuenientiam quam ad lucem habere debet medicus explicauit, ad congruentiã quam ad seipsum seruare oportet, deuenit. cum enim superius dixerit, Agens uel sedens uel stans congruenter ad se, ad id quod tractatur, ad lucem: deinde id quod ultimo loco posuerat, id est ad lucem declararit, & simul cum eo ad id quod tractatur quoq; necessario exposuerit: nunc conuenientiam persequitur, quam ad sese habere medicus debet. ipsum autem ad seipsum conuenienter se habere in situ, simplex & quasi per articulos distinctũ nihil potest, ita ut aliàs aliam collocationem uarijs in figuris obtineat. sed si inter se compositi partes ipsæ spectentur, ita admittere conuenientiam poterit. nam si quis uel sedens uel stans quàm plurimũ inter se mẽbra abstrahat ac diducat, is incongruenter erit collocatus. quẽadmodum si prorsus eadẽ cõtrahat, ut uel se mutuo tangant, uel alterum alteri superiectum sit. nec non si in longitudinem totum crus producat. aut non directe ad genu, sed longe retrorsum pedem teneat. Qua de causa merito hic Hippocrates uniuscuiusq; ad seipsum cõuenientiam in sedendo membrorum inter se habitum esse definiuit. ut pedes uidelicet directe ad genua collocati sint. sed quia directũ & in rectitudinem duobus modis intelligi potest, & cum in lon

gitudinem

gitudinem crus protenditur, & cum in altum attollitur, & erigitur, merito subdit, in inferiore parte processione. nam ἴξιν, id est processionē seu itionem rectitudinis situm & collocationem appellare consueuit. distare igitur pedes inter se aliquantulum censet, genua uero inguinibus paulo esse superiora: id in omnibus spectans, ut & honestatem ac decorum seruet medicus, & promptus ad operandum, firmusq; ac stabilis in collocatione sit. quippe cum qui ita sedeat, circumagitari, ac quassari difficulter queat. unde & genua, & tota femora usq; ad inguina tanto interuallo debere esse disiuncta inquit ut & honeste, & firmiter, & apte ad operandum sese habeant. quo interdum cubitis supra femora innixi, interdū ex utraq; ipsorum parte apposito brachio operari ualeamus. nam quod inquit positiōe supra ipsa, appositione in lateribus collocationem notat.

15 Indumentum succincte, syncere, æqualiter, similiter cubitis, humeris.

Succincte, id est εὐσταλέως apte & expedite, ut neq; nimis astrictum, neq; nimis laxum corpori medici circumiectū sit. syncere autem de ipso indumēto dictū est, distincte atq; explicate, ut nullam partem eius duplicatam esse significet. quod aūt subdit, ęqualiter, similiter cubitis, humeris, ambiguum est. uel enim utrisq; in brachijs circūiectū esse indumentū æqualiter ac similiter humeris & cubitis censet, ut alterum brachium alteri conferatur, id quod pleriq; cōparare appellant. uel cubitos & humeros in singulis brachijs æqualiter ac similiter indutos esse, ut cubitus humero, & humerus cubito cōparetur. nam ꝙ non supra cubiti gibbum retractum esse amictū uelit, perspicuum est. quippe cum non medico solum, qui tam seriam artem exercet, inuelatos ac nudos habere cubitos turpe sit, uerum etiam ijs qui in forensibus tumultibus causas dicunt. quos uidemus admodum uereri super cubitos retractam tunicam gestare, perinde atq; illi qui ad pancratio decertandū præparantur. possimus etiā talem amictus habitum alia causa reprobare, quia uidelicet non tam partes circa cubitum, ꝙ totum etiam brachium refrigeret. quanquā quantā partem eius ultra cubiti gibbum occupari conueniat, non expressit: ob id fortasse quia clarum est, atq; eiusmodi, ut à quocunq; nostrum inueniri queat. nō enim difficile est conijcere in singulis operationibus quantū produci ultra cubitū debeat indumentū: hic quoq; id attendentes, ut & honestatem seruemus, & apte instructi ad propositam chirurgiam simus. nam sicut paulo superius ubi latere oportebat, cōtrarios esse scopos ac fines dixit: alterum umbrosi aeris ne ægrotans pars inspiceretur: alterum clari luminis: quo ipse ille qui curaret, uidere posset. ex quibus eum sequi deberemus, uter maiorem uim habuisset. ꝙ si uterq; æqualiter propendere uisus fuisset, medium planè inter utrosq; esse eligēdum. eodem modo & nunc, & prorsus semper faciendū est, ut ubi in cōtrarias res diuersi fines æqualiter deducunt, A medium utrorumq; eligamus: ubi alter preponderarit, ad eum tēdamus. in operatione igitur, quantum ad ipsum attinet, totū brachium nudū esse oportebat. honestas uero totum idem esse contectum postulabat. mediū tamen seruatur. Quocirca semper mediū utrorūq; eligendū est, cum sunt æquales: cum sunt inæquales, ad eum qui magis urget, concedendum est.

17. Ad id auten quod tractatur, ultra & prope & sursum & deorsum, et hac uel illac uel in medio, ultra & prope termini sunt cubitorum gibbi si ulteriorem partem genua in citeriorem costas non pertranseunt. sursum si non superius quàm mammæ sunt, B summas manus teneat: deorsum, si non inferius, quàm ut pectus supra genua habēs, summas manus angulares ad brachia efficiat. atq; in medio quidem, hoc modo. at hac uel illac si non extra sedem, sed pro ratione conuersionis corpus & operantem corporis partem protendat.

Cum medicum iusserit conuenienter se haberē ad seipsum, ad id quod tractatur, ad lucem siue sedeat, siue stet: primum de sedentis conuenientia ad unumquodque ex his tribus aggressus est dicere à luce principio sumpto: deinde ubi ad conuenientiam quam ad seipsum habet transiit, C eamq; explicauit: ad tertium quod adhuc restat nunc descendit, congruentiamq; eius ad id quod tractatur et curatur exponit. nam neq; admodum prope id quod curatur sedere medicus debet, ne ex angustia manuum tractatio impediatur. neque adeo distare, ut attingere id quod pertractat, uix possit. statuit eñ hic quosdā terminos citra quos remanere, aut ultra progredi medicus minime debet. illud uero memoria tenendum est, de sedente primum haberi orationem. tātum igitur abesse eum qui medetur ab ægrotante uult, ut cubitos neq; ultra genua protendat, neq; citra costas retrahat. qui distantiæ ante & retro termini sunt. distantia autem hæc & dimensio per lōgitudinē appellatur. cū uero duæ reliquæ sint, altera per latitudinem, altera per profunditatē & altitudinē, utrolibet eñ modo nominanē, de ea quę est per altitudinem terminos hos statuit, ut qui operatur, neq; superius mammis manus attollat, neq; inferius deprimat, quàm ut pectore genibus incumbente angulares manus ad brachia figuret. angulares appellans, cum in curuatura rectum angulum cubitus cum brachio efficit. quippe cum media hæc sit figura inter perfectam cubiti incuruationē, qua D fit, ut inflectere ipsum arctius nequeamus, & perfectam diductionem, qua distendere brachiū magis non licet, eius quæ per latitudinem fit in laterales partes, terminos in utranq; partem ponit, in dextram & sinistram ita conuersiones facere ut sedes non dimoueantur, id est partes corporis quibus considemus, & innitimur. atque horum quidem

dem termini deinceps hic per diuersa tempora explicati sunt. quippe cum quo tẽpore de interuallo per longitudinem dicebat, eodem de eo quod est per latitudinem & altitudinẽ docere nullo modo potuerit. quemadmodũ neq; cum de altero reliquorum duorum egit, de longitudine. sed medicum tamen, ut puto, monet, ut quocunq; tempore ad omnia quæ dicta sunt, animum aduertat. eo quòd omnibus simul in omi operatione opus sit. nam cum media quædam sit medici constitutio in sedendo, cum uidelicet spectãs nihil operatur, eam speciosissimam atq; honestissimam esse oportet, perinde ac si pictor quidam, aut fictor imaginem eius imitaturus sit. sed cum ad manu operandum iam peruenit, manus ei mouendæ sunt ante simul & sursum alias, alias ante & sursum & sinistrorsum, interdũ retro uel utræq; manus, uel una tantum retrahẽda est, atq; id uel deorsum, uel sursum, uel dextrorsũ, uel sinistrorsum. dimẽsionib. enim his inter se cõnexis multiformes figurarum uariationes euadunt. in quibus omnibus communis ille scopus tenendus est, ut sedes ipsa inuariata conseruetur. quam nonnulli distantiarum harum terminos transgrediendo turbare consueuerunt. nam si ita alte pars curanda fuerit collocata ut medico supra mammas suas manus attollere necesse sit, cogetur is interdum altius seipsum à sede subleuare quasi surrecturus, ita ut neque stet prorsus, neq; sedeat: sed in medio quodam instabili ac nutante habitu constituatur. & si multum ad dexteram, aut sinistram partem procedẽdum fuerit, eò è sede ipse attolletur, ut periculum sit, ne ex ea delabatur. in ulteriore, & citeriore parte idem cõtinget. si deorsum aũt magis demittendę manus sint, præter quàm φ sibi in operando obtenebrabit, in indecoro etiam habitu considebit.

18 Si uero stet, utrisq; quidẽ pedibus exæquo insistere oportet, Sed agere altero inscendentẽ, qui utiq; ex parte operantis manus non sit, sublato genu ad inguina sic, ut in sessione. & alij termini ijdem.

Vbi orationem de sedente expleuit, de stante agere incipit. iubetq; eum eadem prosus seruare quæ paulo ante in sedẽtibus præcepit. nisi quòd hic pedum stationem inæqualem esse uult. alterũ enim altero altiorem esse debere inquit, sic ut non edirecto operãtis manus talis statio sit. quam medicum in tota operatione seruaturum esse, si neq; nimis alto loco, neq; ulterius quàm oporteat siue longitudine, siue latitudine membrum quod tractandum est, fuerit collocatum: unicuiq; qui ante dicta meminerit manifestum est. nam si ita alte erit collocatum, ut medicus manus supra mammas suas cogatur attollere, efficietur, ut dum immoderate extenditur, è sede excutiatur. si uero longius distabit, ita ut progrediendum aliquantulum sit, medico pristinã sedem deserere erit necesse. Quia uero supra aliquid innixum, ac firmatum alterum pedem esse uult, id in quantã altitudinem fieri debeat, declarat. eundem habitum inquiẽs ipsius genu ad inguina hic esse seruandum, quẽ in sedentibus superius explicauit. de illis eñ ita dixerat. genua autẽ inguinibus paulo superiora existant. eo quòd eiusmodi sessio sicut tutissima est & maxime decora, ita ad operãdum quoq; expeditissima est. nunc uero alterum tantũmodo genu promine re altius uult, ut eadem ad inguina ratio seruetur. plurali aũt numero dixit inguina, quo ad inguina utrorumq; crurum æqualem altitudinem habere genu intelligamus.

19 At qui tractatur reliqua corporis parte curanti inseruiat, uel stans, uel sedens, uel iacẽs facillime ea figura qua permanet, subfluxionẽ, subsidentiã, diuersionẽ, decliuitatẽ seruans. Sic quę debet seruatur & figura & forma eius qui tractatur, in exhibitione, in tractatione, in posteriore habitu.

Diuersas interpretationes loci huius tradiderunt, qui in librum hunc explanationes cõscripsere. nam tum quatuor horum nominum ambiguitas, suffluxionis uidelicet, subsidentię, diuersionis & decliuitatis, tum orationis breuitas qua multa complecti uoluit Hippocrates, dissentiendi ipsis præbuit occasionem. cum enim obscura adeo sit authoris huius sententia, coniectura magis quàm certo aliquo iudicio ducti id fecerunt. sed ego id quod in omnibus huiusmodi facere cõsueui, nũc quoq; præstabo. ut omissis omnibus quæ uidẽtur absurda ea tantummodo persequar, quæ probabiliter excogitata mihi esse uideantur. meamq; præterea in hoc sententiã nõ celem. ab obscurorũ aũt horum nominum explicatiõe exordium sumam. Cum simplex prius sit, φ compositum, & sæpe fiat, ut licet nulla obscuritas in simplicib. sit, obscuritatem tamen afferat cõpositio: id in præsenti hac oratione plane contigit. nõnulli enim suffluxionẽ intelligendã censent, quæ ex humidis euenit. atq; horum duplex etiam sententia est. alij, ex ijs quæ è corpore mouentur, alij, ex ijs quę extrinsecus infunduntur. quidam quoq; de ijs mentionem hic esse factam dicunt, quæ in curationis operatione ipsa effluunt. alij de ijs, quæ post operationem eueniunt, dictum esse hoc asserunt. Eadem de subsidẽtiæ nomine discrepantia est. nam cũ subsidere contrarium fluxioni humorum sit, merito de eo esse eadem ambiguitas debet. alter explanatorum cœtus non de humidis, sed de siccis & solidis animalis partibus subsidentiæ & suffluxionis nomẽ esse accipiendũ contendunt. ac subsidentiam quidem seu subsistentiam malis dicere, id est ὑπόστασιν, suspensionem ac subleuationẽ uel partium quæ inciduntur, uel totius etiã corporis dici opinanẽ. suffluxionem quã ὑπόῤῥυσιν uocat, eorundẽ ad inferiora declinationem ac delapsionẽ non secus ac si defluxionem, id est κατάῤῥυσιν dixisset. nã defluere hoc significato in præsagijs dictum esse aiunt, ubi inquit. at si procũbat, & defluat è lecto ad pedes, illud uero grauius est. his qui ita exponũt, nomen quoq; diuersionis & decliuitatis attestatur, quæ

deinceps ſubſequuntur. Diuerſionem enim, id eſt
ἔκτρεψιν conuerſionem in latus ſignificare dicunt,
ſiue totius corporis ſit, ſiue eius tantũ partis, quæ
curationem ſuſcipit. Decliuitatem uero ad ea quę
proprie κῶλα, id eſt membra longa nominantur,
quæ ſunt brachia & crura, referendã eſſe, ſicut ſuf-
fluxionem ad totum corpus. quãdo enim corpus
eodem in loco detinet quiſpiam, neq; id dimouet,
ſed uel crus tantum, uel brachium deorſum incli-
nat, eum ſitum decliuem appellari dicũt. atq; hæc
quidem quamuis uera ſint, ſi quis ſigillatim ea con
ſideret, in tota tamen oratione non correſpondẽt.
nam alia quędam etiam ipſorum omnium duplex
diſſenſio eſt. cum nonnulli putent Hippocratem
uoluiſſe ægrotãtes ea ſeruare quæ quatuor his no
B minibus ſignificantur, ſubſidentia, ſuffluxione, di
uerſione, & decliuitate: nõnulli non putent. Illud
uero ad totam orationis huius ſententiam nihil re
fert, quòd in nomine diuerſionis tres lectiones cir
cumferũtur. alij enim diuerſionem, id eſt ἔκτρεψιν
per τ & ρ & ε in ſecunda ſyllaba legũt. alij σ adiun-
cto ἔκστρεψιν, detortionem, ſeu inuerſionẽ. alij per
τ & ρ & ι ἔκτριψιν, deterſionem ſeu expreſsionem
legendũ affirmant. unam enim tantum lectionem
in explicatione ſententiæ explanatorum poſuera
mus. eo quòd cum manifeſta nominum horum ſi-
gnificatio ſit, ab ἐκτρέπεσθαι, id eſt à digrediendo &
diuertendo diuerſio, ab ἐκστρέφεσθαι, id eſt inuerten-
do & detorquẽdo inuerſio, ab ἐκτρίβεσθαι, id eſt ex
primendo & detergendo deterſio, facile intelliga
C mus, ſeruanda hæc eſſe ab ægrotãte, uel nõ ſeruan
da. At enim omnes hi in loci huius expoſitione ex
parte quidem ſententiam Hippocratis uidentur
perſpexiſſe, totã tamen exquiſite aſſequi minime
potuiſſe. ſi enim quis aduertat ijs quæ in calce di-
cuntur, ubi inquit in exhibitiõe, in tractatione, in
poſteriore habitu, omnes uera quidẽ dixiſſe, cum
alia aliter in tribus his occaſionibus exhibitione,
tractatione, poſteriore habitu ab ægrotante præ-
ſtari utile ſit: non tamen componere omnia potu-
iſſe uidebuntur. planum aũt hoc erit, ſi tres has oc
caſiones manifeſte diſtinxerimus. prima eſt cum
exhibent ſe ægrotantes ad medicis exactã morbo
rum dignotionem percipiendam: quam exhibi-
tionem hic uocat. Secunda, cum aliquid medicus
D in parte affecta operatur, ac tractat: quam tracta-
tionem appellat. Tertia deinceps, quẽ nuncupat
poſteriorem habitum, cum ægrotanti in eadem fi
gura ſeruare partem affectam propoſitũ eſt. ab ha
bendo enim eam eundem in modum habitus ap-
pellationem fecit. in omnibus igitur his tribus oc-
caſionibus quoddam cõmune, & quoddã propri
um eſt. cõmune eſt, ut membrum affectum immo
tum ſeruetur, niſi cum motione quodãmodo à me
dico ſit tractandum. proprium autem bonũ ex eo
ad perfectam ſanationem cõparatur. cum in exhi-
bitione exacte dignouerit eam partem medicus,
quam curaturus eſt. in tractatione, ſi ſit fractura,
extenderit, & conformarit apte, & obligarit. ſi lu-
xatio ſit, extenderit, & repoſuerit, tum conuenien
ti deligatione affectum locũ circundederit. ſi ſcal-

pelli opera adhibita ſit, pus omne expreſſerit, &
putrefactum quippiam aliqua parte uel ferro præ
ſecuerit, uel igne deuſſerit. His autem & humido-
rum ſuffluxio & ſubſiſtẽtia utilis eſt. altera, ut fiat,
quippe cum quod præter naturam humidum eſt,
excernendum ſit. altera, ut ne fiat, quod enim pra-
uum eſt, manere intus non conuenit. interdum ta
men ſubſiſtẽtia utilis euadit. quemadmodũ in qui
bus uel uniuerſum exinanire pus ex magno ab-
ſceſſu, uel humorem inter cutem nolumus. multo
item magis in brachijs & cruribus quæ ſubiecta
manuali curationi ſunt, ſuffluxio, & ſubſiſtẽtia ſer
uãda eſt. ſimili modo in ſolidis animalis partib. ſer
uari hæc in tribus his occaſionibus exhibitione,
tractatione, poſteriore habitu ab ægrotãte debẽt.
nam ſi attollat partem eam ægrotus, atq; ingerat
curanti, medicum cogit non conuenienter inciſio
nem facere, dum neq; quantitatẽ, neq; locum ſer-
uare permittit, ex eo quòd ſcalpelli admotionem
præuertit, atq; anticipat. Si retrahat uero, deficien
tem operationẽ reddit, ac mancam. cum medicus
uel in media ipſa curatione tantum ſit, uel dimidia
tum opus relinquat. atq; hæc quoq; fiunt cum iam
deligati ſunt. interdum etiam dum manu curãtur,
ut puta ſi in uentre tractentur, in dorſum ſeſe attol
lentes in latus diuertuntur. id quod nomine diuer
ſionis ſignificatur. uel ſi nihil horum faciãt, muſcu
los uehementer intendunt. quam mutationem ui
detur ſignificare cum ſubiũgit. ſic quod debet ſer-
uatur et figura et forma eius qui tractatur. nã quan
tum malum afferat, ſi ægrotus, dum ei interpungi
tur oculus, figuram & formam nõ ſeruet, uel eam
immutet, uel adeo uehementer intendat, ut facies
ſanguine repleatur, cuilibet patet. ſimile eſt, cũ æ-
ger excidente os capitis medico paululũ id uel ſu-
ſtulerit, uel depreſſerit, uel in latus diuerterit, ac
deflexerit. exactã enim ex manu curationẽ labefa
ctat ac turbat. idem facit, ſi uehementius ſe exten
dat qui curatur. quippe cũ in mutatione habituũ,
partis quæ tractatᷓ ſitus immutetur: diſtẽtiones ue
ro in alijs partibus ſanguinis eruptionẽ efficiant,
in muſculis aũt non ſolũ eandem læſionẽ afferant,
uerumetiã cum partẽ eam altiorẽ interdũ reddãt,
interdum depreſsiorẽ, in cauſa ſint, ut ubi ſuſpenſi
fuerint, os, ubi depreſſi, ulceris ſedes ſubijciatur. id
quod in locis circa intercoſtia & uentrẽ uſu uenit.

20 Vngues neq; excedere debent, ne-
que deficere digitorũ uertices. in uſum ex-
ercere digitis quidem ſummis, pleráque in
dice ad magnum applicato. tota autem ma-
nu prona utriſque aduerſis.

Poſteaquàm dixit de eo qui tractatur ex com-
municatione, nunc ad tractantem redit. quantiq;
ungues eius eſſe debeãt, quales digiti, quo pactó-
que attollendi ſint, exponit. nam quantũ ad ſum-
morum digitorum operationes attinet, quæ ſanè
propriæ etiam digitorum ſunt, illud optimum eſt,
ſi ungues neq; excedant, neq; deficiant. Sed cum
in primo de uſu partiũ hoc latius tractauerimus,
ubi omnem ſummæ manus naturã explicauimus,

in præsentia satis erit si sola uerba hic clarius exponamus. Cum igitur duplex lectio circunferatur, utraque explananda à nobis est. una est in hunc modum. Vngues neque excedere debent, neque deficere digitorum uertices: eo quòd ita fiat, ut parua corpuscula ad quæ capienda summorum digitorum operatione indigemus, facillime comprehendi queat. deinde quasi ab altero principio subsequatur. In usum exercere digitis quidem summis, pleraque indice ad magnum applicato. ut uidelicet prioribus uerbis de magnitudine unguium digitorum doceat, sequentibus de usu ipsorum digitorũ agat. altera lectio est huiusmodi. Vngues neque excedere debent, neque deficere. deinde ex altero principio. Digitorum uerticibus usus. uerticibus in datiuo casu, ut talis tota sententia euadat. ungues neque excedere neque deficere lõgitudinem digitorum debent, sed planè ipsi adæquari. quippe cum summitatibus ipsorum usus sit. id quod neque esse falsum uidebitur, si rem diligẽter perpenderimus. nam licet nonnullæ sint operationes in quibus totis utimur manibus, cum uidelicet circumplectẽtes utrisque ipsis uel cubitum, uel femur, uel tibiam cruris, uel tale aliquid atque in diuersa trahentes extendimus, digiti tamen ibi tanquam partes manus operantur, non secus ac uola, & cæteræ partes. at cum interpungimus, aut resuimus, & cõsuimus, aut ungues ex oculis excipimus, digitis ut digitis, nõ ut manus partib. uti cõsueuimus. simili modo cum scalpello, aut tali aliqua re operationẽ exercemus. in omnibus siquidem digitorum operationibus summitate ipsorum utimur. ac propterea recte dictum esse, digitorum summitatibus usus non negauerim. postea item ab alio principio subiungunt. Exercere digitis quidem summis, pleraque indice ad magnũ applicato. hac oratione declaratur pleraque digitorũ operationes ad magnũ, quem pollicem uocant, indice obiecto fieri. ita ut utrorumque summitatibus id quod capitur, contineatur. tunc enim solis his duobus digitis operantibus est opus. nam si etiam tribus captio facienda sit, sicut cum specillo sublinimus, aut interpungimus, licet medius aliquatenus etiam ipse opituletur duo hi antedicti maiorem partem operationis exequuntur. tota autem manu utimur in chirurgiis, cum caua eius parte corpus id circumplectimur, circa quod operamur. ac digitos quidem affectos extendere, & conformare, & fingere uel una sola manu possumus. brachium, aut cubitum, aut femur, aut tibiam una non possumus: sed utrasque adhibeamus inter se aduersas atque oppositas necesse est: quo circum circa membrum queamus comprehendere. tota etiam manu prona utimur, cum cucurbitulas admouemus atque imprimimus, cum ex paruo cauterio exprimimus, cum spongiam superdamus, aliaque multa huiusmodi facimus. de quibus fortasse ob rei claritatem hæc quoque dixisse, superuacuum fuit. quippe cum & digitorum & manuum operationes omnes, quę utrisque manibus, quæ digitis solis, quæ tota manu faciẽdæ sint, facile meminisse per se unusquisque posit.

A

B

C

D

21 Digitum diducere oportet magnum id quod inter digitos medium est. atque oppositum pollicem indici reddere.

Nõ enim alio modo fieri potest, ut in operationibus pollex indici opponatur, nisi quod mediũ inter utrosque est, magnũ sit. id in reliquis quoque digitis optimũ est. ut cũ undequaque corpus aliquod magnum comprehendendum est, id quàm plurimum distantes circum circa complectantur.

22 Morbus uero est, ex quo etiã ij læduntur, quibus in ortu, aut educatione assueuit pollex ab alijs digitis contineri.

Duplex lectio hic est. sed quia in utrisque eadem seruatur sententia, ab ea quæ clarior, euidentiorque est, incipiã. Quibusdam inquit mala quadam educatione usis in consuetudinem abijt, ut reliquis digitis pollicem contineant. atque ob id is ocio marcescens paruus, atque attenuatus euasit: interuallumque quod inter eum & indicem est, exiguũ effectum est. hoc autem in morbum manus, hoc est in læsionem desinit. alij à morbo hoc contingere inquiunt, qui uel ex pollicis luxatione euenerit, uel ex ulcere aliquo inter indicem & pollicem orto, quod in curatione duram cicatricem contraxerit. ita ut uel obduratus musculus is medius inter duos digitos, uel tabefactus amplius non alatur, neque crescat. adde quòd cum magna aliqua interdũ putredo inter duos hos digitos contigerit, carnemque corroserit, ac postea dura cicatrice obductus locus fuerit, efficitur, ut paruo interuallo pollex & index inter se distent, et quasi uinculo inter se connexi adhæreant. ac præcipue, si dura, sicut dixi, cicatrix supercreuerit. nam hæc ita per negligẽtiam inolescere pueris uerisimile est. adulti enim à medicis edocti molliendo ac mouendo pollicem medium locum efficere ad alimenta suscipienda idoneum possunt. ut omittam quòd huiusmodi hominibus totum corpus auctũ iam est. ut si etiam male res ipsis cesserit, non nisi in maciẽ, alimentorũque destitutionẽ læsio euadat. at in infantibus si in primo incremento affectione aliqua huiusmodi corripiantur, digitosque propterea non moueant, fit ut & partes affectæ non amplius augeantur, & quicquid inter utrosque digitos intercedit, exiguum ac tenue remaneat. dicunt igitur nonnullis in hunc modũ euenire. alijs cicatrice dura induci locum: atque id ex dura quadam affectione partium, quę inter digitos sunt. ac propterea à uinculo quodam contineri pollicem, id est prohiberi quo minus ab alijs digitis separari queat. quidam enim sunt, qui ita uerbum contineri interpretẽtur, quamuis illud repugnare maxime uideatur. quòd si horũ explanatio admitti deberet, necesse esset ab alijs per ἀπὸ præpositionẽ dictum fuisse, quæ quidem præpositio ab loco distantiam notat, nõ per ὑπὸ, quæ actionem significat. quæ autem in media sede inter duos digitos affectiones existũt, eam paruam & connexam reddunt. ac de his quidem illud elige, quod maxime probabile tibi uisum fuerit. nã in ita

in ita obscuris loquutionibus explicandis diuinatione potius quàm sapiētia opus est. Ad ueterem lectionē iam uenio. nam hanc Asclepiades etiam corruptam esse existimauit. sanctioremq; & uériorem talem esse cōiecit. Morbus autem est ex quo etiam ij læduntur, quibus in ortu, aut educatione assueuit pollex &c. quæ fortasse etiā ab ipso Hippocrate scripta fuit. Tarentinus tamē Heraclides dispositio seu affectio subintelligendū censebat: ut integra oratio huiusmodi esset. morbus autem est, ex quo etiam lædens affectio ijs contigit, quibus in ortu & educatione, & cętera quæ sequunt.

23 Opera omnia exercere alterutris manibus agentem oportet: & utrisq; simul: similes enim sunt. utrisque quidem coniectantem bene, pulchre, celeriter, infatigabiliter, concinne, expedite.

Omnia utrisq; manibus exerceri iubet, eo quòd utilissimum id sit, ut & celeriter, & pulchre operationes fiant. qualiscunq; igitur fuerit medicus dextera manu dexterum oculum, sinistra sinistrum aggredietur. siue interpungere, siue unguem excidere, siue quippiam aliud huiusmodi facere oporteat. unde etiam addidit, coniectantem bene, pulchre, celeriter, infatigabiliter, concinne, expedite. eo quòd ex ea quam superius dixit exercitatione hæc nobis acquirantur. quorum unumquodq; quo pacto efficiatur, paulo post docebit. in præ- A sentia illud tantum animaduertamus, horum doctrinæ caput esse - quo modo - quod unum ex ijs est, quæ in prima diuisione continentur. aduertendum item manus similes ob id dixisse, quia specie & forma à se mutuo non uariant.

24 Atq; instrumenta quidem & quando & qualiter, dicetur. ubi oportet non impedimento esse operi. non impedimento esse assumptioni circa operantem corporis partem. sed si alius det, promptus paulo prius sit. & faciat quando iusseris.

Non solum spathulares crepidines, scamna, atque alia huiusmodi quæ machinarium habent apparatum, sed ea quoque quæ commoda, id est B ἄρμενα communi uocabulo appellantur, instrumentorum nomine intelligi, manifeste hic declarat, cum dicit: assumptione, & si alius det. nam & assumimus huiusmodi oīa in curationibus exercēdis, & ab alijs accipimus.

25 Qui autem circa ægrotantem sunt, tractādam partem exhibento, sicut uisum fuerit. reliquum uero corpus detinēto, ut non moueatur, tacentes, atque audientes eum qui præest.

Clara oratio est ut nulla nostra indigeat explanatione.

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS QVI QVAE IN MEDICATRINA FIVNT, inscribitur, commentariorum Liber secundus.



DELIGATIONIS duæ sunt species, operata & operās. atq; operans quidem celeriter, infatigabiliter, expedite, concinne. celeriter, absoluendo opera. infatigabiliter facile agēdo, expeditio autem ad omnia prompta est. concinnitas uisu iucūda. ex quibus uero hæc exercitationibus comparentur, dictum iam est.

Alia communia utrisq; deligationibus, alia propria alterius tantummodo sunt. expedite & celeriter deligationis quæ fit, propria sunt: bene & pulchre, iam factæ. deligationem enim quæ fit, operantem, quæ facta iam est, operatā uocat. infatigabiliter aūt & concinne utrisq; sunt cōmunia. infatigabiliter nomine & significato utrisq; conuenit. concinne nomine quidem etiam ipsum utrisq;, significato tamen non simili modo. in ea enim quæ adhuc fit deligatio, concinnitas ex manuum motione existit: in ea quæ iam facta est, ex linteorum iam obductorum circumiectione. tametsi liceat etiam dicere dum adhuc fit circumuolutio fasciarum, existere in secunda deligationis specie cōcin- C nitatem posse. sed infatigabiliter quoq; in deligatione quæ fit, q̃ in iā facta magis spectat. ea enim quæ iam facta est, sola fasciarū compressione fatigat, ac dolorē affert. quæ aūt fit, & hac eadē re molestat, & eo quòd uel apte uel minime continetur membrū, quod curatur. ex eo enim cōprimi interdum solet, licet ipsa ligaminū iniectio recte admodum perficiatur. possumus item dicere ex tangentium quoq; congressu uel molestante, uel non molestāte utrisq; deligationibus cōmune hoc esse. in ea quidē quæ fit ab ijs qui tenēt membrū quod curatur, cum uel comprimūt, uel non cōprimunt. in ea quæ facta iam est, ex appensione in manu cum D mitella suspenditur, ex depositione in crure cum iniecta ei illa sunt, quibus firmatur, atq; in collocatione sua detinetur. adde q; ad infatigabilitatē deligationis quæ fit, operationis celeritas nō parum confert. quæ quidē celeritas ab ipsa expeditione maxime absoluit. atq; hęc quidē deligationis quę fit, bona præcipua sunt. ut & detentio ipsa non cōprimat, & expeditiōis promptitudo adsit. nam error qui in habitu & figuratione cōmittitur, communis etiā deligatarum partium est. nunc uero sermonem instituit de deligatione quæ in cōmoda figuratione fit. figurationū aūt propriæ uirtutes ac uitia fiunt, nō secus ac deligationū. de quibus tan-

tūmodo in præsentia omissis figurationibus agit. A Quando igit̃ expedite deligatio fit, celeriter opus absoluit. nam expeditionẽ quam εὐπορίαν uocat, quid nam significet: declarat, cum inquit. expeditio ad omnia prompta est. hoc aũt fit cum ita præcognouit omnia ille qui deligat, ut nulla ambiguitas, nullaq́ deliberatio incidere ei possit, quo modo si prius alter operatus fuerit, ut debet, quo itẽ modo, si non debet, inducenda deligatio sit. expeditio igitur cum idem sit quod promptitudo, facillimã reddit operationẽ. at ipse infatigationem ex eo quod facile agamus, existere dixit. expeditis aũt & facilibus operationibus annexã esse celeritatem perspicuũ est. infatigatio itaq; seu indolentia utilissima ijs est qui tractãtur: atq; ob ipsam expeditio quæ celeritatẽ facillimam operationibus B expedit, ac suppeditat. cõcinnitas uero quæ, sicut deinceps ipse dixit, inspicientibus uoluptatem affert, ex superabundãti appẽdice medico adiuncta est, ad famã apud imperitos augendã. cui qui studiosus gloriæ est, succumbit, ut amator ancillarũ. qui uero hominũ est studiosus, non succumbit ille quidẽ gloriæ, sed conciliare sibi eam nihilominus studet: datq; operã ut laudetur, quo maior ei ab ægrotãtibus fides adhibeatur. ita enim fit, ut magis obedientes eos habeat. id quod in utilitatẽ maiorẽ ipsorũ cedit. nã huic apud uulgus et imperitos gloriæ acquirendæ nõ medicus tantũ, uerumetiã philosophus studere consueuit. quippe cũ si in honore & admiratione sit, magis prodesse ipsis possit qui & imitari magis ea quæ agit, & parere ijs C quæ iubet, perinde ac dei alicuius mandatis parati sunt. ex quibus uero exercitationibus hęc à medicis cõparentur, id est ut celeriter, infatigate, concinne, & expedite agant, dictũ esse inquit. dictum enim est, præcipue quidem, ubi superius ita ait. opera exercere alterutris manibus agentem oportet. & utrisq; simul. similes enim sunt, sed & paulo ante cum inquit. exercere digitis quidem summis pleraq;, indice ad magnum applicato. tota autem manu prona. utrisq; aduersis.

2 Operata aũt bene, pulchre. ac pulchre quidẽ simpliciter, syncere. uel similia & æqualia æqualiter, & similiter: uel inæqualia & dissimilia inæqualiter & dissimiliter. ac D species sunt, simplex, rotũda, ascia, sima, oculus, rhombus, & dimidiata. accõmodando speciẽ speciei, & affectiõi eius q̃d deligatur.

Cum duas deligationis species esse dixerit, atq; ex eis alterã quæ adhuc fit, operantem, alterã quæ facta iã est, operatã appellarit, in superiori oratione quo pacto operans optime efficiatur, declarauit. hic de operata prosequitur. quam pulchre quidẽ esse factã oportere ex eo inquit, q̃ simpliciter & syncere inducta sit. simpliciter quidẽ, si neq; implexam partem aliquã lintei, neq; duplicatã, neq; rugosam habuerit, sed plana tota, ac læuis fuerit. ac syncere, cum secundæ ac tertiæ eodem in loco reuolutiones apte effectæ fuerint. Ac mihi quidẽ uidetur hic quoq; cum duo esse dixerit ex quibus pulchre deligatũ esse quidpiã potest, alterũ, id est simpliciter, sine ulla expositione, utpote clarũ, reliquisse: alterũ, quod est syncere, explicans subdidisse omnia quæ hic sequuntur. aduerte igitur animum, ac memor sis eius quod modo dixi, cum syncere apte interpretatus sum. fit enim ut secunda reuolutio fasciæ interdũ prorsus æqualis primæ, & ab ea nulla ex parte discrepans inducatur, interdũ non æqualis. æqualis aũt est, cum oræ latitudinis exacte inter se ita superiectæ sunt, ut neutra aut excedat, aut deficiat: sed utrarunq;, perinde ac si una sit unius duplicatæ fasciæ inuolutio, unus atq; idẽ terminus esse uideatur. simili modo & tertia super inducitur, & quarta, si tot opus fuerit. nã in ea deligatione quæ rhombus, & in ea quæ semirhombus appellat̃, seruari hoc exquisite oportet. in ea uero quæ fracturis est accõmodata, cum cubitus aut brachium aut femur deligatur, synceritatẽ alio modo fieri cõtingit. in ea siquidẽ duci primam fasciam sursum iubet, secundã prius quidẽ deorsum, deinde iterum sursum, quoad in eundẽ terminum cum prima perueniat. id quod nisi oræ latitudinis linteorũ inter se uarient, fieri nullo modo potest. synceritas tamen inest, si in tota deligatione declinatio à rotũda & circulari inuolutione æqualis seruetur. rotũda enim siue circularis ea uocatur quæ toto circulo absq; ulla declinatiõe affectã partem circundat, in qua quidẽ oræ latitudinis fasciæ tam secundæ q̃ tertiæ reuolutionis ita supra se mutuo iniectę sunt, ut neq; quicquam excedant, neq; deficiant. at declinantis ab hac rotunda deligationis reuolutione uel ad superiorẽ partem membri affecti, uel ad inferiorẽ duci necesse est. sicq; in hac declinatio similis prorsus seruat̃, syncera prorsus deligatio est. q̃ si ijs quæ diximus animum aduertis, perspicuũ iam tibi esse debet, unũ esse modum rotundæ ac circularis fasciarũ circumiectionis, qui in se non admittat, ut magis, uel minus esse talis queat. declinantis aũt deligationis non unũ. quippe cum fieri possit ut magis & minus altera q̃ altera declinet. hic enim Hippocrates eã quæ parum declinat, asciam, quæ multũ, simam per translationem appellat. nã σκέπαρνον, id est asciã fabri lignarij instrumentũ quoddã uocant, quod in summitate qua ligna incidit, prominens quoddam supercilium incuruat, perinde ac crepido. sima uero à Græcis dicũtur loca ea parte qua planicies colli cõmittitur. cum tamẽ neutrũ ex his simũ per se sit. planicies enim plana atq; humilis procurrit, collis accliuis est, atq; editus. ubi uero inter se cõcurrunt, ibi figura sima efficitur. idem in uia fit qua parte decliuitas alteri parti coniungit̃. sic in naribus sima ea pars dicitur, quæ media inter eminentiores subsidit. totus item nasus ab hac parte simus nuncupatur. quippe cum multæ appellationes eorum quæ partes aliquas afficiunt, toti corpori etiam attribuantur. ut cum simum totum hominẽ appellamus. non enim eo modo homo simus dicitur, quo crassus & tenuis, aut albus & niger, sed sic ut cæsius, aut fuluus, aut gibberosus, ab oculis uidelicet &

dorso sumpta appellatione. in naribus igitur, & A uijs simitas proprie nominatur. per trãslationem uero ab Hippocrate hic in deligationibus, non secus ac crepido atq; ascia pro specie quadã inuolutionis fasciarũ sumitur. nã cum asciatim plagulas circumijcere brachio uel cruri iubet, nihil aliud facit, quàm declinationẽ à circulari inuolutiõe ea forma faciendã esse definit, qua ascia fabrilis est. nõ enim admodũ obliquã eam esse uult, ut à rotunda multum abeat, sed eatenus tantũ, ut ad cõfractarũ partium colligationẽ firmissimã sufficiat. non obscurum aũt est inesse in utraq; ex his inuolutionibus, ut magis & minus esse eiusmodi possint, cum neutra ex ipsis simplex sit, aut uniformis, sicut rotunda. rotundam enim & circularẽ quasi simplici adiungit. deinceps uero asciam & simam utranq; pri- B uatim & separatim ponit, quemadmodum definitum est. syncere igitur quasi discrete & distincte significat, ut dixi. cum omnes fasciæ inuolutiones uel oras in latitudine easdem, uel declinationẽ statam. statam appello, cum partes fasciæ in latitudine extãtes inter se mutuo æquis interuallis distãt. id quod fit, si is qui deligat, ei quam à principio instituit, æqualem subinde declinationem seruarit. At uero Artemidorus et Dioscorides sicut in alijs innouant, & ueteres lectiones immutant; ita hic quoq; pro simplex rotunda, simplex rotunde scribendum censent. recte quidem illi hic intelligentes, sed audacter tamen immutantes: cum in plerisq; licet nõ bene intellexerint, simili audacia usi sint. atq; iccirco effectum est, ut mentionẽ eorum C hic fecerim, cũ in alijs innumerabilibus quæ hucusq; transcripsere, nihil dicere uoluerim, propterea quòd mihi uidebãtur hic recte quidẽ intellexisse, dum tamen clariorẽ in modum rem audent transmutare, errasse in paruis, neq; eo modo intellexisse sicut scriptor uolebat. Sed de his semel dictum esse sufficiat. Cum igitur prius dixerit Hippocrates, bene quidẽ simpliciter, syncere, & postea subiunxerit similia & æqualia, æqualiter, & similiter: uel inæqualia & dissimilia, inęqualiter & dissimiliter, quasi cõmunem quendam scopum syncerarum deligationum docuit. nam æqualia & similia membra corporis æqualiter & similiter in omnib. suis partibus deligari debent, inæqualia uero & dissimilia inæqualiter ac dissimiliter. Verumtamẽ D uetera exemplaria, & qui librum hunc explanauerunt, per defectum lectionẽ hanc scriptam esse attestantur. inęqualia enim & dissimilia tantũmodo legunt, inæqualiter & dissimiliter subintelligendum censent. quippe cũ propterea ab auctore fuerit prætermissum, quia manifeste ex cõuenientia eorũ quæ sunt antedicta, intelligi queat. At enim huiusmodi loquutiõis modus breuitatis minime proprius est, sed per errorẽ inductus uidetur. quo circa melius est, si ita scriptum inuenitur, existimare sicut multa alia etiã ex antiquis exemplaribus deprauata reperiuntur, ita hic quoq; per errorem librarij contigisse ut uerba ea pretermissa sint. atq; ita errorẽ ad nos usq; deuenisse. in brachio igitur fasciarum inuolutiones æqualiter & similiter facere possumus. in femore & cubito, ac paulo magis etiam in tibia deficere necesse est. nam in humero, & coxa oppositis partibus est opus ad deligationem faciendã. quemadmodum etiam in lateribus capitis. partes enim frontis, & narium rotundam fasciationẽ requirunt, quæ æqualiter & similiter inducta sit. eodem modo in uertice & si nõ rotunde, ęqualiter tamen & similiter deligamus. Sed de his in sequentibus accuratius dicemus, nunc ad reliqua pergendũ est. Cum tres enumerauerit Hippocrates fasciarum inuolutiões, rotundã, asciam, simam, deinceps quasdam compositas cõmemorat, oculum uidelicet, rhombum, & dimidiatam, quam etiam semirhombum uocãt. postea subiungit, accõmodando speciem speciei, & affectioni eius quod deligatur, speciẽ deligationis accõmodandam esse inquiens & speciei, id est formæ partis affectæ, & affectioni ipsi quæ in ea est. species siquidẽ deligationis quam oculum uocamus, oculo adhiberi consueuit, uel cum procidentia laborat, uel ea causa, ut quę imposita ipsi sunt, cõtineantur. Rhombo in capite uti solemus, cum uel suturas relaxatas, uel ulceris oræ expansæ constringere, uel cutem aliquantulum detractam cõtrahere atq; agglutinare uolumus. pro ratione horum semirhombi quoq; usus adhibetur. hæc enim ut exempla scripta ab Hippocrate sunt: ut pro ratione ipsorum unicuiq; parti & affectioni accõmodatã deligationem aut inuenire, aut ab alijs qui inuenerunt, discere ualeamus. melius aũt est, ut qui etiam docet, non absolute ac simpliciter iubeat, sed simul quoq; uiam tradat, qua ipse deligationem inuenerit. nam qui discunt, facile ita uel in memoriam reuocari, si eorum obliuiscantur quę didicere, uel quæ non didicerunt excogitare insuper poterunt. quocirca satius fortasse erit, ut nos quoq; propriam in unoquoq; commentario traditionem faciamus de deligatione, quæ & parti corporis, & affectioni conuenit.

3 Bene autem deligãdi duæ sunt species, ualiditatis quidem, uel compresione, uel multitudine linteorum.

Species appellari hic differentias superius dictum est; quæstionis aũt non paruæ occasionẽ explanatoribus hoc loco attulit, cum non explicarit nominatim duas species, sicut in alijs paulo ante fecit. altera igitur species in quantitate effectionis consistit quam ipse ἰσχὺν, id est ualiditatẽ appellat, cum inquit ualiditatis quidẽ uel cõpresione, uel multitudine linteorũ. est enim quædã moderatio ualiditatis in deligãdo, quæ cũ excedit ex cõpressione membrorũ, eos dolore afficit qui ægrotant: cum deficit, fasciationẽ laxã reddit. alterã bene deligandi speciem non dixit. sed deinceps post hæc quæ de ualiditate scripsit in hũc modũ subiungit.

4 Ac partim quidem ipsa deligatio medetur, partim medentibus inseruit.

Hæc autem bonæ deligationis species minime est. sed cõmunes omnium deligationum usus, utilitatesq;, in uniuersum comprehendit. in ijs etiam

quæ subsequuntur quo pacto deligationis mode ratio seruetur, ostendit. postea de nodo agit. tum sequentem doctrinam aggrediēs, certo tamen inquit scientē, in decliuia & in acutum abeuntia deligationem omnem effugere, atq; elabi: ut in superiorem partem in capite, in inferiorem in tibia. & cętera quę subdit. deinceps de qualitate deligationis pertractat. cumq; in ea scire oporteat, unde initium fasciæ singulis partibus, singulisq; affectionibus iniiciendum sit, quò finis deducendus, qua ratione mediæ inuolutiones faciendæ, qualesq; esse debeāt, hæc quoq; edocet: nam, ubi inquit, at quæ mouentur, ut articuli, qua parte inflectuntur &c. modum iniiciendarū fasciarum tradit. et deinceps quo pacto fines seruari firmiter queant, ostendit. atq; inde quæ nam deligationum opera sint, com- B memorat. ita ut bene factæ deligationis altera species quę ualiditati opponitur, uniuersa qualitas totius deligationis sit. quia autem difficile erat particulares huiusce speciei differentias uno cōmuni nomine complecti, iccirco hanc ualiditati oppositam speciem una appellatione explicare nō laborauit. nam hoc ita esse ex ipsis Hippocratis uerbis patebit, si singula in clariorem capitum distinctionem immutentur. nominetur igitur totum hoc genus euidentioris ac breuioris intellectionis causa quātitas deligationis. nam ualiditas uel compressione uel multitudine linteorum eo significato accipienda est, quo δύναμις, id est potentia aliquando cōsueuit. interdum enim eam imbecillitati opponunt & impotentiæ, interdum latius ac cōmu- C nius ita sumunt, ut potentiam atq; impotentiam significet. quemadmodum etiam magnitudo modo magnum duntaxat significat, modo magnum & paruum comprehēdit. atq; alia multa quæ cum particularia sint, cōmuni cum uniuersalibus uocabulo æquiuoce appellantur. ita enim nunc ualiditatis nomine usus est. quippe cum neq; ualide cōprimere, neq; adeo imbecilliter fasciis circundare affectas partes oporteat, ut qui ęgrotat, eas sibi esse circūiectas nō sentiat. multitudine enim linteorum pro quātitate accipiendū est. nam neq; hic ea multitudo intelligi debet quæ paucitati opponit. sed quæ tam multum, q̄ paucum continet. mediocritas enim in deligatione bonū, id est utile & conducens efficit. quanquā si inter se cōparentur duæ D deligationes, quę compressa magis erit ualidiorē, alteram imbecilliorem dicemus. quippe cum absurdū nihil sit, si licet pro subiecta affectione moderata semper sit deligatio, ad alteram tamē comparata uel ualida, uel imbecillis appelletur. quando aūt soluendum sit, quando uel intendenda deligatio, uel linteorū multitudo augēda uel minuenda, in libro De fracturis ipse euidētissime docuit.

5 Atq; ad hæc quidem hæc lex est.

Leges in ciuitatibus orationes quędā sunt, quę quod agendū est precipiunt, uetant quod agi non debet. his similia esse ea quæ dicta hic sunt, inquit: cum nullam in se coniecturam, aut ambiguitatem habeant, sicut alia nōnulla quę in medica arte tra- A duntur. Idem in libro De fracturis dixit, moderatius tamen enunciatione prolata. nō enim absolute sicut nunc enunciauit, atq; ad hæc quidem hæc lex est: sed inquit, atq; hæc quidem oratio tanquā iusta lex de fracturarum curatione constituta est.

6 In his autem maxima deligationis ea sunt: compressio, ita ut imposita neq; abscedant neq; innitantur, sed affulcita quidem sint, non tamen allisa, atq; id in extremis minus, in mediis minimum.

In his, inquit, quæ ad ualiditatis speciē attinent, maxima præcepta deligationis ea sunt, ut imposita supra affectam partem, id est lintea, neq; abscedant absistantq; à corpore, neq; id prorsus comprimant, sed affulcita quidē sint, hoc est firmiter sint applicata, non autem allisa. i. nō ita strictim, ac uehementer circumuolutum sit linteum affectis partibus, ut dolorem creet. atq; hæc de cōpressionis quātitate præcepta minime ea parte qua morbus est, transgredi debemus: in extremis aūt partibus licet seruāda sint, minorem tamen q̄ in mediis curam requirunt. pulcherrimū siquidem est ut nullū prorsus errorem in arte cōmittamus, sin aūt alicubi errare contingat, ea in parte id esse debet, unde minus damnum resultat. ubi uero nocumentū alicuius momenti extat, ibi minime peccandum est.

7 Nodus et acia distributa esse debent non deorsum, sed sursum, in exhibitione, & respectu, & deligatione & posteriore habitu.

Cur huic de deligatione tractationi preter ordinē hoc interseruerit, paulo post uidebimus, nunc prius tentādum est, ut quid sibi uelint hæc uerba, intelligamus. Est inter explanatores dissensio: alii sursum ac deorsum de productione in longitudinem accipiendū censent: alii de ea quę ad affectionem membri spectat. quid aūt distributū esse aut in acia aut in nodo significet, neutri explicauerūt. Nodum quidē uocari uinctionē, quæ ex fasciis inter se cōnexis, complicatisq; fit, siue duobus capitibus, siue altero tantum in duo crura discisso, siue tertio extrinsecus iniecto quod cōprehensamentum uocant, nemo est qui nesciat. notum item unicuiq; est, aciam dici filum per foramen acus traiectum, quo uel partes corporis dissectas inter se cōmittere, uel caput fascię subiectis partibus assuere consueuimus. atq; hic de ea acia agit, quæ ad suturam fasciæ iniiciendam præparata est. cuius distributionē sursum ferri uult. quid uero distributionē appellet, ex ipso licet cognoscere, qui sępe hoc nomine, pro fasciarum ab initio usq; ad finem inuolutione utitur. nam in fracturis initium utrarunq; fasciarum supra ipsam fracturā collocandum iubet, tum primæ distributionē sursum, secundæ primū deorsum, deinde sursum esse faciendam censet: distributionem uocans totam fasciarum quasi progressionem, quam à principio usque ad finem inuoluendo circum ægrum corpus efficimus. simile quid in acia distributio significat. cum enim acus

& ex superioribus partibus ad inferiora, & ecõtrario ab inferioribus ad superiora traijci queat, quin etiam neutro modo, sed declinando à sinistra ad dexteram, uel à dextera ad sinistram, in unaquaq; distantia sursum ferri ipsum iubet. nam si caput fasciæ subiectis eius partibus assuendum est, in quibus deligationibus oppositis regionibus opus nõ est, ut in brachio, & cubito, & femore & tibia, uel à sinistra ad dexteram, uel à dextera ad sinistram acum traijciamus, necesse est. atq; utrolibet modo dare operã debemus, ut declinando semper in superiorem partem finem fascię subiectis inuolutionibus assuamus. ubi uero oppositæ partes requirũtur, ut in humero, & coxa, illud studendum est, ut finis fasciæ in superiorem partem feratur: atq; ibi acu ab inferiori parte sursum traiecta sutura inijciat̃, ita ut non superiorem partem ad inferiorem detrahamus, sed inferiorem econtrario ad superiorem attrahamus. quippe cum alterutrum effici in consutione liceat. quo circa traiecta acu filum trahente inferiorem partem ad superiorẽ attollere, nõ deprimere superiorẽ ad inferiorẽ debemus: id spectantes, ut à superioribus fasciæ partibus inferiora sursum attrahantur. atq; hoc facere nos iubet dum æger dignoscendam affectam partẽ medicis exhibet, dumq; eam ita collocant, ut respectu ad medicum habito curationi suscipiendæ sit accommodata. tertio dum deligatur, primam occasionẽ in exhibitione appellauit: secundam, in respectu: tertiam in deligatione. sed quarta quoq; est, quam ἐν πιέξει, id est in compressione uocat. nonnulli tamen pro ἐν πιέξει legendũ censent ἐν τῇ ὑστάτῃ ἕξει, in posteriore habitu, quod mihi magis placet. cũ post absolutam curationem in eo habitu membrũ reseruatur, qui maxime est accõmodatus. hanc enim occasionem posteriorem habitum superius quoq; nuncupauit. in omnibus igitur his temporibus sicut unam formam inuolutionis fasciarum seruari, ita nodi quoq; & aciæ distributionem sursum semper attolli uult. quo caput uidelicet fasciæ firmiter sublatum à totis reliquis inuolutionibus contineatur. Illud uero consideratione dignũ uidetur, q̃d ab explanatoribus prætermissum fuit. quo pacto nodi et acię distributio sicut in reliquis occasionibus, ita tunc quoq; sursum ferri debeat, cum ægrotantes medicis inspiciendos sese exhibent. nam cũ alij ad medicos ingrediendo ipsi accedant, alij gestatione deducant̃, sicut ipsis uisum fuerit, membris affectis aliquãdo uel appensis uel deligatis, aliquando utroq; modo iam dispositis, penes eos qui prius hæc fecerunt, nodorũ & aciarum fuit facultas, non penes medicos qui postea inspecturi ipsos sunt, uel curaturi. fortasse igit̃ tũc quoq; medicis esse opus existimat. quippe cum incidat interdum, ut in itinere, aut in agro percussiones nõnulli, aut luxationes, aut uulnera patiantur, ubi neq; medicorum plurium conuentus diligentioris considerationis causa fieri potest, neq; instrumentorum, aut supellectilium necessariorum, aut linteorum, aut laqueorum, quę omnia ad curationẽ requiruntur, copia adest. Ea itaq; in oc-

A casione quæ aderit medicus quibuscũq; potuerit linteis mẽbra affecta deligabit, atq; excipiet. & si uel nodo uel sutura cõstringere opus fuerit, accõmodate id præstabit. in urbem autẽ reuersus æger consuetis medicis sese exhibebit. primum, ut accuratius quid passus fuerit, cognoscãt: deinde, ut uel luxatos articulos reponant, uel fracta ossa conforment, uel uulnera consuant, uel cõtusis cõuenientem curationẽ adhibeant. quæ cum fecerint medici postea deligabunt. post deligationẽ membrum accommodato habitu deponendum curabunt.

8 Initia inijcere oportet, non ad ulcus, sed hinc uel inde ad nodum.

Quid nodum nunc uocet, ex modo explanatis B manifestũ est. in superiori enim oratione nodum & aciam inter se distinxit. nunc alterius tantũ meminit, eo quod acia quoq; potest in nodum desinere. imò in eum omnino finit in omnibus quæ suuntur. quippe cum non absolute acus traijci per ea quæ suuntur, consueuerit, sed cum acia inserta, quæ inter se partes eorum nodo astringit. sæpe igitur fit, ut prope inter se & initiũ aciæ & nodus sit. quemadmodum cum cutem cõsuimus. interdum multum inter se distant. ut in fascijs euenit, in quibus sæpe ex multo interuallo partes aciæ in communẽ nodum colliguntur. uidetur igitur nunc dicere non ea parte inijcienda esse initia aciæ, qua ulcus est. quo pręcepto intelligitur, neq; nodũ intendi supra ulcus debere. quippe cũ sic fiat, ut nõ tan- C tum à nodo, sed à fascia quoq; ipsa ulcus cõprimatur uehementius constipata qua parte nodum cõstringi paulo uiolentius debet, ut cõtinere possit. ita quoq; si absq; acia nodus fit aut capitibus fascię inter se innexis, aut aliquo extrinsecus iniecto uinculo, fieri supra ipsum ulcus minime conuenit. ipsum enim cõprimit præsertim si uel tenuis ea parte fascia subest, uel sine lana circũiecta est. mihi tamen hic uidet̃ Hippocrates de cõnexione in nodum tam aciarum quàm mitellarum intellexisse. nonnulli uero existimant initia fasciarum iubere eum supra ulcus non imponi, quorũ alij locũ hũc ita etiam legunt: uere illud quidem, non tamen ita ut proposita res postulat, quippe cũ nõ de fascijs, sed de acia & sutura præsens instituta non sit. nam D uera sanè & arti congruens huiusmodi lectio est, qua dicũt, initia fasciæ non supra ulcus sed hinc & inde esse inijciẽda, id est ex alterutra parte uel dextera uel sinistra. ita ẽm fit, ut quod in libro De fracturis scripsit, recte dictũ esse, neq; aduersari præsenti huic orationi uideatur. cum enim ibi initia fasciarum supra partem affectã siue fractura ea fuerit, siue ulcus, neq; superius, neq; inferius inijcienda esse iubeat: de distantia per longitudinem intelligit. hic non ad longitudinem, sed latitudinem spectans initia nõ supra ulcus sed hinc & inde inijcere oportere asserit, ex alterutra latitudinis parte ultra ulcus. non enim hoc impedit quo minus neq; superius neq; iniectionem hanc esse factam intelligamus: qui tamen librum hunc explanauerunt, lectionem hanc non agnoscunt, quocirca

merito dubitant quid sibi uelit hic Hippocrates. ac quibusdam placet initia fasciarū pro extremis esse intelligenda, cum tamen extremum seu terminus quod πέρας dicunt, generalius sit quàm initiū quemadmodum Plato etiam nos docet, extrema inquiens & terminos & initium & finem significare. quòd si generaliorem appellationem pro speciali ori sumere possumus, licebit initiū extremū appellare, non secùs ac finem: finē tamen esse initium dicere non licebit. at enim cum nullius alterius rei initium intelligi queat quàm fasciarū, aut aciarum, aut mitellarum, fieri autem non possit, ut de fascijs intelligamus, de acijs & mitellis intelligendū est, seu si placet de fimbrijs. nam hæ quoq; deligationem possunt cōtinere. quemadmodum etiam angustæ habenæ quæ extremis partibus inter se innexæ uinculum efficiunt.

9 Nodum autem neq; in mora, neq; in opere, neq; eo ubi inane, ne in uanum iaceat.

Cum in superiore oratione initia eorū quæ nodum efficiunt, non esse supra ulcus statuenda censuerit, sed alio in loco, quo uidelicet nodus quoq; poni debet, nunc loca ipsa ubi ponendus nodus est, docet. rerum enim doctrina aliquando fieri ex earum accidentibus cōsueuit. ita autem appellant ea quæ cum possint accidere, nondum tamen acciderunt. estq; oratio hęc huiusmodi sententiæ. nodum collocare debemus non supra ulcus, sed ea parte qua distributio eius ferri sursum ualeat, obseruantes ne in mora, aut opere, aut inani eum cōstituamus. moram uocat eam partem membri qua uel in flexum, uel extentum, uel in latus morans operatur. estq; mora ingredieti homini planta pedis, cubanti totum dorsum, & maxime extantes eius partes, capitisq; occipitium, sedenti natium inferiora. quòd si quis deligatus operaturus manibus est, qua operatione usurus sit, & circa quæ extrinsecus, diligenter inspicies: quo morā eius possis inuenire. operationes autem circa dearticulationes fiunt. quocirca eæ tibi sunt obseruandæ, ac præcipue illæ quæ deligato membro operaturæ sunt. nam bene Hippocratē hic præcepisse ne nodus qui totam deligationem contenturus est, supra partes ponatur, quæ in motionibus immutantur, perspicuū est. quippe cum alioqui interdum laxiores, interdum compresiores quàm conueniat, nodi ex qualibet motione euasuri sint. quod aūt in fine huius orationis dixit, inane, id est ἐνεόν, uanum omnes interpretantur, ac si inefficax atq; inutile dixisset. Græci enim ἐνεοὺς eos uocant, qui ab ortu & muti & indistincte loquentes nascuntur: qui uidelicet in uitæ actionibus prorsus inutiles sunt. ita igitur quod deligationem nihil iuuat, appellasse uanum & inutile Hippocratem aiunt. quanquam fieri potest, ut per κ literam scripserit Hippocrates κενεόν, & per errorem postea omissa prima litera ἐνεόν librarij posuerint. ex qua tamen lectione eadē sententia existet. κενεὸν enim ionica lingua id dicitur, quod cōmuniter κενόν, id est inane, & uanum, atq; inutile appellamus. quoniam igitur multos scimus uel ex ignorantia, uel dum uideri uolūt esse diligentes, inutiles nodos fascijs inducere, ideo subiungit, ne in uanum iaceat, id est in inane & inutile. uisum autem est cuidam ex interpretibus huius libri inane hic dici uacuum locum. id est alam, poplitem, inguen, quæ humero, genu, coxæ opposita sunt. corpori enim esse impressum atq; innixū oportere nodum aiebat, non in concauitate depressum. cuiusmodi esset, si sub ala, aut poplite efficeretur. quòd si hoc non admodum probabiliter dictum esse uideatur, non est tamen reijciendum. uti siquidem eo possumus. quippe cum in ijs quæ tuta sunt, mediocriter etiam probabile satis esse debeat.

10 Nodum & aciam mollia & non magna esse conuenit.

Rursus hic, sicut in principio, duorum nominum fecit mentionem, inter se ea distinguens. aciamq; appellat illud quod unà cū acu traijcitur, siue linum id sit, siue lana, siue quippiam aliud huiusmodi. nodum autem quod ex habenarum aut crurum fasciarū implexione, ac nexu fit, quorum proculdubio utrunq; molle esse debet, ne locum ægrum comprimat. item non magnum, quippe cum id celeritatem, quam in operationibus laudat in paruis acijs præ se ferat. item in habenis, & fasciarum cruribus, & comprehensamentis. nominibus enim his appellant. nodi siquidē magni dependebūt, molestiamq; insuper exhibebunt, dum uulnera nexu ipso quandoq; attingent. apte autē, non magna dixit, cum posset parua dicere, propterea quòd sicut magnum ob has quas dixi absurditates fugiendum est, ita paruum quoq; non est admittendum. cum in operatione ipsa iniectorū digitorum prehēsiones facile elabatur, & in moram temporisq; longitudinē rem inducat. sæpe etiam è connexione ob breuitatem effugiat, atq; ita iterum nos operari circa idem cogat. quin etiā fit interdum, ut paruus nodus innexus esse uideatur, & postea in depositionis tempore dissoluatur. cōsentaneum igitur est, ut & nimis paruū non secus ac magnum euitantes, quod mediocre est, sicut in omnibus ita hic quoq; eligamus. id autem per alterius extremorū negationem interdum nominant. quemadmodum hic Hippocrates fecit, dum non magnum dixit. qui si non paruum etiam dixisset, idem potuisset exprimere.

11 Certo tamen scientem in decliuia & in acutum abeuntia deligationem omnem effugere, ut in superiorem partem in capite, in inferiorem in tibia.

Si pro certo scientem certo scire dixisset, perfecta esse oratio ex se, & non pendere uideret, nunc uero suspensa esse adhuc uidetur. unde nonnulli cum sequentibus eam connectendam censent, ut integra huiusmodi euadat. certo tamen scientem in decliuia & in acutum abeuntia deligationē omnem effugere: ut in superiorem partem in capite, in inferiorē in tibia, deligare oportet dextra in sinistra, & sinistra in dextera, excepto capite. sed

hoc nullam habere conuenientiam uidetur. non enim propterea eiusmodi deligationes faciendæ sunt, quia nodus in decliuia & in acutum tendentia fieri consueuerit. sed alia de causa, ut deinceps ostẽdemus, dextras partes in sinistras, & sinistras in dextras deligare iubet. nã hoc certo sciente in decliuia & in acutũ abeuntia fugere deligationẽ, eo usq; pendet, ubi inquit. insuper autem circumiji cere oportet tum comprehensionis causa eorum quæ circa hæc sunt, tum reprehensionis uniuersæ fasciæ in quiescentibus, & casioribus partibus corpori. & quæ sequuntur. quæ quidem ego paulo post explanans hoc idem manifestius declarabo. nunc cum præter ordinem interiecta hæc sint, per se ipsa sunt consideranda.

12 Deligare oportet dexteras partes in sinistras, & sinistras in dextras excepto capite, id enim per processionẽ est deligandũ.

B

Huiusce præcepti maximus usus in fracturis est. circumducere enim semper est necesse in contrariam partem, cum in altera ulcus reperitur. si dextra pars affecta est, in sinistram: si sinistra, in contrariam. quemadmodum cum totum os per transuersum fractum fuit, æquilibrem deligationẽ adhibere, plagulis ea figura quæ rotunda & circularis uocatur, circumiectis, consueuimus. quod igitur inquit huiusmodi est. deligare debemus dextras partes affectas, ad sinistras fasciam circumducentes, sinistras uero in contrarium ad dextras. id autem fit, cum initium fasciæ in parte affecta ponimus, non supra fracturam quidem, aut ulcus plane, sed hinc uel inde. altera uero manu in cõtraria simul astringendo circumducimus. ubi aũt ad oppositam partẽ fascia circumuoluta iam deuenerit, non amplius simili modo cõstringimus, sed ita tamen prorsus circumducimus, quoad circumuoluta in orbem fascia suum initium repetiuerit. quod ubi factum fuerit, partem eam fasciẹ quæ illuc deducta est, supra initiũ quod manu altera continebamus, iniectã eadem manu firmiter detinemus. atq; inde alterã inuolutionẽ exordimur eodẽ modo quo in prima fecimus, cõstringendo & circum ducendo in cõtrariam partem. postea circumuolutam fasciam ad initiũ similiter continemus, & rursus altera manu attollimus pari modo, ut prius astringendo, & circumducendo ad partem oppositam. neq; tantũ membra longa, id est crura & brachia ad hunc modũ solemus deligare, uerumetiã costas. si eñ ea quæ affecta est, in dextra parte fuerit, initio fasciæ ibi imposito in sinistram, sicut dictũ est, conuoluimus. sin in dextra fuerit morbus, inde quasi progressum & uiam deligationis exorsi in dextram partem deuenimus. caput autem ita in orbẽ circumligare non licet, propterea q; collum quod ei annexum est, impedit. quocirca in capite siue in dextra, siue in lẹua parte uitiũ sit, quod deligatione indigeat, deligationem per processionem, id est per directum, adhibere cõsueuimus. fascia uidelicet à uertice ad extremã usq; mandibulam deducta, atq; inde sursum reducta, deinde ite

A rũ ultro citroq; usq; in finẽ uel bis uel ter, si toties opus fuerit, conuoluta. finis autem in uertice, quæ sedes ei est stabilissima, omnino collocandus est.

13 Cõtraria uero ex duobus initijs. quòd si ex uno, ad id quod simile est in stabile deligandum est. ut est media capitis pars. & si quid aliud huiusmodi.

Duas sententias admittit hæc oratio. uel enim de omnibus partibus corporis, uel de solis capitis partibus intelligenda est. cum enim dixerit, excepto capite, id enim per processionem est deligandum, postea de capitis partibus inter se contrarijs agit, quarum altera retro est, circa occipitium, altera ante circa frontem, quas ex duobus initijs deligandas censet. deligationes aũt ex duobus initijs sunt, cum media parte totius fasciæ supra locũ affectum collocata æqualis hinc inde pars in oppositum deducitur: ita ut fines in frontẽ, ibi enim stabilior occipitio sedes est, deueniant. at si de omnibus corporis partibus intelligere uelimus, contraria dicemus hic appellari alterutras partes simili modo affectas, id est uel dextras et sinistras, uel anteriores, & posteriores. nam cum hæ simili modo affectæ sunt ut in fracturis quæ caulatim factẹ appellantur, deligationes ex duobus initijs sunt faciendæ. quemadmodum diximus fieri in plagulis quæ asciatim circumuoluebantur. quod si ex uno initio deliges, inquit, hæc, ex similitudine deligationis quæ ex duobus fit, fasciam circumuoluens in stabilem sedem finem eius applicabis. instabilis autem sedis exemplum mediam capitis partẽ posuit, id in præsentia satis esse existimãs, propterea quòd paulo post totã hanc rem est accuratius tractaturus: ubi docebit, quo pacto finis deligationis fieri debeat, ut tota deligatio firma atq; immobilis conseruari queat. quòd eñ inquit ad id quod simile est, de utrisq; tam de tota fasciæ distributione & uolutione, q̃ de fine eius est intelligendum.

C

14 At quæ mouentur, ut articuli, qua parte quidẽ inflectuntur, sicut poples, q̃ minimũ ac succinctissime sunt obuoluenda. quæ distenduntur, ut patella, simpliciter & late.

D

Quàm minima obduci lintea in poplite, & similibus partibus iubet, et maxime succincta, id est in breue spaciũ cõtracta & collecta. oppositam uero popliti partẽ cõtrario modo deligandam censet. contrario autẽ modo est, omnibus expansis, nullaq; ex parte contractis, quatenus fieri potest. omnia uero membra articulis connectuntur in flexu simili modo ut poples, in extẽsione, ut patella, patellam autẽ quã μύλην, id est molam hic uocat, ἐπιγονίδα nonnulli, alij ἐπιγονατίδα, id est supergenualem appellant. in hac igitur latam atq; explicatam inijci fasciã debere inquit, quæ totã ipsam cõplectatur. nisi enim ita fiat, uel in superiorẽ, uel inferiorem partem ob eius incuruationem lintea elabentur. popliti autẽ contractã fasciã obuolui iubet, quippe cum locus is in latitudinẽ explicatam fasciam neq; admittere ualeat, neq; conseruare.

15 Insuper autē circumijcere oportet tum comprehensionis causa eorū quæ circa hæc sunt, tum appensionis uniuersæ fasciæ in quiescentibus & cassioribus partibus corporis, ut est & supra, & infra genu.

Breues huiusmodi loquutiones laudādæ sunt, cum uno nomine fit, ut tota oratio clara euadat. quemadmodum hic, comprehensionis nomen totam orationem hanc declarat. cum dicimus finem deligationum in articulis firmiter contineri oportere quadam superabundante circumiecta obligatione extra dearticulationē. appensionis item uerbum, id manifestat. quomodo cura habēda sit, ne uel in decliuia fascia delabatur, uel recurrat in incuruata & gibba, quæ ipse superius ἀπόξυ, id est in acutum abeuntia nuncupauit, ubi dixit, certo tamen scientē in decliuia & in acutum abeuntia effugere deligationem. atq; hinc simul patet, recte à nobis dictum esse ea quæ hic dicuntur ab Hippocrate antedictis illis consentire, ac continuari quę modo cōmemoraui, ubi uidelicet aiebat, certo tamen scientem in decliuia &c. Adde φ breuissime idonea loca ubi fines fasciarū collocandi sint, duobus nominibus est complexus, quiescentium, & cassiorum partium. quiescunt enim quæcunq; extra dearticulationes sunt, in utrisq; ossibus quæ sibi mutuo innectuntur. ut in genu pars uel circa femur, uel circa tibiā huiusmodi est. nam hæc quoq; cassiores sunt, quatenus humiliores. ita siquidem uocat partes quæ contrario modo quàm eminentes sese habent, id est quæ sunt demissæ, & humiles. cassum enim omne, quod λαπαρὸν dicit, humile ac depressum est. λαπαρὸν enim, id est cassum uanum proprie ac uacuum significat, sicut etiam λαπάξαι uerbū quod est cassare, nihil aliud est quàm exinanire. unde etiam apud Homerū ἐξαλαπάξαι decassare, ubi inquit, Decassare altæ bene condita mœnia Troiæ, urbem euacuare ac diripere significat. cassas quoq;, id est λαπάρας corporis partes eas uocant, quæ inter iliorum ossa, & adulterinas costas intercedunt. postea omne quod depressum est, & subsidit, cassum & λαπαρὸν uocant, propterea φ quod uacuum est, depressum esse consueuit, translatione ab eo sumpta q̄d cōmuniter accidit.

16 Humeri deligationi ea quæ fit per alteram alam circumductio cōsentit. inguinis, quæ per alterum ile fit. tibiæ, quæ supra surā obuoluitur. quibus sursum elapsio abit, deorsum, quibus deorsum, econtrario appensio facienda est.

Deligationis omnis quæ uidelicet per se, nō eorum quæ imposita sunt membro affecto continendorum causa suscipitur, scopi ac fines sunt, ut partem affectā sicut conformata fuit immobilem contineat, sineq; inflammatione cōsueruet. id quod in libro De fracturis satis edocuit. sed quia id præstare nequit deligatio, nisi ipsa prius stabilis sit, nec inferius aut superius dimoueatur, iccirco fit, ut illæsis membris & sanis circumducere fascias coga-

A mur: ut qua parte sursum ferri eam uerisimile est, appēsio detrahat ad inferiora. ubi ne deorsum delabatur timemus, superius attrahat. in quibusdam etiā appensio quæ per oppositas partes fit, utilior est. quemadmodum in humero & inguine. in humero quidem non circum alterum humerum, sed circum alam, in inguine circum ile aduersum fieri obligatio debet. quippe cum neq; humerus, neq; clunis, sicut ala & ile, seruare & detinere obligationes firmiter queat. ile autē, id est κενεών, ut modo dixi, locus appellatur, qui est inter thoracem et os coxæ, propterea φ κενεὸν, id est cassum & uacuum, id est depressum est. perspicuum autē est consentire hic pro cōuenire & cōgruere esse sumptū. eo quod qui paciscuntur & consentiunt in hone- B stis rebus non modo cōtrarium quicq; neq; agunt neq; dicunt ijs quæ pepigere, sed præstant omnia. sic sedes hæ legi deligationis obsequuntur, & congruunt. simili modo quoq; in tibia cum facile effluere posit deligatio, utile est, si supra suram linteum circumducatur, in illis uidelicet deligationibus quibus complecti posteriorē carnosam tibiæ partē, quā γαστροκνημίαν uocant, necesse est. nam si iuxta malleolos deligandū sit, inde stabilitas ac firmitas cōparabitᷓ: cū inter duas prominētes partes fascia sit collocata: habeatq; infra extuberātes surę ossis & tibiæ terminos, q̄s talos nōnulli non recte appellāt: supra uero ipsius carnosū tibiæ tumorē.

17 In quibus uero hoc non est, ut in capite, his in planissima parte comprehēsiones C faciendæ, minimeq; obliqua deligatione utendum est. quoniam quod stabilissimum est, postremo circumiectum uel maxime errabunda continet.

Quibus membris neq; appositum quippiam tale est ut in tibia, neq; oppositum, ut in humero & inguine, in his qualem facere deligationem oporteat docet, nominatim capitis facta mentione. iubetq; in his in planissimo loco totius deligationis facere cōprehensiones. quod fit, cum finem ipsius neutram in partem declinantē rectissima terminatione conseruamus, siue in frontē, siue in mediam partē capitis, ubi sinciput est. finis enim fasciæ quę ad mentum deducitur reduci apte in mediam par- D tem capitis potest absq; ulla declinatione. at quæ orbiculariter circumducitur, in frontem simili modo neutram in partem declinatione facta extremum caput remittit. nam in circumductione posterioribus quoq; capitis partibus obuolui cōsueuit. qua occipitiū est. quod inter collū & posteriorem caluariæ gibbū subdidit. propterea igitur dixit extremā fasciæ cōuolutionē minime obliquā esse oportere, quia cum reliquas priores sæpe obliquas efficere cogamur, quo locus affectus quialias alijs in partibus reperitᷓ, circūtegi ualeat, fit, ut extrema cōuolutio nulla obliquatione circūiecta reliquas obliquas cōtineat. quippe quæ hac firmitate stabilitæ immotæ etiā ipsę permaneāt. sicut in capite: sic uel supra uel infra genu animaduertēdū est, ut extrema inuolutio planè recta absq; ulla de-

clinatione seruetur. at in inguine & humero ubi aduersas quoq; partes cogimur obligare, conuolutiones extremæ fieri orbiculares absq; ulla declinatione debent, per utraq; ilia, cum inguen, per utrasq; alas cum humerus deligandus est. his consentienter in cubiti articulatione deligatio fit.

18 Quibuscunq; neq; comprehẽsio, neq; appensio apte adhiberi linteis potest, aciis coniectione aut consutione appensiones faciendæ.

Quod inquit huiusmodi est, in quibus partibus aut affectionibus difficile est linteis ipsis comprehensionẽ capitis fasciæ, & reprehẽsionem facere, in his aciis aut circumiectis in orbem, aut finem fasciæ consuentibus cõprehensiones faciendæ sunt. quæ autem corporis pars eiusmodi sit, ut comprehensionẽ & reprehẽsionẽ linteis difficulter, aciis facilius admittat, neq; ego dicere cum reliquis explanatoribus queo. quemadmodum tamẽ an sint aliqua quæ talem deligationem non tolerent, ignoro, ita illud noui nonnulla esse in quibus uel minima affectæ partis motio dolorẽ maximũ creet. quemadmodũ non multo ante tempore cuidam contigit. qui ex casu adeo circa spinam dorsi afflictatus fuerat, ut ne si minimum quidem moueretur, ferre magnitudinẽ doloris posset. qua ex causa cum detrahẽda ei esset tunica, coacti fuimus nõ eam exuere, sed omnibus dissolutis suturis quàmplurimos adhibere qui totũ hominis corpus detinentes sublime æquali ponderatione supra sellam latã porrectũ subleuarẽt. quod ubi factũ est, supra sellã imponi per latitudinẽ iussimus panniculum, qui superiectum lanæ hapsum haberet, idq; ita, ut spinæ suspensi hominis supponeretur. nosq; alterum lanæ hapsum oleo calido imbutũ paratũ habẽtes, simulatq; tunica fuit detracta, celeriter spinæ circumiecimus, atq; hominem supra alterum subiectũ collocauimus. atq; ita primũ madefactæ lanæ, deinde siccæ, postea panniculi capita ad superiores corporis partes altrinsecus alterum attracta inter se suturis cõmisimus. Quòd si nõ suturis hic, sed aciis tantummodo uoluisset quispiam firmitatẽ deligationis efficere, ipsas primas omnium non post deligationẽ infra panniculum subiecisset. simili modo in partibus circa coxam, necnon circa femur, circa brachium item aliquando, & circa colli posteriorem partem operatio succedit.

19 Fasciæ mũdæ, leues, molles, tenues sunto

De materia fasciarum hic docet, quas mundas, leues, tenues, & molles adhiberi iubet. mũdas, ne si sordidæ sint, & aspritudine infestent, & prohibeant, quo minus uis infusorum humorũ ad corpus possit penetrare, leues, ne locum affectũ grauent. tenues, propterea quòd quæ sunt huiusmodi, tum leuiores et molliores etiam esse, tum infusiones facile transmittere consueuerunt. molles autem, ne locus affectus comprimatur. Euidẽs præterea est, unumquodq; horum ad id etiam conferre ne inflammatio aliqua ea in parte excitetur.

A 20 Inuoluere utrisq; simul, & alterutris separatim exercere opus est.

Quod superius cum de omnibus quæ ad manuum operationẽ attinent, exercendis ageret, in uniuersum alterutris & utrisq; simul manibus operandum dixit, id nunc de sola inuolutione præcipit. talis enim manuum exercitatio ad celeritatẽ operationis, id quod est maximum in dolentibus, utilissima est. cum duę uidelicet manus simul in deligationibus ex duobus initiis iniectis, altera tantũ in reliquis fasciam inuoluit. quanq; in his quoq; alterutris utendũ est per uices sibi mutuo succedentibus. nam in illis quę ex duobus initiis fiũt, utręq; uno eodemq; tẽpore simul operantur. cum enim mutuo sibi succedãt, altera circũuoluens fasciam
B præcipuam deligationis partem exequitur. altera ad ministerium huius utilis euadit.

21 Ad latitudines & crassitudines partiũ coniectans conueniente uti debet.

Præcipit ut ad latitudines & crassitudines deligandarum partium spectantes cõuenientem unicuiq; deligationẽ inueniamus. nam cum superius dixerit, quomodo deligatio recte absoluat, cum docuit unde incipiendũ sit, quomodo inuolui lintea debeant circa partem affectam, ubi finis fasciæ collocandus, quo pacto comprehensiones faciendæ, qua ratione, nodis, & aciis utendũ sit, animaduertendum est eum nihil de his quicquã dixisse. non enim ex latitudine aut crassitudine deligan-
C dorum membrorum quicquam sumptũ superius est: sed ex affectione ipsa, & figura membri quod morbo afficiebatur. Nunc igitur conuenit, ut doceat quæ bona in deligatione eueniant, cum ex latitudine & crassitudine partium quæ deligantur coniecturam sumimus. ex his enim linteorum latitudo & crassitudo percipitur. uerbi gratia in paruo puero fasciis & longitudine breuibus, & latitudine angustis uti consentaneum est: in grandi iuuene & longis & latis. similiter & in aliis corporibus quæ inter magna & parua sunt, pro cuiusq; ratione modus seruandus. nam si pars deliganda & latitudine & crassitudine utrorumq; prorsus media fuerit, lintea quoq; efficiemus media inter ea quibus in magno, & ea quibus in paruo corpore
D deligando utebamur. si autem uel paruo uel magno propius accedet, pro rata eius portione fasciã uel augendo, uel minuendo immutabimus.

22 Conuolutionis capita dura, æqualia, sincera sint.

Cõuolutio utrisq; inest, fasciis uidelicet & prius quàm ægrotantis corpori circumiiciantur, et cum deligatio circa affectum locũ fit. capita autem fasciarum quæcunq; sint, utrorumq; sunt cõmunia. nam siue initia, siue fines fasciarum, siue utraq; capita hic appellari intelligamus, siue etiã extremas per latitudinem oras, omnia hæc cõuolutionibus utrisq; fasciarũ cõmunia sunt, cũ per se solę sese habẽt, & cum corpori circũuoluunt. hoc enim licet inter explanatores huius libri in controuersiã uenerit

nerit, difficile dictu non est: quippe cum de conuolutis per se, & de circũiectis corpori sermo hic manifeste sit. quare de omnibus terminis intelligendum censemus. non ut nonnulli de extremitatibus tantum per longitudinem, aut alij per latitudinem. illi de solis capitibus fasciarum per se, hi de constrictione conuolutionis dictum esse hoc asserentes. sed debere fasciam per se etiam esse constrictam anteq; corpori inijciatur, perspicuum est. ita enim fit, ut facilior sit, aptiorq; ut suscipiatur, quippe cum tenuior reddita sit, tenuioresq; complicationes ex eo habeat, q extensa atq; expansa cõuoluta in spiram teretem fuit. constringi siquidem aliter nequit. nam capita sola constringi oportere, falsum proculdubio est. non enim sola capita, sed tota fascia constricta esse debet. Cum igitur ambigua adeo res sit, quid etiam mihi uideatur, iam dicam. Capita accipienda sunt pro omnibus fasciæ extremitatibus siue longitudinem, siue latitudinẽ consideremus. sed ipsa tamẽ dura hic non proprie esse dicta existimandum est, ac propterea obscuriorẽ orationẽ euasisse. nam cum superius dixerit, fascias mundas, leues, molles esse debere, quĩ fieri potest, ut duras easdem esse hic iusserit? quocirca ita usum esse eum hac duri appellatione existimarim, prout rei cõuenit, de qua loquitur. sæpe enim contingit, ut in extremis linteorum partibus, quæ quatuor sunt, duæ in longitudine, in latitudine itẽ duæ, uel stamẽ solum sine trama, uel trama sine stamine propendere reperiatur. uel alterum horum laxius extare, uel aliqua in parte inhærere, in alia supergredi conspiciat. in quibus sanè linteis molliora capita sunt, quàm in ijs quæ in extremitatibus stamen æque subtegmini cohærens, coniunctumq; habent. hec enim quatenus mollitudini aliorum contraria uidentur, dura possunt appellari. melius tamẽ erat, si non mollia, dixisset, quemadmodum superius de nodo agens, non magnum eum esse debere asseruit. quæ enim in medio duarum immoderationũ constituta sunt, negando, ut dixi, utramlibet immoderationẽ significare consueuerunt. qui igit nihil aliud ne mediocriter quidem probabile habet quod hac de re dicat, ita probabilissime intelligere duritiam capitum posset: presertim cum de errore hoc, qui, ut dixi, in linteorum capitibus contingit, nullo alio in loco loquatur Hippocrates. equale aũt id hic significat quod omni ex parte prorsus simile est. id uero est, si nullum inter ipsa capita neq; durius, neq; latius, neq; mollius, neq; angustius sit, neq; deficientẽ partem aliquam aut corrosam habeat. quod in prætexturis cõtingere aliquando solet. at uero sinceritas in capitibus est cum extẽsa simili modo omnibus in partibus sunt. ut non alicubi explicata atq; expansa, alicubi duplicata & inuoluta reperiantur.

23 Quæ uero futurũ est ut decidant, peiora cito decidentibus. ea autem, ut neq; comprimant, neq; decidant.

Per solœcismum hæc loquutio prorsus est, quomodocũq; eam intelligere quispiam uelit. siue enim decidentibus, id est ἀποπεσόντων atticũ in morem accipiamus, pro ἀποπεσέτωσαν, id est decidant. ut est illud. dixit in curriculũ prodeuntibus, id est prodeant. siue absolute ita positũ esse ablatiuum hunc casum dicamus, neutro modo euitare solœcũ poterimus. nam si priori modo interpretemur, talis euadet oratio. quæ futurum est ut decidant, peiora cito decidant. si secundo, sic: quæ futurum est ut decidant, peiora sunt cito ipsis decidẽtibus, id est si cito ipsa decidant. melius tamen erat, si in hunc modum scriptũ fuisset, quæ futurũ est ut decidant, peiora sunt cito decidẽtia. perspicuũ tamẽ est sicut in alijs multis ita in hac quoq; lectione cõtingere potuisse, ut uel ipse autor aut detractione, aut additione, aut immutatione unius aut duarũ literarum in scribendo errauerit, sicut sępe euenit. uel à primo librario error fuerit cõmissus, dũ quæ aut obscurioribus literis fuerunt exarata, aut chartæ corrosione alioúe aliquo casu deleta ac confusa euanuerunt, percipere planè non potuit, sed cõiectura usus praue descripsit. accedit quòd nonnulla etiam errata ex transliteratione quam μεταγραμματισμὸν nominant, antiquitus inoluerunt, dum immutãt pleriq; ex ueteri literatura in recentiorem. ex his enim òmnibus multi in exemplaribus errores emanarunt. Sed de his satis sit semel dixisse. longum enim esset, si in unoquoq; errore eadem repetere semper uellemus. At enim si errore uacare lectionem hanc concedamus, quæ est, quæ futurum est ut decidant peiora sunt cito decidentia, quærendum est, de quibus hoc dicatur: de membris ne corporis, an de fascijs, an de ijs quę curandi causa affectis locis imponuntur, cuiusmodi sunt cataplasmata atq; alia medicamenta, linamenta, & laquei. præter enim tria hæc nihil aliud esse eiusmodi uidet, ut decidere ab ægrotantibus corporibus queat. nam & de unoquoq; horum ab explanatoribus huius libri dictum est. at si singula alicui probabilia uisa sunt, omnia etiam sanè uideri potuerunt. ac mihi quidẽ linamenta non absurde uidentur posse hic intelligi quæ sæpe uel sola inijciuntur, ut in sanguinis eruptionibus, uel medicamentis quibusdam illita imponuntur, uel extrinsecus loco operimenti ipsis superdantur. debent enim ea quemadmodũ etiã laquei prorsus decidere, non tamẽ cito. sed ubi exquisite suppurato mẽbro sanguinẽ fundentibus uasis producta accreuerit caro. sic etiã crustæ quæ aut ex candentibus ferramentis, aut ex adurentibus medicamẽtis extiterunt, cito decidere non debent. Quin etiã multa medicamenta, ut sunt liquida, quæ putrescentibus membris instillantur, quæ item insperguntur arida, quæq; supra lienarias affectiones, & intercutaneas aquas imponuntur, si non celeriter deciderint, mirũ in modum prosunt. necnon quæ supra alia membra, aliaq; uitia inijciuntur ex ijs quæ ἐχέκολλα, id est glutinosa, seu glutinum habentia appellantur medicamenta, multũ iuuant, si aliquandiu supra locũ affectũ immorentur. nam in fracturis, & alæ luxationibus frequenter cõtingẽtibus, in podagris, coxendicibus, renalibus morbis, omnibusq;

nibusq; articularibus, dolore item capitis, alijsq; non paucis maximum in medicamentis si non cito deciderint, præsidium experti sumus. Sed medicamenta quidem, si sint ex ijs quæ glutinosa appellantur, propterea quod ita corpori adhærent, atque agglutinantur, ut difficulter auelli queant, nulla extrinsecus deligatione indigent. alia uero decidunt, nisi fascijs contineantur. de quibus nunc sermo ipsi est. inquit enim, ea autem ut neque comprimant, neque decidant: ac si ita diceret. quæcunque medicamēta utile est ut non cito decidant, ea deliges ita necesse est, ut neque affecta pars à deligatione comprimatur, & ipsa firmiter contineantur. contineri enim & non decidere eandē uim habent. Ac de ijs quidem quæ extrinsecus imponuntur, satis dictum sit. nunc de partibus corporis uideamus, an in his quoque uerum sit, quæ omnino futurū est ut decidant, ea non cito decidere oportere. nonnulli enim falsum esse opinantur à putrefactis partibus decepti, quæ quo citius exciduntur, eo utilius est. quod quamuis uerum sit, non obstat tamē quin illud quoque esse uerū censeatur. quippe cum longe differat futurum esse ut decidat quippiam, & opus esse ut excidatur. sæpenumero enim euenit, ut ossium rescissa quædā fragmenta, ac squammæ post aliquod tempus decidant. meliusq; est, si à natura ipsa expulsa paulatim id quadam temporis mora consequantur, quàm si festinemus ea uel medicamentis iritando, uel instrumentis euellendo inde resoluere. quæcunque enim repente ui reuellunť fistulares cauitates efficere cōsueuerunt. quæ autem succrescente uel callosa quadam materia, uel carne excidunt, ea ubi exciderunt plenum statim locum relinquunt, qui postea cito sanescit, cicatricemq; inducit, si uel mediocriter exiccās uel astringens medicamentū aliquod imposuerimus. quin etiam neruosæ aliquæ particulæ, & membraneæ sæpe excidunt, sine periculo quidem si paulatim longo tempore suppurarint: si uero uiolenter aut medicamentis uim inferentibus, cuiusmodi acria sunt, tentenť, aut instrumento aliquo, uel digitis etiā nostris auellanť, reliquis membris malū per contagionē transmittunt, ita ut & inflammationē patiantur plerunque ægroti, & febricitent, & delirent, in cōuulsionemq; incidant. Sed iam ad reliquum & tertiū illorū quæ decidunt, genus deueniamus. id aūt est, ut nonnulli opinati sunt, fasciæ. quas dicūt cum sunt laxæ, & effluxuræ sunt in longiore tempore utilius decidere, at id falsum est. nō enim melius est, ut quę male fuerunt circumdatæ, longiore temporis mora delabantur, sed quàm citissime. imò neque expectandū est, ut decidant, sed celeriter dissoluendæ, ac rursus apte deligandæ sunt. unde quidam ex ijs qui ita explanant, fatetur quidem melius esse ut cito laxæ fasciæ decidant. sed nisi tamē aliquid aliud extrinsecus subintelligant, deficiens oratio est. ita enim esset absoluenda: quę futurū est ut decidant, peiora sunt cito decidentibus, id est quàm quæ cito decidunt, ea quæ longius in tempus cōposita permanent. quod licet etiā concesserimus, ita decidere de fascijs dictū esse probabile non est. quis nanque est qui tantū tempus sibi expectandum censeat in ijs quæ sponte sua delapsura sunt, cum possit & celeriter soluere, & rursus bene deligare? Alij aūt in contrariam sententiam uersi, uera quidem dicunt, uerba tamen ipsa uiolenter detorquent. quo modo enim uiolentū non est, si in hunc modum interpretemur? quæ futurū est ut decidant, peiora quidē sunt ijs quæ non decidunt. melius tamen ipsis est, ut celeriter decidant. ut uidelicet priorem partem huius orationis quæ est-quæ futurū est ut decidant, peiora-una sententia circūscribamus: ac deinde ab altero principio legamus, cito decidentibus, hoc est cito decidant. Sed hæc est, ut dixi, uiolenta interpretatio ex genere loquutionis, quod inarticulatum uocamus, extorta. præterquàm quod falsum in uniuersali hoc est, quæ futurū est ut decidāt, esse peiora. multa enim sunt quæ bene et utiliter decidūt. Quocirca melius est, sicut dixi, ut Hippocratis hanc orationē, omissis fascijs, ultimaq; hac expositione, de ijs quæ extrinsecus imponunť, & omnibus corporis particulis quæ decidere debent, dictam esse intelligamus.

24 Quæ autem sequitur deligatio, & subligatio, aut utraque.

Subaudiendum est hæc sunt. deinde legenda ea quæ sequunť. id est subligatio quidē in causa est, ut quæ uel abscesserunt, attrahantur, &c. usus autē est hic uerbo sequiť pro appetit, & affectat, & coniectat. quæ sanè omnia eam uim habent, ut significent, quænā uires, & quæ opera deligationis sint. appello autē opera nunc non operationes, sed effecta. sicut ædificatoris domus, fabri lectica, textoris uestis est. cum uero in deligatione ac præcipue ea qua in fractionibus uti consueuimus, duæ ante plagulas fasciæ assumantur, & duæ aliæ post, proprium nomen duabus prioribus imposuit Hippocrates, subligamina seu subfasciationes, & quæ ex ipsis fit deligatio, subligationē uocans. quæcunque uero & quæ proprie subligatio, & quę cōmuniter deligatio nominatur, efficere ualeat, ex ipso deinceps hic docente audiemus. oportebat quidē dici prius qua de causa deligatio à medicis fieret, sicut in principio distinxit. cū dixit, partim ipsam mederi, partim medentibus inseruire. quo modo item adhibita unūquodque ex antedictis curaret, ut ad scopum curationis spectantes conuenientem unicuique deligationem inueniremus. qui quidem scopus ab ipso qui curandus esset, morbo innotesceret. Hippocrates tamē non ita scripsit, sed ubi qualis debeat esse deligatio, hucusque disseruit, ad opera & uim ipsius declarandam descendit.

25 Subligatio quidem in causa est, ut uel quæ abscesserunt, attrahantur, uel quæ expansa sunt, contrahantur, uel quæ contracta sunt, distrahantur, uel dirigantur distorta, uel contraria.

Quæ abscesserunt, hic appellat omnia, quæcunque, cum corpus secundū naturam sese habet, uel unita aliquibus alijs partibus sunt, uel eas attin-

gunt: cum præter naturam affectum est, unionem uel contactum non amplius seruant. unio in omnibus fracturis, ulceribus, rupturis, contusionibus, cõtactus in abscessibus, quæ ἀποστήματα dicuntur, sinibus, inflationibus, & tumoribus interruptus est. expansa autem uocat, quæ plurimo interuallo inter se distant. id quod duobus modis contingit. uel in toto, uel in labris tantummodo. scopi igitur curationis sunt hi in abscedentibus, uidelicet attrahere, in expansis contrahere, in distortis dirigere. cõmune tamẽ omniũ est corrigere & dirigere. cũ græci ἐπανορθοῦσθαι & διορθοῦσθαι de omnibus dicere consueuerint, quæ eiecta quocũq; modo in suũ conuenientẽ statũ restituunt. atq; hi fines propositi subligationis sunt. uis aũt ipsius non horum tantum effectrix scoporum est, uerum etiã quandoq; B cõtrariorum. cum bene adhibetur, horum: cõtrariorũ, cum male. merito igit in fine orationis subiunxit, uel cõtraria: quippe cũ propositũ ipsi fuerit quid posit efficere subligatio dicere, non de sola bona subligatione tractare. nam in principio etiam huius orationis, ubi inquit, quæ autẽ sequit deligatio aut subligatio, aut utraq;, de omni deligatione, non de optima tantum sermonẽ instituit. q̃ si de bona etiã sola dictũ esse hic uelit quispiã, quod in fine positum est, in hunc sensum erit accipiendum. ut sicut præter naturam alia sunt abscedentia, alia expansa & aperta, alia distorta, ita aliæ affectiones his cõtrariæ sint. nam cum totum corpus conuenientiam & æquabilitatẽ in se habeat, morbus omnis ex eius corruptione exorit. si igit C quæcunq; cum naturalẽ cõstitutionẽ habet, unita quibusdã sunt, uel quędam attingunt, quando uel unionem uel contactum amiserunt, ea ægrotare, & præter naturam esse affecta dicimus: simili modo quæ neq; unita sunt aliquibus, neq; attingunt aliqua, si uniantur, & contingant, in morbũ inducuntur. hæc igitur contrariam correctionẽ requirunt, & contrarios scopos habent. sed huic repugnare ea uidentur quæ distortis opposita sunt, quæ uocantur recta. nam quantum antedicta ratio postulat, hæc quoq; distorquere oportebit. id quod non amplius bonę deligationis, sed errantis & malæ est opus. at si quis meminerit, quæ de femore & brachio dixit Hippocrates, is præter naturã in his rectitudinem esse cognoscet, in quibus pars exterior & anterior incuruata natura est. quod cũ qui- D dam oblitus fuisset, femur uel brachium caulatim fractum primum quidem manu in rectitudinẽ cõfinxit, deinde in ea figura deligãdo reseruauit. sed ubi naturali formæ ossium animũ aduertit, cognouitq; eam esse seruandam, cum nondum fracturæ illi callũ increuisse offendisset, aqua id multo oleo admixto fouit, postea fortiter extensum, primum fregit eo modo quo à principio erat, deinde in naturali habitu confinxit, tum in eo naturæ callo cõferruminandum cõmisit. ut ita uerum sit, non solũ ignaros & malos medicos ex prauis deligationibus imprudenter, uerum etiam optimos studiose contraria antedictis bonis circa ægrotantes efficere. dum quæ præter naturam duplicata sunt in contrarium admouent, & quæ coniuncta sunt, & coaluere, dissoluunt, & distrahunt. quippe cum in nonnullis ex coulceratione & digitos cohærẽtes, & labra, & palpebras interdum uideamus. antedictarum igitur affectionũ curationis scopi hi sunt. quorum unicuiq; accommodatam deligationem deinceps docet. sed prius tamen qualia præparanda lintea sint sequẽti oratione declarat, cũ inquit,

26 Lintea præparanda sunt leuia, tenuia, mollia, munda, lata, quæ neq; consutiones habeant, neq; extantias. & sana sint ut ferre extensionẽ possint, & paulo amplius. non arida, sed insuccata succo, cui singula connutrita sunt.

Dixerat superius de linteis, sed non plene. ut pateat nihil tunc ad editionem exquisite fuisse absolutũ, ne à filijs quidẽ. nam post Hippocratis mortem in eodem libro De ijsdẽ uel breuibus uerbis dicendum sibi censuisset nemo. sed uel quæ hic ponuntur, detraxisset, uel quæ superius dicta sunt. superius enim ita scripsit, ut uidimus, fasciæ mundæ, leues, tenues, molles sunto. hic uero adiũgit latas etiam easdem esse debere, atq; eiusmodi, ut neq; consutiones, neq; extantias habeant, sanasq; item non eatenus tantum, ut si uiolentius intendantur, rumpi nequeant, sed uiolentam quoq; distentionem tolerent. hoc est ualidæ & robustæ sint, quo firmius continere ac stabilius possint. non habere autem consutiones inquit, quæ inæqualiter cõcurrant. neq; eas, quę uocantur extantiæ, id est extantes partes in textilibus, atq; oblongæ eminentiæ interdum dedita opera, interdum temere ita euenientes, quandoq; ex ipso subtegmine, quandoq; è purpura intertextæ, ut in ijs quas prætextas uocãt, uidere licet. cuiusmodi omnia mulieres ubiq; efficere consueuerunt. cauenda igitur hæc omnia in fascijs esse inquit. Cum autẽ lata debere esse lintea dicit, hoc eorum est, quæ non absolute, nec sine respectu enunciant. nam cum ad angusta deliganda proponuntur, posset quispiam ipsa, si ad ea quæ supra modum sunt dilatata compararit, calumniari: si ad moderata, eodem modo. quicquid enim à moderato uariat siue additione, siue detractione, prauũ id est. de tenuium & leuium & mollium & mundorum usu dictum superius est. quod uero in fine ait, non arida, sed insuccata succo cui singula cõnutrita sunt, id etiam de linteis dicitur. quæ autem ratio præcepti huius sit, obscurum nõ est. censet enim ipsa in nulla deligatione dura esse assumenda, sed insuccata & imbuta succo, cui singulæ ex affectionibus quæ curandæ sunt, sunt cõnutritæ, id est assuetæ, accõmodatæ, & cõuenientes. cerato siquidem liquido simplici, & picato, & uino nigro austero, in libro De fracturis & articulis irriganda lintea esse inquit. nam sicca præter q̃ quòd utilitatẽ quæ ex madefactione euenit, nullam præstant, cõstipant insuper partes supra quas imposita sunt, caliditatemq; in ipsis augent, atque ob id humorẽ ex uicinis locis ad affectam partem eliciunt

eliciunt. id quod maximum eſſe malum ad tumorum ortum omnibus patet.

27 Atq; ea quidem quæ abſceſſerunt, ita ut ſuſpenſa ſedem attingant, non tamen premant. incipiamusq; à ſano, & ad ulcus finiamus. ut quod ſubeſt, emungatur, aliud uero quippiam non colligatur.

Siue oſſa fracta, ſiue cohærentia abrupta, ſiue uulnere aliquo magno illato partes præter naturam abſcedant, eæ cogendæ & coaptandæ inter ſe ſunt eo uſq; ut attingant ſe, non tamen comprimant. nam quæ ita preſſe apponuntur partes, dolorem, inflammationemq; excitant. maxime autẽ de ulceribus qui uocãtur ſinus, ſeu uentriculi, cauſa exempli, ſermo ipſi hic eſt. id quod in ſequentibus manifeſte declarat. ſed prior tamẽ pars huius orationis quæ eſt-atq; ea quidẽ quæ abſceſſerunt, ita ut ſuſpenſa ſedem attingant, non tamen premant-cõmunis eſſe ad reliqua omnia etiã poteſt, quæ à naturali contactu, uel coaleſcentia receſſerunt. reliqua uero, quæ deinceps ſequũtur, ubi inquit-incipiamusq; à ſano, & ad ulcus finiamus-de ulceribus dicta manifeſtiſsime ſunt, quibus & ſanies euacuari, & nullus humor affluere tempore conglutinationis debet. id autem fit, cum fundum ipſius ſinus eatenus cõprimimus, ut non collidamus, & paulatim uſq; ad os ipſius deligationẽ relaxando perducimus, osq; ita apertũ in figuratione ea, quę deorſum uergat, cõſeruamus. ſinus ſanè cum purgare uolumus & cõglutinare, hoc modo deligamus. at in ſummi humeri auulſione non ita; ſed eleuatã eius partẽ uiolẽter deprimimus, & cogendo compellimus. nihil enim ex huiuſmodi colliſione euenire mali poteſt. ſicut neq; in fracto iugulo, quando altera eius pars maior multo eſt, tametſi minus in hoc quoq; quàm in ſummo humero cõprimere ſolemus. in alijs uero fracturis parũ ac minimum comprimimus, cauentes ne inflãmatio oriatur. atq; ego quidem de omnibus quæ abſcedunt, diſſerui. at Hippocrates de ſolis ſinibus, ut exemplum afferret. in quibus moderata deligatione utendũ eſſe manifeſte declarat, cum inquit: ita ut ſuſpenſa, id eſt ea quæ abſceſſerunt, ſedem attingant, ſed non premant. ſedem appellans abſcedenti corpori ſubiectam partem. cui quod applicatur firmari ac conſidere proculdubio debet. prius enim quàm pars altera alteram prorſus attingat, uniri inter ſe nullo modo queunt. unio autẽ fit, ſi ſe abſq; alliſione contigerint. perſpicuum autẽ eſt non abſolute quempiam conſulturum fuiſſe, ut ſinus qui cõglutinandi ſunt, ita deligentur. quippe cum inflammatione prius uacantes, tum puros & ſiccos reddere, ſicq; carnes forte contabuerint, alere debeamus. adde ꝙ neq; rupturas & cõtuſiones quæ ex genere ulcerum & ſinuum ſunt, ſtatim ubi extitere, hac deligatione curamus: ſed poſteaquã inflammatio ſedata ipſis fuerit, humiditasq; exiccata. utræq; enim hæ continuitatis ſolutiones ſunt in carnea parte effectæ, unà cum ſanguinis quadã in mediam regionẽ affluxione. id quod abſceſſui

A & ſinui cõmune eſt. quoad enim pars ita affecta in exteriore ſummitate occluſa eſt, atq; os nullũ habet, abſceſsiſſe quidem ipſa dicitur, affectio uero abſceſſus proprie, id eſt ἀπόςημα uocatur. at ubi aliqua ex parte aperta eſt, ut qui continetur humor excernatur, non amplius abſceſſus, ſed ſinus iam appellatur. Quocirca omnia huiuſmodi uitia deligatione quidem ſemper, ſed non ſimili indigent. cum enim adeſt inflãmatio, neq; opus prorſus prima ratione & per ſe deligatione eſt. ſicut etiã cum ſuppuratio fit. Cum ſinus uero iam factus eſt carne plenus, mediocris admodum deligatio eſt adhibenda, ita ut ſedes abſcedẽtia minime attingat. per os enim purgantia medicamenta & aperientia inijcienda ſunt. at ubi iam eo peruenit, ut conglutinationẽ requirat, ea quam nunc dixit Hippo-
B crates, deligatio eſt accõmodata. Hæc neceſſario mihi ſcribenda exiſtimaui, ne quis locũ hunc praue intelligens omnes ſinus ita deligandos cenſere Hippocratem arbitraretur. nam ſicut demonſtratum eſt, non omnes ſunt deligandi, ſed illi tantũ, qui nullo alio malo infeſtantur, neq; inflammatione, neq; carnis tabe neq; ſorde, neq; humore aliquo qui in ipſis contineatur. Qui ſanè uniformem ac ſolam ſui curationem requirunt. Cæterum de huiuſcemodi diſtinctionibus in libris De medendi ratione ſatis dictum à nobis eſt.

28 Deligare oportet recta quidem in rectum, obliqua oblique in figura infatigabi-
C li, in qua neq; conſtrictio, neq; abſceſsio fit. ex qua cum in appenſionẽ uel poſitionem tranſeunt, non mutentur. ſed ſimilia hæc, muſculos, uenas, neruos, oſſa habeant, & diſpoſita, & bene detenta ſint.

Non partes affectas corporis rectas & obliquas nunc uocat, ſed abſceſſus ipſos: de quibus in ſinus exemplo hæc docet. qui rectus ne an obliquus ſit, ex longitudine partis in qua eſt, ſpectatur. rectum enim decliuem intellige; obliquum, qui eiuſmodi non eſt. rectum ſiquidem ſinum appellat, cuius os in inferiore parte, fundũ in ſuperiore eſt. obliquũ, qui in latus declinat. fiunt tamen contrario etiam modo ſinus, quibus deorſum fundum, ſurſum os
D uergat. ſed nos his fundum, quo facilior ſaniei exitus pateat, aperimus. quòd ſi non prorſus in inferioribus corporis partibus plaga reperiatur, ſed in latus, eam ampliare ſcalpello cõſueuimus. figura autẽ membri & ſitus, & modus deligationis eſſe eiuſmodi debet, ut ad excernendam ſaniem idoneus ſit. tãta enim in his figurationis uis eſt, ut nos ſæpenumero plagã, quæ ſuperius eſſe uidebatur, ut inferius eſſet, immutata figura fecerimus. nam cum in femore ſinus eſſet, cuius os prope inguen, fundum iuxta genu erat, eum figuratione ita curauimus, ut genu altius inguine detineretur. id autẽ puluino molli popliti ſubiecto facile & ſine ullo dolore fieri potuit. eodem modo ſinus in poſteriore carnoſa tibiæ parte poplitem uerſus ora habentes ſanauimus, crus eo habitu collocãtes, ut altior

poplite pes extaret. cubitum item sinu laborantẽ A sæpe simili ratione ad sanitatem perduximus, eum ita mitella iniecta excipientes ac suspendentes, ut manus gibbo cubiti esset superior. at cum gibbus ipse ita patit̃ ut à superiori parte à brachio, ab inferiori à cubito sinus contingatur, maxime idoneus habitus is quem diximus, est. quo gibbus ipse cubiti humilior utrisq; ossibus, brachij uidelicet, & cubiti redditur. quo in casu duabus fascijs utimur, utrisq; ad os & foramen sinus quod in gibbo est, desinentibus, incipiẽtibus uero utrinq; à sana parte. sicq; sinus sit plane rectus, rectã deligationẽ neutram in partem declinantem adhibemus, perinde ac si fractum brachium deligandũ sit. similiq; modo deponimus. at si in obliquum declinet, deligatio quoq; sinus ipsius declinationem imitari debet: eamq; figurationem, ut effluere sanies queat. B qua enim figuratione depositurus affectam partem es, in ea quoq; deligationem inijcias, sciens maximum inde euenire damnum solere, cum iam deligata in alterum habitũ transformantur. quippe cum necesse sit, ut cum id fit, nonnulla quæ incuruata erant, extendant̃, alia uero quæ erant depressa attollantur. efficietur igitur, ut sicut quę intumuerunt, à fascijs comprimantur, sic quæ subsedere laxata ibi fascia nequeant cõtineri. de ijs quæ comprimuntur constrictionem, de laxatis abscessionem dixit Hippocrates, in ea figura accommodatam sinui deligationem nobis faciendam censens, in qua neq; cõstrictio, neq; abscessio sit. nam C si ad solum deligationis tempus respicientes obliquum sinum oblique deligemus in eo habitu qui in depositione, aut appensione seruari non possit, sed immutandus sit: aliæ deligatæ partes constringentur, aliæ laxabuntur. quæ autem partes in habitus mutatione sinum immutẽt, ipse nominatim expressit. cum inquit, musculos, uenas, neruos, & ossa. quippe cum hæc tantummodo sint, quæ tumorem in corpore efficiant. uenarum autem nomine non tantum eę quæ uenę nunc appellantur, sed arteriæ quoq; ex ueteri consuetudine intelligendæ sunt. atq; hęc totius orationis sententia est. cuius uerba nonnulla licet non admodum obscura sint, non ab re tamen erit, si breuiter explicẽtur. Appensionem in manu uocat eius ubi deligata fuit, depositionem, cum lata mitella totus cubitus D appẽsus excipitur. positionem uero in crure. perspicuum tamen est appensionem significato positionis tanquam generi subijci. in fine item subiungens εὔθετα, id est disposita, quæ bene deposita sunt, εὔχετα, id est bene detenta ea quæ bene excepta atq; appensa sunt, uocat, illud ad crura, hoc ad manus referens.

29 Appensa uero esse debẽt, uel posita in infatigabili habitu, qui secundũ naturã sit.

Infatigabile id est, quod fatigationem & dolorem non affert, & secundũ naturam diuersum minime est, sed unum & idem. quod quid sit & in libro De fracturis satis ab Hippocrate dictum est, & nunc etiam loco suo dicetur.

30 At in quibus abscesserit, contraria.

Nonnulli legunt, in quibus non abscesserit cum negatione. & ita exponunt. in quibus abscesserit aliquid, antedictum modum deligationis adhibemus. in quibus uero non abscesserit, contrarium. nam si antedictum fuit, ut à sana parte incipientes in ulcus desinamus, relaxando subinde cõpressionem: contrariũ erit, ab ulceratis & fractis incipiendo ad inferiorem partem relaxando descẽdere. at qui sine negatione legunt, dicunt iubere Hippocratem, cum uolumus ea quæ pręter naturam coniuncta sunt, & cohæserunt, abscedere & separari, antedictum deligationis modum immutare. nam cum uolumus ea, quæ quocũq; modo inter se coniuncta cohæserunt, disiungere, debere nos cõtrarium in modum uti deligatione perspicuum est. in magnis item uulneribus plerũq;, in quibus uel cum ima pars aperta atq; inconglutinata permanserit, summa cutis consolidata coaluit: uel summæ oræ inter se duplicatæ coniunctę ita sunt, ut altera alteri insederit: in fracturis quoq; distrahenda ac disiungenda esse constat, quę commissa sunt, cum in ima parte nõ secus atq; in uulneribus fracti ossis capita non coeunt. adde quòd in illis quoq; ossibus idem fit, quæcunq; sinus, & fistulas alicuius momenti intus habuerint. At enim sicut hæc per se utilia esse scimus, ita nunc ut non recte dicta reprehendi merito possent. quippe cum nullo modo cum Hippocratis uerbis cõsentire uideantur. quæ inquiunt. in quibus abscesserit cõtraria. non enim idem est si dicamus in quibus abscesserit, & in quibus abscedere uolumus. quocirca debebãt hi qui in hunc modum explanãt, sicut priores illi, adiuncta negatione suæ sententiæ cõsentientem lectionem faciebant, ita ipsi quoq; scripturam immutare, atq; inde eam pro suo arbitrio interpretari. cum uero eam ita sicut est, reliquerint, alienam à uerbis explanationem attulerunt. non igitur de ijs quæ abscedere uolumus docere hic Hippocratem censendum est, in sequentibus enim id faciet, sed de ijs quæ abscedunt, & nondum integre abscessere, sermo ipsi est: uel de ijs etiam quæ perfecte abscessere, sed nondum tamẽ eruperunt in sinum. quippe cum hæc dolorẽ sedante, & pus mouente curatione primũ indigeant, quoad ad id emittendum ora aliqua aperuerint: deinde ubi id effectum est, si aliqua inflammatione infestentur, liberanda, tum exiccanda, & carne, ut dixi, replenda sint: postea cum iam solus sinus relictus est nulla alia affectione mala adiuncta neq; inflammatione, neq; sorde, neq; humore superuacuo, neq; carnium defectu, postremam sanationem, ac cõglutinationẽ suscipere debeant. non esse itaq; mirum debet, si iubet, ut contraria in ijs quæ abscedunt, faciamus. quicunq; enim non negligenter in artis operibus est uersatus, optime nouit, in abscessibus qui ad maturitatem perduci queunt, non esse inutile, ut nihil eius qui adhuc suppurat, humoris excernatur. nam si intus maneat, fit ut reliquus ei melius, faciliusq; accedat. quocirca pars affecta,

quantum

quantum ad morbũ ipsum attinet, neq; ulla prorsus indiget deligatione. quæ tamen eatenus adhibetur, non ut curationem ullam afferat, sed ut curantibus inseruiat, atq; opituletur. abscessuum igitur à sinuum curatione diuersa curatio est. illis enim ut nihil humoris effluat donec perfecte maturuerint, his ut nihil intus remaneat, per quàm utile est. illorũ nullum esse os, hos apertos esse confert. quæ abscedunt præterea cataplasmatis humectantibus & calefacientibus maturanda: sinus ualde exiccantibus & purgantibus sicci & puri reddendi sunt. adde quòd sinibus antedicta deligatio medetur. in abscessibus, ut alijs medentibus inseruiens assumi consueuit. At uero Asclepiades totam horum uerborum sententiam de deligationibus esse intelligendam censet, in hũc modum. deligare oportet in eo habitu in quo neq; constrictio neq; abscessio sit. hoc autem totum secũdum naturã est. at in quibus deligatio abscesserit, in ijs contraria age, id est in contrario habitu deligationem adhibe. hoc est in quo habitu partis deligatæ fascia abscesserit, in contrario ei habitu deligationem facias. uerbi causa, si extento cubito brachiũ deligatum non permanet, sed laxatur, contrariam figurationem experire, atq; in ea rursus deliga. Cõtraria autem figura erit, si cubitus inflectatur. quoniam autem crurum habitus secundum naturam accõmodatus est in extẽsione, si inflexa crura deligaris deinde extendere ea iusseris, efficietur ut musculis alium in locum abeuntibus fascia abscedat. quapropter contrario habitu, id est extẽta tibi erunt deliganda, in quo uidelicet etiam deponenda sunt. atq; hæc tibi Asclepiadis sententia est. nostrum uero iam est, ut ad ea quæ sequuntur, explananda descendamus.

31 In quibus autem expansa contrahere oportet, reliqua quidẽ eadem fiunt, ex multo tamen quodam spatio coactio, & sensim facto progressu cõpresio facienda est: minimum primo, postea magis. terminus, quòd maxime facta sit, est contactus.

Memoria repetenda nobis sunt ea quæ de subligatione dixit ab eo principio ubi ait, subligatio quidem in causa est, ut uel quæ abscesserunt, attrahantur, uel quæ expansa sunt, contrahantur, & cætera hucusq;. ita enim fiet, ut orationem hanc dependere à superiore intelligamus, in hunc modũ. in quibus autem expansa contrahere opus fuerit, reliqua quidem eadem agemus, ex multo tamen spacio coactionem faciemus, & cætera quæ deinceps subiungit. expansa autem seu aperta ea uocare hic Hippocratem censendum est, quæ præter quàm quòd distãt amplius quàm par sit, utrisq; labris expansa atq; aperta inter se sunt. id quod in uulneribus ex uehementi inflammatione euenire interdum cõspicitur. cum enĩ caro ad multã usq; altitudinem diuisa, & musculus per transuersum sectus fuerit, cõglutinatio autẽ & cõsolidatio fuerit impedita, tum inflãmatio superuenerit, ex qua

A cutis distenta utrinq; labrum sibi annexũ retraxerit, utraq; in parte expãsum os uulneris redditur. huiusmodi autẽ speciem præ se ferũt & labia ipsa oris inflammationẽ cum patiuntur et palpebrę, & præputiũ. quin etiã si cutẽ capitis accõmodate ad terebrationẽ compresserimus, orta inflammatio expansorũ speciem præbet. & maxime id fit, si cõpressa hinc inde cute medium inter labra locum linamentis compleuerimus. quod & in transuersa musculorũ incisione profunde adacta, facere consueuimus, dum uel ob sanguinis eruptionem concerpta linteorum fila, quæ linamenta appellant, in uulnus conijcimus, uel ex eo quia timemus ne cutis cõsolidescat, diuulsæ uero musculi partes utrinque inconglutinatæ permaneant. atq; huiusmodi
B quidem affectiones omnes quamuis alias etiã curationes requirant, quæ inflammationem sedent, hic tamen, non enim de omnibus nunc proposuit scribere, eas solas tradit, quæ chirurgicæ proprie, id est, manuum opera exhibitæ appellãtur. expansorum igitur deligatio reliqua quidem eadem habet, quæ etiam in illis quæ abscessere, fieri consueuerunt. nam & à sanis partibus incipit, & paulatim inde ad cutẽ manifesta ulceratione affectam perducitur. in eo tamen differt, quòd hic longius quàm in illis quæ abscessere exordium sumit, compressionemq; usq; ad expansas ipsas partes protendit. in sinibus enim à fundo ipsorũ incipit deligatio. in expansis non ab extrema eorum quasi radice, sed longinquius à sanis partibus cutem pau-
C latim ad ulcerationem adducimus. non relaxãdo & remittendo, ut ibi faciebamus, deligationẽ, sed intendendo paulatim prima eius circumuolutione ex cutis conuersione compressionem efficimus, ac postea etiam magis. Hoc autẽ quidam in una & eadem operatione, quidam in pluribus intelligendum putant. in una quidem, si uerbũ-primo-principium deligationis significet: in pluribus, si eodem uerbo primam totam deligationem indicari intelligamus. quorum tamen utrunq; esse uerum potest, alterũ in altera affectione quæ non specie, sed magnitudine diuersa sit. mediocrem enim inuersionem cutis in naturalem statum reducere, uel una tantum deligatione enitemur. maiori prima deligatione uim non afferemus. quippe
D cum eo tempore inflammationis curatio, non expansorum correctio attendenda sit. iccirco uero in fine subiecit, terminus, quòd maxime facta sit, est cõtactus, quia cum posit quispiam magis inter se quæ expãsa sunt, cõtrahere ac cogere, quàm ut oræ eorum tantummodo sese mutuo tangant, fit, ut quæ ita coacta fuerint, sese allidant: id quod dolorem parit, augetq; inflammationem. eousq; igitur contrahenda huiusmodi sunt, quo ad sese cõtingant, & non amplius. Aduertendum autem duplicem hic lectionem reperiri. altera est, terminus, quòd maxime facta sit & cætera, quam etiam agnoscit Asclepiades. altera, terminus, quòd magis facta sit. cæterum sicut melior, ita antiquior quoq; ea est quæ-maxime-habet.

32 In quibus uero contracta est distrahe-

re debemus, cum inflãmatione quidẽ cõtraria, sine ea, apparatu quidem eiusmodi, sed deligatione contraria utendum est.

Contracta contrario modo quàm expansa sese habent. nam cum expansa plurimum inter se separatas oras habeant in cõtrarias partes, ita ut altera in dexteram, altera in læuam hiet, ac recedat: contracta contrario ita inter se coierunt, ut uel altera ipsorũ ora superiecta alteri sit, uel utræq; quasi duplicatæ, & complicatæ fuerint, quemadmodũ ea sunt, quæ conuoluuntur. id quod ex inflãmatione quoq; euenire non secus ac cõtraria affectio, consueuit. neq; mirum esse debet, si in contraria affectione eadem mala creet inflãmatio. quippe cum non in partibus tam magnam quàm paruã inflammationem patientibus utraq; & expansa & contracta efficiantur. id quod in oculis uidere manifeste licet. nam cum cutis palpebrarum extrinsecus ualde inflammatur, atq; id eousq; ut uicinæ regionis pars aliqua occupetur, palpebra inuertit. cum uero modica quidẽ in cute inflãmatio est, at membrana quę intus ad irim usq; extenditur, ualde deficit, tunc fit, ut intro palpebra conuertatur. quod uitium cum utrisq; palpebris accidit, φίμωσις, hoc est capistratio nuncupat: cum diducere eas æger atq; aperire ita oculum nequit. eadem uitia in pudendis quoq; mulierum cõtingunt: in uulneribus quoq; & omnibus quocũq; modo exulceratis existere consueuerunt. in quibus cum partes quæ extrinsecus sunt, inflãmatione infestantur, labra ulcerum introrsum cõuertuntur. quod cum fit, emaciata ac tenuia & flaccida esse ea proculdubio necesse est. quo enim alio modo fieri posset, ut ita prompte in interiorem partẽ deuoluerentur? an interiorum partium defectus incidit uel ex tabida macie cum locus non alitur, uel ex manuum & scalpelli opera, quæ immoderate subiectam carnem exciderit, uel ex putredine quæ eam corruperit. his

A igitur affectionibus deligatio accõmodate adhibita prodest. inflãmationi uero tantũ abest ut prosit, ut nocumentũ quoq; afferre grauãdo soleat. ea tamen quia medicamentis inseruit, quæ inflãmationem sedant, propterea necessario interdũ assumi consueuit. atq; ideo hic Hippocrates cõtracta inquit cum adest quidẽ inflãmatio, contraria agentibus nobis, id est, deligationẽ euitantibus curantur: nisi maxima necessitas urgeat, quo uidelicet imposita aliqua partibus inflãmatis cõtineantur. nam ubi absq; deligatione permansura medicamẽta speramus, nulla prorsus fascia est opus. quin etiã ea quæ cõtinendi medicamẽti causa assumit, ex tenuissimis leuissimisq; linteis faciẽda, et quàm paucissimis potest cõuolutionibus, uel etiam una B tantũ circũdanda est. id quod multos medicos latet, qui extrinsecus supra tumorem inflãmationis & cataplasmata crassa, & lintea dura & grauia, & lanas multas, fasciarumq; insuper copiam imponere non uerentur, quæ omnia cum inflãmationẽ augeãt inflãmatis maxime cõtraria sunt. at si ea quæ cõtracta sunt, inflãmatione caruerint, linteorũ apparatũ eundẽ cũ priore esse iubet: deligationẽ uero cõtrariã ei quæ expansis adhibebat. nam si illic principiũ deligãdi è longinquo à sanis partibus faciebamus circumuoluendo ac protrahendo, compressioneq; augẽdo, usq; ad expansa, in cõtractis à parte ipsa affecta initio iniecto ad partes quę circumcirca sunt, cutem retrahemus. intelligendum tamen hic est quod ab Hippocrate fuit prętermisC sum, non enim omnẽ ille horũ uitiorũ curationẽ, sed eam tantũ quæ manuũ opera exhibetur, describere proposuit. quocirca ego, ut integra oratio sit, quod deest adiungam. Quando aliquid eorũ quæ cõtracta sunt, inuertere uoluerimus, prius replere subiectũ locũ, in quem conciderunt labra, uel linamẽtis, uel accõmodato medicamẽto eousq; debemus, quoad cõtracta pars reliquę cuti æqualis reddatur: deinde ita deligationẽ, quã dixit, adhibere.

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS QVI QVAE IN MEDICATRINA FIVNT, INSCRIbitur, commentariorum Liber tertius.



1 DISTORTA dirigere oportet reliqua quidẽ eadẽ faciendo: at quæ abierunt, subligatione, agglutinatione, appensione reducendo, & contrario modo contraria.

Distortiones fiunt, cum uel à sua sede elabitur aliquid in exteriorem corporis partem, uel introrsum in inanitatem aliquam prolabitur. ut in naribus, si in exteriorem partem aut os, aut pinnula earum abit in eam partem: si in foramen descendit, introrsum distortio fit. simili modo quoq; in alijs membris euenit, quorũ omnium cõmunis curationis scopus auxilia ostendet. at communis omnium scopus est, contraria contrariorũ esse remedia: quare etiam nunc quæ abierunt, cum alijs remedijs de quibus nunc dicere propositũ non est, tum fascijs reducenda sunt. fasciarum autem mo- D dos ad hæc utiles ipse iam dixit. subligatio igitur adhibẽda, sicut superius & in abscedẽtibus, & expansis, & cõtractis dictum est. agglutinatio uero, sicut in libro De articulis de naribus & maxilla scripsit. sed appensio, ut in libro De fracturis, ubi inquit in hunc modum. Nam si uel ossa utraq; con fracta sint, uel inferius tantummodo, & cui deligatio adhibita est, is mitella quadam manum habeat appensam, mitellaq; ipsa ea parte qua est fractura, plurimum contineat, ita ut hinc & inde manus dependeat: in hoc alterum os in superiorem partem distortum deprehendatur, necesse est. at si fractis ossibus & manus, & pars iuxta gibbum cubiti mitella sustineatur, reliqua autem cubiti pars suspensa non sit: in inferiorem partem os distortum

inuenietur. oportet igitur ut mitella molli quæ latitudinem habeat, & plurimam cubiti partem & articulũ ipsum manus æqualiter suspendamus. Hæc oratio prauam appensionem cum doceat, quæ distortionem efficit, curationem etiam distortorum ostendit. faciamus enim alicui in inferiorẽ partem cubitum esse distortum, hũc in inferiore parte angusta mitella subiecta excipiemus. si in superiorẽ partem uero distortionẽ habeat, appensionẽ adhibebimus, quę ad inferius distorqueat. ea aũt est, cũ mitella partes iuxta articulũ manus & cubiti gibbum suspendens, reliquũ in medio interceptũ cubitum insuspensum relinquit. quemadmodũ etiã si in articulo manus sursum cõtigerit distortio, deorsum distorquentẽ deligationem afferemus, quę partem circa gibbum cubiti reprehẽdat, eam quæ circa articulum est, pendulam omittat. eodem modo in distortione quæ est ad gibbum in superiorẽ partem, ea adhibenda est appensio, quæ solum ipsam sine stabilimento destituẽs reliqua sustineat: quæ uidelicet etiam non distortum locum in inferiorẽ distorquere partem posset. nam ut semel dicam quæcunq; nondũ distorta distorquẽt, eæ quę in contrariũ modũ distorta sunt, dirigunt. ac sicut in his simili modo circa tibiam & femur in totius cruris positiõibus uel peccamus, uel recte nos gerimus. quod enim in brachio est appẽsio, id in crure positio est. unde hic unà cum appẽsionis nomine positio quoq; insuper est subintelligẽda. quod aũt in fine orationis huius dixit-& econtrario modo contraria-potest etiam de ante dictis deligationibus intelligi: ut dicat contrarias his affectiones corrigi ac sanari, si cõtrario modo deligentur. uerbi causa, abscedentibus cõtraria ea sunt, quæ præter naturã in rectitudinem fuerunt constituta. de quibus utiq; satis à me superius dictũ est. Sciẽdum aũt in hoc De medicatrina libro primum omniũ De naturalibus iudicijs scriptũ fuisse, quibus omnes homines uti consueuimus & ad artes omnes, & ad uniuersam uitã pertinentibus. non enim tantum ad propositã materiam spectans, quæ de curatione ea est quę manuũ opera adhibetur, sed ad omnes morborũ quæ in medicina fiunt, dignotiones, quas significationes uocant, agere de iudicijs uoluit. Secũda dissertatio de medicina est quæ manuum opera exercetur, quæ docet, ex quibus constent, quibusq; munus eius compleatur. Post hãc tertia de deligatione subsequitur: ubi qualis debeat esse deligatio edocemur, tum ab affectæ partis natura, tum ab ipsa affectione sumpta significatione. Quarto hic de fracturis agit, quæ sub generalem affectionem subijciuntur, quæ est continuitatis dissolutio, ita enim ego totum hoc genus soleo appellare. at Hippocrates abscedentia corpora, quæ ita affecta sunt, uocat, ut & affectio ipsa abscessio merito nominetur. tametsi una quædã species generis huius sit, quam proprie abscessionem & abscessum, id est, ἀπόστασιν & ἀπόστημα nũcupẽt. Cæterũ hæc ea causa dicta à me in præsentia sunt, ut ea quæ superius exposui, in memoria reuocentur. nunc ad reliqua iam descendamus.

A 2 Plagularum longitudines, latitudines, crassitudines, et multitudines eiusmodi sunto. longitudo, quãta est deligatio. latitudo, triũ, aut quatuor digitorũ. crassitudo, ut triplices aut quadruplices sint. multitudo, ut circũdatæ neq; excedant, neq; deficiant.

In fracturarũ tractatione quæ nunc ipsi proposita est, de plagulis, quæ splenia à splenis forma appellant, primum mentionẽ facit. iubetq; eas longitudine esse ęquales deligationi, quippe cum ob illam assumãtur, quo eam stabiliant, & firmam atq; immotam contineãt: latitudine uero triũ aut quatuor digitorum, eius uidelicet qui deligatur. crassitudine, ut triplices aut quadruplices sint. nã ubi tutiorem ac stabiliorẽ custodiã deligatio desiderat, B quadruplices esse debent: ubi nõ ita, satis est, si triplices adhibeantur. cõfracta aũt minutim ossa maiore custodia indigere perspicuum est. at plagularum multitudinẽ tantam esse oportere inquit, ut circum circa deligatum membrum lõgum, quod κῶλον uocat, comprehendant. nam ut in iuguli aut costæ fracturis circum circa locum affectum comprehendant, fieri non potest. sed magnitudo quidem fracturæ plagularum numerum tibi indicabit. in iugulo tamen tribus quadruplicibus plagũlis uti consueuimus: ac duas priores in similitudinẽ X literæ imponimus, ita ut media utriusq; pars qua inter se coniunguntur, supra fractum locum inijciatur. tertiã supra has per membri longitudinem porrectã superimposimus, quæ & subiectas C constringat, & fractam partem iuguli constipet.

3 Quibuscunq; ad directionem adhibentur, longitudinem ex circuitione, latitudinem & crassitudinem ex defectu coniectare debemus, neq; uniuersa explere.

Miror cur plagularum prius usum non dixerit, deinde quo modo unaquæq; ipsarum sese habeat. usus enim ipsarum duplex est: unus ut subligamina contineant: alter ut ea membra circum expleant, quæ in acutum abeunt. quæ ipse tum ἀπόξυ tum ὑπόξυρα appellare consueuit, quasi deacuminata, & subsiccanea dixeris. cuiusmodi et cubiti iuxta manum, & tibiæ iuxta pedem pars est. quibus D plagulas circũdandas orbiculariter censet, ut post iniectionem fasciarum extrinsecus æqualis crassitudine futura deligatio sit. Cum igitur duo hi usus plagularum sint, detentionis uidelicet & expletionis, quam ipse directionẽ hic uocat, eas esse uult tanta longitudine ut circum circa deligatam partem comprehendant. crassitudine autem & latitudine pro membrorũ defectu. nam si maiores longitudine fuerint, quàm ut membrum circumeant, necesse erit ut alterum eius caput supra alterũ positum altiorem eam partem reliquis duabus quæ utrinq; sunt, reddat: atq; ita deligatio inæqualis, ac propterea laxa efficiatur. si contra, breuiores, quàm ut capita attingere sese mutuo ualeant, locum in medio uacuum relinquẽt. ac deligatio contrario modo inæqualis euadet. sicut enim si lon-

giores sint, tumorem quẽdam atque incurationem existere: ita si breuiores, defectum ac concauitatem quandam ea parte subsidere necessarium est. plagularum autem harum circumiectionem non semel uniuersam, sed paulatim faciendam censet. ut crassitudine eæ sint tenuiores quę superius: crassiores quæ inferius imponuntur. nam si semel omnes circũijcias, forma deligationis eiusmodi euadet, qualis membri à principio fuerat.

4 Linteorum aũt subligamina duo sunt. primũ quod à noxa in superiorem partem: secundum quod à noxa in inferiorẽ desinit.

Dictum à me etiam superius est, fascias quæ ante plagulas primum omnium corpori affecto circumijciuntur, subligamina ab Hippocrate nuncupari: quarum utriusque circumiectionis usus in libro de fracturis scriptus est. prima enim fascia nõ solum uetat, ne quicquã eò defluat: uerumetiam quod in affecto loco cõtinetur, in superiorem partem aliquid repellit. secunda superuacuum sanguinem ab affecta parte ad membri finem elidit. utriusque autem cõmunis utilitas ea est, quòd compositum os ne dimoueatur, continent.

5 Iuxta noxã maxime, extrema minimũ. reliqua pro ratione comprimendum est.

Horum quoque ratio in libro De fracturis dicta est. in uniuersum enim in omni deligatiõe ubi quidem subiecta caro magis cõstringitur, humor qui in ea cõtinetur, ad circumuicinas partes elidi consueuit: ubi minus, is locus ex alijs magis compressis partibus affluentem humorem admittit.

6 At deligatio multam sani loci partem occupet.

Huius etiam consilij ratio perspicua est. nam dum multam partem sani loci deligatio occupat, fit, ut & firmius reposita ac confirmata ossa contineantur, & magis ab affecto loco in circũuicinas partes humores elidantur: magisque hi ne à superiori parte eò defluant, impediantur.

7 Fasciarũ multitudo, longitudo, latitudo, ea sit. multitudo quidẽ ne à noxa superetur, ne'ue ferulis illisio sit, neque pondus, aut declinationem, aut effœminationẽ afferat.

Reliqui fere omnes inter ἐπιδέσμους & ὑποδεσμίδας, id est fascias & subfasciationes, seu subligamina, nulla usi sunt distinctione. at Hippocrates fascias, quæ ipsi corpori circũdantur, subligamina seu malis subfasciatiões appellat: quę plagulis extrinsecus superligantur, fascias seu superligamina uocat. quarũ sanè quanta esse debeat multitudo, longitudo, & latitudo hic docet: longitudinẽ tantam esse debere asserens, ut ipsum os repositũ ac conformatũ firmiter contineat, neque à noxa superetur. nam si non cõtineant fasciæ, uincentur, ac superabuntur à noxa, id est à parte læsa. nã si dum cõformationem immobilem conseruant, uincunt fasciæ, dum ipsæ aliqua in parte mouentur, superari ac uinci merito dicendæ sunt. Quod aũt inquit né

A ue ferulis illisio sit-id significat, ne pauciores fasciæ, quàm par sit, adhibeantur, ita ut ferulæ impositæ illidant, id est uim & compressionẽ ad noxam usque pertingentẽ efficiant. uerum si etiam tam multas fascias inuolueris, ut grauẽt ægrotantẽ, ita quoque nihilominus à mediocritate aberrabis. Quocirca utrunque finem ac scopum fasciarum diligenti obseruatione cõiectare debemus. fasciarũ enim scopi duo sunt, ut neque comprimãt, neque grauent. Sed neque declinationem afferre debet multitudo, ut inquit. declinatio aũt quã περίρροψιν uocat, quasi deuersionem dicas, est, cum in alteram partem uel dextram uel sinistram tota deligatio deuergit, ac declinat. id quod immoderata fasciarum multitudine euenit. quam uero appellat effœminatio-

B nem alij ad partes ipsas referunt, in quibus est noxa, utpote imbelles ac molles futuras ex linteorũ multitudine quæ circũijciuntur: alij de deligatione ipsa intelligũt, quam remissam fieri ex multitudine necesse est. nam impositarũ etiam ferularum cõstrictio multis subiectis linteis resolui cõsueuit.

8 Lõgitudo & latitudo, ut trium aut quatuor, aut quinque, aut sex cubitorum longitudo, digitorum latitudo sit.

Digiti uidelicet & cubiti illius eiusdem qui deligatur, intelligendi sunt. terminum autem longitudinis & latitudinis non unum tantum statuit, propterea quod nulla fasciæ longitudo in omnibus æqualis est: sed pro magnitudine fracturæ multitudi-

C nes, & longitudines, & latitudines linteorum immutãdas censet. in tota uero hac tractatione de deligatione agit, quæ in fine adhibetur: quã in libro De fracturis eo tempore faciendã tradit, quo pars affecta finita inflammatione in ferulas conijcitur.

9 Tot item fimbriæ circumuolutiones, ut ne comprimant.

Toties circumuoluere fimbriam fascijs iubet, quoties ipsę illę inuolutę sunt: fimbrias, id est ἀπάρματα appellans, quæ ex uestimentorũ resegminibus ad uinciendum accõmodata sumi consueuerũt. cum uero inquit-ut ne comprimãt-de modo constrictionis eorum docet. eousque enim constringi fimbria debet, quoad firmiter quidẽ maneat, nõ comprimat tamen. Sed partes huius orationis in

D hunc modum coniungendæ inter se sunt. tot fimbriæ circũuolutiones faciendæ sunt, ut non cõprimant: eo quòd comprimere ualde multæ soleant, sed melius esset, si pro-tot-tales legeremus parua immutatione unius literæ in græco uerbo facta. σ enim litera in ι conuersa pro τοσαῦται, id est tot, τοιαῦται, id est tales efficietur. quipppe cum fimbriæ circumuolutiones qualitate magis quàm quantitate conuenientem deligationem contineant.

10 Mollia autem & non crassa sint.

Omnia hæc uidelicet, mollia non crassa assumi iubet, sicut de linteis superius diximus, ita hic quoque illud cauens ne subiecta corpora illisione offendant.

11 Atque omnia, pro longitudine, latitudine

dine, & crassitudine eius quod affectũ est.

Dictum antea hoc de alia simili materia est, & in tota hac tractatione memoria tenendum, quicquid de longitudine, aut latitudine, aut crassitudine, aut numero linteorum dicitur, id ad partis affectæ longitudinem, aut latitudinem, aut crassitudinem esse referendum.

12 Ferulæ uero sint læues, æquales, simæ in extremitatibus, minores hinc inde quàm deligatio est: ea parte crassissimæ, qua fractura erupit.

Ferulæ non secus ac plagulæ seu splenia, firmamenta sunt, ac stabilimenta deligationis. Sed plagulæ tamen subligamina, ferulæ omnia quæ subiecta sunt, continent. ita ut quatuor cuncta sint, quæ utilitatẽ singula suã pręstãt. primo enim intus subligamina conformatũ ac repositum os continent, prohibẽtq; ab affecta parte inflãmationem. supra hæc ne dimoueantur ac deuergant, plagulæ imponuntur. deinde fasciæ seu superligamina superius conuoluuntur. postea circumdantur ferulæ, quæ deligationẽ stabiliant, ac firment: quas Hippocrates hic & leues, id est læuigatas ac planas, & æquales adhibendas censet. læui aũt asperum opponit, æquali inæquale. atq; id quidem quod est asperũ, continuo etiã est inæquale. quod aũt est inęquale, asperũ necessario minime est. queadmodum neq; uia cõtinuo est aspera, si sit inæqualis. quippe cum si ascensus habeat & descensus non asperos, & esse & dici inęqualis possit. ita fieri potest, ut ferulæ quoq; læues sint, & non æquales. nam si uel in latus, uel in superiorem, uel inferiorem partem sint distortæ, æquales quidem nõ erunt, sed tamen læues. ut autẽ neq; asperæ, neq; distortæ ferulæ sint, fracturæ perquàm utile est. utroq; enim modo cõprimunt. quæ tamen distortæ sunt, illud insuper efficient, quòd deligationem simul distorquebũt: qua distorta, pars etiã fracta distorqueatur, necesse est. Simas præterea in extremis partibus assumi ferulas monet. id autem est derasas leniter ac retusas in inferiori parte. nam quæ usq; ad extremum caput æqualem crassitudinẽ seruant, æqualem undequaq; deligationem reddent: id quod fieri nullo modo debet. uult enim ut in media parte ferulę deligationem magis astringant: inde uero usq; ad extremũ relaxent. uult item minores eas esse longitudine quàm sit deligatio, ne cutem ultra deligationem attingant: quæ sæpenumero ex eo quod humores à fascijs expressos suscipit, paulo altius turgescit, atq; extat: supra uero ipsam fracturam crassiores propterea esse ferulas iubet, quia locus is potissimum compressione ipsarum indiget.

13 Quæcunq; autem gibba et carne carentia natura sunt, cauendæ eorum eminentiæ sunt: ut circa digitos & malleolos, uel positione uel breuitate.

Cauere iubet ne supra ossium extuberationes ferulas imponamus. id autem fieri duobus modis potest: si uel omnino nullas supra illam deligatio-

A nis partem posuerimus, uel adeo breues, ut accedere ad tuberositatem nequeant, sed prius quàm eam tangant, finiantur. id quod facere melius est. dum enim inquit-positione-nullis omnino impositis ferulis cauendam lęsionem significat: dum inquit breuitate-detrahendũ de longitudine ostendit. perinde ac si diceret, uel omnino nullis, uel breuioribus impositis ferulis cauendum esse, ne pars eminentior attingatur.

14 Fimbrijs uero affulcire est opus, non comprimere primum.

De fimbrijs paulo etiam superius mentionem fecit post fasciarum explicationẽ, non tamen quicquam ibi adiunxit nisi de ipsarum circuniectione, id quod ordinis cõsequutio postulare uidebatur. B nunc uero inquit affulcire opus est, hoc est stabilire ac firmare absq; compressione. atq; id facere primum, id est prima deligatione. nam sequentibus diebus, si interrogatus æger nullam sentire se compressionẽ dixerit, astringere fimbrijs ferulas possumus. nonnulli tamen non in fine præcedentis præcepti, sed in sequentis principio-primum ponendum esse censent: ut talis sensus sit. primum cerato molli, læui, puro illinendum. cerato sumpto in ablatiuo casu non in recto. melius tamen est, ut legamus in recto, quo intelligere possimus, fasciam quoq; dum circa fractam partem cõuoluitur, eo esse inungendam.

15 Ceratum molle & læue et purum.

C Non enim solum cutem affectæ partis cerato inungi uult siccis fascijs iniectis, sed ut unãquanq; fasciæ inuolutionem sequamur illinendo, iubet. si enim solam cutem illinendam intelligamus dum siccæ fasciæ inijcientur, fiet, ut cito affecta pars cerati auxilio destituatur. cum lintea ipsa imbibitura humorem sint, atq; ita cutem squallentem redditura. cur igitur molle ceratum esse uelit, perspicuum est. loco enim madefactionis eo utendum censet. quippe cum possit quidem madefactione idem præstari, sed tutius tamen cerato fiat, præcipue ubi fieri nequit, ut ægrotanti semper medicus assistat, & ministrum non admodum diligentem in cura adhibenda cognoscimus. uult autem ceratum non molle tantum, uerumetiam purum esse, D id est nihil in se habere immistum neq; propolis, neq; sordis, neq; aut terræ aut harenosæ substãtiæ alicuius præter ceram. quod si ita sit, cõtinuo etiã læue & planum idem manifestũ est. nisi ob ea quæ cera carent, & ob id ἀκηρίδες uocatur, læue & planum amplius quid significare, q̃ purum intelligamus. legitur aũt non solum λεῖη, id est læue, uerum etiam λιπαρὴ, quod est lene. magisq; ita illi scribendum esse autumant, qui in puri significato læuorem quoq; contineri putant. lene autem opponi sicco aiunt. id quod in puro non intelligitur.

16 Aquæ caliditas & multitudo spectetur. caliditas, ut supra suam ipsius manum infundat. multitudo ad laxandum, & attenuandum plurima: ad carne implendum,

&

& molliendum mediocris optima est.

De aqua item dicere ad fracturarum curationē necessarium est. dum resoluunt em̄ fracturas medici omnes calida aqua perfundunt, ac fouent, pręsens ex ea auxilium experti. in cuius sane usu duplex cōtingere error solet. in qualitate unus, alter in quātitate. in qualitate quidem cum aut calidiore, aut frigidiore iusto ea utimur. in quātitate cum longiore aut breuiore tempore perfundimus, q̃ par sit. indicium moderationis in qualitate medici ipsius manum statuit. supra eam enim infundēs aquam qua fracturam est foturus medicus, conijcere inde quod fracturæ conueniet, potest. conuenientiam autem cum latitudine quadā intelligendam duco, quæ ad cōmunem omnium hominum nō ad ægrotantis habitum referatur. interdum siquidem fit, ut medico moderata, ægro eadem inconueniens, atq; immoderata uideatur. quocirca paululū ex ipsa supra eam laborantis membri partem quæ primum fuerit resoluta insperges, ab ægroq; requires frigidior ne, an calidior esse ei uideatur. atq; ita pro eius responsione tantum uel calidæ uel frigidæ adiunges, quoad temperatam ac moderatam ipsi quoq; ægrotanti aquam efficies. primum igitur aquæ temperaturæ iudiciū nostra manus affert, utpote quę primo eam experitur. ægrotantis tamen sensus præcipuum, ac perfectissimum, ac potestate primū est. at usus ipsius quantitas cōmunes habet distinctiones cum frictione, omnibusq; remedijs quę calefaciunt. ea siquidem adhibita non solum è uicinis locis ad calefactam partem attrahere, uerumetiam digerere consueuerunt. unde etiam calida aqua efficere contraria eatenus uidetur, quatenus & corpus quantitate est præditū, & ipsa uel amplius, uel minus adhibetur. nam si inane sit corpus, digerit potius q̃ attrahit. si sit plenum, cōtra attrahit magis, q̃ digerit. si item breui tempore adhibeatur, replet magis, q̃ exinanit: si longiore, magis discutit, q̃ replet. merito igitur plurimā aquam laxare & attenuare, modicam mollire & carne replere dixit. atq; ex euacuatione continuo quidem sequitur attenuatio, sed laxatio non continuo, sed per alia media. quæcunq; enim ex repletione erant intēta, sicuti omnia quæ inflāmationem patiuntur, ea dum euacuantur, laxari consueuerunt. quæ ex cōcretione ob refrigerationem intentionem habent, dum calefiunt: quæ ex siccitate, dum humefiūt: quæ ex humiditate, dum superfluo humore exinaniūtur. quoniā igitur calida aqua præstare quinq; hæc potest, cum amplius ac diutius corpori fuerit infusa, eam laxare atq; attenuare recte dictum est. Cęterum ne mireris si calidam aquam et superuacuos humores exinanire, & quæ sicca sunt, ac dura humefacere dixerimus. utrunq; enim alibi uerum esse demonstratum est. atq; hęc sunt, quę calida aqua potest efficere, si plurima adhibeatur. At si pauca sit, in uniuersum dicere quid posit, non licet. nam si quis ubi bis & ter aut perfusione usus fuerit, aut fotione ex spongia, postea desistat, huiusmodi aquæ usus nullam prorsus utilitatem afferet. at si, ut ipse inquit, me-
A diocriter adhibeatur, carne implebit, & molliet ea quæ huiusmodi ope indigebunt. quæ indigeant, ex me audi. si in plenitudinis habitu corpus sit constitutum, & carne careat, mediocris aquæ calidæ perfusio neq; molliet, neq; carnem creabit, sed superuacuo humore calefactam partem replebit. si uero carne quidem careat, sed non sit plenum, id & carne implebit, & molliet. carnis enim aggeneratio fit, cū & membra ipsa quibus agnasci aut circumnasci caro debet, temperate & caliditate & frigiditate sese habuerint: & sanguis qui illuc affluit, & qualitate salubris & quātitate fuerit moderatus. quæ sane utraq; moderata aquæ calidæ perfusione fieri solent. nam & sanguinem ad perfusum membrū trahit, & carnem quæ in ipso est,
B temperatam reddit. si enim prius fuerit refrigerata, calefacit: si calefacta, refrigerat: dum calorem ad exteriorem partem euocat, & madefaciēdo humiditatem bonam inducit: atq; ita frigefacit, non alio modo, q̃ aquarum dulciū balnea. nam & hęc quoque mortuos fere illuc profectos calefaciunt, etiam si ualde frigefacti fuerint. exustos uero atq; incensos emolliunt. uidentur quippe post balneū sedatiore iam siti effecta temperatis potibus oblectari. sic igitur aquæ etiam calidæ perfusio si moderate adhibita sit, & carne implet, & mollius mēbrum ipsum reddit. quippe cum recēs caro è concreto nuper sanguine effecta, non secus ac recenter coagulati casei procreationem habeat.

C 17 Mediocritas autem in perfusione hæc est. cum adhuc pars attollitur, prius quàm concidat, desistendum. primum enim attollitur, deinde attenuatur.

Perfusionis aquæ calidæ mediocritas est, desistere, priusquam perfusa pars cōcidere inceperit. attollitur etenim primum, id est in maiorē tumorem naturali excrescit, propterea q; & sanguis qui in ea continetur, diffunditur, & ex superioribus locis eò humores affluunt. postea uero, cum discussa hæc sunt & quæ affluxerunt, & quæ fuerunt circunfusa: attenuatur, ac desidit.

18 Positio, mollis, æqualis, sursum uersa in extātibus corporis partibus, ut in calce, &
D coxa, ut neq; retorqueatur, neq; inuertatur

Hanc lectionē nōnulli ut unam solam interpretantur: alij in duas diuidētes partes separatim utrāque accipiendam censent. utralibet enim ita circūscripta est, ut unam integram habere sententiam posit. nam membrorum positio siue generaliter sumatur, ut de appensione etiam intelligatur, quæ manui conuenit, siue specialiter, ut soli cruri attribuatur, mollis semper, & æqualis, & sursum uersa optima est. mollis, ne ægrotum ea parte comprimat, ita ut & inflāmatione ob dolorem periclitetur & dum habitū immutare cogitur, partē fractā distorqueat, quæ immobilis multa cum quiete seruanda est. inæqualis aūt positio simul & dolorem affert, & membrū distorquet, cū aliquibus in partibus sine stabilimento remaneat, in aliquibus cōprima

primatur. unde merito æqualẽ laudat. at uero sursum uersa partem collocatã absq; fluxione conseruat, sicut quæ deorsum est uersa, cum fluxiões prouocet inflãmationis in causa est. atq; hæc prior est huius lectionis pars, quam & unam habere posse sententiã, & recte sese habere perspicuum est. Secundæ, si eam per se accipere quispiã uoluerit, talis sensus erit. In extantibus corporis partibus, ut in calce & coxa, optima positio ea est, ut neq; retorqueatur, neq; inuertatur. quia tamen adiunctũ non est optima positio ea est propterea quidã cũ deficere sententiam hanc existiment, superiori annectere eam coguntur. at si ea priori annectatur, non amplius esse uniuersalis oratio, sed de sola extantiũ partium positione uidebitur. Experimentarij tamẽ hunc locum ita connexum intelligentes, esse uniuersale præceptum asserunt. ostenduntq; Hippocratẽ nõ in hoc libro tantum, uerumetiam in alijs multis uniuersales sermones in una, aut duabus rebus facere: quãdo in his quod de rebus eiusdẽ generis traditur euidenter apparet. quemadmodum nunc quoq; in calce & coxa fecit. cum enim cætera omnia huiusmodi membra, cum patiuntur, in molli & æquali & accliui habitu figurari debeant, maxime omnium requirere ea id uidentur, quæ extãt in corpore ac prominẽt, cuiusmodi coxa & calx est. Sed enim dictũ sæpe à me est huiusmodi Hippocratis loqutionẽ prębere occasionem aliter atq; aliter explanandi. ut quod quisq; interdum opinetur, probabile esse uideatur. quocirca neq; de eo quod quisq; uerum esse opinatur affirmandũ est. scire igitur licet in dissentientibus expositionibus, modo sensus idoneus seruet, diu nos tẽpus terere minime debere: sed melius esse, ut ad id quod utile in arte est, transeuntes, in eo immoremur. sicut nunc quoq; rectius uidetur, ut cũ positionẽ in omnibus mollem, & æqualem, & accliuem esse oportere, sed præcipue tamẽ in extantibus partibus, cuiusmodi est calx, & coxa, inter omnes constet: ad sequentia consideranda pergamus, ubi inquit, ut neq; retorqueatur, neq; inuertatur. hinc enim extantium partium positionis utilitas cõspicitur. nam si altior iusto positio sit, membrum retorqueri: si humilior, inuerti continget. & præcipue si alta prius fuerit. atq; hæc ad artem spectant. Præter artem aũt circa uerba ipsa plures cõmentatiunculę esse possent. sed in libro De fracturis sicut de alijs omnibus præceptis quæ tradit, ita de calcis quoq; depositione dictũ perfecte est. ubi inquit. Valde autẽ laborandũ est, ut summus calx apte deponatur. nonnulli uero sunt qui orationes omnes alijs in libris positas quæ eundem sensum contineant, integras ubiq; ascribere non consueuerunt: id quod ne in duobus quidem cõtinuatis diebus fieri posset. unde etiam huiusmodi expositorum librum aliquem non citius q̃ anni spatio legit quispiam. Ego uero quia iam in librum De fracturis, & de articulis multa commentus sum, commemorandi tantũmodo causa nonnulla mihi esse dicenda hic existimaui. q; si quis quod nunc à nobis propositum est q̃ citissime prætergressus ad

A illa procedat, à me uidelicet qui expertus sum edoctus, doctrinas illas quæ late & diffuse, non quæ presse & compendiose traduntur, perfectos reddere artifices solere: is sciat, huiusmodi etiam compendiarias, cum summam totius rei breuibus cõplectantur, tanq; inutiles minime esse reijciendas.

19 Canalem toti cruri, quàm dimidio conijciendum est. ad morbum tamen respiciendum. & cætera quæcunq; lædere solet perspicua sunt.

Ad eos qui & De fracturis & De articulis libros iam legerint, loqui huiusmodi uerbis uidet, ubi quæ ignota imperito homini sunt, perspicua esse inquit. nonnulla enim sunt unicuiq; homini B perspicua, quemadmodũ ea quæ modo dicta iam sunt. molliter siquidem & æqualiter deponẽdum esse fractum membrum omnes intelligunt. at quã læsionem iniectus canalis afferat, non omnes: nisi qui de hac ipsa re prius audiuerint in libro De fracturis ea oratione cuius initium illud est: De canalibus enim qui in crura fracta subijciuntur, quid consulam, dubito. & quam ob rem dubitet deinceps explicat. & rursus eodẽ in libro alio loco ita inquit. Canalem si quis sub ipsum femur ita subijceret: & cum plura subiungat, postremo in fine orationis ait in hunc modum: Si igitur fieri debet, perpetuus faciendus uel nõ faciendus canalis est. Hæc uerba necessarium non esse canalis usum declarant. si tamen quis eum adhibere uult, toti cruri C usq; ad inguen, non usq; ad genu esse subijciendũ. ex illis igitur perspicuum quoq; hoc effectum est, cum non per se apertum sit. quantum enim ad loquutionem spectat, cõiunctionem ἤ qua hic utitur, id est q̃ pro disiunctiua particula uel possemus accipere, sed pro negatione tamẽ positã esse intelligimus. uult enim ut toti cruri absq; læsione, non usq; ad genu solum canalem subijciamus. ἤ autem, id est q̃ pro non ab Homero etiã positum eo uersu est, Saluum ipse esse uolo populũ quàm morte perire, id est non perire. & Thucydides eodem in significato utitur. inspectandum insuper esse morbũ inquit, cuius causa canalis assumitur: & cætera quæcunq; lædere solet. ac morbus quidem est ossium cruris uehemens fractio in qua ni D si immobile plane crus seruetur, admittere curationem non potest. nam canalis à nõnullis laudari cõsueuit, ut pote in illis occasionibus utilis, quando è lecto æger surgit, ut uel uentrem exoneret, uel prioris cubilis duritiam nõ ferens ad alterum transferatur. id quod ipse etiam in libro De fracturis ostendit. canalẽ quoq; ibidẽ declarat sicut non prohibere, quo minus crus moueat, ita molestũ atq; immitem quoq; esse, & sæpe cõprimere. quapropter iubet hic ut & ad morbũ cuius causa canalis adhibetur, & ad damna quæ canalis ipse affert, respicientes, eum modo assumamus, modo reijciamus. nam si magis nocet, q̃ prosit, reijciendus. si maiorem utilitatem affert, assumendus: ita tamen, ut toti cruri, non usq; ad genu tantum subijciatur.

20 Exhibitio autem, & distentio, & con-

formatio, & reliqua secundum naturam.

Exhibitionem esse, cum æger medico sese curandum præbet, superius dictum iam est. quo in tempore quando medicus primum affectam partem aduertit, atque ex ea significationem sumit, deinde ad curationem eius sese præparat, in habitu quodam esse affectum membrum cõuenit, qui secundum naturam eius sit. quippe cum ex eo qui præter naturam membri est, non parua contingere læsio consueuerit. post exhibitionem distentio fit, si ita paruum malum est, ut satis sit, si in superioribus partibus tantummodo id cohibeamus. tunc igitur melius quoque esse, ut æger membrum in sua naturali figuratione cõseruet, nemini dubium est. postea conformationis occasio sequitur, in qua eundem quoque habitum seruari simili modo cõuenit. post quã depositionis & appensionis tempus est, quæ utraque nominatim quidem nõ dixit, sed dum inquit-& reliqua-significauit.

2 Natura uero in operibus existit. ex operis actione quid ea uelit, coniectandum. ad hæc autem ex immorante, ex communi, ex consuetudine. atque ex immorante quidem & remisso rectas processiones debemus cõsiderare, ut in manu. ex communi, extensionem & inflexionem, ut quod prope ad angularem cubiti ad brachium figuram accedit. ex consuetudine, reliquos habitus facilius minime ferri, ut crura extensionem. ex ea enim facillime plurimum tempus nõ immutata perdurarent.

Quoniam in priore oratione de eo quod secundum naturã est meminit, merito nunc quænã ipsa hæc natura sit, quæque eius notæ, exponit. atque inquit. natura uero in operib. existit. ex operis actione quid ea uelit, coniectandũ. non secus ac si ita dixisset. secundũ naturã quidẽ habitus esse debent, at secundum operationes scopi ipsorum, & utilitates, ob quas exercẽtur. ad hæc aũt, id est ad ea quæ modo dicta sunt, exhibitionẽ uidelicet, distentionem, & conformationẽ, & positionem, utpote cũ æger affecto membro nullam operationem exerceat, alij scopi ad naturalem habitũ membri inueniendum proponendi nobis sunt, quos deinceps ipse enumerat, dum inquit. ex immorãte, ex communi, ex cõsuetudine: immorans appellans, quod nihil omnino operatur, sed prorsus quiescit. ex quo inquit rectas processiones sumi, sicut in manu docuit. ubi uult subiectũ esse os cubiti, os uero radij superiectum. ex cõmuni uero figuram aduertendam censet, quę inter inflectionẽ, & extensionem integram intercedit. quam prope ad angularẽ cubiti ad brachium figuram accedere inquit. angularem aũt figuram appellari dicunt, quæ recto angulo constat, id est ita ut cubiti os ad os brachij rectũ angulũ efficiat. cum aũt omnia antiqua exemplaria habeant-quod prope accedit-& omnes etiam qui hunc librum explanãt, lectionem hanc agno-

A scant, duobus modis male id esse dictum constat, si angularem figuram eam intelligamus, quæ acutum angulum efficit. acutum enim angulũ minorem recto appellamus. nam cum recta linea supra rectam collocata utrinque angulos inter se æquales efficit, recti ij anguli sunt. cum inæquales reddit, qui recto est minor, acutus: qui est maior, obtusus dicitur. ac rectus quidẽ angulus maior & minor esse minime potest. eorum uero qui aut acuti sunt, aut obtusi, numero cõprehẽdi multitudo nequit. nam rectus angulus indeclinabilis est. quippe cũ à recta linea constituatur supra rectam collocata, ita ut in neutrã partẽ insistens declinet. cum enim in alteram partem inclinatur, quanto id magis uel minus fiat, innumerabile est. quod igitur absurdũ esset,

B si uolens rectum dicere quispiam esse eum assereret, qui prope ad acutũ accederet: recti enim notio præcedit, acuti intellectio subsequitur. propterea quod rectus unus, sicut dixi, tantummodo est: acuti multitudine sunt infiniti. quocirca si quis acutũ prope ad rectum accedere affirmaret, iure id diceret. nam cum plurimi acuti sint, eum ex ipsis prope ad rectum accedere intelligeremus, qui parum à recto deficit, quique linearum quæ ipsum efficiũt, cõmissionem non admodum compressam habet. eodem modo cum quamplurimi sint obtusi, eos prope ad rectum accedere diceremus, qui linearum coniunctionẽ mediocriter obtusam habent. at prope ad acutum accedere angulum aliquem, intelligi non potest, cum acutus unus non sit. præ

C terea in eo etiam esset absurditas quod neque ἐγγωνίης duobus γγ. id est inangulares, quo uerbo hic utitur Hippocrates, neque εὐγωνίης per ευ diphthongum, id est bene angulares figuras appellare, quæ angulum acutum habeant, ex Græcis consueuerit nemo: sed eas tantũmodo, quę recto angulo constãt. necessarium igitur fortasse est angularẽ, id est ἐγγώνιον hic figuram intelligere, quæ recto angulo constituitur. quæ fit, cum cubitus rectum angulũ cum brachio efficit. Quærendum tamen uidetur, curquod prope accedit-hic apposuerit Hippocrates. sed antequam hoc explicem, illud quod sæpe consueuimus, etiam hic mihi dicendum censeo. Obscurę hæ loquutiones nullam certam, scientiæque effectricem habere explanationem possunt. quo circa in

D his satis illud esse debet, si unà cum probabilitate & uerum esse quod dicitur, & non repugnare sententiæ autoris uideatur. ad hoc igitur spectans explanare hãc rem conabor. Dico igitur angularem figuram, id est ἐγγώνιον id non admittere, ut magis & minus esse possit, propterea quod una est. nosque talem in brachio figuram primum efficere non posse, qua absque ulla declinatione ex ossium inflexione angulus prorsus rectus cõstituatur, ut satis superque sit, si ab eo procul non recedamus. deinde, si etiam possemus, huiusmodi esse brachij figuram minime debere. naturalem enim eius figuram prope ad angulum rectum accedere, ita ut paululum ad obtusum tendat, quæ uidelicet ad extensionẽ procedere incipit, demonstrabo. atque huiusce rei demonstratio ex ijs ducetur, quæ ipse Hippocrates

tes hic scribit. ex immorante enim & consuetudine naturales figuras atq; habitus membrorũ inuẽturos nos esse inquit. quæ sane utraq; coniuncta cõpositum unum scopum efficiunt. perinde ac si quispiã in hunc modũ dixisset. qua figura cum dolore afficimur, cõtinere singula membra consueuimus, ea figura in curationib. quoq; eligenda est. primus enim idonearum figurationum scopus doloris esse uacatio uidetur. si igitur eos qui dolore afficiuntur, inspexeris, eo positu plerunq; manus tenere deprehendes, ut nõ prorsus media inter extensionem & inflexionem, sed ad extensionẽ tendens figuratio earũ sit. idem in alijs habitibus etiã cõtingit. nam in defesso eam figurationẽ om̃es eligunt, quæ dolore maxime uidetur carere. non em̃ mediũ prorsus situm inter supinum & pronũ in iacendo suscipiunt, sed ad pronum paululum declinant. quapropter Hippocrates cum hoc uellet explicare, orationi huic suæ-quod prope accidit-adiunxit. nam figuram hanc in brachio, quã dixi, maxime omnium dolore uacare illi etiam plane nouerũt, qui uel talium artis operum periti sunt, uel ueritatẽ orationis huius non ignorant. unusquisq; enim qui quodlibet opus explanandum suscipit, duo quidẽ hæc debet spectare, ut & auctoris sententiam, & rei quæ dicitur, ueritatem assequatur. ubi tamen ex loquutionis obscuritate autoris sententia est incerta, seruanda ei omnino ueritas est: qua prodesse discentibus potest. hunc scopũ ego in om̃ibus explanationibus habeo, seruareq; sum mopere enitor. at nonnulli ex explanatoribus etiamsi uellent, assequi eum non possent, cum & operũ artis imperiti sint, & ad captiosum disserẽdi genus sese contulerint, euaserintq; illi, qui rationales medici nuncupantur, quorum causa fit, ut qui recte etiam utuntur ratione suspecti apud uulgus habeantur. Hæc igitur etiamsi breuibus & raro dicta sint, memoria teneri debent. Sed iam ad reliqua peragamus. Sicut in supina & prona figura illa dolore maxime uacat, cui plurimo uitæ tempore assueti fere omnes fuerint: sic in extensione quoq; est. in hac siquidem figuratione crura tenere absq; ulla mutatione q̃ diutissime possumus. necessarium autem quoq; esse, ne in aliam, quæ minus dolore careat, figurã crus immutemus, in cõmẽtarijs De musculis unà cum causæ propriæ assignatione demonstratũ est. ut hic non demõstratione, sed cõmemoratione opus sit. quẽadmodũ etiam, cur cito rursus eodẽ redeamus, causam afferre hic necesse non est, cũ longiorẽ orationẽ requirat. quippe cũ melius nunc sit q̃ causam hanc explicare, alterũ quoddã referre, quod simul cum Hippocratis sententiæ declaratione, maiorẽ adolescentibus afferre utilitatẽ poterit. q̃ à nobis in libris De musculorũ motione dictum est. in brachij em̃ ad cubitũ dearticulatione naturalis figura media est inter utrasq; excedẽtes, quib. uidelicet uel extendere, uel inflectere nullo modo amplius ualemus. ea enim fit, ut cubiti sinus quem duæ cornices, id est incurui processus terminant, in os brachij coaptetur, à cardinamẽtaliq; brachij rotunda

A tione cõpleatur, quã duo utrinq; tubera quos cõdylos uocãt, cõprehẽdunt. nam in ultima extensione posterior cubiti cornix in posteriorẽ brachij sinũ, sicut in ultima inflexione anterior in anteriorem infigi consueuit. ita ut qui posteriorẽ brachij sinũ cauiorẽ natura habẽt, ij in extensionibus amplius in exteriorẽ partẽ cubitum reducant: qui uero in eo deficiunt, contrà cubitũ extendere penitus non ualeant. nõ ergo fabricæ dearticulationis similes in omnibus, neq; certi extensionis termini sunt: ac propterea neq; idẽ mediũ est in omnibus. quando igitur mediũ inter ultimã extensionẽ, & ultimã inflexionẽ, habitũ naturalẽ esse dicimus, medium id non in certo quodã termino & exquisito, sed in latitudine quadã intelligẽdũ cẽsemus.

B id aũt, cõmune hic appellat Hippocrates. sed sicut fieri non potest ut in media figura exquisite brachiũ constituamus, ita ut ne acus quidẽ crassitudo uel addi, uel detrahi queat: sic in figuranda manu à medio eo certo procul recedendũ minime est. in eo siquidem artificiosa coniectura à non artificiosa distat, quòd artificiosa, prope ad exactam æquabilitatem accedit, quæ arte caret, ab ea quàm plurimum interdũ aberrat. quocirca potest etiã hoc modo consulere Hippocrates, ut quod ad angularem figuram prope accedit, seruemus: ut, angularem eam uocans quæ recto angulo constat, eò cõiecturam dirigentes non procul ab exquisita eius æquabilitate recedere nos uelit. quòd aũt dixi me docturũ esse iuuenes quod ad præsentem rem utilitatem maximã afferet, illud iam explicabo. Tan-

C tam sanè in omnibus quæ ad medicinã spectant, uim habet cõsuetudo, ut ea aduẽtitia natura à maximis medicis fuerit appellata: uideatq; ipse etiam Hippocrates inter maxime necessaria eam constituere, eiq; secundã post naturam uidelicet indicationis uim attribuere, certã & exquisitã figuræ speciem eam esse existimãs quæ est naturalis, ut in omnibus ægrotantibus seruetur, nisi quatenus pro uniuscuiusq; consuetudine uariandum sit. Ego igitur cũ nonnullos uiderẽ toto die considere, cuiusmodi illi sunt qui sedentarias artes exercent, alios stare, alios deambulare: non ab re esse iudicaui, si magis extento habitu crus illis figurandũ curarẽ,

D qui plurimũ tẽpus crura eo modo tenerẽ fuerant assueti: minus uero extento, qui toto die cruribus inflexis consedissent. atq; id cũ experimento comprobassem, ita esse deprehendi, sicut sperauerã. in brachijs quoq; eadẽ ratio seruanda est. sunt enim prope ad angularem habitũ figuranda, sed magis tamen, & minus prout cõsuetudo dictauerit. quoniam aũt omnia rationalia documẽta iudicare experimento homines solent, rem quoq; hanc certã iam habere præcognitionem testimonio est comprobatũ: neq; enim fraudare hoc ipsam uolui. ab omnibus siquidẽ amicis examinata, certa atq; ad talia utilissima euasit. Hippocratem igitur quoq; diximus exquisitam angularem figuram pro consuetudinum uarietate immutandam censere, ita tamen ut mutatio exigua, hoc est prope ad angularem figuram efficiatur.

22 In immutatiõe aũt ex distentione in habitum uel positionẽ similia hæc, musculos, uenas, neruos, ossa habeant, uel maxime disposita, & bene detenta.

Hæc prius etiã dicta sunt, ut si quis ea penitus omittat, ac de medio tollat, nullam iacturam sit facturus. contingit autẽ in huiusmodi libris, ut quæ multas res breui loquutione significãt, aliter atq; aliter ab auctore ipso scribãtur, dum uidelicet spectat qua potissimũ sibi dicẽdi forma utendum sit. & deinde cum librarius alia huiusmodi scripta in frõte, alia in margine exarata repererit, omĩa in contextum libri reducat, quo maxime ordine sibi uisa fuerint apte collocari posse. Quod autem hac oratione significatur huiusmodi est. multa esse tẽpora ægrotantis iam diximus: primum id quo ad medicũ accedit, in aliqua figura mẽbrum affectũ prorsus continens: deinde alterum, quo seipsum medicis exhibet, ut cognoscãt & quo morbo affectus sit, & quo apparatu ad curationem indigeat: tertium præparationis ipsius tempus est: distentionis quartũ: post quod si fractura sit, conformationis, si luxatio repositionis occasio subsequitur: postea deligatio adhibetur: ultimũ omnium tempus illud est, quo si manus laboret, appenditur, si crus, aut dorsum, aut caput deponitur. Habitum igitur hic uocat ab habẽdo post deligationis tempus membrorum deligatorũ collocationẽ, à qua distinxit positionem eorum uidelicet quæ deponuntur. quæ sunt tria, crus, caput, & uniuersa dorsi spina. ut de reliquis omnibus habitum intelligamus, de iugulis, de manibus, costis, summo humero, scapula, maxilla utraq;, & si quid aliud huiusmodi est. uult enim in immutatione horũ omniũ mẽbrorũ cũ affecta sunt, alia bene poni, quæcũq; poni possunt, alia quæ poni nequeũt bene excipi ac detineri. illa εὔθετα. i. disposita ac bene deposita, hæc εὔσχετα. i. est bene detenta atq; excepta appellans. cõmune aũt in utrisq; illud est, ꝙ secundũ figurationẽ naturalẽ cõstitui debẽt. ad eam enim respiciendum nobis censet extremũ illud tempus obseruantibus in deligatione facienda, quo diutius seruari eo modo possit. nam si alia figura deligationem faciemus, in extremo illo tempore immutanda erit. qua immutata situs quoq; musculorũ, & neruorum, & uenarum necessario immutabitur. atque ita neque disposita, neq; bene detenta, id est neq; bene disposita, neque bene accepta erunt, atque appensa.

23 Distẽtio in maximis & crassissimis, & æqualibus, & ubi utraq;, prçcipue fiat. secũdo loco ubi subiecta pars tantũ læsa est: ubi uero superior, mininum.

Distentio, inquit, præcipue illis in partibus fit, ubi maxima & crassissima ossa sunt, & quæ circa ipsa sunt corpora, id est musculi. hi enim maxime extendi debent, propterea ꝙ retrahi ad capita sua maxime consueuerunt. mẽbra aũt quæ huiusmodi extentione indigeant, sunt femur: deinde brachiũ, & tibia: tum cubitus: postea quæ in summa manu, summoq; pede existunt, exceptis ĳs in præsentia quæ in spina dorsi sunt. uerum etiã ubi utraque ossa læsionem sunt passa, maiorem distentionem desiderant. ut in cubito & radio. minimũ autem, id est moderatissime & leuissime distendi debent ossa quæ superiora sunt, sicut in cubito radius. at omnia hæc ut superius dixi, in libro De fracturis absolute fuerunt explicata.

24 Magis autem ꝙ sit mediocre, nocumẽtum affert, præterquam pueris. accliuia autem oportet habere paululum.

Si fiat distentio magis ꝙ sit mediocre siue in fracturis, siue in luxationibus, læsionem affert, ac facit, ut membrum, si fractum sit, cõformatione, si luxatũ, repositione frustret. ac sane proprium eius nocumentũ est ꝙ & dum efficitur, maiore dolore afficit, & posteaq; facta est, febres, conuulsiones, & resolutiones interdũ inducit. id quod Erasistratus uidisse se in quodam testat, cui amplius ꝙ par erat, distentus humeri articulus fuerat. pueri tamẽ ob corporis humiditatem ac mollitudinem facilius quàm cæteri tolerare nimiam extensionem cõsueuerunt. sicut enim humida & molliora sine ruptione uehementius extẽduntur, dura uero & sicca rumpuntur: eodem modo & musculi et nerui si humidi & molles sint, facile extensionibus obsequuntur, neq; uehementem dolorẽ sentiunt, neq; abrumpuntur: si uero humidi & duri fuerint, cum sine magna ui extendi nequeant, non solum dum nimium distenduntur, uerũetiam dum mediocriter, uehementi dolore afficiuntur. quin etiã dum id fit, diuelli ac disrumpi musculorũ ac neruorum fibræ interdum solent. quorũ nihil pueris euenit. sed ĳ neq; in inflammationes, neq; ob ipsas in febres, aut deliria, aut cõuulsiones, aut resolutiones incidunt. atq; ipse quidem Hippocrates de pueris sermonẽ fecit. nos ad Eunuchos & mulieres atq; eos qui aut natura aut cõsuetudine humidi et molles carne sunt, trãsferre idẽ hoc dictũ poterimus. quippe cum huiusmodi omnes temperaturæ distentioni facile cedãt: nullumq; inde etiã si modũ aliquantulũ excesserint, magnũ nocumẽtum consequantur. nam quibus uel natura, uel consuetudine corpus indurauit, ĳ & distentionem ægre tolerant. unde etiã minus extendendos à medicis esse huiusmodi inquit. nam si immoderatius paulo extendantur, nõ mediocri læsione affici cõsueuerũt. accliuia aũt oportet habere paululum. hãc quoq; figurationem, sicut quod ante positum est, ob id eligẽdam censet, primum quia stabilior & tutior, deinde quia innoxia magis est. contraria enim ob dolorem nocumentum affert.

25 Directionis exemplum esto çquiuocũ, coniugatum, simile, sanum.

Non æquiuocũ sed uniuocum dici melius erat. æquiuoca siquidem ea sunt, quæ non sunt eiusdẽ generis. Nam homo homini uniuocus est. equus item equo. canis terrestris terrestri cani, marinus marino. quæcunq; enim nomina unam speciẽ in

multis

multis singularibus significãt, uniuoce de ipsis dicuntur. quæ uero de multis diuersis specie dicunt, ea æquiuoce nuncupantur. & res quæ ipsis subijciuntur, ab ipsisq; significãtur, æquiuoca sunt. manus igitur cum eandẽ speciẽ cũ manu habeat nõ æquiuoca, sed uniuoca esse merito dici debuit. Sed accurata hæc de nominibus consideratio nõ magni facienda quibusdam uidetur. quapropter omissis his ea quæ ad artem pertinent, persequemur. Iubet ut in affectis partibus dirigendis exemplo utaris æquiuoco, coniugato, simili & sano. æquiuoco, & cognomine, dum brachium brachio, cubitum cubito, femur femori, tibiam tibiæ confers. coniugato & compare, dum in eodem homine non in diuersis comparationem hanc facis: id quod in libro etiã De articulis monuit, cũ inquit. neq; alieni articuli inspiciendi &c. adiungit autẽ coniugato simile, propterea quòd fieri potest, ut coniugatũ quidem sit quod confertur, non tamen simile. sæpenumero enim contingit, ut & brachiũ alterum ex aliqua affectione aut alimentum non admiserit, aut abscessu laborarit, alterum crus uel uarum, uel ualgum euaserit. unde etiam subdit, sanum, non ueritus dicere, quod idem planè potestate est, ne quicquã praue intelligere ualeamus. quod enim coniugatum est, sanum etiam prorsus est, si fuerit simile: nisi utraq; eandem affectionẽ fuerint passa. sed hoc rarum est. quòd si dicamus, simile sano subiungi debere, eadem ratio erit. satis enim fuerat, sanum dixisse cum in se quoq; similem contineat. sed fortasse hoc ex eo euenit, quòd cum utraq; disquirendi causa scripsisset Hippocrates, ut in alijs cõtigit, non alterum tamen in contextum, sed utraq; librarius admiserit.

26 Refrictio soluẽdi, unciẽdi, carne augẽdi, minuẽdi uim habet. unciẽdi, si dura: soluendi, si mollis: minuendi, si multa: incrassandi, si mediocris adhibeatur.

Vincire appellat densare: soluere, rarefacere, et mollire. minuere uero, attenuare. par est igitur, ut dura frictio perfricatam carnem sibi similem reddat, dum comprimit eam, ac constringit: mollis item eodem modo sibi similem carnem efficiat, utpote quæ cõtraria ijs quæ dura efficit, agat. multam quoq; cum plurimum digerat, attenuare consentaneum est. nutrit autem & carnem producit non ea quę absolute multę est opposita, id est pauca, sed mediocris. id quod etiam superius dixit, cũ de calidæ aquæ usu ageret. pauca enim prorsus frictio, non secus ac pauca aquæ perfusio nihil efficit, quod sensu quidem percipi queat. eousq; igitur fricãdum est, cum carnis nutriendę causa id fit quoad eadem indicia extiterint, quę in moderata aquæ perfusione superius dixit, his uerbis. Cum adhuc suspenditur, priusquam concidat, desistendum. primum enim tollitur: deinde attenuatur. nihil autem ex operibus fricationis prætermitti in secundo De salubribus libro demonstratum à me est. aduertendum autem est id quod plerisque est ignotum, ueteres Græcos ἀνάτριψιν, id est refri-

A ctionem, quo uerbo hic utitur Hippocrates, non solere appellare eam frictionem quæ ab inferiori parte sursum ducitur, sicut compositio uidetur significare. sed absolute omnem quomodocunq; factam. quinimmo rarum inuentu τρίψεως nomen apud ipsos est. solent enim ἀνάτριψιν, id est refrictionẽ nominare, quam nos τρῖψιν, id est frictionem seu fricationem uocamus.

27 Tum uero deligãdum est. ac primum quidem qui est deligatus, maxime ea parte qua noxa est, in extremis minimum dicat se fuisse compressum. atq; affulcitas sibi esse fascias, non aũt compressas, multitudine, non uehementia. ac die et nocte ea paulo magis.
B minus posteriore. laxius tertia. ac posteriore quidẽ tumor mollis in extremis partib. inueniatur. tertia, pars quę deligata fuerat, soluta gracilior inter oẽs ligationes appareat. secunda deligatione an iuste deligatũ sit, cognoscendũ. inde magis ac pluribus constringẽdũ est. tertia itẽ magis, ac pluribus. at septima quæ à prima deligatiõe fuerit soluta ossa, gracilia, ac depressa reperiant. in ferulas deligata, si gracilia & absq; prurigine, & ulcere sint, usq; ad uiginti dies à noxa relinquenda sunt. si quid suspectũ sit, solui
C in medio, ac ferulæ tertio post die firmari debẽt. appensio, depositio, deligatio uti eosdem in statu sint, obseruandum.

Fulcimina. i. ἐρμάσματα ea Græcos appellare quę sustẽtandi & firmãdi causa apponunt, perspicuũ ex Homeri eo uersu est, quo inquit. Fulcimina puppibus abstrahũt. idẽ ἠρμάσθαι. i. affulcitas esse significat, hoc est firmatas atq; applicatas esse. id aũt multitudine magis q̃ uehementia linteorũ fieri debet. priuatim uero de deligationis cõstrictione nũc pręcipit. sed de hoc, & de alijs omnibus, quę tum hic, tum sequentibus in orationibus docet, et in libro De fracturis, & in libro De articulis perfectius explicatũ est, ut quæ illic dicta sunt, nõ amplius huc esse trãsferẽda existimem. turpe eñi esse
D puto, si quæ satis superq; alibi fuerint explicata, iactare cõmemorando uelim. quo circa his prætermissis, quippe quæ clare ijs patere possint qui libros De fracturis & De articulis legerint, ad sequentia descendemus.

28 Figurationũ summæ sint hæ. cõsuetudines, naturæ uniuscuiusq; mẽbri, species ex currendo, ex ambulando, ex stando, ex iacendo, ex opere, ex remittendo.

Ex hac oratiõe perspicuum illud est, librũ hũc commentarioli exemplaris in modum scriptũ fuisse, ac post auctoris mortem editum. fieri enim solet ut qui huiusmodi libros describunt, ea quæ uel duobus modis, uel extrinsecus ab auctore ea de causa fuerant exarata, ut diligentius postea consi-

deraret utro ex illis melius enunciare ſententiam ſuam poſſet, in contextu operis inſerant. cui enim credibile fit, Hippocratem bis eadē ſcribere uoluiſſe, cum nulla id neceſſitas cogeret? & præſertim hoc in libro, ubi ſummam loquendi breuitatē uidetur affectaſſe? cæterum quia qui ante me fuere, hæc quoq; explananda eſſe cenſuerunt, ego quoq; eos ſequar. Summas igitur figurationum, ſcopos eum appellare in quos reſpicientes in unoquoque membro accommodatam figuram reperimus, manifeſtum eſt. quin etiam conſuetudinem unum eſſe ex his ſcopis ſuperius dictum eſt, illis uerbis. Exhibitio, & diſtentio, & conformatio, & reliqua ſecundum naturam. natura uero in operibus exiſtit. ex operis actione quid ea uelit coniectandum. ad hæc autem ex immorante, ex communi, ex conſuetudine. atq; ex immorante quidem ac remiſſo, rectas proceſsiones debemus conſiderare, ut in manu: ex communi, extenſionem & inflexionem, ut quod prope ad angularem cubiti ad brachium figuram accedit. ex conſuetudine reliquos habitus facilius minime ferri, ut crura extenſionem. ex ea enim facillime plurimum tempus non immutata perdurarent. Hæc cum ſuperius ſcripſerit, uide quomodo nō peius ſcripſiſſet de ijſdem in propoſita hac ratione. nam cum ſcribat cōſuetudines & naturas uniuſcuiuſq; mēbri, poſtea ſpecies, id eſt differētias ipſorum ex operationibus agnoſci uult. nonnulli etiā ſpecies membrorum aſcripſerunt, ut oratio ita ſeſe habeat: ſpecies mēbrorum. nam de cruribus exemplū ſubiungit, cum inquit, ex currendo, ex ambulando, ex ſtando. & poſtea infert ex iacendo, quod profecto idem eſt cum eo quod ſuperius dixerat immorari & cunctari. cum item ſubiungit, ex opere & remittendo, opus pro particularibus operibus, id eſt pro currendo, ambulando, & ſtando: remitti pro immorando ſumit. ut nihil amplius in hac oratione quàm de operibus, & quiete dixerit. neq; enim quia in principio naturas membrorum nominauit, propterea putandum eſt eum aliā tertiam figurationē dixiſſe. cum nullum aliud naturę pręter opera indiciū protulerit. omnino ſiquidem quemadmodum in ſuperiore oratione ſcriptū eſt, in omnibus occaſionibus curationis morborum quæ manuum operam requirunt, ſeruanda figura una eſt, quæ naturæ membri fuerit accōmodata. ea autem inuenitur, inquit, & ex immorante, & remiſſo, hoc eſt quādo quieſcit quiſpiam. & ex communi, id eſt eo quod inter extremam extenſionem & contractionem medium eſt. & ex conſuetudine in qua uidelicet & opera & quies continentur. ut duo hæc figuræ ſecundum naturam uniuſcuiuſq; membri imdicia maxime generalia exiſtant, & mediocritas inter exceſſus, & conſuetudo. At ego in libris De motu muſculorum de his cum diſſeruerim, & fabricam membrorum quam ex diſſectiōe inuenimus oſtēderim, figuras quoq; membrorum naturæ accōmodatas, ſicut ipſe etiā in lib. De fracturis Hippocrates, declaraui. Tametſi fieri poteſt, ut alijs & nominibus, & uerbis uſus de ijſdem rebus alia dicere uideatur. quēadmodum ſi quis figuram dolore carentem diceret. nō enim in alio id reperiet, quàm in quieſcente. idem quoq; medium inter exceſſus erit. quinetiā ex fabrica membrorum idem inuenietur.

29 Qm̄ uſus corroborat, ocium tabefacit.

Hoc quoq; ſcripſiſſe quaſi commentarij in modum uidetur libri huius auctor, eo conſilio ut fortaſſe in editione poſtea dilataret. in alijs autem exemplaribus ſcriptū reperitur in hūc modum. Cur uſus corroboret, ocium tabefaciat. quaſi id ſibi in quæſtionem auctor propoſuerit, quod non modo in chirurgia, uerūetiam in ijs quæ ad uictum ſpectant, utiliſsimum eſt. effœminatur enim corpus omne ocio uacantium, infirmumq; redditur: ſicut eorum qui eo utuntur & operātur, corroboratur, ac ualidū efficitur. duplex aūt orationis huius probatio eſt. experientia, omniū qui attēdunt ijs quæ euidenter apparēt. & naturalis fabricæ indicatio, ſicut in ſalubribus cōmentarijs dictum eſt. in his igitur quę ad manuum operam curationemq; attinent, non oportet quāplurimo tempore affectas partes immotas ſeruare, ſicut nonnulli tutelę cauſa facere conſueuerunt: ſed mouere eas mediocriter debemus, ſi abſq; inflammatione fuerint. atq; id primū incipere cū aqua calida ſupra affectum locum infunditur, deinde etiam in balneis, tum abſq; balneis idem facere.

30 Multitudine quàm compreſsione.

Hoc etiam in annotationibus ſcriptum ab auctore huc à librario translatum eſt. nam ſuperius integre & aperte, non ut hic diminute & obſcure dictum hoc idem fuit. oportet enim ut linteorū ſubintelligamus, quo integra oratio talis euādat. conſtrictio multitudine linteorum magis quàm compreſsione facienda eſt.

31 Quæcunq; exuccationes, uel contuſiones, uel uulſiones, uel intumeſcētiæ inflammatione carētes ex uulnere exhauriūtur, in ſuperiore corporis parte plurimum, in inferiore parū, deligandum eſt. non decliui manu, neq; crure habito, initia inijciēdo ſupra uulnus, & firmādo maxime, in extremis minimum, mediocriter in medio. ultimā partē ad ſuperiora corporis reducendo deligatione, & compreſsione. uerumetiā hæc multitudine magis quàm uehementia. maxime uero his lintea tenuia, leuia, mollia, munda, lata, ſana requiruntur. ac ſine ferulis. perfuſione uero aquæ ampliore utendum.

Cōtuſiones *φλάσματα* per *φ* literam appellare Hippocrati mos eſt Ionica lingua, quę ab alijs per *θ θλάσματα* dici conſueuerunt. fiunt aūt, cum graue aliquid ſupra corpus incidit, & collidit, ita ut carnea pars diſrumpatur. cum uero caro contuſa in locum ſub cute cruorem contrahit atq; exuccat, exuccatio, ſeu ſugillatio uocatur. fitq; id ſine ulla

ulla cutis diuisione. uenas tamē exiguas simul cū carne rumpi ac discindi in sugillationibus huiusmodi perspicuum est. at uulsiones in fibris musculorum contingunt, dum nimis distentæ interdum rumpuntur. quæ à recentioribus medicis τίλματα hoc est uellicationes seu discerptiones nuncupantur. ubi hæc dixit Hippocrates, subiungit intumescentiæ, quæ οἰδήματα appellat. omnes enim tumores præter naturam uno hoc nomine uocare consueuit. cum cæteri posteriores in inflammationes & duritias, & intumescentias eos distinguāt. nam inflammationes Hippocrates incesiones ipsas nuncupat, unde etiam nomen calidis tumoribus impositū est. præter hos aliud quoq; est quod ἐρυσίπελας dicunt, id est uicinitraham, quod incensum quidem atq; inflammatū semper est, cum tumore uero nō semper. hæc autem omnia quæ ab Hippocrate comprehensa hic sunt, aliam quidem & ex uictus ratione, & ex medicamentis curationem habent. sed quæ manuum opera exhibetur, ea deligādi modo afficitur. præsertim cum ex deligatione præcedente noxæ hæ exortū habuerint: de quibus uidelicet sermo ipsi nūc est. nam quod inquit ἐξαρύεται. i. exhauriuntur, significat exprimuntur, ac per expresionem extolluntur, atq; exurgunt. immo nonnulli scribunt ἐξαίρεται, quod est extolluntur, ut nulla expositione explicari amplius debeat. deligationem uero horum in libro De fracturis ab ipsa parte, quę tumore affecta est: nūc à uulnere faciendam censet. uulnus autem appellari hic membri noxam satis constat, atq; eatenus à deligatione fracturarum nunc uariat, quòd plurimam fasciarum cōuolutionē in superiorem partem: paucam in inferiorem hic duci uult. quod autem inquit, non decliui manu, neq; crure habito commune cum fracturarum deligatione est, sed quia maximam in his quoq; de quibus nunc agit, uim habet, nunc etiam repetitū est. ne si negligentius nos geramus sicut quandoq; cōsueuimus, in magnū aliquod damnum incidamus. quæcūq; enim si recte uel non recte fiant, non paruā uel utilitatem uel læsionem afferunt, ea cōmemorare frequentius nō ueretur. ex quibus uero paruū uel nocumentū, uel emolumentum euenturum nouit, de ijs semel dicere satis sibi esse putat. in fracturis igitur cū statim deligatio adhibita est prius q̃ inflāmatio circa partē affectā orta fuerit, uel aliquid aliud ex malis quæ nunc dicta sunt, ne quicq; ad partem affectā affluat, similis quidē cura, sicut in his, esse consueuit. ut uero discutiatur quod in parte affecta cōtinetur, non ita danda opera est. unde etiam hic perfusionem aquæ adiunxit, non q; illic non omnino sed q; hic magis ea utendū sit. in huiusmodi eñ affectionib. calida aqua fouere magis est opus, ut quod in tumefactis partibus inest, discutiatur. quemadmodū etiam ipse ubi de calce agit, in quo ex eo q; ex alto quispiā desiluerit, sugillatio quædam fuerit exorta, cum alijs quæ scripsit ad curationem huius accommodatis, hoc quoq; apposuit. aqua calida plurima utendum esse, et nō compresione deligatæ parti præsidium compara-

A ri. dictum quoque hoc idem est de fracturis. est tamen in his, & ne comprimantur, & ut discutiantur, necessitas maior. unde ob eandē causam absq; etiam ferulis deligationem fieri iubet: ut duo sint, quæ à deligatione fracturarum ipsam hanc separent. quatenus uidelicet & minus cōprimi debet: & lintea maxime leuia, et tenuia, et mollia, & mūda postulat. his enim indigent ea quæ sicut minorem compresionem, ita maiorē digestionem desiderant. addidit autem sine inflammatione unumquodque horum esse oportere, si præscripta hac deligatione curandum sit, propterea quòd quę inflammatione infestātur, ne modicam quidem ex deligatione compresionem tolerare possunt: solentq; tum cataplasmatis, tum frequenti aquę calidæ perfusione, tum medicamentis humidis curari, quæ uidelicet inflammationibus finiendis B sunt accommodata.

32 Excidentiæ autē, aut tortiones, aut dissidentiæ, aut auulsiones, aut abruptiones, aut distortiones, ut manca & in alteram partem uergentia, unde quidam excessere, concedendo, quo intendendo deliganda sunt: ut deligata in contrariam partem declinēt, uel prius quàm fuerint deligata paulo magis, quàm ut ex æquo sese habeāt & fascijs, & plagulis & appensionibus, & figurationibus, extensione, frictione, directione, nec C non hic etiam ampliore perfusione.

De omnibus his affectionibus in libro De fracturis, & articulis absolutisime edocuit. nūc uero sicut de alijs multis, ita de his quoq; quasi cōpendium quoddam scribit. quod quidē per se ob breuitatem obscurum cum sit, ijs qui illos libros legerint, satis claret. & nos etiā propterea quia ea iam explanauimus pauca nunc memoriæ reuocandæ causa referemus. nam si quis ab hoc de ijs quæ in Medicatrina fiunt, libro auspicetur, ei magister ea omnia euidentiæ causa debet recensere, quæ de fracturis, & articulis scripsit Hippocrates. huc uero transferenda, ac describenda in commentarium minime mihi esse arbitror. Vocat igitur Hip-
D pocrates in hac oratione excidentias articulorum luxationes: tortiones uero, cum articulus quidē est illæsus, sed neruosæ circa ipsum partes tortæ sunt. id quod maxime in ijs contingit quorum in uacuum gressus delabitur. Dissidentias uero appellat cum ossa quæ natura cohærent ac sese mutuo contingunt absq; articulo, ob aliquam læsionem dissident à se, ac distant, cuiusmodi in libro De fracturis atq; articulis nominatim cōmemorat cubitū & radium in brachio, ad gibbum, & ad manum, in crure tibiam & suram, qua & genu & calci cōmittuntur. auulsiones aūt osium fiunt, sicut ipse de summo humero disseruit, cum, quæ ipsum colligant, diuulsa plurimū à se mutuo secesserint. at abruptiones, quas ἀποκλάσματα dicit, ἀπάγματα, id est abductiones à recentioribus nuncu-

pantur. de quibus in fine libri De fracturis meminit, & neruorum, uenarumq; fibris circa gibbum cubiti contingere eas inquit, abductionemq; ibi appellat. unde posteriores sumpta appellatione abductiones fracturas uocare consueuerũt, quæcunq; prope articulum per totam ossium crassitudinem fiunt: ita ut à sese plurimum distent. hæ à recentioribus caulatim factæ fracturæ nuncupant̄. Distortiones uero à tortionibus in eo differunt, quòd hæ articulum quodammodo attingunt, paululumq; ipsum distorquẽt, & commouent. fiunt item circa unum os, ac præcipue circa tibiam in pueris, quam etiam unà cum appositione eorum quæ dirigunt utrinq; ex tilia, alioue aliquo ita ualido, ac molli ligno asserculis tenuibus factis deligamus. Recte autem fecit, cum loquendo de distortionibus, in alteram partem uergentia adiunxit. siue enim, ut nonnulli scribũt, ut manca: siue, ut alij, ut ualga, utrisq; lectionibus in utranq; partem uergentia conueniunt. quippe cum tam interius, quàm exterius tota dearticulatio, & præcipue in cruribus circa genu, & circa malleolos sępenumero inclinetur. quæq; in exteriorem partẽ uergunt, ualga, quæ in interiorem, uara & manca appellentur. his omnibus affectionibus accõmodata est deligatio duobus his mod… adhibita: ut & quo recessit pars, inde urgeãt, ac propellãt fasciæ. et unde recessit, laxæ eo loco sint: ut quod per deligationẽ impellitur, ibi suscipi ualeat. quocirca concedere ea in parte, id est remittere, & nõ intendere deligationem oportet. ubi uero inquit, quo, intendendo, subintelligendũ est, excessere. ut integra oratio eiusmodi euadat. Vnde excessere, cõcedendo, id est remittẽdo, & laxando fasciã: quò uero excessere, intendendo, ut in contrariam partẽ ei in quam excesserant, abeant, & declinẽt. declinationis autem huius in contraria terminum non qui secundum naturam est, statuit. ita enim morbus adhuc deligationem superaret, cum mẽbrum diutinæ distortioni fuerit assuetum: sed paulo ulterius quàm naturale sit, propellendum censet. hoc siquidẽ significat, cũ dicit, paulo magis, ꝙ ut ex æquo sese habeãt. ex æquo enim sese habet, quæ secundũ naturam sunt. atq; hanc in contrarium declinationẽ cunctis esse faciendam uult, quę ad deligationem assumunt̄, quæ uidelicet ipse nominatim percẽset, fascijs, plagulis, appẽsionibus: extẽsione insuper, frictione, & directione. quippe cũ omibus his fieri possit, ut deligatio amplius, ꝙ naturale sit, in cõtrariã partẽ declinet. quin etiã hic perfusione ampliore utendũ inquit. adiũxitq; hic, ad uocẽ, ampliore, quod superius etiam proxima oratione intelligendũ prætermiserat. copiosius enim utrobiq; aqua calida perfundendum est, illic dirigendi causa, hic molliendi.

33 At uero diminuta multum sanæ partis occupando spatij deligandum est: ut ex accursione quæ contabefacta sunt ampliore, quàm ipsa fuerunt imminuta, diuersa deligatione permutata in auctionem tendant,
A reformationemq; carnis efficiant.

Orationem hanc nonnulli qui adhunc librum exposuerunt, sicut alia multa paucis quibusdã extrinsecus dictis percurrerũt. alij uero qui eã clare explicare conati sunt, à ueritate adeo aberrarunt: ut admiratione dignum sit, quomodo diminuta, mẽbra uidelicet attenuata, atq; alimento carentia ad naturalẽ temperaturã reduxerint, atq; ego quidem in artis operibus nullũ damnũ afferre discentibus existimarim: si quis uel in significato uerbi alicuius, uel in aliqua ad clariorẽ euidentiã quæstione proposita non recte rem tractarit. at cum aliena ab utili instructione tradunt̄, illa uero necessario lædunt eos qui in arte exercent̄. Quocirca B prius docebo quomodo ipse membra emaciata, nutritioneq; carentia semper curare solitus fuerim, quo iam discentes percipere inde utilitatẽ aliquã possint. deinde uerba hæc Hippocratis ueritati enitar accõmodare. nam in ijs quæ obscure ita scripta sunt, dandam mihi esse operã censeo, ut ueritate rerum seruata uetustam lectionem ei, si fieri potest, consentire ostẽdam: si uero id præstari nequeat, ueritatem saltem cognoscendã adolescentibus exhibeã. Pleræq; igitur, quæ in partibus quibusdã contingunt, attenuationes, uel ex diutina membrorum quiete, uel ex modo deligationis fracturarũ euenerunt. nam & quies uires quiescentium membrorum imbecillas reddit, atq; infirmas: & deligatio dum partium deligatarum sanguinẽ C partim sursum, partim deorsum elidit, nutrimentum quoq; ipsis aufert. Quare malo huic curationẽ cõtrariã exortui eius adhibere debemus, uires affecti membri corroborando, & idoneã ei sanguinis copiam suppeditãdo. uires aũt frictionibus moderatis, perfusionibus, & motionibus corroborantur. ut ergo plus influat sanguinis deligatione idonea, quã hic ponit Hippocrates, utendũ est. tum aquæ calidę moderata perfusione, & motione, & frictione opus est, quæ uires stabiliunt, & confirmant. esse uero omnia hæc moderata & qualitate & quantitate debent. non enim satis est, si uel frictio, uel motio, uel calidę aquę perfusio, neq; multa, neq; pauca admodũ sit: sed oportet mediã quoque esse frictionẽ inter duram & mollem, motionem inter lentam & cõcitatam. aqua uero D temperata etiam ita esse debet, ut mediũ sit inter nondũ calfacientem, quæ tepida uocat̄: & eam quæ calore mordax iam est, & dolorem affert, quam feruidam dicunt. at quantitatis rationem superius docuit, cum dixit, cum adhuc suspendit̄, prius ꝙ concidat desistendum. quo tẽpore uidelicet maxime rubicundũ membrũ conspicit̄. nam cum membra quæ tenuata sunt, alimentoq; fuerunt priuata, manifeste sint alijs quæ naturaliter sunt affecta, exanguiora, rubescantq; difficulter cum perfricamus, calidaq; aqua perfundimus, eum scopum spectamus, ut ruborem contrahant. quo eodem tempore turgidiora etiam apparent. ꝙ si fricare ulterius, aut perfundere pergamus, & rubor euanescit, & tumor omnis cõcidit, et subsidit. quin etiã inde fa-

ciliane

cilia'ne sint, an difficilia ut sanent, prænoscemus: si uel facile, uel difficulter rubra efficientur, & turgescent: si sanatu sunt difficilia, soleo ego aliquo ex calefacientibus medicamentis liquidis uti, quę frictionem efficiunt: & præcipue ijs, quæ parũ thapsiæ non ueteris habuerint: atq; huiusmodi attenuationes picatis medicamentis illinere cõsueui, quæcunq; illa sint siue picata, siue dropacita, ut nõ picem, sed dropacem dicendum censeas. dicas em̃ licet quomodocunq; uolueris. non enim docere Attice loqui adolescentes, sed commemorare eis utilissima artis medicæ opera his in cõmentarijs proposui, usumq; picatorũ medicamẽtorũ in præsenti hac re. nam si prima unctio satis plenũ, & rubrum membrum reddiderit, desistendum iam est: B sin minus, iterum illinendum, atq; iterum. in quibusdam singulis diebus, in quibusdam tertio, aut quarto quoq; die: prout magis uel minus desiderare id affectum locum uideris. nõ addidi aũt interdum pro ratione defatigationũ calidũ fieri membrum, quod uel fricatur, uel picatur, propterea q̃ simul cum rubore id intelligitur. eodem siquidem tempore ruborẽ cõtrahit & calorem. Huiusmodi mihi semper curationẽ adhibenti attenuatis præter naturã raro deligatione opus fuit. si aũt aliquãdo incidit ut ea indiguerim, hoc modo quo iubet Hippocrates deligaui, illis uerbis animum aduertens, cum inquit- diuersa deligatiõe- diuersa uidelicet ab ea, quæ fracturis adhibet, quæ uehementiorem compressionem affectis membris affert. C diuersa enim hæc deligatio in prima etiam statim linteorũ iniectione differt ab ea, quæ fracturis cõuenit: cum nõ supra ipsam partem quæ affecta est initium eius ponatur: ut in ulceribus & fracturis, sugillatisq; & contusis, alijsq; fit, quæ paulo superius diximus. deinde in eo etiã differt, quòd comprimere circa affectã partẽ minime debemus: sed remissiore deligatione ibi uti. maxime uero unde incepimus, cõprimendum nobis est circa sanam partem: ac deinceps progrediendũ usq; ad locum qui affectus est: quò cum peruenerimus, maxime laxa linteorũ cõuolutione utẽdum est. Atq; hyeme quidem ipsi etiã læsæ parti fasciam circũdo: ita tamen, ut laxa cum sit, & ne minima quidem compressione astricta, non calefaciat. at æstate sanam partẽ deligo, quo sanguis qui in ea continetur, ad D eum locũ elidatur, qui restauratiõe indiget. ipsam uero sanã partem calefacere insuper, & digerere non conuenit. Si aũt multum totum crus, aut brachium extenuatione cõtabuerit, alterum crus, aut brachium deligo ab inferioribus partibus initio iniecto: & in crure usq; ad inguen, in brachio usq; ad alam & humerũ fasciationẽ deduco. nam cum in superiorib. partibus iuxta iugula à magna uena discindantur uenæ quæ brachiũ nutriunt: in inferioribus autem iuxta os sacrum, quę cruribus alimentum deferunt, si fluxus sanguinis alterius uenæ, quæ ad coniugatum & compar membrũ tendit, interclusus fuerit, fit ut ad alterum membrum sanguis feratur: ac propterea deligatio, quæ in sano membro fit, eousq; astricta esse debet, ut cõpri-

A mat quidem, non tamen ita ut dolorem creet. pars uero affecta, uel nuda relinquenda est: uel si frigidus aer sit, paululum usq; ad femur lanis cõtegenda. nam si frigus non molestat, utilius est ut nuda sit, assidueq; aut linteis perfricetur, aut si difficulter calorem contrahere potest, medicamẽtis. si facile uero calescit, oleũ tantũmodo sufficit, cui parum ceræ adiectũ sit: ita em̃ & magis permanet, & minus digerit. eadem ratione in brachijs omnia facienda sunt. nam & deligandũ sanum brachiũ est, ut in cruribus faciebamus. & quod emaciatũ est, frictione & motione calefaciendũ. Cumq; ille qui ægrotat, non prorsus est stolidus, quærendum ab eo est, caliditatem ne transferri in membrum affectum sentiat, an id quiescere. nam si quiescere adhuc sentiat, tempus iam est, ut secundo loco calefacientia, & corroborantia medicamenta adhibeamus: quorum quatuor genera sunt, frictio linteis adhibita, aquæ calidæ perfusio, frictio itẽ uel medicamẽtis uel oleo facta, inunctio è simplici dropace: aut si nimis frigefacta esse pars affecta uideatur, uarius dropax sumẽdus est, qui & bituminis, & sulfuris ignem non experti parum, & pyrethri habeat. Atq; ita quidẽ curanda esse extenuata corpora ex multorum sanatiõe cognoui. an aũt Hippocratis quoq; hanc orationẽ recte explanẽ, affirmare nõ ausim: cũ obscura admodũ sit, & probabilitate quadam, non scientia aliqua certa declarari queat. expono tamen eam, nõ ut pleriq; ea lectione- ut ex accursione contabefacta amplius q̃ ipsa fuerunt imminuta- sed aliter, ut nonnulli scribunt, cũ relatiuo nomine hoc modo- ut ex accursione quæ cõtabefacta sunt, ampliore, q̃ ipsa fuerũt imminuta. contabefacta enim uocat loca extenuata ex motionis, et nutritionis defectu, quę inquit- ex accursione- id est affluxu sanguinis curari oportere: qui amplior uidelicet eò deueniat, q̃ si in naturali habitu essent constituta. ita em̃ afficietur, ut in auctionem tendant quæ diminuta sunt: si diuersa à priori deligatione usi fuerimus, quænam autem sit hæc diuersitas, paulo superius demonstratum fuit: cui sanè diuersam quoq; esse uim, necesse est. prior enim deligatio sanguinẽ à membro affecto arcet: hæc copiosiorem suppeditat, quàm si naturali in statu esset. nam quod secundum naturã sese habet, ei satis ille est, qui in ipso continetur: ac propterea non amplior influere eò oportet, q̃ qui in nutritionẽ eius, perspirationemq; absumat. cum uero uacuum, atq; exangue est membrum, multo amplior esse ei debet, qui influit: ut uidelicet non tantum nutriatur, sicut cum sanum est: uerũetiam restauretur. amplior aũt hic influxus ex assidua calefactione membri procuretur, necesse est. omnia enim quæ in curatione hac adhibentur, calefaciunt. frictio, motio, medicaminũ impositio, picatio & aquæ calidæ perfusio, qua Hippocrates etiam esse usus uidetur, ob balneorum fortasse inopiam quæ eo tempore erat. mihi enim aqua in balneorũ solijs iniecta, & ad calefacienda moderate mẽbra quæ curantur, & ad defatigationem in eis excitandam satis fuit. mouere insuper ea opus est operationi-

tionibus cõsuetis: atq; id nõ semel ac repente, sed sæpe ac paulatim uno quoq; die faciendum est, frictio item eousque adhibenda, quoad calefactum membrum sit: deinde intermittẽda. atq; ego quidem in hunc modũ orationi huic Hippocratis ueram curationem accõmodo, cuius uim re ipsa demonstraui, cum quãplurimorũ ex deligatione, & diuturna quiete extenuatorum membra restaurarim. sed iam cõuenit, ut super hoc quoq; eorũ qui librum hunc explanarunt, sentẽtiam explicemus, quorum pleriq;, ut dixi, extrinsecus tãtummodo nonnulla cum dixerint, rem ipsam inexplicatã reliquerunt. pauci eandem lectionem sequuti declarare totam sententiã hunc in modum conati sunt: iubere inquiunt Hippocratẽ diminuta ex deligatione esse curanda: ut contabefacta, id est extenuata amplius ipsa, q̃ prius fuerant, in contrarium immutentur. multos enim morbos ita curari consueuisse aiunt, exemplaq; afferunt. nauseantes enim nonnullos uomitum ciente medicamẽto sanatos fuisse: alios acria quædã frequẽter deijcientes, expurgãte potione: tussiẽtes alios tussim uehementiorem mouente medicamine conualuisse affirmant. adde quòd nonnulli etiam sunt, qui id quod in definitionibus, quos aphorismos appellant, dictum est, in mediũ afferunt, quæ in hunc modum sese habent. Interdum autẽ in rigore absq; ulcere, si iuuenis carne præditus sit, æstate media frigidæ perfusio reuocationẽ caloris facit. si igit̃, inquiũt, non solum ex cõtrarijs, uerum etiam ex similibus remedijs curationes fiunt: nunc quoq; Hippocrates diminuta curare nos sic iubet, ut à deligatione incipiamus, quæ attenuare magis ea posit. cum ex accursione, ut aiunt, contingat ut amplius contabefacta mẽbra quàm prius fuerant rursus nutritionem, carnisq; pristinã restauratione recipiant. qui autem ita interpretantur, cum diuersa deligatio explanationẽ nullam apud eos admittat, pro ἀλλοίῃ τῇ ἐπιδέσει, ἀλλοίῃ τῇ ἕξει, id est pro diuersa deligatione, diuerso habitu legendum censent: ut tres differẽtes inter se lectiones loci huius euadãt. una-diuersa deligatione-altera-diuerso habitu-nam ita quoq; in quibusdam exẽplaribus scriptũ inuenitur. qui aũt legunt diuerso habitu, eum non ad deligationẽ, sed ad partẽ affectã referũt: quam aiunt cum diuerso habitu prius uteretur, ex eoq; in extenuationẽ tetẽdisset, hunc postmodũ fuisse consequutam ex deligatione, quę amplius contabefaciebat. quasi nõ amplius ex ea in gracilitatem membra, quæ alimento caruerunt, deueniant, sed iam immutari incipiant: ea uero quæ fracturis cõuenit deligatio communis cum sit, ut paulo superius demonstratum est, etiam alijs affectionibus, inter quas sunt sugillata, cõtusiones, & uulsiones, attenuare membra consueuerit. hoc igitur habitu inquiunt, ex eadem deligatione alimẽto carentibus mẽbris restaurationem cõparari. atq; hinc effectum est, ut tertiam lectionem nonnulli repererint, atq; ita scribant, ut ex accursione contabefacta amplius q̃ sponte fuerãt imminuta. se hoc modo rei absurditatẽ euasuros rati, si sponte dicerent membra fuisse attenuata. & quod hic docet Hippocrates, nõ omnibus diminutis esse cõmune: sed de ijs tantum intelligi, quæ sponte in eam affectionem inciderunt. cõmunem & uniuersalẽ huiusce doctrinæ dissertationem in angustum admodum reducentes: cum paucissima sint, atq; admodũ rara, quæ alia ex causa nutrimentũ non sentiant. reliqua siquidem omnia ex diutina deligatione, & quiete talem habitum cõtraxere. ac de his magis q̃ de alijs quibusdam mentionẽ fecisse Hippocratem consentaneum est, cum antedicta consequantur. cum enim superius de fracturis & quibusdam alijs affectionibus dixerit, quę similem deligationẽ requirũt: cognoritq; ex illis attenuationẽ, gracilitatemq; membrorũ cõsequi solere, quo modo curãda ea esset, sibi docendũ existimauit. quod autẽ maxime ijs crimini dare quispiã posset, qui de deligatione attenuante loqui hic Hippocratẽ existimant, illud est: q; cum attenuata restaurare propositum sit, id fieri nequit, nisi & uires ipsorũ corroborẽtur, & materia nutriendi copiosa suppeditetur. at quã ipsi assumendã putãt, deligationẽ, ea tum sanguinis afflu ctionem prohibet, tum imbecillem uim reddit: quam uero ego ab Hippocrate dici assero, diuersam ab ea esse dico, quę diminuta efficit. quippe cum à sanis incipiendũ, non ab affectis sit: ita ut multis cõuolutionib. eousq; adstringamus, quoad nullus dolor, qui inducere inflammationẽ posit, excitetur: atq; ad affectum locum paulatim subinde relaxando deueniamus. adde q; si sequi horum explanationem uelimus, sanũ crus deligare unà cum eo quod laborat, nihil ad rem facit. nam ut amplius contabescant, quæ attenuata sunt, adsumi deligationẽ inquiunt. at ut id fiat, nõ modo nihil prodest, si alterum crus deligetur: uerum etiam nocet. sanguis enim qui in alterũ deferebatur, totus ad partem affectam per deligationem propellitur. nam exempla illa, quę isti qui ita interpretantur, adducũt, q̃ praue illata sint, perspicuum est: cum nihil in se habeant, quod doctrinæ Hippocratis conueniat. sana enim eorũ ratio est, qui uolunt uniuerse totã mali causam exinanire: quę uidelicet tunicis uentris ita inhæret, ut auelli inde difficulter queat. tunc eñ acria eodem coniecta cum uentrẽ irritẽt ad excernẽda omnia simul facere cõsentaneũ est. Simili modo quoq; ea quæ modicam tussim mouent, uehemẽtiori tussi excitata, expurgari cõsueuerũt. At enim nihil his simile est, quod isti dicunt, membrũ attenuatum insuper esse contabefaciendũ, quo principium restaurationis cõsequi ualeat. ex ampliore eñ extenuatione, & uires partium alimento carẽtium magis debilitantur: & materiæ quæ alimentum præstet, suppeditatio nulla elicitur. Præterea de rigore hic mentionem facere absurdissimũ est. quippe cum se imperitos esse artis Hippocratis manifeste declarent. ille enim ex curatrice arte cõtraria contrariorum esse remedia inquit. Nonnulli tamen uim orationis minime percipiẽtes, ad cõtradicendum conuersi sunt, perinde atq; illi, qui petulanter omnibus contradicunt, eaq; audent uituperare, quæ nun-

nunc omnino didicere. non modo enim cõtraria contrariorũ esse remedia, non reprobatur ijs, quæ in Definitionibus dixit Hippocrates. uerũ etiam cõfirmatur: uel eo ipso aphorismo, in quo frigidã aquam caloris reuocationẽ efficere dixit, calorem uero eã sanare. quem quidem calorẽ qui frigidis affectionibus medet, frictione aliquando, aliquãdo medicamento calfaciente, quandoq; exercitationibus, aut aquæ calidæ perfusione excitatus: quin etiam bitumine interdũ, & sæpe, ut diximus pice oblinendo membrũ, quod calefaciẽdum est: perfusione item aquæ frigidæ interdum idem procuramus. sed reliqua quidẽ omnia cum ex se calefaciendi uim habeãt, utilia semper ijs sunt, quę calefactione indigent. Aqua uero frigida, quatenus frigida est, raro est utilis: ac nisi in corpore quod innatũ calorẽ ualidũ habeat, assumi utiliter nõ potest. nam carne prędítus sit, oportet, ut inquit ipse, cui utilis futura frigida aqua est. neque huic quolibet tempore, sed æstate tantummodo adhibenda est. quis enim ignorat? quisq; est ex ijs qui De frigidæ aquæ potione scripserũt, qui non dicat eam duo efficere consueuisse, uel damnum ex refrigeratione, uel caloris maioris ab imis partibus reuocationem? nam si ualde calidum corpus sit, efficitur, ut eius calor à frigiditate minime superetur, sed potius densata cute, atq; idcirco cohibita perspiratione augeatur. si uero exiguo calore sit præditum corpus, ut occurrenti frigiditati mimime resistere ualeat, cum usq; ad imas partes uis frigoris penetret: fit, ut in morbos ex refrigeratione cõtractos incidant homines. sed fortasse hæc quoq; superuacue à me dicũtur, cũ alibi, sicut dixi, quæ sint ea, quæ primo curent, demonstrauerim: quæ prorsus scilicet cõtraria esse debent. primo autẽ dicuntur, quæ absq; medio ullo curationẽ afferunt, quibus opponuntur, ea quæ medium aliquod habẽt, quæ ex accidenti, nõ primo prosunt. quocirca nugantur isti, cum & deiectionẽ alui, & tussim cientia medicamenta, & frigidæ perfusionem commemorant: quæ quidem quãuis interdum apte fieri consueuerint, nihil tamen cum proposita hac re simile habẽt. ostendendum siquidem ipsis est, quomodo quæ modice attenuat deligatio, uel uires attenuatis mẽbris afferat, uel faciat, ut copiosior sanguis eodẽ deferatur. quod quousq; ostendere nequeunt, sciãt frustra se exempla adducere. ut omittam interim quòd nulla scientiæ effectrix demonstratio fieri exemplis potest. exemplorũ siquidem usus in cõmentarijs De demõstratione satis à me declaratus fuit. non ẽm discentibus ea sciendi causa afferimus, ut nõnulli putant, ac pręcipue illi qui non secus atq; oratores ad confirmanda omnia uti exemplis consueuerunt: qui sanè magno in errore uersantur. nam si Platonẽ tibi dixerint inductionibus plerunq; demonstrationes suas efficere, sciendum tibi est eum dilucidítatis causa inductionibus fuisse usum. at uero qui inductionis & exempli uim exacte cognoscere cupit, is ad propriam utriusq; tractationẽ relegandus est, alibi à nobis diligenter explicatam: nunc mihi ad propo-

A situm redeundũ est. sed prius legẽtes monitos uelim, ut ijs quæ à me hucusq; dicta sunt, diligenter animaduersis, sic ad sequentis lectionis explanationem deueniant, superius dictis manifeste attestantem: quæ ut clarius pateat, non uniuersam simul, sed particulatim ascriptam explanabo.

34 Melius autem est de super ut in tibia & femur & alterum crus unà cum sana parte deligare, ut similius sit, similiterq; cõquiescat: simili item modo alimẽto excludatur, idq; admittat.

Diminutorum deligationem diuersam esse faciendam dixit ab ea quæ fracturis adhibetur. in illa enim propositum est, ut præterquã quòd influ-

B xus sanguinis prohibetur, id etiã quod in affectis mẽbris cõtinetur, huc illuc depellatur, quiescãtq; ea nulla penitus motione agitata. illa enim deligatione fit interdum, ut omni prorsus inflammatione liberenẽ partes quæ affectæ sunt. at hac neq; influxum sanguinis prohibere, neq; quod continetur elidere, neq; immota seruare mẽbra, sed contraria omnino cuncta his efficere studemus. quapropter deligationem hanc, sicut prius etiam dictum est, à sanis partibus exordiri debemus. atq; ita ibi cõprimere ut ab ipsis sanguis ad attenuata elidatur: sana uero ipsa alimentum suscipere integre prohibeatur. ac cum tibia quidem aut cubitus ægrotat, satis est, si initium deligationis aut ab inguine, aut ab ala faciamus. cũ femur uero aut bra-

C chium est affectum, oppositum membrum deligemus necesse est, ab inferiorib. partibus initio sumpto ad inguen usq;, aut ad alam. At si tibia admodum labores, & femur superius & alterũ crus deligare melius est, ut simili modo sicut affectæ partis femur quod supra est, etiam crus sanum ociosum sit, & nõ alatur. propterea ẽm dixit ut in tibia & femur & alterum crus deligare, ut similiter conquiescat, id est, ociosum sit, & uacet alterum crus, quemadmodũ femur eius quod ægrotat, & simili modo alimento excludatur, alimentumq; admittat. non ẽm ita uult ab alimento excludi quod deligatur, ut nulla omnino nutrimenti pars ad id perueniat. nam si ex uehementi constrictione ab alimento penitus excluderetur, periculum esset, ne

D aut statim membrum emortuũ euaderet: aut si id non fieret, alimento prorsus omni sicut femur, ita tibia quoq; destitueretur. sed nobis non erat propositum attenuare femur, sed tibiam restaurare. quocirca cum modus deligationis gracilius membrum necessario efficiat, huiusmodi damnum aliquandiu admittere consueuimus: deinde tamẽ ubi modice iam nutritionem sensisse tibiam aduertimus, utrorunq; & femoris & tibiæ curam habemus. Explodenda igitur explanatio eorum est, qui & superiores attenuati membri partes, & alterum crus ea de causa attenuanda esse existimant, ut partium quæ alimentum non admittunt, gracilius occultetur, membriq; alterius sani comparatione deprehendi, atq; argui nequeat. ita ẽm non modo Hippocrates, sed ne quorũlibet quidẽ medico

dicorum quispiam recte mederi nos censeret.

35 Atque hoc linteorum multitudine, non compressione.

Prius quoque ita facere sępenumero pręcipit, ubi prorsus absque dolore seruari deligatā partem uult.

36 Remittendo primū, quod maxime indiget, frictioneque utēdo quæ carne repleat, & perfusione, absque ferulis.

Primū, dixit uel tempore uel potestate. ac tempore quidem uel in una deligatione, uel in multis deinceps inter se comparatis. quoniā uero omnia hæc uera sunt, idcirco perspicua oratio est. nisi uidelicet ita scripserit eo consilio, ut cuncta hæc ex uerbis eius intelligeremus. Cæterū in prima deligatione id consideremus. cum hæc ex multo tempore facienda sit, ita ut primū linteorum iniectionem firmantes ac comprimentes, cæteras conuolutiones subinde magis remittamus, ac maxime ea parte quæ nutritione ac restauratione indiget: uerisimile est, ut primum potestate de membro quod curatur: primum tempore de prima deligatione dictum fuerit. sed si de omnibus deligationibus inter se comparatis intelligamus, sensus erit huiusmodi. si in primis deligationibus unà cum sano deligaris, prorsus aliquando nudandum id exhibebit ægrotus. id igitur primum faciendum in ijs quæ maxime restauratione indigent, ac propterea non bene aluntur. nam si ad affectam partem frictione, alijsque quæ paulo ante dixi sanguis attrahatur: nutritio, carnisque restauratio in ea magis, citiusque efficitur. frictiōis igitur, ac calidæ aquę perfusionis mentionem fecit: medicamēti uero non meminit: propterea quòd solius operationis præsidia hic agnoscit. neque enim pretermisisse eum putare debemus, mouēda esse membra eousque quoad defatigentur. nam cum ipse docuerit cognata quoque ijs quæ docentur, esse intelligenda, frictioni uero motus omnis extenuatarū partiū cognatus sit: manifestum est, eum, cum iusserit alterum crus simul cum parte sana mēbri affecti conquiescere, & nunc frictione utendū dicat, mouendum quoque esse censuisse. quippe cum fieri posit, ut & cubitus sine brachio, & tibia sine femore moueatur. non enim dum attenuationem curamus, immotum cubitum, aut tibiā seruare opus est. quin ex superioribus partib. simul ac mota fuerint, curationem suscipere consueuerunt. nutrimentoque quod per loca nō affecta pertransit, ipsa prius fruuntur. eo quod & frictionibus, & picationibus, & calefacientium medicamētorum appositionibus abundant. sanguinis autem ad membra defluentis maximum tibi afferet indicium calor & rubor qui in ipsis extiterit. Habes iam integram horum curandorum rationem: cum ijs quæ Hippocrates dixit, calefacientium medicamentorum quoque usus à me adiectus fuerit. quo in genere etiam picatio est. Hippocrates nāque hoc in libro licet nonnullas affectiones cōmemorarit, quę curationem ex medicamētis requirunt, nullam tamē omnino medicamēti fecit mētionem: propterea quòd hic

A auxilia tantummodo tradere proposuit, quæ manuum opera exhibentur, atque illa non omnia, ut dixi, sed quæ discere artem incipientibus necessaria maxime, atque utilia sunt.

37 Fulcimenta autē & stabilimenta pectori, costis, capiti, & reliquis quæ huiusmodi sunt, partim pulsuum causa ne incutiantur, partim ut dissidentiæ cōpagum in ossibus capitis contineantur. atque hæc fulcimenti causa adhibentur. in tussibus autem, & sternutamentis, alijsque motionibus, qualia circa thoracem & caput, fiunt stabilimenta in his omnibus eædem sunt deligationis mo-B derationes. qua em̄ sunt noxæ, maxime cōprimendū est, subijciendaque est lana aliqua mollis affectæ parti accomodata. deligandum' que est non constringendo amplius, quàm ut pulsus non concutiant, quamque ut dissidentiæ compagum ad extremum mutuo se contingant, tussesque & sternutamēta prohibeantur. sitque stabilimentum, ut neque cogatur quidpiam, neque concutiatur.

Cum iubet neque affulciri, neque cōstringi deligationē fimbrijs, ijsque quæ extrinsecus circumijciuntur: idem dicere uidetur de deligatione ipsa quam linteis efficimus. notum est uerbi ἐρμάζειν, id est fulciendi significatū à fulciminibus sumptū quæ C ἔρματα appellant, ut Homerus etiā meminit, fulcimina, inquiens, nauibus abstrahunt. quasi nihil referat, an fulcimēta, an firmamēta, an stabilimenta dixerimus. uidetur enim sæpe fulciēdi uerbo & de fascijs, & de plagulis, & de fimbrijs uti: quippe quod firmare significet, ac stabilire. atque ubique interpretes uerbum hoc in eodem significato accepere, quo stabilire. nunc tamē cum duo hæc nomina hic fulcimēta uidelicet, & stabilimēta simul posuerit, diuersam quandam eorum significationem intelligere uidetur. nunquid igitur fulcimenta appellat deligationē totam, quæ uidelicet, ut affecta pars immota seruetur, tam subijci, quàm circūdari cōsueuerunt. cuiusmodi sunt primū subligami-D na quæ licet alios quoque usus exhibeant, fulcimenti quoque uicē explent: deinde plagulæ, quæ etiā ipse nō solum fracturæ, uerumetiā fasciarū firmamenta sunt: tū fasciæ quæ extrinsecus circūdantur: postremo ferulæ & fimbriæ. omnia siquidem hæc cū cōtinendorū subiectorū causa superijciantur, fulcimentorum non tam subiectis, quàm fracturis usum præbent. stabilimēta autem ea mihi uidetur uocare, quę sine deligatione à dextris uel sinistris, supra uel infra toti affectæ parti apponi consueuerunt, supra & infra uoco quantum ad crassitudinē totius corporis attinet. in ea enim quæ substernuntur, infra: quæ superponuntur, supra sunt, qualiacunque ea fuerint. stabilitur autem membrum cum prostratum est, infra: cum est erectum, supra. caput sanè puluinis, & ceruicalibus, lanisque etiam

& pan

& pānis mollibus. canales quoq; & ea quæ fractis cruribus utrinq; apponunt̃, stabilimēta dici possunt. lana uero quæ rotūda forma in alam conijcitur, quando luxatū humeri articulū repositū deligamus, potest tā fulcimētum q̃ stabilimentū nuncupari. cum eñ deligetur, pars etiā ipsa totius deligationis efficit̃. nam quæ thoraci & capiti extrinsecus imponunt̃, aut apponunt̃, stabilimenta potius, q̃ fulcimēta dici debent. atq; hæc sanè omnia ob necessarias membrorū motiōes à medicis fuerunt excogitata. quarū quidem motionū aliæ naturales sunt, ut respiratio in thoracis pulsibus & mēbranis cerebri: aliæ præter naturā, cuiusmodi est tussis, sternutamentū, & singultus. pulsus item in inflāmatis mēbris, & in temporū arterijs cū dolore uehemēti caput infestatur, existunt, necnō & B palpitationes quæ sæpe in præcordijs, quæ ὑποχόνδρια, id est subcartilagia appellant, aliquando in alijs etiā partibus eueniūt: indigent stabilimentis. stabilimenta uero hæc quandoq; sola facienda sunt, ut in temporū arterijs in doloribus capitis uehementibus, aut in præcordiorū palpitationibus, aut in uulneribus etiā quę sanguinis eruptionē minantur. quādoq; lanæ fascia circumuoluenda est. quin etiā sine fascia interdū lana stabilimus. circa thoracē & ceruicē lana stabilimus. caput item ceruicalibus mollibus, & sacculis milio calido oppletis, quando simul & foueri, & stabiliri opus est. interdū uero extrinsecus mollibus stabilimētis utimur ex ijs quę superimponunt̃. cum igit̃ cōmunis scopus sit ijs quę propriè fulcimēta & stabilimēta C appellant̃, meritò qui librū hūc interpretati sunt, unū & idem utrisq; his nominibus significari existimarūt. & nos quoq; ipsi sæpe absq; ulla differentia utrisq; his pro eodem utimur. cōmunis aūt scopus est, quē paulo ante dixi, ut in motionibus partes nō concutiant̃. Sed quia tamē peculiaris quædam differētia inter hæc est quā modo explicauimus, cum exquisite rem prosequi uolumus, stabilimēta ea uocabimus quæ extra dignotionē sunt: fulcimēta quæ in ipsa deligatione cōtinentur. atq; ita definiemus, ut quæ mēbris adhibentur necessario motu præditis, quē cohibere & sedare in nobis nō est, stabilimenta: quæ in immobilibus utimur, fulcimēta appellētur. crus eñ & brachiū mouere in nostra sitū potestate est: thoracē & mēbra D nas cerebri nō est. palpitatio etiā in aliquo mēbro existēs, sicut neq; tussis, neq; sternutamentū, neq; singultus, in nobis nō est. nam licet resistere his aliquandiu ualeamus, uim inferūt tamen postea: atq; excutiūtur, cum ualidas habent causas, unde existunt. nā ita his resistere, ut ortus ipsorū prohibeatur, soli robustissimi uiri posse uident̃. Et ipse quoque Hippocrates separatim in hac oratiōe hæc uidetur scripsisse. cū De pulsibus dixerit, ut ne incutiantur. de dissidētia uero cōpagum capitis, fulcimentorū: de tussibus & sternutamentis, ac deniq; de motionibus circa caput, & thoracem stabilimentorum nomine usus sit. dissidentia uero cōpagum capitis in ijs, quæ uocantur suturæ, cōtingit.

quæ propriè quidem cōpages appellant̃, qua parte ossa capitis inter se mutuo cōpacta coaptantur, suturæ uero ex translatione dici cōsueuerunt. caluariæ enim ossa adeo exquisite inter se coniūguntur, ac coaptantur, ut propterea ipsorum coniunctio καθ' ἁρμονίαν, id est ex cōpage & coaptatione facta, merito sutura, ex pannorū qui consuuntur, similitudine dicatur. hæ igitur suturæ aliquando dissident, ac distant: doloreq; afferunt: quando copulæ quæ exteriorē caluariæ mēbranam, interiori quæ dura dicitur, annectunt inflammatione aliqua correptæ fuerint. uenulæ item paruæ per suturas exeuntes sæpe inflammātur: atq; inde fit, ut duræ mēbranæ motio quæ simul cum inflammatis uenulis attollit̃, dolorē efficiat. dolor simili modo ex inflammationibus quibusdā, aut motionib. arteriarū excitari cōsueuit. atq; hæ affectiones moderationē exquisitā stabilimentorū requirunt, ut neq; si nimis laxa affecto loco admota sint, facile concutiantur, atq; ita molestiā afferant: neq; si cōtrà amplius iusto, astricta fuerint, collisione facta dolores uehementiores intent. hæc autē moderatio fasciarū circumiectionis superius etiā dicta ab ipso fuit alijs quibusdā in morbis, qui fracturis cōuenientē curationē & deligationē desiderabant. ac propterea nunc dixit-in his omibus eædem deligationis moderationes-in his omibus, inquiēs, quæ modo dicta sunt, eædem deligationis moderationes, quæ superius fuerunt commemoratæ. ac postea quænam sint hæ moderationes subiungit, cum ait-qua enim sunt noxæ, maxime cōprimendum-est. qua, id est qua parte pro aduerbio loci positum est. ᾗ Græce cum circumflexo accētu, & aspiratiōe. hoc autē quod fulciat uel stabiliat, accommodatū affectui imponendū esse inquit. deligandumq; non astringendo amplius, q̃ ut pulsus non cōcutiāt, id est q̃ ut pulsus præ angustia à motu suo prohibeantur: id quod dolorē efficere consueuit. alterum insuper terminū constrictiones in suturarū dissidentia statuit, cum inquit-q̃ ut dissidentiæ cōpagū ad extremū mutuo se contingant-ad extremū uocans ultimam eam constrictionem qua se mutuo cōtingere magis suturę nō possunt, quo uehemēs atq; immoderata collisio declarat̃. sicut enim neq; laxari, ita neq; ad summum constringi cōpago ossium debet. quippe cum etiam id præter naturam sit. atq; hi ualidæ compressionis termini sunt. in sternutamentis item & tussibus, ut affecta membra non agitentur, & concutiantur, si nihil ea contineat. uehemētes enim motiones quæ laxa & instabilita sunt, uiolētius quàm membris affectis conueniat, cōcutientes, dolores irritant. moderatio igitur stabilimentorum ea est, quam in fine huius orationis scribit, cum inquit-ut neq; cogatur quidpiam, neq; concutiatur-hoc est, ut neq; uiolenter affectæ partes comprimantur, neque in motionibus concutiantur, id est ut neq; uiolentius, neq; laxius quàm deceat, deligatæ sint.

PRAECIPVA CAPITA COMMENTARIORVM IN LIB. DE FRACTVRIS.

De cubito, textu 18. lib. 1. De pede & manu, lib. 2. textu 8. De calce, textu 16. De tibia, textu 34. De femore, textu 67. Commentariorum Galeni in Hippocratem. lib. 1. textu 63. De iugulo. lib. 2. textu. 1. De gibbo cubiti. Textu 2. De manu. 3. De digitis. 4. De mala. 38. De naribus. 48. De aure.

A Lib. 3. tex. 54. De costarum fractione. 68. De femoris luxatione. Lib. 4. tex. 16. De denudatis ossibus cũ luxatione. 34. De ossibus excidendis. 42. Femoris ad coxam repositio. 65. De digitorum luxatione. 66. De genu luxatione. 67. De malleolo. 68. De pede.

CL. GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE FRACTVRIS COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

PROLOGVS.



NTE quàm ad particulariũ explanationẽ ueniamus, melius est, ut in uniuersum de tota explanandi ratione quippiam dicamus. uis enim eius ea est, ut quæ in operibus auctorũ obscura sunt, dilucida ac clara efficiat. aliquid aũt eorũ quæ scripta sunt, aut uerũ esse demõstrare, aut falsum conuincere, aut si captiose quispiam accusarit, defendere, licet separatũ quid ab explanatione esse uideatur: fieri tamen ab omnibus ferè consueuit, qui cõmentaria cõscribunt. & nihil uetat, quo minus explanator etiã hoc quoq; exequi mediocriter posit. at de auctoris decretis prorsus cõtendere, illud uero explanationis terminos excedit. Quocirca ego non ad hunc scopum sed ad antedictum spectans, pauca quædam confirmandorum eorum quæ dicũtur, causa ueris ac proprijs explanationibus subinde adiungam. Cæterum cum duplex etiã in hoc explanationis genere sit differentia, propterea quod duplex quoq; illud est quod obscuritatẽ in se habet: rectius esse mihi uidetur, ut de hoc nonnulla etiam in medium afferam. breuis autem de his quoq; erit oratio, quasi compendium quoddam eorum, quæ priuatim latius in cõmentarijs De explanatione dicta sunt. demonstratum siquidem ibi est, quod obscurum reuera est, id per se esse eiusmodi. aliorum uero ortum obscuritatis in nobis esse, propterea quòd audientium differentiæ quãplurimæ existunt, ex eo quòd aut prius eruditus quispiam fuerit, & exercitatus, aut sit prorsus rudis & inexercitatus: aut ingenio sit acutus & perspicax, aut hebes & tardus. Age eñi in hoc ipso lib. De fracturis, ubi inquit Hippocrates, dicendum igiť est quos nam errores medicorum uelim tũ docere tũ dedocere. hæc sanè per se obscuritatẽ habet oratio, cũ nos nullos errores esse intelligamus, quos docere oporteat. Simile quoque illud est. & retortio articuli retorta est in hac figuratione. figurationẽ enim extenti brachij retortũ habere articulum inquit, qui in cubiti gibbo existit. dicere autem inflexum ac retortum esse, quod rectum est, absurdũ uidetur. at illud quod

B subiungit, cum inquit. brachij enim cardinamentum in cubiti sede in tali figuratione innixum ossibus cubiti & brachij directionem facit, perinde ac si unum totum sit. si quale utrũq; os sit nouerit quispiã, nullam obscuritatẽ præ se fert. si uero cubiti & brachij articulationis naturam ignores, merito tibi obscura oratio euadet. ac mihi quidẽ melius uidetur, ut quia pleriq; ex ijs qui librum hunc legunt dissectionis sunt imperiti, huiusmodi omnia explicemus. nam quæ tale quidpiam non habuerint, prætereunda nobis esse existimarim, hac tantum præmonitiõe usis ad eos qui lecturi sunt. Si quid ex ijs quæ exposuimus, obscurum esse putas, inspice primum diligenter an erroneum librũ habeas, eumq; accurate perpẽde, cumq; exempla

C ribus auctoritatis alicuius cõfer: deinde si rectè is se habere uideatur, eundem locum adhibito studio iterum atq; iterũ perlege. Ego enim cum præsenti alicui corãm librum aliquem lego, ad discentis habitum respiciens conijcere quo explanationis modo utendũ mihi sit, satis possum. cum uero omnibus scribo, neq; ad eum qui optime, neq; ad eum qui pessime instructus fuerit, specto. quippe cum illud obscurũ, hoc molestũ plerisq;, si in apertis diutius immoremur futurũ sit: sed eorũ rationẽ habeo, qui medio habitu præditi sunt. quòd si his aliquando frustrari contingat, ad eos declinandũ magis censeo, qui præstantiores sunt. nam qui medio habitu sunt inferiores, indignos iudico qui ad cõmentaria hæc accedant. satis eñi ipsis est, si ubi

D sæpe eadẽ à magistris alio atq; alio uerbo explicata audiuerint, intelligere ea quæ dicunť possint.

1 Medicũ oportet luxationũ, ac fracturarum quàm directissimas extensiones efficere.

Nonnullæ orationes licet nihil quod magnifaciendum sit, edoceant, partes tamẽ explanationis esse existimãtur. cuiusmodi sunt etiam quæ diuersas lectiones præmonstrant: id quod in propositis his Hippocratis uerbis existit. cum nonnulli scribant in principio. medicum oportet. alij absq; his duobus uerbis scribẽdum per defectum cẽseant, eò quòd Atticorum is mos sit, quorũ lingua quadam ex parte Hippocrates etiam utatur: adeo ut quidam priscam hanc esse Atticam linguam asserere non uereantur. sed quid ego de Hippocratis lingua

lingua sentiam alio breui libello separatim declaratum à me fuit. & nunc in exordio huius nostræ explanationis satis erit, si præmonuero, me huiusmodi omnia esse prætermissurũ: quæ sicut partes propositi negocij mimime sunt, ita sunt effectura, ut cõmentaria hæc nostra in immoderatam longitudinẽ abeãt. Luxationum & fracturarum quàm directissimas extensiones efficere: nõ luxationes & excidentias tantummodo uocat ossium excessus è propria sede, quę sine fractione fiunt, uerum etiam exarticulationes & exarticulata interdum appellat. De fracturarum uero nomine illud animaduersione dignum uidetur: quòd cum sæpe κατάγματα eas appellet, raro admodum ἀγμὸς, inscriptionẽ eo nomine fecerit, quo rarissime uti cõsueuit, περὶ ἀγμῶν librum hunc inscribens. unde nonnulli sunt, qui neq; ab Hippocrate opera hæc diuisa fuisse affirmẽt: sed huic adiunctum fuisse librum qui sequitur, De articulis, unumq; utrosque fuisse, qui postea in duos ab aliquo ob longitudinem fuerit distinctus: quãdo uero in unum utriq; erant coniuncti, cõmunem inscriptionẽ quoq; habuisse, quę erat, Quæ in medicatrina fiunt, atq; huiusce rei testimonium conantur afferre, non male illi quidem. utpote cum ueterem hominem adducant dicantq; unum opus Hippocratis Gnosidici filij librũ esse De ijs quæ in medicatrina fiunt. non enim debere nos existimare breuem illũ libellum qui nunc ita inscribit̃, esse eum qui à magno Hippocrate fuerit conscriptus: qui inter Græcos optimus & medicus & scriptor habitus fuit. quoniam igit̃ in his duobus libris De ijs quæ in medicatrina fiunt, agitur, iccirco utrosq; eodem titulo fuisse insignitos: ac propterea neq; doctrinæ ordinẽ certum in alterutro seruari. quippe cum & in hoc De fracturis, luxationũ quarundã faciat mentionem, & in eo qui sequitur De articulis, nõnulla De fracturis nõ pauca cõmisceat. alij uero sunt qui non distinctos fuisse in duos libros hos ab aliquo, sed à principio ita fuisse scriptos opinantur: putantq; ex eo inscriptionem utrisque inditam, quòd in uno quoq; plurimam uim habebat. atq; hinc exorsi longam protrahunt orationem, dum demonstrare plerosq; Hippocratis libros hoc modo fuisse inscriptos uolũt. ego uero sicut sub unáne inscriptione, an sub duabus utrosq; hos libros scripserit Hippocrates, asserere nequeo: ita illud habeo polliceri, me procedente oratione esse demõstraturũ, & cum de luxationibus hoc in libro mentionẽ facit, & cum de fracturis in libro De articulis nonnulla dicit Hippocrates, accommodatissimo doctrinæ modo usum fuisse. cur aũt hic luxationũ & fracturarũ immutato ordine dixerit, cũ deberet fracturas luxatiõib. anteponere, quippe cũ de eis prius docturus sit, unam rationẽ afferre possum: quòd uidelicet sæpe & apud Hippocratem, & apud alios ueteres idoneos scriptores huiusmodi locutionis genus reperitur, dum non ordinem eorum quæ tradunt̃ magis, q̃ ordinis cõgruentiã sequuntur. imò fortasse ne ullam quidẽ in huiusmodi rebus exquisiti ordinis curã habent. quãdirectissimas extẽsiones efficere. in quibus membris luxationes aut fracturæ cõtigerũt, ijs in mẽbris quãdi rectissimis figurationibus extensiones faciendas censet. cur autem extendi debeant nulla hic causa allata, figurã qua id faciendum est, longa oratione prosequitur. cum tamẽ ei liceret quæ nam in re ueritas sit edocenti, tacere de ijs qui aliter opinãtur. sed enim nõ de hac tantum tractatione, uerum de alijs quoq; omnibus scire illud operęprecium est: nonnulla summatim per capita tantummodo tractari, quæ breuissima omnium sunt: alia ecõtrario fuse per excursum explicari, ita ut nulla omnino res quę utiliter dici potest, pręternittatur. reliqua uero omnia inter hæc esse constituta. atq; alia ad breuissima, alia ad longissima accedere, alia à medio paululum abeuntia. utraq; autem hæc ita legere unusquisq; debet, sicut ei uel ocium suppetit, uel uoluntas. neq; eos debet reprehẽdere qui uel ob breuitatem obscurius scripsere, uel dilucidi tatis causa lõgius produxere orationem. neq; enim præscribere legem his opus est, præsertim cum nihil profecturus sis: sed quod ipsi quisque utile esse uidet, id sumat: ac non idem omnibus in libris docendi propositum esse cognoscat. ut exempli causa, libri hi duo, De fracturis alter, alter De luxationibus, fuse & late tractantur. uectiarius, seu de moliendi ratione quem μοχλικὸν inscribit, cum eandem doctrinam quantum ad rem attinet, polliceatur, summatim per capita absoluitur. estq; ea quæ fuse fit, rei explicatio ad dilucidi tatem: quæ summatim colligitur, ad memoriam perq; accommodata. atq; hoc semel à me dictũ memoria semper teneatur. Iam uero ad eas res de quibus hic docet, disserendas descendamus. animum tu diligenter aduerte. licet enim ipse postea cur extensio facienda sit explicaturus sit, siue conformare quod fractum est, siue quod est luxatum, reponere uolueris: mihi tamen nunc, quippe cui dilucidi tas in explanando proposita est, ad quam orationis ordo ex consensu omnium quamplurimũ confert, nihil prius quàm hoc demonstrandum nunc uidetur: quippe cum ijs qui explanant aliquid, non ordinis tantũmodo, sed mediocritatis omnium quæ singulatim dicunt̃, dilucidi tas esse scopus debeat. neq; enim ob aliud quippiam explanationem scribimus. In libris igitur De musculorum motione iam docuimus maxime peculiare quantum ad alia corporis membra, inter se uero maxime cõmune ipsis illud esse, ut in seipsos cõtrahantur ac considant, non secus ac catenæ & chordæ & funes. sicut enim cum horum capita apprehensa in cõtrarium distrahimus, distendi: cum relinquimus, contrahi hæc in se consueuerunt: sic musculi cum ossi utrisq; extremis innectũtur, similes apprehensionibus manuum innexiones eas habent, à quibus in contrarias partes distracti totũ suum corpus distentũ seruant. ac propterea cum totas fibras ipsorum per transuersum absciderit quispiã, fit ut duæ ipsorũ partes à se mutuo plurimum retractæ, sursum altera ad musculi caput, altera deorsum feratur ad finem suum, qua secundo membri ossi post

articulum innectitur. cum uero absq; musculi præcisione os articuli è propria sede exciderit in eam partem ubi finis musculi inuenitur, quia totus in seipsum cõtrahitur, & ad propriũ caput recurrit, simul annexa ei membri pars, quæ est ossis caput in dearticulatione retrahitur: qua retracta totum quoq; os retrahi necesse est. in hac igit̃ affectione euenit, ut caput ossis quod in dearticulatione depressius erat, altius pristino situ euadat: ut in propriã sedem reponi prius omnino nequeat, ꝙ totũ os extendendo tanto inferius cõstituatur, quanto altius præter naturam fuerat prolapsum. atq; hæc causa est cur ossa quæ luxata sunt, prius extendere debeamus. cõfracta uero extẽsione quoq; indigere inde cognoscere præcipue posses: ꝙ sicut luxatum extẽdere opus est, ut reponamus, ita in fractis explicare sic affectam partẽ ac distrahere debemus, ut fracturę capita sese mutuo contingant. quippe cum fractura nihil aliud sit, ꝙ continuitatis in osse dissolutio, sicut in carne ulcus: finemq; utraq; sanationis consequantur, si in pristinã unionem fuerint restituta. in fracturis tamẽ cura ea habenda quoq; est, ut partes in directum statuantur, quæ cõfirmatio appellari consueuit. nam si parua fractura contigerit, utraq; fracti ossis pars situm suum seruat. sin magna adeo, ut totũ os fuerit confractum, in ea alterent partes, necesse est, altera in anteriorẽ, si ita inciderit, partem, altera in posteriorem, hæc in dextram, illa in sinistram, prolapsæ, ac permutatæ. quocirca manibus ambabus utrinq; comprehendendum membrum est: osq; quod in anteriorem partem recessit, in posteriorem: quod in posteriorẽ, in anteriorem propellendũ: quodq; in sinistram abijt, in dextrã: quod in dextram, in sinistram traducendũ, ita ut omnes fracti ossis partes manibus fingentis ac conformantis in contrarium compellantur. quod cum fit, periculum est, ne fracti ossis eminentiæ aliquę refringantur. neq; enim ita penitus lęuia capita fracturarũ sunt, sicut quæ à serris cultrarijs secari cõsueuerũt. nam quæ dentatę sunt serræ asperitates etiam ipsę quasdam relinquunt. quapropter quia timemus ne admouendo partes quæ alternatę sunt, eminẽtias ipsarũ aliquas defringamus, id quod proculdubio fieret, si inter se oppacta essent: propterea eas abducẽtes à se mutuo alias sursum, alias deorsum ad conformationem deuenimus. Oppangere enim, id est ἐγχίμπτειν nominat Hippocrates cũ partes ossium quæ conformantur, ad propriam sedem aguntur, & se mutuo allidunt. ut igitur distantia inter se ad moueantur, alteram partem sursum, alteram deorsum trahere oportet. id quod om̃es medici faciũt, interdum solis ministrorũ manibus, interdum laqueis, si res uehementiorem extensionẽ postulare uideatur. Incipiendam igitur esse et luxatorum & fractorum curationem ab extensione demonstratum est. nunc eam in qualibet figuratione non esse faciendam declarabimus. primũq; illud aduertendum est, cum quatuor sint operationes quæ in fracturarũ curatione exerceãtur, extensio, conformatio, deligatio, & depositio: unam cõmunem in

A omibus esse oportere figurationẽ. dum enim extenditur mẽbrum, cõformatur. ubi uero cõformatum est, statim seruata eadẽ figuratione deligatur. quam rursus in depositiõe seruari necesse est. alioqui efficeretur, ut aliæ deligatiõis partes laxiores linteorum conuolutiones, aliæ cõpressiores haberent. atq; ita quæ laxiores essent, cum moueri ossa permitterẽt, conformationẽ corrumperent: compressiores, dolorem afferentes inducerent inflammationem, ut hinc unam esse cõmunem quatuor antedictarum operationum figurationem pateat. Hinc uero iam considerandum est, quid spectando eam inuenire ualeamus. optima sanè in extensione figura ea est, qua fit, ut sine magna intẽtione separata ossa in conformationẽ deducãtur: in depositione uero ea, qua dolore membrum maxime

B careat, quæ utraq; ex ea figura eueniet, quæ in rectum fibras musculorum intenderit. in rectum autem ea intẽdit, quæ in una membri parte totũ musculum seruat. nam si ab interiori parte exortũ habeat musculus, atque ita ipsum figures, ut media eius pars in inferiore membri parte, finis eius extrinsecus sit: uel media pars in superiore parte mẽbri, finis extrinsecus reducatur: fiet, ut hoc modo circa membrũ cõuolutus amplius distendatur. unde si hac figura ipsum adeo extẽdas, ut partes fracti ossis multũ à se mutuo distent, sicut uehemente dolore corripietur, ita in discrimẽ ueniet, ne diuellatur. ex nimia siquidem intentione factum aliquando est, ut diuulsi musculi fuerint. quare pla-

C num fit, unã & eandem figurationẽ simul & dolorem ꝙ minimũ creare; & conseruare musculos ne distorqueant̃. id quod Hippocrates aperte declarauit, cum firmandũ in cubito totũ brachium doceat, neq; penitus extentũ, neq; inflexũ, sed in medio quodam habitu constitutum. optimam item esse figurationem hanc ipse ostendit. primum enim quoniam cubiti os longius quàm os radij est, sedes ac firmamentum stabile ipsis efficitur. deinde musculi qui ex interiore brachij tuberculo exortum habẽt, fines in interiore quoq; parte totius brachij mittunt. qui contra ex exteriore exoriuntur, exteriore in parte fines habent. cuiuscunq; uero musculi initium & finis in interioribus totius brachij partibus est: eius & reliquæ etiam omnes

D partes ibidẽ reperiũtur: & propterea totus quoq; ipse musculus esse ibidẽ censendus est. cuius item initium & finis est extrinsecus, simili modo in exteriore quoq; membri parte totum eundem esse constat. quin etiam dolorem quàm minimum afferre hanc figurationẽ experientia quoq; ipsa manifestat. ex duabus uero reliquis quæ in utranque partem ab hac diuersæ efficiuntur, altera quæ supina est, & plurimum musculos distorquet, & dolorem maximum uidetur creare: altera, id est prona minorem distortionẽ, & minorem dolorem facit. omnia ferè summatim dicta à me hic tibi sunt, quæ de figura totius manus deinceps Hippocrates docebit, diffusa adeo ac clara oratione usus, ut pauca admodum sint, quæ explanationem desiderent: præcipue apud eos qui puerilibus disciplinis in-

nis instructi sunt: aut certe librum hunc apud magistros legerunt, quibus uidelicet commentaria hæc nostra conscribuntur.

2 Ipsa enim iustissima natura est.

Perinde ac si accõmodatissima dixisset. quãdo enim quod unicuiq; rei accõmodatum est, seruatur, iuste quodlibet sese habet, ac disponitur. aliud uero quod accõmodatum in corpore sit, quàm id quod naturaliter sese habet, ne excogitare quidem facile possumus. cum igitur unicuiq; membro, & figuræ, & colori, & magnitudini accõmodatum aliquid est, id optime se habet.

3 Quòd si quicq; aut hac aut illac declinarit, in pronã partem uergere debet. minor enim est error, q̃ si in supinum tendat.

Duarũ hic figurarũ supinæ & pronæ mentionẽ fecit: quæ cum de toto corpore dicuntur, de uno etiã eius mẽbro, quod est totũ brachiũ, dicitur. ac totũ quidem corpus pronũ esse dicimus, cum in situ inferiorẽ partem uenter, superiorẽ dorsum obtinet: supinum cõtrà, cum sursum uenter spectat, deorsum uero dorsum ipsum sternitur. de quibus utrisq; figuris hic cum meminerit, de manu, & brachio futurũ sibi sermonẽ ostendit. quippe cum ut totum corpus alicuius aut frangatur, aut luxetur, fieri nullo modo queat. cur autẽ cum peccans aliquis à recto aberrauerit, melius sit, ut in pronũ declinet manus, ipse in sequentibus docuit.

4 Qui igitur nihil præcogitarũt, nihil ut plurimum errant. quippe cum ipse ille qui deligandus est, ita à iusta natura coactus manum deporrigat.

Medici, inquit, qui nihil præmeditati sunt de naturali manus & brachij figuratione, plerũq; melius curant, quàm qui prauis rationibus utuntur. ipse enim ille è uulgo homo qui deligãdus est manum medico ea figura exhibet, quæ minimo dolore infestat, à natura ipsa edoctus. quam nũc quoq; iustam nominauit: utpote quę quod unicuiq; mẽbro conuenit, accõmodatumq; est, & in prima generatione, & in sequenti totius uitæ traductione inuenerit. ipse enim qui deligandus est, manũ deporrigit. Deporrigere, quod græce ἀπορέγει inquit, nõnulli in eodem significato accipiunt, quo porrigere: exponũtq;, deporrigit pro præbet, atq; exhibet medico. alij deporrigere pro auertere intelligunt, ac prohibendo imperitiorem medicum in contrarium abducere: quippe cum omnes homines habitũ eum in unoquoq; membro eligere consueuerint, qui minimo dolore afficiat, quẽ rectissimum esse Hippocrates ostendit, exhibẽt igitur seipsos medicis ægrotantes hac figura. & si medici in alteram eos transforment, ægre ferunt, ac renituntur: neq; ob dolorem obsequi uolunt. atq; hoc inquiunt hi ab Hippocrate eo uerbo deporrigere significari. quod utrolibet modo accipiatur, res eadem intelligitur. nam medicis qui praue sapientiam uenditantes male manũ & brachiũ figurant, imperiti è uulgo sapientiores reperiunt, dum

A dolore uacantẽ figuram eligunt. alij uero sunt qui uerbum-deporrigit-commune esse utrisq; existimant. sed cum res eadem quocunq; modo quispiã intelligat, seruetur, superuacaneũ est de huiusmodi ambiguis uerbis diutius cõsiderare: quippe cũ quæ ita ambigue dicuntur, & inutilia sint, & eiusmodi, ut inueniri prorsus nequeant. quocirca prætereunda ab eo sunt, qui temporis rationẽ habet, quo ad utiliora id impendere ualeat.

5 Medici uero sapienter scilicet cõminiscentes sunt qui errant. studij igitur nõ multi est manum fractam tractare, imò cuiuslibet, ut ita dicam medici est.

Sapienter cõminiscentes, id est σοφιζομένους eos
B dixit, qui sapiẽter aliquid sibi uidenť inuenisse, & tamẽ errant. ac propterea neq; ea obseruant, quæ ab imperitis quibuslibet recte cognoscuntur.

6 Cogor autẽ plura de hoc scribere, propterea q; medicos noui, qui esse ex figurationibus manus in deligatione sapientes uidẽtur, ex quibus imperiti uideri potius debebãt. at eñ multa hoc modo in hac arte solent indicari. quod enim peregrinũ est, q̃d an bonũ sit, nondũ intelligũt, magis approbant, q̃ consuetum, quod bonũ esse iam cognouerunt. alienum item atq; absurdũ potius admittunt, quàm quod dubio caret.

C Ipse ex sequentibus quæ aperta sunt, & clara, tibi planum facit, cur longius de figuratione manus & brachij orationem protraxerit. cum tamen res ipsa neq; difficilis, neq; longa ex natura sua esset. ex hoc item causam statim reperies, cur nõ exquisitum prorsus doctrinæ ordinem sequutus sit. unusquisq; enim nostrum de re quæ magis urget, primũ omniũ disserit: quia igitur medici eius tempestatis uniuersam luxatorum & fractorum curationem ab extensione auspicandã esse probe sciebant, naturalem tamen membri figurationẽ ignorabant, propterea de hac primum sermonem instituit. atq; ob id etiam magis, quia nonnulli medici cum pessimas figuras optimis anteponerent, prauis rationibus & sibi & alijs rem ita se habere per-
D suadebant. nam si absolute tantũ ignorassent, uera duntaxat disciplina ipsis opus fuisset, sed quia non solum ignorabant, uerum etiam opinionem cognitionis cõceperant, necesse Hippocrati fuit, ut prius eam euelleret, deinde in expurgatum ita animum ueram scientiam induceret.

7 Dicendum igitur est, quosnam errores medicorũ de natura manus uelim tum docere tum dedocere.

Dedocere eos errores uult, qui cum à medicis esse errores non existimentur, reuera tamen sunt: docere autem eos, qui putantur esse, & non sunt.

8 Nam de alijs quoque ossibus corporis documentum affert hæc oratio.

Merito inquit communem ad sanationẽ mul-

torum quoque aliorum ossium hanc esse orationē. scopi enim ad quos spectantes naturalē uniuscuiusque membri situm & figurationem inuenimus, communes omnibus sunt, ut dictum antea à nobis est. qui cum duo sint, indolentiæ unus, alter rectitudinis: ille experientia, hic situ partium reperitur, quem in dissectionibus discimus.

9 Manum itaque, de quo sermo, cum pronam quidam deligandam dedisset, ipse coegit ita eam tenere ut sagittantes, cum humerum iniiciunt, atque ita deligauit, id ipsi esse naturale existimans. testimoniūque illud afferebat, quòd omīa quæ in cubito sunt ossa directionem inter sese habent, colorisque cōuenientia directionem illam eandē præ se fert: idque tam in exteriore parte quam in interiore ita esse: sic quoque et carnes et neruos natura se habere dicebat. sagittariāque artē in testimoniū adducebat. dicensque hæc & faciēs sapiens esse uidebatur: aliarūque artiū erat oblitus, & quæcunque uirib. & quæcūque artificijs efficiūtur. nō aduertens aliā in alio figurationē naturalem esse: quin in eodem quoque opere aliā naturalem dextræ manus figuram esse, aliā sinistræ, si ita incidat. alia quippe naturalis figuratio est in iaculatione, alia in fundibulatione, alia in lapidatione, in pugillatu alia, alia in quiescendo. at quot artes inuenire quispiam posset, in quibus non eadem manuū figuratio naturalis est? quin in unaquaque etiā arte & ad instrumentū quod habet quisque & ad opus quod perficere uult manus configurantur.

Talium opus est semel aliquando facere mentionem, ideo etiā à nobis idem efficietur. medicus quidam ex ijs qui sapientes esse sibi uidentur, corrigens præsentem hanc orationem quasi esset deprauata, ita scribebat. manum itaque de qua sermo est: eruditionē suam uidelicet nobis ostentās, qua apud grammaticos, & rhetoras fuerat instructus: ita ut usitatissimū loquendi modum apud omnes ueteres ignorare uideretur, per defectum uidelicet fientem. integrumque erit si subintelligamus in hunc modum-manum itaque, de quo tractatu sermo erat, cum pronā quidam deligādam dedisset. plerunque enim imperiti homines idonea figuratione exhibere manum & brachium medicis solent. aliquando uero nonnulli ex curiositate, naturali scopo præterito, qui indolentiæ est, melius esse existimant, ut prona exhibeatur. supinam tamē eam qui medicis præbeat, est nemo. quippe cum ea figura longe admodū ab indolentia recedat. at medici quidam ob imperitiam simul & sapientiæ persuasionem eo modo admittere nolunt: sed ita figurandum eorum brachium censent, ut sagittātes fa-

A ciunt: alij prorsus supinum, alij ferè supinum, non in hoc tantummodo errantes, uerum etiam in eo quòd extentū id constituunt. quæ autem ipsorum ratio esset, Hippocrates subiūgit. quia uidelicet si quis totam manum sic ut sagittantes solent, figurauerit, ei ossa in directum statuunt, colorisque conuenientia partium totius brachij simili modo sese habet. at hæc probabilia sanè sunt, ex sese mutuo euenientia. quod aūt inquiūt carnes & neruos in hac figura nō secus atque ossa directionē omnibus suis partibus seruare, illud uero falsum est. nam si uerum esset, non solum probabile, uerumetiam certissimum indicium figurationis huiusmodi haberetur, quòd secundum naturā esset. sed hæc quidem tolerabilia fortasse sunt, sagittariā autē artem

B in testimonium afferri stolidū summopere est: meliusque erat si cōmemoratum penitus ab Hippocrate non fuisset, quam si hoc studio fuisset conuictū. quę enim prorsus sunt absurda ac stolida, contēni potius quam conuinci scriptis præsertim debent. nam in uita in actionibus ipsis reprehensionē fieri, neque ipse prohibuerim, maxime si is qui huiusmodi nugas iactat, sibi cōmitti ægrotantis curationem suaserit. incidit tamen interdum, ut etiā scriptis stultis his opinionibus contradicendum nobis sit: cum multos ipsis quasi ueræ fuerint, persuasos uiderimus. id quod nunc etiam Hippocrates fecit, nihil cōmune esse deligationi cum sagittaria arte ostendens. quæ uero de ossium, & neruorum, & carniū rectitudine dicuntur etiam si nullus fuisset cōuin-

C cendus, per se ac prima ratione erāt necessaria ad optimam figurationem inueniēdam, cuius caput ab experiētia quidem est indolentia. quippe cum imperitis quoque id perspicuum sit. ex ratiocinatione uero & ex ipsa rei natura partiū rectitudo: quæ non imperitis, sed solis ijs qui dissectionē callent, manifesta est. quę uero deinceps dicit, aperta sunt, neque ullam quæstionem habent: atque idcirco à me prætereunda sunt. qui tamen legunt, nō cito trāsgredi hæc, sed immorari aliquantulum in ipsis debent. Ipse coegit ita eam tenere, ut sagittātes cum humerum iniiciūt. obscurum est & incertū, quod hic dicit. unde nonnulli ita dixisse eum existimarunt, propterea quòd cum manus & brachiū in totum extenditur, caput brachij in cauitatem ceruicis scapulæ iniicitur, atque ingreditur: in quā quan-

D do remissum erat brachium, non ingrediebatur. adiacet enim ei tantūmodo antea, eamque attingit. id quod illis uerbis Hippocrates ostendit cum inquit-conuersatur autem brachium cum cauo scapulæ in latus, cum ad costas porrigit. alij sunt qui ex translatione ita dictum fuisse arbitrentur à nauium iniectione atque incussione, quam faciunt, cum in prælijs signo dato infestis proris irruentes aduersas deprimere ac demergere conantur. cum enim ita uehementi impetu in aduersas feruntur, ac præcipue à latere, ut totas eas impressione facta dissoluant, ac demergant: tunc præparatas esse ad iniectionem atque impactionem dicunt. ἐμβολὴν appellant. apud comicos item corporis partes protentæ quasi ad iniectionem & impressionem

nem paratæ dicuntur. Quemadmodum Aristophanes quoq; ostendit, cum inquit: Fertur quasi ipse ad imprimēdum cernuus. Cætera quę sequūtur, si quis animum aduertat, clara sunt ac patent, usq; ad id quod subiungit.

10 Ei enim qui sagittariam artem exercet hanc figuram alterius manus optimam esse consentaneum est. brachij enim cardinamētum in cubiti sede in tali figuratione innixum ossibus cubiti, & brachij directionē facit, perinde ac si unum totum sit.

Oratio ipsi est ad eos qui extentam ita totā manum deligant, ut à sagittantibus sinistra teneri cōsueuit. inquit ēm merito in ea operatiōe opus esse ut tota manus sinistra extendatur, dum retro à dextra neruus retrahitur, à sinistra uero totus arcus in eodē loco detineri ita firmiter debeat, ut in neutram partē quicq; declinet. nam si dum neruus à dextra uehementer retrahitur, retro quoq; totus arcus simul feretur: sagittæ impetus remittetur: quippe quam à durissimo ac maxime intento neruo emitti oporteat. quantū enim è summa intentione remittitur, tantū eiaculatiōis impetus ac uis imminuatur, necesse est. hoc prius ita cōcesso causam subiungit Hippocrates: brachij enim inquit, cardinamentū in cubiti sede tali figuratione innixum brachij os & cubiti in directum cōstituit, ac totū brachiū rectum firmiter seruat. cardinamentum autem inferiorē partem brachij appellat, qua cum cubito dearticulatur: propterea quòd cardines cōcauas partes quasdam, quasdam eminentes cum habeant: cauis prominentias eorū quæ inseruntur admittunt, eminētibus cauitates eorundē ineunt. sic & inferior brachij extremitas cū in curuam rotundationē desinat quæ utrinq; eminētias orbiculares habeat trochleis similis, ac trochleari rotundatione in similibus cubiti inserta firmatur. cum uero in finibus sedes cauas habeat, alterā ante, alteram retro, utrisq; his cubiti aduncos processus quos cornices uocant, excipit. cubitus enim supremū suum caput quo brachio innectitur, simile sigma literæ sic scriptæ, C. habet, eoq; totā fere brachij trochlearem rotundationem complectitur. cum igitur ea figura cōstituta est totius brachij, ut os brachij cum cubito rectum angulum efficiat: trochlearis hæc pars media inter cubiti processus collocatur. cum uero cubitus quiescente brachio circum trochlearem orbē fertur, in anteriorē quidem partē gibbum inflectens, in posteriorem extendens: in extrema inflectiōe anterior cubiti cornix in brachij sinum qui ea parte est ingreditur: in extensione contrà posterior qui maior est, in posteriorem etiam ipsam maiorē brachij cauitatem ineundo inseritur. ac propterea fit ut plurimum & extendere & inflectere totum brachiū possimus. quod nullo modo possemus, si nullam brachium cauitatē haberet. cum igitur tali natura articulus qui in gibbo brachij est, præditus sit, cum totum brachium angularem figuram obtinet: ita autem

A Hippocrates eam appellat, qua brachium rectum angulū cum cubito efficit: trochlearis rotunditas media in medio sinu cubiti Cίγμα literā imitante cōstituitur. in extensionibus autē totius brachij, cum retro feratur cubitus, cornix quę ea parte est, motionem regit: & tunc sistit ac cessat, ubi primū in imum brachij posteriorem sinum penetrauerit. quod cum fit, euenit, ut & articulus explicetur, & brachij cardinamentum in cubiti sede innitatur. ita enim uocat Hippocrates sedem & fundamentum, id est βαθμίδα, non solum hanc, uerum etiam reliquos omnes sinus, in quas processus aliqui ossium ingredientes insidunt.

11 Et retortio articuli retorta in hac figura
B tione est. consentaneū est igitur hoc modo rigidissimū ac contentissimū esse locū hūc, qui nō superetur, neq; cedat, dum à dextra manu neruus trahitur. atq; ita quāplurimū neruū trahet, emittet autē ex firmissimo, & repentissimo. ex huiusmodi enim sagittarū emissionibus celeres & uehementiæ & longinquitates efficiuntur. deligationi uero cum sagittaria arte cōmune nihil est.

Ex manus & brachij figurationibus ea quæ ex extensione eius existit, contraria est inflexæ figurationi. figura item supinæ, pronæ figuræ aduersatur. atq; hæ extremæ sunt, ac uelut excedentes figuræ quatuor. duæ autē aliæ mediæ existunt: una
C inter extremā extēsionem, & inflexionem, quam ut dixi, Hippocrates angularem uocat: altera inter supinam & pronam media est, in qua cubitum radio supponi inquit: quam iustam & rectam appellat nō secus atq; angularē in qua cubitus cum brachio rectum angulum efficit. si autē hæc recta est, consentaneum est, ut quæ extento brachio fit, non recta appelletur. quòd si nō recta est, reflexa proculdubio in externam partē erit. quemadmodum si os cubiti in posteriorem partem ita retorqueatur, ut angulum cū brachio efficiat: id quod in nonnullis fieri cōspectum est: quos necesse est posteriorem brachij cauitatē admodum profundam habere, in quā posterior cubiti processus infigatur. nam si profundissimus is sinus cūctis esset,
D omnes in posteriorem partem reflectere, ac retorquere brachium possemus. sicut econtrario non possemus id perfecte dirigere, si, ut in quibusdam euenit, sedes hæc posterior cauitatis naturalis modum non esset assequuta, sed deficeret.

12 Nam si ubi deligauit, manū ita tenere ꝑmittat, multos alios dolores uulnere ipso maiores adiunget. sin aūt cōflectere iubeat, neq; ossa neq; nerui, neq; carnes in eodem situ permanebūt: sed superata deligatiōe aliò trāsferētur. quā igitur utilitatē sagittaria afferet figuratio? quocirca qui sapientiā ita sibi uendicat, fortasse nō erraret, si uulneratum ipsum exhibere sibi manum sineret.

Qui manum & brachium extentum ac porrectum deligauit, siue id in eadem figura postea seruet, siue inflecti iubeat, utroq; modo ægrotum lædit. doloris quidem perpetuitate, si ita seruetur: si immutetur, eo quòd corrũpitur deligatio. cũ em̃ ob id fiat deligatio, ut cõformatio et coaptatio ossium circũiectis linteis leniter cõstricta cõseruet: mutata post deligationẽ figuratione, contrarium eueniret. ut uidelicet deligatio nõ amplius fracturam contineret: sed immutaretur, & trãsferretur, unà cum trãsmutatis neruis & musculis: quos carnes hic appellat, substantiam eorum nobis ostendens. carnes enim hæ sensu præditæ ex eo, quòd inter alias quæ absolute carnes dicuntur, præualeant, ita appellatæ, musculi sunt: qui ex neruis & copulis discissas fibras in se habent. quippe cum musculus prorsus à natura ex his fibris procreet, cum circum ipsas ea quæ absolute caro dicitur, concreta est ac compacta. hæc siquidem propria musculi substantia est. nam uenas & arterias ea causa in se admittit, sicut & cæteræ aliæ partes, ut alatur & uiuat. proprium uero eius corpus fibræ sunt, quæ circumcirca agnatam carnem habent. quæ quidem caro cum plurima in medijs musculorum partibus agnascatur, subinde decrescens, iuxta initia & fines paucissima est. ac propterea fit, ut his in partibus neruosiores, in medio carnosiores musculi reperiantur.

13 Alius uero quidam medicus supinam manũ accipiens ita extendere præcipiebat, atq; ita sese habentem deligabat: eam figuram naturalem esse existimans tum ex colore indicio sumpto, tum ex eo quòd ossa naturali in situ esse sic arbitrabatur: propterea ꝙ os quod prominet iuxta articulũ manus qua paruus digitus est, directum esse cũ osse eo uideatur, ex quo cubitũ homines metiuntur. atq; hæc quidem ille testimonia adducebat, quòd figuratio ea naturaliter sese haberet: ac recte dicere uidebatur. Sed si supina manus extendatur, uehemẽter laborabit. quantũ autẽ dolorem afferat figuratio hæc, unusquisq; cognoscet, si suã manũ ita extẽdat. nam & infirmior uir robustiorem ita manibus cõprehensum, quia articulus gibbi supinus reflectitur, quocunq; uellet, posset deducere. quippe cũ neq; si ea manu ensem quispiã habeat, sciat quomodo sibi eo utendũ sit. adeo uiolenta hæc figura est, tũ si ubi deligarit, in hac figura manũ relinquat, maiorem dolorem si deambulet, magnum nihilominus si iaceat, sentiet. sin autẽ inflectere manũ iubeat, contrahi musculos, & ossa aliã figurationẽ habere q̃ prius necesse est. adde ꝙ hæc quoque in hac figura præter aliud nocumẽtũ ignorauit: os quod iuxta articulũ manus extat, qua paruus digitus est, os cubiti esse: quod autem est in conflexione à quo cubitũ homines metiuntur, id brachij caput esse.

Si quis supinã manũ figuret, interius caput brachij, quod etiam condylũ uocant, ac tuberculũ, supremũ esse cubiti finem putabit. propterea quòd directum quodammodo ad infernum eius terminum uidetur, qui iuxta manus articulum qua paruus est digitus, prominet. nõ omnes tamen à condylo brachij cubitum metiuntur. sed sunt qui conuenienter à gibbo cubiti, qui ἀγκὼν & ὠλέκρανον etiam dicitur, cubiti mensuram incipiunt. Hippocrates aũt cum dicat, à quo homines cubitum metiuntur, significare uidetur uel om̃es, uel plerosq; hinc mẽsuræ illius initium sumere. at hoc quomodocunq; sit, inquirere superuacuũ est. illud dignũ commemoratione uidetur, inferiorem finem cubiti qui iuxta manus articulum est, recta dirigi ad superiorem finem si naturali habitu manum figurauerimus: ita uidelicet ut uolam eius in interiorẽ partem, conuexum in exteriorem uertamus. qua in figuratiõe etiã fit, ut paruus digitus infra subijciatur, pollex in superiore parte sit.

14 Hic autem idem esse os hoc atque illud opinabatur, ac multi quoque alij.

Non ita dicit idem esse os hoc atq; illud, sicut aliquem eundem sibi ipsi esse dicere consueuimus. ut Telamonium Aiacem eundem cum Aeacide. sed quia utrũq; eiusdem ossis terminum, id est cubiti esse existimabat.

15 Sed cũ illo osse idem est ἀγκὼν qui uocatur, id est cubiti gibbus, in quẽ innitimur.

Sicut modo dixi idem intelligi debere, ita hic quoq; sumendũ est, ut eiusdem ossis partes & quę ad articulum manus est, & quæ in gibbi cubiti articulo eminet, dicere hic idem esse intelligamus.

16 Si quis igitur ita supinã manũ habeat, tum os distortum apparet, tum nerui à manus articulo tendentes ex interiore parte, & à digitis distorti etiam ipsi efficiuntur. quippe cum nerui hi ad os brachij tendant, unde cubitus mensuratur. hi tales ac tanti errores, atque ignorationes naturæ manus existunt. at si ut ego iubeo manum fractam intendat quispiam, is in directum os quod est ad paruum digitum ad cubiti gibbũ tendens conuertet: rectitudinemq; ita habebunt nerui ab articulo manus ad extremas brachij partes pertingentes: manus item cũ appendetur, in eadem figuratione permanebit, in qua erat, cum deligaretur: & tam ambulanti, quàm iacenti nullum dolorem, nullamq; defatigationem afferet.

Quando

Quando ossis alicuius nerui, aut musculi initium ex interiore parte mēbri est, finis uero aut extra, aut infra, distortum proculdubio membrum illud est. unde omnia hæc, cum manus supina figuratur, recte hic distorqueri dixit. uide enim, nerui qui in interiorem partem à manu demeant, in cubitum ineunt circa interius brachij caput. quòd si manum supinam efficiamus, eueniet, ut neruorum initium qui circa cubitum sunt, in interioribus partibus, finis uero in superioribus conspiciatur. eadem & musculorum, & ipsius cubiti ossis ratio est: quippe cum omnium horum initia ex interioribus partibus sint, qua brachij condylus eminet. ad dolorem uero afferendum, atq; ob id inflammationem extitandam satis esse uel musculi soli possunt, si distorqueantur. At si, quemadmodum iubet Hippocrates, manum & brachium figurarit quispiam, musculi qui in interiori parte cubiti exortum habent, toti in interiori parte quoq; erunt collocati: qui in exteriore incipiunt, ibidem permanebunt: qui item in superiore oriuntur, in eadem per totum membrum seruabuntur. nam in inferiore, cubiti parte ne ullus quidem reperitur musculus: si autē omnē cubiti musculorū situm cognoscere appetis, ex primo Dissectoriarū tractationū libro discere id poteris. scriptos etiā eosdem reperies in musculorū dissectione. quo in libro cōpendiosius quàm in Dissectorijs tractationibus omnium qui in corpore sunt, musculorum natura explicatur.

17 Deflecti uero hominem oportet ita, ut ossis pars eminēs ad clarissimū ex præsentibus luminibus cōstituatur: ne tractantē in extēsione lateat, an satis directū fuerit. nam periti ne manū quidē admotam atq; attrectantem latere eminens os poterit.

Siue cubare siue considerare significet, cum inquit deflecti, hoc est καθίκνυσθαι, alterum ipsorum insuper cum hoc est intelligēdum. nam tum ad uires ægrotantis, tum ad fracturæ magnitudinē respicientes modo sedentē, modo iacentem hominem deligamus. utro aūt modo fiat, ad claritatem præsentium luminū conuertenda pars affecta est, ut clare inspici queat.

DE CVBITO.

18 Ex ossibus autem cubiti quibus utraque fracta non sunt, cum superius os uulneratum est, faciliorem curationem admittit, licet crassius sit: tum quia sanum loco fundamenti substratum habet, tum quia facilius occultari potest, nisi iuxta manus articulum id contigerit: quippe cum in superiori parte crassior caro superiecta sit: os autem inferius carne omnino careat, neque facile occultationem admittat, extentioneq; uehementiore indigeat.

Duo esse cubiti ossa significauit, cum dixit- in quibus utraq; fracta nō sunt- quippe cum utraq; uerbum neq; de uno, neq; de tribus, neq; de pluribus, sed de duobus tantummodo dici soleat. ex his itaque duobus ossibus id quod subiacet, proprie cubitus nominatur, quod longius quoq; est. quod superius est, radius nuncupatur. aperta autē non hæc tantummodo oratio est, uerum etiam reliquæ omnes ut plurimū hoc in libro, nihilq; mihi uidetur dilucíditate indigere, nisi ea quæ nunc ex plano. quo circa si præter hæc aliquid tibi obscurum esse uideatur, inspice nunquid exemplar erroneū habeas. nam si castigatū sit, licet ubi semel legeris, quippiā non intelligas, prorsus tamē id percipies, si iterum atq; iterum repetiueris.

19 Si uero hoc confractum non sit, sed alterum: uilior extentio sufficit. at si utraq; sint fracta uehementiore extensione opus est. in puero quidem uidi extenta magis, q̄ oportebat. pleriq; tamen minus quàm oporteat, extenduntur.

Simpliciorem, & sine magno negocio factam extensionem uiliorem appellat. nō enim tantum quod prauum est, φαῦλον apud ueteres significat, sed etiam uile, simplex, ac uulgare.

20 Posteaquam extenderis, uolas admouendo dirigere oportet.

Volas admouendo, id est θέναρα. θέναρα autem proprie uocant prominentes uolæ partes à uerbo θένειν, quod est uerberare, ut nonnulli uolunt, qui etymologijs delectantur. quippe cum his prominentibus partibus percutere soleamus ea quæ percutimus. alij non omnes partes prominentes palmę ita appellari aiūt, sed solas eas quæ sub pollicibus extant.

21 Deinde ubi cerato illeueris, non admodum quidem multo, ne deligamenta circūfluitent, ita deligare.

Duo deligationis usus sunt, unus ut partes extenti ossis à nobis inter se bene compositas firmiter contineat: alter ut lintea succo aliquo tincta, aut medicamentum impositum, quod inflammationem sedare, ac uetare maxime iudicauerimus, supra affectas partes conseruet. quippe cum nonnulli medicamentis meatus obstruentibus, emplastis uocatis utantur, quæ cum linteis exceperint, atq; imposuerint, extrinsecus postea deligant: alij succum aliquem idoneum ad hoc adhibeant, ut uinum, aliàs solum, aliàs cū oleo. sæpe itē aliquod ex liquidis medicamentis: cuiusmodi estceratū hoc: quod quidē duplici modo cōfici solet. uno, cū cera in rosaceo aut oleo colliquatur: altero, cū picis etiā siccæ aliquantulum assumit: quod picatum ceratū appellant. liquida aūt medicamēta cō spissationē quandā habent, & crassitudinē: cuiusmodi hoc ceratum liquidū est. quod si oleo confectū fuerit, ex emplastris est, quæ inflammationem arcēt: de quibus in libris De ui simplicium medicamentorū nonnihil: in curatrice uero arte, & in tractatione De compositione medicamentorū latius dictū à nobis est. Hippocrates aūt liquido

cerato usus est, quippe cum inflammationi arcendæ longe aptius id sit, quam durum: siue quomodocunque quispiam appellare uelit. quo quam copioso uti debeamus nobis quidem declarauit, cum inquit: Non admodum multo, ne circumfluitent deligamenta: oppositum uero terminum utpote nobis satis notum, non expressit. nam neque ita paucum ceratum cõuenit adhibere, ut lintea fasciarũ prius exiccentur, quam tertio post die resoluantur. At enim illud dignum consideratione est, cur cerato nunc uti iubeat, cum, ubi os extra cutem eminet, uino nigro austero uti consueuerit? mihi sanè uidetur uinum huiusmodi uitijs quasi efficacius remediũ existimare: ac propterea ipsum in alijs fracturis permittere, in quibus nihil ex confractis ossibus denudatum est, quia multam diligentiã eius usus requirat. nam nisi asidue madefaciamus, maximum damnum ex linteorum desiccatione timẽdum est. asidue uero irrigare, & præcipue noctu plerique ex ijs qui ægrotantibus inseruiunt, nolunt. unde, quia ad extremas ægrotationes extremæ quoque curatiões exquisite adhibitæ optimæ sunt: propterea in quibus os extra prominet, uino utẽdum censet: ubi uidelicet id ob uim eius adhibet. nunc igitur dicere hoc tantum sufficit, quoniã reliquæ fracturæ etiã sine uino possunt curari, modo cerato hoc usi fuerimus: uinum adhibeamus in his, atque ita ob ministrorum negligẽtiam in errorem aliquem magnum incidamus, necesse nõ est. ubi uero magnum impendet periculum, tunc ministri & ipsi sponte labores subire uolũt, & nobis adhortantibus obediunt. quin etiã huiusmodi ægrotos ob periculi magnitudinẽ inuisere frequentius solemus, & interdum apud ipsos pernoctamus, si ministros rite omnia quæ iusserimus, esse acturos, diffidimus.

22 Vt summã manũ cubiti gibbo inferius nõ habeat, sed paulo etiã supius, ne in summitatẽ sanguis defluat, sed intercludatur.

Ita figurandum esse cubitum, ut & radio subijciatur, & cum brachij osse rectumangulum efficiat, superius iam dictum est. quia uero id fieri potest, siue superiorem manũ teneat quispiã quàm cubiti gibbum, siue inferiorem: merito de hoc quoque definit, altioremque cubiti gibbo teneri summam manum iubet. decliues enim figurationes scimus esse in causa, ut fluctiones ad membrorum extremitates deferantur. quocirca quemadmodum qui aut toto die deambularunt, aut calidiora quodammodo habent crura, in primis curant, ut ea sublimiora reliquo corpore per noctem habeant: sic in manu cauendam decliuem figuram monet Hippocrates: accliuem seruandam, iussisetque longe altiorem etiam haberi cubiti gibbo, nisi ea quoque figuratio, cum quis in ea immoratur, cum toti membro, tum anterioribus brachij musculis dolorem afferret. doloris esse effectricẽ hãc figurationem experimentũ te docebit. causam uero doloris, musculorum natura qui cubiti articulum mouent, patefaciet. sunt enim hi in anteriore & ex interiore etiam brachij parte collocati, quos cum cubitum inflectimus, ad proprium caput attrahere, atque intendere sursum solemus, atque unà cum ipsis cubitum totum quoque, in quem suis inferioribus partib. innexi sunt, attrahimus, sursumque intẽdimus, ne in summitatem sanguis defluat, sed intercludatur. hoc ad primum orationis huius membrum inferri statim debuerat: sed alterum interiectum in utrorumque medium obscuriorẽ paulo reddidit orationem: ut hoc modo esset: ut summam manum cubiti gibbo inferius nõ habeat ne in summitatem sanguis defluat: sed paulo etiam superius, ut intercludatur.

23 Deinde linteo deligare initio supra fracturam iniecto.

Initium inijci supra fracturam uel non inijci, duobus modis intelligi potest: cum interdum longitudinem, interdum latitudinem spectamus. in longitudine quidem, cum prima fasciæ inuolutio in orbem ducta fracturam contegit. si uero uel adeo superius uel adeo inferius obuoluas, ut fractã partem omnino non attingat fascia, initium id supra fracturam non esse per longitudinem uere dixeris. per latitudinem uero initium inijcitur, cum primam deligationem neque interius quàm sit fractura, neque exterius facimus. hic aũt Hippocrates ad membri latitudinem spectans initium inijciendum supra fracturã dixit, id est neque superius neque inferius quam fractura sit: id quod ex eo quod subiungit, declarat, cum inquit: posteaquam uero circumieceris eodem in loco bis aut ter, in superiorẽ partem deuoluas deligando. in lib. aũt De ijs quæ in medicatrina fiunt, ubi ait: initiũ inijcere nõ supra ulcus, sed hinc uel inde oportere: id ad mẽbri latitudinẽ spectans dixit. sicut etiam uerba hæc ἔνθεν ἢ ἔνθεν, id est hinc uel inde, uidenẽ significare, quibus uidelicet Græci ad latitudinẽ exprimendam uti consueuerunt. in multis tamen exemplaribus ita illud legitur: inijcere oportet non ad ulcus, sed hinc & inde ad nodum.

24 Innitendo quidem, non tamen admodum comprimendo.

Mediocritatem ac modum inijciendarum fasciarum hic docet. oportet enĩ ut in eis inuoluendis adeo innitamur, ut inter se adiunctas ossium partes cõseruare immobiles queant: nõ tamen ita uehementer comprimantur, ut dolorem creent. quippe cũ omnis dolor si inueteret, & præcipue ex collisione & cõpressione, causa sit inflãmationis: atque hi quidem cõpressionis fasciarum limites sunt, quos accurate assequi à principio non possumus: ubi uero sæpe deligauerimus, possimus. nam si quantũ circũijciendo fasciã intenderis, diligẽter animaduertas, deinde requiras ab eo qui deligatur, qualem fasciæ circumuolutionem sentiat: ubi iterũ circumijcies, uel relaxare intentionẽ, uel augere tibi licebit. si enim se comprimi ille dicat, relaxandum: sin laxum ita esse uinculum, ut neque circumiectum sit, sentiat, augendum esse perspicuum est. quin etiã ante quàm in eo qui fracturã habet

habet, deligationẽ auspiceris. puerũ sanum sępius deligando, ac simili modo sciscitando exercere te poteris: ut promptior postea sic esse ad deligãdas fracturas queas. illud quoq; aduertendum tibi est, corpora quæ ualida sunt ac dura, uehemẽtiorem: quæ imbecilla ac mollia sunt, remissiorem compressionem requirere.

25 Postea ꝙ uero circumieceris eodem in loco bis aut ter, in superiorem partem deligando deuoluas, ut defluxiones sanguinis intercludantur: atq; ibi finias.

Ipse causam dixit, cur in superiorẽ partem linteorum distributionẽ faciendam censeat. uult enim defluxiones sanguinis à superioribus partibus mẽbri ita prohiberi. antedicta uero deligatione, non solum arcetur, quod influit, uerum etiam quod in partibus circa fracturã continetur, eliditur. defluxus autem unam tantũ uiam habet à superiori parte deorsum. expressio utrasq;, tam deorsum à superiori parte quàm ab inferiori sursum. quippe cum & in inferiorem partem membri, et in superiorem elidi atq; exprimi aliquid ualeat. unde consulit, ut utrasque has persequamur, duabus uti fasciationibus iubens, quæ utræq; à parte affecta utrinq; per longitudinem initium habeant: superius una, altera inferius distributa. melius enim est ut à læso loco in superiores partes, & totum corpus elidatur sanguis. eo quòd extremitas minor est, quàm ut sine damno suscipere copiosum humorẽ possit. nam si post primam fasciam quæ ex parte affecta sanguinem ad manum exprimat, secunda etiam uiolentius cõstrinxerit, & circa articulum manus, & circa digitos inflammatio exoritur. propterea igitur à superiore parte primũ omne id, si fieri potest, quod molestiam affert, exprimendum est: si uero parum aliquid relinquatur, in inferiorem partem secunda deligatione elidi debet. certius tamen mentem eius totam intelliges, si doctrinam De deligatione fueris assequutus.

26 Oportet autem ut prima lintea longa minime sint,

Conueniẽter hoc dicit. cũ enim prima lintea à fractura incipiant, & sursum referantur, atq; ibi desinant: necesse est, ut minor eorum fiat longitudo, quàm id sit, quod secunda sunt cõprehensura. quę iubet deorsum primum à fractura deducentes, sursum iterum ad eundem locum conuoluere, ubi finem fascię primæ feceramus.

27 At secundorum ad fracturam initium injiciendum est.

Merito: hinc enim uult ut amplior sanguinis copia elidatur.

28 Circundandumq; semel ibidem.

Semel iubet ut secundi lintei initiũ circũjciamus, nõ bis aut ter, ut prioris. uult enim ut sursum magis, ꝙ deorsum quod detinet̃ in partibus circa fracturã, ob antedictam causam exprimatur.

29 In inferiorem deinde partem distribuendum, minusq; comprimendum, trajiciendum uero magis.

Minus stringendũ mẽbrum secunda fascia inquit, ob eas quas dixit causas. neq; tamẽ frequẽtes linteorum conuolutiones faciendas monet, cum prior fascia satis frequentiæ usum explerit.

30 Vt tibi sufficere linteum possit ad recurrendum eò, ubi alterum desierit.

Hippocrates quidem ante plagularũ iniectionem duabus fascijs utitur. nõnulli alij tribus: una sursum à fractura deuoluta, ut iubet etiam Hippocrates: altera à fractura deorsum: tertia ab inferiori parte sursum, quam supra utrasq; priores cõuoluũt. atq; ex his quidẽ tribus secũda breuior utrisq; reliquis est: reliquæ duæ inter se æquales. propterea quòd prima fracturæ ipsi circumiecta bis, aut ter, circa membrum frequentioribus conuolutionibus circũdari solet. secunda uero pręter ꝙ quòd semel fracturæ circũuoluitur, rarius quoq; membrũ obducit: at tertia licet utrisq; circũdetur, quia tamen rariorẽ habet distributionẽ, longior prima non euadit. ueruntamen duas has fascias ab Hippocrate cõmemoratas tres illas in se cõtinere, etiam si ego nihil dicã, satis liquet. quippe cum secũda duos usus expleat, quos illi duabus fascijs separatim ascribentes, alterã à fractura in inferiorẽ partem, alteram ab inferiori parte sursum ad primæ fasciæ finem deuoluebant.

31 Atq; hic quidem lintea in sinistrã, aut dextram deligẽtur. aut in utram partem ad fracturæ figurationem cõferat, & in utram declinare conducat.

In ossium fracturis inclinatio distortionis interdum in sinistram partẽ mẽbri, aliquãdo in dextrã tendit. unde oportet ut duabus primis fascijs contrariã deligationẽ faciamus: ut ex ea parte in quã propendet atq; inclinatur membrum, initio facto in cõtrarium prouoluamus. ita enim fiet, ut fractũ os in ęquilibrio constituatur. Hoc igitur est, quod inquit nunc Hippocrates, dum iubet, ut deligationis distributionem ad fracturę figurationem accõmodemus: id est in contrarium quàm distorta ossa fuerint, propellamus.

32 Post hæc uero plagulæ cerati modico illitæ superextendendæ sunt. mitius enĩ sic, ac stabilius est.

Plagulæ, quæ & splenia uocant, duarum primarum fasciarum, quas peculiari nomine ὑποδεσμίδας, id est subligamina appellat, firmamenta sunt. contrario autem modo superjeiuntur. nam cum illæ transuersæ circum membrum conuoluantur, plagulæ in longitudinem superextendunt̃, ita ut totam primam duorum linteorum deligationem comprehendant, quas medico cerato illiniendas inquit, propterea ꝙ sicut si nimia copia affluant, infirmæ, atq; instabiles efficiunt̃: sic nec adhærere quidẽ prorsus subligaminibus queũt, si nimis pauco cerato inunctæ fuerint. est enim quidam quasi

nexus

nexus cum fascijs ceratũ.in cæteris quoq; omibus A quæ glutino cõiungunt, mediocritas optima cen setur.at ex plagulis,si siccę imponant, collisio etiã efficitur,cui mitius oppositũ est. quẽadmodũ stabilius instabilitati aduersat, quæ ex cerati multitudine existit.unde merito subiũxit,mitius enim sic, ac stabilius est. eo quòd si nihil prorsus cerato illinantur plagulæ,mollitiem omnẽ, ac lenitatem: si nimis q̃ opus sit, stabilitatẽ amittãt: quippe cum cerati copia lubrica efficiantur.

33 Deinde ita linteis deligandum alternatim modo in sinistrã, modo in dextram, ac plerunq; ab inferiori parte incipiẽdo ad superiorem, aliquãdo à superiori ad inferiorem deducendum est.

Subligamina non alternatim inter se,sed in con B trariũ cõuoluta sunt:cum utraq; à distortione præter naturã mẽbrũ reducant. fasciæ uero quæ post plagulas circũijciunt,cum eum scopum habeant, ut totũ membrũ deligent, uniuersamq; deligationem sicut acceperũt, cõseruẽt: ex aduerso inter se distributionẽ faciũt, altera in dextrã,altera in sinistrã partẽ conuoluta.simili modo quoq; deorsum altera,altera sursum.ita siquidẽ ex aduerso inter se cõplicatæ, talem deligationẽ cõseruare maxime possunt,qualẽ accepere.atq; illę quidẽ, quę in dextram & sinistram obuoluunt, in omĩbus prorsus æquales esse debẽt, quæ sursum ac deorsum feruntur,licet nõ longe se mutuo excedant:inter eas tamẽ illa quæ ab inferiori parte sursum ducit, copiosior sit.tutius enim id est,ob paulo ante allatã cau- C sam,quãdo in principium mẽbri à fractura eliden dum sanguinem monebat.

34 Subsiccaneis autem mederi oportet plagulis circumuoluendo:multitudinẽ quidem fasciationum non uniuerse, sed particulatim corrigendo.

Membrorum longorum, quæ κῶλα dicuntur, fines angustiorem habent latitudinem, quos ἀπόξηρα, id est desiccanea, seu ὑπόξηρα subsiccanea ea de causa appellat: eosdem etiã ἀπόξυ, hoc est in acutum abeuntia uocare consueuit:has partes iubet per transuersum circumuolutis plagulis explere, unà cum fasciarum iniectionibus pluri- D bus, quæ non uniuersæ tamen congerantur: inæqualis enim ita inuaderet deligatio: sed particulatim & paulatim deficientem locum compleant.

35 At circa articulũ manus laxe insuper fasciandum est, aliter, atq; aliter.

Omnes quidem partes, quæ affectis locis uicinæ sunt,simul inflãmari consueuerunt: sed magis tamen extremæ membrorũ partes: propterea q̃ paruæ & carne carentes prorsus cum sint, defluentem à locis fracturæ materiã dolorose suscipiunt. uult igitur ut eas cerati impositione leniamus: qđ sine ullo tegumẽto inijci super eas melius est, neq; opus est ut ullæ fasciæ illinantur, cũ supra ipsas & initiũ instabile & finẽ habituræ sint, & cito defluxuræ uideantur. quo circa ipsis fracturæ fascijs ad hoc simul uti cõsueuerũt, quas laxas merito circũ ducẽdas censet, ne molestiã aliquã afferãt.nam cũ ibi fractura detentione ulla nõ indigeat, ad solam inflammationẽ prohibendam adhibentur.

36 Multitudo linteorum prima, satis idonea duæ portiones sunt.

In prima omnium deligatione multitudinẽ linteorum pauciorẽ esse uult:utpote qua procedente tempore non indigeamus. docuit enim te quãto pluribus linteis utendum sit paulo post. Cum autem multitudo linteorũ tum numero tum longitudine fasciarum,et plagularum augeatur:quęres fortasse maioresne an plures fascias tibi faciendas censeat:quantum item unumquodq; esse cõueniat. sed enim longitudinem & latitudinem in libro De ijs quæ in medicatrina fiunt, ipse præfiniuit,cum inquit: Trium aut quatuor cubitorũ longitudo, digitorũ latitudo.numerũ uero neq; nunc dicere pętermisit. duo eñ subligamina in tota deligatiõe uult esse facienda, plagulas uero triplices aut quadruplices esse debere eodẽ in libro docuit: quorũ numerũ tantum esse par est, quantus ad cõplectẽdum membrum sufficiat. fasciæ autem quæ extrinsecus supra plagulas inijciuntur, duæ etiam ipsæ ut plurimum sint, necesse est: altera quę ab inferiore parte sursum: altera quæ à superiori deorsum cõuoluat. fieri tamen potest, ut tres, aut quatuor quandoq; adhibeantur. nos sanè duabus semper uti consueuimus. si ad hos igitur scopos unusquisq; respiciat, illud proculdubio studebit, ut inter initia quidem duabus linteorum portionibus utatur: quo uero tempore inflammatione affecta pars caruerit, tres etiam adhibeat. in libro itaque, ut dixi, De ijs quæ in medicatrina fiunt, fasciarum longitudinem præscripsit, eas trium aut quatuor cubitorum esse debere affirmans: ut cubitos uidelicet intelligamus eius ipsius qui deligatur. ridiculum enim esset, si uel puerulus uerbi gratia duos, aut tres annos natus tam longis linteis deligaret, quæ tres aut quatuor uiriles cubitos explerẽt: uel uir adultus adeo breuibus, ut triũ aut quatuor cubitorum infantis mensurã non excederent. in hoc tamen libro neq; lõgitudinẽ fasciarũ, neq; latitudinem præfiniuit, nobis eas facile coniectandas relinquens. perspicuũ siquidẽ est, si ad fracturæ magnitudinẽ fascias accõmodemus, lõgitudinẽ earum facile nos esse inuẽturos: quippe cũ semper deligatio, ut ipse iubet, multã quoq; sani loci partem occupare insuper debeat. non semper aũt eadem sumẽda longitudo est, sed pro fracturæ, ut dictum est, magnitudine uarianda. nam si bis aut ter fracturę ipsi primũ fascia est circũuoluẽda, deinde frequẽtibus circumiectionibus utẽdo, multam sani mẽbri partem occupandum: tantum proculdubio esse primũ linteũ necesse est, ut tot circumuolutionibus esse satis posit. simili modo quoq; reliquarũ fasciarũ longitudo ea esse debet, quę deligationibus, quas scribit, queat sufficere. latitudinem autem, si ad ea quæ dixit, spectes, facile inueneris.

affulci

affulcitas quidem esse inquit, non autẽ cõpressas. A affulcitas aũt esse, id est ἡρμάσθαι, firmatas atq; applicatas esse significat. id quod fiet, si non ualde latum linteum preparatum fuerit. quod enim nimis latũ est, in cõuolutionibus corrugatur. nã alioqui quo latior fascia est, ut ampliorẽ locum occupare posit, eò firmius ac stabilius partes osiũ fractas continet. & quantũ ad hoc spectat, quo latisimũ, eo optimnm linteũ esse uideretur. quia tamẽ quæ leuiora sunt, ubi applicata fuerint, contrahi in rugas solent, ac propterea laxiora effecta subiectorũ corporũ firmã cõprehensionem amittunt: iccirco non admodum lata assumenda sunt. eousq; igitur augere tibi latitudinẽ fasciæ licet, quoad nulla eius pars laxior efficiatur. hinc est, quòd huiusmodi omnia ab experto & perito homine melius agun B tur: quippe quorum scopi sint coniecturales, nullusq; eiusmodi, qui uel scribendo tradi, uel legendo percipi facile queat. Cur autẽ pluribus linteis postea uti iubeat, tunc audies, cum ad ea uerba in quibus hoc scribit, explicanda deuenerimus.

37 Signa autẽ bene curati hæc sunt, atq; is bene deligati terminus est: si ab eo requisiueris, an compressus sit, ipse autem compressum quidem se esse dicat: sed leniter tamen, & præsertim circa ipsam fracturam. hæc itaq; dicere debet perpetuo fieri, is qui recte deligatur.

Quia coniecturalibus scopis in linteorum inuo C lutionibus utimur, ideo signis certis uult, ut quod in his uel recte exequuti fuerimus, uel praue com miserimus, discernere ualeamus: ut si ualde à fascijs cõprimatur æger, cito resoluentes melius deligemus. si laxior quàm debeat deligatio sit, multum tempus non differamus. uehemẽs enim com presio cum dolorem atque inflammationem faciat interdum etiam emori membri extremum co git. laxa autem circumiectio linteorũ sicut quantum ad hæc periculo uacat, ita permittit ut membrum in fracturam distorqueatur. quocirca adeò urget nimia compresio, ut eodem die religare nos omnino cogat. laxa uero unum, & duos etiã quandoq; expectare dies potest. interrogare igitẽ diligenter eum qui deligatus est, debemus, qualem nam conuolutionem linteorum sentiat: ut ex D eius responsione discernamus, quid in deligatione corrigendum sit. ac præcipue cõuenire inquit, ut circa fracturam magis dicat se fuisse constrictũ, quàm alijs in partibus: propterea quòd compressus locus ille duabus de causis sensum maiorem efficiat: cum quia affectus est, tũ quia nos magis astringere fasciam ea parte consueuimus, dum totum sanguinem in utramq; partem membri procul à fractura elidere studemus. ita enim fit, ut affecta pars inflammatione omni careat.

38 At signa mediocritatis sunt, si die quo deligatus est, & nocte non minus, sed magis constrictus sibi esse uideatur: postero paruula quædam intumescentia in summa manu mollis illa quidem exoriatur: mediocriter te compresisse signum id est.

Quoniam præcipua deligationis uis in quantitate compresionis consistit, quantitas uero hæc uaria esse consueuit, cum ex differentia mollitiæ, & paruitatis membrorum, tum uero maxime ex eo quòd quædam corpora hebetiore, quędam uegetiore sensu prædita sunt: merito Hippocrates multis signis nititur certam ægroti curationẽ manifestare. idcirco sola ex interrogatiõe indicia minime ipsi satis fuerunt, sed membris ipsis insuper, & præcipue extremis eorum partibus attendendum nobis censet. intumescẽtiam enim paruulam inquit, exorituram esse in summa manu mollem secundo die, si mediocriter constrinxerimus: quæ uidelicet, si impositis digitis deprimamus, cædat: nam si uel nullum huiusmodi tumorem, uel durum aliquem inueniamus, scire aperte licet, minus quàm oportebat, si nihil prorsus extiterit: magis, si durus tumor apparuerit, à nobis fuisse con strictum. perspicuum enim est, si deligatione humores ad extremam mẽbri partem exprimãtur, atq; hi multi sint, adeo repletum iri extremitatem, ut digitis etiam deprimẽtibus cessura non sit. idq; tibi nimiæ compresionis signum erit. quemadmodũ, si nihil intumuerit manus, nihil prorsus elisum fuisse à deligatiõe indicabitur. quippe cum magnitudini compresionis expressorum humorum multitudo semper respondeat: pro ratione uero multitudinis tumor excrescat. quare merito cum uehementius compressa est fractura, dura et magna intumescentia insurgit: cum leniter cõstrictum est, parua & cedens existit: sicut nulla prorsus apparet, cum nulla prorsus constrictio adhibita est. Constat igitur, si magnũ & renitẽtẽ tumorẽ deprehẽderimus in extrema manu secundo post die, reprimendum esse, & multa aqua calida copioso oleo interfuso perfundendũ, mediocriterq; comprimendo deligandum. at si secundo die nullus penitus tumor extiterit, tertio die resolutam fasciam constrictius deligabimus. si mediocris ac paruus tumor apparuerit, Hippocrates quidem etiam tunc tertio post die resoluẽdum censet: sed ego in quartum diem differens, & in quintum etiam quandoq;, præsertim per hyemẽ, nihilo peius euasisse rem deprehendi.

39 Desinẽte autem die si minus uideatur constrictus fuisse, tertio autẽ fasciæ laxæ esse appareant, & si horum antedictorum aliquid defecerit, scire oportet laxiorem deligationem esse quàm conueniat: siquid superabundarit, magis q̃ par sit, fuisse compressum. his indicijs monitus postea magis uel laxando uel comprimendo deligabis.

Non profecto, ut nõnulli opinantur, ex distentione longioribus effectis linteis mora tẽporis laxior deligatio apparet: sed quia membrũ attenuatum, cũ recte deligatur, gracilescere cõsueuit, atq; hoc

hoc semper in omnibus fracturis euidenter cõspicitur: ut ipse etiam Hippocrates manifestabit.

40 Resoluere uero oportet tertio post die ubi extenderis, ac direxeris. Et si prius mediocriter deligaris, tunc paulo magis quàm antea tibi comprimendum est. injiciendaq; initia supra fracturam, quemadmodum etiam prius, sunt. si hanc quidem prius deligaris, ex ea sanies in extremas partes huc & illuc exhauriuntur. si aliam partem prius compresseris, in eam ex compresso loco exinanitio fit. animaduersio sanè ad multa utilis est. ita igitur incipere semper deligationem, compresionemq; ex hoc loco opus est. reliqua pro rata quodq; portione, quanto longius à fractura abduxeris, tanto minus constringendum. laxa nunquam prorsus, sed adhærentia circumijcienda. deinde pluribus linteis in unaquaque deligatione utendum est. & si interrogetur, paulo magis compressum se esse dicat, quàm prius, et præcipue circa fracturam. & cætera quantum uidelicet & ad tumorẽ, & ad dolorem, & ad recreationem spectat pro ratione prioris deligationis fiant. ubi uero tertius dies iam aduenerit, laxiores ipsi fasciæ uideantur. deinde resoluere oportet, ac rursus deligando paulo magis comprimere, atq; id omibus linteis quib. fuerat deligandus. cuncta postea ipsum inuadãt, quæ in primis etiam deligationum circuitibus euenerant.

Si in primo die non compresserimus, quantum conuenit, propterea quod ob ictum dolore afficiebatur æger, omnibus recte succedentibus tertio die sedatum iam aliquantulum dolorem nacti, fasciarum contentionem augebimus. neq; tunc tamen eatenus quantum ipsa res postulat. id enim si omnia recte cesserint, quinto die fit. unde etiam linteis quamplurimis tunc, perfectissimaq; intentione uti nos iubet. memoria tamen tenendũ nobis illud est, hæc nobis tantummodo esse facienda, si omnia conuenienti ordine rite successerint. nam si ob errorem aliquem, qui intercesserit, nondum prorsus quinto die inflammatione careat brachium: neq; nos linteis omnibus utemur. firmitas enim deligationis fractorum etiam ex multitudine linteorum, sicut ipse inquit, fit. quam præcipue eo tempore adhibemus, quo locus circa fracturam satis cõtractus ac depressus apparet: os uero fractum laxum iam atq; agile ad directionẽ cõspicitur. quod si quinto die non contigerit, alterũ resolutionis circuitum expectabimus: qui uidelicet, in septimum diem deueniet. tertio enim quoque die resoluendum, ac religandum censet, quoad fractura in ferulas injiciatur: ea causa, ut calida A aqua perfundamus ac foueamus: quo exinanian-tur humores qui in fracta parte cõtinẽtur, qui albi & serosi cum sint, difflatione ac perspiratiõe indigent. adde ꝙ perfusio hæc & ad mitigandũ dolorem facit, & prurigini medetur. quocirca cum æger neq; pruriginem, neq; dolorẽ amplius sensẽrit, omiaq; antedicta signa recte peracta fuisse circa fracturã cũcta offenderint: si etiam quarto post die soluas, præsertim per hyemem, nullũ damnũ afferes. atq; eò magis, si homines rustici sint, lotione uti plerunq; minine consueti. nã si per singulos dies lauari soleant, aut bis in die: differenda longius perlutio non est: ac præcipue si etiam molli carne forte præditi fuerint.

41 Postea quàm uero ad tertium diem B iam deuenerit, qui septimus à prima deligatione sit: si recte fuerit deligatus, tumor in summa manu, neque is ualde magnus extabit: deligata uero pars in omnibus deligationibus tenuior, ac gracilior reperietur: in septimo uero die etiam admodum tenuis: & ossa fracta ita affecta ut magis moueantur, agilioraq; in coaptionem sint. si hæc huiusmodi fuerint, coaptare oportet, atq; accommodate ad ferulas circumponẽdas deligare, paulo magis comprimendo quàm prius, nisi dolor aliquis maior à tumore qui C in summa manu est, infestarit. ubi uero linteis deligaris, ferulæ tibi circũdandæ sunt, uinculisq; quàm laxissimis comprehẽdendæ: eatenus uidelicet, ut quiescant: neq; ferularum appositio ad compresionem brachij quicquam faciat: post hæc & labor, & recreatio eadem, quæ in primis circuitibus deligationũ, fiant. Vbi uero tertio die subsequente laxam esse deligationem dixerit, tunc deinde firmandæ ferulæ sunt. præcipue supra fracturam. & reliqua etiam pro ratione exhibeantur, si uidelicet & deligatio laxa magis fuerit, quàm cõprimat. crasD sissimã enim esse ferulam opus est, qua excidit fractura, non tamen multo. danda autem opera est, ne uel è directo magni digiti ferula collocetur, sed hac uel illac: uel è directo parui, qua os ad manus articulum eminet, sed hac uel illac constituatur. at si conferat ut supra fracturã hac parte ferulæ aliquæ ponantur, breuiores hæ cæteris faciendæ sunt: ne ad ossa quæ ad manus articulum prominent, pertingant. inde enim ne exulceratio, neruorumq; denudatio cõtingat, periculum impendet. tertio autẽ quoque die ferulis admodum leniter cõfirmandum

dum est, eo consilio ut ferulæ custodiendæ A deligationis causa apponãtur: non deligentur, ut comprimant. si igitur probe noris in prioribus deligationibus satis ossa fuisse directa, neq; pruritus aliqui infestent, neque ulla suspecta exulceratio sit: deligatum ita cum ferulis permittẽdum est, quoad uiginti dies excesserit. triginta enim maxime diebus cunctis connumeratis ossa cubiti plerunq; corroborantur.

Si talem fractam partem tertio die reddere possemus, qualis plerunq; septimo euadit: ferulas ei tunc necessario circumdaremus: sed quoniam, ut dixit ipse, in septimo die etiã admodum tenuis reperitur, quo uerbo significat eam tenuiorem q̃ in sana constitutione se habebat prius, euadere: B propterea eo die diligentissime composito ac conformato membro, utpote quod ossa iam laxa habeat, ferulas circumponi iubet. ferularum autem usus idem est, quẽ etiam plagularũ superius diximus, ut fractum os contineatur. os enim coalescere inter se, ut caro, ob naturalem siccitatẽ cum nequeat, callo circa oras fractionis cõcrescẽte, quasi uinculo quodã quo cohæreat, indiget. cuius quidem calli ortus ex alimenti fracti ipsius ossis excremento existit. quòd si non recte æger uictu utatur, uel plenitudinis habitu prẽditus sit, sæpe id profusum crasso sanguini persimile totas fascias inficit. quicquid igitur ex hoc excremento, dum efferuescit, C in labris fracti ossis concrescit: id mora temporis ab ipso contingente osse immutatũ simile ossi euadit, uocaturq; callus, seu tofus, Grece πῶρος. si itaque ossis fracti capita atq; oræ ipsæ dimoueantur & quatiantur, compressio eius atq; adhæsio impeditur. idq; obstat, quo minus occallescere locus ac ferrruminari queat. quod enim lignis quæ simul cõiunguntur, est gluten: id confractis ossibus callus est. ut merito quæ callo cõglutinandæ sunt fracturæ quiete summa indigeant. quippe cum si callus concrescens agitetur, & moueatur, dissolui nõ secus ac gluten, quo ligna committuntur: aut lac quod coagulatur, soleat. quietem autem hãc accuratissima cõpressio affert, quæ & fascijs, & ijs quæ ipsas extrinsecus continent, procuratur. ipsas aũt D & multitudo linteorum, & ferulæ cõtinent. Quæ sequuntur omnia, si quis mentem aduertat, clara sunt. iubet enim si alicubi laxa fiat deligatio tertio post die ferulis constringendũ esse: nõ tamen deligationem totam resoluendã, nisi forte uel æger uehementi prurigine afficiatur, uel ulcerationem aliquam suspicemur. causa autem cur inter initia maior, postea uero minor pruritus sentiatur, affectæ partis exinanitio est. cum enim ab excrementis uaporosis egrediẽtibus mediocriter mordentur, pruriunt. nam si uehementer mordeantur, cum dolore pruritus ipsis contingit. quando igitur uacuum membrum iam est, uel nullum uel paucissimum omnino huiusmodi excrementum gignit.

42 Certum tamen nihil est. ualde enim & natura à natura, & ætas ab ætate differt.

Cum non absolute ætatem ab ætate differre dixerit, sed & cõiunctionem addiderit: alias quoq; esse causas significat, ob quas non omnes cubiti fracturæ triginta diebus, sed serius aliæ, aliæ citius consolidantur. est enim & tempus anni, & regio, & natura corporis quod curatur, anni item constitutio, & uictus ægroti, & deligationis modus, quæ omnia uariationem afferunt. citius enim corroboratur os, id est firmiter occallescit, cum & materia ex qua callus fit, mediocriter & quantitate et qualitate affecta est, & uis coagulantis ipsam facultatis est ualida. in diutinam autem moram incidunt fracturæ interdum ob materiæ defectum: quod enim pauciore tempore ob copiam materię facultates efficiunt, id ut præstent, si desit materia, diuturniorem moram requirunt: interdum ob nimiam copiam: quippe cum callus qui concrescit, ab effluente humore, si multus sit, & continuus, dilui atq; obrui consueuerit. ac crassitudo quidẽ materię idonea est, ut concrescat, in callumq; euadat. tenuitas contra liquida atq; aquea ad callum procreandum ineptior est. nam facultatem, si ualida sit, citius: si imbecilla, tardius opus suum peragere nemini dubium est. ob hæc igitur contingit ut diuersis temporibus fracta ossa callum contrahant. hæc autem ipsa quæ nunc dixi ob superius commemoratas causas immutari consuerunt. amplior siquidem & paucior materia, crassior item & tenuior tum ex pristina temperatura uniuscuiusq;, tum ex aduẽtitia eo tempore quo quisq; curatur, existit. accedit etiam uictus quo utuntur ægroti, & modus deligationis quo deligantur, ætas item, & tempus anni, & regio. ex quibus scilicet omnibus facultas & ualida redditur, & imbecilla.

43 Vbi uero solueris, aqua calida perfundere ac fouere oportet, et paulo minus comprimendo quàm prius, paucioribusq; linteis religare. & deinde tertio quoq; die resoluere item, ac minus comprimendo, paucioribus linteis deligare.

A principio & multitudinem linteorum & cõpressionem usque ad ferularum circumdationem auxit: quas ubi apposuit circa septimũ diem, quasi firmum quoddam calli generationi iacere fundamentum uellet, usq; ad uigesimum sine solutione membrum reseruauit. ubi uero concrescit iam callus, non amplius omnino in quiete seruandam fracturam censet. quippe cum nutriri debeat callus, cum iam firma radice adoleuit. nutritio autem suppeditatione materiæ fit: quam sicut à loco affecto ad alias partes à principio auertebamus, ita nunc aquæ calidæ perfusione reuocanda est. adde quòd cum inter initia eam prorsus, ne ad partem affectam afflueret, & linteorum multitudine, & compressione arceremus: nunc impedimenta hęc tolluntur, dum paulatim & linteorum copia detrahitur, & compressio laxatur.

44 Si autem ubi ferulis deligaris, nõ recte reposita esse ossa suspiceris, uel aliud quid uulneratum hominem molestet: in dimidia temporis parte aut paulo ante soluẽdum, ac religandum tibi esse scias.

Quæ superius dixit, omnibus rite ac cõuenienter succedentibus fieri monuit. sed si interdum aut dolor aliquis oboriatur, aut ulceratiõis timor incidat, aut ne uel recte ossa fuerint cõposita, uel motio aliqua in eis contigerit, suspicemur: tunc resoluendam nobis deligationem ante uigesimũ diem inquit. atq; ita nos præmonet, ne quis perpetuum esse quod prius præceperat, ratus, fracturas omnes usq; ad uigesimum diem seruare penitus immotas uelit. ad id enim quod subinde urget, spectare medicus debet: neque tanquam legem inuiolabilem præcepta sibi esse seruanda existimare: præsertim si non conuenienter omnia euenerint.

45 Victus ijs quibus neque ulcera à principio cõtigerũt, neque ossa extra eminent, subuulgaris sit: pauciore siquidẽ uictu usq; ad decem dies utẽdum ipsis est, utpote qui iam commorentur.

Veteres ferè omnes φαῦλον pro quolibet uili ac simplici usurpare consueuerũt, cui exquisitum & exactum opponitur, quod ab Ionibus σκεθρὸν dicitur. sicut igitur exquisitum uictum σκεθρὸν uocat, ita qui contrarius ei est, φαῦλον, id est simplicem ac uulgarem appellat: & nunc eum qui inter uulgarem, & exquisitũ medius est, ὑποφαῦλον, id est subuulgarem nuncupauit. exquisito igitur uictu eos uti uult, qui à principio fracturam cum ulcere patiuntur, & præcipue si extra cutem confractum os prominet: simplici & uulgari, eos qui citra periculum constituti sunt: subuulgari & medio, eos qui fracturam absq; ulcere, & ossis prominentia habent: in primis uidelicet diebus. primorum autem dierum terminum statuit decem. nõ quòd uel tempestiuius uel serius immutare cõsentaneè uictum non ualeamus, sed quia plerunq; ita faciendũ esse cõtingit. propterea autem medium adhibendum uictum censet, quia neq; magnum est periculum, sicut cum denudatum etiam os fuerit: neque adeo in tuto res est, sicut cũ quis ulcus simplex in carne absque ossis fractione ulla habet. ijs itaq; qui medio modo inter periclitantes, & periculo uacantes affecti sunt, medium quoque uictum statuit. præsertim cum etiam qui confractam manum habent, usq; ad decimum diem prorsus quiescãt, atque ocientur: quod ἐλινύειν, id est commorari Iones uocant: qui autem ociantur & quiescunt, exquisitiore uictu uti, quàm qui mouentur, consentaneum est. post decimum igitur diem cum plerique manu iam appensa obambulent, meritò usq; ad illum diem, medium uictum adhibendum consulit. utpote qui iam cõmorentur, id est quiescant et ocientur. de tempore autem ut plurimum iam particulam ponere consueuerunt. eandem etiam statuunt cum probationem quandam & cõfirma-

A tionem significare uolunt: ut si dicamus, & alia, & iam hoc credendum est, seu faciendum. quem in modum hic Hippocrates uidetur posuisse. ut talis oratio eius euadat, uictu mediocri usq; ad decimũ diem utendum est, cum ob alia, tum iam etiã quia æger eo tempore prorsus quiescit.

46 Obsonijsq; mollibus quæ descensui mediocritatem præstent.

Vel ptisana uidelicet, uel beta, uel malua, uel atriplice, blito item & cucurbita, nec non piscibus qui molli carne sunt.

47 A uino uero & carnis esu abstinendum est.

Docuit ipse exquisiti uictus formã, & subuulgaris quoq;, quẽ nunc usq; ad decimũ diem exhi-
B bendũ censet. qui cũ uino & carne fit uulgaris est: qui cremorem tantum ptisanæ, & aquam mulsam admittit, bonus atq; exquisitus: medius uero inter hos utrosq; est, quẽ modo dixit: obsonijs mollib. inquiens quæ descensui mediocritatem præstent.

48 Deinde tamẽ ex additione reficiẽdi sunt. atq; hæc quidem oratio quasi lex iusta de fracturarum curatiõe cõstituta est.

Refici ac restaurari eum qui fracturam habet, postea consulit. ex additione autem dixit, ut significet paulatim id esse faciendũ. quod enim copiose et repente uel replet, uel euacuat, uel aliud quippiam facit, uituperare consueuit.

C 49 Quoque modo tractare debeamus, et quo modo à iusta tractatione euenire oporteat. siquid autem nõ ita euaserit, sciendum est aliquid uel minus q̃ decebat, uel plus in tractatione fuisse effectum.

Iustam tractationem uocat eam quæ omne id quod ægroto conuenit, attribuit, nihilq; transgreditur, quod sibi faciendum sit. tractationem uero, id est, χειρίζειν uel ex manu operationem & chirurgiam appellat: uel omnem absolute rerum omnium administrationem. quippe cum Græci non solum ea quæ manibus comprehenduntur, uerum etiam omnia quæ aguntur, μεταχειρίζεσθαι, id est, tractari atq; administrari dicant.

D 50 Præterea hæc insuper in hoc simplici modo aduertẽda sunt: quæ nõ admodũ curare medici uidentur: cum tamen omnẽ curam & meditationẽ, omnemq; deligationẽ corrumpere, si non recte fiant, possint.

Simplicem modũ & fracturę & luxationis eum uocat, cum neq; ulcus contigit, neq; os aut fuit denudatũ, aut multas in partes contritum, quod fracturæ genus farinatim factum recentiores appellant. horum siquidem omniũ simplex modus non est: sed ille tantũ, cum fracturæ aut luxationi nihil aliud insuper accessit. se enim uti hac appellatione in hunc significatum hoc eodem in libro declarat Hippocrates, cum nõ post admodũ multa ita scribat. At quibuscũq; simplici modo fracta ossa sunt.

In

In hoc igitur simplici modo fracturarum paruus
quidem specie, si quis tamen diligenter omnia in-
spiciat ui maximus error committitur. hoc enim
neglecto omnis prius habita diligentia corrumpi
tur. atq; hoc quo modo fiat, deinceps docebit. ali-
ter autem eadem lectio scribitur hoc pacto. cum
tamē omnis cura & meditatio, omnisq; deligatio
corrumpi, si non recte fiat, possit. ut intelligamus
diligentiā eum damnare si male adhibeatur, quip
pe quæ cætera quoq; omnia, quæ circa affectā par
tem bene fuerāt administrata, corrumpere ualeat.

51 Nam si uel ossa utraq; cōfracta sint, uel
inferius tantummodo, & cui deligatio ad-
hibita est, is mitella quadam manū habeat
appēsam, mitellaq; ipsa ea parte qua est fra-
ctura plurimum cōtineat, ita ut hinc & in-
de manus dependeat: in hoc alterum os in
superiorem partem distortum deprehen-
datur, necesse est.

Vult te insuper diligenter inspicere qualis nam
totius manus appensio futura sit, cum non ampli-
us iacet homo, sed iam deambulat. hoc est post de
cimum diem. ante enim ut plurimū iacuit manu
deposita ea figuratione quā superius didicisti, qua
extremam partem altiorē paulo detinebat. quan-
do uero iam deambulat, collo, sicuti fieri consue-
uit, manum appensam gestans, mitella ei circumij
cienda est, ita lata, ut totum cubitum æqualiter su-
stentet: ne si ulla sui parte pendulus extra eam re-
linquatur, ea parte os eius deorsum incuruetur, &
distorqueatur. prius enim q̄ affectū fuisset os, con
tinuum totum, atq; unum erat. quando uero con-
fractione continuitatē amisit, tunc fieri potest, ut
altera eius pars supposita mitella firmet̄ ac susten-
tetur: altera, utpote quæ nō amplius cōtinuata cū
ea sit, in inferiorē partem declinās distorqueatur.
potest item & eiusdem partis interdū alterū caput
ob praue subiectam mitellā quę ipsum solū susten
tet, altum permanere: alterū uero deorsum propē
dens eam in partē distorqueri. quatuor igitur mo-
dis praue mitella cubito subijci cōsueuit. primum
quādo fracta tantū pars ab ipsa suspenditur, ac ge-
statur: quæ uero ex utraq; parte sunt, propendent.
secundo cum extremę cubiti partes & superior iu
xta gibbum, & inferior ad manus articulū firmatę
bene mitella sunt, media uero sine sustentaculo de
pendet. tertio & quarto cū uel anteriora cubiti so
la, uel posteriora sola mitella sustentat. Ex his qua
tuor modis duos tantūmodo cōmemorauit Hip-
pocrates, qui quidē maxime etiā membrū distor-
quent. alteros duos omisit: quippe qui cum illis in
telligi facile possint. ex his uero duobus quos re-
fert, alter in proposita hac oratione exponitur: in
qua primum docet intelligere nos id debere, siue
utraq; cubiti ossa fracta fuerint, siue alterū tantum
quod inferius est, qui proprie cubitus nūcupatur.
quanq; hoc cōmune utrisq; modis est de quibus
sermonē est facturus. sed illa sunt propria: prioris
quidē de quo nunc agit, q̄ subiecta cubito mitella

A angustior cum sit, q̄ ut totum membrum queat su
stentare, solam partem fractam suspēdit: posterio-
ris, quòd ecōtrario mitella cum ex utraq; parte at-
tollat, solam partem fractā insuspensam relinquit.
distorqueri autē inquit priori modo cubitum sur-
sum: secundo modo deorsum, sicut in sequēti ora-
tione declarabit: priori uero modo distortionē in
superiorē partem fieri ita ostenditur: cum pars fra
cta à mitella sustentetur, reliquæ utrinq; deorsum
tendant, propterea q̄ nullam firmā sedem habe-
ant, efficitur, ut quod à mitella gestatur, altiori lo-
co callo conferruminetur. qua aūt figura membrū
occalluerit, eandē reliquo omni tempore conser-
uat: adeo ut sæpe nos quæ ita fuerunt distorta, ite-
rum ad principium cogamur reuocare: atq; exten
B to denuo membro fracturā rursus eandem efficia
mus. nam, sicut prius iam diximus, nō unitur & co
alescit unquam os, sed à callo circūcrescente colli-
gatur & cōferruminatur. ubi igitur id extendēdo
diuellimus, rursus curamus, ut in conueniente fi-
guratione calli conglutinatio efficiatur. non uniri
autē prorsus & coalescere inter se quæ fracta sunt
ossa, in alijs quoq; animalibus cōspicere potes. nā
si aliquando uel suum uel aprorum, uel boum, ca-
prarum item & ouium, quinetiā gallorum aut gal
linarum os aliquod callo conferruminatū depre-
henderis (deprehendes aūt multa, sicut etiam no-
bis cōtigit, si id studiose inuestigaris) deraso circū-
circa callo fracti ossis capita inter se apposita tan-
tum cernes, nō unita & coalita, ut caro in uulneri-
C bus cōsueuit. cur aūt si utraq; cubiti ossa fracta sint
& id quod proprie cubitus dicitur, et alterum quē
radium uocant, maximā membri distortionem ex
praua suspensione fieri contingat: si alterum tan-
tum fractionē passum sit, id est cubitus, membrū
minus distorqueatur: si in radio fractura euene-
rit, nulla omnino distortio accidat, etiam si praue
appensio adhibita fuerit, non difficulter reperies,
si ea quæ dixit, memoria teneas. subiectū enim &
substratum os, ut inquit, qui est cubitus, loco sedis
ac fundamēti superiori fracto iacet: atq; ita distor-
tionem eius prohibet. si uero cubito fracto radius
illæsus permanserit, si recte quidem deligetur, diri
gere etiā secum quodāmodo cubitum potest: cōti
nere tamē ne penitus distorqueatur, si in appēsio-
D ne peccet medicus, nō potest: propterea quòd in
inferiore loco cōstitutus cubitus nihil habet, nisi
deligationem quæ ipsum sustentet.

52 At si fractis ossibus & summa manus
& pars iuxta gibbū cubiti, mitella sustinea-
tur, reliqua aūt cubiti pars suspēsa nō sit, in
inferiorem partem os distortū inuenietur.

Secundū ex quatuor modis quos modo superi
us cōmemoraui nunc docet, qui cōtrarius primo
est. illo enim à mitella solus fracturæ locus susten-
tabatur. nunc alijs omnibus partibus suspensis so-
la ea in qua est fractura ingestata relinquitur. quē-
admodum igitur in superius cōmemorata appen
sione, quia sustētata à mitella membri pars fracta
sublimior, reliquæ oēs utrinq; depressiores, atque

humiliores permanebāt: merito distorqueri in superiorem partem totum cubitū dixit: ita nunc ubi fractura sola à mitella nō sustentatur, ea pars membri sola cum deorsum fluat inclinatur, ac deprimitur, atq; ut incuruetur cubitus eo loci, ac callo obducto in inferiorē partē distorqueatur, facit. atque hæc tota propositæ huius orationis sententia est. duæ aūt huius orationis lectiones reperiūtur, quæ uerbis quidē ipsis maxime inter se contrariæ uideri alicui possunt: si quis tamen diligenter aduertat, in rebus cōsentiunt. nam cum nōnulli suspensum cubitum, id est μετέωρον, insustentatum intelligāt, qui solo aere gestetur: alij uero econtrario suspensum pro mitella sustentato accipiant, eo quod qui extra mitellā est, deorsum inclinetur, humiliorq; efficiatur, quod contrariū suspenso sit: merito due lectiones uerbis inter se repugnantes, re autem & sensu inter se consentientes euaserunt. cum enim uerbum-suspensum-in contraria significata ab explanatoribus trahatur: iure fit, ut alij sine negatione-reliqua autem cubiti pars suspensa sit-alij cum negatione legendum censeant-reliqua autem cubiti pars suspensa non sit-prout unusquisque uerbum hoc interpretatur.

53 Oportet igitur ut mitella molli quæ latitudinem habeat & plurimam cubiti par-
A tem, & articulum ipsum manus æqualiter suspendamus.

In hac ratiōe prætermissas reliquas duas appensiones significat. eas inquā, quæ cōmune illud habent ꝙ in extrema cubiti parte mitella subijcitur: proprium uero, ꝙ uel iuxta gibbū tantū cubiti, uel iuxta manus tantum articulum eadem mitella supponitur. nam cum ante dixerit, cum circa solā fracturā circūijcitur mitella, & cum utrisq; extremitatibus applicatur, & postea in hac oratione moneat plurimā cubiti partem & articulum manus æqualiter à mitella sustentari debere: manifeste declarat se reliquas duas appensiones, quæ nō recte sese habent damnare: quippe cum neutra ipsarum
B articulum manus simul, & plurimā cubiti partem æqualiter firment. sed propriam tamen de his doctrinam nullā tradit: præcipue quidē quia, ut dixi, cum prædictis intelliguntur: deinde propterea ꝙ si deligatio recte facta sit, paruā admodum hæ læsionem afferre cōsueuerunt. ante dictæ uero duæ appensiones ob id ualde prauæ censebātur, quòd pars fracta contrario modo, quàm utræq; adiacentes afficiebatur: cum aliquando ipsa sola nulla alia sustentata sursum traheretur: aliquando deorsum cæteris subleuatis sola ipsa dependere permitteretur.

GAL. IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE FRACTVRIS COMMENTARIORVM

Liber secundus.



1 I autem brachium fractum fuerit.

Nōnulli ex ijs qui librum hunc explanarunt, sicut in superioribus, modo totū membrū quod inter duos articulos gibbi cubiti uidelicet & manus porrigitur, modo longius ex duobus eius ossibus cubitum appellabant: ita brachium aiunt ab Hippocrate nuncupari & membrum quod est inter humeri & cubiti articulum, & os quod in ipso continetur. alij membra quidem ita nominari asserunt, sed ossa ipsa habere appellationem hanc negant. quippe cum ita nos quoq; dicere consueuerimus, illi caput uulneratū est, aut mala, aut nasus, siue in sola cute læsio ipsa cōtigerit, siue altius penetrarit, ut uel membranā musculi, uel neruum uel arteriā, uel uenam offenderit: sic cum dicimus brachiū fuisse ulceratū affectionē eam in brachio cōtigisse declaramus, quod ulcus uocatur. quoniam uero in ratione ulceris caro cōprehenditur, eā licet propria appellatione non expresserimus, ulceris tamen uocabulo significamus. quippe cum quæ in carne contigit, diuisionē, ulcus uocemus: ita ut cū dicimus, Dioni, si ita inciderit, brachium fuisse ulceratum, carnem tantummodo brachij significemus. eodē modo cum fractum eidem brachium dicimus, affectum eum passum esse ipsum ostendimus, quam fracturā uocant. unà uero cum fractura necesse esse aiunt, ut os quoq; intelligat.

C Sed enim hoc cum in nomine tantū & significato altercationē habeat, neq; prodesse nobis, neq; obesse ad fracturæ curationem quicq; potest. quæ sequuntur, curationē quæ fracto brachio adhibēda est, nobis tradūt. quæ sane, ut mihi quidē uidetur, plana omnis ac clara est, nō secus atq; alia quæ superius de cubito scripsit. nā illa quoq; præter paucissima quædā, dilucida fuerunt. tametsi nos dum singulorū quæ ab eo fieri iubebant, causas apponeremus, produximus orationē: quod licet à proprio explanationis munere aliquantulū abeat, cōsuetum tamen, ut dixi, explanatoribus est. uerū tamen cum has easdē ipsas rationes alibi ipse breuibus explicarit, neq; nos hic apponendā earum inuentionē, sed ordinē immutandū nobis esse duxi-
D mus. Hic uero & per se cōsiderata oratio manifesta est, & singulorū causam superius ante dictā habet, ubi de cubito agebatur. quippe cū hæc ad ea quoq; referant, quæ generatim ibi cōsulunt. primum totius manus & brachij figuratio est, deinde extēsio, postea conformatio, post quam extremo loco positio succedit: siue aliquo modo collocetur, siue appendatur. his igitur præcognitis si pauca aliqua occurrerint, quæ aperta non sint, in sequentibus explanabimus.

2 Et distentā manū quispiam protrahens in ea figura extendat: musculus brachijs distētus deligabitur, atq; ita efficietur ut cum qui deligatus fuerit, cubitum inflexerit, musculus brachij aliam figuram habeat.

Huic

Huic orationi addenda ea sunt quæ superius di cuntur. cum post deligationem musculus brachij aliam figuram acquirit, fieri ut nõnullæ ipsius partes uiolenter à fascijs comprimãtur, aliæ laxas eas & diffluentes habeant: atq; inde contingere, ut ex compressione inflãmatio oriatur: ex laxitate mem brum ipsum distorqueatur: quare figuratione ma nus minime esse mutandam: sed eandem semper seruandam à principio usq; ad finem, sicut etiam prius dictum fuit. at si in ea figura qua deligaris, manum cõserues: sicut nulla deligationis pars aut laxior, aut astrictior reddetur: ita quia ipsa figura praua est, ut superius demonstrata fuit, dolorem afferet, atq; ex eo inflammationem excitabit.

3 Iustissima igitur brachij extẽsio hæc est. lignũ cubitalis longitudinis, aut paulo bre uius, cuiusmodi manubria ligonũ sunt, ex utraq; parte catena deligatum suspendendum est. tum hominis in sede alta collocati brachium transferendum est, sic ut sub ala manubrium aptetur: ea moderatiõe ut uix considere homo queat, sed ferè suspensus maneat. postea aliquid aliud stabile apponendũ superiecto scorteo puluino aut uno aut pluribus, quo ei altitudini satis sint, ut cubitus ad rectum angulum obliquetur. optimum quidem est ut corium aliquod latum & molle, aut mitellam latam circumijciamus, atq; inde ex magnis ponderibus aliquid appendamus, quod intẽdere medio criter ualeat. sin minus, homo aliquis præualens ea figuratione seruata cubiti ad brachium deorsum urgendo compellat.

Iustitiæ naturalis esse ut proprium unicuiq; nõ ex lege, sed natura ipsius attribuatur, & in philoso phia demonstratũ, & superius etiam dictũ iam est. dictum item præterea fuit iustã esse figurationem eam quę singularũ membri partium proprium situm seruaret: eandemq; dolorẽ minime omnium aliarum afferre: quæ in brachio est, cum quis cubi tum ita figurat ut rectum angulum cum brachio efficiat. iubet igitur ut homo figurato ita brachio in sede collocet: atq; ante ipsum trãsuersum lignũ prætendatur tantum ac tale, quãta ac qualia ligonum manubria esse cõsueuerunt. σκαφία enim rustica instrumẽta appellat, id est ligones quibus ter ra foditur, inter quæ sunt etiã quæ bipalia uocant. hæc à cõminuendis glebis μινύαι ab Atticis, id est rutra nuncupantur. uult aũt prætentũ hoc lignum immotũ permanere, ita ut neq; sursum neq; deorsum in opere ipso transferri queat: id quod fiet, si catenis ex utroq; capite annexis sublimi alicui loco suspendat. supra hoc transmittere brachium ægrotantẽ hominẽ iubet, ita ut transuersum manubrium alę impingat. homo aũt ipse cuius brachiũ fractũ est, ita alte debet sedere, ut ferè suspẽsus sit. uult enim eum sedere ut operationi sufficiat, et nõ

A stando delassetur: nõ tamen depressum atq; humi lem esse, sed ita ut quàm altissimus quisq; esse sedendo potest. quin etiã medici ipsius causa, ut recte stando operet, & non plerunq; inclinari deorsum cogatur. ipsi quoq; qui curatur, melius est, ut ita sede at. nã cum ægrotantes in huiusmodi manuũ exten siõibus dolore affici cõsueuerint, fit ut propterea attrahẽtes sequant, & sese attollant. neq; amplius pristinã sessionẽ suam seruẽt: atq; inde intentio omnis resoluatur. quod ne fiat, in extremo termino altæ sessionis hominẽ ferè suspensum collocandũ cẽset. ut si paulo attollat, stet: quod si fecerit, neq; seipsum latere, neq; alios possit: cũ uero nõ lateat, rursus in pristinam figuram & ab alijs, & ex seipso etiam facile reducatur. illud quoq; accedit, quòd

B ijs qui ita sedẽt, si stare uelint quàm minima: humi liores, quàm maxima mutatio fit: ut cum læsio aliqua ex mutatione illa eueniat, minima si alte quis sedeat: maxima si humiliter, euentura sit. perspicuum etiam est eum ligno trãsuerso sub ala uti ea de causa, ne dum manus extenditur, homo sequatur, atq; ita intentionẽ resoluat. id quod nos absq; ligno sæpenumero facere consueuimus laqueis sub alam circumiectis: quorum sanè capita retro intendenda sunt. tum aliorum laqueorum circum positione in utranq; partem os fractum distendimus, si manu facta intentio imbecillior sit, quàm cõue niat. nã ea aliquãdo sola sperandũ est ut res succedat. quẽadmodũ in pueris, ubi nullis laqueis est opus, ac multo minus machinis axes habentib. qui

C bus capita laqueorũ circũuoluendo efficere uehe mentiorẽ distẽtionẽ solemus. sed hoc modo distẽ tionis in luxationib. plerũq; utimur. hic aũt quem nunc adhibendum censet, huiusmodi est. uult ut cubitus super aliquod aliud innitat stabile quod ἑφεδρον uocãt, id est eiusmodi stabilitatis, ut in eo desidere quispiam firmiter queat: supra quod scor tei puluini inijciantur. deinde ab inferiore extremitate brachij iuxta cubiti gibbũ ponderosum ali quid appendi iubet. magnorũ, inquit, ponderum aliquid, id est σαθμίων. ea autẽ sunt quibus uti consueuimus, libralia pondera ex ære, aut ferro, aut plumbo constantia. prius tamen latum aliquod lo rum & molle, aut mitella aliqua ualida ea parte cir cumijcienda ex qua pondera hæc appendantur.

D 4 Medicus uero rectus stans altero pede altiori loco firmato operetur, palmisq; os componat. facile autem componetur, & dirigetur, propterea quòd bona hæc extẽsio est, si quis eam recte præpararit. deinde iniectis fasciæ initijs supra fracturam deliget. & cætera omnia, quemadmodũ prius monuimus, pertractet, & interrogationib. ijsdem sciscitetur, & ijsdem signis utatur, moderate ne se habeat, nec ne. et tertio post die soluat, & religet, & magis comprimat.

Hunc habitum utpote stabiliorẽ ac firmiorem operanti eligit. quemadmodũ in libro De ijs quæ in

in medicatrina aguntur, docuit in hunc modũ scribens. Si uero stet, utrisq; quidem pedibus ex æquo insistere oportet, sed agere altero inscendentem, qui utiq; ex parte operantis manus non sit.

5 Et septimo die uel nono ferulas circundet. & si non recte positum esse os suspicetur, intra hoc tempus resoluat, & ubi recte composuerit, religet.

Id quod superius in cubito intelligendũ tibi esse dixi, nunc quoq; est dicendũ. si omnia rite euenerint, in hoc præscripto temporis spacio ferulas tibi esse inijciẽdas: sed in cubito septimo tantummodo die deligari ferulas iussit. in brachio uero disiunctiua copula usus, septimo die, inquit, uel nono ferulas circundet. ob id uidelicet quòd ob magnitudinem musculorum brachij longiorem temporis moram partes circa fracturam requirũt, ut graciles prorsus ac rugosæ reddantur. tũc enim ubi eiusmodi euaserint, apponẽdarum ferularum occasionem esse demonstratum est.

6 Corroboratur maxime brachij os in quadraginta dieb. quos ubi excesserit, soluẽdũ, ac minus cõprimẽdũ, paucioribusq; linteis deligandũ est, exquisitioreq; quodã quàm prius uictu, atq; eo diutius utendum est: quandiu autẽ, ex tumore qui in summa manu extitit, coniectabis, uires eius spectans.

Callo colligari ac cõferruminari separatas fracti ossis partes corroborari appellat, sicut etiam superius in cubito. quanto autem maius brachij os est quàm cubiti, tanto etiã longius tempus ad callum contrahendum requirit. reliqua omnia ex ijs quæ de cubito dicta sunt, patent. ut nulla nostra explanatione indigeant.

7 Aduertere insuper etiam hoc oportet, brachium in exteriorem partem incuruatũ natura esse. atq; iccirco si non recte curetur, solere distorqueri. nam reliqua etiam ossa quæ natura sunt distorta, ubi fracta sunt, si nõ bene fuerint curata, distorqueri in eadẽ partem consueuere. quapropter opus est, ut cum tale quid suspicamur, mitella lata brachium circum circa comprehendamus ac circa pectus deligemus: atq; ubi quiescẽdum est, inter cubiti gibbum & costas plagulam aliquã multiplicem, aut tale aliquid supponamus. hoc enim modo incuruatio ossis dirigi posset. cauendum tamen est ne nimis in interiorem partem uergat.

Quæ hac in oratione dicũtur usq; ad finem ubi de brachio agit, omnia perspicua sunt. nam & causam distortionis in exteriorem partem ipse explicat: & quo modo ex propulsione in cõtrarium dirigatur, docet. tum plagulam multiplicẽ inter costas & cubiti gibbum ea causa interijciendam iubet, ne brachiũ costas attingat, sed locus medius

A intercedat, in quem compulsum brachium à constringente mitella corrigatur: dum naturalis curuatura in exteriorẽ partem distorta ex depressione in interiorem partem restituitur.

DE PEDE ET MANV.

8 Pes hominis multis ac paruis ossibus, non secus ac summa manus cõstat.

Conuenientia partibus totius manus et brachij cũ cruris partibus quædã est. quod enim in manu est brachiũ, id in crure est femur. quod in manu cubitus est, in crure est tibia. sic summa manus pedi correspõdet. sed nullũ nomen propriũ summæ manus habẽt Græci diuersum à manu, sicut pes diuersã à crure appellatione nuncupatur. merito ergo pedem absolute dixit, neq; addidit summũ, manũ uero summã uocauit, ut à tota manu, quæ brachium etiã totũ apud Græcos cõprehendit, distingueret: sed hæc de nominũ usu satis, de rebus ipsis iam dicamus. Sequebatur, ut ad ea quæ superius dixit, de summa manu tractationẽ subiungeret: sed ipse nõ de ea sola, sed de pede quoq; simul agit. ac plura etiam de eo dicit, propterea quòd pes maiorẽ diligentiã postulat. ex multis igitur ac paruis ossibus hęc cõstare inquit: at nos duris etiã adiungemus. medulla enim carent, ac fistulosa minime sunt, paruis lapillis perq; similia. sicut aũt totum brachiũ toti cruri respondet, ita manus cũ pede conuenientiã habet. qualis enim in manu est prima pars palmæ, quæ καρπὸς dicitur, talis in pede prima pars plantæ est, quã ταρσὸν uocãt. qualis item in manu palma est, id est μετακάρπιον, talis in pede est planta, seu solũ. digitorum cõuenientia, etiã si ego nihil dicam, satis clara per se est. præter hæc in pede ossa calcis sunt. unde longior etiã de pede ab eo tractatio fit, quàm de manu. quippe cum quę cõmunia cum manu habet pes, prius cõmemoret, deinde quę propria, deinceps subiungat. prima igitur pars palmæ octo, palma ipsa quatuor, digiti tribus singuli ossibus cõstituuntur: ut omnia manus ossa septẽ et uiginti sint. at in pede digitorũ ossa quatuordecim habentur: duobus enim tantũ magnus eius digitus cõstat. quinq; plantã explent: atq; ita simul omnia totidẽ quot in manus palma & digitis, id est decem et nouem sunt. nam licet palma uno osse à planta superetur: digiti tamẽ manus uno osse digitos pedis excedunt: atq; iccirco utræq; partes pedis utrisq; manus partibus pari ossiũ numero adæquantur. preterea in manu prima pars palmę octo cõstat ossibus in pede prima pars plantę simul cũ calce & talo & tesserali, & nauiculari, octo etiã ipsa ossa habet. ac calcis quidẽ os maximũ omnium quę in extremis his membris reperiuntur, & talo & tibiæ substratum, totum fermè, quando stamus, corpus sustentat: ab anteriore uero parte cum tesserali seu quadrato osse quod κυβοειδὲς dicunt, dearticulatur: quẽadmodum tali caput cum nauiculari, quod σκαφοειδὲς nuncupatur. quibus utrisq; alia quæ in prima parte plantæ præcipue sunt dearticulatione annectuntur. & si quis uelit talum pedi attribuere, in utraq; extremitate membrorum, id est, tam in ma-

nu

nu, quàm in pede idem numerus oſsium reperietur: ut modo docendi, non ipſa rerum natura inter ſe diſcordes ſint, qui uiginti ſeptẽ eſſe in pede oſſa, & qui ſex & uiginti eſſe tantummodo aſſerunt. ſi enim pedi talum aſcribas, ſeptẽ & uiginti: ſi eum à pedis numero auferas, ſex & uiginti oſſa tantum erunt. hac de cauſa igitur recte dixit-pes hominis ex multis & paruis oſsibus nõ ſecus ac ſumma manus conſtat-utpote ad eos ſermonem habens, qui introducuntur, et diſſectionem iam uiderunt. atq; in memoriam eis reuocans ea quæ ad præſentem rem utilia iam didicerunt. non enim ſcire tantum oportet ex multis & paruis et duris oſsibus utrãq; ex his partẽ eſſe conſtitutam, ſed inſuper & figura & magnitudo ſingulorũ & reſpectus quem cum uicinis habent, quæ poſitura appellatur, memoria repetẽda eſt: ut cũ ex propria ſede aliquod ex his oſsibus exciderit, prompte ei occurrere ualeamus

9 Frangi autem non admodum oſſa hæc cõſueuerunt niſi unà cum corpore ab acuto aliquo aut graui uulnerato. ſed uulnerata ut curanda ſint in ulcerationũ loco dicetur.

χρῶτα quod hic corpus dictum eſt, Iones appellant, quicquid carnoſum corporis noſtri eſt: in quo maxime genere cutis & muſculi ſunt: deinde membranæ & uiſcera. at oſsium genus χρῶτα non uocant, ſicut neq; cartilagines, neq; copulas. ita quoq; Homerus uſus nomine hoc uidetur fuiſſe, ubi inquit. Semper erit firmum generi ipſi corpus, & acre. & alibi.

Ne flens ipſa ſibi corpus laceraret honeſtum.

In antedictis igitur membris, quæ ſunt pes, & manus, non admodum frangi oſſa ſolere abſq; ulcere inquit: quod enim ait unà cum corpore uulnerato, idem ſignificat, ac ſi cum ulcere dixiſſet: neq; refert in præſenti oratione ulcus ne an uulnus dicatur. in manu autẽ & pede pauciſsima carnulentia eſt, ſicut in brachio & femore quàmplurima. quocirca cum extrinſecus aliquid in manũ & pedem incidit, quod cõfringere oſſa ipſorum queat: partes hæ facile patiũtur. fractionis enim quatuor maxime generales cauſæ ſunt. nam uel aliquid eſt quod cõtundere poteſt ſi uehementi impetu deferatur. id autem proculdubio corpus aliquod eſſe debet, quod durum ſubſtantia ſit, & mole non exiguum. uel aliquid quod cutem ſolam, uel quod aliquid etiã quod ſubeſt cuti uſq; ad oſſa, uel quod oſſa etiã ipſa diuidat: quod ſane malum ipſe ἕδραν quaſi deſeſsionem dicas, in libro De uulneribus capitis, uocat: quinetiam ex alto aliquo loco deſilientes nonnulli uel tibiæ, uel femoris os fregerũt, quæ ſicciora ipſis, neq; admodum denſa fuerint. nam in palæſtra nos quoq; uidimus ex circumtortione, ita enim clare dici poſſet, fracturam contigiſſe, in quodã, cui cum fracta eſſet tibia unà cum ſura magno cum uulnere oſſa denudata ſunt. fractura enim ea euenit, cum tibia cruri aduerſarij luctãtis per trãſuerſum fuiſſet ſubiecta, ita ut utraq; eius capita & iuxta pedem et iuxta genu deorſum uiolenter deprimerentur: id quod in lignis quoq;

A quæ à nobis ipſis circumtorquentur, uidere licet. ſi enim ligna ſupra femur noſtrum impoſita ex utroq; capite deorſum uehemẽter manibus urgeamus, frangi ea in media parte cernemus. quemadmodum igitur neq; magnũ neq; ualidum, ſed paruum & imbecillum lignũ circumtorquere ac frangere hoc modo ſolemus: ita ſi os infirmum ſit natura, ſimili luctatione atq; operatione medium dirumpi cõſueuit. at talis modus fracturarũ in oſsibus manus & pedis non cõtingit. neq; etiam ſi ex alto deſiliant, neq; ſi in terram deferantur, neq; ſi uiolenter pedem diuellant. huiuſmodi enim ictibus copulæ potius oſsiũ, quàm oſſa ipſa franguntur: id quod ipſis cum ob paruitatem, tum ob duritiem magis euenit. adde q neq; extrinſecus ali-

B quid uehementer ipſis impingens, facile ea poteſt confringere, niſi & durius oſsibus ipſis ſit, & magnitudine ſatis amplũ. eiuſmodi enim cum eſt, neq; cuti parcit, quemadmodum neq; cum acutum eſt quod percutit. id enim cum diuidat, & ſecet, prius oſſa affici, quàm ipſa attingat. unde merito dixit oſſa hæc abſq; ulcere non frangi. quoniã uero de fracturis cum ulcere in ſequentibus tractaturus eſt, horum ſermonem in eum locum differt.

10 Si uero quid è ſede ſua motum fuerit, aut digitorũ articulus, aut aliud aliquod os primæ partis plantæ, pellendũ unũquodq; in ſuã ſedẽ eſt, ſicut & ea quæ in manu ſunt.

Non quia prædixerit aliquid de oſsibus quæ in

C manu ſunt, nunc ait-ſicut & ea quæ in manu ſunt-ſed perinde ac ſi ita dixiſſet, pellẽdum unũquodque os pedis in ſuam ſedem eſt. & ſimili modo etiam in manu faciendum eſt. legitur autẽ in nonnullis, pellendum, in alijs depellendũ, id eſt deorſum pellendum. nam reponendum in propriam ſedem os eſſe inquit, quod motũ fuerit. mouetur autem os, cum quæ ipſum cum uicinis colligant copulæ abruptę fuerint: ſed non omnes tamẽ quę os circumcirca cõtinent abrumpuntur. raro enim prorſus id fit, ut relicta tota ſua ſede os læſum ad cutem reſiliat: & maxime ſi laxa ſit, ut moti oſsis impetui reſiſtere nequeat. propterea enim in inferiorem pedis partem prominere motũ os plerũq; non ſolet, quia craſſa & dura cutis ibi eſt, quod ue-

D ſtigium uocatur. ſed ob id quoq; quòd quæ ictum inferunt, ex ſuperiore parte ferè ſemper pedẽ percutiunt. tunc enim tantummodo in inferiorẽ partem os prolaberetur, ſi ex alto loco deſiliẽs homo in aſperas admodum aut acutas prominentias pedem impingeret. quæ igitur undecunq; abſoluta penitus ſunt oſſa, cùm è ſede ſua ſiue ſurſum ſiue deorſum exceſſerint, reponi in ſedem difficilius queunt. nam licet id fiat, quod raro proſpere ſuccedit, ſemper tamen laxam ſedẽ habent. ſi enim rurſus uehementius moueant̃, cum copulas, quæ ipſa contineant, amplius non habeant, erumpent. at quæ ex parte copulis quibuſdam ſeruatis ſunt annexa, ex parte ſoluta, perinde ac ſi abrupta ſint, prominere cõſueuerunt. ea extento toto pede depellenda in ſedem ſuam ſunt.

11 Medendumq; ei est cerato, & plagulis & linteis non secus ac fracturis: omissis tamen ferulis, eodem modo comprimẽdo, & tertio post die deligãdo, interrogetur item ille qui deligatur similiter ut in fracturis, cõstricta ne an laxa deligatio sit.

Qualem curationẽ adhibere in fracturis iussit, talem nunc quoq; in manu & pede si motum os fuerit, tibi esse faciendam inquit. nam & ab extensione incipere debemus, quo reponere ossa dimota ualeamus: & ubi reposuimus deligare, eadem cura habita, ut absq; inflammatione pars ea seruetur, cõstrictumq; os repositum linteis detineatur. hæc autem fieri recte non posse superius demonstratũ est: nisi sanguis, qui in affectis partibus est, ad caput & finem membri exprimatur: neúe alius eò affluat, prohibeatur. Ad hæc igitur respiciẽtes, inueniemus totam deligationẽ quę fracturis adhibetur, quam exceptis ferulis, faciendã nobis censet. propterea quòd partis natura quæ curatur appositionẽ harũ non admittit. quippe cũ plana esse debeat superficies partiũ, quibus applicãdę ferulę sint, cuiusmodi prima pars plãtæ pedis minime est.

12 Sana autem in uiginti diebus perfecte omnia fiunt: nisi ea quæ cum ossibus tibiæ cõmunicationem habẽt, & cum ipsa etiam, ipsa processione. confert uero ut per hoc tẽpus cubent. sed non tolerant, quin contemnentes morbum prius obambulant, quàm cõsanuerint. ob id fit, ut pleriq; nõ integre cõualescant, sed sæpe dolore cõmonefiant. neq; id iniuria. nam cum totũ corporis pondus pedes uehãt, quãdo nondũ sani ingrediuntur, ægre consanescere articuli qui moti sunt, possunt. ac propterea interdum dolent quæ iuxta tibiam sunt. quæ uero cum tibiæ ossibus cõmunicãt, maiora alijs sunt: & cum dimota sunt, serius consanescũt. curatio tamen eadem est.

Cum ipsa inquit, de tota tibia uidelicet intelligens. ipsa processione autem è directo significat: id quod cum in multis sæpe dixit, tum uero inferius ter eodem loco hoc nomine deinceps utitur: ubi de tibia agit, cum inquit. femoris enim caput superiorem corporis partem sustinet: idq; in interiori parte cruris, non in exteriore est, sed ex anterioris tibiæ partis processione: tum reliqua corporis dimidia pars huic magis processione appropinquat, quàm exteriori. adde q; quod est intrinsecus, crassius est, quàm quod extrinsecus. quemadmodum etiam quod in cubito est, ex processione parui digiti tenuius est, & longius.

13 Linteisq; plurib. & plagulis utendũ est.

Cõsuetũ est, ut reposita ossa in sede sua permaneant, lintea & plagulas adhiberi. præsertim, si locus ob inęqualitatẽ ferularũ appositionẽ nõ admittit.

14 Et in totum hinc & inde deligandum, cõprimẽdũq; ut reliqua omnia: ea parte maxime, qua motũ os est. primasq; circumuolutiones linteorũ eodem modo faciendũ.

Superius iussit in fractorum ossium inclinatione, si in dextram prolapsa sint, in sinistram nos propellere ac retorquere: si in sinistram, econtrario in dextram reducere. in pedibus uero æqualis omnino faciẽda deligatio est: quia in eis ossa, quæ è propria sede exciderunt, non in latus, sed uel sursum, uel deorsum ferri consueuerunt.

15 In singulis autem resolutionibus multa calida aqua fouẽdum est. in omnibus enim noxæ circa articulos multa aqua calida perfundendæ. at compressiones & laxationes ijsdem temporibus eadem signa exhibeãt, quæ etiã superius. tum religationes eodem modo fiant. hi autem in quadraginta maxime diebus sani perfecte euadunt, si cubare uoluerint. sin minus, ea quæ & prius dicta sunt, & magis quoq; patiuntur.

Vbi mitigari dolorem, laxariq; intentionẽ corporũ uult, ibi plurima aquæ calidæ perfusione uti præcipit. id quod præcipue in huiusmodi affectionibus circa articulos faciendum est, quæ & neruosiores, & osseæ magis partes sunt: ut & ab inflammatione collidantur, & maiorem dolorẽ eo quod neruosiores sunt, sentiant. noxas autem, id est σίνη nocumenta & læsiones uocat. nam & σίνεσθαι nocumento affici, ac lædi appellat.

DE CALCE.

16 At uero quicunq; de alto loco desilientes calce uehementi impetu firmati sunt, ijs ossa distant: & uenulæ carne circum os contusa exuccantur: tumorq; superuenit, & dolor multus. os enim id paruum non est: & ex directo tibiæ prominet.

Exuccari uenas inquit, dum uult significare effundi extra succum qui in eis continetur, id est sanguinem, ac sugillari. id quod fit cum tunica ipsa cõtusa est. quæ enim contunduntur corpora, unionẽ naturalem amittunt multis ac paruis partibus ipsorũ discerptis, è quibus etiã sanguis undequaq; effunditur. at effluentem hunc sanguinem loca circum uenam excipiunt. atq; ubi exceperunt, talem, qualis à principio erat, minime conseruant. nam mora quadã ibi nigrescit: perinde ac si foras effusus inueterasset. contingitq; affectio ea, quæ θρόμβωσις, id est concretio sanguinis nuncupatᷣ, ex qua quidẽ affectione sanguis ipse, θρόμβος, id est cõcretus sanguis, & est, & dicitur: tũ niger etiã colore fit, atq; inde etiam praue putrescit. sed hęc quidem exuccatis & sugillatis grauissima cõtingere non possunt, si à natura superatus sanguis, muteᷣ: sicut fit in inflãmationibus quæ ad maturitatẽ perueniũt: siq; in pus conuertaᷣ. ut aũt natura quæ in partibus insita est, sanguini dumineᷣ duobus his studen-

studendum est: alteri, ne inflãmatione laborēt partes: quod quomodo fiat, superius didicimus: alteri, ut interfusus sanguis discutiat, atq; elidatur. hęc igit spectans Hippocrates particulatim deinceps omnia præcipit. distãt, inquit, ossa eorũ qui ita desilierint, ac diducũtur, abruptis uidelicet quæ ipsa connectunt, copulis: quemadmodum paulo ante de ijs quæ in prima parte plantæ sunt ossa, dicebamus. calci autē à superiori parte talus annexus est: ab anteriore quod κυβοειδὴς, id est tesserale seu quadratũ appellatur: quemadmodum talo ab anteriore parte id dearticulatur, quod nauiculare seu σκαφοειδὴς dicit. his uero utrisq; quadrato, & nauiculari quatuor primæ partis plantæ ossa cõnectuntur. de quibus omnibus ossibus tam pedis q̃ manus in cõmentario De ossibus satis demonstratũ est.

17 Cõmunicationemq; habet cum uenis & neruis opportunis. tendo etiã posterior huic ossi annectitur. hi cerato, & plagulis, & linteis, aqua item plurima calida curandi sunt. his inquam, & linteis pluribus utendum est. præter hæc alijs insuper est opus quàm optimis, & lenissimis.

Ossi calcis, inquit, cõmunicationem nerui magni habent: id enim ei hic significat opportunum, sicut etiam uenæ non paruæ. connectitur item posterior tendo, qui ex musculis carnosæ posterioris tibiæ partis producitur. de his quoq; & in Dissectorijs tractationibus, & in dissectione musculorum satis dictum iam est. oportetq; ea probe didicisse unumquenq; qui percipere hæc uult, quę hic ab Hippocrate traduntur.

18 Et si mollis forte cutis natura circa calcem fuerit, ita sinendum. sin crassa & dura, ut nonnulli habent, incidendum, atq; attenuandũ, ita tamen ne uulneratio efficiatur.

Cum prædicta affectio circa calcem, atq; annexas partes accidit, periculum est ne & dolores magni, atq; inflãmatio non parua consequat. ossibus plena enim loca ea cum sint, neq; ex quibuslibet ossibus, sed admodum exiguis coarticulata, si parua aliqua ibi cõtingat inflãmatio, fit, ut magni dolores ex compressione excitētur. adde q̃ innexus calci tendo satis magnus cum sit, si inflãmetur in discrimen uenit, ne cõuulsione corripiatur. nerui item magni hac parte cõstituti sunt, qui ossa attingunt: quemadmodum in neruorũ dissectione didicisti. Quocirca cum alia quæ ad curationē spectant, diligenter administranda sunt & in uictus tenuitate, & in copia perfusæ aquæ: tum cutis inferiore parte, quæ uestigium dicitur, incidenda est: atq; id moderate: ita ut in quibus dura est cutis, incisionis altitudo duritia ipsa terminet. adeo enim in nonnullis pars ea occallescit, ut ne minimũ quidem sanguinis profluere inde possit, nisi alte admodum scalper adigatur. illius igitur uestigiũ incidendum est quod sanguinē non effundit: illi parcendum, quod ubi primum incidimus, cruentari

A consueuit. afficitur enim dolore dum inciditur. at neq; duritia illa cutis absolute ita secari debet, sed plane atq; æqualiter. ut autem æqualiter seces, tria tibi obseruanda sunt. longitudo incisionis, altitudo, & tertio loco interuallum. nam & æquales longitudine & altitudine inter se incisiones faciendæ sunt, & æquali quoq; interuallo inter se distantes: ut totum simili modo uestigiũ inflãmationis tempore absq; molestia extendatur. scimus enim omnia quæ inflãmatione afficiuntur, distendi solere: distētiones uero sicut dolores creare: ita quoq; inflammationes ipsas augere, & conuulsiones prouocare. Quemadmodum igitur multa aquæ calidæ perfusio adiecto copioso oleo cum distentionem remittat, magnopere adiuuat: sic incisiones B faciēdas excogitauit, quæ ad tantam altitudinem descendant, ut sanguine tamen præditam cutem nondum attingant. utiliter enim admodum leues has cutis incisiones cõmentus est. quippe cum in alijs quoq; partibus, cum magna aliqua inflammatione infestantur, scarificare cutem cogamur: partim ut aliquid ex affluētia sanguinis, qui in inflammatione est, demamus: partim ut perspirationes procuremus: atq; insuper distētionem soluamus, quæ ex inflammatione extiterat. at in pede magis quoq; ad scarificãdam cutem deueniemus, etiam si nondum inflãmatio occuparit: propterea quòd ea durissima cum sit, extendi in inflãmationibus non potest. quocirca cum distēditur, & dolore uehementi ipsa afficitur, & distētione adiunctas partes, & præcipue tendonem annexum collidit, qui C ex una musculi unius carnosæ posterioris tibiæ partis neruositate exoritur: qui si in dolorē & inflammationem incidat, periculum est ne toti musculo eadem impertiat. at si id fiat, conuulsionem sequuturã esse uerisimile est. ob hæc igitur omnia debet uestigiũ incidi, ac deinceps attenuari, id est tenue effici. id quod efficitur cum & duritia eius mollitur, & copia detrahitur. quæ utraq; olei & aquæ multæ calidæ perfusione cõparantur, si post eam ante deligationem oleo inungamus, quod tamen nulla astringendi ui præditum sit.

19 Bene autem hæc deligare nõ est cuiuslibet. nam si quis deliget, sicut cætera circa D malleolos consueuere, ita ut modo circum pedem, modo circũ tendonem fasciam conuoluat: hæ constrictiones calcem separant, cui contusio accidit.

Bene, id est ἀγαθῶς, pro pulchre quod καλῶς dicitur, & autor hic & alij ueteres sæpenumero usurpant. deligandum esse circa calcem censet, sicut in fracturis solet, eos reprehendens qui ita deligant, sicut sæpe consueuimus, cum uel medicamenta aliqua, aut cataplasmata, aut insuccationes cõtineri supra affectum locum uolumus. modus deligationis quē damnat, talis est. initio fasciæ obliquo circa malleolum iniecto distributio in inferiorē partem pedis fit ante prominentē tibiæ extremitatē, quã talũ uulgo appellãt. atq; inde rursus sub pedis uesti-

uestigium per transuersum traducta fascia, ac totũ pedem usq; ad oppositã partẽ cõplexa ex inferioribus & anterioribus tali partibus sursum obliqua reducitur eum ipsum attingens, quemadmodum prius etiã quando deducebatur. atq; ita dum eadẽ distributione utimur, necesse est, ut in anteriore parte pedis decussatione facta sibi ipsi fascia concurrat ad X literæ figurã. tum inde circũcirca malleolum deuoluta ad eundem locũ unde inceperat defertur. sicq; iterũ ijsdẽ his obductionibus, quas dixi, conuoluitur, quoad ad principiũ reducatur. ac tertio quoq; eodẽ modo distributa, ac malleolo circumducta initiũ repetit. nonnulli tamen ubi sub uestigium per transuersum inuoluerunt, non statim eam oblique ad malleolũ sursum reducũt: sed prius orbiculari conuolutione ad primam partem plantæ, id est πτερσὸν: quemadmodum alij ad malleolum orbiculariter circũducunt, ut obliquæ fasciationes à circularibus comprehẽdantur. quæ igitur hic fieri solent cõuolutiones fasciarũ huiusmodi sunt. quæ antedictis affectionibus minime sunt accõmodatæ: propterea q; neq; aliud quippiã ante fascias subijcit, quod continere deligatio debeat: neq; calx læsione uacat, ut in illis in quibus deligatio hæc admittitur: sed primus ipse, affectus est. quare hic deligationis modus calcem separat. id est in calcem ipsum sanguinẽ elidens, eum à deligatione excludit: cuius contrarium erat faciendum, ut scilicet deligatio è calce in uicina loca sanguinẽ exprimeret. id quod circumiectio linteorũ sola ea facit, quæ fracturis accõmodata est, ut superius didicimus: qua nũc quoq; utendũ esse censet.

20 Atq; ita periculũ est ne os calcis sideret.

Totam substãtiæ uniuscuiusq; partis corruptionem siderationem, id est σφάκελον ueteres appellant: sed in partibus carnosis alijs quoq; nominibus eandem uocant. quin ipse etiã tum putridam carnem, tum marcidam, tum uitiatam dicit, alijsq; huiusmodi nominibus nuncupare consueuit. de osse uero quod in tota substantia uitiatur, siderationis seu sphaceli nomine uti solet. tale autẽ uitiũ ossibus cõtingit, quando adiacens caro prauas sanies producit, quibus ipsa madefaciẽdo corrũpit.

21 Quod si sideretur, morbus is idoneus est, ut toto æuo duret.

Aeuum totam hominis uitam hic dixisse perspicuum est. estq; sensus huiusmodi. Si calx forte sideratus ac uitiatus fuerit, insanabilis morbus euadit, læsioq; ex ea re toto uitæ tempore perdurat.

22 Nam & alia quoq; sunt, quæ non hoc modo siderantur, sed in cubatione, ut cum nigresit calx ex figurationis negligẽtia: aut ex uulnere periculoso & diuturno in tibia, aut femore quod cõmunicationẽ cum calce habeat: aut ex alio morbo, cum diutina resupinatio cõtigit, sed tamẽ his quoq; huiusmodi uitia longinqua & molesta eueniunt, & quæ sæpe rumpãtur: nisi diligẽti studio, & multa cũ quiete curentur. nam quæ hoc modo siderantur, præter aliã læsionẽ, pericula quoq; magna corpori afferunt.

A

Non modo inquit, ex antedictis affectionibus os calcis uitiari consueuit: sed diuturnis quoq; cubationibus, quas resupinationes uocat. nam negligenter collocatus & iacens calx sæpenumero nigrescit. neglig̃ẽter autem iacet, cum supra durum aliquod positus est, nec frequenter attollitur, sed semper à subiecta re & calefit, & compingitur. unde tollendus est, faciendaq; è lana molli rotula, quam strophium nonnulli uocant, quæ pro ratione magnitudinis calcis sinum in se habeat: supraq; eam firmandus ita calx est, ut inferior eius pars suspẽdatur: atq; ita & sine collisione maneat, & perspiret, & sine calefactione conseruetur.

B

23 Febres enim peracutæ eueniunt, continuæ, tremulæ, singultuosæ, mentem attentantes, paucorumq; dierum, et perimentes.

In sideratione calcis hæc cõtingere inquit, non quia os ipsius corrumpatur: nihil enim ex superioribus simul cum hoc existit, cum ex sua quodq; ratione delineationem propriam habeat: sed quia quæ circũ ipsum sunt corpora, ipsumq; tangunt, annexaq; ei sunt, cum ex uitio eius læsionẽ percipiant, superioribus partibus eam participant. nam tendo qui cum calce cõnectit̃ inflãmatus musculos totos carnosæ posterioris partis tibiæ ex quibus oritur, cõtagione mali proculdubio afficit. hi autẽ affecti, in neruos statim qui in eos dispergun tur, morbũ diffundunt, necnon etiã in arterias. at cum arterijs cor, cum neruis cerebrum pati necesse est. quocirca cum cor innati caloris fons sit, cerebrum ratiocinandi uim per se habeat, per musculos uero uim mouendi partes, motionibus uoluntarijs appellatis: consentaneũ est, ut ex corde affecto febris: ex cerebro deliria: ex musculis tremores & cõuulsiones: ex stomacho, qui plurimũ neruorum est particeps, singultus oriantur.

C

24 Venarum item sanguifluarũ liuores, nauseationes, gangrænæ ex compresione existunt, atq; hæc etiam absq; alia sideratione. hæ autem quæ uehementisimæ contusiones fiunt, dictæ nunc sunt. sed pleraq; leniter cõtunduntur, neq; ullum multũ medicationis studium requirũt, modo recte tractentur. ubi tamen magna contigisse illisio uidebitur, & antedicta facienda sunt.

D

Sanguifluas uenas eas appellat, quæ magnæ sunt, quibus ruptis sanguinis eruptiões cõtingũt: id quod ex paruis euenire non consueuit. nam & paucus ex huiusmodi sanguis effundit̃, & cito ad oras ipsas diuisionis cõgelatur, nocumentũq; non affert. nauseationes aũt ferè appellat in uenis quas superius exuccationes, hoc est sugillationes uocauit: cũ uenę more eorũ qui nauseã patiunt̃, et ꝑpterea euomũt, sanguinẽ expuũt, ac quasi euomũt, tũ ex propria imbecillitate quã ex inflãmatione con

traxerunt, tum ex ipsius sanguinis copia, & prauitate, quem in huiusmodi affectionibus corrumpi manifestum est. gangrænas uero emortuarum uenarum torporem nominat, qui ex nimia inflãmatione consequitur. atq; hæc omnia, inquit, ex praua deligatione eueniunt, quæ duo præcipua mala efficit: cum & separet calcem atq; excludat, ita ut nudus remaneat: & reliquas partes uehementer comprimat. meditationẽ autem, hoc est μελέτην ipsum diligentiam appellare manifestum est: cum apud Ionas usitatum hoc sit: & ipse etiã sæpe hoc nomen in hanc significationem accipiat.

25 Et deligatio adhibenda, quæ calcẽ plurimum circumuoluat, & modo ad summas partes pedis, modo ad medias, modo ad tibiam lintea circumdet. uicina quoq; omnia insuper & hinc et inde deliganda sunt, sicut superius etiam dictum est, nec uehemens compresio est facienda.

Deligationem approbat quæ contraria ei est, quam superius damnauit, plerisq; consuetæ: qua fiebat, ut ex alijs pedis partibus sanguis ad calcem exprimeretur. debet enim econtrario è calce ad alias partes humorum affluẽtia elidi calce ipso deligato, sicut in fracturis prius faciendum docuit, plerisq; linteorum conuolutionibus ei circumiectis: ita tamẽ ne uehemens compresio efficiatur.

26 Multis tamen linteis utendum est.

Stabilitatem deligationis uel compresione uel multitudine linteorum censere esse faciendam, dictum à me etiam superius est.

27 Melius autẽ est ut ueratri potionẽ, aut eodem die, aut postero exhibeamus: ac tertio post die soluamus, & rursus religemus.

Veratrum exhibet non solum ut excrementitios humores euacuet, uerũ etiam retrahendi atq; auertendi causa. album enim proculdubio dat qui uomitus ciet, ut prius ex toto corpore in superiorem uentrem attrahat, quàm in intestinorũ anfractus deferatur. nam albũ esse id quod dandũ censet, ex his quæ subdit, innotescit. cum inquit, sed si febre quidem uacat, medicari eum superiori parte debemus, sicut dictũ est. at enim in ijs qui ita sunt affecti, sicut & euacuare superuacua, & in contrarias partes ab affectis locis humores auertere, q̃ maxime prodest: ita an id ueratro albo faciendum sit, non cõstat. quippe cum strangulare interdum soleat, cum in corpore multi & crasi, & lenti humores continentũ. iccirco prius dissoluendi hi sunt attenuante uictu, de quo integrum nostrum commentarium habes. exhibere enim ueratrum prius quàm uictu corpus præpararis, periculosum est: cum in plerisq; qualibus humoribus abundet corpus, ignoretur. sed fortasse tutò tunc ueratrũ albũ exhibebat, ob uictum, quo homines qui ab eo curabantur, uti consueuerant, non uoluptuosum, & mollẽ, sed & multis laboribus occupatũ, & cibis contentum paucisimis, ita ut crasitudo humorũ

A colligi minime posset: quam otia & repletiones procreare certum est. nam si robur quoq; quod ex eo uictu comparabatur, consideres, adhuc magis ueratri potionem tradere ei cõcedes: quippe cum eius tempestatis homines afflictationibus resistere ualerent, quæ ex uomitibus proueniunt.

28 An recrudescant nec ne notæ hæ sunt: cum sugillata uenarum, & nigrefacta, & uicina his subrubra & subdura efficiũtur, ne recrudescant periculum est.

Maligna uitia recrudescentia, id est παλίγκοτα appellat. et recrudescere, quod est παλιγκοτεῖν, quasi rursus crudum fieri, atq; in pristinam malignitatem quippiam redire, ac rebellare. notas te do-

B cet malignitatis propositorũ affectuũ, de quibus est sermo, quæ ortum inflãmationis præ se ferunt, qui ante omnia cauendus est. cum igitur inflãmatio omnis rubicundiorem, & duriorem cutẽ efficiat, neutrum horũ fieri in affectis locis debet: sed mollia esse, ac subuiridia sugillata oportet. uult enim ut sine inflãmatione suppurent. quare, si mollities inest mẽbris, & rubor abest, non esse inflammatum locum significat. si autẽ neq; ruborẽ, neq; nigritudinem habeat, non suppurare manifestum est. rubor enim inflammationẽ indicat, nigritudo materiam à natura neq; superari, neq; concoqui: sed sanguinẽ in coagulationẽ abijsse: quod ei etiã si extra corpus effusus fuerit, immoranti contingit. sed extra tamen, nunquã amplius suppurat: in

C corpore, si ualida fuerit natura in pus conuertitur: sin minus, eodem modo sicut extra: quinetiã magis, propterea quòd locus in quo continetur, calidus est, putrescere consueuit.

29 Sed si febre quidem uacat, medicari eũ è superiori parte debemus. sicuti dictũ est: quicunq; item continua febre non laborãt. nam si cõtinua sit, medicandum non est: sed à cibis & sorbitionibus abstinendum: potioneq; utendum, aquæ, nõ uini, sed mellæ.

Mos ei est, ut φαρμακεύειν, id est medicari nõ de omnis medicamenti exhibitione intelligat: sed de eorum tantummodo, quæ purgant. iusit nunc eo dem die aut postero dari ueratrum prius q̃ uideli-

D cet aut partes affectæ inflammari, aut homo febricitare incepisset: quin etiam si febris anteuertisset, modo leuiter afficeret, eodem modo exhibẽdum esse censuit. nos uero ne febre quidem uacuo dare ueratrum audemus. si febris autẽ uehementer infestet, ipse etiã non dat: sed exquisitisimo quoq; adeo uictu ęgrotos nutriendos monet, ut eis neq; cibos, neq; sorbitiones ullas exhibeat: sed sola potione uti uelit, non uini illa quidẽ: id enim perspicuum est, etiã si ipse nihil de uino prohibẽdo scripsisset: sed melle, quę est aqua mulsa acida, quę ὀξύγλυκυς dicitur, & aquæ mulsæ. hos enim potus in tenuisimo uictu adhibere consueuit: & tertium quoq; præter hos acetum mulsum: quod ex melle & aceto cõficitur. at mella dulcisimorũ fauorum dilutum & decoctum est: quod etiamnũ in Græcia

cia fieri in hũc modum solet. fauos expresso melle in ollam mundam aquæ plenam iniiciunt, ac macerant: deinde eatenus decoquunt, quoad satis ipsis uisum fuerit, ut faui humorẽ omnem quem in se habẽt, decoctura in aqua deponere potuerint: postea ita recondunt, ac seruant utunturq; æstate, ut potu sitim sedante, aqua frigida adiecta. hac igitur mella utendum etiam Hippocrates iubet: & si ea non adest, aqua mulsa. nam acetũ mulsum adhibere, cum neruosæ partes laborant, non expedit. quippe cum acetum neruos attentet, ut & experimento compertum est, & ipse etiam declarauit. in quibus autem usus aceti mulsi admittatur, in libro De uictu in acutis edocuit: quem librum nonnulli aduersus Gnidias sententias, alij de ptisana, neutri recte inscribunt.

30 Si autem futurum non est, ut recrudescant, sugillata & nigrefacta, & circumuicina subuiridia, & non dura apparent.

Iam hæc potestate fuerant significata illis uerbis superius cum dixit, cum sugillata uenarum, & nigrefacta, & uicina his subrubra & subdura efficiunt, ne recrudescant periculũ est. subduris enim & subrubris opposita nũc subuiridia & non dura scribit. subuiridia enim fiunt cum paulatim in pus cõuertitur materiã: non dura, cum non magna inflammatione afficiuntur. hæc siquidem etiam fuit causa ut interfusus sanguis in pus conuerteretur.

31 Bonumq; hoc testimonium est in omnibus suggillatis quæ rebellatura nõ sunt.

Bonum dixit eo significato quo certum, stabile, uerum, & perpetuum. testimoniũ uero pro signo posuit, propterea q; testificatur, & opinionem nostram quam in præsenti hac scriptione nos docet Hippocrates, confirmat. inquit autem hoc certum esse signum nõ solum in suggillatis circa calcem, uerum etiam in alijs quoq; omnibus: atq; id merito. non enim ex indicatione horum membrorum, sed ex ipsa suggillatione cognoscitur. periculum igitur non æquale suggillatorum malignitas affert: quippe cum ex membrorum natura in quibus fiunt, uarietas quædam ipsorum existat. exortum tamen non ex mẽbris habent: sed ex eo quod sanguis interfusus non suppurat. non suppurat autem sanguis, cum inflãmatio magna superuenit, aut ex prauitate deligationis, aut ex humorũ malignitate & multitudine: quam ipse quidẽ exinanitione per medicamenta: nos sanguinis missione emendamus: qua quidem uel sola cur contentus non sit, non uideo, cum & eam agnoscere, & talibus in affectionibus adhibere uideat. inquit enim in libro De articulis cum contusiones costis accidentes curat, præter alia quæ facienda censet, etiã hoc: Tum uena ad cubitum secanda est.

32 At quæcunq; cum duritia liuescunt, ne nigrefiant, periculum est.

Sanguis in terram effusus aliquando diutius permanet, aliquando flauior euadit, aliquando in nigricantẽ conuertitur, quandoq; etiam niger prorsus fit: quod ei contingere uerisimile est, cum ex aere ambiẽte, qui uel serenus, uel caliginosus, uel humidus, uel siccus, uel calidus, uel frigidus cũ sit, uarietates eas colorum efficit: tum ex singulorũ hominum natura potissimũ diuersitatis huius causa existit. quippe cum nõnullis sanguis magis melancholicus sit, alijs pituitosior & aquosior, quibusdam eiusmodi, ut flauæ & pallidæ bilis quàm plurimum trahat. sic quoq; in animalium corporibus sanguis è uenis effusus cum à natura non superatur, neq; in pus à continentibus eum partibus mutatur, in uarios abit colores. interdum enim eo tempore liuidus apparet: propterea q; liuidus color medius est inter planè nigrũ, & aliquem alium ex floridis, cuiusmodi est præcipue ruber & flauus. liuidus igitur hic color, uel ex floridis in nigrum abeuntibus exurgere cõsueuit, uel ex nigro in albũ cedente. quando uidelicet in pus iam conuertitur. sępenumero enim uidere licet, quę antea erant nigrefacta, inter initia puris liuida apparere, ac paulatim à nigro recedentia ad colorem ignis tendere, atq; effici subinde albiora: puris siquidẽ color cinereus est. nunc igitur Hippocrates differentiam quandam suggillatorum tibi tradit, cum liuida apparent. si enim cum duritie sint liuida, inflammata esse membra ostendunt: sin absq; duritie liuorẽ præ se ferunt, inflammationẽ abesse declarant. cum itaq; inflammatione carent: & naturam esse præualidam, & sanguinẽ è uenis effusum concocturam, & in pus conuersurã esse indicant. cum uero inflãmata sunt membra, ex eo infirmitatem naturæ arguũt: quæ tum ex imbecillitate partium inflãmatarum, tum ex copia praui humoris, qui in eis continetur, suggillatũ concoquere, atq; ad pus perducere non potest, ut nihil aliud supersit, quàm ut nigrescant, & corrumpantur.

33 Danda uero opera est, ut paulo altius reliquo corpore plerunq; pes cõstituatur. qui profecto si quiescat, sexaginta dierũ spatio consanescit.

Si humiliori figura pes collocetur, è crure eo sanguis influens inflammationẽ faciet. si altior sit, influere in eum nihil poterit. atq; iccirco omnino altius constituendus est, non tamen multo. quippe cum ex tali situ, si diutius maneat, dolor, ex dolore uero inflammatio oriatur. figura igitur quæ dolore uacet, terminus sublationis ac finis tibi erit. eam autem inuenies, si quãdo paululum sublatus pes fuerit, eum æger intendere experiatur.

DE TIBIA.

34 Iam uero tibia duo ossa sunt: quorum quidem partim multo tenuius alterum altero, partim non multo tenuius est.

Hæc uerba attestari ijs uidentur, qui cubitũ & brachium, tibiam et femur, non totum id quod ex ossibus, & reliquis partibus compositum est: sed ossa sola appellari ab Hippocrate asserunt: non tamen hanc tantummodo, sed illam quoq; esse horũ nominum significationem uerba hæc declarant.

quare

quare fieri potest, ut duplici modo huiusmodi omnia ab Hippocrate appellentur: quemadmodũ illi opinati sunt: qui modo de ossibus solis, modo de ossibus & circũiectis omnibus sumenda esse hæc censent: ut tibia tota ea pars nominetur, quæ inter articulum qui ad genu est, & pedem protenditur. quam sanè duobus ossibus constare, quorum alterum tibia, alterum sura nuncupetur: & crassius tibiam, tenuius suram esse: necnon mediam in toto hoc membro ac carne carentem partem quæ desu per seorsum in longitudinem porrecta in gracilioribus conspicitur, quam ἀντικνήμιον, id est anteriorem tibiæ partẽ uocant, tibiæ esse non suræ partẽ, & quæcunq; alia de ossibus his cognitu digna, explicata omnia in commentario nostro De ossibus sunt, quod ad eos qui instituuntur, conscripsimus.

35 Coniunguntur q; inter se iuxta pedem & appendicem communem habent.

Verbum-cõmune-quod hic inquit, non ita intelligendum est, ut continuam esse appendicem, atq; unam prorsus significet: sed duas simul ita cõiunctas & connexas, ut unius speciẽ præ se ferant. ita enim inter se cõmunionẽ habent appendices, ut una esse uideatur. partes autem horum ossium postremæ, quæ nudæ eminent forma rotundæ, à nonnullis non rectè tali appellantur. nam cohærens tendo talum intus continet ita occultatum, ut & tactui & uisui lateat.

36 Neq; ex directo tibiæ coniunguntur.

Non coniunguntur duo hæc ossa tibiæ ex directo & per rectitudinem tibiæ: id est per longitudinem non cohærẽt, neq; attingunt se mutuo ea parte, neq; inter se colligantur.

37 Iuxta femur uero coniunguntur, & appendicem habent, & appendix discriminationem.

Tibiæ caput in dearticulatione genu, quàm suræ multo plenius est: unde appendix tota tibi esse tibiæ uidebit. ab exteriore parte autẽ sura ipsi est subnixa. discriminationẽ uero habere inquit, prominentiam quæ in medio est. nerueam & chartilagineam, discriminationẽ appellans: quæ uidelicet colluctantia femoris tubercula quæ sese in tibiam inserũt, discriminat ac distinguit. hæc sæpe in mortuis corporibus putrescit: ut decipiantur nõnulli, falsumq; ab Hippocrate de ea dictum fuisse existiment: sed in recentibus cadaueribus apparet.

38 Longius autem alterum os paulo est, quod est è regione parui digiti, ac natura quidem ossium tibiæ huiusmodi est.

Ita ego scribendum censuerim: longius autem alterum os paulo est è regione parui digiti. nam si ita scripsisset Hippocrates, cõfirmaret appendicẽ circa genu cõmunem utrorũq; ossium esse, et non tibiæ solius: simpliciter igitur longius os suræ, non in inferiore tantum parte existit.

39 At enim prolabuntur iuxta pedem utraq; interdum ossa unà cum appendice: interdum appendix tantũ dimouetur: interdum alterum tantum os.

Nonnulli medici luxari uel exarticulari, id est ἐξαρθρεῖν de ossibus intelligendum putant, quæ è sede sua penitus excidunt: prolabi uero de ijs tantum, quæ subluxantur, quod παραρθρεῖν dicunt: id est quę non prorsus è naturali dearticulatione excedunt, & non aduertunt quid in principio libri De articulis dicat Hippocrates in hunc modum. Humeri aũt articulum uno modo prolabi in alam uidelicet noui. totum enim brachij caput è sinu in quo dearticulatum est, excedit. neq; esse in eo minor luxatio potest. quemadmodum ipse Hippocrates scripsit, causa etiam adiuncta: quam cum ad eum librum peruentum fuerit, ibi discemus.

40 Hæc tamen molestiam minorem afferunt, quàm quæ in prima parte palmæ manus sunt, si homines quiescere patiũtur. curatio uero eadem quæ in illis est. nam ex extẽsione sicut illic repositio faciẽda est. quanquam eo magis extendendum quo ualentius corpus hic subest. ut plurimũ enim uiri duo satis sunt, quorũ hinc unus, inde alter intendat: sin minus, uehementiorem adhibere extensionem facile est.

Non solum ijs quæ sunt in prima parte palmæ minorem molestiam hæc afferunt: uerumetiã ijs quæ sunt in pede molesta multo minus sunt. sed quia cõmunem de pede & de manu tractationem fecit, propterea satis habuit nunc alterius tantum membri facere mentionem, quòd primo & tibiæ & pedi correspondet. quantum enim ab ijs quæ sunt in pede hæc deficiant, & maxime ab ijs quæ in calce contingunt, quæ longe sunt molestiora: paulo superius ipse declarauit.

41 Vel enim rotæ modiolum uel aliquid aliud ei simile defodere: deinde molli aliqua re pedi circũiecta cum latis aliquibus bubulis loris circũligare oportet, quorum capitibus ad pistillum, aut aliud simile lignum deligatis, ligniq; eius extrema parte in modiolum iniecta retorquendum est. ab alijs contrà tum humeris apprehensis, tum poplite retrahendum.

Lignũ quoddã defodiendũ in terra censet, quod caput uectis possit admittere, quo mẽbri tibi facienda extẽsio est. scire autẽ te existimo modiolũ rotæ qui χοινικὶς dicit̃, ab Ionibus πλήμνην appellari. quo utit̃ hic uocabulo Hippocrates, & apud Homerũ q̃q; inuenit̃. quia aũt Hippocrates expedita ac prõpta esse uult, quæ utilia ad curationẽ sunt: ic circo hic modioli meminit, qui in locis omnib. qui ab hominib. incolunt̃, suppetere facile nobis possit. eadẽ de causa pistillo ad extẽdendũ loco uectis utendũ monet. q̃ pacto aũt utẽdũ ipsis sit, ipse uerbis suis, si q s eis animũ aduertat, manifeste explicat

42 Fieri item potest, ut superiori corporis parti necessitas adhibeatur.

Validas ac uehementes distentiones necessitates uocat, ut uiolentiam ipsarum significet.

43 Hoc sanè modo si uis lignū teres leuigatum alte defodere potes, atq; inde partē ligni super extantem inter crura ad interfemineū applicare: ut prohibeat quo minus corpus eos qui iuxta pedes extēdūt, sequat.

Erectum hoc lignum stabiliter in terra defigit, ut qui extēditur, sicut prædictum est, eo inter crura ad interfemineum offirmato extensionem minime sequatur. interfemineum autem, id est περίναιον ea corporis pars uocatur, quæ inter anum & initium pudendi membri interiacet.

44 Deinde ne ad crus quod extenditur declinet: aliquis à latere asidere debet, ac clunē retrudere, ne corpus circumagatur.

In plerisq; exemplaribus post superiorem orationem hæc scripta reperitur: cum tamen tota sentētia intelligi etiā absq; ipsa queat. uult enim ut in medio duorū crurū ligno eo erecto offirmato affectū crus extendamus: retrudente aliquo sursum hominis clunem ea parte, ne corpus circumiactū atq; in alteram partē propendens extendentibus cedat. quod cum fit, intentio omnis resoluitur.

45 Quin etiam ita ad alas utrasq; hinc & inde ligna affigātur, brachiaq; ibi porrecta seruētur. tum aliquis iuxta genu apprehendat, atq; ita retro intendat.

Alium modum te docet, quo reliquum corpus partem quæ extenditur, non consequetur. sub utranq; alam defigi lignum uult, quod obsistens ac renitēs corpori, facit, ne ægrotus deorsum trahenti cedat, ac sequatur. oportet tamē ut hic quoq; aliquis crus quod extenditur iuxta genu reprehensum sursum intendat.

46 Hoc etiam modo idem facies: si iuxta genu, aut circa femur alijs habenis deligatis alterū rotæ modiolum supra caput defoderis, habenisq; alteri ligno innexis, eoq; in modiolum defixo contraria ijs qui iuxta pedes intendunt, reduxeris.

Si dum crus sursum retrahitur, res non cedat: licet tibi ex habenarū circūdatione idem efficere: si capita earum in superiorē partem adducta ad uectem aliquē deligaris. oportet enim caput uectis quod in terrā defigis, subiectā aliquā concauā moram habere, cuiusmodi est modiolus rotę cui obiectus ea parte uectis in contrarium intentionem faciat. quod autē inquit contraria ijs qui &c. si scriptum fuisset in cōtraria tam sensu quàm uerbis plana esset oratio ac dilucida. quia uero cōtraria scriptum reperitur absq; præpositione, existimādum est, uel prætermissam fuisse præpositionem à librario aliquo, uel ipsum Hippocratē hac uoce absq; præpositione fuisse usum, quasi eandē uim etiam

A sine ea habeat: uel loco aduerbij cōtraria posuisse, perinde ac si contrarie dixisset.

47 Hac item alia ratione, si placet, uti potes. loco modiolorum ad trabeculæ mediocris sub lectulo substratæ hinc & inde capita ligna offirmabis, ac reduces, atq; ita habenas intendes.

Duo modioli antea, duoq; uectes distentionem efficiebant: unus infra crus quod intendebatur: alter supra caput. quoniā uero, ut dixi, uult nos prōptitudinē, facilitatēq; remediorū cōparare: alterū modum cōminiscitur, quo te ad inuentionē similium exerceat. nam si non affuerint modioli: substrato ligno aliquo longo per longitudinē lecti in

B quo æger cubat, reliqua omnia, sicut superius docuit, facienda tibi sunt. circumdandæ habenæ ab inferiore & superiore cruris parte, ac baculis deligandæ: tum uero loco modiolorū extremis ligni illius longi capititibus uteris: quibus ex utraq; lectuli parte à capite uidelicet, & à pedibus mediocriter ꝑminentibus uectes obiectos reduces: atq; ita molitionē facies. trabeculā lecto substratū lignū per lōgitudinē uocat, ac si paruā trabē dixisset.

48 Adde quòd si uis, asellos quoq; hinc inde constituere potes, atq; illis extensionē ipsam facere. Sed multi quoq; alij extensionum modi sunt.

Axes ipsos asinos appellare cōsueuit, quemadmodum inferius cum dicit: asini circumactio: nūc

C igit̄ paruos axes asellos diminutiua forma dixit, quas etiā suculas uocant: sicut modo superius paruam trabē trabeculam uocauit. te enim nō solum ad parabilia inuenienda, atq; utenda esse exercitatum uult: uerū etiā ad ea, quę apud medicos ad huiusmodi distentiones præparata sunt instrumēta. axibus igit̄ hinc & inde cōstitutis, id eñ hoc significat, id est infra pedes altero, altero supra caput, eisq; habenarū extremis partibus circūiectis, ex eorū circumductione cruris distentionē efficies.

49 Optimum tamen est, ut qui in ciuitate aliqua magna medetur, is præparatum lignum habeat, in quo tum omnium fractura-

D rum, tum omnium articulorū reponendorum necessitates omnes contineantur, quæ ex extēsione & molitione fiunt. satisq; erit, si tale lignum sit longitudine, latitudine, & crassitudine, cuiusmodi columnæ quadratæ quernæ fieri consueuerunt.

Instrumenti cuiusdam & machinamenti quod uult medicum habere, mentionē facit. de quo, ubi fabricam eius docet in libro De articulis qui hunc sequitur, explanationem etiam nos faciemus. nūc ad reliqua quæ sequuntur, descendendum est.

50 Vbi igitur satis extenderis.

Posteaquam satis extenderis, crus uidelicet: de luxationibus enim tibiæ circa talum loqui instituerat: cumq; hucusque de distentione docuerit,

rursus ad id quod proposuerat, redit.

51 Articulum reponere facile iam est.

Ex huiusmodi eius loquutionibus inducti nonnulli articulum uocare eum dicunt capita ossium, quæ in sinus dearticulantur: ut totum id quod ex duobus constat, qua ossium capita, quæ in porrectionibus & inflexionibus mouentur, inter se cōnectuntur, dearticulationem: ipsorum uero utrorūq; ossium extremum alterius quod sese inserit, articulum: alterius sinum qui insertū excipit, acetabulum, & pupillam ab eodem appellari asserāt. Sed hæc nominum ratio exploditur.

52 Quippe cum supra pristinam sedem è directo suspendatur. dirigere igitur & componere manuū palmis, hinc supra id quod excidit, innitendo, inde infra malleolum renitendo, decet. posteaquam reposueris, extensum ita si fieri potest, deligādum est. sin habenæ impediant, illis solutis, quoad deligaris, distendendum est.

Cōmunem iam hic uniuersæ repositionis methodum ac uiam tradit: quemadmodum à principio in primo horum cōmentariorum libro nos etiam diximus, ubi de utilitate extensionis agebamus: fieri non posse asserētes, ut apte ossa reponerentur in sedem suam, nisi suspensa à se mutuo fuissent. simul etiā terminū docet, quousq; extēdendū sit. cū enim satis iam esse tibi uisum fuerit, ut suspēsa esse à se mutuo possint, ab extēsione desistes

53 Deligare autē eodem modo debes initia similiter supra id quod excidit iniiciendo, conuolutionesq; primas eodem in loco quamplurimas faciendo, ac plagulas plurimas ibidem imponendo, necnon eadem in parte maxime comprimendo.

Deligationis fracturarum quam superius ostendimus, capita hic summatim cōmemorat. sciendū autem est, luxationes quę in manu, & pede, & calce, necnon circa malleolos cōtingūt, esse deligandas modo deligationis qui fracturis adhibetur. unde etiam hoc in libro omnia hæc cōtinentur. causam uero, cur siue fractura, siue luxatio euenerit, eadē deligatione utendū sit, superius didicimus.

54 Insuper autem hinc & inde satis multum deligandum est.

Hoc, in libro De iis quæ in medicatrina fiūt, ita dixit. at deligatio multam sani loci partē occupet. cuius causa antea explicata est. melius quippe est, ut affecti loci humores, non modo in adiacentes partes exprimantur: uerumetiam in multum spatium amandentur, longiusq; arceantur.

55 Magisq; hic articulus in prima deligatione est cōprimendus, q̄ qui in manu est.

Pro articulorum magnitudine & cōpressionis modum & linteorum copiam adhibet, & neruositatis eorum, & sensus habita ratione. minus enim tales comprimendos ac collidendos esse censet.

A 56 Vbi autem deligaris, superius quidem quàm reliquū corpus haberi deligata pars debet. situs tamē is seruandus, ut pes quàm minimum suspendatur.

Paulo quidem sublimiorem pedem reliquo crure esse debere, tantumq; esse attollendum, ut musculi distentione non afficiant: prius dictū etiā est. nunc de depositionis stabilitate pręceptū subiungit. iubetq; ut ne parū quidem pes suspendatur, ac pendeat. id autē fiet, si lanæ molles undequaq; ipsi apponantur: imaq; eius pars ubi est uestigiū, molli aliqua re firmetur, aut puluino, aut ligno etiam recto, cui mollibus mitellis pes alligatus fuerit.

57 At corporis attenuatio talis qualē uim B prolapsio habuerit. alia siquidem parū, alia multum prolabuntur.

Perspicuum est, sicut ea quę parū prolapsa sunt, diligētia minore indigere, ita quæ amplius excessere; & uictum, & reliqua omnia exactiora requirere, quibus corpus attenuatur.

58 Omnino uero & magis & diutius in uulneribus crurum, q̄ brachiorū attenuandum est. maiora enim hæc & crassiora illis sunt. quinetiam necesse est, ut quiescat corpus & iaceat. religare uero articulum tertio post die neq; quod prohibeat, neq; q̄d urgeat, quicq; est. reliqua omnia simili modo C ut in præteritis curanda sunt. Et si quiete cubauerit, quadraginta dies satis sunt: si tantū in suā sedē ossa rursus desederint. at si quiescere noluerit: & crure nō facile utet, & deligationē in multū tēpus cogetur adhibere.

Ipse causam præcepti huius sui subiunxit, cum dixit: maiora em̄ hæc & crassiora illis sunt. & præterea tertium est, quòd hic iacendo, non ut in manuum læsionibus, deambulando homo sanescit. atq; hæc de omnibus articulis dicta nobis in uniuersum esse existimamus.

59 Quæcunq; autem ossa non perfecte in sedem suā desidēt, sed aliqua ex parte deficiunt: tēporis processu attenuātur coxa, & D femur, & tibia, & si intro ꝓlapsa sint, exterior pars: si extra, interior attenuari cōsueuit.

Si aliquod ex sanis etiā membris aut in diuturna quiete detineas, aut raro moueas, tenuius q̄ prius erat, efficitur. motio siquidem corpora calefacit, & uires eorū corroborat, ita ut partes eorum nutriantur, ac pinguescant. cum igitur aliquid prolapsum non recte fuerit repositū, peius motiones efficiuntur, atq; id magis in opposita parte. propterea q locus dimoto osse in contrarium inanis relinquitur. ut facilius in ea parte firmetur membrū, in quā articulus excessit. nam cum superiores partes sede ac stabilimento indigeant, id inania loca non exhibent, sed plena: quippe cum nihil firmari supra inanē locum possit. propterea igitur, & crus in

in eam partem proferre in quam os excidit, muſculiſq; qui ea parte ſunt tantummodo operari conſueuit. Nam muſculi illi bene: reliqui ex oppoſita parte qui ocioſi ſunt, male aluntur.

60 Pleraq; aũt in interiorẽ partẽ prolabuntur. Sed cũ utraq; oſſa tibiæ ſine ulceratione fracta ſunt, ualidiorẽ extenſionem requirunt. ac ſi magnæ alternationes fuerint: aliquibus ex his antedictis modis extẽdendũ eſt. uerumtamen ſatis etiã ſunt quæ à uiris fiunt extenſiones. plerunq; enim ſufficit, ſi duo ualẽtes uiri alter hinc, alter inde diſtendant. intendere aũt oportet in rectũ ſecũdũ naturalẽ habitũ, & è directo tibiæ & femoris, ſiue tibię ſiue femoris fracti oſſa intẽdas.

Inferiores iuxta malleolos luxationes magis intro prolabuntur. cauſa eſt, quòd ſuræ proceſſus extrinſecus talum exquiſitius cõplectitur, quàm tibiæ intrinſecus.

61 Atq; utrũ ex ipſis deliges, ita deligandum eſt, ut exporrecta utraq; maneãt. non enim eadem & cruri & brachio conferunt. nam cubiti & brachij oſſa fracta ubi fuerũt deligata, appenduntur, ſicq; ea exporrecta deligaris in conflexione cubiti carnium figurationes diuerſificantur: quippe cum flexura cubiti multo tempore extẽta eſſe non poſsit. nõ enim ſæpe in eo, ſed in inflexione aſſueuit. quinetiam cum deambulare homines poſsint, ubi brachium fregerunt: inflectere id ad cubitũ cupiunt. at crus & in ambulando & in ſtando cũ modo extendi, modo ferè extẽdi in inferiorem partem naturaliter, nec nõ geſtare reliquum corpus cõſueuerit: iccirco cũ neceſſe ei eſt, facile extentũ permanet. adde q; in cubilibus quoq; ſępenumero in figura hac iacet. quapropter cũ uulneratum id eſt, eſt neceſſe ut animus ſuccumbat: cũ impotentes homines, ut attolli nequeãt, reddãtur: ita ut neq; inflecti, neq; ſurgere in mentem eis ueniat: ſed in ea figuratione quiete iaceant.

Siue tibiam, ſiue femur deliges, ita te deligare uult, ut uterq; articulus tam coxæ, quàm genu extentus ſit. cauſam cur id fieri debeat, ipſe demonſtratione uſus ſubiũgit, cuius intellectu facilis ſentẽtia eſt. ſumma hæc eſt: quia crus & ſtando & ambulando extenſioni eſt aſſuetũ: cum enim ad ambulandum corpus natura conſtituerit, figuram ad id accõmodatam ei pręparauit: iccirco etiam cum cubant homines, extentum id plerunq; eſt. brachia uero & in ambulando, & alioqui ut plurimũ mediocriter inflexa continere conſueuimus. nullus enim eſt qui extentis ac porrectis brachijs deambulet. quocirca fit, ut etiam ſi quis brachiũ deligatum habeat, ſubiecta cubito mitella deambulare adhuc nihilominus poſsit. at ubi crus fractum eſt: ut prius quàm prorſus occalluerit, ingrediat̃, fieri ullo modo nequit.

62 Ob hos igitur prætextus neq; in extenſione, neq; in deligatione brachio & cruri figura eadem cõfert. ſi igitur extenſio quæ à uiris fit, ſatisfuerit: nihil amplius fruſtra laborandum eſt. machinas enim afferre cum non eſt opus, abſurda affectatio eſt. at ſi nõ ſint ſatis uiri, aliquid ex neceſſarijs & uiolentis adhibendũ eſt, quod accõmodatum ſit. cum autem ſatis extentũ fuerit, oſſa iam componere, atq; ad naturalem ſtatum reducere manuũ palmis dirigendo, ac coaptando facile eſt. quod ubi feceris, deligare linteis extentum debes, ſiue in dextram ſiue in ſiniſtram circumducere prima lintea cõueniat. initia tamen ſupra fracturã inijciantur, primæq; inuolutiones circa ipſam ducant̃. deinde in ſuperiorem partẽ tibiæ, quemadmodũ in alijs fracturis dictũ eſt, diſtributio efficiatur. lintea uero latiora & longiora & plura multo eſſe in crure, q̃ in brachio debent. ubi deligatũ fuerit, ſupra planũ aliqd' & molle deponendũ eſt: ne uel hac uel illac diſtortũ, aut gibbũ, aut repandũ efficiatur.

Manifeſtiſsimas cauſas & ueriſsimas prætextus uocauit: cum tamen in uſu ſit, ut falſæ cauſæ prætextus appellentur. paulo item inferius rurſus uerbo hoc ita utitur, ubi inquit. ob hos igitur pretextus exteriore oſſe fracto celeres ingreſsiones fiũt. de ſura enim loquens ueram cauſam attulit, cur ſi ea fracta ſit, uelox motio cruris efficiatur: ſi tibia fracta fuerit, non niſi poſt multum tempus ea uti poſsint, qui id patiantur.

63 Maximeq; conducit, ut puluinus aut lineus, aut laneus, non durus, ſed laxus in medio per longitudinem, aut aliquid aliud huic ſimile ſubijciatur.

Tibiam hoc modo quo inquit, puluino magis quàm canali collocandam ac firmandam eſſe cenſet. deincepsq; cur eos damnet qui canali utantur, in hunc modum ſubiungit.

64 De canalibus enim qui in crura fracta ſubijciuntur, ſubijciẽdi nec ne ſint, quid cõſulam dubito. nam iuuant quidem, non tamen tantum: ut illi qui eos ſupponunt, exiſtimant. non enim ut putant, immotum iacere crus cogunt. neq; dum hac uel illac uerſatur reliquũ corpus, efficit canalis ne crus ſequatur, niſi ipſe homo diligentiam adhi-

beat

beat. neqꝫ rurſus uetat, quo minus crus uel hac uel illac abſqꝫ reliquo corpore moueat. addẽ ꝙ immite eſſe uidetur lignum ſubſternere, niſi ſimul molle aliquid in ipſum inijciatur. in lecto uero tranſmutando, abeundoqꝫ ad uentrẽ exonerandũ utiliſsimũ eſt. licet igitur cum canali & ſine canali & pulchre & turpiter rem conficere. probabilius tamẽ apud populares eſt, medicusqꝫ minus eſſe erraturus creditur, ſi canalis ſubijciatur. licet id minus ex arte ſit. debet em̃ in plano et molli hic poni prorſus in directũ: propterea ꝙ alioq̃ neceſſe eſt, ut deligatio à diſtortiõe quæ ex ſitu euenit, quocũqꝫ, & quantũcunqꝫ uergat, ſuperetur. reſpondeat item is qui deligatus eſt eadẽ quæ prius dicta ſunt. nã deligatio eiuſmodi eſſe debet, & tumor ita in extremis exurgere, laxationes quoqꝫ eodẽ modo, & religationes tertio poſt die faciendæ. necnon tenuiorẽ inueniri deligatã partẽ oportet: deligationesqꝫ plures, pluribusqꝫ linteis fieri. circũdariqꝫ etiã pes laxe debet, niſi fractio ualde iuxta genu ſit. Sed & extendendũ mediocriter eſt: & in unaquaqꝫ deligatione coaptãda oſſa ſunt. nã ſi recte curetur, & tumor ꝓ ratione ſuccedat: tũ deligatus locus tenuior, & gracilior, tũ oſſa repoſitu faciliora, extenſioniqꝫ obtẽperantiora reperiẽtur. ubi ſeptimus aut undecimus dies aduenerit, ferulæ, ſicut in alijs quoqꝫ fracturis dictũ eſt, circũdandæ ſunt.

Nunc quoqꝫ ſcio medicos quoſdã eſſe, qui cum femur aut tibia affecta eſt, cruri canales, & capſulas ſupponere cõſueuerunt: toti quidẽ cruri, cum femur patitur: cum tibia affecta eſt, alij totum crus ſimili modo, alij tibiam ſolam in capſulam conijcientes. qui unà cũ tibia femur etiã cõprehẽdunt, membro quidem læſionẽ etiam ipſi afferunt: ſed minus tamẽ quàm alij lædunt. nocumenta ab Hippocratè manifeſte declarata ſunt: ut repetenda à me non amplius eſſe uideantur. ſed ſi quid hac in oratione obſcurũ fore exiſtimo, id tantummodo mihi explicandũ cenſeo: ac primũ illud, quid capſula à canali differat. γλωσσόκομον, id eſt capſulã attici appellant inſtrumentum quoddam ſcrinij in modum, in quod multa ex utilibus conijciunt homines, multasqꝫ ſecretiores literas recõdunt: quo item in itineribus uti nonnulli conſueuerunt. ſiue autem γλωσσόκομον, ſiue γλωσσοκόμιον quiſpiam dicat: ſiue etiam per duo ττ ſcribatur, ſiue per duo σσ: nihil refert. capſulam uero quæ cruribus ſubijcit, oblongiorẽ eſſe oportere & anguſtiorem cæteris conſuetis perſpicuũ eſt. quippe cum ea quàm latitudo cruris ſit, uel craſsitudo, uel quouis nomine

A aliquis appellet, latior multo eſſe non debeat: ut interiectis utrinqꝫ lanis crus ita aſtringat, ut neqꝫ ſi uelit ęger crus deflectere, id anguſtia permittat. tametſi deflexionẽ eius in dextrã aut ſiniſtrã partem prohibere lanarum iniectio poteſt: quin ſurſum uero & deorſum moueatur, nõ poteſt. Vnde etiã Hippocrati huiuſmodi ligni uſus non placet. præſertim cum etiã immite ſit, id eſt iniucundum ac moleſtũ, eo quod non cedit, ut puluini qui ſubceruicales, & ſubcubitales appellantur: qui cum ſubijciuntur, mediocriter cedentes cruri moleſtiã nullã afferunt. machinamentũ tamen huiuſmodi utile eſt cum ęgri uel aluũ exonerare, uel ex altero lecto in alterũ traduci uoluerint, quo cõmodius ac mollius cubent. ob hoc em̃ pręcipue uſum eius
B admittimus. quanqꝫ loco ipſius huius ligni puluino nonnulli uti conſueuerunt. nam ſtatim à principio per tranſuerſum mitellas puluino ſubiectas, ubi crus impoſuerint, utrinqꝫ ad cruris altitudinẽ complicant atqꝫ aſtringunt: tum eas in ſuperiore membri parte inter ſe colligantes ſtabilem ita cruris depoſitionẽ eſſe exiſtimant. nam puluinus in ægrotantis tranſmutationibus loco capſulæ cruri ſubtenditur. accedit ꝙ in inferiore parte cruris extrema lignũ aliqui erectũ adiungunt, quo ſummũ pedẽ propellunt, ſubiectis tamẽ prius lanis. atqꝫ id ea cauſa faciunt, ut neqꝫ crus trahat̃ ſurſum, neqꝫ deorſum ferat̃. quippe cum ſurſum tolli uinculũ: deorſum ferri applicatũ plantæ lignũ prohibeat. ſed enim licet hęc ad tutelam præparata à medicis
C ſint, per ea tamẽ non fit, ut motio articulorum impediat̃: cum æger et malleoli, & genu articulũ hac illac mouere paululũ queat. nam de coxę articulo ne dicendũ quidẽ quicqꝫ eſt: cum neqꝫ à capſula, neqꝫ à canali prorſus cõtineat̃. Canalis igit̃ cũ cætera cum capſula habeat cõmunia, in forma tantũ differt. teres enim extrinſecus eſt, concauus intrinſecus inſtar canaliũ imbricũ in tegulis, unde etiã nomen ipſi eſt. is autẽ ad præſentẽ uſum aptior ꝙ capſula propterea uidet̃ quia totũ circũcirca crus cõprehendit. in capſula enim loca quędam inania poſt iniectionẽ cruris relinquunt̃. Vnde nõnulli medici ſunt, qui plures canales habeant præparatos, ut in ſingulis eo utant̃, qui unicuiqꝫ cruri fuerit accõmodatus. dantqꝫ operã ut lignum eiuſmo-
D di reperiatur, ex quo excauato eos ualidos ſimul & albos, & molles efficiant. quidã etiã apud nos medicus cõplures huiuſmodi canales è tilia cõfectos habebat: eiſqꝫ ſubinde pro magnitudine uniuſcuiuſqꝫ cruris utebatur, nõ abſqꝫ uinculis. id q̃d à quibuſdã in puluinis fieri dixi, ſed in illis uincula laxiora effecta uſum ipſorũ corrumpunt. hic abſqꝫ ulla cõpreſsione ob mollitudinẽ ligni in traducendo ægro crus continent. uerumtamẽ à recentioribus medicis ad firmiter cõtinendum utrumlibet os fuerit affectum, ſiue femoris, ſiue tibiæ, capſula machinaria inſuper eſt adinuenta: quæ & fabricã & uſum in modum quem ſubſcribã habet, quæ ſanè non ab re mihi uidet̃ fuiſſe excogitata ad callũ ſiue femoris, ſiue tibiæ obducẽdum. adiacet enim in extrema eius parte axis, in quẽ laqueorum qui

distendunt membrum, capita reducta circumijciuntur: qui quidem laquei extremis partibus ossiũ eius qui curatur circundati fuerint. hi autẽ ex duobus aduersarijs ac perpetuis loris constant, quæ *διωτιᾶα* nuncupant: ita ut quatuor uniuscuiusq; laquei crura euadant, duo à dextra parte, à sinistra itẽ duo. hæc enim crura laquei inferioris per foramina quædã quæ in extremo capite capsulæ facta sunt, traijciunt, atq; ad axem perducunt. superioris uero laquei crura prius in superiorem capsulæ partẽ, reducta etiã ipsa simili modo per foramina à lateribus capsulæ traijciuntur. foramina aũt hæc cochleas habẽt. postea utrinq; extrinsecus capita hæc laqueorũ ad axẽ reducunt. his enim ita apparatis una axis circũductio utrosq; simul laqueos, deorsum eum qui in inferiore fracti ossis parte circumligatus est: sursum alterum intẽdit. ita ut post depositionẽ etiã tibi per singulos dies laqueorum distentionẽ corrigere, siue intẽdere, siue laxare eã uolueris, liceat. nam axis laqueũ qui inferiore parte membri est, recta intentione trahit: eum qui supra est, nõ recta, sed ea quæ trãsumptiua appellat.

65 Adhibita tamẽ cura ne earum insessiones è directo malleolorũ, & supra tendonẽ pedis qui in tibia est, fiant. ossa autẽ tibiæ, si recte curẽtur, quadraginta diebus corroborãtur. q; si suspiceris os aliquod directione adhuc indigere, aut ulcerationem aliquã timeas: infra hoc tempus resoluendũ tibi est: atq; ubi cõposueris, religandũ. Si uero alterum os fractũ sit, intentione quidẽ imbecilliore est opus: non tamẽ in extendendo deficiendũ, aut ignaue agendũ est. ac maxime quidẽ in prima deligatione semper fracturæ omnes, quatenus cõuenit, extendendæ sunt. sin minus id potest, saltẽ quàmcitissime. quodcunq; enim os non recte cõpositũ deligatione fuerit cõpressum: dolore locũ eũ uexat. reliqua curatio eadẽ est. at os interius quod tibia uocatur, molestius in curatione est: maiorẽq; intẽtionẽ requirit. et nisi fracta recte cõposita fuerint, occultari uitiũ nõ potest. apertũ enim & carnis expers totũ est: atq; eo fracto in crus insistere multo tardius queunt. cũ os aũt exterius fractum est, multo & facilius & occultius ferũt, etiã si nõ bene admodũ fuerit repositũ. quippe cum & carne opertũ sit, & cito in pedes qui id patiuntur, insistãt. interius enim tibiæ os maiorẽ oneris partẽ uehit. nã tũ crus ipsum & pondus reliquũ è directo cruris impendens facit, ut interius os maiorem laborem subeat. femoris eñ caput superiorẽ corporis partẽ sustinet, idq; in interiore parte cruris, nõ exteriore est, sed ex tibiæ anterioris partis processione. tũ reliqua corporis dimidia pars huic magis processione appropinquat q̃ exteriori. adde q; qđ est intrinsecus, crassius est q̃ quod extrinsecus, quẽadmodum etiã quod in cubito est, ex processione parui digiti tenuius est ac longius.

A Prominentes ossium partes cuiusmodi sunt tibiæ & suræ inferiora capita impositiones ferularũ non tolerant. quod cauendũ esse nunc inquit. insessiones aũt dicit, perinde ac si sessiones ac sedes dixisset: sed in præpositione adiuncta se euidentius id q̃d uolebat, significaturũ existimauit. hæc

B igitur ossa, quia & extant, & nuda carnibus sunt, à ferularũ insidentia colliduntur. imò non ossa collidi dicendum est, sed musculos, & quasdam neruosas partes, & cutẽ, quæ super ipsa ossa sunt. cum enim inter duo corpora dura intercludantur, ferulas uidelicet extrinsecus, os intrinsecus colliduntur, & contunduntur: ac sæpe ita ægre afficiuntur, ut exulcerẽtur. in calcẽ uero ex posterioribus partibus in anteriorẽ tendo innectitur à musculo qui in carnosa posteriore parte tibiæ est, exortus: qui cum nudus admodũ sit, & præcipue supra carnis expertia corpora, impositã ferulã non fert: sed sensu maxime præditus cũ sit, ex collisione inflãmat. corpora itẽ malleolorũ ossibus superiecta ob duritiem eorũ quæ ipsa utrinq; constringunt, ut di-

C ctum est, collisa, adeo afficiuntur, ut elisiones patiantur. ita enim uocat Hippocrates quæ in summa cute exulcerationes ex cõprensione existunt.

66 In articulo tamẽ inferiore lõgioris ossis subiectio similis nõ est. quippe cum cubiti gibbus et poples dissimili modo inflectant. ob hos igit prætextus exteriore osse fracto celeres: interiore tardæ ingressiones fiunt.

Cum superius os suræ longius esse quemadmodum & cubiti, atq; utrunq; è regione parui digiti sitũ, tenuiusq; altero sibi annexo esse dixerit: qua inter se differãt deinceps subiungit. dictumq; perspicue à nobis quoq; est in cõmentario De ossibus, cum de alijs, tum de dearticulationis huius

D differentia. ac radium quidem exteriori brachij tuberculo innexum circa ipsum moueri: & tam in exteriore parte, quàm interiorẽ uerti. in crure uero cum tibia sola femori articulo iungat, suræ motum nullũ esse. non enim hinc & inde uersari articulum hunc, sicuti in cubito, posse: sed inflecti tantũmodo: & neq; hoc quidẽ simili modo ut in cubito. illic enim cardinamentũ brachij in sedẽ cubiti inseritur. in genu uero duo femoris tubercula duplices tibiæ sinus ingrediunt. illic in brachiũ duas cubitus cornices infigit, alterã à posteriore parte cũ perfecte extẽdit: ab anteriore cũ inflectit, alteram. at in femore nihil horũ fit: quippe cũ nullos huiusmodi uertices, ac cornices tibia habeat. cubiti igit gibbus & poples dissimili modo inflectuntur. ipse superius cũ de cubito ageret, ita dixit. sed cum

cum illo osse idem est ἀγκὼν qui uocatur, id est cubiti gibbus, in quē innitimur. manifeste declarans acutisſimam cubiti partem se cubiti gibbum appellare, quem ὀλέκρανον, id est ulnæ uerticē, & cubitum etiam uocant. nunc uero disſimili modo inquit cubiti gibbum & poplitem flecti, perinde ac si ita diceret. disſimili modo articulum circa cubiti gibbum inflecti, ac poplitem. accedit quòd ipse etiam inferius ait: quæ circa cubiti gibbum contingunt, molestiora sunt: cum de luxationibus loquatur. illud igitur memoria tenendum: proprietatem nominum apud nullum ex antiquis Græcis exquisite seruari: sed aliàs ꝓprie, aliàs per trāslationem apud eos usurpari uocabula consueuisse. sic etiam poplitis nomen huiusmodi est, sicuti & alæ. ala enim locum qui sub humero est: poples oppositam genu partem posteriorem, significat. nam & genu ipsum totam iuncturæ huius partem indicat. siue enim in cute loci huius ulcus oriatur alicui, hominem in genu habere ulcus dicimus: siue neruus qui cuti subtenditur diuisus fuerit, in genu uulnus esse aiunt. non secus si patella ipsa patiatur quā μύλην, id est molam & ἐπιγονατίδα, hoc est supergenualem etiam uocant. quin etiam latera ipsa explicantes nonnulli modo intra genu: modo extra genu esse ulcus affirmant. totum enim in latitudine locū hunc genu appellant. quemadmodum poplitem, & alam, & humerum. sic quoq; cubiti gibbū, malleolos, primā partem palmę totum locum Hippocrates uocat. sæpe etiā humeri, gibbi cubiti, genu, poplitis, malleolorū articulum appellare cōsueuit. patet iā ꝙ uarie nominibus utat: queadmodū etiā facere reliquos ueteres dixi, neglecta ista à posterioribus obseruata circa hæc minuta loquendi curiositate: quam qui exercent, appellare exquisitam diligentiam consueuerunt.

DE FEMORE.

67 At uero si femoris os fractum sit, extensio diligenter in primis facienda est: ne minus quàm debeat, efficiatur. amplior em̄ si sit, nullam læsionem affert. neque enim si ossa distātia ex ui intētionis deligarit quispiam, detineri ita à deligatione possunt, ut distent. sed ubi primum dimisere qui intendunt, inter se coeunt.

Quoniam maximi musculi sunt circa femur, merito cauendum censet, ne extendendo membrum in aliquo deficiamus. id quod sæpenumero fit. nam licet amplius quàm conueniat, intendamus, læsionem inde nullam esse euenturā inquit. quod enim alijs in mēbris suspicari posset aliquis, hic concedit. quid aūt id est? ut os fractum, etiam si distent inter se partes separatę, deligetur. uidebatur enim econtrario fieri debere, eas uidelicet inter se prorsus coniungi: ne inani loco in medio relicto, in quo sanies colligerentur, os in siderationis discrimen ueniret. sed hic, etiam si distātes ossis fracti partes deligentur distentione ampliore facta, post deligationem tamen non ita permanent, sicut in alijs membris, in quibus fasciarum iniectio musculos immotos seruat. in femore enim ob musculorum magnitudinem timendum id minime esse inquit. propterea quòd eam uim non habet deligatio, ut cohibere ipsos ualeat, sed ab ipsis superatur. nam cum deligationi propositum sit, ut in eo habitu seruet femur, in quo erat cū deligabatur: musculis uero, ut ad suū caput recurrāt: si deligatio preualuerit, naturalemq; musculorum motum uicerit, fiet ut fracti ossis partes dehiscant: sin autem musculorum motio deligatione fortior fuerit, musculi ipsi ad principium suum retrahentur: atq; ita simul partes osſis fracti contrahent, atque inter se committent.

68 Crassæ enim & ualidæ carnes hic cum sint, deligationem superant, non ab ea superātur. quod igitur dicebamus, bene distendendum est, & intortuose, nihilq; deficiendum. magnum enim dedecus est, & nocumentū, si breuius femur reddatur. nam brachiū si breuius euadat, & occultari potest, & nō magnum damnum affert. at crus breuius effectum claudum hominem facit. propterea quòd alterū quod sanum est, redarguit. ut utilius sit, si quis praue est curādus, ut utroq; crure potius ꝙ altero tantum patiatur. quippe cum æqualis sibijpsi ita euasurus sit. ubi tamen satis extenderis, palmis manuum cōponere ossa diligenter debes, ac deligare eodem modo, sicut superius scriptum est: initiaq; inijcere, & in superiorem partem fasciam deducere, ut diximus. & æger eadē respondeat quemadmodū etiam supra: & laboret, & melius se habeat, & religetur simili modo. ferularum quoq; appositio eadem esse debet. femur autem quadraginta diebus corroboratur.

Quos nos musculos modo diximus, eos hic carnes Hippocrates uocat, uulgari usus appellatiōe: propterea quòd caro omnis sensu prædita musculi pars est, quæ in medio præcipue eorum reperitur. nam in extremis partibus neruosi magis musculi apparent, quàm carnosi.

69 Insuper intelligendum illud est: femur in exteriorem partem magis quàm interiorem: magis item in anteriorem, quàm posteriorem obstipum esse: ac propterea in has quoq; partes, si recte non curetur, distorqueri solere: cumq; ijsdem in partibus carne magis careat, occultari in distortione nō posse. quocirca si tale quippiam suspiceris, machinari ea debes quæ in brachio distorto facienda consuluimus.

Obstipū hic, id est γαῦσον obtortū ac curuum

A ſignificare ex ipſa re perſpicuũ eſt. femur enim rectum non planè eſt, ſed in exteriorem & anteriorem partem magis incuruatur: ut in cõtrarium cauius euadat. ſiue autem γαυσός dicendum ſit cum acuto accentu, an γαῦσος, cum circumflexo, in dubio eſt. cum non admodum in uſu apud gręcos huiuſmodi uox ſit, ſed ex analogia tamen nõnulli circumflectendum hoc nomen cenſent, nõ ſecus ac καῦσος, μαῦρος, γαῦρος. quorum nominũ primum febrem ardentem, alterum debilem & fatuum, ultimum ſuperbum ſignificat. alij cõtrà acuto accentu ſcribi debere aſſerunt eo argumento, ꝙ omnia quæ morbos et affectus huiuſmodi ſignificant biſyllaba nomina acuto accentu pronuncientur. ut χωλὸς, λορδὸς, στρεβλὸς, κυρτὸς, βλαισὸς, ῥαιβὸς, id eſt claudus, repandus, tortus, incuruus, ualgus, uarus. B neque tantum biſyllaba, uerum etiam ferè omnia reliqua, quæ ſunt affectuum huiuſmodi ſignificatiua, ut eſt ἀρθριτικὸς, πλευριτικὸς, ἡπατικὸς, hoc eſt articularis, lateralis, iecinorarius. utro igiť modo quiſpiam proferre uelit, concedito: ſiue circunflexo accentu utatur, ſiue acuto: in quod tamen propendere eos tantum deprehendi qui librum hunc legunt. ſicut igitur quiſque uoluerit, etiam tu pronuncies, neglectis & accẽtibus & nominibus his, utpote quę ad philoſophiã nihil cõferant: ac multominus ad geometriã, aut arithmeticã, aut muſicam, aut aſtronomiã. ꝙ ſi nulla ars ad finem ſuum cõſequendũ miſerorum ac perditorũ horum uerborum minuta iſta curioſitate indiget, hoc hominum ſtudium non modo admittendum non eſt, C uerumetiam quammaxime deridendum.

70 Circumijcienda aũt pauca lintea ſunt & circa coxam & ilia. ut & inguina, & articulus qui in eo loco eſt, qui dicitur greſſura inſuper deligetur. nam & alioqui confert, & ob id quoꝗ, ne extremæ ferularum partes ſi ſupra indeligata applicentur, lædant.

Os quod femoris caput excipit, ἰσχίον, id eſt coxa appellatur: quemadmodũ concauitas eius acetabulũ dicitur. utriſꝗ his nominibus poeta eo loco utitur, cũ inquit: Qua coxæ femur innexũ eſt, acetabulũ at ipſum Appellant. ilia aũt, id eſt ἰξύας, iliorum oſſa nõnulli interpretanť: D alij ſuperiorem partem, quę proprie à laxitate λαπάρην, hoc eſt caſſum uocatur. cuius nominis apud Homerum fit mentio eo uerſu, perꝗ ilia uulnus adegit. ſed ego ſicut λαπάρην & ex experientia, & ex uſu tum Hippocratis & Homeri, tum ipſius morbi partẽ eã eſſe affirmare poſſum, quæ inter thoracis, & iliorũ oſſa ſubſidit: dicetur autem de ea ſuo loco: ita de hoc uerbo ἰξύων quid aſſeram dubito. nam cum ſingulari numero Homerus eo uſus ita inquiat: Ili circundat zonã centum orbibus aptam, eam corporis partem eſſe ile exiſtimaret quiſpiam, quę inter thoracis et iliorũ oſſa interiacet: propterea quòd ei loco cingulum circumdari ueriſimile ſit. cum uero rurſus hac oratiõe Hippocrates plurali numero deligan da ilia dicat, & par ſit, ut ad iliorum oſſa aſcendat deligatio: hæc ilia hic dici opinari aliquis merito poſſet. ad preſens autem negocium ſcire illud utile eſt: cũ in ſuperioribus femoris partibus fractura contigerit, tunc non ſolum uſꝗ ad inguina eſſe deligandum, ſed ad ſuperiores etiam partes faſciatione progrediendũ. quæ quidem partes ſunt primum coxa, deinde iliorum os, tum oſsibus carens ac uacuus locus, quem λαπάρην aut ile nominant. ſiue igitur hucuſꝗ etiã producere deligationem uelit quiſpiam, concedendum eſt: ſiue iliorum oſſibus deligatis contentus ſit, non eſt laborandum, ut ea tranſgrediens ilibus item faſciam circumducat: cum ante omnia id curet Hippocrates, ut nullus locus dum deligamus abſꝗ faſciatione relinquatur: ſed omnes partes ex æquo linteis comprehendantur, quoad occupatum ſani etiam aliquid uideatur. πλιγάδα autem, id eſt greſſuram alij per γ, alij per χ ſcribendum putant: locumꝗ ſignificat mediũ inter duo crura, quo uidelicet in diductione feminum greſſuum uiciſsitudines deambulando efficiuntur. unde etiam ἐκπεπλίχθαι διαπεπλίχθαι uerba, id eſt egreſſum eſſe, & digreſſum eſſe apud ipſum habentur. quinetiã apud Homerum:

campo hi gradiuntur aperto.

71 Deficere ſiquidẽ à nuda parte ſemper ferulæ et hinc et inde multũ debẽt. ſempérque id prouidẽdũ eſt, ne aut ſupra os ex ijs qui iuxta articulos natura prominẽt, aut ſupra neruũ articuli impoſitio ferularum fiat.

Licet de una aliqua ſpecie agat Hippocrates multa etiam communia & generalia docere interdum ſolet: quod cum facit, ut non ad ſolam ea ſpeciẽ, ſed uel ad omnes, uel ad plures, uel ad aliquas pertinere declaret: interdum-ſemper-ſicuti nunc: interdũ-ad multa utile eſt hoc intelligere: aliquando-ad omnia utile hoc eſt: atque huiuſmodi quædam, orationi ſuæ adiungit. quod enim nunc præcipit, uere ſemper utile eſt: neꝗ in femore tãtum, ſed in omnibus quoꝗ fracturis obſeruandum eſt, quæ ferulas admittunt. tanta enim eas longitudine eſſe conuenit, ut nudam partem non attingant. maximeꝗ id cauendũ eſſe inquit, cũ extremę ferularum partes oſsiũ prominentijs appropinquant.

72 Tumores autem qui in poplite, aut pede, aut aliqua alia parte ex cõpreſsione exiſtunt, lanis multis ſuccidis bene carminatis uino & oleo madẽtibus cerato ſublinendo deligandæ ſunt. & ſi ferulæ comprimãt cito laxandum. gracileſcerent autem, ſi ſupra ferulas linteis tenuibus ab infima parte ſurſum faſciando tumores deligares.

Tumores qui ex humoribus ex uehementi cõpreſsione illuc eliſis exiſtunt, atꝗ exurgunt: lanis multis ſuccidis bene carminatis, oleoꝗ & uino irrigatis deligãdo curandi ſunt. prius tamen cutem ſupra quã hæc imponenda ſunt, inungi cerato iubet. tum eandẽ deligationẽ ab inferiore parte ſurſum

ſum faciendam cenſet. ac de modo quidem deligationis ipſe edocuit, cum unde incipiendum, quoq; uoluenda ac deducenda faſcia ſit, iam dixerit. de ui autem medicamentorum quibus utitur, dictum quidem fuſius in proprijs tractationibus eſt: dicentur tamen etiam nunc ſummatim ea quę ibi fuerunt declarata. Oleum igitur ſenſum doloris mitigat, diſcutiendiq; uim habet. Vinum exiccat, reprimit, concoquit, emollit, diſcutit. patet item ſordidas lanas, quæ ſuccidæ appellantur, nec non ceratum una cum mitigandi ui diſcutere ac reprimere: ut merito ex huiuſmodi medicamentis curationem conſtituerit. quoniam enim tumor ab humoribus à deligatione illuc expreſsis maior quàm par ſit, euadit: primum ſpectandum in curatione eius illud eſt, ut quod in membro tumeſcente præter naturam collectum fuit, exinaniatur. id autem reprimendo, & diſcutiendo, & mitigando fieri maxime poteſt. reprimendo quidem ac diſcutiendo, ut prorſus quod ſuperuacuum illic eſt, euacuetur. mitigando, ne ob dolorem fluxionẽ pars affecta patiatur. nam propterea in inflãmatis minus diſcutientibus, minusq; reprimentibus uti conſueuimus: quia quæ uehementẽ hanc uim habent dolores irritant. hoc conſilio itaque Hippocrates ad hanc curationem ſuccidas lanas, id eſt ſordes habentes, oleumq; & uinum, & ceratum aſſumit. lanas autem bene carminatas eſſe iubet, id eſt ſubactas & concerptas lenitudinis et mitigationis cauſa. quę enim ſunt lotę, ubi carminantur, facile molleſcũt: ſuccidæ uero ob ſordem non faciles carminatu, concerptuq; ſunt. quo circa ſi negligentius ſubigantur dolentibus membris ſiccæ ac durę occurrunt. ideo cum ſciret hoc aliquando negligentius fieri, bene carminatis, adiunxit. multas etiam aſſumendas inquit, ut conſeruare uini & olei humorem queant. facile ſi quidem areſiunt, quæ paucæ ſunt. modus uero deligationis priorem ſcopum, ſicut dictum eſt, ſeruat: ut ab intumeſcentibus partibus ſanguinem ad ſuperiora auertat.

73 Ita enim gracilis quam citiſsime tumor efficeretur.

Si proprie quis loqui uellet, intumeſcens membrum, non tumorem gracilem euaſurum eſſe dixiſſet. is enim non gracileſcere, ſed tolli prorſus à nobis debet. ſed ita plerunq; ueteres loquuntur: & præcipue ij qui facundiſsimi habentur, neglecta iſta poſtea exercitata in nominibus minuta loquendi curioſitate, quam qui tractãt, exquiſitam loquendi diligentiam appellare conſueuerũt. qui ſane laudandi eſſent, ſi hac ſua exquiſita loquendi diligẽtia ſiue loquẽdi proprietate, quomodocunque uoluerint nominare, clarius res quàm ueteres ſcriptores, explicarent. ſed ſi & obſcurius & humilius id faciunt, cur ueterum negligentia non eligenda magis ſit, non uideo.

74 Tranſgredereturq; ſupra priores deligationes, ſed hoc tamen deligationis modo utendũ nõ eſt: niſi periculum ſit, ne tumor

A aut puſtulas cõtrahat, aut nigreſcat. at nihil tale fit, niſi nimis quis fracturã comprimat, aut inclinatã habeat, aut manu ſcalpat, aut aliquid aliud quod iritet, corpori impingat

Ex hac lectione alij ſupra deligationem aſcendere humores ex tumoribus eliſos uolunt: alij ad loca deligationis tantum peruenire, quorum ſanè diſcordiam iudicare, ſi definiatur deligatio, difficile non eſt. nam ſi remiſsis ferulis tumentẽ partem eo quo dictum eſt modo deligaremus, aliquid ſanguinis in loca deligationis deferretur. ſi uero detractis ferulis reſolutaq; tota deligatione ſtatim de integro modo eo quo in fracturis ſolemus uti, à tumoribusq; exorſi deligaremus: fieret, ut humor eliſus priorem deligationem in ſuperiora loca tranſcenderet. B

75 Canalem ſi quis ſub ipſum femur ita ſubijceret, ut poplitẽ nõ excederet, obeſſet is magis quàm prodeſſet. nõ enim uetaret, quo minus aut corpus, aut tibia ſine femore moueretur. nam & moleſtus eſſet poplitem attingẽs. & quod minime decet, id facere permitteret. minime enim decet, ut genu inflectatur. nam omnẽ confuſionẽ affert deligatiõibus ſiue femur ſit deligatum, ſiue tibia: quicunq; genu inflectit. neceſſe quippe ei eſt, ut et muſculi aliàs aliam figurationẽ habeant, & oſſa fracta moueãtur. ante omnia C igitur curãdum eſt, ut poples quoq; extenſus ſit. uidetur igitur canalis prodeſſe ſi ſimili modo à coxa uſq; ad pedem ſubijciatur.

Deinceps poſtquam de tumoribus dixit, de canali ſcribit, de quo ſatis à nobis dictum ſuperius fuit. nam & uelle eum docuimus, ut uel perpetuũ, id eſt continuum et toti cruri ſubſtratum canalem ſubijciamus: uel penitus omittamus. & de capſula machinaria à recentioribus medicis recte excogitata, nonnulla declarauimus.

76 Præterea ſub poplitẽ mitella laxe circundanda cum canali eſt, non ſecus atq; infantes in cunis faſciãtur. deinde ubi femur D in ſuperiorem partem, aut in latus uerſabitur, firmius cũ canali ita detinebitur. Si igitur fieri debet, perpetuus faicendus, uel nõ faciendus canalis eſt.

Quod ait cum canali, duplici modo intelligitur à quibuſdã. alij enim extrinſecus canali circumijciendam mitellã cenſent: ut inquiat, mitellã utriq; rei ſimul eſſe circundandã & popliti ægrotantis, & canali extrinſecus: ut nõ ſolum poples ipſe, ſed etiam canalis, faſcia circumiecta contineatur. alij uero ipſi popliti extrinſecus circumijciendam mitellam putant, ut unà cum canali ipſa quoq; crus ſuſtentet: hoc eſt unà cum ſubiectione canalis. eo quòd neq; ipſa ſola, neq; ſolus canalis ad ſtabilimentum ſufficiat, ſed utraq; ſimul requirantur.

Valde

77 Valde autem laborandum est, ut summus calx & in tibiæ, & in femoris fracturis apte deponatur. nam si pes suspensus fuerit, reliqua tibia affulcita: necesse est, ut in anteriore parte tibiæ ossa incurua appareant. sin autem calce altius quàm conueniat fulcito tibia suppendula sit: os idem in anteriore parte tibiæ cauius iusto uideatur, necesse est. præsertim si calx forte hominis magnus natura fuerit. Cæterum omnia ossa tardius corroborantur, nisi naturali situ collocata sint, in eademq; figuratione quie-

A ta permaneant: imbecilliusq; occalescunt.

Superius cum de cubiti appensione loquebatur, diximus nonnullos sine negatione, alios cum negatione suspensum legere. eosq; qui addebant negationem suspensum interpretari dependentem, ac nullo subiecto sustentaculo firmatum. contra alios qui tollendam negationem afferebant, suspensum pro eo sumere qui supposita mitella firmiter gestaretur, ac stabiliretur. affulcitam autem id est ἠρματισμένην inquit firmatam ac subnixam à uerbo ἑρματίζειν quod ἀπὸ τῶν ἑρμάτων, id est à fulciminibus deduxit. fulcimina autẽ etiam apud Homerum agnoscimus, eo uersu, fulcimina puppibus abstrahunt.

GAL. IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE FRACTVRIS COMMENTARIORVM

Liber tertius.



1 ATQVE hæc quidem fiũt ijs, quibus fracta tantum ossa sunt, nõ autem extra eminent, neq; alioqui ulcus contingit.

De simplicibus fracturis hucusq; disseruit, in quib. neque os extra cutẽ eminet, ita ut nudũ appareat, neque omnino ulcus contigit. nã ossa extra eminere et nudari absq; musculorũ qui circumiecti sunt, & cutis diuisione nõ posse perspicuũ est. ulcus uero fieri etiã si os fractũ minime denudet, potest. transit igitur iã ad loquendũ de fracturis quæ uel cum ulceratione sola, uel cum osis denudatione fiunt.

2 At quibuscunq; simplici modo fracta ossa sunt, & nõ multifarie, si eodem die aut postero reposita, atq; in sedem suam data sint, neq; sit timendum, ne fragmentum aliquod recedat: quibus item licet ulcus accesserit, ossa tamen fracta nõ extra eminẽt, neq; modus fracturæ is est, ut fragmentorum timeri recessus posint: ij simplici modo curandi sunt.

Fracturarum cum ulcere duplicem curationis modum tradit. alterum, cum uel nuda aliqua osis fracti pars, uel resciſſum aliquod fragmentum cõminuti osis extat: alterum, cum neutrum horum est, sed ulcus solum cum fractura conuenienter coaptata. Neq; enim si recte extensio & cõfirmatio adhibita fuerit, neq; extra cutẽ pars ulla osis eminet, neq; recesio aliqua suspecta est: in his curandi speciem immutandam censet. alteram enim adhiberi uult, cũ ulcus simul quidẽ cum fractura contingit, sed nihil tamen extra eminet, neq; timetur ne aliquod fragmentũ à fracto osse rescindatur: alteram, cum fractum os licet occultetur sub cute, in opinione tamen est aliquando separatũ iri à natura aliquod fragmentum, ac per locum ulceris erupturum. cum prima affectio cõtingit, modo de-

B ligationis utendum censet, quem in fracturis sine ulcere adhiberi docuit. cum secunda accidit, modum curationis, ut deinceps discemus, immutat. melius enim est ut rem ex ipso intelligamus.

3 Atq; alij quidem qui neq; magnum bonum, neq; magnum malum faciunt, ulceribus purgante aliquo medicamento imposito medentur: aut picato cerato, aut cruẽto, aut aliquo alio, quod facere consueuerunt. eos ego qui plagulas uino madefactas, aut

C lanas succidas alligant, uel tale aliquid, laudo: ubi autẽ purgata ulcera fuerint, & iam coalescunt, tunc multis linteis deligare, ac dirigere ferulis conantur. hæc sanè curatio sicut boni aliquid affert, ita malum non magnum facit. sed ossa tamen nõ simili modo in sedem suam coaptantur, sed aliquantulo turgidiora corpora ea parte, quàm opportunum sit, efficiuntur.

Fracturarum cum ulcere curãdarum duplicem modum ab Hippocrate tradi dixi: à quorum primo nunc incipit: eosq; prius reprehendit, qui male ulcerationem illam curant, in qua ubi conformata apte fractura est, nulla suspicio est, ne fra-

D gmentum aliquod postea rescindatur. nonnulli igitur medici, inquit, eis qui ita affecti sunt, inter initia quidem medentur perinde ac si ulcus solum haberent: ubi uero satis mediocriter id se habuerit, deligationem fracturis accõmodatã adhibent. summa huius orationis hæc est. longius tamẽ Hippocrates ipsam produxit, dum sigillatim omnia percẽset. ego eos uti curatione eiusmodi dixi, perinde ac si ulcus solũ absq; fractura contigisset. ipse etiã ea quibus medentur, adiunxit. picatiq; cerati, & cruenti medicamẽti, & purgantis, plagularũq; uino imbutarum mentionem facit. cruentum aũt medicamentum quod inquit, id est ἔναιμον, nunc quoq; usitatiſsimum apud medicos nomen est. de illisq; medicamẽtis dicitur, quę uulneribus statim

à prin

à principio ubi facta sunt, imponuntur, cum nondum sunt sicca, sed adhuc cruentãtur: hoc est è cute uulnerata, aut etiam carne sanguis rorando destillat. at medicamentũ purgãs illud est, quòd unà cum eo ꝙ exiccat, id quod precipuum in ulcerum curatione esse, demonstratum est: quandã etiam abstergendi uim habet, qua ulcera pura efficit. huiusmodi medicamenta ex squamma æris, & ærugine componuntur duplici modo. alij enim ærugine decoctã, alij crudam miscent: quæ cruda confecta sunt, uiridia: quæ decocta, uermicula appellantur. hos enim colores præ se ferũt. atq; hæc quidem medicamenta, quoniam mediocriter abstergunt, purgandorum ulcerum uim habent. huiusmodi aũt esse ea quæ sordem ex ulceribus expurgant, docuimus. quæ autẽ abstersione carent, cruentis imponuntur. quę etiam ipsa nõ secus ac priora ex particularibus materijs uariantur. nam sicut de illis exempli causa ęruginem, & squammã æris dixi, alia quoq; talia poteram eodem modo dicere: nuncq; satis erit, si absq; purgandi ui cruenta ea medicamenta appellari dicamus, quæ ex bitumine conficiunt. exempli enim causa hæc cõmemorabimus, cum omnis eorum materia in libris De medicamentis fuerit explicata. picatum aũt ceratum & sensum doloris mitigare, & pus mouere apud omnes ferè constat: tuncq; præcipue cõuenire, cum inflammationem iam ulcus inciderit. nam cum neq; ad purgandum sorde, neq; ad glutinandum, aut cicatrice obducendũ ulcus idoneum sit: ad aliud uti eo potest nemo. at uino madefactę plagulæ ob uinum reprimendi uim habent. & ab ijs, qui ita curãt cõtinendi causa assumi cõsueuerunt, cũ ob ulcus subligaminibus, id est fascijs subiectis utantur. sed quæcunq; sciẽda ei sunt qui rite ulcus uult curare, tũ in tertio & quarto Curatricis artis ordine unicuiq; accõmodato, explicata sunt: tum in explanatione quoq; libri De ulceribus quantũ satis fuit, fuerũt cõmemorata. nunc ad præsentem rem satis hæc sunt, quæ diximus. quippe cũ opus futurum sit, ut rursus de curatione huiusmodi affectuum agamus, quando Hippocrates ipse id docebit. nũc enim de alijs medicis loquitur. inquitq; eos peccare, non tamen alicuius mométi errorem eorum esse uelut illorũ de quibus mentionẽ facit. in quo igitur peccãt? si hoc enim cognouerimus, illud quoq; perspiciemus: quod inquit, Neq; magnum aliquod bonum, neq; magnũ malum ipsos facere. in eo uidelicet error eorũ consistit, ꝙ cum ulcerationi nõ male prouideant, fracturã inter initia negligunt accõmodatam ei deligationem postea adhibentes: qua utendum, à principio est. propterea inquit, turgidiora ossa euadunt. nam cum melius sit, ut toto tempore reprimãtur, & compingantur, ipsi primis diebus, atque illis quidem non paucis id facere omittunt. siquidem, ut ait, ubi iam ad cõglutinationem deuenerunt ulcera: ipsi tunc primum ut fracturis cõuenit, deligant. patet enim cum suppurent ulcera, prius esse purganda ꝙ eò deueniant, ut coalescãt. id autem trium, aut quatuor dierum numerum planè excedit.

4 Quin breuiora quoq; redduntur, quibuscunq; utraq; uel tibiæ uel cubiti fracta ossa fuerint.

Proprium breuitatis Hippocratis est, ut ijs quę subiungit, quæ in superioribus prætermissa sunt, declaret: id quod etiam nũc facit. cum enim prius ossa turgidiora fieri dixerit eorum qui à medicis ita curantur: in omnibus ne an aliquibus tantum id fiat non definiuit. sed nunc aperte manifestat non in omnibus, sed illis tantum id contingere, in quibus alterum os tantum fracturam passum fuerit. partes enim fractæ cum non omni curationis tempore compingantur & astringantur: non reprimuntur, sed turgescunt. non tamen breuius os euadit: quia alterũ quod est illæsum, atq; integrũ, ei longitudinem naturalem cõseruat, sed ubi duo simul ossa effracta sunt, fit ut partes altiores ossiũ fractorum, sicut superius demonstratum est, unà cum musculis retrahãtur. quam ob causam etiam ante conformationem extensionem adhibebat. & quia sine accommodata deligatione coaptatio ossium seruari non potest: propterea deligationi, quoad callus obducatur, accurate studendũ censuit: quam qui negligunt ulcerationis tantum cura habita, non solum in maiorem tumorem, quàm naturaliter conueniat, membrum inducunt: uerum etiam breuius efficiunt.

5 Alij sunt qui huiusmodi fracturas linteis statim curẽt: atq; hinc & inde linteis conuoluentes, qua ulcus est, intermittãt: perfrigerariq; id sinãt. postea supra ulcus medicamẽto aliquo purgãte imposito, & plagulis uino imbutis, & lanis succidis, ita medicantur. curatio hæc mala est. uerisimile'que est hos qui ita curãt, cũ in alijs fracturis, tum in huiusmodi maxime desipere. quippe cum præcipuũ illud sit ac maximũ, ut cognoscamus quo modo inijciendum initium linteorum sit, & qua parte maxime cõprimendũ, quam utilitatem item consequantur ægri, si quis et recte initiũ fasciæ cõijciat, & qua maxime est opus, cõprimat. ꝙ cõtra dãno afficiantur, si neq; recte fasciationẽ incipiat quispiam, neq; qua maxime cõuenit, sed hinc et inde tantũ cõpressionẽ faciat. quæ sanè ex utrisq; eueniant, & dictum etiam superius est: et ipsa quoq; medicina testificatur. quippe cum necesse sit, ut ei qui ita deligatur, tumor in ipso ulcere insurgat.

Eorum qui maxime lædunt, mentionem hic facit Hippocrates, omniaq; quæ agunt clare explicat: erroresq; ipsorum euidenter conuincit. ut si quis diligenter aduertere animum ijs quæ dicuntur, uelit, mea opera non indigeat.

6 Nam si sanum corpus hinc & inde deligatum

gatum fuerit, in medio autem intermissum sit: id qua intermisio facta est, intumescet, ac decolorabitur. quomodo igitur ulcus hæc non patietur?

Quicquid carnosæ substãtiæ est appellare Hippocratem corpus, id est χρῶτα, quo uocabulo hic utitur, dictum etiam superius est. sed aduerte mihi animũ, ut intelligas rationalẽ medicũ, si quod fieri debet inuenerit, longam experientiã non expectare. isti huiusmodi fracturam curant ulcere non deligato, sed utrinq; ab eo fascijs circumiectis. & non ex ijs quæ ipsi agunt, sed ex morbi malignitate, inflãmatione uexari ac male affici ulcus existimant. cum primus qui huiusmodi curationem excogitauit, eam praua deceptus ratione inuenerit: alij uero qui eam ex consuetudine susceperunt, eã seruent, eo quòd immutare atq; innouare quicq; non audent. ex qua re quid aliud euenit, q; ut magnum malũ efficiant? id enim planè omnibus contingit qui experientia absq; ratione artes exercẽt. qua re cum sola ratio ex ipsa rei natura profecta fiduciam habeat, ea quæ ex longa cõsuetudine male agũtur, audet immutare. Sed quæ ratio est hæc? audacter Hippocrates istorũ curationem immutare est aggressus, non probabilibus aut absurdis inductus sumptionibus, sed scientiã afferentibus, & necessarijs. nam si in sanis corporibus modus hic deligationis in mediam partem, quæ inter fascias extat, utrinq; sanguinem elidens inflammationem affert: quomodo in membris iam affectis idem multo magis non efficiet?

7 Necesse igitur est, ut ulcus decoloratũ, & digressum, ac euersum & lachrymosum euadat, nec suppuret. ossaq; quæ recessura minime erant, recedant.

Quę ex praua deligatione accidant, hic scribit: quæ omnia ex magnitudine inflammationis eueniunt. labra enim ulceris ob eam inuertuntur, non secus atq; ea quæ labra proprie appellantur, oris uidelicet, quando inflammationem patiuntur. decolor item totus locus efficitur. atq; id nõ iniuria, nam hoc quoq; inflammationem magnam consequitur. tum ex ipso ulcere sanies quædam tenuis, atque incocta emanat: perinde atque in oculis lachryma, cum laborant inflammatione. inde enim per translationem ita affectum ulcus lachrymosum hic uocatum est. præterea donec in hunc modum deligata fuerit pars, concoctio nulla humoribus qui inflammationem gignunt, contingere poterit. accedit quòd necesse erit, ut osium pars aliqua mora temporis noxam ex incoctorum humorum affluentia contrahat. quocirca nisi destiterit ab hac praua deligatione, qui ita curat: nihil mirum erit, si aliquid ex ipsis recesserit. Reliqua in tota hac oratione clara admodum sunt, si quis attendat, ut dixi: eaque memoria teneat, quæ prius edocuimus. omnia enim hæc ad illa referuntur, illisq; attestantur, sicut ipse etiam Hippocrates significat.

A 8 Nec nõ pulset ac febrile ulcus efficiatur: ut cogantur ob intumescentiam emplastra imponere. id quod inutile ijs qui hinc & inde deligati sunt euadit: cum nihil ipsis nisi pondus quoddam inutile ad pulsum illum superueniat. postremo uero cum iam recrudescit malum, fascias resoluunt, & sine deligatione postea reliquam curationem persequũtur. & si aliquod aliud uulnus huiusmodi deprehenderint, nihilominus eodem modo ei medẽtur. neq; enim deligationem hinc & inde factam, et ulceris perfrigerationem esse in causa, sed aliquod aliud infortu- B nium putãt. ego quidem tam multa hac de re minime scripsissem, nisi certo scirem, & inutilem esse huiusmodi deligationem, & multos esse qui ita mederẽtur: nec nõ opportunum fore, si dediscerẽt. recte autẽ scripta esse quæ superius scripsimus, testimonio illud est. siue uidelicet maxime, siue minime comprimẽdæ fracturæ sint. oportet autem summatim ita dicere. quibuscunq; osium recesio in expectatione nõ fuerint, ijs eadem curatio adhibẽda est, ac si ossa tantum fracta absq; ulcere sint. nam & extensiones C & directiones osium, & deligationem eodem modo faciemus. super ipsum enim ulcus plagula tenuis duplex picato cerato illito imponenda, ac circum circa albo cerato inungendum est. at lintea tamẽ & alia latiora aliquãtulo scindi debent, quàm si ulcus nõ esset. idq; quo primo deligamus, latius multò quàm ulcus esse oportet. quippe cũ angustiora ulcus ipsum cingant. id autem nõ debet. sed à prima circũuolutiõe totum ulcus comprehendendum est.

Paulo ante dixit in his qui ita deligantur, ad ipsa ulcera intumescentiam elidi. intumescentiam D οἶδος appellãs. nam ex praua deligatione ex utraque ulceris parte facta sanguis expressus turgiditatem quandam præter naturam in medio facit: quam οἶδος & οἴδημα, id est intumescentiam seu tumorem nominare ipsi mos est. hic uero tumor cum pulsus ei, calorq; ignitus accesit, eam quę nõ multo ante proprio nomine ita fuit appellata, inflammationem inducit. antiquitus enim ut sæpe à nobis demonstratum est, incensionem omnem φλεγμονὴν, id est inflammationem uocabãt. à temporibus uero Erasistrati nomen inflãmationis in consuetudinem abire cœpit, ut de tumoribus illis diceretur, in quibus non tantũmodo calor incensus & flammeus, uerum etiam repercusio, & pulsus existit: qui sanè ruborem quoq; necessario habent. ex multo enim calore rubor exoritur, sicut

A repercusſio & pulſus ex oppletiōe. cum poſſet autem Hippocrates loco πυρετώδεας, id eſt febrilis, πυρώδεας, hoc eſt igneum dicere: febrile dixit à feruore & igne deducta appellatione, ut ſignificet, quemadmodũ mihi uidetur, febrẽ quoq; ipſam, quæ πυρετὸς dicitur ἀπὸ τοῦ πυρός, id eſt ab igne fuiſſe nominatam: eamq; eſſe febris eſſentiam, quòd calorem igneum habeat.

9 Ita ut hinc & inde linteũ ſuperexcedat.

Raro ab auctoribus ἔνθεν καὶ ἔνθεν, id eſt hinc & inde pro à ſuperiore & inferiore parte dicit̃. plerunq; em̃ cum de partibus quæ à latere ſunt, intelligunt, uti hac loquutione cõſueuerunt. hic tamẽ antiquo loquendi modo Hippocrates dixit.

10 Atq; iniĳci quidem linteũ debet ex ipſa ad ulcus proceſsione: comprimẽdumq; B paulo minus quàm ſi ulcus nõ eſſet. deuoluendaq; deligatio, quemadmodũ dictum antea fuit. lintea autem mollia quidem ſemper ſint, magis tamem in his, quàm ſi ulcus nõ eſſet: neq; pauciora ꝗ quæ prius dicta ſunt: imò etiam aliquantulo plura eſſe debent. ubi deligatum fuerit, ei qui deligatus eſt affulcitæ quidem, nõ compreſſæ tamen faſciæ eſſe uideantur. dicatq; is ſupra ulcus maxime affulcitas eas eſſe. ĳſdemq; temporibus affulcitæ, & ĳſdem laxæ eſſe uideantur, ſicut in ſuperioribus fuit declaratũ. ter- C tio itẽ poſt die religandum eſt omnibus in ſimiles modos, ĳs quæ ſuperius dicta ſunt, immutatis: niſi ꝙ in uniuerſum minus aliquanto hæc cõprimenda, quàm illa ſunt. & ſi pro ratione quæ ueri ſimilia ſunt, fiant: pars iuxta ulcus gracilior ſemꝑ reperietur: gracilia item reliqua omnia, quæ à deligatione continentur. ſuppurationes etiam citius quàm in ulceribus quę aliter curantur, fient. & quæcũq; carunculæ in uulnere aut denigratæ, aut emortuæ fuerint, celerius ſub hac curatione, ꝗ ſub alĳs circũ abrumpentur, atq; excident. præterea ulcus ſi hoc D modo curetur, quàm ſi alio, maturius ad cicatricem deuenit. omniũ horum cauſa eſt, ꝙ & pars in qua eſt ulcus, & quæ circũ circa adiacent omnes, graciléſcunt.

Ex proceſsione, id eſt κατ' ἴξιν ſemper pro ex directo ponit, aliquando per longitudinem corporis, aliquando per latitudinem, quẽadmodum nunc. uult enim ut primæ faſciæ initio uel à dextra uel à ſiniſtra parte ulceris poſito, eam ita deuoluamus, ut totum ipſum comprehendat, ac nulla eius pars nuda relinquatur.

11 Sed reliqua quidem omĩa in hac curatione ſimili modo faciẽda ſunt, quemadmodum ſi fracta oſſa abſq; ulcere fuiſſent. ferulæ tamen non ſunt apponendæ. propterea lintea plura eſſe his debent quàm cæteris: quia & minus comprimuntur, et ferulæ tardius apponuntur.

Cauet ne ferulæ ulceratis fracturis apponantur, compreſſionem uidelicet ex ipſis formidans. propterea etiam linteis non eſſe comprimendum iuſſit: pluribusq; ipſis eſſe utendum ob duas has cauſas dixit: id quod memoria tibi tenendum eſt: quia & minus comprimuntur, & ferulæ tardius apponuntur.

12 Si tamẽ eas appoſueris, nõ ex proceſsione ulceris id faciendũ eſt: ſed laxæ apponẽdæ. cauendumq; ne ulla magna conſtrictio ex ferulis efficiatur. dictum autẽ hoc quoq; eſt in ĳs quæ ſcripta ſuperius ſunt. Victu exquiſitiore, atq; eo diutius utendum illis eſt, quibus à principio ulcus contigit, quibusq; oſſa extant, idq; in uniuerſum dictũ ſit: quo grauiora uulnera ſunt, eo exquiſitiore, & diuturniore uictu utendum eſt.

Ex proceſsione & ex directo per lõgitudinem audiendum nunc eſt. in longitudinem enim ferulæ apponuntur. ac prius quidem adhiberi ferulas prohibet: nunc quaſi eas aliquando concedat, ita inquit, ſi tamen ferulas appoſueris: quod quomodo ipſe hic, & in crure facere conſueuerit: aſſerere contentioſe non poſſum cum nullam ipſe hic diſtinctionem ſubiunxerit. quod aũt ego facio illud uero explicabo. cum fractura cum ulcere interdũ in longitudinem mẽbri contingit, nunc ex utraq; ulceris parte circundari ferulas licet. cũ tranſuerſum ulcus euaſit, id maxime ſi maius ſit, uetat quo minus imponi ferulæ queant.

13 Eadem hæc ulcerum curãdorum ratio illis etiam adhibetur, quibus oſſa quidem fracta ſunt, ſed nullum à principio ulcus extiterat: ſi inter medendum uel ex nimia linteorum compreſsione, uel ex ferulæ inſeſſione, uel ex aliqua alia cauſa factum fuerit. cognoſci an ulcus ſubſit, poteſt, dolore, & pulſu: & ſi tumor qui in extremis extat, durus efficitur: ſiq; digitum impreſſeris, inſurgit quidem, ſed ſtatim tamẽ recurrit. quòd ſi tale quippiam ſuſpiceris, ſoluendum tibi eſt. ac ſi ſub ſubligaminibus, aut aliqua alia deligationis parte prurigo ſit, picato cerato pro altero utendum eſt.

Nunc de ulceribus loquitur, quæ fracturis mora tẽporis ex ferularum deligatione ſuperueniũt. cauſasq; exortus eorum, & notas tradit, quibus an exortum ulcus ſit, cognoſcere quiſpiã poſſet. tum ubi id innotuit, in conſueto deligationis modo non eſſe permanẽdum: ſed ſtatim detractis faſcĳs

ſcijs conuenientem curationem adhibendam monet: quam ipſe dilucide ſatis ſcripſit.

14 Sin autem nihil horum fuerit, ſed ulcus irritum inueniatur, nigrum aliquatenus aut impurum: futurum'que ſit, ut carnes ſuppurent, nerui uero ſimul excidant: hi nihil prſus ſunt pfrigerãdi, neq; ſuppurationes hæ terrere nos debẽt: ſed curatio eſt adhibenda reliquis ſanè ſimili modo, ſicut ijs quibus à principio ulcus cõtigerat.

Perfrigerari pro nudari uidetur accipere: id eſt detracta fracturis accõmodata deligatione, tanq; ulcus curare. non enim nihil imponere, & nudum penitus locum relinquere perfrigerare appellat: cum uidelicet dicat, nihil prorſus ſunt perfrigerandi: quandam enim mediam medendi uiam ſignificat. ea autem eſt, ſi aliqua ex antedictis notis in ulcere apparẽte ſtatim deligationẽ fracturis accommodatam finiamus, curationeq; ulceris uno die, atq; altero adhibita mẽbrũ modo quo ipſe ſequẽti oratione iubet, deligemus

15 Sed linteis incipienda deligatio eſt ab intumeſcentia quæ in extremis partibus inſurrexit, admodum laxis. deinde in ſuperiorẽ partem faſcia ſemper eſt deuoluẽda: ut compreſſa quidem nequaq̃, ſed ſupra ulcus maxime, in reliquis minus affulcita ſit. lintea quidem prima munda & nõ anguſta eſſe debent: ac tanta multitudine, quanta ſi ferulæ etiam adhiberentur: uel paulo minore.

In hac oratione manifeſte oſtendit uelle, ut deligatione incipiẽte à tumore qui in extremis membri partibus extitit, inde faſcia continuata deuolutione ſurſum uſq; ad fracturam, ubi eſt ulcus, deferatur. ita ut hæc quæ curandorum tumorum cauſa ſit, deligatio cũ altera quæ fracturis idonea eſt, coniuncta unam intentionem ex paruis conuolutionibus conflatam abſoluat. faſciationem hanc uult affulcitam circa ulcus eſſe, id eſt applicatam atq; inhærentem, laxe tamen, ne conſtringat: in reliquis uero partibus fracturæ, quemadmodum in fracturis abſq; ulcere minus eſſe compreſſam. obſeruandum enim in omni deligatione illud cenſet, ut ea pars maxime comprimatur, unde elidendus ſanguis eſt. linteorum autem conuolutiones in extremis partibus quæ intumuerunt, fieri laxiores iubet: ea diligentia ipſis duntaxat adhibenda, ut in unam unionem & coniunctionem deligatio deducatur: non in eis præcipuam totius curationis uim conſtituens. non enim nigrefacta & emortua in ulceribus, quæ nunc curat, eiuſmodi ſunt. de illis enim ſuperius his uerbis inquit. Et tumor qui in extremis extat, durus efficitur: ſic; digitũ impreſſeris inſurgit quidem, ſed ſtatim tamen recurrit: quæ ſanè tumorum eiuſmodi ſunt accidentia, ut merito neq; eos ſicut molles eſſe negligendos, neq; eis præcipuam curationis uim, ut dixi, attribuendam cenſeat.

16 Supra ipſum ulcus ſatis eſt, ſi plagula albo cerato illita detur: nam ſiue caro, ſiue neruus nigrefactus fuerit, excidet. quippe cum hęc huiuſmodi non acribus curari, ſed lenibus debeant non ſecus atque ambuſta. religare uero tertio poſt die opus eſt: ferulæq; non apponendæ. magiſq; quieſcendum quàm antea eſt: inediæq; uacandum. Sciendum autem eſt ſiue caro, ſiue neruus ita computruit, ut decidere debeat: hoc modo & multo minus late proſerpet, & multo citius decidet: multoq; graciliores circum adiacentes partes erunt, quàm ſi reſolutis linteis aliquod ex purgantib. medicamentis ſupra ulcus impoſitum fuerit. adde quòd quicquid ita pure moto exciderit & citius carne repletur, & citius ad cicatricem perducitur: quàm ſi illo modo, uel aliquo alio curatum ſit. præcipuum quidem in his eſt, ut recte et moderatẽ deligare ſcias. ad id tamen figurationes etiam quales eſſe debent, & reliquus uictus, & linteorum conuenientia inſuper conducunt.

Cur acribus medicamentis curare ulcera hæc non oporteat, ipſe explicauit, cum ea ambuſtis compararit. quia uidelicet ex commiſtione acriũ, & calidorum humorum exiſtunt. ſimul etiam illud ſignificauit, picatum ceratum acrius quàm album eſſe. pix enim quo calidior, eò etiam acrior quàm cera eſt.

17 Quòd ſi in nuper uulneratis deceptus oſſiũ receſsionẽ nõ futurã eſſe exiſtimaris: ea uero receſſura fuerint: modus curatiõis timẽdus non eſt. nullum enim magnũ malũ inde eueniet. ſi modo manu deligatiões bonas atq; innoxias facere non ignores.

Non timendus, inquit, eſt curatiõis modus qui fracturis cõuenit, etiã ſi ſigna oſsiũ receſsionis apparuerint: quænam ea ſint, ex ſequentibus diſces.

18 Si oſsiũ receſsio in hoc curatiõis modo futura eſt, nota hæc erit. pus copioſum ex ulcere emanat, gliſcereq; pars affecta uidet.

Quando copioſius eſt pus quod emanat, q̃ ulceris magnitudini par ſit: ſuſpicandum eſt, affectũ os eſſe, quòd ſi gliſcere quoq; uideatur, quod ὀργᾷν uocat: id eſt ad excretionem feſtinare atque incitari pars quæ laborat: tũc pro certo id habere iam potes. ſed quo pacto incitari ad excretionem locum deprehendimus? primum quidem cum labra ipſa ulceris coire inter ſe nequeunt: ſed diſsident, atq; inuertuntur. deinde cum æger in intima membri parte motionem quandã latentem ac tacitam ſentit, ſi auocata ab alijs rebus mente & ſenſibus

sibus huic soli membro, quod hæc patitur, diligenter attenderit.

19 Frequētius igitur ob madorē religandū est. nā alioqui & febres oriūtur: & si ualde à deligatione cōprimantur, & ulcus, & circumiectæ partes gracilescunt.

Madorem, id est πλάδον superfluentes humiditates appellare cōsueuit, siue ex tenuibus, siue ex crassioribus humoribus constent: cuiusmodi nūc pus est: quod dixit copiosius emanare quando ossis pars recessura est.

20 Ac quæcunque quidem tenuium admodum ossiū recessiōes sunt, nulla magna mutatione indigēt. nisi ut laxius deligetur, ne pus intercludatur: sed effluere facile queat. frequētiusque religandum, quoad os recesserit: ferulæque non apponendæ.

In quibusdam exemplaribus -magna- non est, sed absolute est scriptum, nulla mutatione indigent: sed magis uidetur esse cōsentaneum, ut hoc modo legatur. nam cum tripliciter deligationis ratio quæ fracturis cōuenit, immutetur, ac uarietur: nō ita absolute nulla mutatione esse opus merito dixisset. præsertim cum etiā si particula ea adiūcta sit, reprehendere hominem fortasse, ac falsum esse quod dicat asserere quispiā possit. iubet siquidem nunc laxiora lintea deligare: frequenter resoluere ac religare: ferulasque nō apponere: & quarto loco id quod in uniuersum consuluit, multitudinē linteorum, quando intentio ipsorum laxatur, augere & ferulas non applicare. sed modus tamen deligationis fracturarum seruatur. ad quem spectās non indigere mutatione aliqua magna hæc dixit. subligamine enim utēdum tibi est, initioque à parte affecta sumpto, terque circum eam circumuolutione facta in superiorem partem finiendum reliquis distributionibus linteorum, sicut ipse edocuit, deductis. postea secundū subligamē eadem intentione iniectum deorsum deuoluendū, ac sursum iterum retrahendū est: laxioresque inuolutiōes eius faciendæ. tum plagulæ, ut tradidit, imponendæ: fasciæque desuper dandæ: sicut omnia in fracturarum deligatione didicisti. at si magnorum ossium fragmenta fuerint recessura: deligationē fracturarum nō amplius admittit, sicut in sequenti oratione declarabit. Merito igitur, nulla magna mutatione indigere hæc dixit. uerum si etiam absque -magna- scriptū sit, ita accipi poterit, ut intelligamus modum deligationis fracturarum nulla ex parte esse immutandum. nam dum & subligaminibus utimur, non secus atque illic, & initiū deligationis idem facimus: primasque inuolutiones, ac deinceps reliquas nihilominus: simili item modo postea plagulas iniicimus, easque ipsas desuper deligamus: eundem profecto modum seruare dicendi sumus.

21 Cum uero maioris ossis recessio in expectatione fuerit, siue inter initia prænoueris, siue postea aduerteris, nō amplius eandem curationem requirit: sed extēsiones & directiones ita faciendæ, sicut dictū est. plagulæ uero duplices sumendæ sunt latitudine non minore semidodrantali, ad uulnus tamen quod fuerit cōiectando. lōgitudine paulo quidem breuiores, quàm ut bis: sed multo longiores quàm ut semel circumire fractum corpus queant. tot autem multitudine sint, quot conducit. has uino nigro austero madefactas à media parte incipiēdo, quemadmodū fascia ex duobus initiis deligari solet: sic circumuoluere debes: & deinde asciatim alternatis capitib. ita dimittere.

De inuolutione fasciæ etiā in libro De iis quæ in Medicatrina fiunt dixit, fasciationem aliam simplicem, aliam rotūdam, aliam asciam appellari. est autem ascia reuolutio fasciæ, quæ cum parum à recto declinet, in obliquum tamen nondum euadit, à fabrorum ascia quæ paululum à recto abiens in summitate decuruatur, ita dicta: uult igitur, ut plagulæ hac figura membrū circūdent, ita circumiectæ, quemadmodum fascia, quę ex duobus initiis deligatᷣ: id est ita ut media plagularū pars mēbro primū applicetur: deinde reliqua quasi crura non orbiculariter circumuoluantur, sed paululum deflexe: ut ex oppositaparte illi loco unde inceperāt inter se mutuo decussentur, similemque coniunctione X literæ efficiant. id quod si orbiculariter fuissent circūducta, nunquam euenisset. capita enim plane ex aduerso cum orbicularis conuolutio fit sibi mutuo occurrūt. plagularū longitudinem declarauit, cum inquit, breuiores eas paulo esse debere quàm ut bis: & longiores multo quàm ut semel sibi mutuo occurrant. uult enim ut sæpe ab ipsis contineatur membrū, non semel ab unaquaque ex ipsis circumdatū. nam si in quem locum sibi occurrisset plagula, nulla alia mēbri parte ulterius cōprehensa, ibi desiisset: firma nō fuisset detentio. dimidiam siquidem ferè partem ulterius ab ipsis comprehendi debere significat, cū inquit, & paulo minores eas esse debere, quàm ut bis: & multo maiores quàm ut semel circūdare membrū queat. id aūt fiet, si in media parte rotūditatis mēbri desināt. quare si pedali longitudine esse deberent, ut semel circuirēt: sesquipedali faciēdæ sunt, ut in medio desināt tanta parte eis adiūcta, quanta à sesquipedali longitudine deficiebant. coniectanda igitur diligenter tibi est membri crassitudo, quo tanta longitudine efficere plagulas possis, ut una & dimidia circumuolutione membrū cōplectantur. quod si cōiecturæ tuæ nō admodum fidas, longitudinē exacte inuenies, si alteri sano membro eas circūiecceris. perspicuū prętereа illud est, plagulas has ita cōtinenter ac proxime inter se esse coniiciendas, ut nullus in medio uacuus relinquatᷣ locus. uino aūt madefaciendas censet, quod colore nigrum sit, sapore austerū, crassum constitutione. nigrum enim & austerum ad huiusmodi affectus utilissimū est:

cum & commune bonum, cuius causa assumitur, A
afferat: & reliquis astringentib. minus mordax sit:
id quod in huiusmodi curationibus nõ leue existi
mari debet: quippe cum, ut docuimus, ex dolore
inflãmationes orianẽ. unde etiam si non admodũ,
sed mediocriter austerũ sit, magis probaẽ. quod e-
nim admodũ austerũ est, cum carnẽ supra ꝙ opor
teat, contrahat & cõpingat: dolorẽ inducit. quin
etiã quod substantia tenue est, cuiusmodi est albũ
aut flauum, aut uermiculum: huic rei eo ineptum
iudicaẽ, ꝙ in totã ulceratæ carnis profunditatẽ pe
netrans, ex constrictione, & cõpactione quã facit
sensum maiorem doloris affert. at crassum quale
est nigrum, cum nõ alte in carnem penetret, sed so
la qualitatis diffusione ipsam perfrigeret & cõtra- B
hat: humores qui iam in ea cõtinenẽ, reprimit: in-
fluentes sistit. Ac ratio quidẽ nigro & austero ita
attestaẽ. Sed si experimento quoq; uelis uim eius
tẽtare, ac supra maxima & grauissima uulnera eo
utaris: me uerũ esse deprehẽdes. Dictũ aũt etiam
superius est, eo subinde madefaciendũ ulcus esse:
propterea ꝙ cũ lintea imposita paulatim exiccenẽ
& calefiant, inflãmatio præcipue æstate consequa
tur, necesse est. quo tẽpore ego multos curaui, qui
apud nos Pergami in singularib. gladiaturæ certa
minibus, quæ à põtificibus celebrari cõsueuerũt,
pessime fuerãt sauciati. supra uulnus cõplicata lin
teola uino huiusmodi madentia imponebam: su-
praq; ea spongias molles extrinsecus dabã, tũ per
totũ ferè diem, totamq; noctẽ madefaciebã, subie C
cto prius corio leniter concauo sub membro uul-
nerato ad pedes, ut per id quasi per riuulũ uinum
ex infusiõe deflueret: in peluimq; uacuã, quę id ex
ciperet, exinanireẽ: in quam quod defluxerat ui-
num iterũ sumptũ denuo infundebã. nam præter
alia quæ hoc uinum in se habet cõmoda, illud est
maximũ, ꝙ hebeti odore præditũ est. cum eñ alia
quæ hunc odorem habẽt, caput uehementer feri
ant: nigrũ austerũ neq; hac in parte læsionẽ ullam
affert. odoris aũt hæc imbecillitas ex frigiditate tẽ
peraturæ contingit. Vinum enim austerũ ex terre
stri substãtia constare in lib. De medicamentis de-
monstratum est: quare cum huiusmodi uinum ex
terrestri cõmistione frigida austerũ euaserit, cali-
dos uapores sursum emittere nõ potest. dixi aũt in D
principio etiam statim horum cõmentariorũ, pro
pterea quòd multi sunt, qui in fracturis defluxio-
nes huiusmodi defluere non sinunt, qualem ego
in gladiatoribus adhibebã: ceratũ liquidũ in sim-
plicibus fracturis assumimus, quod licet uino sit
longe imbecillius, eam uim tamen habet, ut effice
re ea quibus opus est, satis possit.

22 Hæc & ad ipsum ulcus faciẽda, & hinc & inde ab ulcere, neq; comprimẽdum, nisi quantum fulcimenti causa sufficiat.

Rursus hic non de latitudine sed de longitudi-
ne membri intelligit, cum hinc & inde dicit. seruat
autem perpetuum illud præceptum, quo iussit, ut
deligatio semper non parum precipue in magnis
affectionibus sanæ partis occupet

23 Supra ulcus aũt picatũ ceratũ dandum est, aut aliquid ex ijs quæ cruentis sunt accommodata, aut ex alijs medicamẽtis quod irrigationi connutritum sit.

Præcipua curationis uis in deligatione cõsistit
primis diebus, quãdo ab ulceratis partibus quic-
quid humoris eò iam defluxit, elidendũ: & quod
ex superioribus partibus influit, prohibẽdum est.
à tertio uero die picatũ ceratũ, cũ ea quæ in ulcere
sunt, cõcoquat, utilius adhibeẽ. sed Hippocrates
statim à principio cum ipso facultatẽ etiã uini assu
mit: cum non tota substantia id ulcerato loco oc-
currere, sed per qualitatis diffusionem uelit: ne ali
qua molestia ex astrictione afferatur. non enim
gladio illatum uulnus nunc curat: sed quod omni
no contusam uel magis uel minus circũ circa car-
nem habet. quippe cum ea quæ fracturã inducũt,
carnis etiam aliquid cõtundere cõsueuerint. meri
tò igitur aliquid etiam cruenti medicamẽti super-
inijciendum censet, quod contusis conducit, miti
gationemq; affert. quod tamen habere uim eam
uult, ut infusionem extrinsecus non repudiet, sed
admittat: id est conueniens ei, consentiensq; sit. id
enim connutritum hic significat.

24 Si æstiuum tempus est, plagulæ uino frequenter sunt irrigandæ. si hyemale, lanæ multæ succidæ ex uino & oleo superimponendæ sunt.

Quoniam in huiusmodi affectionibus nimia
perfrigeratio conuulsionis interdum periculum
affert: uino autem frigido tam habitu quàm facul-
tate utendum est: iccirco ueritus ne molestia ali-
qua per hyemem contingat, in qua ad curationis
modum temporis quoq; frigus accessit: lanarum
superpositione, mistioneq; olei perfrigerationis
uehementiam obtudit. uult autem lanas succidas
esse ob sordes quæ cum caliditate frigiditatis etiã
nonnihil obtinent.

25 Petulca ꝑterea substernenda est: defluuiaq; obseruãda, ut effluere facile possint.

Siue capræ siue alicuius alterius pellis petulca,
id est ἰξάλη appelletur, disputare hic superuacane
um puto. non eñ de uerborũ interpretationibus:
sed de curationibus morborum hic agere nobis
propositũ est: ad quam satis est, si cognouerimus
raram non densam pellem eam esse debere: quæ
substernitur. quæ non solum quicquid ex infusio-
ne confluit, uerũ etiam sanies quæ eluuntur, exci-
pere queat, ac deriuare: ita figurata in partibus iu-
xta pedes, sicut superius diximus.

26 Memoriaq; id tenẽdũ, loca hæc si multo tẽpore eadẽ figuratione permaneant, intertrigines curatu difficiles contrahere.

Partes circa os sacrũ quod etiã latum appellãt,
cum calefiũt, & intumescũt, torporẽ, atq; sub ipsa
etiam cute ulcera curatu difficilia faciunt. post cu
tem enim chartilaginea ossium capita sunt, quæ
nudata difficulter sanescunt.

Quos

27 Quos autē deligatione sanare non potes aliquo modo ex ijs q antedicti sunt, aut dicentur: in primis curādum est ut ij disposite fractam corporis partem è directo detineant: attendendumq; ut sursum magis q̄ deorsum uergat.

Non exquisite è directo tenēdum esse crus censet: sed ita, ut aliquanto altior extrema pars sit. Nā sicut dictum etiam superius à me est, figuratio decliuis facit, ut plus humoris in crus defluat, accliuis dolorem creat. Quapropter decliuis semper fugienda est. accliuis quoad dolore non afficitur crus, eatenus admittenda.

28 Si uero bene quis & facile uult operari, is adhibere etiam machinamenta debet, ut pars corporis fracta iusta & non uiolenta extensione distendatur. machinamentis aūt uti in tibia maxime licet. nōnulli sunt q in omnibus tibiæ fracturis & quæ deligantur, et quę non deligantur, pedem extremū lecto, aut alicui alteri ligno iuxta lectum defosso alligent. ij sanè mala omnia, & bonum nullum efficiunt. neq; enim extensioni adiumentum ullum hæc affert alligatio, cum nihilominus reliquum corpus ad pedem concessurum sit: atq; sic nō amplius extendetur, neq; ad directi rectionem quicquam prodest, immo officit. si enim reliquum corpus uel hac uel illac uersetur, uinculum nō uetabit, quo minus pes & ossa pedi annexa corporis motionem sequantur. quin si non fuisset alligatus pes, minor fieret distortio: quippe cum minus in motione reliqui corporis destitueretur.

De extensione quæ instrumētis fit, quæ totum membrum æqualiter extendit, & nullam eius partem uel magis uel minus extendi sinit, de qua & prius egit, & nunc etiam dicit: à nobis quoq; superius latius fuit declaratum. quę uero de ijs qui summum pedem alligant nunc scribit Hippocrates, perspicua sunt. his igitur omissis, ad ea quæ de sphæris tradit, descendemus.

29 Quod si quis sphæras duas ex aluta Ægyptia consuat tales, cuiusmodi gestare illi solēt, qui magnis compedibus uincti sunt. quæ quidem sphæræ tunicas hinc & inde habeāt, à parte uulneris profundiores, breuiores ab articulis. quę tumidæ sint et molles: ita ut altera supra malleolos, altera infrà genu cruri coaptari queat. tum à latere unaquæq; geminas utrinq; appendices annexas habeat, aut ex simplici, aut ex duplici loro, breues illas quidem perinde atq; an-

A sas, ex utraq; malleolorum parte alias; alias utrinq; à genu. nā et superior sphæra tales alteras è directo habere etiā ipsa debet. postea corneis uirgis sumptis æqualibus inter se magnitudine, crassitudine digitali, longitudine uero ea, ut inflexæ in appendices apte inserantur.

Oratio hæc de sphæris mihi quidem aperta esse adeo uidetur, ut explicanda à me aliter nō sit. quia tamen nonnulli sunt qui sæpe dicant, se ignorare ea quæ ab Hippocrate dicuntur: quid agam dubito. Nam coram ijs qui dicunt se hæc non intelligere, sphæras ipsas in medium profero: ac dum legitur liber, B sigillatim unumquodq; quod inquit, parti illi sphærarum applico de qua loquitur: atq; ita orationē totam claram ac manifestam reddo. dum scribo autem, quia in libro monstrari sphæræ non possunt: haud scio quo pacto declarari oratio hæc queat. nam si quis Hippocratis perspicuā loquutionem non intelligit: is quomodo meam percepturus sit non uideo. Quocirca hunc monendum esse censuerim, ut sæpe orationem hanc perlegat, diligenterq; ei animum aduertat. nam si ita fecerit haud dubito, quin si nō antea potuit, nunc saltem prorsus eā intellecturus sit. Quin ego quoq; quicquid facere ad intelligentiā aliquā eius posse existimo, in præsentia non omittā. Sphæræ igitur hic accipiendæ sunt non pro globis aut pilis eiusmodi ut sunt illæ quibus pueri ludere cōsueuerūt: C essent enim prorsus undequaq; rotundæ, sed pro circulis & spiris quæ similes cōpedibus sunt, ut ipse inquit. cōparatio facile percipi potest. similes eas intellige anguibus, aut oblongis farciminib. quēadmodum enim coqui interiorem intestinorum inanitatem similagine & cōtusis carnibus, alijsq; nonnullis farcientes lucanicas cōficiunt: sic tu ad similitudinem inanis intestini alutam consutā tomento, aut molli aliqua alia re cōpleas, ac confarcias. alutam autem Aegyptiam esse uult, hoc est ualidam ac mollē. cuiusmodi si in Italia, aut Thracia, aut alibi terrarum inueneris, Aegyptia tibi pellis requirenda non erit. tanta autem huius consutæ alutæ longitudo sit, ut crus supra malleolos orbiculariter cōprehendat, non secus ac compedes. D simili modo quoq; infra genu. duæ eñ in unoquoque crure sphæræ esse debent. Vnde etiam plura tibi harum sphærarum paria præparāda sunt, quæ magnitudine inter se differant: ut unum par maiori cruri: alterum minori applicetur, quodcunq; ex ipsis unicuiq; accommodabitur. oportet aūt tunicas harum spirarū non prorsus teretes esse, neq; omnino & latitudine & altitudine æquales. sed qua parte corpori inhęrēt quodāmodo sensim dilatari, ac planę esse debēt: rotūdæ uero, qua in altū conuertunt, sed neq; id admodū exquisite. ex interioribus enim partib. in altū protēdunt: inde uero per externas partes rotundas earum descensus usq; ad carnem fertur: ut in inferiore spira depressior earum pars pedi: in superiore genu appropinquet. quib. ita cōstitutis appēdices in utraq; hinc

inde duplices instar auriũ annecti uult: ita ut aliæ in inferiore spira concauitatẽ & sinũ sursum spectantẽ uersus genu habeãt: quæ in superiore sunt, ecõtrario deorsum. has aũt ansas utriq; spirę à latere, id est à parte quã sublimiorẽ diximus, hinc et inde annectẽdas censet: in quas quatuor uirgarum capita cõijciant. uirgæ aũt cum cõijciunt inflecti paululũ debent: ut coniectæ dum redire in naturalem rectitudinem nituntur, spiram inferiorem deorsum, superiorẽ sursum impellant. quod cum fit, euenit, ut simul & partes fractę in conformatione exacta seruentur: & sursum altera, altera deorsum distẽdantur. uirgas esse corneas iubet ob ligni soliditatẽ: cuiusmodi lignum ad usus hos magis esse idoneum perspicuum est. De capsula quidem machinaria quàm utilis ad huiusmodi distẽtiones sit, in superiore libro dictum à me est: ubi fabricam quoq; eius explicauimus.

30 Id studuerint, ut extremæ uirgarũ partes non in corpus, sed in extremas sphærarũ eminentias appellant. tria aũt uel plura etiam uirgarum paria haberi debent, alia alijs aliquantulo longiora, alia breuiora & minora: ut si magis distendere uoluerit, possit. Virgæ utræque hinc & inde à malleolorũ parte collocandæ sunt.

Appellant inquit, id est innitant̃ & firmẽtur. uult enim ut uirgæ quę inter spiras utrasq; collocatæ alteram sursum, alteram deorsum impellunt: corpus ipsum nõ attingant: sed suspensæ in appendicibus spirarum infixæ innitantur: quas, ut dixi, ob soliditatẽ materiæ esse corneas iubet: ut uiolẽter inflexę, posteaquam iniectę in ansulas fuerint: in pristinam rectitudinẽ reducantur. perspicuum enim est, eas si ita fiet, tantum spiras sursum ac deorsum repulsuras esse: quantum extentæ in longitudinem creuerint.

31 Hæc igitur si bene machinatus fuerit: et extensionem iustam efficiet, & æqualem ex directo. uulneri item dolorem nullum afferet: & expressiones, si quicquam exprimetur, tum ad pedem, tum ad femur abducentur: & uirgæ bene dispositæ erunt aliæ hinc, aliæ inde à malleolorum parte, ut tibiæ positio minime impediatur: uulnusq; bene & impingat & sustentetur.

Iustã dixi appellari ab eo æqualẽ: unde æqualẽ seu æquã idem esse quispiã posset existimare. sed æquum seu æquale in partibus unius rei existit: iustum de duabus rebus ad minimũ dicitur. iccirco nunc iustã extensionẽ dici intelligendũ est & penes distentionẽ quã duę hæ spiræ efficiunt: & penes uirgas corneas, quæ in ipsas inijciuntur. æqualem aũt penes unam quanq; ipsarum tantum: eam uidelicet quæ ad malleolos fit tantũ: aut eam quæ ad genu. tũ penes eam uirgã quæ à dextra parte, tum penes eam quæ à sinistra parte est.

A 32 Neq; enim impedimẽto illud est, si quis duas uirgas uoluerit, quæ superiores sunt, inter se iũgere, & si quis leuiter superponere aliquid uoluerit, ut quod superponit̃ à uulnere suspensum sit. Si igitur sphæræ mites & pulchræ, & molles, & recẽs consutæ fuerint, & uirgarum intentio recte fuerit intẽta, quemadmodum iam dictum est: utile erit machinamentum. At si horum aliquid nõ bene se habuerit: lædet magis, quàm proderit. oportet autem ut & alia machinamenta uel bene machinemur, uel non machinemur. turpe enim est, ab arteq; alienum, si in machinamẽtis efficiendis machinatione careamus. B

Quatuor erant uirgæ, ex alterutra tibiæ parte duæ: desuper sublimior altera, altera humilior. duas igitur sublimiores posse inter se iungi ac colligari inquit, ut rectæ permaneant. ne ex uiolenta inflexione qua inflexæ fuerant: retortæ in uicinas partes distorqueantur.

33 Pleriq; tamẽ ex medicis fracturas & cũ ulceribus & sine ulceribus primis dieb. lanis succidis curãt. nihilq; hoc præter artẽ esse ipsis uidetur. nã qui in recẽter uulneratis quia nõ habent lintea, uti lanis coguntur, ijs ignoscendũ maxime est. neq; eñ quispiã ad deligãda huiusmodi habere aliquid aliud potest, C quod multo melius q̃ lana sit, quanq; esse ea debet q̃ plurima, & ualde bene elaborata, & nõ aspera. nã si pauca sit & praua, imbecillã quoq; uim habet. At qui ad unũ aut duos dies lanis sibi esse deligandũ cẽsent, tertio uerò & quarto linteis deligando cõprimunt, & tunc maxime extendunt: ij multũ in medicina & ualde opportuna in re desipiunt. tertio enim & quarto die uulnera omnia minime sunt exagitãda. & ut in summa dicã, specilli quoq; omnes admotiones uitandæ his diebus sunt, omniaq; alia quib. uulnera iritãtur. D In totũ eñ tertius & quartus dies in plerisq; uulneribus rebellatiões parit. & quæ in inflammationem, & sordes incitantur, & quæcunq; in febres tendunt. unde magni admodum momenti perinde ac quoduis aliud documentum hoc est. cum quo enim quod opportunissimum in medicina sit, non in ulceribus tantum, uerumetiã in multis alijs morbis communicationem non habet.

Prauam medicorum consuetudinem emẽdare uult, qui melius esse putant, si fractum membrum non statim extẽdant: sed ubi prius duobus aut tribus diebus mitigarint, tunc demum tertio

aut quarto die post initium ad extensionem deueniant. Hippocrates enim id quod maxime huic contrarium est, cõuenire ostendit, ut in principio membrum extendatur: in tertio uero aut quarto die mitigationes adhibeantur. Si igitur animum aduertas ijs quæ hic ab eo scripta sunt, omnia patebunt, clare enim explicat.

34 Nisi quis alios quoque morbos ulcera esse dixerit. nam hæc etiam quãdam habet æquitatem oratio.

Aequitatem, id est ἐπιείκειαν pro probabilitate hic sumit, & uerisimilitudine. hoc aũt inquit propterea quòd nonnullæ orationes penitus improbabiles atq; absurdę sunt. sed quæ probabilitas esse in hoc potest quod dicũt nõnulli, dum reliquos B morbos quoq; esse ulcera asserunt? dolorem quidem afferentes morbos in ulcerum genere constitui probabile admodum est. quippe cum demonstratum iam à nobis sit, & ex continui dissolutione dum inciditur corpus, aut intenditur, aut collíditur: & ex intemperatura dolorem existere. continui autem dissolutionem esse ulcus cuilibet perspicuum est. repẽtinam quoq; mutationem in intemperatura solutionẽ quoq; ipsam continui efficere, in libris De medicamentis demonstratũ est. caliditatem enim penetrare, & quasi perrodere id quod continuum est, patet. quod uero uehementer astringit, quandam dissolutionem cõtinuo afferre, dum repente contrahit quod diffusum est: in ijsdem libris demonstrauimus. ut in hoc probabilis oratio hæc futura sit, imò etiam uera, dum dolorem omnem in ulcerum genere constituit. si autẽ C omnes quoq; morbos ulcera appellet quispiam, licet non ita uerũ, non prorsus tamen à probabilitate erit alienũ. nam quia pleriq; morbi cum dolore existunt, à plerisq; ad omnes fieri trãsitus poterit. si omnino quispiã in toto corpore aut intemperaturam aliquam, aut collisionem, aut distẽtionem, aut manifestam continui diuisionem contingere afferat: deinde necessitatem afferat, subiungẽs omnem intemperaturam aliquam omnino continui dissolutionem si non sensui euidentem, rationi certe contemplabilem & ueram efficere. distentionem uero & contusionem, & collisionem sine ulla dubitatiõe multo magis: quippe cum ea quæ D hoc patiuntur, eò quamproxime accedant, ut diuellantur, quæ continui dissolutio est.

35 Multifarie em̃ alia alijs inter se fratrãt.

Quod solemus dicere nos similia inter se sunt, & communicãt, & cognationem habẽt: id dicere Hippocrates ἀδελφίζει, id est fratrant, consueuit, maximam rerum similitudinem & cognationem nomine hoc præ se ferens. nam cum multa cognata inter se sint, nihil familiarius ac cognatius quàm fratres uidentur. quasi igitur maxima conuenientia & similitudo eandem uim cum fraternitate habeat: eam uerbo hoc fratrandi appellat.

36 At qui lanis sibi utendũ putãt, quoad septẽ dies prætererint, deinde extẽdendũ A ac dirigendũ membrũ, linteisq; deligandũ: ij non ita desipere uidentur. nam & opportunissimum inflammationi tempus præterijt: & ossa laxa iam, & apta post hos dies sunt. longe tamen curatio hæc ab ea superatur, quæ inter initia linteis deligat. ille siquidẽ modus ægros præparat, atq; efficit, ut septimo die ad deligationẽ cũ ferulis suscipiẽdam idonei euadãt, hic longe posterior est.

Cum superiori oratione eos reprehenderit, qui tertio aut quarto die fracturis accõmodatam curationem incipiebant: nunc ad eos transit, qui post septimũ diem eandem aggrediũtur, inquitq; hos in eo minus peccare, q partibus inflãmatione minus uexatis distentionẽ adhibẽt. nam illos qui tertio aut quarto die idem faciebãt, quo maxime tẽpore lenire ac mitigare inflammationẽ est opus: non leue peccatum committere ostendit.

37 Nocumẽtaq; alia quædam habet: quæ omnia longum esset commemorare.

Vbi longitudinem tẽporis damnauit, in ijs qui fracturis accommodatam curationem post septimum diem incipiũt: præter eam inquit alia quoq; nocumenta euenire, quæ, ne prolixior sit q̃ oporteat, omittit. sed nos ea subiũgemus ex ijs quæ superius ostẽdimus. Si mediocris sit fractura, ex tali deligatiõe segniora sicut superius docuimus, mẽbra efficiunt. si uehemẽtiori & maligniori modo mẽbrum fuerit effractũ, & curatio fracturis cõueniens post septimũ diem differatur: periculũ est, ne aliquod os sideret & corrũpatur. à principio em̃ assumi eam uult, propterea quòd à partibus affectis superfluentẽ copiã sanguinis in utranq; partẽ elidit. quæ si ibi immoretur, interdum fit, ut ossa quoq; à praua sanie corrosa exputrescant.

38 Iam uero quibus ossa fracta & extra eminentia in suam sedem collocari non possunt, ijs hæc restitutio est.

Græcis qui in Asia habitant, mos est, ut restituere dicãt pro eo quod est in propriã sedem reducere. inde mihi uidetur Hippocrates restitutiõis nomen, id est κατάστασις sumpsisse: ut idem significet, quod collocatio, quæ est in sedem repositio. male igitur nonnulli κατάτασις absq; σ, id est extensio scribunt. cum non modo per extensionem, uerum etiam per molitionem nudata ossa in propriam sedem collocentur.

39 Ferramẽta quædã parua facienda sunt eo modo quo sunt uectes, quibus lapicidæ uti solẽt: parte altera latiora, altera angustiora. quæ esse debẽt tria uel etiã plura, ut maxime cõgruẽtib. uti quispiã possit: deinde opus est, ut inter extẽdendũ unũ ex his subijciamus, ita ut inferiore sui parte depressiori ossis parti subiectum, superiore eminẽtiori

innixum moliatur. atq; ut ſemel dicam, non ſecus ac ſi quis uel lapidem, uel lignum ualide moliretur. ſint autem hæc ferramenta ualida quãmaxime poteſt, ne inflectãtur. hoc magnũ præſidium eſt, ſi & ferramenta idonea ſint, & molitio ut debet, efficiatur.

Ferramẽta hæc forma procul dubio nõ magnitudine ſimilia eſſe ijs inquit quibus lapicidæ utuntur. nam quę adhibere ad trudenda oſſa ac molienda cõſueuimus, nõ maiora ijs ſunt, quæ ad dentiũ euulſionem à nobis præparantur. plura autem habere præparata huiuſmodi ferramenta hic debemus, quæ inter ſe & magnitudine & tenuitate, & paruitate differant, in extrema uidelicet ſui parte, qua maxime exercere opus ſolemus. quomodo autem uti ferramẽtis his debeamus, Hippocrates ipſe manifeſte declarat. ut ſi quis hominis loquutionẽ nõ percipit, is nõ explanatiõe neq; interpretatiõe alia uideaſ indigere, ſed inſpectiõe. quippe cũ nonnullę res eiuſmodi ſint, ut niſi eas inſpiciat, neq; credere, neq; intelligere quiſpiam poſsit.

40 Nam quæcunq; ab hominibus accõmodate machinamenta excogitãtur ualentiſsima omnium tria hæc ſunt: aſini circũactio, molitio & diſcuneatio. abſq; horũ autem aut uno aut omnibus nullũ ex ualidiſsimis operibus homines exequũtur. hæc igitur molitio ſpernẽda minime eſt. nã uel hoc modo, uel nullo alio oſſa in ſuam ſedem cõpellẽtur. quòd ſi pars oſsis quæ ſurſum euaſit, præacutũ quippiam præferat, ineptaq; ob id ad ſedem uecti exhibendam ſit: interlimandum illud eſt, quo uectis inſidere firmiter queat. molitione hac utẽdum, atq; intendendum eodem die, aut poſtero, nõ autem tertio: quarto uero aut quinto minime. his enim diebus ſiue nõ reponas ſed moleſtes, ſiue reponas, inflãmationem afferes.

Aſinos & aſellos axes uocat, quos etiam ſuculas dicimus. horũ circumactionem eſſe unum ex ualentiſsimis inquit: quemadmodum etiam molitionem quę uectibus fit, & diſcuneationem. diſcuneatio autem appellatur lignorũ per cuneos adactos diſruptio ac diſciſsio.

41 Si tamẽ reponas, cõuulſionem magis induces, ꝙ ſi reponere non potueris. hæc probe ſciẽda ſunt. nam ſi ubi repoſueris cõuulſio ſuperuenerit: nõ multæ ſalutis ſpes ſunt. quin retro expellẽdum os eſt, ſi id fieri ſine moleſtia poſsit.

Cur cõuulſiones fiant in omnibus huiuſmodi affectionibus, ſi oſſa reponantur, deinceps omnia ſubiungit: ſatisq; habet, ſi ſicut de alijs multis ad artem opportunis, ita de his quoq; ſemel tantum dixerit: eandem rationem ad omnia à nobis tranſ-

A ferendam cenſens, quæ eiuſdem naturæ fuerint. Iam igitur orationem eius tibi aſcribam, in qua generale hoc, quod multis particularibus commune eſt, docet.

42 Nõ enim laxioribus ꝙ opportunum ſit, conuulſiones ſuperueniunt, & rigores: ſed magis intẽtis qua de re igitur nunc ſermo eſt, nõ oportet uexare in antedictis his diebus: ſed dare operã ut & minime inflammetur ulcus, & ad pus maxime perueniat, ubi autem ſeptẽ dies præterierint, uel paulo plures, ſi febre caruerit, ulcusq; nõ fuerit inflammatũ: tũc minus obſtat, quin tẽtes reponere, ſi obtẽturũ te eſſe ſperes. ſin minus, nulla fruſtra inferenda, & ſuſcipiẽda moleſtia eſt. ſi oſſa uero in ſedem ſuam repoſueris, traditæ ſunt ratiões quibus curare oporteat: ſiue receſſura oſſa ſperaueris, ſiue nõ receſſura. nam ſi ſperes, linteis modo eo quo dixi, in huiuſmodi omnibus faciẽda deligatio eſt, à medio ut plurimum incipiendo, ſicut ex duobus initijs faſcia ſubligatur.

Didicimus in libris De muſculorũ motu uniuſcuiuſq; muſculi operationẽ fieri cum ad propriã originem retrahitur. hoc aũt cum inuitis nobis fit ex inflãmationis magnitudine, cõuulſiones efficiuntur. quod cur contingat ſi oſſa alternata tam in fracturis ꝙ in luxationibus fuerint repoſita, illud eſt, (in hoc eñ quæſtionis huius ſolutio maxime conſiſtit) quòd in fracturis et luxatiõibus breuius ꝙ erat membrum euadit, cum pars oſsium aliqua cutẽ perforauit: ubi uero oſſa in naturalẽ ſedem redierunt, priſtinã longitudinẽ recipit. quare etiam inflãmati muſculi ſimul cum toto membro cogũtur extendi, atq; ita duplici extenſione afficiũtur, & ea quam ex inflammatione habebant, & ea quam tunc inſuper extenti accipiunt.

43 Coniectandum autem ad formam ulceris eſt, ut minime hians & digrediens inter deligandum ſit.

D Per translationẽ utriſq; his uerbis uſus eſt: nam & hiãs quod eſt σεσηρὸς, id eſt ringẽs de labijs oris diciſ. digrediens, id eſt ἐκπεπλιγμένου de cruribus gradum faciẽtibus, atq; inter ſe diſtãtibus. crurum enim diductio, id eſt digreſsio appellatur, πλιχὰς, id eſt greſſura, ſicut dictum eſt. quemadmodũ hiare ſeu ringere, id eſt σεσηρέναι, labra aperire dicimus abſq; ulla mandibulę motiõe, ita ut dẽtes inter ſe cõiuncti appareãt. cauendũ igitur inquit, ne in deligatione labra ulceris expãſa faciamus. uult enim ut ea partibus cutis ſitũ ſuum recipientibus, inter ſe cõtrahamus & cogamus. eo quòd ſi ita fecerimus, locus minus cõprimetur, & ſubiectũ ulcus in muſculis ſuis maxime conſeruabiſ. ſciendũ enim tibi eſt omnia quæ ſub cute ſunt, cute admodum gaudere: nihilq; quod ſubiectũ ipſi eſt, ea denudari

nudari absq; detrimento posse. Sed quid mirum, si ea quæ propriũ, & cognatũ ex cute tegumentum habent, eo semper delectentur: ab alijs uero omnibus male & moleste afficiant? Vnde ego sæpe cũ partes cutis minime præciderim, sed quod detractum fuerat, extrinsecus superimposuerim, glutinari id animaduerti: quodq; magis mirandum est; cum statim ex ictu nigrefactus locus esset. quinetiam maiore admiratione dignũ illud est, ꝙ non in adolescẽtibus tantũmodo, sed in senibus quoq; nõ paucis cum detractas huiusmodi cutis partes plagæ iam nigrefactæ applicuissemus, adhærere ac cõglutinari eas uidimus. si uero excoriata caro ita nuda relinquatur, difficulter sanescit. ut omittã quòd morsionibus prorsus afficitur, & sordescit. nam medicamenta inflãmationes sedantia, & mitigantia, cuiusmodi est id quod liquidum hoc est πάρυγρον nominatur, & quatuor medicamentorum compositio quam τετραφάρμακον appellant, absq; inflammatione quidem affectam partem seruant: sordidum tamẽ ulcus reddunt. at quæ ulcus purgant, utpote extergẽdi ui prædita sensum morsionis afferunt, cum uero à cute contecta est excoriatio, nihil horũ patitur. huic simile est id quod in pustulis fit, quæ multis de causis exoriri consueuerunt, in tumoremq; exurgere, magnũq; dolorem interdũ afferre. eas eodem modo curo. acuta acu pustulam pungo, expressoq; inde sensim humore cutẽ adiacentẽ relinquo. & cum euenit ut rursus foramine occluso repleatur: iterum eodem modo pungitur, expressoq; humore cutis carni applicatur, ac deprimitur: seruaturq; ita, quoad quod sub ipsa carne ulceratum est, cõsolidetur. Hæc dicta à me sunt, ut manifeste perspiciamus, oĩe ulcus indigere, ut cognata cute contegatur. ulcus uero de quo nunc agitur, non quodlibet est & leue, sed in quo tota caro per totã altitudinem diuisa ossibus est. non eñ per cutem ossa eminere extra potuissent, nisi prius tota caro fuisset dissecta. quam sanè operiri sua cute lõge melius est. si enim nuda relinquatur, substantias ipsas impositorũ medicamentorũ attingens ab oleo confectis, & mitigantibus sordescit: purgantibus quæ extergunt, mordetur. sin aũt facultates medicamentorũ quæ imponuntur, absq; substãtia in affectam carnem per cutem penetrauerint: sicut ipsi proderũt, ita nullũ huiusmodi malũ afferent. merito igitur Hippocrates in id præcipue dandam operam cẽset, ut talium ulcerum labra inter se cogãtur. id aũt recte efficies si formã ipsorum exacte cõtemplatus fueris: nam si alterũ ex labris inuersum in latus inspexeris: inde deligatione orsa in contrariam partem cõuertes. si utraq; eodem modo hient: ea fascia ex duobus initijs iniecta inter se applicabis ac coges.

44 Alijs eñ coalitũ est, ut ad dexteram, alijs ut ad sinistrã, alijs ut ex duobus initijs deligentur. quæcunq; autẽ ossa frustrata repositiõe fuerint, ea scire licet recessura esse, & quæcũq; penitus carnibus nudata sunt,

A nudatur aũt nonnullorũ superior pars: nõnullorum circum circa carnes emoriuntur.

Coalitum est, id est connutritum & accommodatum est, & cõgruum dixit, translatione nullam utilitatem afferente usus. unde etiam notatum à me est. translatione siquidem alij quoque omnes in dicendo periti ad euidentiorem rei explicationem uti consueuerunt.

45 Aliorũ ex ueteri uulnere ossa quædã emarcuerũt, aliorũ minime. atq; aliorũ magis, aliorũ minus. atq; horũ ipsorũ quædã parua quædã itẽ magna. ac propterea uno nomine dici nõ possunt, quando recessura

B ossa sint. alia eñ ex paruitate, alia ex eo ꝙ in extremo sunt, citius recedunt. alia uero ob hoc nõ recedũt, sed arefacta, et marcida effecta desquãmantur. ad hæc autẽ curatio etiã curatione differt. In totũ tamen ossa eorum citissime recedunt: quorũ citissimæ suppurationes, citissimæ itẽ & pulcherrimæ carnis excrescẽtiæ fiunt. subnascẽtes enim carnes in noxa ipsa ossa plurimũ eleuant, totus tamen testæ ossis circulus si in quadraginta diebus recesserit, bene recedet. nonnulla enim ad sexaginta usq; dies perueniũt. quæ enim sunt rariora, maturius: quæ sunt soli-

C diora, tardius: reliqua quæ minora sunt, multũ intra hoc spaciũ: alia aliter recedunt.

Emarcuerũt, id est σεσάπρισται, à marcido quod est σαπρὸν dicitur. Dictum autem est, quod corrupta uocant marcida. Verũ quidã non recte dixerũt, omnia uetusta ac diuturna, appellari marcida.

46 Os autẽ quod extra eminet his prætextibus præcidendũ est: si redire in sedem nõ posit, parumq; quid abesse uideatur, quin promoueatur, positq; detrahi. si præterea nocuũ sit, aliquidq; ex carnib. rũpat, sensusq; molestiã repræsentet: si itẽ nudum carne sit, auferri debet. reliqua recidantur

D nec'ne, nõ multũ refert. certo eñ sciendum est, ossa quæcũq; carnibus prorsus priuantur, atq; arefiunt: ea penitus quoq; esse recessura. quæ aũt eò uentura sunt, ut desquãmentur: præcidenda non sunt. quæ penitus fuerint recessura notis præstitutis cõiectandũ. plagulisq; & uino, sicut etiam superius scriptũ est de recessuris ossibus, curatio adhibẽda. cauẽdũq; est ne frigidis primo tẽpore attingamus. quippe cũ horrorũ febriliũ, necnõ cõuulsionũ periculũ impẽdeat. frigida eñ cõuulsionẽ semp ꝓuocãt: & insuper ꝗq; exulcerãt. scire autẽ oportet necessario

breuio-

breuiora ibi corpora fieri, ubi utraque ossa fracta et alternata curantur: quibusq; totus testæ ossis circulus recessit.

Nunc quoq; Hippocratem nõ falsas causas, sed ueras, prætextus dixisse perspicuũ est. tota hęc de marcidis ossibus oratio satis clara est. iubet enim ut quæ repositiones impediunt, resecentur: quęq; tangentes carnes pungũt, & sicut ipse inquit, molestiam sensus repræsentant, id est grauem sensum doloris afferunt. ostendit etiam ossa quæ carnibus denudata sunt, & nõ statim fuerũt reposita, quęq; aruerunt, decidua esse.

47 Quibuscunq; os brachij aut femoris extra eminet, hi non admodũ euadũt. nam tum ossa magna sunt & medullosa: tũ multa ea sunt & peroportuna, quæ uulnerantur, nerui, musculi, uenæ. ut si ea reponas, conuulsiones soleant superuenire: si non reponas, febres acutæ, & biliosæ, & singultuosæ contingant: atq; insuper nigrefiant. illi magis euadũt, quibus neq; reposita fuerint, neq; tentatũ, ut reponantur: magis uero ij quibus inferior ossis pars, q̃ quibus superior extra eminet. supersunt etiã quibus reposita fuerũt, sed raro tamẽ. curæ enim curis, & naturæ corporũ naturis ad facilius tolerandũ lõge præstant. multũ item refert in interiorẽ ne brachij aut femoris partẽ ossa extra emineãt. multæ eñ & opportunæ uenarũ productiones in interiore parte sunt, quarũ nõnullæ si uulnerẽtur, iugulant. sunt etiã in exteriore parte, sed minus. in huiusmodi igitur uulneribus qualia pericula impendeãt, ignorandũ nõ est: prædicẽdumq; in occasionibus. & si reponere ossa cogaris, speresq; te id exequuturum esse, nec multa ossis alternatio sit, musculiq; nõ concurrerint: solẽt eñ cõcurrere: molitio cum extensione his quoq; bene ferre opem poterit.

Nam tam ossium magnitudo quę nudata sunt, q̃ musculorum, & neruorum, & uenarum, & arteriarum uulnus, periculũ affert. atq; insuper quòd id prope originem musculorum & neruorũ est. dictum autem est in tractatione de ipsis solere musculos cum ossa alternãtur, in seipsos cõcurrere: id quod sæpe his in libris repetitum iam est. reliqua, si quis animum aduertat, clara sunt.

48 Cum reponis aũt ueratri mollis potionẽ exhibere debes eodẽ die, si eodẽ die reposueris: sin minus, ne tentãdum quidẽ est. ulcus uero eodẽ modo quo ossa capitis fracta curandum tibi est. nihilq; frigidi admouendum cibiq; penitus circuncidendi.

A Quid molle hic significet in dubio est. nam uel qualitatem uel quantitatẽ potionis eius indicare non est obscurum. sed neq; quod paucum quantitate est, molle recte dici existimaret quispiã. neq; modum aliquem quo confici molliter queat, facile est intelligere. nos sanè raphanos ex aceto mulso interdum damus, in quibus die ac nocte ueratri ramusculus infixus fuerit. sed huiusmodi ueratro facta purgatio imbecilla esset, inuenire tamen uerum non licet, propterea quòd ab ipso, quomodo ueratrum exhibeat, scriptum minime est. complures enim exhibendi eius modos à multis tum ueteribus, tum recentibus, tum medijs ætate medicis scriptis traditos esse non ignoramus.

B 49 Et si amara bile natura præditus sit mellæ odoratæ parũ in aquã destillandum: eoq; uictu sustinẽdus æger est: sin autẽ amara bile nõ abundet, aquæ potu est utẽdum: siq; febri continua laboret, quatuordecim diebus ad minimũ: sin febri careat, septem diebus idem uictus exhibendus est.

Hanc lectionem Artemidorus qui Capito cognominatus est, contrario modo scribebat: cum amare biliosis exhiberi mellam: non amare biliosis aquam, nollet. ita igitur legebat. Et si amara bile natura præditus non sit, mellæ odoratæ parum in aquam instillandum: eaq; alendus æger est. sin autem amara bile abundet aquæ potu est utendũ.
C quã sanè lectionẽ multi alij unà cum Artemidoro priori anteposuerunt, & quidẽ cum idem Artemidorus illam orationẽ in libro De uictu in acutis in qua de aquæ potu agit Hippocrates in hunc modum legendam censeat. præterea neq; sitim sedat, sed insuper amarescit. naturæ enim biliosæ biliosa est, et præcordijs mala. sed cũ in inanitatẽ ingressa fuerit, tunc uero pessima, & biliosissima est: imbecillitatẽq; maxime inducit. cum enim nõnulli scribant: natura eñ biliosa est, et pręcordijs mala: ipse Artemidorus priorẽ lectionẽ admittit, in qua scribitur. naturæ enim biliosæ biliosa est. nõ absolute cuilibet naturæ, & cunctis: sed soli biliosæ biliosam esse aquam afferẽs. qui fit igitur, ut eam nunc amara bile redundãtibus prębeat? nisi scilicet amara bile præditos alios esse q̃ biliosos existimet. sed
D in quibus plurimum amaræ bilis gignitur, eos hic amare biliosos, id est πικροχόλους uocari, nemo est qui nesciat. nam altera bilis quæ atra uisu est, acida: quæ uero pallida & flaua cõspicitur, amara est. patet itaq; in proposita hac oratiõe ob affectiões quibus æger opprimitur, abstinendum omnino à uino esse. sed si quis natura amara bile pręditus sit, quia ei aquæ potio læsionẽ non mediocrẽ affert: sicut in libro etiam De uictu in acutis dictum est: parum mellæ tontũmodo ipsi exhiberi concedit. quod ὀξύγλυκυ dicitur, quod etiã ἀπόμελι, id est mella seu mellis decoctũ nuncupari solet. nam ne neruosas partes attentet hoc eligit, quod dulcius est. quippe cũ minus noxiũ sit, q̃ quod est acidius, præsertim si ex melle & aceto fuerit cõfectum: & non

non,ſicut dixi, ex maceratis fauis. in Græcia enim & præcipue in Elide ita confici ſolet:nos id conficimus aceto cum melle commiſto: tantiſper tamē ſimul decocto, quoad & utrorunq; qualitates inter ſe uniantur,& aceti uis retundatur.

50 Deinde ex additiōe pro ratiōne uulgaris uictus inducēdus. quibus aūt oſſa nō repoſita fuerint,ijs eandē purgationē, & ulcerū curationē,& uictū ſimili modo exhibendum: & ſuſpēſa pars corporis nō extendenda,ſed contrahenda potius,atq; adducēda: ut laxior circa ulcus pars efficiaī. at ſi oſſiū receſſio ; queādmodum etiā ſuperius diximus,lōginqua eſt.quare taliā,ſi quis modo facere id honeſte poteſt, præcipue fugiēda ſunt.cum & ſpes paucæ ſubſint: & pericula multa impēdeant:& ſi nō reponas, imperitus artis exiſtimeris: ſi reponas,propius ad mortē ꝙ ad ſalutē hominē deducturus ſis.

Vulgarē uictum,id eſt φαῦλον appellari ab Hippocrate eum qui tenui et exquiſito eſt contrarius, dictum etiam ſuperius à me eſt.

51 Prolapſiones & dimotiones oſsium in genu quàm in cubiti articulo benigniores multo ſunt.

Prolapſiones oſsium integras alterationes: dimotiones, non integras uocat. benigniores uero dixit,id eſt εὐηθέστατα in proprio ſignificato ſumpto uocabulo.ſignificat enim eum qui bonis moribus præditus eſt.cum em̄ benignus ſeu ſimplex qui εὐήθης dicitur,pro ſtulto accipitur:improprie ſumi conſueuit:non ſecus ac dulce & pulchrum: cum & lucum qui dijs dicatus fuerit, bene auſpicandi cauſa dulcem:& ſimiam pulchram appellamus.nam etiam hoc dicere ſolemus. quemadmodum etiam Callimachus inquit,

Beſtia nanq; unam ante horam non dicitur eſſe.

52 Nam femoris articulus pro magnitudine quàm brachij expeditior eſt.

Genu ipſius iunctura duobus oſsibus inter ſe connexis conſtat,femoris & tibiæ.in quibus cum ſicut in alijs omnibus,ſinum quendam eſſe oporteat, qui prominens alterius caput excipiat: caputq; hoc rotūdum ita eſſe debeat, ut apte & ſine ulla moleſtia in cauitatem eam inſeratur : femoris extremitas inſeritur:tibiæ caput inſertam excipit. tibia em̄ cum femori ſubiecta ſit, duo eius capita duobus ſinibus ſuis qui nerueo & cartilagineo diſcrimine apte diſtinguuntur,admittit.iccirco merito hic Hippocrates inter ſe iunctorū oſsium articulum appellans, non eius oſsis eſſe inquit quod eminentiam alterius ſuſcipit,ſed eius quod in alterius ſinu inſertū firmaī , etiā nunc inquit,femoris articulus expeditior eſt, quoniā femoris tibiæ innexi articulus, id eſt inferior femoris extremitas expeditior, ꝙ brachij eſt.q̄d perinde eſt ac ſi magnitudine minor dixiſſet.non tamen abſolute mi-

A nor hæc eſt ꝙ brachij extremitas, quæ cubito innectitur,ſed magnitudinis utrorūq; habita ratione.nā ſi inferius caput femoris magnitudini eius corresponderet , longe maius id eſſet dicēdum ꝙ brachij , ſed non ita res eſt.multo maius ſiquidem eſt femur ꝙ brachiū. quocirca fit, ut minor femoris extremitas quæ ad genu eſt, ꝙ brachij, quæ eſt ad cubitum,recte eſſe dicatur.

53 Et iuſtam naturam ſolum habet, atque eam rotundam.

Iuſtum apud Hippocratem,ut ſępe dictum eſt, æquum ſeu æquale ſignificat : ſed quo modo ſolum hunc articulum æqualem naturā & formam habere dicat, conſideremus.inueniemus enim ob id quia partes in eo non abundāt: ꝙ partes eius o-
B mnes inter ſeſe ſimiles ſunt : ꝙ totus unam dearticulationem habet.nam cum in duo rotunda capitula hac parte deſinat femur, ea in duos ęquales tibiæ ſinus inſerit.atq; ita ęquali & magnitudine & figura dearticulatiōe connectiī. accedit ꝙ utrūq; & femoris & tibiæ extremum è directo ſui ſitum obtinet.unde merito articulum hunc iuſtam, atq; æqualem naturā habere dicere quiſpiam poſſet: pars em̄ ſuperior femoris ad coxā caput neq; è directo femoris conſtitutū (abire enim id in interiorem partē uidetur) neq; pro ratiōe magnitudinis habet:quippe cum longe craſsius femur ipſum ſit quàm caput. caput igiī brachij magis ꝙ femoris habita ratiōe cenſetur, licet molē minus eo ſit,ne-
C que è directo brachij procedit. Verum ſi reliquas quoq; articulorum iuncturas inſpicias,quæ om̄es has ęqualitates quas in genu eſſe diximus habeat, reperies nullā.age enim inferior tibiæ extremitas qua ſura cū talo dearticulaī,neq; appendices,neq; ſinus pro ratione oſsiū habet.nam ſi ita eſſet, ſicut tibia longe craſsior ꝙ ſura eſt: ſic quoq; maiorem eius appendicem eſſe & in interiore ſinu ubi innēctitur , & in exteriore gibboſitate, oporteret. ſed hoc non ita ſe habet.adde quòd in talo quoq; ipſo qua dearticulatur,ſimplex figura nō eſt, ſed uaria atq; in partibus longe diuerſa . ſimilia in articulo etiam manus & cubiti et radij inuenies, quę om̄ia ſi uelim cōmemorare,in nimiam prolixitatē incidam:& multo magis ſi omnium aliarum dearticu-
D lationum naturam cogar explicare:puta maxillæ, uertebrarum , & oſsis eius quod latū appellatur. Quapropter melius mihi uidetur eſſe,ut oratione hac tota in breuem ſummam collecta, ad alia pertrāſeam.breuis ſumma hæc eſt. De oſsium omniū natura unus à me conſcriptus eſt liber : ubi uniuſcuiuſq; magnitudo, & forma , & dearticulatio explicata eſt.ſi librum eum legeris, uerum eſſe in omnibus articulis hoc deprehēdes, quod in præſenti hac oratione aſſeritur : ſolum hunc uidelicet in genu eſſe articulum qui iuſta & æquali prorſus dearticulatione iungatur.

54 At brachij articulus & magnus eſt, & ſinus plures habet.

Cum iuncturam genu & cubiti inter ſe cōparare propoſuiſſet,affectionesq; oſsiū in genu oſtendere

dere,quàm in cubito mitiores contingere, dixissetq; articulum femoris pro ratione magnitudinis q; brachij expeditiorem esse:satis erat si iustam naturam habere eum subiunxisset, & quidem quum solam circa cubitum dearticulationē conferat.sed quia solum quoq; ex omnibus ita esse eum dixit: effecit,ut aliorū quoq; articulorum mētionem facere necesse ipsi fuisset, quorum nullus reperitur, qui simplici natura prædítus sit:sed omēs & figura & magnitudine inæquales & dissimiles in partibus conspicianī.nunc igitur cum ad brachij dearticulationē uenerit, eiusq; partes inæquales ac dissimiles esse declaret:orationē eius sequuti, singula quæ dicūtur,iam explicemus.Maius esse inquit caput brachij quod cubito innectitur quàm femoris non iniuria.latius siquidem ea parte euadit, in pluraque capita discinditur inæqualia, quæ κονδύλους,id est tubercula uocant. Concauitas uero nullum horum excipit ut in genu, sed trochlearem tantum rotunditatem quæ in medio eorū existit,ex ipsis uero cōdylis & tuberculis, id quod in interiore parte est nullum obiectū os habet quo cum dearticuletur:alterum quod in exteriorē partem uergit,cum radio connectitur ab eius sinuata extremitate comprehensum.atq; ita fit,ut cubitus & radius brachium excipiant. alio modo brachiū contrà cubiti uertices intra se admittit.duos enim utrinq; accommodatos sinus, alterum minus desidentē in anteriore parte:in posteriore profundiorem alterū habet.unde etiam cubiti uertices,quos κορώνας fœminino & κόρωνα neutro genere,id est cornices uocant,qui in sinus inseruntur, inæquales etiā ipsi sunt.maiorq; est qui in posteriore parte prominet.Quare articulatione quæ ad gibbum cubiti est,uariam & inæqualem,& dissimilem partibus esse,iam patet:ut recte dictū ab Hippocrate sit,articulum ad genu iustam habere naturam,brachij nō ita.plures autem hunc sinus habere dixit, si ad genu comparetur. duo enim soli tibiæ sinus sunt,& femoris tubercula item duo, quæ eò inserūtur.at in cubiti iunctura unus est cubiti magnus sinus, quem duæ cornices quas diximus, disterminant. tres brachij: duo excauati quasi fossulæ, in quos cornices cubiti infiguntur:unus in medio instar trochleæ rotundatus.

55 Præterea tibiæ ossa similia inter se longitudine sunt:& paululum quid, quòd momenti tamē nullius sit, exterius os excedit: idq; nullius magnæ rei impedimentum affert:unde exterior tendo poplitis exoritur.

Paululo maius exterius os, quam suram uocāt, esse inquit,id quod superius etiā dixit, ubi De curatione simplicium tibiæ fracturarū loquebatur. nos uero sicut illic, ita quoq; hic dicimus, in inferiore parte suram excedere: in superiore ad genu supereminere tibiā magis dici posse. femur enim cum sura dearticulatione non connectitur. sed ut modo diximus, exterius ipsius caput, in cauitatē tibiæ quæ ea parte est,insinuatur. quod aūt inquit nullius id magnæ rei impedimentū afferre, ijs qui A libros De usu partiū legerint, esse manifestum potest:in quibus demōstratum est,omnium articulorum iuncturarum fabricam ad duo hæc spectare, ut & operationes non impediat,& excidentijs,sicut nuper appellauit Hippocrates, id est luxationibus,impedimentum afferat. sinus superficie tenus & non alte desidentes,& laxæ copulæ, operationes ne impediantur, præstant:ut uero luxationes prohibeantur,sinus & excauati, & magna supercilia habentes,copulæ ualidæ,sed longitudine breues,tum qui extrinsecus circumiecti sunt,tendones ualidi & solidi efficiūt.nihil igitur est,quod in iunctura suræ ad genu impedimentum hoc faciat præter parū quid, quod ipse etiam indicauit, dum dicit-unde exterior tendo poplitis exoritur: B sed opus non est ut exactioris cognitionis causa dissectionē in quibuslibet expectes, quæ euidenter etiam ante dissectionem apparēt.tendones autem,id est τένοντας, proneruationes, id est neruosas musculorū partes uocari sæpe à me dictum est. tendo hic in exteriore parte genu cum iuncturam astringat,præsidio cuidam est, & impedimēto,ne in eam partem prolabi femur queat.

56 Cubiti uero ossa inæqualia sunt:& breuius,longe plenius est:tenuius uero multo supereminet & excedit articulum.

Cum cubiti ossa inæqualia esse hic dicat,id non ad tibiæ comparationem ita dictum est,ut ea inæqualia non habere ossa intelligatur: quippe cum C in ea quoq; os exterius lōgius modo esse dixerit. sed quia quod in ea exterius os est, exiguo admodum excessu exuperat, cubitus multo excedit. nā si diligenter animum aduertas, suram in superiori parte parum quid deficere à tibia deprehendes. ut licet in inferiori capite manifeste sit longior: quia tamen in superiori deficit parum admodum excedat.at cubitus toto gibbo qui ἀγκὼν dicitur, radium exuperat.ac propterea inquit, articulum excedit,uel dearticulationem, & iuncturam totū articulum appellans,uel finem brachij, qui cum sinu cubiti sigmatoide,id est sigma C literę figuram imitante connectitur.

57 Atq; hoc tamen neruis in cōmuni ossium coniunctione annexum est.

D Neruos hic quemadmodum ubiq; solet, copulas ipsas appellat. copulas enim latas & membraneas dearticulationis huius neruos hic nuncupari ex ijs etiam quæ deinceps subiungit, apertū est. uerum illud etiam constat,nullum ex ijs qui nerui propriē nominantur,in os aliquod desinere,quippe cum id copularum proprium sit:sicut per ipsas etiam tendonum quod mistam substantiam ex copulis & neruis habet.Sed de huiusmodi omnibus in libris De motiōe musculorum satis dictum est. nunc quod in oratione hac inquit,explicandū est. Annexam esse inquit partem excedentē cubiti,id est gibbum copulis quæ articulationem hanc cōtinet, ea parte qua ossa,id est cubitus, & radius cōmunem habent coniunctionē.inquit autem hoc, propterea quòd quicquid inde retro procedit nu-

dum

dum carnea substantia, nullam cum copulis iuncturæ huius connexionem habet. ipsi enim innectitur iuxta ligamina dilatatus tendo musculi qui iuncturam gibbi extendit.

58 Maioremq; partẽ annexionis horum neruorum in brachio tenue os quàm crassum habet. atq; horum quidẽ articulorum, ossiumq; cubiti natura huiusmodi est.

Hæc oratio est, qua dixi manifestum fieri, totius dearticulationis copulas neruos ab ipso uocari: quæ ex inferiori brachij extremitate exortæ cubiti & radij capitibus quæ hac parte sunt, innectuntur. in omni enim iunctura hoc est. adeo uero latæ hæ copulæ communes dearticulatis ossibus circumiectæ conspiciuntur, ut crassæ membranæ quædam esse uideantur. atq; hæ quidem licet radij capiti quoque innexæ sint: maiorem tamen partem cubiti occupant. propterea, inquit, maiorem partem annexionis horum neruorũ in brachio tenue os quàm crassum, id est cubitus q̃ radius habet. nam annexi quidem sunt utrique copulis quæ è brachio exoriuntur, quos neruos appellare eum dixi: maiorem tamen annexionis partem cubitus habet.

59 Atq; ideo ex naturæ modo ossa genu sæpe cũ elabãtur, facile redire consueuerũt.

Ossium enim quæ utranq; iuncturam constituunt, astricta in cubito: in genu laxior coaptatio est. nam cum ibi multæ prominentiæ ac multi sinus inter se inserantur, iuncturam cubiti undiq; astringunt. in genu uero cum tubercula femoris in sinus tibię supinos, neq; alte excauatos ineat, merito fit, ut iunctura ea sicut ad lapsum procliuior, ita ad redeundum in sedem facilior sit.

60 Et neq; inflammatio magna neq; uinculum articuli euenit.

Cum ex uiolentia & luxationis & repositionis inflammatiões oriantur, merito in genu quia facile utraq; hæc efficiunt, nulla inflãmatio superuenit. & cum inflãmatio non fiat, neq; uinculum articuli contingit. cum uidelicet articulus post curationem ægre mouetur, ut neq; extendi neq; inflecti facile queat. id quod euenire consueuit cum ex magna inflammatione reliquię aliquæ affectionũ in neruis & copulis supersunt. inde enim articulus motionem admodũ difficilem cõsequitur: ut uinctus esse uideatur. nam cum tendones & copulæ neq; in extensione neq; in conflexione sequi mouentes musculos possint, sed ex duritie quam contraxerunt, renitantur, uinculo perquam similis affectio euadit. adde quòd in cubiti iunctura si ex prætenuibus cornicũ cubiti capitulis aliquid tum in luxatione, tum in repositione refringatur, multa ibi ex retrimento congestio difficilius & molestius articuli uinculum efficit.

61 In interiorem partem plerunq;, interdum in exteriorem, quandoq; etiam in poplitem prolabuntur: quorum omnium repositiões difficiles nõ sunt. sed cum extrorsum & introrsũ lapsus est factus, hominem in humili aliquo sedili collocatũ altius crus, non tamen multo habere oportet.

Qua parte magis constricta est iunctura, eam in partem minus labitur. firmissime aũt cõstricta est in anteriore parte, ubi est patella: quã nõnulli medici quia supra totum genu incumbit, supergenualem uocant. nam hanc extrinsecus tẽdo quidam latus constringit, qui cum originem ex anterioribus femoris copulis habeat, transcendatq; patellam totam, tibiæ capiti innectitur: atq; ita fit, ut anterior genu pars, tum patella, tum hoc, quem dixi, tendone in tibiæ usq; caput innexo firmiter coarctetur. posteriorem uero partem quæ non admodum rotunda est caput musculi qui tibiam inflectit, coercet. musculus is paruus cum sit, ac propterea in iunctura ipsa occultetur, dissectionis studiosos latuit: caput tamen crassissimum ex ualidissimis copulis constitutum habet. Reliqui duo iuncturæ huius loci sunt, exterior, & interior: qui nulla huiusmodi, ut anterior & posterior, tutela muniuntur. quocirca in has partes, atque in interiorem magis, quæ minore constrictione firmatur, prolabi femur consueuit.

62 Extẽsio uero ut plurimum mediocris sufficit, ut altera parte tibiam, altera femur in diuersa extendas.

Cum de extensione dixerit, de repositione nihil expressit: quasi clarum nobis id satis sit, in unaquaq; repositione in cõtrariam partem articulum elapsum esse propellendum. ubi autem eminentia aliqua ossis oblonga suspendi, osq; quod reponendum est, è directo statui debet: quid agere oporteat, non omittit. sicut in iunctura cubiti fecit. sed de genu & poplitis luxatione nihil prorsus dixit: cum eadem repositionis ratione utendum sit, quam adhibemus, cum uel in exteriorem uel interiorem partem articulus prolabitur. post extensionem eñ quæ simili modo fit, articulus in anteriorem partem retrudendus est.

63 Ossa uero flexuræ cubiti turbulentiora quàm genu, reposituq; difficiliora etiam ob inflammationem: nisi statim quispiã ea reponat. minus quidẽ quàm illa prolabuntur, sed restituuntur, & reponuntur difficilius: magisq; inflammationem insuper patiuntur, & superoccalescunt. continguntq; plerunq; etiam horum paruæ declinationes: cum aliàs in partem ad costas, aliàs in exteriorem dimouentur, non tamen ita, ut totus articulus excidat, sed subsistit aliquid in cauitate ossis brachij, qua cubiti partem supereminentem habet. huiusmodi lapsus siue hac siue illac fiat, reponi facile potest: satisq; est, si extensio è directo brachij efficia-

tur. ut dum alter ad articulum manus intendit, alter circumiectis sub alam manibus retrahit: medicus altera manu ad articulum egressum palma applicata trudat, altera iuxta articulum retrudat. quippe cum huiusmodi prolapsiones obtēperare repositioni nō tarde soleant: si quis prius quàm inflammētur, eas reponat. luxantur autem ut plurimum in interiorem partem magis. sed etiam in exteriorem prolabūtur. id quod figura facile innotescit. sæpeq; hæc sine etiam ualida aliqua extensione in sedem restituūtur. oportet autem ut cum in interiorem partem facta prolapsio est, articulū in naturā suam repellamus: cubitum in pronam partem magis circumagamus. ac prolapsiones quidē cubiti pleræque huiusmodi sunt. Si uero articulus uel hac uel illac transgressus fuerit supra os cubiti quod in cauū brachij prominet, quod quidem raro cōtingit: si tamen fiat, extensio quę per directum fit, non amplius simili modo est accommodata. in huiusmodi enim extensione os cubiti prominens brachij transgressionem prohibet. Quocirca his qui ita luxati sunt talem extensionem adhibere debemus, qualem superius descripsimus, cum fracta brachij ossa erant deliganda: ut ab ala uidelicet in superiorem partem intendamus, à cubiti ipsius gibbo deorsum urgeamus. ita enim maxime brachium supra suum sinum suspendetur. quod ubi factum fuerit, palmis manuum constitutio effici facile poterit: si altera egressam brachij partem trudamus: altera os cubiti iuxta articulum retrudamus. eodem modo utraque, sed minus tamen. extensio hæc huiusmodi prolapsionis iustissima est. reponi etiam extensione in directū posset, sed minus tamē q; hoc modo. At si in anteriorem partem prolabitur brachium, rarissime autem id fit, sed quidnā repentina eluctatio non eijceret? multa enim præter etiam naturam suam excidunt, etiam si magnum aliquod obstet impedimentum. huic autem eluctationi magnum quoddam obstaculum est, & os crassius quod superiacet, & multa neruorum intēsio. nihilominus tamē quidam eluctātur. signum huiusmodi eluctationis est quòd nulla ratione inflectere cubitum queunt, & articulus, si attrectetur, patet. si igitur non statim reposuerimus,

A uehemētes & uiolentæ inflāmationes, necnon febriles oriuntur. sin autem statim occurrat aliquis, facile reponitur. oportet enim ut duro aliquo linteo non magno conuoluto, ac per transuersum in flexurā cubiti cōiecto, cubitum repente conflectamus, ac manum quammaxime ad humerum adducamus. his ita luxatis satis quidem hæc repositio est: uerum etiam extensio in directum bene coaptare hunc modum repositionis potest. palmis tamen manus alter brachij extantem partem ad flexuram in posteriorem partem detrudere: alter ab inferiori sursum

B cubiti gibbum ex directo cubiti protrudere debet. potest etiam huic modo prolapsionis illa extensio adhiberi superius scripta, qua ossa brachij fracta cum deliganda sunt, extenduntur. atq; ubi ita extensum fuit, sic palmis conformandum est, ut prius est dictum. At si in posteriorem partem brachiū exciderit, quod raro euenit, maximosq; omnium dolores, febresq; continuas, mereq; biliosas, & letales, paucisq; diebus conficientes affert: quibus id euenit, ij extendere, atq; explicare brachium nequeunt. si his à principio acces-

C seris, uim afferre debes, ut cubitum protendas: & sponte articulus restituetur. si uero febris præoccuparit, reponendum amplius non est. dolor enim, si cogere quicquam uolueris, augetur. ut autem in uniuersum dicā, neq; alius quispiam articulus, cum febris adest, & minime omnium cubitus tentandus est. aliæ quoq; noxæ circa cubiti gibbū molestæ, ac turbulentæ contingunt. hic enim quandoq; os crassius ab altero dimouetur, ita ut neq; conflecti brachium, neq; extendi similiter queat. id autem manifestum fit, si in

D flexura cubiti iuxta uenæ discissionem quæ supra musculum fertur, contrectemus. quibus hoc accidit, id in suam naturam restituere facile non est: quippe cum neq; alia ulla duorum ossium cōmunis cohærentia quam συμφυάδα appellant, ubi diuisa est, in pristinam naturam reduci ualeat: sed necesse est, ut ea pars qua dissidentia facta est, turgidior appareat. quomodo uero in articulo facienda deligatio sit, in deligatione circa malleolum dictum est. At enim nonnullis os cubiti quod brachio subiectū est, frangitur: quandoq; chartilaginea eius pars, unde tendo posterior

ſterior brachij exoritur. quod cum ſit, febri le ac malignum euadit. articulus quidem in ſua ſede manet: æqualiter enim baſis eius ea parte ſuperexcedit. quando uero is abductus eſt ea parte qua caput brachij ſuperſtat: erraticus magis ac uagus articulus euadit: quàm ſi prorſus abrumpatur. minus noxia enim, ut ſummatim dicam, ſunt cuncta oſſa quæ franguntur, quàm ſi non oſſa frangantur, ſed uenæ & nerui opportuni his in locis contundantur. hæc ſiquidem propius quàm illa ad mortem accedunt: præſertim ſi continua febris occuparit. Sed huiuſmodi tamen fracturæ raro euenire conſueuerunt. Quandoq; uero hoc caput brachij circa appēdicem frangitur: idq; multo magis noxium uidetur, cum tamē multo benignius ſit, quàm quæ in cubito accidunt. Quomodo igitur ſingula luxata & reponi maxime conueniat, & curari, ſcriptum eſt. confert enim ut articulus ſtatim ob celeritatem inflammationis neruorum reponatur. nam ſi etiam ſtatim poſtquam exciderunt, repoſitio fiat, ſolent nerui contendi, & aliquandiu extenſionē quam facere conſueuerunt, & inflexionē impedire. omnia autem hæc ſimili modo curari conuenit, ſiue frangantur, ſiue diſsideant, ſiue prolabātur. cuncta ſiquidem hæc ex linteis multis, & plagulis & cerato, non ſecus atq; aliæ fracturæ, curāda ſunt. figuratio uero cubiti in his etiam prorſus facienda eiuſmodi eſt, ut in ijs fiebat quibus brachium fractum aut cubitus deligabatur. communis enim maxime omnibus luxationibus, dimotionibus, & fracturis figuratio hæc eſt. nec non ad diſtentionem quæ poſtea facienda eſt, et ad ſingula extendēda, & inflectenda. hinc enim uiæ ad utraq; ſimiles ſunt. facillima præterea ægrotanti hæc figuratio eſt, ut & geſtetur, & appendatur. adde q; ſi callus occuparet ex-

A tentum brachium, melius eſſet ſi non adeſſet: quippe cum multo impedimento et paruo adiumento ſit. ſin inflexum, eſſe magis uſui poſſet. at ſi mediam figurationem obtinens callo obducatur, illud uero multo melius uſuiq; accommodatius eſt. atq; hæc de figuratione. Deligandum autem eſt initio primi lintei ſupra læſam partē iniecto, ſiue fracta, ſiue luxata ſit, ſiue diſsideat: conuolutionibuſq; primis ſupra hanc eandem factis, ita ut maxime ibi, minus hinc & inde conſtringamus. deligatio uero communis
B & brachio et cubito facienda eſt, quæ multo maiorē partem utriuſq; occupet, quàm pleriq; faciunt: ut quamlongiſsime à noxa hinc & inde tumor exprimatur. acuta inſuper cubiti pars circundāda eſt, ſiue in ea noxa fuerit, ſiue nō fuerit: ut ne ibi circa ipſam intumeſcentia colligatur. cauendum autem in deligatione eſt ne multum lintei in flexura cubiti collectū ſit, quatenus fieri poteſt. comprimendumq; maxime iuxta noxā eſt. cætera de compreſsione & laxatiōe ijſdem temporibus ſingula obſeruanda, ſicut ſuperius in oſsium fractorum curatione ſcriptū
C eſt. religationes item tertio poſt die fiāt. tertio item die laxum eſſe uideatur, ſicut tunc. Ferulæ etiam conueniente tempore circundentur. nihil enim ab re eſt, tam quibus fracta oſſa ſunt, quàm quibus minime: niſi febriant. quam laxiſsimæ tamen aliæ à brachio aliæ à cubito collocatæ, quæ non craſſæ ſint. inæquales uero eſſe eas neceſſe eſt, ut inter ſeſe alternētur, quatenus conferat, coniectura à conflexione ſumpta. Plagularum quoq; appoſitio talis faciēda eſt, ſicut ferularum. craſsiores enim paulo circa no-
D xam applicandæ ſunt. tempora autem ab inflammatione, et ab ijs quæ ſuperius ſcripta ſunt cōiectare oportet.

Explanatio deeſt.

CL. GALENI IN LIBRUM HIPPOCRATIS DE ARTICULIS COMMENTARIORUM

Liber primus.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

PROLOGUS



LIBRUM hunc sequi superiorẽ De fracturis licet in superiorib. cõmentarijs dictum à nobis iam sit: nunc tamen breuibus etiã declarabimus. Hoc primũ ex principio utriusq; libri cognosci facile potest. ibi eñ ita exorditur: Medicum oportet luxationũ & fracturarũ q̃ directissimas extensiones efficere, manifeste declarans De fracturis et luxatiõibus sibi esse futurã dissertationẽ. nunc uero in ipsa statim huius libri fronte-autem-coniunctionẽ posuit: quæ orationem nunquã omnino incipit, sed antedictis alijs subiungi consueuit. tametsi nõnulli sunt, eò sapientiæ prouecti, ut libri Xenophontis De re familiari faciant mentionem: eiusq; testimonio confirmare existimẽt, morem ueterum scriptorum esse, ut-autem-coniunctionem in principio etiã orationis constituant. aiunt enim Xenophontẽ librum eum in hunc modum auspicari, Audiui aũt ex eo cum etiam de re familiari talia apud me dissereret: non aduertẽtes librum eum à superioribus dependere: atq; esse ultimum eorum, quos De Socraticis cõmemorationibus antea conscripsit. Sed rerum præterea ipsarum doctrina librũ De articulis subsequi ad eum De fracturis indicat. nam cum in superiore De luxationibus & fracturis dicere fuisset pollicitus, quæcunq; ibi prætermisit, hic adiungit, ne doctrinæ quicquã deesset. unde etiã dixi nõnullos asserere totam hãc tractationẽ in duos libros ab Hippocrate ipso minime fuisse distinctã, sed uno tantum libro comprehensam, qui de ijs quæ in medicatrina fiunt, ab ipso fuerit inscriptus: deinde ob magnitudinẽ ab aliquo alio in duos libros fuisse diuisam. nam in his nullum neq; luxationis, neq; fractionis genus fuisse omissum, pręter eas quę in capite contingunt, propterea quod alium peculiarem de illis librũ conscripserit: clarum tibi esse poterit, si ea quæ in libro De fracturis docuit, & quæ in hoc est pertractaturus, cõsideraris. in illo enim primum de cubiti & brachij, tibiæ & femoris fracturis scripsit. deinde ijs quæ in pede & manu accidunt: tum de ijs quæ cum uulnere cõtingunt, in quibusq; ossa aliqua denudãt: postremo de omnibus quæ ad genu & cubiti gibbum euenire cõsueuerunt. restabant ex articulis, humerus, coxa, maxilla, & spina dorsi: ex fracturis, quæ in costis, maxillis, naribus, auribus fiunt: de quibus omnibus hoc in libro disseruit. quinetiam De disidẽtia ossium, & contusionibus circa articulos in utrisq; libris cum dicat: si quid in libro De fracturis prætermisit, hic adiungit: ut nullũ amplius neq; fracturæ neq; luxationis, neq; ossium disidentiæ genus reliquum omnino sit. accedit q; De contusionibus quoq; dictum est, quæ circa musculos & uenas & neruos cõtingunt. quæ sanè omnia licet satis idonea sint, ut cõsequutionẽ libri huius ad superiorẽ declarent: illud tamen non leue quoq; huiusce rei argumentũ est: q; cum eo in libro consuluerit præparandam esse machinã ijs qui in magna aliqua urbe curaturi sunt: hic fabricam eius uniuersam describit: ac simul superius se de ea mentionẽ fecisse refert. eam posteriores medici scamnũ Hippocraticum uocant. Sed ad demonstrãdam libri huius consequutionẽ satis hęc sint: nunc ad explanationem uerborũ eius ueniemus, si tantum hoc, sicut in libro quoq; De fracturis fecimus, præmonuerimus. Loquutionẽ Hippocratis hic adeo planam ac claram esse, ut parua explanatione apud eum præcipue indigeat, qui primis disciplinis fuerit imbutus, ueterisq; alicuius auctoris loquutiõi assueuerit. q; si quis ita instructus in hominis aut saltem Simiæ ossibus articulorum quoq; compositiones inspexerit: ei multo clariora omnia futura sunt: nã si musculorum etiam dissectionem calluerit, atq; alioqui ingeniosus sit, haud dubito, quin multa quæ his in commentarijs nostris scripta fuerint, superuacua esse arbitretur: cum prius scriptoris huius loquutionem intelligat, quàm meis explanationibus edoceatur. quia tamen non huiusmodi solis scribimus: melius mihi uidetur, ut aliorum quoq; ratione habita, si uel parua aliqua obscuritas occurrat, non prætereamus.

1 Humeri autem articulũ uno modo prolabi, in alam uidelicet, noui.

Dearticulatione inter se iunctorum ossium appellare articulum solere, non sinum qui alterius ossis caput in se excipit: sed ipsum quod inseritur caput: in superiori libro dictum à nobis iam est: nunc illud etiam cõmemorãdum: brachium cum satis magnum caput habeat, in non admodũ profundam ac desidentem cauitatem extremæ ceruicis scapulæ partis quæ ipsi incumbit, innecti. ab Hippocrate præterea iuncturas huiusmodi interdum hoc modo explicari solere, quo hic fecit, cũ inquit, Humeri articulũ. interdum non ita, sed-articulum qui ad humerum est. quemadmodum superius in libro De fracturis-articulum qui ad genu est-sæpius dixit. unum autem modum, id est diffe

differentiam unam tantum luxationis huius articuli agnouisse se inquit: quod an recte ab eo dictum sit, postea considerabimus.

2 Sursum uero, aut in exteriorem partem, nunquam.

In humeri dearticulatione sinus quem in extrema scapulæ ceruicis parte esse dixi, in anteriorem partem uergit, ita ut cum brachiũ attollit quispiã caput ipsius totã penitus sinus cauitatẽ occupet. cum autẽ sex circum circa omnem dearticulationem sint loca, supra & infra, ante & retro, extra & intra: huius articuli pars interior qua planè sursum uergit, carnẽ musculi superiectam habet, qui deltoides à Δ literæ similitudine à quibusdam uocatur: qua uero ad collum uersus declinat, scapulæ dorsum, ubi ex iuguli cõiunctione summus humerus efficitur, qui ἀκρώμιον appellatur: qua intrinsecus spectat, processus ille scapulæ occurrit, quem ob formam, anchoralem alij, quidam coruicularẽ nuncupant: qui profectò uetat, quò minus eam in partẽ excidere articulus queat. ut autem in posteriorem partem prolabatur, cùm inde scapula ipsa incumbat: quis nostrum est, qui uel concipere animo posit? reliquæ igitur quatuor partes sunt, quæ tutela carent: in quas elabi posse articulum uerisimile est, quarum omnium ipse mentionem facit. inferioris, in principio, cum inquit. Humeri aũt articulum uno modo prolabi, in alam uidelicet noui. triũ reliquarũ nominatim deinceps: sursum enim primum, deinde in exteriorem partem, postea in anteriorem ait. aduertamus igitur animum quænam de duobus hisce modis dicat, quos in oratione hac protulit.

3 Non tamẽ prolabatur nec'ne, cõfirmaturio: licet de eo habeã quid dicã. uerũ neq; in anteriorẽ partẽ excidisse mihi uisus est. medicis tamẽ ualde in anteriorẽ partẽ prolabi uidetur. atq; in ijs maximè decipiũtur, quorũ carnes circa articulum & brachiũ tabes cõfecit. in huiusmodi eñ caput brachij prorsus eminere in anteriorẽ partẽ cõspicitur. atq; ego quidẽ cum huiusmodi articulum negarim excidisse, eam ob rem et apud medicos & apud populares male audiui. solus eñ ego uidebar illis ignorare, cũ alij omnes cognoscerẽt. neque hoc ita se habere persuadere ipsis, nisi difficulter potui.

Cum duos luxationis modos dixerit sursum & extrorsum, ac se neutrum ex ipsis uidisse asseruerit: postea quasi de utrisq; his adhuc loquatur, ita subiungit. nõ tamen prolabatur necnè cõfirmaturio: licet de eo habeam quid dicã. cũ tamẽ dicat. licet de eo habeam quid dicam. aperte uidetur de altero tantum ipsorum loqui. si enim de utrisq; intelligere uoluisset, non dixisset singulari numero de eo, sed de ipsis. nunquid igitur de sola differentia in exteriorem partem hoc dicatur, considerandum est: quippe cum illi statim hoc subiũxerit. potest etiã, ut nonnulli intelligunt, ueteri loquendi forma de utrisq; ita dictũ esse: perinde ac si in hũc modũ scripsisset. licet de ea re habeã quid dicam. alij sunt qui fieri posse affirment, ut error hoc loco ex librario qui primũ nõ recte descripsit, inoluerit: qui propterea q; nemo emendare eũ ausus sit, hucusq; fuerit reseruatus. ueruntamẽ ego in quodã exemplari ita scriptũ deprehendi, licet de ipsis habeã quid dicã. in quo ausus est profectò aliquis in cõtrarium modũ immutare lectionẽ, q̃ in alijs reperiatur. cæterum siue de utrisq; modis, siue de altero tantũ se non posse confirmare dicat: operæ preciũ est, ut de utrisq; nos consideremus: ubi hoc tantum de loquutione ipsa adhuc addiderimus. Cõfirmaturio inquit, pro ad confirmandum paratus sum, & confirmare appeto, non secus atq; inspecturio: quod etiam ipsum ad inspiciendum paratum esse et appetenter inspicere significat. unde Homerus inspecturiẽtes dixit, explicare hoc idẽ uolens: cũ inquit, Vnde illi seipsos, hostesq; inspecturientes. Sed cur cũ posset aliquid dicere, nolle se id facere inquiat, cõsideremus. priusq; quænam sint ea quæ dicere potuisset, excogitemus. Perspicuum sanè est inuentionem eorum quæ fuisset dicturus, si sibi esse dicendũ censuisset, ex ipsa partiũ natura existere. partium autem ipsarum structura exactè à nobis tum in libro De ossibus, tũ in Musculorum dissectione, quin etiã in Dissectorijs tractationibus demonstrata est. nam arteriarũ, & uenarum, & neruorũ natura nullã ad præsens negotiũ utilitatẽ affert. propterea quòd omnia quæ in articulorũ luxationibus accidũt, ex ipsis ossiũ articulis, & qui ipsos continent musculis, & fiunt & prohibentur: nihilq; ad ea uel inferenda uel impedienda arteriæ, aut nerui, aut uenæ faciũt. age eñ, humeri articulus reliquis omnibus promptius excidit: tũ quia uniformis est & simplex, nõ quemadmodum qui in genu est, duplex: aut qui in cubito, uarius & nullo modo simplex: tum quia caput brachij magnũ cũ sit, & sine ulla oblonga ceruice in sinũ altitudine carentẽ inserit. nã femur cum caput habeat paruum, & ceruicem oblongam, acetabulo etiã profundo excipitur. quod supercilijs satis magnis circundatum est: præter q̃ quod copula ualidissima quoq; ex summo capite in intimã acetabuli sedẽ innectitur. quocirca nõ iniuria fit ut femur raro, sæpe brachium excidat: quippe quod neq; copulam habeat, neq; in profundũ sinum descẽdat. principium igitur luxationis in eã partem fieri necesse est, in quã figurationis uiolentia impellit. in ea tamen manere non potest & ob naturalem inclinationẽ qua deorsum fertur, & ob angustiam interdum loci, quæ uel ex ossium eminentijs, uel ex musculorum ualiditate existit. superior igitur huius articuli pars summum humerum habet superiectum. unde si eò aliquãdo excedat, fit, ut ab ossibus quæ ibi sunt, non admissus statim pondere suo deorsum relabatur. exterior aũt pars etiam ipsa magnis quidem musculis munita est, & deorsum simili modò est procliuis: fieri tamen potest

test aliquando, ut uiolentus aliquis brachij habitus adeo sit, ut musculis inter se impetu disiunctis in mediũ inter ipsos locũ articulũ protrudat: ubi interclusus à musculis strictim cohibeaĩ. propterea igiĩ Hippocrates an excidat has in partes humeri articulus nec'ne, confirmare se nolle inquit. nam cum deorsum natura tẽdat, permanere neq; in anteriore loco potest. cum autem, sicut dictum est, disiecti uiolentia aliqua musculi interclusum eum coarctare, ac continere queant: permanere posse ibidem uidetur. habebat itaq; hæc atque huiusmodi Hippocrates, quæ de luxatione in alias partes & in alam diceret: quia tamen nunquam id uiderat, causas sibi ex commentatione scribendas non censuit: probabilius ratus quod euidenter apparet, quàm quæ rationibus tantum innitũtur. sic quoq; in curationibus rationes suas experientia prius confirmat, quàm nos eas doceat. non sicut quidam posteriores, qui in libris De curatione ea quæ nunquam ipsi prius fecerunt, facienda nobis esse scribũt. adde quòd in hoc quoq; libro Hippocrates ipse, ubi agit de ijs quæ in spina accidunt, cum excogitationem suam ex ratione refelli ab experimento dixisset: ita subiungit. Pulchrę enim earum quoq; rerum disciplinæ sunt, quæ ad experimentum perductæ frustratæ apparuerũt: & cur frustratæ fuerint, apparet.

4 Si quis in brachio superhumeralem carnibus nudaret, quaq; musculus intenditur: tendonem item nudaret, qui ad alam est, & iugulum ad pectus: caput brachij etiam si non excidisset, in anteriorem partem prominere multum cõspiceretur. natura enim ita comparatum est, ut caput brachij in anteriorem partem prociduum: reliquum os in exteriorem incuruum sit.

Brachium appellatur quod inter duas iuncturas humeri et cubiti intercedit, totius brachij pars. superhumeralis uero, id est ἐπωμὶς superior humeri pars quæ ad collum uergit. nam humerus totũ id quod in dearticulatione hac apparet, uocatur. nam quod nõ apparet à posteriori parte est os scapulæ: ab inferiori est id quod dum totum brachiũ attollitur, manifestum fit, quæ ala nuncupatur. cũ igitur superius dixerit Hippocrates caput brachij in illis prominens apparere, ita ut uideaĩ excidisse, quibus carnes circa humerũ emaciatæ contabuerunt: naturam eius ex dissectione totã nunc docet, si quis inspicere id euidenter uelit. iubet enim, ut superhumeralis carnibus denudetur: hoc est carnes scalpello eatenus detrahantur, quoad ossa dearticulatiõis huius denudentur, atque extent. nudetur item tẽdo ad alam. tres enim musculi hic sunt: primus qui à scapula & iugulo proficiscitur, quem deltoidem uocant, huius musculi carnosa pars totam dearticulationẽ operit. tendo uero in os brachij per longitudinẽ innectiĩ: cui quidem tẽdo alius inhæret musculi satis magni qui à pectore exoriĩ, & cũ prędicto iuxta humeralis ue

A næ positurã defertur: cuius nũc meminit cum inquit, Tendonẽ item nudaret, qui ad alam est. dum aũt ait, quaq; musculus intendiĩ, id potest de deltoide intelligi, cuius totũ articulũ carnosa pars operit: potest itẽ de anteriore qui iuxta ceruicẽ est, dictũ esse, qui in duobus capitibus robustas copulas habet: alterã ex anchorali processu: alteram ex edito ceruicis scapulæ supercilio prodeuntes.

5 Conuersatur autem brachiũ cum cauo scapulæ in latus cum ad costas porrigitur. cum uero in anteriorem partem totum brachium extenditur, tunc caput brachij è directo scapulæ cauum init. neq; prominere in B anteriorẽ partẽ uidetur. sed de quo nũc est sermo, neq; in anteriorẽ partem unq; uidi ipsum excidisse: neq; de hoc tamen excidat ne ita, nec'ne, confirmaturio. Quãdo igiĩ in alam exciderit, utpote cum multis contingat, reponere multi id sciũt. cognoscere autem omnes modos quibus medici reponere consueuerunt, quoq; pacto uti his ipsis quispiam optime posit: eruditũ est: horum tamẽ optimo si ualidissimam necessitatem uideris, utẽdum tibi esse ducas. optimus uero est, qui postremo describetur.

Conuersari, id est ὁμιλεῖν ueteres in uniuersum C non pro colloquendo, quemadmodum plerique nunc solent: sed pro conueniendo & consuescendo simul sumebant: uerbumq; hoc ab eo deducebant quòd ὁμοῦ εἱλεῖνται, id est simul uoluerentur, & uersarentur inter se homines. Homerus quoque de ijs qui in clypeo Achillis à Vulcano effecti fuerant, ita inquit: Non secus ac uiui cõuersabantur. brachium igitur cum cauo scapulæ in latus conuersari inquit, quando ad costas brachium fuerit prætentum: hoc uerbo cõuersari simul esse & attingere ipsum significãs. cum uero totũ brachium extenditur, tunc è directo brachium in scapulę cauum inseri, ac non amplius in anteriorem partem ob erectionem prominere.

D 6 Quibuscunq; frequenter humerus excidit, ij ad reponendum id sibi ipsis ut plurimum sufficiunt.

Dictum à me in libro quoq; De fracturis est, duas esse causas, quæ efficiant, ut frequenter & ex leui occasione articulus excidat, & luxeĩ. nam uel quia sinus alte nõ descendit, supinaq; ac retusa habet supercilia, id euenit: uel ex partiũ quæ iuncturam circũdant, humiditate, qua fit, ut & laxæ sint, & facile extẽdantur. ob has etiã easdem causas adeo faciles huiusmodi articulorum repositiones esse diximus, ut absq; etiam medicorum opera fieri ab ipsis illis qui id patiuntur, posint.

7 Iniectis enim condylis alterius manus sub alam articulum sursum propellunt: gibbum

bum uero cubiti ad pectus adducunt.

Primus repositionis modus hic est, cum uel ipse æger, uel medicus aliquis condylos ac nodos digitorum manus sub caput brachij subijcit, non ita absolute, sed ex interiore parte: ut prius in anteriorem infra à costis diductum, sursum postea retrudatur, & è regione ad sinum qui id excepturus est, constituatur. hic enim profecto & musculi etiam qui iuncturæ huic circumiecti sunt, opitulantur. dictum siquidem ab ipso est in libro De fracturis, sicut etiam à nobis in libris De motione musculorum, proprium, naturaq; insitum musculis esse, ut in seipsos contrahantur. à seipsis enim non extenduntur. sed musculi alij sunt, qui in contrariam partem porrecti, quiescentes illos & ociantes moueant. huiusmodi hic musculorum motus brachij quoque caput in alam delapsum ibi manere non sinit, sed retrahit ad costas, quoad scapulæ ceruici subijciatur, unde etiam repositio hęc ex tribus operationibus composita est: una cum in anteriorem partem, altera, cum in superiorem, tertia cum retro à nobis propellitur. hæc siquidē necessaria est, quocunq; modo quispiam reponere uoluerit. ubi igitur humida & laxa sunt corpora circum circa iuncturam, parua manus cōtentione brachij caput in anteriorē partē reducitur: ubi dura & ualida, uehementiore opus est. propterea multi reponendi modi inuenti sunt, quorum omnium unum propositum est quod in tres quos dixi scopos reducit. hos aūt scopos ex maxime communi, maximeq; generali omniū inuenimus: qđ & ab Hippocrate dictum, & à nobis in libris De curandi ratione demonstratum est: & nunc quoq; quàm breuissime fieri poterit, commemorabitur. Nihil ex ijs quæ secundum naturam sese habent, emendatione indiget. conseruare enim id, non remouere proposuimus. sed quę pręter naturā sunt, ea in naturalem statum reducere nitimur. necesse autem est, ut qui in pristinum statum rediturus est: is eadem uia unde est digressus, reuertatur: qđ perinde est ac si dicamus, ut cōtrarium iter faciat. ijs autem qui Athenis Eleusinem proficiscuntur, nullam aliam cōtrariam uiam reperire possumus, quàm si Athenas Eleusine reuertantur: ea uiæ parte quæ prima fuerat, dum Athenas proficiscerentur, ultima effecta. Considera igitur in unaquaq; luxatione unde nam articuli excessus inceperit, quomodo progressus fuerit, quò finem fecerit. oportet enim ut finem excessus principium reditus facias: atq; inde retro ad principium usq; luxationis progrediaris. age enim in proposita hac luxatione rem perspiciamus. cum è propria sede caput brachij in anteriorem lapsum, pondere suo deorsum deciderit, ac postea retro ad costas à musculis eam in partē se contrahentibus abductum fuerit: restitutionem in naturalem situm à posteriore parte exordiamur, necesse est. atque inde in anteriorem partem primum, deinde in superiorē promoueamus. ubi uero iam è regione sinus, in quem ingressurum est, constiterit, alterum ex duobus faciendum est. nam uel musculis totum negotium

A committendum: uel simul etiam compellendum. illud tamen aduertere debes, si musculis rem commiseris, ne inferiorem locum immunitum destituas. innitatur enim supra aliquid brachium ea parte opus est: ne si aliquo modo musculi imbecilliter trahāt, deorsum prius delabatur, q̃ reductum in propriam sedem fuerit. cum tres igitur hæ progressiones sint, optimū est ut in rectam lineam singulas, primam in anteriorem partem, secūdam in superiorem, tertiam in posteriorem faciamus. sæpe tamen non ita facimus, sed circumuersato brachij capite ad scapulæ ceruicem repositionē moliri consueuimus. ac primus quidem modus qui ab ipso ægrotante aut medico, digitorum coniectione fit, ex hoc genere est: ab ipsoq; Hippocrate τῇ

B περισφαλσιν, hoc est ex circumuagatione nuncupatur, qui sane absq; læsione ulla in humeri dearticulatione proficit, in qua eminentia nulla oblonga extat, neq; in capite brachij, quod plane rotundum est, neq; in supercilijs cauitatis quæ est exceptura. quibus igitur frequenter excidit, ijs necesse est dearticulationem laxam esse, cauitatemq; breuibus proiecturis, ac supercilijs esse circundatam. ac propterea fit, ut facile ipsi sibi reponere articulum ualeant condylis & nodis digitorum alterius manus sub alam iniectis, ita ut in medium locum inter brachij caput, & costas inserantur. uice enim uectis digiti funguntur, cum condyli ipsorum in acutum, tanquam metæ uerticē desinant: quo immisso facile reliqua eorum pars in eum mediū lo-

C cum sese insinuet. in quem quidem locum ubi semel fuerunt recepti ob humiditatem corporū qui circa iuncturam eam sunt: repositio facile subsequitur. digiti enim statim admissi articulum in anteriorem partem à costis adducunt. gibbus uero cubiti ad pectus adductus brachiū sursum attollit: cūq; interim digiti simul impellunt, & ab inferioribus, anterioribusq; dearticulationis partibus conuoluuntur, caput brachij ad marginem cauitatis in quam ingressurum est, ascendit. quo simul ac peruenit, leui momento in eam restituitur: atq; hic repositionis finis est.

8 Eodem quoq; hoc modo medicus reponet, si ipse ab interiore parte articuli qui ex-

D cidit sub alam coniectis digitis à costis diducat: capiteq; renitēdi causa ad summum humerum obiecto genibus ad brachium iuxta gibbum cubiti appulsi ad costas retrudat. qua in re confert, si manus robustas habeat, qui reponit. uel ipse manibus & capite ita faciat, alter uero aliquis cubiti gibbum ad pectus adducat.

Medici dum articulum luxatū reponūt, quædam quæ communia cum uulgarium operationibus sunt, facere consueuerunt: quædam propria ipsi adiungunt: quemadmodum in hac quam nūc tradit, repositione uidere licet. cōmunia cum imperitis sunt, digitis hæc adhibita molitio, & bra-

chij ſublatio. propria quæ addita ſunt, reluctatio quæ capite fit, ad ſummum ægrotantis humerum, & genibus ad inferiorem partē brachij obfirmatis retruſio. ac reluctatio quidem ad ſummum humerum ea cauſa fit, ne homo ad brachium dum in anteriorem partem manuum molitione impellitur, conſequatur. hæc enim primo facienda ſunt: poſtea tertio loco adhiberi debet retruſio genibus accommodate ſub id tempus totius operationis, quo caput brachij cum prorſus à coſtis receſſerit, nondum ceruici ſcapulæ occurrit: tunc eñ neque omnino in anteriorem partem impellendum eſt, ſed ſurſum trudendum. id autem recte efficietur, ſi inferiorem extremitatē brachij ad coſtas quiſpiam compellat. cum enim hæc in interiorem & inferiorem partem tendit, ea quæ ipſi opB poſita eſt, in cōtrariū abit. ubi uero in ſuperiorem & anteriorem partem caput brachij eductum eſt, facile in ſedem ſuā redit. quòd ſi quis genibus impellere inferius brachij caput nolit, alteri adducere id ad pectus iubeat. id quod uulgares facere ſuperius demōſtratum eſt, quid agendum hac in re ſit ex frequēti luxatione edoctos. at cui primum luxatio contigit, is agere id minime poteſt, niſi admodum fortis, atque interritus quidam ſit. nam ſi huiuſmodi fuerit: iuſſus à medico ceruicem per ſe ipſe attollet.

9 Repoſitio quoq; humeri eſt, ſi retro ad ſpinam dorſi reducto cubito altera manu apprehenſo eius gibbo ſurſum retorqueat, altera à poſteriore parte iuxta articulum innitatur.

C

Modus hic reſponſionis per circūuagationem magis, q̄ ſuperior fit. eſtq; etiā ipſe ex tribus operationibus neceſſario cōpoſitus: ita tamen ut ſingulæ ipſarum proprijs terminis nō circunſcribantur, neq; in tranſitu angulos, ſed flexuras circulares efficiant. nō ſecus ac ſi quadrangulæ figuræ anguli retuſi, ac refracti fuerint. quid enim in huiuſmodi operationibus per circunuolutionē & circunuagationem contingat, & ex figura huius deſcriptionis euidenter intelliges. Finge brachij capitis, quē humeri articulum uocat, progreſsionē in prima operatiōe qua à coſtis in piorē partem impellitur in c—d linea eſſe conſtitutam: inde uero ſurſum in d—b: poſtea cum illinc in cauitatem propellitur, in b—a. cum huiuſmodi fit impulſio nulla circumuagatio conſequitur. Sed cum angulis in d & b retuſis non in tres rectas lineas, ſed in unam tantum conflexam progreſsio efficitur: tunc euenit ut conuolutum brachium ad marginem dearticulationis deſcendat: in quam cum deuenit, paruo momento accedente intro in ſedem ſuam circumuagando illabitur. atq; hoc commune omnibus eſt, quæ ex circū uagatione reponuntur. quam uero nunc refert, repoſitio huic cognata eſt. nam cum retro ad ſpinā dorſi cubito reducto eò neceſſario brachiū quoq; ſequatur, caput ipſius ante & ſurſum promotum

a b

c d

D

A

circumuoluetur primum inferiore dearticulationis parte, deinde anteriore, quouſq; ad marginem & ſupercilium ſinus ipſius aſcenderit: unde in cauitatem deuolutum in ſede ſua ſtabiliatur. hic eñ repoſitionis terminus eſt. quemadmodum uero in ea quam ante hanc tradidit, ne homo in anteriorem partem ſequeret̄, capite medici urgeri retro ſummum humerum iuſsit: ita nunc ne retro ſequatur, econtrario faciendum cenſet: ut obiecta manu in poſteriore dearticulationis parte in anteriorem retrudamus.

10 Hæc repoſitio & ante dicta licet ſecundum naturā nō ſint: circumuagando tamen articulum ingredi cogunt.

Non ſecundum naturam has eſſe inquit, propterea quòd non per rectas lineas, ſed per circumuolutionem, ſicut dictum eſt, articuli motio fit. qua in re quidem periculum eſt, ne eminentia aliqua defringatur. cogunt autem dixit, ut uiolētiam earum ſignificaret.

11 Qui aūt calce reponere conant̄, ij prope ad naturalē repoſitionem accedunt.

Cur hanc repoſitionem prope ad naturalem modum accedere dixerit, manifeſte cognoſces ſi prius totam ipſam audiueris. id autem fiet, ſi uerbis ipſius attendas.

12 Homine ſupino humi collocato is qui reponit, utrā in partē articulus exciderit, ea ſedere humi debet: deinde manu læſa manibus ſuis apprehēſa ad ſe brachiū attrahere: calce uero in alam ægrotātis coniecto, dextro uidelicet in dextrā, ſiniſtro in ſiniſtrā, retrudere. in ſinum tamen alæ rotundū aliqd quod congruat, ſubijciendum eſt. ad quem uſum accōmodatiſsimæ ſunt paruæ admodum pilæ ac duræ, quales multæ à ſutoribus conficiuntur. ſi eñ tale quid iniectum prius nō ſit, calx attingere ad caput brachij nō poteſt. nā dum extēditur brachiū, ala ſinuatur: quippe cū tēdones qui hinc & inde alam cōſtringunt, cōtrarij inter ſe ſint. oportet autē aliquē ex altera parte conſidentē in integrum humerum continere: ne corpus, dum brachium læſum in diuerſam partē extēditur, circumagat̄. prĕterea alius debet ſupra ægroti caput ſedēs habenæ mollis, atq; idoneæ latitudinis, q̄ pilæ ſub alā circumiecta fuerit, eāq; detineat, duobus capitibus apprehenſis ſurſum retrahere, pede ad os ſummi humeri appoſito. pila autē interiorē in partem, atq; ad coſtas maxime, non ad caput brachij collocata ſit.

Si quis ea quæ in hunc modum exponūtur, nō intelligit, is non explanatione quæ uerbis fiat, ſed com

A

commonstratione rei in operationibus ipsis uidetur indigere. propterea sępe, quemadmodũ etiam prius dixi, consulo, ut qui librum Hippocratis legunt, diligenter ei animum aduertant: atq; ea quæ dicunt, intelligere conentur. Ego igitur quasi iam sententiam horum uerborum per te ipse perceperis, causam afferã, cur hanc repositionẽ alijs damnatis ꝙ secundum naturam non fiant, prope ad naturalem modum accedere dixerit. primũ itaq; ob id, quia hæc brachium extendit, cum aliæ id minime faciant: ut merito laudanda huiusmodi repositio sit. dictum enim à nobis est in libris De fracturis quænam utilitas extensionis sit: debereq; eam ante omnem repositionem & conformationẽ pręcedere. secundũ in hac repositione est, ꝙ calce retro homo impellitur, ne ad brachium dum trahit, sequatur. duabus igitur his operationibus distentio in diuersum efficitur. Verum alijs duabus alia, dum habena circumiecta alæ in posteriorem partem æger attrahitur, pede obiecto repellitur: quarum utranq; in diuersum extensionẽ unus exequitur. atq; hæc quidem secũdum naturam in hac reponendi ratione fiunt: molitio tamen deficit, cum parua pila nequaquam in mediam partẽ inter costas & caput brachij ingredi, ac multo minus calx possit. nam si eò nihil inferatur, quo pacto molitio efficietur? si uero ea non effecta sit, neq; repositio secundum naturam prorsus erit.

B

13 Alia item repositio est cum ægro alter subhumerat. maior tamẽ esse debet qui subhumerat, & comprehensa manu humerum suum acutum in alam subijcere.

C

Primus repositionis modus cõmemoratus est, qui digitis aut ægroti, aut medici fit. secundus qui calce efficit. tertiũ hic refert per subhumerationẽ: ita enim uocant. propterea ꝙ ipse inquit, cũ ægro alter subhumerat: id est humero suo subiecto in alam ægrum sustollit. quod quo modo fiat, manifeste ipse edocet. iubet enim, ut qui subhumeraturus ægro est, brachium luxatum eius manibus apprehendat: suumq; humerũ in acutũ porrectũ sub alam ipsius subijciat, ita ut in cauitatis eius sedem prominentia humeri insinuetur, ac firmetur.

D

14 Et deinde subuersare, ut sedi inaptetur: ea coniectura habita, ut circa humerũ suum hominẽ ex ala suspendat: ipse uero seipsum altiorem in eum humerũ quàm in alterum reddat: brachiumq; suspensi ad suum ipsius pectus quamcitissime compellat: in eaq; figuratione concutiat, cum suspendet hominem, ut contra brachium quod continetur, reliquum corpus propẽdeat. si uero admodum leuis homo sit, aliquis leuis puer ei à tergo insuper appendatur. hæ repositiones omnes in palæstra usitatæ sunt: propterea quòd alijs instrumẽtis minime indigẽt. sed alibi tamen etiã uti ipsis unusquisq; potest.

Subuersare inquit, de humero eius qui sustulit, intelligens: quemadmodũ fieri solet, ubi primum in sellam considemus. circumuersamur enim paululum, ut desidere in ea, ac firmari cõmode ualeamus. cum autẽ ex sustollentis humero homo post terga suspenditur, proculdubio protracta in priorem partem manu distentionem facit. at si leuis nimis sit, ei appendi puerum iubet, quo pondus ad distendendum maius reddatur. cõcuti uero humerum ægrotantis ab eo qui sustentat, ea causa uult, ut brachium è directo ad propriam sedem redigatur. nam sicut dictũ sæpe iam est, ubi eò deductus articulus est: etiam si nos amplius non compellamus, cum musculi in officio sint, facile reuertitur.

15 Quin & qui pistillis compellunt, prope ad naturalẽ modum reponunt. debet autem pistillũ fascia aliqua molli inuolui, quo sublabi minus queat: atq; inter costas & caput brachij subintrudi. si uero pistillũ breue sit, collocãdus in sedili aliquo homo est, sic ut pistillo circumducere brachium uix queat: sed longius præcipue sit, ita ut stans homo ferè circa lignum suspendatur. deinde de brachio & cubito circa ipsum porrecto aliquis ex altera parte corporis ad ceruicem circumiectis manibus iuxta iugulum deorsum compellat.

Hi quoq; quatenus distentione in cõtrarias partes utuntur, eatenus secundum naturã reponunt. quatenus autẽ circa pistilli caput circumuagatur articulus, in eo uero à naturali modo aberrant. cætera quæ particulatim exponit, plana sunt.

16 Repositio hæc secundum naturam modeste est: & proficere, si quis eam bene tractauerit, potest.

Mediocriter secundũ naturã esse hanc inquit. id ẽm significat, cũ ἐπιεικῶς, id est modeste dicit: quẽadmodum etiã homo modestus, id est ἐπιεικὴς mediocris & moderatus à Græcis nuncupari solet. nonnulli tamẽ sunt qui ἐπιεικῶς non pro modeste et mediocriter, sed ꝓ admodũ et maxime sumant: ac propterea ut puto, in principio quoq; huius orationis particulã hanc-prope-abstulerũt, atq; ita legunt. quin & qui pistillis cõpellunt, ad naturalẽ modum reponunt. uerumtamen debebãt ij etiam si nihil ab Hippocrate ipso dictũ fuisset, in sequenti oratione ex ijs quæ huic repositioni uitio uertit, intelligere. reprehendit enim cum inquit. circa enim pistilli caput, etiã si humerus fixus permaneret, periculũ est ne corpus circũuagetur. atq; iccirco ea quæ per scalã fit, ut inquit, melior est. non est igiť hęc ad summũ laudanda, ut maxime dici naturalis posit. nã magis ea quæ ꝑ scalã fit, approbať.

17 Sed enim alia quædam huiusmodi est quæ fieri per scalam consueuit, atq; etiam melior: propterea quod suspensum corpus hinc & illinc librari stabilius potest. circa

enim

enim pistilli caput, etiam si humerus fixus permaneret, periculũ est ne corpus hac uel illac circumuagetur.

Quintus hic repositionis modus est, qui cur superiore qui pistillo fit, sit melior, ipse manifestissime declarat.

18 Oportet autem ut supra gradum scalæ rotundũ aliquid alligetur, quod in cauum alæ insinuetur: atq; ita caput brachij reuerti in naturam cogat.

Ex eodẽ gradus ipsius ligno eminentia huiusmodi in machinaria hac scala statim à principio efficitur: qua nos etiam uti consueuimus. rotunda aũt hæc in gradu eminentia ligno quod deinceps describit, similis est. q̃d in superiori extrema parte crepidinem habet, à qua posteriores medici omnes crepidinem, id est ἄμβην ipsum appellant. adiungi hoc potest statarijs quoq; instrumentis cuiusmodi est Andreæ instrumentum & Tectonis, quorum nullius fabricã referre mihi nunc necesse est: cum à multis recentioribus qui de instrumentis scripserũt, dictũ de eis satis sit. nobis enim Hippocratem explanare propositũ est, qui ad omnia quæ uehementiore distentione & molitione indigent, eo quod scamnum uocant, utitur.

19 Optima tamen repositionum omnium hæc est. lignum sumendum est: quod latitudine circiter quinq;, aut quatuor digitorũ sit: crassitudine duorum, aut etiam tenuius: longitudine uero bicubitali, uel paulo minus, cuius summitas ex altera parte rotunda, & angustissima, & tenuissima sit: habeatq; in extremo paulo supereminentem crepidinẽ, quæ non ad costas, sed ad caput brachij uergat. ut alæ ad costas sub caput brachij subiecta inseratur. linteo autem aut mitella aliqua molli summa pars ligni, quo lenior sit, est inuoluenda. eaq; sub alam sic est impellenda, ut inter costas & caput brachij interiorem maxime in partem collocetur: brachiumq; ei totum in longitudinem porrectum paululum infra caput brachij, & ad cubitum, & ad articulum manus alligandũ est, ut quammaxime firmum permaneat. in primisq; id curandum, ut summa ligni pars superato capite brachij in quam intimũ alæ sinum ingrediatur.

Sextũ modum repositionis, quem maxime approbauit, nunc docet: ligni cuiusdam apparatum manifeste describens, cui cum in summa extremitate supercilium quoddam ad crepidinũ similitudinem promineat: crepidinem, ut dixi, totũ ipsum medici uocant. Eiusmodi autem est supercilium, qualis in summa extremitate patinarum crepido est in interiorẽ cauitatẽ conuersa. unde etiã comi-

A cus quidam carpens patinarũ crepidines circumlingere quendam dixit: ἄμβωνας masculino genere more attico eas appellans. nam Iones fœmineo ἄμβας. huiusmodi proiecturarũ & superciliorũ figuras uocant: quo uerbo hic Hippocrates utitur. hac autẽ crepidine lignũ hoc, ut inter caput brachij & costas adaptetur, cõmodissimum fit: quinetiã moliri uolẽtibus utilissimũ, cũ rotunditatẽ capitis brachij in se firmiter recipiat, ac comprehendat. reliqua omnia in hac oratione aperta sunt.

20 Postea inter duas pilas canterius trãsuersus cõstituendus est, eisq; bene deligandus. supraq; eum brachium unà cum ligno transmittendum ita est: ut in alterã partem
B brachio, in alteram corpore propendente sub alam canterius subeat. quod ubi factũ fuerit, hinc brachiũ inde corpus circũ canterium deorsum detrahendum est. in eam altitudinem autẽ deligari canterius debet, ut corpus suspẽsum summis digitis insistat. Hæc reponendi humeri ratio, longe optima est. iustissime enim molitur, si uel tantũ interiorem in partem penitius quàm caput brachij lignum iniectũ sit, iustissimæ item in utranq; partem librationes, ac stabiles ossi brachij sunt. Ac recentia quidem citius
C quàm opinaretur quispiã, redeunt, ac prius quàm extenta esse uideantur.

Pilas appellare hic Hippocratẽ columnas: canterium uero trabem quæ ab altera columna ad alteram pertingit, perspicuum est.

21 Quin etiam uetera restituere sola hæc repositio potest. nisi iam ob uetustatem & caro in acetabulum ingressa fuerit, & caput brachij in loco in quem excidit, moram sibi fecerit. quanq; ita quoq; inueteratum brachij lapsum reponere mihi uidetur posse. quid enim iusta molitio non moueret? sed mansurum tamen in sede sua id non puto, sed relapsurum nihilo minus, ad consuetu-
D dinem. Idem facit, si hoc modo præparatũ brachium supra scalam trajciamus.

Attritam & callo obduratam sedem, moram, id est τρίβον siue attritionem dixeris, appellat: quæ ex diuturna capitis brachij immoratione efficitur, in ea carnis circumiectę parte, in quam id prima prolapsione incubuerit. acetabulũ uero uocat cauitatẽ quæ in dearticulatione est in extrema, ut dictũ est, ceruicis scapulæ parte. plerũq; tamẽ ꝓfundos sinus magnis superciliis circũdatos tũ ipse tũ alij nuncupare acetabula cõsueuerũt. nũc uero cauitatẽ eã hoc nomine appellat, in quã circũiectę carnes, cũ luxatio fit, priori sede q̃ brachij caput desciuit, occupata, ineunt. efficitur igitur ex eo ꝙ & ꝓpria capitis brachij sedes est interclusa: & locus

qui

qui ipsum excepit, callo obducto uicem acetabuli exhibet, ut si etiã aliquando fuerit repositus articulus, resistere non possit. cum carnes præter naturam acetabulum obstruxerint, & quæ os exceperunt, callo induratæ cauitatem dearticulationi similem adeptæ sint.

22 Idoneum quoq; admodũ est, si recens sit lapsus, circa mgnũ sedile Thessalicũ compulsionẽ facere, præparatum tamen esse lignum oportet, sicut dictũ est. deinde in sedili homine in latus collocato, brachiũ ligno alligatum supra reclinatoriũ traducitur: & in alteram partem corpus, in alterã brachium cum ligno deorsum trahitur.

Sedis cuiusdam talis quædam erat forma quã in Thessalia antiquitus utebãtur. quæ à tergo ad rectas lineas porrectum in altum reclinatorium habebant: circa quod distentionem faciẽdam censet quemadmodum superius de canterio edocuit. quo pacto autem collocandus in sede homo sit, manifeste declarat.

23 Idem facit, si supra biforem ianuam cõpellamus. ijs autem quæ forte affuerint, utendum est

Sunt nonnullæ huiusmodi ianuæ quę in medio transuersum lignum ualidum habent, cuiusmodi erat canterius, quem inter duas columnas protẽdẽdum esse antea dixit, infra quod quidẽ lignum altera ualua, supra item altera aperitur. unde biforem ianuam dixit, eo quòd binas fores, binasq; ualuas in se cõtineret. iubet igitur ut luxatum brachium supra lignũ quod inter duas ualuas situm est, distentionis causa transmittamus.

De luxationibus ab Hippocrate non uisis.

Hippocrates in alam uidisse se tantum brachij delapsionẽ inquit. nonnulli uero ex posteriorib. medicis alias quoq; luxationes articuli huius utpote quæ fieri possint, scriptis tradiderunt. & nos quoq; quinquies ad hunc usq; diem uidimus: in Asia semel, Romę quater: quoties uidelicet in urbe alicui huiusmodi affectio cõtingebat. ꝓpterea quòd medici omnes absurda atq; admirabilia cõsultandi causa ostẽdere mihi cõsueuerant. Quatuor igitur luxationes cõtigerunt, omnes quidem in anteriorem partem: eatenus tamen à se mutuo differentes, quatenus per membri longitudinem & latitudinem uel propius, uel longius à dearticulatione efficiebantur. mirabantur itaq;, cum hic nunq;, alij post ipsum aut semel aut bis uidisse se id attestarentur: toties tamen, ut nos, huc usq; uiderat nemo. quanquã fortasse posthac etiam alias tale aliquid uidebimus. non enim sorte quadã, sed probabili causa rem hãc mihi occurrisse arbitror, de qua deinceps nũc dicam. In nostra Asia huiusmodi luxationẽ primum inspexi, cum adhuc illic sub præceptorũ disciplina Smynæ erudirer. urbs autem hæc magnitudine ampla est, de qua Hippocrates frequenter meminit: quippe cum in ea

A plerunq; fuisset uersatus. ego uero post secundum & trigesimũ annum Romam me contuli, urbem tanta hominum frequẽtia celebratam, ut Polemo orator breuiarium ac cõpendium orbis terrarum eam appellarit. in qua ut dixi quatuor huiusmodi luxationes hucusq; extitisse manifestum est. nam quia omnes medici de ijs quæ præter opinionem incidebant, mecum cõunicare consueuerant: non modo, si quid Romæ huiusmodi contigisset, latere me poterat: sed quicquid etiã ad Portum, & in uicina urbe, quam Hostiam uocãt, eueniebat, mihi non erat ignotum: propterea ꝙ qui illis in oppidis medebantur satis frequentibus etiã ipsis, cuncti mihi erant amici. urbes uero quarum Hippocrates fecit mentionem, utpote in eis diutius com

B moratus non pluribus habitatoribus, quàm uicus unus Romæ, incolebantur. nihil mirum igitur, si in urbe multitudine hominũ frequentata plures simili modo pati contigerit. Adde quòd illud quoq; ab experientia edoctus ad causæ inuentionem deductus sum. nõnulli siquidem in palæstris hoc modo luxabãtur, alij praua medicorum curatione. duo ẽm ex ijs qui à me uisi sunt, prolapsum sibi fuisse articulum in alam dicebant: postea uero cum imperite medici molitionẽ adhiberent, impulsum articulum inter musculorum cõmissuras, sicut conspiciebatur, fuisse constrictum. Quare si multitudini quę in Romanorum ciuitate est, duas has quoq; causas adiunxeris: requires non cur tot uiderim: sed cur plures non uiderim, quib. in hunc

C modum brachiũ exciderit. Hippocratis enim tempestate qui medebãtur, legitime didicerãt: & præcipue in hac manuum opera erãt exercitati. nunc uero uel nihil prorsus, uel breui admodum tempore didicerunt. præterea luctãdi peritia mirũ dictu est ꝙ creuerit, quamq; uarias ac multiformes magistri distortiões membrorũ, luxationesq; inuenerint. quæres igit, ut dixi, nõ cur tot, sed cur nõ plures uiderim, in tot millib. hominũ qui à multis aliptis, multisq; imperitis medicis in tales luxatiões inducuntur. Cæterũ taliũ quoq; luxationũ repositio ijsdem efficitur scopis, distẽtione, molitione, & depositione. oportet autem hic non ita moliri, sicut cum in alam exciderat, faciebamus. tũc enim in anteriorem partem primũ, deinde sursum articulus erat impellẽdus, quoad è regione ad sinum

D in quẽ erat ingressurus, fuisset deductus. nunc uero quia in anterioribus dearticulationis partibus est, siue ad exteriorem, siue ad interiorem partem musculis diductis interclusus: in contrarium est agendus: ut à musculis attractus in alam deferatur. ac maxime quidẽ efficere hoc potest uel sola distentio, in qua melius est ut locus sub ala stabiliat, sicut nos Smyrnæ in luxatione quæ hoc modo cõtigerat, egimus. nã cum in palestra cuidam explicatum à colluctante brachium fuisset, qui modus in anteriorem partẽ propellere è sede articulum præcipue potest: eo humi supino collocato distentionem similem ei quæ calce fit, adhibuimus. à tergo enim alterum constituimus, qui lorum latũ alę circumiectum retraheret, quodam tamẽ prius in-

dito

dito quod sinum alę expleret. nos uero, ut dixi, ex circumstringentibus musculis articulū expulsum remissa extēsione permisimus à musculis in seipsos concurrentibus attrahi, in cauitatē cōpelli. atq; hic quidē facile reuersus est. statim eñ in ipsa palestra curationē fuimus aggressi. satisq; fuit affecti brachij extensio à nobis ipsis facta, sicut in modo repositiōis qui calce administraẽ. quādoq; uero etiā laqueo extēsionē fecimus. ualidus tamē esse laqueus debet. cuiusmodi est duplex carchesius, & qui ex duobus aduersarijs loris ac perpetuis cōstat. aliàs quoq; inueterata iā luxatione Hippocratico scāno indiguimus. de quo ipse ꝑcedente oratione postea uerba facturus est. nunc de luxationibus huiusmodi hæc sufficiant. Sed iam ipsi deinceps de corporū ipsorū differētia in quibus magis uel minus articuli excidūt, docenti attendamus.

24 Sciendū tamen est naturas à naturis in eo multum distare, ut quæ excidunt, facile reuertantur. acetabulum quoq; ab acetabulo distat, cum aliud facile transcendatur, aliud minus. plurimam item et ex neruis copula habet differentiam, cum quibusdam laxior, quibusdam intenta sit.

Cum orationem de repositionibus absoluerit: causas nunc subiungere incipit, cur quibus facile excidit articulus quilibet, ijs absq; magno negocio reponatur. quibus uero raro id contingit, ijs difficulter fiat restitutio. dictum etiam à nobis hac de re superius est, cum & ossium dearticulationi, & superiectorum musculorum uel laxitudini, uel intentioni id ascriberemus.

25 Nam humiditas hominibus fit in articulis ob neruorum annexionem: si laxi natura fuerint, intentionesq; facile ferāt. multos eñ uideres, qui adeo sunt humidi, ut ijs cum uoluerint, & absq; dolore articuli excidant: & absq; dolore reuertantur.

Per contrariū mihi hoc uidetur enunciasse. nam cum ob naturæ hominis humiditatem nerui laxi reddantur, nō ob neruorum laxitatem humiditas in articulis exoriatur: ipse cōtrarium oratione hac dicit. Sed cum uellet exprimere promptissimam neruorum extēsionem ex humiditate hominum existere, id nō mihi uidetur fuisse assequutus. nam præpositione ob improprie usus ad causę intelligentiam legentes inducit.

26 Habitudo præterea quædam corporis differentiam affert. quibus enim bene se habet membrum, carnosumq; est: ijs sicut minus excidit, ita difficilius reaptatur. cum uero attenuatiores se ipsis sunt homines, & macilentiores: tunc fit, ut ijs & magis exeat, et facilius redeat. quod ita esse illud est argumento: quòd bobus femora tunc magis ex acetabulis elabuntur, cum sunt macilentissimi. macilentissimi aūt boues fiunt sub finē hyemis. unde etiam eo tempore luxantur maxime. Si modo tale aliquid scribendum in medicina est. sed est sanè.

Naturæ & differentię articulorum, quibus fit, ut uel facile uel difficulter & luxationes & repositiones efficiantur, duæ sunt, quas & ego sæpe, & ipse in oratione supra hanc explicauit. accedit uero his quandoque & tertia, de qua nunc ait. quæ ex plenitudine & tenuitate corporis existit, quam habitudinem uocant. quanto enim carnosiores se ipsis homines fuerint, tanto ijs & luxationes & repositiones articulorum difficiliores euadunt: propterea quod multitudine carnium undique constringuntur. at econtrario si attenuati fuerint, cutis carnium dearticulationibus circumiectarum laxior effecta neutrum uetat. nam si gracilis natura quispiam sit, obesiore nihilo erit inferior. sicut enim in libris De temperaturis demonstratum est, qui gracilior est natura, siccior: qui est obesior, humidior temperatura est. quare gracilium intenta musculorum substantia, dearticulationem coarctat. obesiorum uero carnes quatenus ampliores sunt, eatenus locū circa articulum obstruūt: quatenus sunt humidiores & molliores, facilius cedunt, & capita excidentium rotundorum ossium admittunt: ut par in luxationibus utrisq; his facultas existat. at si quis carnosus natura cum sit, quodam tempore gracilior euaserit: ei facilius tunc quam prius articulus et elabitur & reuertitur. eodem modo si gracilis natura pingue factus sit, eo tempore difficulter luxationes patitur: & quæ luxata sunt, ægre ei restituantur. in huiusce rei testimoniū ea adducit, quæ in bobus fieri conspicuuntur. planeq; omnia declarat, ut nulla indigeant explanatione. nisi uerbum aliquod unum aut alterum inciderit, de quo annotandum aliquid esse uideatur.

27 Recte enim Homerus ex omnibus pecudibus boues eo tempore maxime laborare nouit, & ex bobus aratores: propterea quòd hyeme operantur. his igitur articuli excidunt maxime. quippe cum maxime attenuentur. alia enim pecora breuem herbā depasci queunt: boues non ita: nisi prius alta euaserit. quippe cum alijs gracilis labri prominentia, gracilis item superior maxilla sit: boui ecōtrario obesa labri prominentia, & maxilla obesa ac retusa. ut breuibus herbis subijcere eam non ualeat.

Pecudes, id est πρόβατα quod uerbū oues proprie significat, nunc dixit pecora omnia: sicut in libro De sacro morbo ita ad uerbum scriptum est. nulla alia pecus est præterquam boues & capræ. & apud Homerum etiam, ubi inquit:
Multæ illi pecudes adsunt.

Cum

Cum greges pecorum uelit significare. alij quoq; ueteres hoc nomine ita usi sunt.

28 Solipeda siquidē animalia, utpote ambidentia, frēdere sanè possunt, & breui herbæ dentes subijcere. delectanturq; eiusmodi herba magis, q̃ cum est alta. breuis enim in totū melior, ac solidior, q̃ alta herba est. & prçterea etiā alta prius fatiscit in frugem. ideo igitur in hunc modum canit.

Ceu bobus ueris iucunda superuenit hora.

Quia iucūdissima alta herba ipsis apparet. sed alioqui etiam bos laxiorem quàm cætera animalia articulū habet. iccirco alijs quoque magis est uoluipes, & præsertim cum macer est, & consenuit. his omnibus de causis boui etiam excidit maxime. de quo plura à nobis nunc sunt scripta, quia antedictorum omnium testimonia sunt. Cæterum de quo nunc sermo est, carne expertibus citius & excidit & reponitur, quàm carne præditis. minorq; inflammatio humidis & macilētis, q̃ siccis & carne oppletis superuenit.

Frendere, id est βρυκάζειν nonnulli significare dicunt labra inter se ita uehementer committere, ut auellere atq; abscindere partē aliquam graminis ualeant. Alij dentibus inferioribus & superiore labro idem efficere, βρυκάζειν dici asserūt. propterea quòd frendentes homines atq; indignantes, quod βρυκάζειν dicimus, mordere dentibus labrum consueuerūt. sed illos quidem dentibus superioribus labrū inferius mordere aiunt: quæ uero ruminant animalia cum inferiore tantū dentium ordine prçdita sint, eo ad mordendum uti. Alij frendere inquiūt nihil aliud esse q̃ dentibus inter se ex utraq; parte commissis scindere. unde etiam dictum esse hic asserunt βρυκάζειν, quasi carnificare dixeris: propterea quòd carniuora animalia utrisq; dentium ordinibus utuntur. atq; his quidem ea quæ hic dicuntur, uidentur attestari: cum Hippocrates non ruminantia animalia frendere, id est βρυκάζειν dixerit: sed utrosq; dentium ordines habentia, quæ ambidentia seu utrinq; dentata appellant. hæc depasci etiā breues herbas possunt. ut equi, asini, & muli. Ex illis uero quæ uno tantū ordine dentium instructa sunt, ea sola ualent idem facere, quibus tenuis ac gracilis labri prominentia est. ideo boues soli animalium quæ herbis uescūtur, per hyemem alimenti penuria laborāt: eo quod neq; frendere, id est dentibus abscindere, neq; labris apprehendere, ac detondere, sicut capræ, & oues, breuē herbam queunt. hæc quidem tria animalium genera bisulcas ungulas habent. ambidentata autem solipeda sunt, hoc est solidis ungulis prædita, nomine ita per contractionem facto, pro solidipeda: μώνυχα græce, pro μονώνυχα, quasi solunguia & solidūguia dicas. eo q solum habeant unguem. talem enim in huiusmodi animalibus solida ungula obti-

A net locū, qualem in hominibus unguis, id est summum pedem. Minor autem inflammatio his exoritur: quia cum facile excidat articulus, facile etiā reponitur. ut merito uel parua inflāmatio, uel nulla prorsus subsequatur. in uiolentis enim luxationibus, & repositionibus dolores musculi contrahunt, ex quibus inflammationes oriuntur.

29 Vinciturq; minus in posteriore tempore. quin & mucus subest amplior quàm par sit si non adsit inflāmatio: atq; ita lubricum locū reddit. articuli enim sunt omnino macilentis, quàm obesis mucosiores.

De toto tempore quod subsequitur, intelligere potest: quod duplex est. alterum post repositio

B nem, statim cum inflammatæ partes curantur: alterum post curationem, cum in tranquillo statu membrum iam constitutum est. nam statim post repositionem cum inflammatio adest, ea ipsa ut ipse etiam dixit, articulum constringit. post curationem uero, quia in talibus hominibus musculorū substantia intenta est, & ex magnis inflammationibus quæ superuenerunt, restat durities quędam in musculis contracta: fit ut articulus quasi uinculo quodam coarctetur.

30 Nam ipsæ etiam carnes eorum qui non recte ex arte inedia confecti fuerint, si graciles sint, quàm si obesi, sunt mucosiores. quibus tamē cum inflamatione mucus subest,

C ijs cum articulus ab inflammatione uinciatur non admodum ex mucositate elabitur: elapsurus quidē, si nihil neq; amplius neq; minus inflammationis cōtigisset. at quibus articulus redijt, & partibus circūiectis inflammatio nulla superuenit: ij uti absq; dolore humero queūt: nullamq; ob id curam sui habendam sibi amplius opinantur. contra quorum opinionē uaticinari medici partiū est: huiusmodi hominibus & rursus magis excidit, quàm quibus nerui fuerint inflāmati. in omnibus in homine ita res se habet, & præcipue in humero, & genu. quip

D pe cum hæc maxime etiā luxentur. quibuscunq; uero nerui inflammati fuerint: uti humero, cum & dolor, & inflammationis intentio prohibeat, non possunt. ijs cerato, & plagulis, & linteis multis deligando succurrendum est. sub alamq; munda ac mollis lana conuoluta, quæ sinum expleat, subijcienda: ut & firmamentū deligationi exhibeat, & articulum sustentet. brachium autem ita ut in superiorem partem uergat, detinendum ut plurimum est. sic enim fiet, ut caput humeri procul à loco in quem lapsum fuerat, absit. ubi autē humerū deligaris: postea

brachium ad costas mitella aliqua corpori circumducta alligandum.

Quicunq; uel ob famem uel ob iracundiam, uel ob luctum, uel ob dolorem, uel ob stomachi fastidium minori alimento sumpto quã cõueniebat, extenuantur: ijs non statim carnes siccæ efficiuntur: quemadmodũ illis, qui recte ab arte inedia confecti fuerint: sed humidiores in omnibus in totũ habitibus euadunt, cum ob defectũ alimẽti colliquationes quędã, & cõtabescentiæ in ipsis fiant. illi uero etiã magis contabescunt quibus dolor accesit. unde etiã poetæ dolores & curas μελεδόνας uocãt. quasi membredias & coruras dicas, quòd mẽbra edant, & consumant, & cor urant. colliquescit aũt in ipsis carnibus adeps omnis, & quicquid molle & recẽter coactum est. quando uero medicus dedita opera attenuare, ac gracile reddere corpus aliquod uult, primũ id inedia coercet: postea frictionibus adhibitis, et exercitationibus accõmodatis, si aliqua colliquatio cõtigit, eam uel per sudorem qui sensui patet, uel per sensui obscurã sed ratione perceptibilẽ difflationẽ digerendã curat. neq; ex cibis aut potibus quicq; sibi esse negligẽdũ ducit. sed ijs ipsis etiã faciles reddere excretiões omnes studet, tam quæ per aluũ, quã quæ per urinas fiunt. ita enim efficitur ut maxime undecunq;, si qua est in corpore ex colliquatione humiditas, educatur. quæ si intus maneat, mucosas mora temporis carnes efficit. nam quicquid subtile ac serosum in colliquatione inest, p difflationẽ si ea sola procuretur, abit ac digerit: q̃d crassius est, tantũ remanet, q̃d tẽpore lẽtore quodã cõtracto muco simile euadit.

31. Refricandus item humerus est sensim, & leniter. ac multorum quidem peritũ medicum esse oportet, sed certe etiam refrictionis. quippe cum ex eodẽ nomine non idem eueniat. refrictio enim articulum laxiorem iusto uincire: duriorẽ quàm conueniat, soluere consueuit. sed de refrictione alio in libro à nobis definietur. talis igitur articulus mollibus manibus (confert enim) & præterea leniter refricandus est.

Ne duritia aliqua ex inflãmatione relinquatur: accommodata frictio est, si sensim, & leniter adhibeatur. ea autem multiformi manuum traductione facienda est, à superiori parte deorsum, & sursum ab inferiore. & deinde non tantum sursum ab inferiore, sed à superiore etiã deorsum. quin etiam orbiculariter, & quasi per trãsuersum à dextris ad sinistra, & è contrario à sinistris ad dextra: ea causa ut fibrę musculorum omnes emolliantur. nam refrictionis nomen, id est ἀνατρίψεως pro frictione à ueteribus dicebatur. quocirca ne existimes, id quod opinati nonnulli sunt, cum dicit refricandum humerum esse, uelle eum in fricando ab inferiori parte ductũ manuum esse faciendum. refricare enim uniuersum frictionũ genus, non unam tantummodo eius differentiã ab inferiore parte sursum significat. id quod ipse quoq; manifestat, cũ inquit. sed de refrictione alio in libro à nobis definietur. non enim profecto de una tantũ differentia eius omissis reliquis dicturũ se esse pollicetur. quin & in libro De ijs quæ in medicatrina fiunt, ipsas oẽs declarauit toto genere etiã ibi nominato. refrictio, inquit, soluendi, uinciendi, carnem augendi, minuendi uim habet. & quæ sequuntur. de quibus cum in cõmentarijs eiusdẽ libri, tum in libris De salubribus absolutissime à nobis dictum est.

32 Articulus autẽ mouendus est non uiolenter, sed adeo ut sine dolore moueatur: constituunt uero omnia, alia longiore tempore, alia breuiore.

Nihil in deficientibus inflammationibus huiusmodi motione utilius est. reliquias enim omnes ipsarũ absoluit. quibus neglectis amentari ac uinciri articuli consueuerunt. utroq; enim modo affectionem hanc appellant.

33 Exciderit ne brachium hisce notis cognoscendum est.

In libro etiam De fracturis prius in peccantes inuectus est: hic quoq; cum ita fecisset, ac deinde redargutioni eorum de repositione subiunxisset ea, quæ non modo ex antedictis cõsequebantur, sed etiam illis attestabãtur: nunc deinceps luxationis humeri notas tradit, quæ sanè licet in operibus artis antecedant, necesse sit, in docendi tamen ratione non est necesse. sequantur ne autem aliqua, aut præcedant necessario nec'ne, illud tibi argumento sit: si uidelicet uel agi opus, uel intelligi disciplina recte ante non posit, quàm quod præcedit, cognitum fuerit. repositio igitur luxatorũ antequam in quem locũ articulus excesserit, intellexerimus, tradi clare non potest: prius tamẽ quàm signa luxationum perspexerimus, potest. nam modo in alam fieri luxationem ante didicerimus, repositionem & nos ipsi excogitare, & ab alijs traditam cognoscere postea satis possumus: fieri tamen in alam luxationem, nisi prius totam dearticulationis naturam nouerimus, perspicue intelligere non ualemus. si quis igitur loquutus de repositione, postea qualis luxationis repositionem docuerit, subiungeret: is ordinem necessariũ immutaret. quemadmodum si etiam differentiam prolapsionis prius persequutus, de natura postea dearticulationis quispiã pertractet. nam qui bene nouit quomodo in alam excidat articulus: ei de natura dearticulationis discere superuacaneum est. sed si prius qualis natura iuncturæ sit, deinde prolapsionem norit: nihil ei deest, quin repositionem optime percipere ualeat. sicut etiam nunc signorum ignoratio nulli impedimento nobis fuit ad repositionem intelligendam. atq; hoc fieri in omni doctrina curationis potest. quid enim uetat, quin inflammationis iecoris, aut uentriculi, aut renũ, aut coli curationem prius docere quispiam posit, quã eiusmodi morborum dignotionẽ perceperit? curare tamẽ antequã dignoscat, non poterit. ex ratione

ne itidē et docendi uia non est, si uel inuenire cura tionē, uel doceri ab altero uelis prius, quàm exacte naturā mēbri cognoueris, quod curādum est.

34 Nam cum iustum habeant corpus homines, & manus & crura: sano membro uti debemus ad non sani, et non sano ad sani exemplum. neq; alieni articuli inspiciendi.

Quòd prorsus ex utraq; parte & à dextris & à sinistris æquale est: iustum appellauit. nam quia formæ membrorum longorum, id est crurum & brachiorum diuersæ hominibus sunt, membrum coniugatum & compar eius ipsius qui affectus est, cōparandum alteri censet: exq; eo quantum à naturali statu abierit, coniectandum.

35 Alij enim alijs exarticulati magis natura sunt. sed ipsa eius qui laborat mēbra attendenda, sanum ne ægrotāti dissimile sit.

Eos qui proiectos atq; eminentes articulos habent dū in naturali statu sunt, exarticulatos uocat.

36 Atq; hoc quidem recte dictum est, admodum multam tamen propterea obintelligentiam habet: neq; satis est si tantum ratione artem hanc cognouerimus, sed cōsuetudine uersandum est.

Non omnem absolute ignorantiam obintelligentiam nuncupat, sed eam tantum quę adiuncta est, & uicina cognitioni: qua fallimur, & obintelligimus, id est præter id quod uerū est intelligimus. quomodo uero contingat ut decipiamur comparando etiam sanam partem ægrotanti, ipse deinceps ostendit, cum ita inquit.

37 Multi enim sunt qui præ dolore uel alia causa, licet nō exciderint articuli, in figuram tamen similem illi in quam sanum corpus formatur, redigi non possint. insuper igitur aduertenda atq; intelligenda huiusmodi figura est. quin & in alam caput brachij magis incumbere in luxato quàm in sano uidetur. desuper uero in superhumerali concauus locus apparet: osq; summi humeri, utpote cum in inferiorem partem subierit articulus, extare conspicitur.

Vnam hic obintelligētiam, ut ipse uocat, ostendit, quæ circa figurationem cōtingit. quippe cum interdum in quasdā figurationes affecta membra redigi non ualeant: & tamen homines quibus id euenit, nō ex luxatione, sed ex dolore, aut musculi contentione ita affecti sint. alteram deinceps ignorationem subiungit.

38 Cæterum obintelligentiam quoque hoc quandā exhibet: sed postea de hoc cum res digna scriptu sit, nonnulla scribemus.

Cum sinuatus locus apparet in superhumerali quam ἐπωμίδα dicimus, id frustrationē quādam & deceptionē afferre ait. de qua postea scripturū

A se pollicetur. error autem hic interdum euenit, cū iugulum à scapula fuerit diuulsum.

39 In luxato præterea cubiti gibbus uidetur à costis magis, quàm alter distare. si tamē uim attulerit quispiam, admouebit quidem, sed cum dolore.

Signum hoc errorem adiunctum habet: nisi etiam tumor sub ala appareat, occurrēte ibi si quis contrectet brachij capite: quo fit, ut ad costas admoueri gibb. cubiti sine magno dolore nō possit.

40 Sursum idem rectam manum ad aurē cubito extento attollere, aut hac & illac perinde ac sanam traducere non poterit.

B Hæc nota est, quam paulò antea obintelligentiam & deceptionem habere dixit. perspicuum enim est ex ijs quæ prius dixit. multi enim sunt qui præ dolore uel alia causa, licet non exciderint articuli, in figuram tamen similem illi in quam sanum corpus formatur, redigi nō possint. nam si manus ad costas admouere prompte aliquis potest, articulum quidem è sede naturali non esse dimotum certum indicium est. sed si aliqua ex parte tamen impediatur, cum uel ex dolore uel ex musculi contentione accidere impedimētum id queat: dubia luxationis indicatio euadit.

41 Ac notæ quidē luxati humeri hæ sunt. repositiones itē, quas superius scripsimus, & curationes hæ sunt. Operæprecium autem est discere quomodo ijs quibus frequēter excidūt humeri, mederi ualeamus. quippe cum multi, licet in alijs omnibus idonei C admodum sint, hac calamitate à certaminibus fuerint prohibiti: multi item inepti ad res bellicas euaserint, corruptiq; fuerint. operæprecium quoq; ob illud erit, quòd qui ijs recte medeatur, nouerim neminem: sed alios ne aggredi quidem rem, alios contraria quàm conferat & sentire et facere uideā. multi enim medici luxatis humeris & in superhumerali, & in anteriore parte qua brachij caput extuberat, & in posteriore quo- D que paululum à superhumerali adustiones adhibuerunt. quæ quidem adustiones, si brachium uel in superiorem, uel anteriorē, uel posteriorem partem excidisset: recte fuissent administratę. cum uero in inferiorem partem exciderit, ejciunt magis, quàm prohibeant. caput ēm brachij omnes à superiore inani laxitate excludūt. sed ita hæc adurenda sunt. cutē sub ala digitis interceptam cōtra maxime eum locum in quem brachij caput excidit, attrahere debemus.

In hac quoq; oratione clara omnia sunt. quocir

ca, nisi ubi obscuritas aliqua occurrerit, à nobis sunt prætereunda.

42 Deinde ita attractam in ulteriorem usq; partem deurere.

Nullam partem cutis attractæ absq; deustione relinqui uult. sed candens ferramentum à dextris in sinistras alæ partes, & à sinistris in detxras traijciendum censet.

43. Ferramẽtis autem adurendum est nõ crassis, neq; admodum caluatis, sed oblongis: quippe cum penetrabiliora sint, aptioraq; ut manu imprimantur.

Caluata, id est φαλακρὰ, ferramẽta appellat: quę rotunditatem quandam læuem in extremis partibus habent. cuiusmodi sunt specillorum capitula, & quæ nucleata appellantur, et spathularia. oblonga uero his contraria nuncupat, quorum extrema minime sunt rotunda, sed mucronata, ad suffusionum interpunctiones accommodatis instrumentis quodammodo similia.

44 Adurendũq; est trãslucidis, ut quãcelerrime, quatenus fieri potest, penetrẽt. crassa enim cum tarde penetrẽt, latiores crustarum casus efficiũt. periculumq; afferunt, ne cicatrices perrũpãtur: quod q̃uis peius nihilo sit, est tamẽ deformius, & inartificiosius: cum uero in ulteriorem partem deuris satis erit in plerisq; si in inferiore parte adustiones has solas adhibeas.

Ignita esse ferramenta ad alam deurendam uult. admodum enim ignita & candentia translucida appellat.

45 Quòd si periculum minime esse uideatur, ut cicatrices perrũpantur, sed multum in medio spacium intersit: tenue aliquod linitoriũ specillum per adustionum foramina traijciendum est, cute adhuc suspensa ac retracta: alioqui enim traijci non posset. ubi uero traiectum fuerit, cutis dimittenda: deinde inter duas adustiones, alia tenui ferramento inijcienda eatenusq; deurendum, quoad in subiectum specillum inciderimus.

Cicatrices, id est ὠτειλὰς ulcera ipsa hic appellat. Quemadmodum poeta, qui de recenti uulnere loquens ita canit.

Donec adhuc calidum sanguen fert ipsa cicatrix.

Posteaq; attractam cutẽ per trãsuersum à dextris in sinistra deusseris: alteram secundam tibi faciendam censet, non transuersam illam quidem ferramento impresso, & in medio alte adacto. oportet autem medium inter adustiones spatium idoneæ esse magnitudinis. si enim paruum admodũ esset: in discrimen res ueniret, ne perruptis ulcerationibus magna una plaga efficeretur: ex qua quidem licet quantũ ad partem illam exiccandam & stringendam spectat, nihil peius euenturum sit: necesse tamen non est, ut magna cicatrice effecta, turpius locum illum reddamus: cum ex paruis perforationibus comparari æquale præsidium queat.

A

46 Quantũ aũt ex cute alæ intercipiendũ sit, ex his cõijcere debemus. sub ala subsunt glandulæ sed multis etiam alijs in corporis partibus. cæterum alio in libro De glandularum solimembria scribetur. quidq; sint, et quæ in qualibus significẽt, quamq; uim habeãt. glandulæ igitur apprehendendæ nõ sunt: nec quæ interius subsunt. magnum enim periculum impendet.

B

Solidam atq; integram essentiæ glandularum naturam solimembriam, id est οὐλομελίην uocat, de qua alibi docturum se esse hic pollicetur. non tamen ullus De glandularum solimembria Hippocratis liber nunc extat. tametsi quidam ex recentioribus Hippocratis sectatoribus paruum quendam librum edidit De glandularum solimembria inscriptum: qui & dicendi forma & sententijs longe à germanis Hippocratis operib. abest, ut omittam q̃ neq; ex superioribus medicis quispiã mentionem eius facit: neq; qui indices librorũ Hippocratis condidere, eum agnoscunt.

47 Quippe cum opportunissimis tenoribus uicina sint. sed quicquid extra glandulas est quamplurimum apprehendendum, innocuum enim est.

C

Subesse glandulis quæ sub ala sunt, tenores, id est τόνους oportunos inquit, neruos intentos ita appellans. ridiculũ igitur est quod quidã recẽtiores medici opinãtur, qui tenores appellari ab Hippocrate eos neruos tantum asserunt, qui cõiugati & pares à cerebro exoriuntur: propterea quòd in libro secundo Vulgarium morborũ ita scribit. duo uero tenores à cerebro iuxta os magnæ uertebrę, & quæ sequuntur. nam qui ad manus & brachia feruntur, nerui ab omnibus dissectionis professoribus à dorsi medulla exoriri circa collũ qua thoraci appropinquat, conceduntur: quos & nunc appellare tenores in præsenti hac oratione uidetur Hippocrates: & deinceps bis, & inferius etiam iterum ubi de spina dorsi agit, tenores neruos nominat.

D

48 Sciendum tamẽ est, si ualde brachium sublatũ attollas: nihil ex cute sub ala quod alicuius momẽti sit cõprehensurum te esse. resimatur enim in sublatione. neq; tenores ullo modo feriendi sunt, qui in promptu & intenti ea figuratione extant. sed si paululũ attollas, & multum cutis apprehendere poteris: & tenores quibus cauẽdum est, intus citra comprehensionem subsident.

Cutem sub ala ex nimia totius brachij sublatione absumi inquit. quia cum laxa antea esset, ut superefflue-

perefluere uideretur:in hac figuratione ita subiectis partibus superextenditur, ut redundatio illa pereat atq; absumatur.

49 Nonne igitur in tota arte ante omnia curandum est, ut iustas figurationes in singulis inueniamus.

Iusta ea uocat quæ pro facultate æqualia sunt: hoc est pro dignitate uniuscuiusq; rei & conuenientia. nũc enim res proposita est adustio cutis sub ala: quę brachio accõmodate figurato faciẽda est. si igitur brachium adeo demissum sit, ut uel costas attingat: uel parum admodum ab eis distet: ne inspicere quidem in intimũ alæ sinũ licebit: nedum iniectis digitis cutem apprehendere, atq; inurere poterimus. si uero contra maxime sublatũ sit brachium: nihil ex cute erit quod alicuius momenti sit, quod attrahi digitis queat: quippe cum in eiusmodi figuratione subiectis corporibus superintendat, ita ut nerui quoq; in promptu extẽt. Quo circa tantũ diducendũ atq; abstrahẽdũ brachium ab ala est: ut & locus uisui pateat, & digitis facile subiectis cutẽ attrahere ac deurere ualeamus. hæc figuratio enim iusta erit ad operationem exercendam: neq; amplius erit attollendũ. nulla siquidem alia de causa brachium eleuamus, quàm ut attrahere cutẽ sub ala possimus, ac deurere, queadmodum ipse dixit. nã si etiã operari hæc possemus demisso brachio, figuratione ea opus est quę laxiorẽ cutem reddat. nam ita & plurimũ ex ea trahitur, et operis administratio periculo omi prorsus uacat.

50 Atq; hæc circa alam. satisq; hæ comprehensiones sunt, si adustiones recte adhibeantur.

Comprehensiones de cute hic intelliguntur.

51 Extra autẽ alam duo sola loca sunt, ubi adustiones affectionem uindicantes iniјce re quispiam posset.

Extra hic ad loci differentiã referri uidetur, non sicut apud Demosthenẽ aliosq; oratores dici consueuit, cum extra rem à se aliquid dictũ fuisse aiũt, id est præter rem: Quod igitur hic ab Hippocrate dictũ est, tale est, & citra hanc quam diximus alæ adustionẽ, duæ aliæ sunt, quæ affectioni opitulantur. quod enim inquit affectionẽ uindicantes, opem ferentes, & liberãtes significare perspicuum est, quemadmodum etiam apud Euripidem, cum Orestem ita dicentem inducit.

Ego quidem sum matre iugulata impius,
Pius sed alio nomine patrem uindicans.

Hoc est liberans à contumelia, eiq; auxiliũ ferens. differt autem τιμωρῶν cum datiuo quo hic utitur Hippocrates, & τιμωρούμενος cũ accusatiuo. illud enim auxilians, hoc ulciscens & puniens, & crucians significat: unde ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id est seipsum crucians Menandri fabula inscribitur.

52 Vnam in anteriore parte inter caput brachiј, & tendonem qui ad alam spectat.

Hoc in loco à nobis quoq; articulus prolapsus prominere uisus est, qui quidem totius anterioris

A regionis pars una est. cum enim anterior regio tota lata sit, unã partem plane mediã, duas utrinq; habet: alteram uersus interiorem, cuius nũc mentionem facit: alterã extrinsecus, de qua postea aget. qua in re admirandus proculdubio Hippocrates est, quòd cum nunquam aliam in partem quàm in alam excidere articulum uidisset, satis sibi esse nõ putauit si adustionem ei accommodatam tantum tradidisset: sed duas alias etiam adiungens loca ea exquisite cõiectura est assequutus, in quibus nos quoq; firmatum caput brachiј inspeximus. ex quibus quidẽ humeralis uenę sedes, qua musculi duo inter se committuntur, alter à pectore magnus, & qui deltoides nominatur, quater: altera extrinsecus, de qua deinceps dicturus est, semel à nobis uisa est brachiј prolapsionem excepisse. B

53 Vbi quidem cutis penitus deurenda: ita tamen ut altius non procedamus. uena enim crassa prope est, & nerui, quorũ neutra sunt calfacienda.

Venã quæ humeralis appellat, crassam nũc uocat, quasi magnã et latã, cui cõmissio illa antedictorũ musculorũ superiacet, neruo adiũcto, ex quo tota quę circũ circa uenã est cutis, fibrarũ distributiones accipit. cauendũ quidem esse ne in adustione cutis neruum aut uenã tangamus, manifeste exposuit. sed in primis ne uenæ partibus, an in interioribus, an iuxta ipsam exacte urendum sit, nõ planè declarauit. possumus enim hoc facere, primũ attractam cutẽ eo modo quo de ala dictum est, per C transuersum deurere: deinde traiecto linitorio specillo in orbem secundam cauteriј impressionẽ facere. sicut enim in ala, licet nerui maximi, & unà cum ipsis arteria & uena latissima subesset: inurendam tamen cutem præcepit, subiectis partibus ex specilli lati traiectione tutela præparata: ita nunc in proposita hac adustione nihil mirũ esse debet, si cutem quæ uenæ superiacet, adurendam cẽseat. neruos sanè illos sub ala tenores opportunissimos appellauit, eo nomine uti solitus de magnam uim habẽtibus, sicut illi: de ijsq; qui & prope dorsi medullã, & crassissimi substantia sunt. hunc uero neruum qui iuxta uenã humeralem est, nerui simplici nomine nuncupauit: neq; opportunũ uocauit: D quippe cum & longissime à dorsi medulla absit, & magnitudine paruus sit.

54 In posteriore uero parte altera adustio iniјci potest, tendone qui ad alam est multo superius, brachiј autẽ capite inferius paulo. cutisq; penitus adurenda est. sed neque hic alta impressio est facienda. propterea ꝙ ignis neruis est inimicus.

Ad reliquam partẽ quæ humeri articulum elapsum excipit, deuenit. quæ in exterioribus partibus anterioris regionis est. in quam quoq; ipsam excidisse brachium semel cõspeximus. non recte autem in plerisq; exemplaribus ita scriptum est. in posteriore uero parte altera adustio iniјci potest. non enim in posteriore parte dearticulationis lo-

cus hic est, sed in exteriore. nam si quis loca iunctu- A
ræ humeri circumsita, quæ latitudine contineant, distinguere exquisite uelit: perspicuũ sanè est eũ, si omnes aduertat, in anteriore parte lineam quandam latitudine carentẽ planè mediam animo concepturum esse, quę desuper per longitudinem brachij porrecta latitudine utrinq; adiacente anteriorem partẽ definiat intrinsecus humerali uena, extrinsecus altero quodam tanto interuallo, quanto uena hæc à linea illa latitudine carente abest: atq; hi anterioris regionis termini sunt. utrinque uero duo sunt alia loca, in quibus alæ tendones existũt: interiorem alter, alter exteriorẽ terminans regionem. iuncturæ enim huius interior regio ex interioris tendonis inter uenam & alam circumscriptione consideranda est, exterior ex tendone exte- B
riore, et linea eius interualli, quanto à linea illa anteriore exquisite media distare uenam humeralem dixi. posterior locus dearticulationis huius sima scapulæ pars est: quemadmodum inferior, ala ipsa. superior uero, quicquid inter summũ humerum & caput brachij intercedit.

55 Vlcera aũt omni medela curanda sunt. in quo aduertendum ne uehementer brachiũ attollatur, sed mediocriter, quantũ ad ulcerum curam sufficiat. ita enim minus refrigerarentur. confert siquidem ut omnes ustiones tegantur, quo curari cõuenienter queant. minus item digrederentur: & san- C
guinis eruptione infestarentur minus: minusq; eis conuulsio superueniret.

Causas ipsas subijcit, cur non esse uehementer attollendum brachium iubeat. primum, quia confert ustiones omnes cõtegantur, quo curari queant: tum ne refrigerentur. alioqui enim, ut ipse dixit, ulceribus frigus mordax est: cutem circa indurat: dolorẽ irreparabilẽ creat. sed multo magis ijs, quæ ex calida causa extiterunt: quemadmodum nunc ex igne. minus præterea, inquit, digrederentur, id est hiarent, & oras expanderent. quod cum fit: & magis frigescunt, & serius consolidantur, & cicatrices maiores cõtrahũt. quod uero deinceps dicit, & sanguinis eruptione infestarentur minus, ad omnium ulcerum uniuersalem rationem spe- D
ctans, subiunxit: non ad ea de quibus nunc loquitur. nam si, ut iussit, cutem deusserit quispiam: nullum subsequuturum sanguinis eruptionis timorẽ, dubitat nemo. fortasse tamen ex eo quod denudata cute nerui refrixerunt, conuulsionis solius periculum impenderet: cuius etiam in fine ipse huius orationis mentionem facit.

56 At ubi iam pura effecta ulcera sunt, ad cicatricesq; deueniunt: tunc profecto omnino brachium ad costas alligatum & die & nocte semper detinendum est.

Cicatrices hic proprie pro inductione cõsolidationis ulcerum, non sicut superius fecerat, pro ulceribus ipsis posuit. maximã igitur habendam curam censet, ne brachium à costis diducatur, nisi parum admodum: atq; id eo tantũ tempore, quo ulceribus curatio adhibetur. maxime enim puris ulceribus ea omnia accidere cõspiciuntur, quæ modo cõmemorauit: & præcipue ab externis causis. nam dum sordida ulcera adhuc sunt, & inflãmata: sordem, & humorum præternaturaliũ redundantiam pro obstaculo ac tegumẽto habent. calor uero inflãmationis frigori extrinsecus aduenieñti resistit. ubi autem et inflãmatione carent, & pura, excrementitijsq; sordibus mundata iam sunt, magis quàm prius ea quibus afficiuntur, persentiunt: ac propterea facile ab externis causis, & præcipue frigidis molestantur. & ob exquisitum sensum dolore, cęterisq; molestijs uehementius affligantur.

57 Quin etiam ubi consanuerunt, simili modo in multum tempus brachium ad costas est alligandum. ita enim maxime fieri posset, ut cicatricẽ obduceretur: & intercluderetur laxitas ea in quam maxime brachium prolabitur.

Et hic finem adustionis quẽ proposuit, declarat, cùm inquit. ita enim maxime fieri posset, ut cicatrice obduceretur, & intercluderetur laxitas ea in quam maxime brachium prolabitur: perinde ac si ita dixisset. quanto enim cicatrix cõtractior ac breuior euadit: tanto in angustius spatium cutis circa alam cogitur. id quod maximum remedium est, ne eo excidere facile brachium queat.

58 Quibuscunq; uero humerus repositione fuerit frustratus, si adhuc in auctiõe sint, os brachij lęsi non simili modo ut sani augeri consueuit. sed augetur quidem aliquantulum: breuius tamen, quàm alterum euadit.

Ea quæ necessario illis eueniunt, qui exarticulatum humerum habent: nũc cõmemorat. primum igitur ac maxime cõmune, ex quo etiam reliqua omnia cõsequuntur, illud est: quòd minus alimentum brachium percipit. ex hoc enim postea fit, ut in iam adultis tenue ac macilentum: in adhuc crescentibus breuius euadat. hæc autem alimenti inopia, & ex uenarum et musculorum membri distortione contingit: & ex eo quoq; quòd totus articulus non mouetur. nam si sanum quoq; membrum diutius prorsus absq; motione permaneat, manifeste macilentius fieri conspicitur.

59 Qui etiã ab ortu anci uocantur, ob duplices has calamitates huiusmodi efficiunt. si uidelicet talis aliqua luxatio in utero eos præoccuparit. alteram item ob calamitatẽ: de qua postea aliquando à nobis scribetur.

Anci γαλιάγκωνας à græcis appellantur, qui an à similitudine τῶν γαλῶν, id est mustellarum quasi mustellãci ita dicti sint, an aliqua alia de causa: illi uiderint, qui diligẽter hæc inquirere student. medico uero utile est, si sciat nõnullos esse, qui utrisq; humeris & dextro & sinistro luxatis nascantur: ac-

propterea

propterea utraq; brachia contracta ac breuia habeant. sciendumq; ei est alterā quoq; causam esse quæ huiusmodi affectionem inducat. de qua alias dicturum se esse pollicetur. difficile tamen est alteram reperire, quę diuersa ab ea sit, quam deinceps ipse contingere infantibus ait, in hunc modum.

60 Adde quod quibuscunq; adhuc infantibus circa caput brachij altæ & in imo desidētes suppurationes fiunt, ij quoq; omnes anci euadunt. & siue incidantur, siue aduratur, siue sponte erumpant: ita se habere hæc sciendum est. At qui ab ortu anci sunt, licet uti manu aptissime possint, neq; ipsi tamen attollere brachium ad aurem extento cubiti gibbo ualent: sed multo minus læsa, quàm sana manu id faciunt.

Hoc quoq; fœtibus in utero accidere potest. nā calamitatem ab hac diuersam quæ in utero fœtificatis luxatiōis causa sit, inuenire, difficile est. utrasque uero has cōtingere, ex ijs non est quæ fieri nequeant. quippe cum fieri possit, ut & suppuratio fœtui oriatur, & erumpat, & à natura consolidet: & multo magis si in humeri articulo luxatio fiat, tum ob humiditatē naturæ infantis, tū ob id quod acetabulum iuncturæ labilem exitum præbet.

61 At quibuscunq; iam uiris humerus exciderit, & repositus non fuerit: superhumeralis carne magis expers efficitur, habitusque gracilis hac in parte euadit. cum tamen dolor ijs cessauit, quæcunque abducendo à costis gibbo cubiti in latus operandum est, ea nō omnia exercere simili modo possunt. ea autem possunt, quæ traducēdo brachio præter costas uel ante uel retro tractantur. nam scobinam, & serram trahere queunt, et securi itē dolare, & sarrire, modo ne nimis sursum attollere cubiti gibbum cogantur: & cætera operantur, quæcunq; huiusmodi figurationes requirunt.

Superhumeralis ijs qui ita sunt affecti non modo statim ubi caput brachij humerum deserit, attenuatior, & gracilior apparet: uerumetiam postea adhuc magis eiusmodi fieri conspicitur. propterea quòd procedente tempore musculi deltoidis partes debiliores atq; ad alimentum capiendum ineptiores redduntur: dum intentus deorsum uiolenter brachij caput in alam consequitur: & quia non mouetur, neq; propriam operationem exercet, qua brachium attollebat: frigidior & imbecillior, ac propterea macilentior euadit. quippe cum motio corroboret, ocium tabefaciat.

DE SVMMO HVMERO.

62 Iis autem quibus summus humerus auulsus fuit, os quod auulsum est eminere conspicitur. est autem is iuguli & scapulæ

A nexus. quippe cum hac in parte diuersa hominis ab aliorum animalium natura sit. medici igitur in hoc uulnere maxime decipi consueuerunt. cum enim os auulsum emineat, superhumeralis humilis & cōcaua apparet: ut ab illis quasi humerus prolapsus sit, cura adhibeatur. multos quidem ego nōui medicos in alijs sanè non malos, qui dum huiusmodi humeros conantur reponere, excidisse eos rati: multa damna uexando attulerunt: neq; prius destitere, quàm uel sententiam mutarint, uel reposuisse se articulū existimātes frustrati ea re tamen fuerint.

B his curatio ea est, quæ alijs huiusmodi: ceratum, plagulæ, lintea. & deligatio in eundem modum facta. urgendum tamen deorsum os eminens est: eaq; in parte plagulæ quāplurimæ imponendæ, ac deprimendæ quāmaxime sunt: brachiūq; ad costas in superiorē partem annectendum, atq; ita detinendū. hoc enim modo maxime fit, ut accedere ac coire auulsum os possit. Sciendū tamen probe est, et prædicendū etiā tuta hæc esse, si aliter facere uolueris: ꝓpterea quòd nullum neq; paruū neq; magnū nocumentum

C ex hoc uulnere humero euenit: sed locus tantum deformior euadit. quippe cum neq; hoc os in pristinā sedem simili modo, ut natura erat, restitui queat: sed necesse omnino sit, ut uel paulo uel multo turgidius in superiore parte efficiatur. neq; aliud aliq̄d in eundē planè statū redeat, quod cōmunicās cū altero ac cohærēs à pristina cohærentia auulsum fuerit: paucis diebus dolor in summo humero sedatur, si recte deligetur.

Coiunctionem ac cohærentiā ipsam summum humerum esse hic ostēdit: dicitq; ipsum esse os, & nectere utraq;. summum humerum sanè esse char-

D tilagineum os coniunctioni iuguli & scapulæ impositum manifestū est: è quo membranæ quędam exortę capita ossium inter se colligant, unde fit, ut si id auulsum sit, iugulum quoq; eodem consequatur: ac propterea emendatio est, si iugulum deorsum urgeat ac deprimatur sic, ut circulares quosdā flexus efficiat. Sed depressio hæc in adolescentibus magis succedit: eo quod quanto magis ætas progreditur, tāto corpora nostra sicciora euadūt. sicut igitur sicca ligna ad flexuras idonea minime sunt, sed humida & uiridia facile eas tolerāt: eodē modo eorum qui adhuc augescunt, ossa, si uis affeatur, inflecti possunt: ac multo magis si cassa sint ac fistulosa, ut iugulum est. atq; ego quidem in me ipso expertus sum: sensiq; mihi inflecti iugulum: palpitabat enim profunde, cum ex uiolēta deliga

 tione

tione uehementer deprimeretur. idq; ad quadraginta usq; dies sustinui: quorum spatio capiti brachij ita admotum iugulum est, atq; adhæsit: ut & qui id nunc uident, auulsum aliquando fuisse, non credant: & qui quando auulsum est, distantia triũ digitorum uiderunt recessisse, rem supra modum admirentur. contigit tamen ut per id tempus brachium penitus alimento destitueretur, sic ut gracile prorsus effectũ fuerit: & unà cum ipso cubitus etiã non aleretur. sed hęc sanè uno tantũ deligationis subsidio fuerunt emendata: totumq; membrũ non multo post tempore q̃ solutæ fasciæ sunt, alimẽto fuit restauratũ. in adolescẽtulis uero, ac pueris etiã magis deprimere os deligatio facile potest. nam mihi quidẽ quintum & trigesimũ annum agenti pati hoc modo in palæstra contigit. non tamen aliquẽ alium tam adultũ, cum ferre uiolentiã deligationis non ualeret, curare ita unquã potui. ego uero etiam ipse frigidũ adeo locum sentiebã, ut toto die ac nocte calido oleo fouere eum cogerer: subiecto toti corpori corio quodã, supra quod nudus, utpote caniculæ æstibus infestãtibus, cubabam. supposita igitur ad pedes uacua pelui coriũ ea parte accõmodate figuratũ fuit, ut inde in peluim defluere liquor posset: atq; ita quod in pelui collectum fuerat, iterum in lebetẽ trãsfusum, atq; ad ignem calefactum supra affectũ locum totum perfundebatur. & si paululum aliquãdo qui id ministrabant, intermisissent, statim musculorum circa collum intentionem sentiebam: ut perspicuum inde esset, si in perfundendo negligentius se gessissent, consequuturam facile fuisse cõuulsionem. sed mihi musculorũ afflictationis alia quædam nõ parua causa accesserat, quam cõmemorare nõ ab re erit, ut existimare unusquisq; possit, ex sola iuguli depressione nihil eiusmodi musculos fuisse passuros. cum enim mihi auulsus summus humerus fuisset in palæstra, alipta depressiorẽ superhumeralem intuitus atq; humiliorem, brachiumq; in alam elapsum esse opinatus, brachium mihi extendebat, moliriq; id aggrediebatur: remq; artificiose tractabat. cum uero opus minime procederet, & frustra tempus tereretur: errare ego hominem in molitione existimãs, alij unà cum ipso & brachiũ deorsum, & sursum humerũ distenderẽt, iussi: ipse uero digitis integræ manus in alam brachij quod excidisse uidebatur, coniectis, ut inter costas & caput brachij inserti moliendo paululũ ipsum retruderent: nulloq; ibi tumore præter naturã inuento, statim desistere ab intentione eos qui unà cum alipta distendebãt, monui: nõ enim excidisse articulum, ut opinabãtur. at illi quasi ego dolore iam fractus id dicerem: hortabãtur, ut me ipsis obtemperantem exhiberem, non mihi: neq; intentionem quicquã remittebant. ac fortasse musculũ diuulsissent, id quod nõnullis etiã alijs contigit: nisi forte quidam alius superuenisset: qui cum sciret me nequaquã ex mollitie intentionem fuisse prohibiturũ, ut remiserint, effecit. à meq; quid euenisset, quidq; facere iuberem, requisiuit. at ego cum auulsum esse summũ humerum, oleoq; & linteis & la- A B C D nis esse opus dixissem, in balneum profectus sum: ibiq; copioso circũfuso oleo in solio quoad potui, sum immoratus: donec quæ ad curationẽ spectabant, fuerunt cõportata. qua re effectum est, ut mihi ex uexatione ea musculi assidua fotione indigerent. plerique uero licet eis hoc non cõtingat, deligationẽ ipsam nõ tolerant. sed difficultatẽ ex affectione in posterum tempus malunt habere q̃ ad quadragesimũ usq; diem laborem eum sustinere. citius enim iuguli os exacte inflecti posse non existimo. reliqua in oratione hac Hippocratis patet.

DE IVGVLO.

63 Iugulum fractum, si uere abscissum fuerit, curatu facilius est: si per longitudinem, difficilius sanatur, contrariumq; in hoc euenit q̃ quispiam opinaretur. nam quod uere abruptum est, cogi magis ut in naturalem statum redeat, potest: ut si curam adhibeat aliquis, quod superius abijt, deorsum cõpellere figurationibus idoneis, & accõmodatis deligationibus non difficulter queat. nã etiam si non prorsus coaptatum sit: os certe quod supereminet, nõ admodũ acutum efficitur. at si per longitudinem confractum os fuerit, similis ut in ossibus auulsis, de quib. superius modo scripsimus, calamitas euenit. quippe cum & cohærere inter se nõ admodum partes hæ fractæ soleant, & ossis fragmentum quod eminet, ualde acutũ euadat. in uniuersum igitur sciendum illud est, ex iuguli fractiõe nullũ neq; humero, neq; reliquo corpori timeri nocumentum, nisi si deretur: sed hoc tamen raro contingit.

Vere abscissum inquit, caulatim abruptum, sic ut nulla in parte contineatur, cuius oppositum est non uere abscissum, quod uno modo fieri ipse declarauit, cum dixit. si per longitudinem, difficilius sanatur. simulq; ostendit quod exquisite abrumpitur, per transuersum: quod non exquisite, per longitudinẽ fractionem pati. Quando igitur penitus abscissum est, alternari ita partes ossis consueuerunt, ut cum uel sursum altera, altera deorsum, uel introrsum altera, altera extrorsum abeant: fractura propterea magna esse, atq; incurabilis uideat. at altero modo cum per longitudinem fractio accidit, licet minor lęsio esse appareat: eius tamẽ difficilior sanatio est. quippe cum iugulum fasciæ circumuolutionem, sicut brachia & crura non admittat. quæ sola complanare, atq; astringere quod in longitudinem scissum est, potest. si hæc quæ nunc dixi, memoria teneas, nihil ex ijs quæ deinceps subiungit, tibi esse obscurum uidebitur.

64 Deformitas tamen circa fracturam euenit: atq; id primum turpissimum, deinde uero minus turpe fit.

Melius erat, si dixisset, minus turpe apparet. inter

ter initia eñ rei nouitate turpe id esse maxime uidetur:postea uero temporis processu assueti homines,sicut in alijs omnibus, ita in hoc quoq; deformitatem negligere consueuerunt.

65 Iugulum porrò non secus atq; ossa alia cassa cito conglutinatur. quæ enim huiusmodi sunt,callum celeriter obducũt. quando igitur recenter est fractum,& qui uulnerati sunt,maius malum quàm sit, esse opinãtes, satagunt:& medici diligentiam ac studium adhibent, ut recte medeantur. procedente uero tẽpore & uulnerati,quippe cum dolore non afficiãtur,neq; aut ambulatione,aut comestione prohibeantur, rem negligunt, & medici,quia locum eum restituere in pristinum decorem nequeunt,refugiunt:neq; incuriã laborantiũ ægre ferunt.interim uero calli inductio acceleratur. Deligationis aũt modus similis, ut plerisq; alijs est. nã & cerato,& plagulis,& linteis mollib. medendum est.& hæc insuper curanda sunt.insuperq; animaduertendũ in hac tractatiõe & plagulas plurimas supra eminẽtẽ partẽ imponi debere: & fascijs plurimis ea maxime in parte cõprimi oportere. Sunt autẽ nonnulli qui cõprobarũt iam plumbũ quoddã graue superalligari, quo superextantẽ partẽ deorsum cogerent. intelligunt quidẽ fortasse neq; illi qui simpliciter deligãt. Sed neque hic modus fracturæ iuguli est accõmodatus,quippe cũ fieri nõ possit, ut quod eminet, deprimatur, q̃d alicuius momẽti sit. Alij uero quidã sunt,qui cum cognouerint huiusmodi deligatiões erraticas esse, & nõ secundũ naturã eminẽtia deorsum cogere: deligant quidem etiã ipsi plagulis & linteis utentes,non secus atq; alij,sed mitella quadã cincto homine ea parte qua cingi aptissime potest,cum plagulas supra eminentiam fracturæ imposuere, ita ut extuberent, initiũ fasciæ ex anteriore parte cinctui alligãt: atq; ita eam è directo iuguli productã in posteriorẽ partẽ conuoluũt:atq; ibi cinctui circumiectã in anteriorem partẽ rursus, ac rursus in posteriorem reducũt. alij autem non cinctui circumijciunt linteum, sed interfemineo:atq; inde per sedem, & spinã traducendo ac circũuoluẽdo fracturã cõprimũt. Sed hæc quidẽ non experto dum audiuntur, prope ad naturalem modum accedere uidentur:utenti uero inutilia euadunt.non

A enim sunt stabilia ullo tẽpore, etiã si iaceat quispiam. licet enim ita quàmmaxime sint, si quis tamẽ iacẽs uel crus inflectat, uel ipse inflectatur, fasciationes omnes mouentur: & alioqui molesta deligatio est.

Cum causam dixerit cur cito huiusmodi ossa cõglutinẽtur, cur inductio calli celeriter efficiat, propterea non explicauit, quia ex ipsorũ ossium natura de quibus est sermo, intelligi potest. quæ enim cassa sunt, plus humiditatis in se habent: qua effusa, ut superius diximus, & à facultate quæ in osse est, coagulata, callus circa fracti ossis oras cõcrescit, quod ubi satis effectum est, oræ ipsæ constrin- B guntur, ac colligantur, nõ ex intima parte atq; alte osse conglutinato, quemadmodum carnes solent: sed sicut dictum est, in exteriore tantũ superficie quasi uinculo quodam conferruminato. cætera omnia si quis animum aduertat, patent.

66 Nam & sedes intercluditur, & lintea uniuersa in hac angustitate colligũtur. cingula præterea nõ ita firmiter accincta sunt, ut ea quæ ipsis circumijciũtur, nõ elabi sursum cogãt: atq; ita necesse sit, ut fasciationes omnes laxentur. quãproxime uero aliquis facere uideretur, licet magna nõ faceret: si aliquibus linteis circa cinctũ datis, plerisq; alijs ad priorẽ illã deligationẽ uteretur. sic C enim maxime fasciæ & stabiles sunt, & sese mutuo tuẽtur. pleraq; quidẽ quę ijs quibus iugulũ fractũ est, cõtingunt, dicta iam sunt. sed illud quoq; aduertendũ est, iugulũ ita plerunq; frãgi solere: ut os quod à pectore est, in superiorẽ partẽ emineat, quod est à summo humero, in inferiore subsidat, cuius ea ratio est, quòd pectus neq; inferius multo abire, neq; superius potest.

Quod inquit in angustitate, id est στενυγροχωρίᾳ quasi locangusthumiditatem dixeris, cõpositum nomen nõ est, ut quidam opinantur, ex loco & angustia & humido. sed ex στενυγρῷ, id est angusthu- D mido. quod tamen nihil amplius quàm angustum significat, per paragogem uetusto more ita producto uocabulo. atque inde στενυγροχωρία nihil amplius quàm loci angustiam notat. perspicuũ hoc esse ex Simonidis etiam carminibus potest: quæ in hunc modum se habent.

Non sic opacis quispiam unquam in montibus
Pauisse fertur sæuæ occursu pardalis,
Angusthumida iter solus iniens semita:

στενυγρῷ enim hic quoque pro στενῷ, id est angusthumida pro angusta tantum positum esse manifestum est.

67 Articuli enim qui est in pectore paruus crissatus est.

Leuem quandam motionem crissatum, id est

κιγκλισμὸν

κιγκλισμὸν uocat. siue aũt à Crissa aui quam mota cillam dicunt, & græce κίγκλον, nomen hoc deductum sit, quæ pennas in cauda assidue motat, atq; agitat: siue ab alia aliqua re: cõsiderare ad præsens propositum minime spectat. sed magis conuenit, ut causam inquiramus, cur iuguli dearticulatio quæ ad pectus est, cum ex minimis nequaquã sit, sicut aliæ aliquæ: motionem tamẽ nullam habeat, quæ digna existimatione sit. quam rationem huiusce rei afferat Hippocrates ipse, audiamus. sed aduertendum, pectus hic non pro tota anteriore thoracis parte sumptum uideri, sed pro medio tantum osse, quo cum costæ dearticulantur: quod posteriores medici proprio uocabulo στέρνον quasi stratum appellant: ita enim inquit:

68 Ipsum enim pectus & sibijpsi, & spinæ dorsi est commissum.

Sibijpsi cõmissum esse pectus, quod stratum dicunt, manifeste apparet. spinæ dorsi uero etiã esse coaptatũ aperte intelliges, si in arefacto animalis cadauere costas à posteriore parte spinæ dorsi, ab anteriore strato huic innixas euidẽter inspexeris.

69 Proxime quidem iugulũ ad humeri articulum natabile est: cogitur ẽm frequentem motionem habere ex summi humeri connexione. preterea cum uulneratum fuerit, pars quæ pectori inhæret, in superiorem partem elabitur: neq; admodum in inferiorem deprimi potest. quippe cum natura leue sit, & supra ipsi q; infra inanitas laxior pateat. at humerus, & brachium, & quæ his annexa sunt facile à costis & pectore absolui queunt: ac propterea & longe superius, & inferius abire possunt. quando igitur fractum est iugulum, os quod ad humerũ est, deorsum inclinatur. procliuius enim ei est simul cum humero et brachio deorsum defluere, quàm sursum ferri. Cum igitur hæc huiusmodi sint: desipiunt sanè illi qui supereminentem ossis partẽ deorsum depelli posse existimant. nam id quod infra est, ad superius applicandum esse perspicuum est. quippe cum id sit, quod moueatur, quod'q; à naturali sede excesserit. patet itaq; cogi id nullo alio modo posse. deligationes siquidem nihilo magis appellunt quàm repellũt. si uero quis brachium costis quammaxime adhærens sursum protrudat, sic ut q; acutissimus humerus esse uideatur: ita planè fiet, ut ad os quod à pectore est, unde fuerat auulsum, coaptetur.

Translatis, & uetustis linguarum nominibus, quamuis ciuili loquutione utatur, uti Hippocrates consueuit. tale quid Xenophon etiam facit. nam ille quoq; licet ciuiliter sicut quisq; alius, eloquatur: uetusta tamen sæpenumero & translata uerba interserit. at rarius quidem in eo frequentius in Hippocrate hoc reperitur: quemadmodum in superiore oratione crissatum dixit, in hac, natabile: quod uerbum idem est atq; infirmum, & stabilimento carens. quemadmodum etiam quod infertur, declarat: cum inquit. cogitur enim frequentem motionem habere ex summi humeri connexione. summus uero humerus ex articulo humeri frequenti motione preditus est. quippe cum minime intẽtus sit, motusq; maximos habeat. quod uero in principio dixit-proxime- ambiguum est, utrum ad locum, an ad rem ipsam referendum sit. nã uel proxime ad articulũ mobile esse iugulum intelligemus, quod mihi esse rectius uidef: uel ut alijs magis placet, aduerbiũ hoc-proxime-ad natabile & mobile erit coniungendũ: ut talis oratio euadat. quàm proxime natabile iugulũ iuxta humeri articulum est: hoc est quàm proxime ad frequentem motionem agitationemq; accedit.

70 Si igitur aliquis legitima deligatione usus, ut celeriter consolidetur: reliqua omnia excepta antedicta figuratione uana esse existimet: is & recte intelliget, & citissime atq; optime curabit. si homo tamen cubet, multum refert. & dies, si quiescat, quatuordecim satis: uiginti quàm plurimi sunt.

Legitimam deligationẽ uocat ab omnibus usitatam, quæ quasi lex quædam non scripta iam sit. ita enim & in uitæ communione consuetudines quædam & institutiones quæ ab omnibus obseruantur, legibus similes euadunt: et νόμιμα, id est legitima, seu instituta appellantur. fracturis enim accommodatam deligationem nõ omnes, ut pare-rat, cõficiebant: ac propterea plura de ea in primo libro De fracturis cõscripsit. hic uero nulla huiusmodi affectiõi alicui deligatio adhibetur. nã sicut & prius in cõmentarijs in eum librum æditis demonstratum à me est, & nunc etiam fuit repetitũ: omnes affectiones quæ modo deligationis fracturis accommodatæ subijciũtur, in eo libro ab Hippocrate fuerunt cõmemoratæ: quæ uero alteram deligationem requirunt, in hoc exponuntur. fit siquidem fracturis apta deligatio, cũ lintea soli fracto membro in spiram circũducimus. altera autẽ, cũ in alias quoq; partes, & plerunq; eas quæ membro affecto oppositæ sunt fasciæ conuoluuntur. quemadmodum in libro De ijs quæ in medicatrina fiunt, etiam dicit. Humeri deligationi ea quæ per alteram alam fit, circumductio consentit.

71 Quòd si alicui contrario modo iugulũ fractũ sit, id quod non sæpe euenit: sic ut os quod est à pectore, subeat, quod est à summo humero, supereemineat, superstetq; alteri: nullo magno negocio in curando opus est. ipse enim humerus dimissus & brachiũ ossa cõmittere inter se potest. & quælibet

uel uulgaris deligatio est satis. pauciq; ad callum contrahendum dies sufficiunt.

Superius dixit, plerunq; fieri, ut cum iugulum totum per trāsuersum abrumpitur, pars ossis quæ à pectore est, in superiorem locum elabatur: altera uero quæ est ab humero, inclinet inferius. nunc de altero modo scripsit qui rarius contingit, cum eminentius à parte humeri, depressius à pectore os euadit: quod facilius curatu esse inquit. humero siquidem ipso demisso fit, ut iuguli quoq; pars quæ summo humero est annexa, simul cū ipso deorsum sequatur: alteriq; ita æqualis effecta deligationem, & curationem idoneam admittat.

72 Sin autem ita fractum non sit, sed in latus uel hac uel illac fuerit elapsum: restituere in naturalem situm oportebit, humero unà cum brachio sublato, sicut etiam antea dictum est. ubi uero in pristinam naturam redierit, reliqua medicina celerrima erit. pleraq; quidem alternata sursum compulsum brachium dirigit.

Intelligendū tibi est de osiū in interiorē uel exteriorem partē recessu dictum hic ab Hippocrate esse. sed ex me illud cognoscas, intus in corporis profunditatem, extra ad cutem esse accipiendū.

73 Quæcunq; uero ex superioribus uel in latus elabuntur, uel deorsum: ijs directio præparatur, si homine supino collocato medio inter scapulas dorso paulo sublimius aliquid subijciatur, sic ut pectus anfractum quammaxime sit: brachiumq; ei ob costas porrectum aliquis attollat. medicus uero altera manu in caput brachij impressa uola repellat: altera fracta ossa componat. ita enim quammaxime in naturam restituitur. cæterum id quod dictum iam est, superius os in inferiorē partē subire facile admodū solet. plerisq; igitur ubi deligati fuerint, figuratio

A ipsa opitulatur: cum ad costas gibbo cubiti detento sursum humerus propellitur.

Quando pars iuguli pectori commissa uel in latus, uel deorsum elapsa est: tunc inquit præparari directionē, si quis supino homine collocato inter scapulas sub ipsa dorsi spina uidelicet ceruical, aut puluinū, aut tale aliquid supponat: ut ea parte totus thorax recuruatus ac circumflexus efficiatur. anfractum enim circum circa inflexum appellat. qua uoce etiam poeta utitur, cum inquit:

Anfractum mensis super incidit.

in hunc modū igitur figurato homine uult, ut medicus altera manu caput brachij costis prætenti ac diducti in exteriorē partem repellat. ita enim fiet, B ut fractæ osis partes maxime disiunganẽ: cū ad id etiam circumflexa illa figuratio non parum conferat: altera uero, iuguli partes inter se cōformet, ac componat. in sequenti oratione melius aliquādo inquit esse, si ad pectus cubiti gibbus adducatur.

74 Nōnullis uero humerus in superiorē partē propellendus est, ut est dictū: gibbus aūt cubiti ad pectus adducendus, ita ut manus ad summū humerū sani brachij detineatur. et si cubare tolerat, opponendū aliquid est quod obfirmet, ut humerus in suprema parte permaneat: si deambulare uult, funda ex mitella facta circa acutam partem gibbi C inserenda, ac collo appendenda est.

Huiusmodi figuratio in exteriorem partem caput brachij abducit: ut pars quoq; iuguli quæ summo humero coniuncta est, simul cum eo abducatur. sed ut plurimum huiusmodi figuratione opus nō esse inquit. satis enim priorem esse ad directionem faciēdam, cum ad costas gibbo cubiti detento, non ut nunc ad pectus adducto, brachium suppellebatur. Ad pectus itaq; adducere, nō uelut inutile solum, nobis fugiendū est, sed ueluti etiā superuacuum, quum pleraq; prior operatio corrigere posit. Si uero prior ea in agendo non successerit, ad secundam transire postea poterimus.

GAL. IN LIBRVM HIPPOCRATIS
DE ARTICVLIS COMMENTARIORVM
Liber secundus.

DE GIBBO CVBITI.



VM gibbi cubiti articulus dimotus aut subluxatus ad costas aut exteriorem in partem est, acuta eius parte in concaua brachij subsistente, in rectum extendendus: quodq; eminet, retro et in latus repellendū est. cum uero perfecte excessit nec hac uel illac, extensio ea adhibēda, qua brachium fractum deligatur. ita enim incur D ua gibbi pars minime prohibebit. excidit autem maxime uersus costas: directio uero eius est, si quam plurimū abducendo ne caput brachij cornicē cubiti attingat: suspensum ita circumagamus et circūflectamus, et non in rectum extendamus: simulq; in contrariū in utranq; partem impellamus, in sedemq; ita compellamus. in his confert etiā si gibbus partim in supinam partim in pronam contorqueatur. curatio postea ex figuratione ea est, ut paulo superiorem manum

gibbo

gibbo cubiti: brachium uero ad costas habeant. sic & appensio, & positio, & gestandi facilitas, & natura, & usus in communi sunt: si modo praue callus non increuerit. increscit autem celeriter. linteis uero curatio fit lege articulari, ut & acuta etiam pars insuper deligetur. rebellacissimus autem gibbus cubiti hic est, febresq; ac dolores, & meræ bilis uomitus mouet: atq; id maxime, si in posteriorẽ partẽ, ob torporem: secũdo, si in anteriorẽ ꝓlapsus sit. eadẽ utrisque curatio. sed repositiones, si retro abijt ut extentũ totum brachiũ intendamus. signum aũt est ꝙ ita excesserit, cum extẽdere totum brachiũ nequeunt. cum uero conflectere id non ualent: ꝙ in anteriorẽ partem exciderit cubitus, indiciũ est. unde his conuolutum aliquid durum ab anteriore parte imponendum, ac super id, ubi extenderis, repente cubitus inflectendus est. Dissidentiæ autem ossium nota est: si iuxta uenam quæ ad brachium discinditur, attrectaris. Sed hæc cito callo circumdantur. ab ortu sanè ossa quæ infra noxam sunt, breuiora euadunt: plurimum iuxta cubitum: secundo iuxta manum: tertio iuxta digitos. brachium quippe & humerus ob uersionem potiora, at altera manus ob opera adhuc potior est. si extra excidit articulus, in interiore parte caro imminuitur. sin minus, in contraria parte, quàm exciderit. si extra uel intro excesserit, extensio in communi figuratione brachij ad cubitum faciẽda est. alæ enim habena subiecta retrahendũ est, summo uero gibbo iuxta articulum pondus aliquod appendendum, uel manibus depellendum. atque ita suspenso articulo palmis coaptationes fiunt, ut in manibus. Deligatio in hac figuratiõe, et appensio, & positio. At cum in posteriorẽ partẽ excidit, repente extento brachio palmis dirigendum: simul aũt & in directione, alijs opus est. cũ in anteriorẽ, supra linteũ in tumorem cõuolutũ conflectendum, ac simul dirigendũ: sed si in alterã partẽ inclinetur, in directione simul utraque facere oportet. medelæ uero communis figuratio, & deligatio est. possunt etiam ex distentione communiter omnia coaptari. repositiones aũt aliæ ex suspẽsione, aliæ ex extensione, aliæ ex circumuagatione reponuntur: atq; hæ ex excessibus fi-

A gurationum uel hac uel illac celeriter fiunt.

DE MANV.

2 Manus articulus uel intro, uel extra prolabitur: sed plerunq; intro. signa aperta sunt. si enim intro excidit, conflectere: si extra, extendere digitos nequeunt. repositio fit, si digitis supra mensam positis in diuersas partes extẽsio efficiatur: os uero eminẽs uel palma, uel calce simul retrudatur, & in anteriorem partem et inferiorem trudatur. ab inferiori aũt parte ad alterum os inuolucrum aliquod molle, si supra est, pronæ ma-

B nui, si infra, supinæ est subijciendum. curationẽ postea linteis peragimus. at tota manus uel intro uel extra, uel hac uel illac, potissimum tamen intro luxatur. interdum etiam appẽdix ipsa dimouetur, interdũ alterum ex ossibus dissidet. his ualida extensio adhibenda est. tum quod eminet, trudatur: alterũ uero os duob. modis simul in posteriorem partẽ & in latus uel manibus supra mẽsam, uel calce retrudatur. Quæ rebellãt deformia euadũt: tẽpore tamẽ ad usum corroborãtur. curatio his quoq; linteis adhibetur, cũ manu & cubito: ferulæq; usq; ad di-

C gitos apponuntur. hæc in ferulis deligata frequẽtius ꝙ fracturæ resoluenda, & perfusione copiosiore fouẽda sunt. ab ortu breuior manus euadit: carniũq; imminutio cõtraria in parte ꝙ qua est ꝓlapsio effecta, maxime cõtingit. at adulto iã ossa permanent.

DE DIGITIS.

3 Digiti articulus cũ prolapsus est, facile patet. reponitur uero, si in rectum extendatur, quodq; eminet trudatur, & cõtrarium retrudatur. curatio uero mitellis, & linteis fit. si nõ reuersus fuerit, extra callum obducit. quæ aũt ab ortu, aut in auctione luxata

D sunt ossa, infra prolapsionem breuiora efficiuntur: minuunturq; carnes cõtraria præcipue in parte ꝙ in quam exciderunt. ei uero qui iam est adultus, ossa permanent.

Explanatio desideratur.

DE MALA.

4 At mala paucis iam perfecte luxata est.

Malam, id est γνάθον quæ bucca etiam dicitur, dissectionis professores partem illam uocant, quę sub ea est, quę mala proprie nũcupatur. mala enim proprie est id quod sub oculis leniter rotũdũ ad mali similitudinem prominet. Hippocrates uero sicut superius humeri articulum dixit pro articulo qui in humero est: ita hic quoq; de articulo malę loquens

quens, inferiorem maxillam malam nuncupauit. A Poeta etiam malas pro maxillis ponit, ubi inquit:
Ambabus feriens manibus ſic uerbere cunctos
Ceu ſuis, excuterem è malis per gramina dentes.
Malas hic maxillas manifeſte appellat. quinetiam ipſe Hippocrates malas deinceps in ſequentibus eas uocat. Sed de appellatione hactenus. cur uero paucis luxari maxillam dixerit, ipſe iis quę ſubiungit, declarat, quibus animum aduertito.

5 Os enim quod à ſuperiore mala procedit cum eo ſubiugatur: quod ſub aurem innectitur: quod capita malæ inferioris interdudit: cum altero capite ſuperius, altero inferius ſit. extremæ uero inferioris malæ partes altera ob longitudinem nõ facile exſinuari poteſt: altera eſt cornix, quæ ſuper iugamentum excedit.

Dictum à me etiam ſuperius eſt, & in explanatione de cubito, & in primo cõmentario, ſi quis ea quæ ita ab Hippocrate dicuntur, planè non intelligit: ei oſſa præcipue hominũ, ſin minus, ſimiarum oſtendenda eſſe. neq; id faciendum nunc quando librum hunc legit, ſed antea per ocium. diximus item à nobis librum quoq; De oſſibus ad eos qui introducuntur, fuiſſe conſcriptum: & qui percipere uult quid in his libris Hippocrates dicat, melius eſſe, ut prius in illis ſit exercitatus. ſicut igitur ſuperius etiam ſcripſi, nunc mediã quandam docendi rationem ſeruabo: tam eorum qui uiderunt, q̃ qui non uiderũt, habita ratione. ita enim fiet, ut & qui uiderunt, longitudine orationis nõ moleſtentur: & qui non uiderunt, exactæ diſciplinæ, quæ abſq; oſsiũ inſpectione fieri nõ poteſt, quaſi deſcriptionem quandã habeant. intellige igitur, partem oris quæ ad dentes mouetur, inferiorẽ maxillam, quæ motu caret, ſuperiorẽ eſſe. ab hisq; oſsibus dentes pro magnitudine & multitudine contineri. è ſuperiore autem mala tenue quoddã os procedere coaptariq; tenui alteri, quod ex oſſe eo promittitur, quod auditoriũ meatum cõtinet. qua uero utraq; hæc oſſa inter ſe cõmittuntur, ſimilem futuræ eſſe articularẽ coaptationẽ. Os itaq; hoc tenue quod ſuperiorem maxillam capiti coniungit à diſſectionis peritis iugamẽtum, ſeu iugale os nuncupatur, quandoquidem etiam ipſe Hippocrates, cum dicat ſubiugari, oſtendit duo ea oſſa ab hoc quaſi iugo ſubiecto inter ſe cogi. ſub hoc iugamento ſatis magna cauitas eſt. quã alter ex inferioris maxillæ proceſsibus occupauit: quem κορώνην, id eſt cornicem & κόρωνον neutro genere uocant. alter enim proceſſus eſt, quo maxilla cum oſſe capitis iuxta aurem dearticulatur. ſed hic breuis longitudine, alter longior multo eſt. utroſq; hos medium porrectum iugale os diſtinguit: ita ut breuiore ſuperius; longiore inferius ſit. hos inferioris maxillæ proceſſus capita hic nominauit Hippocrates, cum inquit, iugamentum eſſe quod capita intercludat, id eſt diſtinguat inter ſe hos proceſſus, ac ſeparet: alteri ſuperpoſitũ, & alteri ſubiectum, perſpicuum igitur ex his eſt, fieri non poſſe ut à propria dearticulatiõe inferior maxilla excidat, niſi cornix eius infra iugamentum elabatur. ſed neq; ſi id contingat tantum, luxationem efficit. aperto enim ore in propriam ſedem rurſus reuertitur. unde ſi luxatio fieri debet, oportet ut prohibeatur, quominus redeat: id quod fit, ſi in latus diſtorqueatur. recte igitur deinceps inquit, niſi quis maxime hiando maxillã in latus diſtorqueat, fieri, ut excidat minime poteſt. nam neq; ipſa cornix abire infra iugamentum ualet, niſi inferior maxilla à ſuperiore quamplurimum diſtet: id quod in maxime hiando euenit, neq; ſine diſtortione in latus reditus in propriam ſedem prohibetur. & ob hæc igitur difficulter excidit, & quia ualidi muſculi ſunt, qui ipſam ſuſti- B nent: de quibus dicentem ipſum audi.

6 Præterea ex utriſq; his extremis neruoſi tendones exoriuntur: ex quibus annexi muſculi ſunt, qui temporales, & manducatorij appellantur.

Quæ prius capita inferioris maxillæ dixerat, nũc extrema appellat: ex utriſq; his neruoſos tendones exoriri aſſerens. uocare autem ſolet tendones, id eſt τένοντας fines eos muſculorũ, quos diſſectionis profeſſores proneruationes, id eſt ἀπονευρώσεις nuncupant: qui quidem mediis partibus ſunt neruoſiores: inter ſe tamen in eo differunt, quòd aliquando plus, aliquãdo minus uel carnoſæ, uel neruoſæ ſubſtantiæ in ſe habent. quando ſa- C nè carnis ſubſtantia amplior ineſt, carnoſam proneruationem, quando paucior, neruoſam appellant. nunc igitur quia in his neruea ſubſtãtia quàm carnea amplior eſt, merito neruoſos tendones è capitibus maxillæ exiſtere inquit. ex altioribus ſiquidem partibus infernæ maxillæ annexos eſſe muſculos inquit, qui temporales & manducatorij, ſeu manſorij uocantur. utrum autem eoſdem muſculos utriſq; his nominibus appellet, an alios temporales, alios manducatorios eſſe uelit, incertum eſt. nam poſteriores diſſectores eos temporales, ſeu malis, temporinos nominant, qui ex oſsibus temporum capitis exoriuntur: quos, dum intenduntur, committere, ac claudere os manifeſte conſpicimus. alios uero qui latis inferioris maxil- D læ partibus ſuperiecti ſunt, utrinq; alter: propterea quòd in manducãdo maxillam circumagunt, manducatorios uocant: cũ illi qui è ſuperiore parte deferuntur, efficere id minime ualeant. attrahũt enim eam ſurſum tantummodo, non traducere etiam hac illac queunt. unde in cõmittendo quoq; ore ipſorum auxilio indigemus: quando uidelicet uel anterioribus dentibus mordendo, uel caninis qui appellãtur, abſcindere aliquid uolumus. nam cum molaribus ſubiectum cibum confringere, ac conterere ſtudemus, manducatio opus id uocat, à muſculisq; efficitur, qui latis maxillæ partibus ſuperiecti in latus hac illac maxillã traducunt. cõſentaneum igitur eſt, ut hi manducatorij appellentur: illi uero temporales, qui à temporũ oſſibus deſcẽdentes neruoſos tendones comprehendunt, cor-

nicemq; maxillæ circum circa totam circumdant. A
Quin etiam aliud quoddã musculorũ par est, intra os constitutũ: qui superiore exortum ex alaribus ossibus quę πτερυγοειδῆ appellãt, & ex tota ipsis adiacente cauitate habentes inferiori maxillæ ea maxime parte innectuntur, unde processus ad dearticulationem ascendit. hi musculi ita ad manducatorios pertingunt, quos extrinsecus supra latas maxillę partes intẽtos esse dixi: ut intrinsecus utrinq; alter latum id maxillæ occupent. cum igitur Hippocrates inquit- præterea ex utrisq; his extremis neruosi tendones exoriuntur: ex quibus annexi musculi sunt, qui temporales, & manducatorij appellantur- nullam hic fecisse de illis mentionẽ manifeste uidetur, qui extrinsecus maxillæ superijciuntur: sed ad duo ea paria intelligenda nos inducit: quorũ alterum ex extremis maxillæ partibus: B
alterum ex cauitate quæ iuxta alaria ossa sunt, euidenter exoriuntur. nam hi alterum maxillæ caput quod dearticulatur, attollunt. aliud uero illud par, quod cornices circũdare undequaq; dixi, eadem hæc extrema ad caput attrahunt.

7 Ob hoc autem uocantur, & ob hoc mouentur, quia inde annexi sunt.

Cum manducatorios uocari dixerit antedictos musculos appellationis huius causam subiungit. nam quia inde annexi sunt, id est ex maxillę extremis partibus, propterea & mouentur dum mandimus: & manducatorij uocantur.

8 Nam & in comestione, & in loquutione & in alio oris usu superior mala quiescit. C

Inferior maxilla sola est, quæ mouetur: cum duo anteriores circa collum musculi ipsam à superiore abducant: manducatorij uero adducãt, atq; admoueant. qui merito euidentem motionem habent, quia maximo ossis motui inseruiũt: ob eũq; motum manducatorij à uehementissima inferioris maxillæ operatione nuncupati sunt. nam motio quæ in loquutione fit, imbecilla est.

9 Cõnexa eñ capiti est, non dearticulata. inferior aũt mala mouetur, quippe cum et à superiore mala, & à capite abarticulata sit.

Nonnulli non συνήρτηται, id est connexa est, sed συνήρθρωται, id est coarticulata est, legunt: propterea quòd coarticulationẽ quoq; ossium commissionem naturalem esse uult: quæ exiguum & obscurum aliquando, aliquando nullum motum præ se feret. sicut dearticulationem eam coniunctionem naturalẽ ossium uocat: quæ euidentem motum habent. in hac autem oratione cum abarticulatã eam esse dicat, abarticulationẽ, id est ἀπάρθρωσιν idem esse cum dearticulatione ostendit. D

10 Cum aũt in conuulsionibus & rigoribus hic primum articulus cõtentus significationẽ faciat: cur item ictus in tempora inflicti letales, & sopientes sint: alibi dicetur.

Cum posset breuibus rem explicare, & dicere: quia quæ circa hunc articulum sunt, prope ad neruorum originem accedunt: ideirco fieri, ut articulus hic in conuulsionibus primum incipere conspiciatur, ictusq; sopientes patiatur: cur id distulerit, nescio, nisi fortasse cum demonstratione id sibi faciendũ censebat: ostendendumq; sibi esse neruos à cerebro exorientes eò innecti. id quod planè cõmemorare præsenti doctrinæ nõ erat necessariũ: ut propterea integram de hoc tractationem alibi scribendam distulerit.

11 Quòd igitur non admodum luxetur, hæc in causa sunt.

Quænam hæc sunt? prædicta nimirũ: quę duobus capitibus cõtinentur, & natura ossium, quam commemoraui, & robore musculorum.

12 Sed in causa quoq; illud est, quòd non admodum fit, ut tales necessitates ciborum inuadant, ut hiare homo supra quàm possit, cogatur. excidere uero ex nulla alia figuratione potest, nisi hiando quammaxime maxillam in alteram partem quispiam traducat.

Ad duas causas quas ante exposuit, cur maxilla raro excidat: tertiam nunc adiungit. quòd fieri nequit, ut luxatio contingat, nisi quammaxima oris apertio efficiatur. aperire autem id quamplurimum sæpe non est opus. duæ enim talis operationis necessitates sunt, cum uel maximam rei alicuius molem ore excipere quispiã uult: uel oscitando quammaxime potest, os diducit, quorum primum raro contingit: secundum euenire dementibus tantum potest. nam diuiti Placino euenire id aliquando conspexi, cum quamplurimum posset, os apertum in latus traduceret. frequenter enim in eam figurationem formare os consueuerat. & quasi egregium quid esset: sponte magis semper quàm antea fecerat, hiare nitebatur.

13 Ad excidendum tamen id facit, quòd quicunq; nerui & musculi sunt iuxta articulos, uel ab articulis à quibus colligantur, si in usu sæpe moueantur, idonei quammaxime fiunt, ut ad extensiones cedant. quemadmodum etiam pelles quæ optime maceratæ sunt, quãplurimã distentionẽ admittũt.

Quantum ad antedictas causas spectat, uel nunquam uel admodum raro maxilla erat prolapsura. non tamen ita est. sed raro quidem excidit, non tamen, ut quamplurimi nostrum non uiderint, sicut ea sunt quæ rarissime contingunt. ex frequenti enim dearticulationis motu fit, ut musculi & nerui intendantur: promptioresq; ad extensionem multo sint quàm ea quæ raro ad motionis necessitatem deueniunt. non secus inquit ac pelles optime maceratæ, id est optime emollitę quamplurimum extensionem admittunt. nam etiam Poeta τῷ δεψεῖν, id est macerandi uerbo utitur pro mollire: cũ ait. Nam flaua cera macerata, &c.

14 Sed de quo est sermo, mala quidem raro excidit: sæpe tamen in oris hiationibus

decutitur

decutitur: ſicut aliæ muſculorum & neruorum alternationes hoc faciunt.

Decutitur, id eſt χάται quid ſignificet, intelligemus: ſi ijs quæ dicuntur attendamus. inquit enim ſicut aliẹ muſculorum & neruorum alternationes hoc faciunt: ut decuſsio hæc de qua loquitur, muſculorum quoq; & neruorum abſq; ulla articulatione affectio eſſe cognoſcat, quæ cuiuſmodi ſit, ex eo patet, quòd alternationes inquit. ſignificat enim ex naturali ſitu in alterum transmutari, atq; id repente. nam paulo etiam poſt hoc ſignificare oſtendit: cum inquit deinde ſtudium adhibẽdum eſt, ut tribus figurationibus ſimul repente decutiamus, id eſt repente priorem figurationem mutemus. Quinetiam nunc & in Coo & in omnibus ferè Græcanicis urbibus χασηλαν uocant, quaſi de curſorium dixeris, prætentũ funem in curriculis, quo carceres ſtatuunt, ubi qui curſuri ſunt, omnes aſtant: eo quòd quando emittuntur, repente decutitur, & decidit. & in palæſtra quoq; decutere manum, id eſt χάσαι nihil aliud eſt, quàm è priore ſtatu in alterum confeſtim ferre, ac mouere. decutere igitur maxillam cum dixeris, id ad muſculorum affectionem referendum eſt, cum in repentinis agitationibus immutantur, & alternãtur: ſic ut priſtino ſitu minime ſeruato aliqua ex parte diſtorqueantur: aliqua intendantur.

15 Quando uero excidit, his præcipue indicijs manifeſtũ fit. prominet inferior mala in anteriorem partem: in cõtrariumq; quàm lapſus contigit, promota cõſpicitur. oſsisq; cornix ad ſuperiorem malam turgidior apparet: quiq; hoc patiuntur, cõmittere malas ægre poſſunt.

Dictum à me etiam prius eſt, os illud quod uocatur iugale, ſeu iugamentum ſuperiori parti eſſe obiectum: ubi cornix maxillæ eſt: quæ niſi in alteram partem pręterferatur, ad propriam ſedem maxillam eſſe rediturã. neceſſe igitur eſt, ut cum maxilla aliquãdo excidit, cornix extra iugamentum feratur. quippe cum nullam aliam quò delabatur, ſedem habeat. quare merito ad ſuperiorẽ malam ubi iugamentũ eſt, eminentior apparet. quod quidem iugamentũ ubinam maxime cõſtitutum ſit, cognoſcere manifeſte poteris: ſi in macilentis hominibus inter temporalem muſculum, & malam inſpexeris. quod enim in medio horũ prominet, iugamentum eſt. huius igitur ſitu obſeruato, ubi aliquẽ uideris qui claudere os nequeat, maxillãq; in anteriorẽ partem prominentẽ, atq; in obliquũ uerſam habeat: da operam, ut & oculis & digitis diligenter ſcruteris, an iuxta malam & iugamentum eminere cornicem deprehendas. nam ſi id inueneris, maxillam lapſam eſſe certo dignoſces.

16 Repoſitio his qualis ſit accommodata perſpicuum eſt. debet enim alter caput uulnerati continere: alter inferiorem malã hiante homine quantũ moderate poteſt, ad mẽtum & intus & extra digitis apprehenſam, prius aliquantiſper, hac illac agitare: & tum ipſe manu in latus promouere, tũ ægro iubere ut laxam malam tenens promoueat, et promouenti obſequatur quammaxime.

Iis qui ſtructuram horum membrorũ quæ commemorauit, ex diſſectione diligenter inſpexerũt, manifeſta hęc repoſitio eſt. ad quos etiam ipſe ſpectans ita dixit. quæ etiam deinceps de repoſitione dicuntur, clara omnia ſunt. niſi ubi unum, aut duo incidunt uerba, quæ annotabo.

17 Deinde ſtudium adhibendum eſt, ut tribus figurationibus ſimul repente decutiamus. nam & à diſtortione in naturalem ſitum promouenda, & ſimul retro agenda inferior mala eſt. æger uero his obſequẽdo cõmittere os, non hiare amplius debet. Ac repoſitio quidem hæc eſt, quæ ne alijs quidem figurationibus fieri poteſt. medicina uero poſtmodum breuis ſufficiet. plagula enim cerata impoſita laxam deligationem adhibemus. tutius tamẽ adminiſtrationem hanc exercemus: ſi homo ſupinus reclinetur, caputq; obfirmet ſubiecto ſcorteo puluino bene farcto: ut quamminimum cedat.

Poſteaquã tracta deorſum maxilla, atq; à ſuperiore quantum fieri poteſt, abducta, muſculos & neruos prius agitauerimus, ac mollierimus: quod ipſe iubet, faciendum eſt: & repente decutiendum, id eſt repente & ſimul articulus in directum ad naturalem ſedem propellẽdus: quod ubi factũ eſt, ſtatim rurſus retroagendus. atq; ut cõmittat os æger, iubendum eſt. antea enim ipſum hiare uolebat, laxamq; malam exhibere, id eſt nullum ex muſculis intendere: eo quòd id & ad agitãdos muſculos & neruos, & ad diſtortam maxillam in naturalem ſedem repente promouendam, & ad eandem retroagendã, opportuniſsimũ ſit. ubi uero utraq; maxillę extremitas è directo ad ꝓprias ſedes redacta iam eſt, uult ut temporales muſculi cooperando ad ſe totam ipſam attrahant. operabuntur aũt, ſi æger committere ac claudere os ſtudeat.

18 Atque aliquis caput uulnerati inſuper contineat.

Dum hac illac maxilla agitatur, & in inferiorem partem abducitur: uult ut caput ægri ne ad maxillam conſequatur, miniſter cõtineat. hoc autem in omnibus quæ in diuerſas partes fiunt, extenſionibus perpetuum præceptum eſt. cum uero uulnerati dicit, idem eſt ac ſi læſi & affecti dixiſſet. Ionibus enim peculiare id eſt, ut læſiones omnes uulnera, hoc eſt τρώματα communi nomine appellent.

19 At ſi utræq; luxatæ malæ fuerint, curatio eadem adhibetur. committere autem os iſti minus poſſunt. maxillæ eñ magis prociderunt, ſed indiſtortæ tamẽ ſunt. indiſtortum

tum in his ex terminis dentiũ superiorum & inferiorum è directo correspondentium maxime deprehenditur.

Hic malas, id est γνάθυς non totam maxillam, sed utranque ipsius partem qua dilatatur, qua uero in ima eius ora nudum, ac carnis expers os extat, id maxillas, id est γένυας uidetur appellare, cum inquit. maxillæ enim magis prociderunt. sed tamen paulo post totam inferiorẽ maxillam malam nuncupauit: ubi ait. Si uero inferior mala circa compagem ad mentum diuulsa fuerit. sola autẽ hæc compago in inferiore mala est, in superiore multæ. unde significata malæ, & maxillæ apud ipsum confunduntur. Quod igitur in oratione hac inquit, huiusmodi est. Si in utrisq; dearticulationibus luxatio fit, magis quidem in anteriorem partem inferior maxilla prosilit, quàm cum in altera tantũ parte luxatur: magisq; distare à superiore apparet: nõ tamen in alteram partem retrahitur, neque distorquetur: sed indistorta permanet. id autem ex directione dentium cognoscere poteris, hoc est cum è regione sectores sectoribus, canini caninis, molares molaribus correspondent.

20 His cõfert, ut quãcelerrime reponãtur. repositiõis aũt modus dictus superius est.

Confert ut quamcitissime reponantur, prius uidelicet quàm ex musculorum intentione ad cerebrum cõtagio perueniat. modus autem repositionis quo in alterius tantum partis luxatione utendum dixit: non ex toto idem mihi in hac uidetur conuenire. tunc enim in latus & in obliquum maxilla paululũ promota fuerat: nunc æqualiter præpõderat. ut satis sit, si ubi agitauerimus, atq; in inferiorem partem eatenus traxerimus, ut cornicis uertex inferior iugamẽto efficiatur: ita demum in interiorẽ partem totam maxillam propellamus: ægroq; ut os claudat, iubeamus.

21 Si aũt nõ redierint, ex febribus cõtinuis, & segni sopore uitæ periculũ impendet.

Exarticulatio quæ altera tantum parte fit, neq; ipsa periculo uacat. quæ autem utrinque contingit, cum omnes qui inferiorem maxillam continent, musculos extendat: longe infensior est. sunt autẽ ut dictum est, quatuor. duo ex temporibus: duo ex cauitatibus iuxta alaria ossa originem habentes: qui cum à cerebro neruos accipiant, & fere ipsum cerebrum contingant, cito fit ut his affectis cerebrum quoque simul afficiatur. hi quidem quatuor musculi in luxatiõibus maxime laborãt: quippe cum principales maxime omnium sint. ut pote qui à tertio pari è cerebro neruos habeant, quod non procul à principio ipso abest. fit tamen, ut qui etiam maxillæ extrinsecus iniecti sunt ex utraq; parte exorientes, in huiusmodi luxationibus præter naturam extendãtur: qui quidem non simili modo ut quatuor illi, præcipui sunt. longius enim absunt à cerebro: & origo nerui è longinquiore spatio neq; ex eodem pari neruorum, ad hos pertingit: non paruam tamen etiam ipsi uim habent. quemadmodum reliqui quoq; musculi, qui per totum corpus sunt, licet his longe ignobiliores. Quocirca ex omnibus his uita in discrimẽ uertitur, cum præter naturam intenduntur. dolore enim affecti, & flãmati in simile malum cerebrum quoq; inducunt. cerebro uero affecto febres acutæ consequuntur: omnesq; animæ operationes læduntur. nam sopor qui κάρος dicitur, facit, ut neq; sentiat, neq; moueatur homo, neq; intelligat: sed & rationem, & memoriam, & sensum & motum quoq; qui per appetitionem fit, corrumpit.

22 Musculi enim hi cum præter naturam alterantur & intenduntur soporiferi sunt.

Satis alterutrũ ex his est ad soporem inducendum. alteratio scilicet, uel intentio musculorum, cum ex utrisq; his caro patiatur. intẽtio siquidem fit, cum fibræ quæ prius laxæ erant, omnes in rectam lineã protendũtur: alteratio, cum uel calefacti uel frigefacti, humefacti itẽ aut arefacti immoderate sunt. necnon si inflãmatione, aut erysipelate, aut putredine corripiũtur. in huiusmodi enim omnibus fit, ut in substãtia ipsa diuersificentur. intenti uero per fibras porriguntur tantummodo, et distenduntur absq; ulla substantiæ alteratione.

23 Solet itẽ his aluus biliosa mera ac pauca deijcere. & si uomunt, meræ etiam sunt uomitiones.

In acutissimis febribus mera biliosa gigni in corpore mirum nihil esse debet. quippe cum adeps et caro quæ tenera est, recenterq; cõcreta ab huiusmodi febribus tabefiat & colliquescat: sanguis uero torreatur. nam ad uentrem & intestina huiusmodi colliquationum confluxio, propria eorum est qui in neruosis partibus dolorẽ patiuntur: propterea quòd os uentriculi quod est neruosissimũ cum his simul afficitur. dictum autem recte ab ipso est, quæ sunt proxima & communia, primum & maxime affligari: & quia pati id dolores, licet parui sint, non sustinet. qui enim circa os uentriculi laborant, ijs animæ defectus euenire consueuerunt. In animæ defectibus uero tenuia omnia excremẽta in uentrem confluunt. quinetiam si id non eueniat, in uehementibus doloribus, & tristitijs talia excremẽta in uentriculũ et intestina confluere conspiciuntur. unde ea quę in uentriculum defluxere, uomitu: quę in intestina descenderunt, deiectione exinaniuntur.

24 Hi sanè etiam decimo die maxime moriuntur.

Apud alios quoq; ueteres autores tale huius aduerbij maxime significatũ interdum reperitur, quali nunc usus Hippocrates uidetur: ut proximã quantitatem rei quæ numero explicatur, indicet. perinde ac si ita dixisset. qui ita affecti sunt, plerunque decimo die moriuntur. ut si nono etiã uel undecimo decedant, uere dictũ hoc nihilominus sit. maxime uero in hoc significato sumi solere his exemplis perspicuũ tibi esse poterit. Thucydides in primo ita inquit. hæc aũt uniuersa quæ & interse

se & aduersus Barbarũ Græci gessere, annis quinquaginta maxime gesta sunt, id est fere & circiter. & in eodem quoque. abest sexaginta stadijs maxime. & Andocides in oratiõe De mysterijs canẽs, inquit, homines numero quidem maxime trecentos. Sed apud omnes Græcos multum huius aduerbij in hac significatione usum inuenies.

25 Cum uero fracta inferior mala est, si nõ est prorsus decaulata, sed os adhuc cohæret, confractum tamen est: per transuersum linguæ subiectis digitis dirigendum est: extrinsecusque sicut confert, renitendum. & si distorti dentes sint iuxta fracturã ac dimoti, ubi ossa in sedem suam fuerint collocata, non duo tantum proximi dentes, sed ulteriores quoque præcipue quidem auro, sin minus, lineo filo alligandi inter se sunt, quoad os corroboretur. deinde cerato & plagulis paucis, paucisque linteis nõ nimis compressis, sed laxis deligatio est adhibenda.

Quando fracti ossis nihil illæsum subsistit, sed absolutæ à se mutuo utræque partes sunt, sic ut nullibi cohæreãt inter se, & contineant: fracturæ hãc speciẽ recentiores medici caulatim factam appellãt: propterea quòd Hippocrates quoque hic dixit, si nõ est prorsus decaulata, id est abscissa atque abrupta. reliqua & huius orationis & sequentium manifesta sunt. si quid inciderit tamen, explicabimus.

26 Sciendum tamen deligationẽ quæ linteis fit, malæ fractæ si recte adhibeatur, parũ prodesse: si praue, magnã læsionem afferre.

Commune omnibus fracturis est prauam deligationem multum obesse: non multum uero prodesse si recte adhibeatur in maxillæ fracturis, id non omnibus ossibus cõmune est, sed illis tantum conuenit, quæ circumuolutionem fasciarum non admittunt: si quis non os affectum ita seruarit, ut à medico compositum fuit ac conformatum. in maxilla uero etiam illud accedit, quòd deligatio molestiam parit: utpote quæ semper nuda atque intecta manere consueuerit.

27 Frequenter uero iuxta linguam intrectandum est: diuque digitis renitendũ dum os confractum dirigatur. optimumque esset, si id semper posset: sed non licet. at si decaulatum prorsus os sit (quod raro quidẽ contingit) eo modo quo dictũ est, dirigi debet. quod ubi factum fuerit, dentes iungendi, sicut antea etiam diximus. id enim ut quiete permaneat, multum confert. præsertim, si quis sicuti debet suturis iniectis eos coniunxerit. At enim facile non est, ut tota manuũ operatio scriptis exquisite tradatur: sed ex ijs quæ scripta sunt imaginanda est.

Tractare, id est μαστεύειν palpare ac palpando

A & contrectando explorare significat: intrectare uero intus & in ima parte tractãdo digitis perscrutari: sicut hic ab Hippocrate usurpatur. uult enim ut iniectis in os digitis nunquid partes fracti ossis alternatæ sint, diligenter exploretur: atque ita in sedem suã redigantur, ad quodcunque cõferre uisum fuerit si in exteriorẽ partem inclinetur, manu obiecta. nõ debere autem medicum semper id facere, sed ægrotantem etiam, hic doceri manifestum est.

28 Deinde aluta Carthaginensi opus est. sed si adolescẽtior sit is, qui uulneratus est, si tergore eius utamur, est satis. in prouectioribus aũt ipsa aluta utendũ est. ex ea habenam latitudine circiter trium digitorũ, uel

B quomodocunque cõgruerit, secamus: ac sublita prius gũmi maxilla (ita enim permanet magis) ad abscissam partẽ glutino extremũ eius agglutinamus, sic ut quasi digitum, aut paulo amplius à uulnere absit: atque id in inferiore parte. habena uero è procesiõe mẽti incisa sit, ut acutã eius partem utrinque cõplectatur. tũ altera habena huiusmodi, aut paulo latior superiori malæ parti agglutinãda: quæ etiam ipsa tantum à fractura absit quantum altera: disscissaque etiam ipsa sit, ut circum circa excipere aurem posit.

C Mollem esse uult alutam, cuiusmodi tunc fortasse Carthagine aduehebatur, huius enim nominatim exempli causa mentionem fecit. quemadmodum etiam superius in libro De fracturis Aegyptiam alutam commemorauit. tergus autem, id est λωπόν, partem eam quę extima est, atque ob id durior & densior, appellari hic ab Hippocrate perspicuũ est. quo pacto uero extensione fractarum partium maxillę in diuersa utatur, ipse declarabit: si proposito huiusce rei attendamus. uult enim ut superior pars fracti ossis ad mentum: inferior sursum ad caput intendatur.

29 Deacuminatæ autem circa connexionem habenæ esse debẽt: ubi cõnectenda & alliganda capita earum sunt.

D Angustiores esse habenas quodã modo iubet sic ut sensim latitudo earum imminuatur: quo deligatio effici firmior queat. latiora enim extrema quamuis diligẽter uinciantur, stabilitatem tamen non habent.

30 In agglutinatione id obseruandum, ut caro alutæ ad cutẽ aduertatur. ita enim agglutinabilior est.

Aluta è corio animalis cõficitur: duplicemque habet naturam. quæ enim eius pars extrinsecus est cum ambienti aeri exposita sit, densior & neruosior: quæ intus est, mollior & rarior euadit. huius etiam ipsius interioris partis id quod exteriori appropinquat, minus molle est ac minus rarũ: quod uero quæ cuti subiacent, iã attingit, id magis mol-

A le & rarum & carnoſum eſt. & propterea nunc carõ alutæ ab Hippocrate uocatur: utcꝫ ea parte fiat agglutinatio, pręcipit. cũ eñ mollior & rarior ſit, ad hunc uſum quocꝫ eſſe accõmodatiorẽ inquit.

31 Poſtea intenta etiam hæc habena, magis tamen ea quæ eſt ad mentum, quàm maxime ne mala exacuetur, ſupra uerticẽ connectendæ utræcꝫ ſunt, deinde linteo circumducenda deligatio fronti eſt.

Reductis ad caput ægrotantis utriſque habenę extremis ibi ſupra uerticem faciendam deligationem cenſet. inferiorem uero magis intentam eſſe ea cauſa uult, ne maxilla, ut ipſe inquit, exacuetur, id eſt ἀποσμιλαίνῃ, hoc eſt ne in acutum procidat.

B 32 Et ſuperiectamentum adhibendum, ſicut de more conſueuit. ut deligatio firma permaneat. decubitus poſtea in ſanam malam homini faciendus eſt: ſic tamen, ut non mala, ſed capite innitatur, corpuſcꝫ ei uſcꝫ ad decimum diem attenuandũ: deinde non tarde nutriendum eſt. nam ſi primis diebus inflammatio non infeſtarit, uiginti diebus mala conſeritur. penitus enim callo obducitur, quemadmodũ cætera etiam rara oſſa: niſi ſideretur. ſed de ſiderationibus uniuerſorum oſsiũ alia longa reſtat tractatio. hæc diſtentio glutinamentis facta ſatis perdurat, C & reſeruari facile poteſt: & ad multas ſæpe directiones perquam utilis eſt. at medici qui non cum prudentia prompti manibus ſunt, cum in alijs uulneribus, tum in malarum fractionibus ſunt tales. fractam enim malã uarie tam bene quàm praue deligant.

Quod ſupra omnia extrinſecus inijcitur ligamentum, ſuperiectamentum nominat: ſiue ex ijs quæ fimbriæ appellantur: ſiue ex alijs ſimilibus conſtet. uocat autem fimbrias, id eſt παράγματα, ſicut etiam nunc appellare conſueuerunt, ſegmenta ea quæ indumentis ab ijs qui ea conſuunt, detrahuntur & reſecantur, utpote texturarum exor- D dia. quę ſane ob mollitiem ad hunc uſum maxime ſunt accommodata. ſi quis tamen his careat, ſimilibus alijs uti poteſt.

33 Omnis ſiquidem malæ ita fractæ deligatio oſſa in fracturam inclinat magis, q̃ in naturalem ſitum reducat.

Ita fractæ inquit maxillæ, id eſt caulatim & per tranſuerſum deligatio oſſa magis in fracturam inclinat, quàm dirigat. propterea quòd lintea circũ affectam partem nequeunt circumduci, ſed ab exteriore tantum parte inijciuntur.

34 Si uero inferior mala circa compagem ad mentum diuulſa fuerit. ſola autem hæc compago in inferiore mala eſt, in ſuperiore multæ. ſed nolo aberrare à propoſito. in alijs enim morborum generibus, de his dicendum erit. ſi igitur compago ad mentum diſsideat, reponere os cuiuslibet hominis eſt. quod enim eminet, admotis digitis ab exteriore parte introrſum propellendum: quod intro inclinatur, iniectis digitis repellendum extrorſum eſt: id autẽ diſtentione prius adhibita ſic ut diſtent oſſa, faciẽdum.

Maxilla inferior ex duobus oſsibus compoſita eſt ad ſummum mentum exacte inter ſe compaginatis. at ſuperior ex multis conſtat, quę coarticulatione inter ſe iuncta ſunt. huiuſmodi tamen nominum ſubtilis obſeruatio apud ueteres non erat. unde etiam hic Hippocrates iuncturas oſsiũ quæ ſuperiorem maxillam conſtituunt, ſub compaginationis ſeu cohærentiæ genus redegit, uni illi notæ attendens quòd nulla quæ ſenſui pateat motio, in huiuſmodi oſsium compoſitionibus exiſtit.

35 Facilius ſiquidem ita in naturalẽ ſitum redibunt, quàm ſi oppacta inter ſe oſſa compellere quiſpiam conetur. ubi autem in ſedem collocata oſſa fuerint, dentes hinc & inde, ſicut dictum etiam prius eſt, inter ſe ſunt alligandi, tum cerato & plagulis paucis & linteis medendum eſt.

Hoc in omnibus his cõmentarijs ſcitu dignum eſt, Hippocratis morẽ eſſe, ut quæcuncꝫ cõmunia multis particularibus præcepta ſunt, ea ubi in uno tradidit, uim rei poſtea declaret, quę ſimilibus omnibus cõmunis ſit. quemadmodũ nunc quocꝫ poſteaquam prius extendendam inferiorem maxillam monuit, atcꝫ ita conformandam, ſubiungit. facilius ſiquidem ita in naturalẽ ſitum redibunt, q̃ ſi oppacta inter ſe oſſa compellere quiſpiam conetur. ita enim dicendo cõmune eſſe hoc omnibus oſsibus quæ confirmanda ſunt, ſignificauit.

36 Deligationem uero breuem potius q̃ uariam maxime ſedes hæc recipit. quippe cum licet æquilibris non ſit, prope ad æquilibrium accedat.

Planè æquilibre membrum id eſt, quod forma eſt cylindro quàm ſimillimum. uoco autem cylindrum non quo pueri ludunt: ſed figuram eam qua columnarũ ſcapi præditi ſunt cuiuſmodi ſanè exquiſite in nullo oſſe, in femore & brachio magis quàm in alijs reperitur. inferioris enim maxillæ, non eſſe talem figuram perſpicuum eſt. unde necꝫ æquilibrem eam eſſe inquit, ſed propè accedere ad æquilibrium: propterea quòd dextra eius pars ſiniſtræ in omnib. ſimilis, atcꝫ æqualis eſt. ut quod ex utriſcꝫ oſsibus eſt compoſitum æquilibre efficiatur, cum in neutram partem magis propendeat. maxilla autem uarias deligationes admittit: ſicut in deligationum exercitatione quæ prima omnium eſt, iam didiciſtis.

At

37 At lintei circũuolutio faciẽda si dexterior mala excesit, in dextrã: in dextrã enim tũc fieri cẽsetur, cũ dextra manus deligationi præit. sin altera, altero modo agẽda fascia est. ac si recte quidẽ reposita fuerit, & insup ut debet, quieuerit: & cito cõsanescit, & dentes illæsos habet: sin minus, & tardius coit, & distorte: ut dẽtes læsi et inutiles efficiant.

Dictũ etiã superius est, in ulceribus quæ labrũ alterũ hians atq; expãsum habẽt, initio fasciæ post labrũ illud iniecto circa id cõuolutionẽ faciendã, sic ut labra utraq; inter se applicẽtur. hoc enim cõmune omnibus est, quę in pristinũ statum sunt restituenda. ita igitur etiã nunc in maxilla seruandũ hoc cõmune est, quod excedentẽ partẽ ad alterã cõstringat ac cõpellat. id quod efficietur, si lintea alteri eã applicabunt. applicabũt uero, si cum dextra pars excesit, inde initio facto in sinistrã: si cum sinistra est affecta, ab ea exorsi in dextrã fasciã deduxerimus. Hippocrates uero cum à dextra parte exordio sumpto in alterã linteorum deuolutionẽ facimus, huiusmodi deligationem in dextram uocat, non fasciæ deuolutione, sed manus ipsius ductione cõsiderata. nam si medicum ex aduerso ægrotanti stare consideres, quæ à dextra mala in sinistram fertur deligatio, dextræ manus: quæ à sinistra in dextram, sinistræ ductione incipitur.

DE NARIBVS.

38 Si nares uero frangãtur, fractionis modus unus non est.

Ipse deinceps uarios hos modos explicabit. uel enim pars aliqua earum frangitur, ita tamẽ ut continuitate seruata neq; deorsum desidant, neq; in alterã partẽ distorqueantur. uel sic ut alterũ horum contingat. atq; hæc uel in cartilagine quæ in anteriore parte est, uel in reliqua ossea parte accidunt.

39 Sed enim qui pulchras deligationes absq; intellectione sectantur: cũ in alijs multis, tum in naribus uel maxime aberrant.

Per dissimulationẽ pulchras deligationes appellat, nõ quę re uera sint bonæ & pulchræ. quę enim huiusmodi uere sunt, id student, ut in naturalẽ sedem affectã partẽ restituant. sed ita eas uocat, quæ speciosæ uisum intuentium oblectant. quæ cuiusmodi sint, ex sequenti eius oratione perspicies.

40 Ex deligationibus enim hæc uaria maxime est. quippe quæ plurimas ascias, interruptionesq; & interceptiones cutis rhombales maxime uarias admittat. Sicut igitur dixi, qui stultam illam manuum promptitudinẽ ostentare student, fractas nares libenter curãdas suscipiũt, ea causa ut deligẽt. sed uno tamẽ aut altero die & medicus, et æger lætatur. deinde cito (molesta enim gestatio est) qui deligatus est, fastidit: & satis medico est, ꝙ se uariã deligationẽ nariũ scire o-

A stẽtarit. huiusmodi uero deligatio cõtraria omnia ꝙ cõueniebat, efficit. nam siue ex fractione desederint nares, cũ desuper magis quispiã comprimit, magis resimant. siue uel hac uel illac distortę fuerint, aut circa cartilaginem aut superius, nullam ex huiusmodi deligatione utilitatem cõsequuntur: imò magis lædi consueuerunt.

Asciam, id est σκέπαρνον, deligationẽ uocari quę à trãsuersa iniectione paulum declinat, superius diximus. interruptiones uero distantias & interualla quæ inter lintea sunt uocat. at rhõbales, quæ figura sunt æquilatera, sed nõ rectangula. ita enim B rhombus ab Euclide definitur. didicisti autem inter fasciationes primã ferè omnium rhombum appellari, ex eo quòd tales præcipue figuras efficiat.

41 Non ita enim ex altera nariũ parte imponere plagulas cõgruet. tametsi neq; hoc qui deligant faciunt.

Nihil prodesse naribus ex fractione in latus distortis deligationem inquit. nam quod alicui uideri posset huic rei esse accõmodatũ, præstareq; auxiliũ, neq; id quicq; ualet: præstare enim auxiliũ uideť, si à latere in q̃d inclinatę fuerint, linteis obfirmenť. tamẽ neq; hoc posse ꝓdesse admodũ asserit.

42 Proxime uero resistere mihi deligatio C uidetur, si uel in medijs naribus circa acutã partem circumtusa caro supra os fuerit: uel os quoq; non multũ, sed paululũ offensum sit. in his enim nares callum superinducũt, ex eoq; asperiores aliquantulo euadunt. sed neq; his tamen multo negocio indiget deligatio: si modo quippiam deligandum est.

Proxime eò accedere ut utilitatẽ afferat, cõmunis narium deligatio uideri posset, cum in medio uel cõtusio carnis cõtigit, uel os quoq; ipsum affectum aliquantulũ est. quippe cũ ex calli obductione eminentia quædã nisi cõprimatur, cõsequi soleat: deligatio uero id prohibeat, atq; affectam partem cõprimat. sed neq; his tamẽ deligatio necessaria est. studendum enim ut contusiones præcipue D quidẽ absq; inflãmatione cõseruemus: & si inflammentur, ꝙ citissime inflãmationẽ finiamus. nam increscens callus nihil his deligationibus indiget.

43 Sed satis est si supra contusionem plagella cerato illita superimposita, deinde, sicut ex duobus initijs deligatio fit, ita linteo semel circumuoluamus.

Media lintei parte supra mediam narium partem iniecta non uiolenter alterutrum ipsius initium post caput adductum, atq; inde ad frontem reductum ibi deligandum est.

44 Optima tamẽ medicina est, ut farinæ hornotinæ, elotæ, tenacis; aqua subactæ modico, huiusmodi uitia oblinamus.

Qui uerba Hippocratis explanare optime uidetur, hornotinum triticum, id est σητάνιον, dictū esse ab eo inquiūt ꝙ horno quasi hoc anno, id est σῆτες quod Attici per τ utrasq; syllabas pronunciantes τῆτες dicunt quasi τῷ ἔτει, id est hoc anno, satū est: hoc est ueris tēpore: quod & trimestre & à quadraginta dierū numero, quadragenariū nuncupatur. sed ego tamē hornū seu hornotinū, id est σητάνιον & in Coo, & apud omnes Asiæ græcanicas nationes genus tritici esse noui: q̄d sicut paucos furfures habet, ita lentum ac tenax farinæ subactū efficit. id quod maxime hic Hippocrates requirit. quemadmodū deinceps subiungit: ut si id non adsit, mannā aut gummi lentoris causa immisceri iubeat. seritur sanè hoc uere ineunte, non secus atq; illud quod bimestre, & ex hora anni præcipua hornū appellat̃. cuius farinæ subactū tenax maxime euadit, si ubi molitū triticū est furfuracea omnis pars detrahat̃. id autē fit cum tenuibus cribris, tum si ante moliturā præluatur. quemadmodum enim hordeum quod decorticat̃ corticē magis remittit, si rigatū fuerit: sic triticū. sed quo pacto idē est rigare & eluere? non est sanè idē. nam apud omnes triticū in moletrinis anteq; molatur, rigari cōsueuit. elui uero non apud omnes, sed in plerisq; tantū Asiæ urbibus solet. magnos enim fiscos tenuibus uiminibus intextos habēt, exiguis adeo foraminibus, ut puluerē & harenā transmittere possint: triticum cōtineant. in quos cum iniecerunt triticū, prius excutiunt: deinde in aquā demittunt, sic ut totū demergatur. atq; ita fit ut triticum & eluatur, & moderate etiā rigetur. cū enim ex aqua extrahit̃ fiscus, maiore humoris parte decolata tantū tritico adhæret, quantū ad moliturā sufficit. nam si exterior eius cortex extrinsecus rigatus non sit, ac madefactus, adeo granis inoluit, ut sub mola tusus in minuta ramēta cōteratur. atq; ita fieri non potest, quin dum cribro excutitur, ex minutis illis furfuribus aliquid unà cū farina egrediatur. at si rigatio præoccupet fit ut cum furfuraceum omne excrementū grandiusculū remaneat, simul cum farina excuti nequeat. atq; ita ex tritici madefactione farina purgatior euadit. atq; ideo ait, elotæ & tenacis. huius igitur horni tritici interior quæ sub cortice est pars, quæ quasi caro eius est, in farinā, ut dixi, redacta ac subacta, satis tenax efficitur. ꝙ autē inquit elotæ farinæ, id ita intelligendū existimarim, ut lotā farinā Hippocratē appellasse dicamus, quæ expurgato hoc modo, ac prius madefacto tritico effecta est. nam si non ita intelligere quispiā uelit: restat, ut lotā farinā eam uocemus, quā aqua inspersam ac perfusam, atq; in ea multifarie agitatā, deinde tantisper depositam quoad quicquid superenatabat, desederit: tum aqua desuper dempta decoquimus. id quod facere in farre consueuimus, sed repugnat hoc ei quod subiungit. subigere enim aqua hanc farinā iubet. quod sanè elixare ac decoquere dixisset, si ita faciendum censuisset. quę enim illo modo eluitur farina non subigitur: sed tantū elixatur. unde etiam hoc quod dicit ex eo quod in hac ipsa supra posita oratione inquit, aqua subactæ, id est πεφυρμένου intelligi magis potest.

45 Sicq; ex bono tritico est farina, ac ductilis: ea ad huiusmodi omnes usus adhibenda. sin autem ductilis non admodum est: paululo mannæ quàm tenuissime tritæ atque aqua dilutæ subigenda est: aut gummi parum iniciendum. Quibuscūq; autem fractæ sic nares sunt, ut deorsum atque in sinum inclinentur: si ex anteriore parte circa cartilaginē desidant: fieri potest ut quod dirigat aliquid intus adijciatur. sin minus, digitis iniectis, si licet, excitanda omnia huiusmodi sunt.

Bonum triticum hoc est ἀγαθόν, id quod optimum est uocat. hanc enim appellationem ueteres de omni re dicere consueuerunt, quæ in proprio genere prima sit. quin nunc etiam omnes qui circa panificium uersantur, optimum esse triticū asserunt, quod densum substantia est. rarum enim & cassum sicut multum furfuris in se habet: ita subactam farinam lentam ac tenacem non facit. ductilem autem tenacē ex eo quod accidit, uocat. propterea quòd uidelicet si intendamus in cōtrarias partes, ac distrahamus ex farina subactum non diuellitur: sed ducitur. quod uero lentum non est ac tenax, in huiusmodi operationibus diuelli ac disrumpi consueuit. si enim diuellitur, quomodo sequi id manus intēdentes ac ducētes asserere possumus? at si non sequitur, quî fieri potest, ut ductile esse demonstretur? nam quod diuelli nequit, sed continuum in longum ducitur, merito ductile appellari potest. perinde ac uiscum, quod cum in cōtrarias partes manibus nostris distrahit̃, quàm longissime ducitur ac distenditur. adde quòd inde etiam tenax esse hoc subactum farinæ uelle Hippocratem, manifestum est: quòd si huiusmodi nō sit, mannam ipsi, aut gummi immisceri iubet. manna autē thuris succussio ac pollen nuncupatur, quæ si non affuerit, thus ipsum quod pinguius sit sumptum terere ad hūc usum poteris. Ego porrò cum neq; thus neq; gummi suppeteret, liquidam resinam, quæ forte aderat, adhibui. sed si hæc quoque desit, melle utendum est. satius tamen est, si mannam aut gummi imponamus. quippe cum & mel & resina quodammodo calefaciant. id quod inter initia inutile est. cum uero tempus iam processit, inflammationisq; reliquiæ adhuc sunt, hęc alijs utiliora euadunt. Sicut igitur antea exempli causa alutæ Aegyptiæ primum, deinde Carthaginiensis mentionem fecit: ita etiam nunc hornotinū frumentū appellauit; perinde ac si dixisset, farina ea est utendum, quæ subactum tenax sicut hornotinum triticum efficiat. fortasse etiam hornotinum, id est σητάνιον triticum omne appellat, cui accidit, ut & densum sit, & subactū ex farina tenax ac lentum reddat. ut ex accidēti potius quàm ex aliqua peculiari specie nomen hoc habeat.

46 Si non licet, crassum sublinitoriũ non in anteriorem narium partem, sed qua desidunt, subijciendũ. extrinsecus uero hinc & inde cõprehendendum digitis, simulq; cõprimendum, ac cõpellendum sursum est. q; si in anteriorẽ admodum partem sit fractura, potestq; aliquid, sicut iam dictũ est, intra nares indi: concerpta ex sudariolo linamenta, aut tale aliquid linteo cinctũ, aut potius Carthaginensi pellicula circumsutũ in accõmodatam formam figurandum: ut inseri apte in locũ queat. si uero fractura ulterius sit, nihil adijci intus potest. nam si in anteriore parte molesta est gestatio, quomodo interius non erit? Primum igitur & intrinsecus conformandũ, & extrinsecus, in sedẽq; pristinam restituendum, et dirigendũ nihil parcendo est. Valde enim nares fractæ pręcipue quidem eodem die, sin minus paulo post reformari queũt. sed ignaue agũt medici, & leuius primũ, q; oporteat, rem aggrediuntur. oportet enim ut subiectis hinc & inde digitis pro nariũ natura q; infime ab inferiori cõpellat, atq; ita maxime simul extrinsecus dirigendo excitet. deinde nullus alius medicus ad hæc eiusmodi est, si studere ac tolerare uult, ut digiti ipsius indices. hi enim naturali nariũ sinui præcipue sunt accõmodati. debet enim utrisq; his digitis subiectis per totas nares, atq; in eas firmatis, quiete ita se habere, maxime quidem, si fieri potest, semper, quoad os confirmetur: sin minus, diutissime, sicut dictum est, sed si ipse nequit, uel puer uel mulier (molles eñ manus esse debent) id præstent. ita enim nares, si non distortæ, sed in inferiorẽ partem depressæ æquabiliter sint, quamoptime curantur. & ego quidem nullas unquã nares uidi hoc modo fractas, quæ si quis recte mederi uelit, & statim anteq; callus increuerit, cõpellat: restitui non potuerint. Verum homines si deformes fiant, magni quidẽ pendunt: studere tamen ac laborare nisi aut dolore afficiantur, aut mortem timeant, neq; sciunt, neq; patiuntur. cum tamẽ nares breui tempore occallescant. decẽ enim diebus, nisi sideretur, cõfirmari solent. quibuscũq; autem os à latere frangitur, medela eadem adhibetur: directio uero nõ æquabiliter utrinq; faciẽda est: sed quod inclinatum est, in naturalem statũ extrinsecus compellendum: & quod intro incidit atq; illapsum est in nares coniectis digitis in tergendo atq; intrectando celeriter dirigendũ, quoad bene restituatur. certoq; id sciendum, nisi mature succurramus, fieri nõ posse quin distortus nasus remaneat. ubi in naturalem situm omnia redacta fuerint, in locũ quò prominentia excesserat, uel pluribus uel uno tantum digito applicato cohibere uel ipse, uel aliquis alius debet, quoad fractura fuerit corroborata. quin et paruo digito intus adiecto aliàs atq; aliàs repellendo quæ inclinata sunt, dirigere oportet. quicquid uero inflãmationis subest, id farinæ subacto curandum est. nihilominus tamen licet id impositum sit, digitis pari modo est applicandum. quòd si ad cartilaginẽ in latus fractæ sint nares, summum nasum detortum effici necesse est. debetq; his in summam narem directoriũ aliquod ex antedictis, uel quod conuenire uideatur, inseri. multa etenim ad hunc usum inuenire idonea quispiam poterit: quæ neq; odorem habeant, neq; alioqui mitia sint. Ego sanè pulmonis ouilli frustulum quoddam resectum (id enim forte aderat) immisi. nam spongiæ inditæ humectationes excipere consueuerunt.

Si fieri non posset, inquit, ut digiti inijcerentur, sublinitorio utendum est. ita autẽ appellat, ut superius dixi, instrumenta omnia ad sublinendum idonea: cuiusmodi sunt specilla, & spathularia, & nucleata, quæ in summo rotunda capitula habẽt. sed sicut in deurenda ala tenuissimis sublinitorijs erat opus: ita nunc crassa sint, necesse est. quippe cum digitos ad eundem usum, quãdo licet, intra nares inijcere consueuerimus: quibus fractas nariũ partes conformamus, & componimus. quomodo uero uti sublinitorio debeamus, manifeste ipse docet: cum non in anteriorẽ partem narium, sed quà maxime delapsa est fractio, eò subijciendum esse moneat. id siquidem est quod molitione maxime indiget, ut sublatum in naturalem sedem restituatur. neq; enim conformare et cõponere quippiam aliud possumus, nisi propriã unicuiq; sedem restituerimus. reliqua huius orationis perspicua sunt.

47 Postea ex Carthaginẽsis alutæ tergore pollicaris latitudinis habena incisa extrinsecus ad narem inclinatã agglutinanda est: deinde quatenus cõueniat, intendenda. imò paulo amplius intendi debet, quoad uidelicet erectus & abstractus nasus sit. infra præterea aurẽ traducta (lõga eñ sit necesse est) & circa caput reducta ad frontem quidẽ agglutinari fine suo potest. potest etiam longius

A longius duci, ſic ut capiti circumacta deligetur. id quod ſimul & iuſtam deligationē affert: & reſeruabile præterea eſt, ut maiorem ſi uelit quiſpiam, uel minorem narium repenſionē facere poſsit. nam quibus in latus nares frangũtur: reliqua medicina ſicut dictum eſt, adhiberi debet: plerunq; tamen opus eſt, ut habena hac repenſionis et retractionis cauſa ſummæ nari agglutinetur. At ſi fractioni uulnus quoq; cutis acceſsit, turbari ob id nihil debemus: ſed picatum ceratum imponendũ, uel aliquod quod cruentis uulneribus eſt accōmodatũ: cōſanabilia

B enim hæc ſunt. ſimili modo ſi oſſa receſſura ſunt: & directio prima illa celeriter nihil omittēdo faciēda eſt, & digitis poſtea laxius quidē, ſed tamē dirigendũ. nihil enim ex toto corpore eſt, quod facilius cōfingi q̃ nares, queat. habenarũ uero agglutinatione, & in cōtrariũ inclinatione nihil obſtat quominus uti ualeamus: ſiue ulcus, ſiue inflammatio adſit: moleſtiam enim nullã afferunt.

Dum inquit abſtractum, id eſt ἀπῆχθαι, totam illam intelligit in diuerſa extenſionem, & quaſi directionē naſi diſtorti, quę per agglutinamenta fit, cum in cōtrariam partem retrahitur: ſed hoc ſanè

C mihi experienti, imbecillum uiſum eſt. nam quod agglutinatur, ſi uehemētius intendas, reſoluitur: ſi mediocriter, nihil quod alicuius momenti ſit, efficit.

DE AVRE.

48 At uero auri fractę deligatio omnis inimica eſt. non enim ita laxe circuire quiſpiã poteſt: & ſi magis cōprimas, maius malum efficies, quippe cum ſanæ quoq; auri dolorem, & pulſationem, & febrem compreſſa deligatio afferat.

Solutio ac diuiſio continui in carne quidem ulcus, in oſſe fractura nuncupatur. in cartilagine uero, quia proprium nomen non habet, Hippocrates fracturæ appellatione quoq; utitur.

D 49 Quin & cataplaſmata peſsima quidē ea ſunt quæ ſunt grauiſsima: ſed & pleraq; alia praua ſunt, & abſceſſum prouocant: & tum muccoſitatem ampliorem, tum ſuppurationes moleſtas mouent: quibus ſanè ad aurem fractam minime eſt opus.

Iis quæ in libris De curandi ratione demonſtrauimus, particularia omnia cōſentiunt. nam etiam nunc cataplaſmatis offendi aurem, inquit Hippocrates: quemadmodum experimento etiã deprehenditur. exiccari enim admodũ eam uult, cum & ſiccisſima natura prædita ſit, & ex cute conſtet. quodcunq; aũt membrũ quanto eſt ſiccius, tanto magis exiccātē curationē poſtulare manifeſtũ eſt.

50 Proxime tamen, ſi modo imponi quippiam debet, lentum ex farina ſubactum accedit: ſed neq; id pondus habere oportet. tangere uero quamminimũ cōfert. bonum ſiquidem interdum medicamentũ eſt, ſi & auri, & aliis multis medicamentũ non adhibeamus. uellicatio præterea cauenda: corpusq; attenuandum, atq; id ei magis cui, ne ſuppuret auris, periculum eſt, meliusq; eſt ut aluus molliatur.

Proxime inquit, eò accedit ne noceat farina ſubacta tenax: eo quòd aliis exiccat magis. dictũ à nobis ſuperius eſt quale ſit hoc tenax farinæ ſubactum quod inquit, ubi de illinendis atq; inducendis naribus loquebatur. ſimillimũ huic cataplaſma, qui in palæſtra uerſantur, ex farre conficere conſueuerunt. far enim aceto maceratum quoad intumeſcat, poſtea terunt.

51 Quòd ſi facilis ad uomendum ſit, uomitus ciendus ex tractu eſt.

Tractus, id eſt συρμαϊσμὸς mediocres purgationes ſiue per aluum, ſiue per uomitum fierent, à ueteribus uocabant. ex his nunc aliquã adhibēdam cenſet: ſed multa ſunt quæ id efficiant. mel per ſè copioſius ſumptum. aqua mulſa meracior. ſuccus ptiſanæ ex aqua decoctus, & per ſe, & cum melle. atq; his magis raphanorũ & bulbi narciſsi uomitus. q̃d autē maiorē omnibus his uim habet, neq; tamē lentum eſt, eſt cum ſurculis ueratri albi in raphanos infixis raphanos ipſos poſtero die uel ſolos, uel ex aceto mulſo comedendos exhibemus.

52 Si ad pus deuenerit, cito quidem aperiri non debet. quippe cum multa ſint, quæ licet ſuppurare uideantur, etiam ſi cataplaſma aliquod nondum impoſuerit quiſpiam, reſorbeantur.

Cautio hæc auri ob ſubiectam cartilaginē adhibetur. nam ſi inciſa cito non coeat & conglutinetur, periculum eſt ne cartilago corrumpatur. reſorbetur autem inquit, id eſt abſumitur & diſcutitur quod colligitur ibi pus, aliquando ſimplicibus & leuibus medicamentis extrinſecus impoſitis, quæ ſiccãdi abſq; morſione uim habent. cuiuſmodi eſt cochleæ mucoſitas cum thure: ſin opus uehementiore exiccatione eſt, cum aloe, aut myrrha, aut utriſq;. mel item illitum. ſed unumquodq; quidē ex his diligenter detritum atq; impoſitum exiccat. thus uero & aloe & myrrha morſione carent.

53 Si uero aperire quis cogatur, citiſsime quidem cōſaneſcit, ſi in ulteriorem partem deuſſerit. ſciendum tamen certo eſt ſi in ulteriorem partem deuratur auris, mancam eam, atq; altera minorem futuram.

Cum in deuſtione non parua & cartilaginis, & quæ ipſam circumit, cutis pars abſumpta ſit: ut manca & contracta, & minor altera auris euadat, neceſſa-

necessario fit. ad hoc tamen difficultate sanescendi in cartilagine formidata aliquando deueniendum esse consulit. cartilago enim si denudata sit, cicatricem non obducit, pręcipue cum paucis aliquibus diebus inueterauit: neque posteaquã incisa est, statim cutis coijt, & conglutinata est.

54 Si non in ulteriorem partem adustio fiat, incidendum non admodum parua incisione qua parte tumor eleuatus est.

Ne quicquam puris remaneat, lædaturque cartilago, fieri satis magnam incisionem iubet.

55 Sub crassiore enim loco pus reperitur, quàm quispiam opinaretur.

In dignotione puris q̃d sub cute subest, quædã deceptio ijs qui incidunt, occurrit: ut & multum esse id, & attenuatã esse cutem opinentur. qui quo modo hoc errore inuoluantur, sequẽtibus uerbis declarat Hippocrates.

56 Atque, ut summatim dicã, cætera quoque omnia mucosa, mucosque gignentia, quippe cum lenta sint, si cõtrectentur, celeriter sub digitis hac & illac illabuntur. ac propterea medici sub crassiore loco talia inueniunt, quàm existiment.

In dignoscendis partibus quæ suppurant, cum moderate tactui affectus locus cedit: in eo si diuidatur, pus subesse deprehenditur. quandocunque igitur in qualibet alia parte eandem cessionem inuenerint: eodem modo ut ea quæ prius uiderant, suppurasse existimãtes, ad incidendũ deueniunt: atque aberrant. interdumque dupliciter peccãt: sic ut & nullum omnino pus inueniant, & sub multo crassiore loco quàm opinabantur, talia sint. sæpe enim fit, ut quæ mucosum humorem in se habent, medicis propterea suppurasse uideantur: quia huiusmodi humores, ut ipse inquit, cum attrectant, cito è digitis sublabuntur, & circumfluunt. colligi autem circa cartilagines, tendones, neruos, copulas solent, quemadmodũ ipse deinceps declarat.

57 Nam & gangiliosa quæcunque fluida sunt, & mucosam carnem habent, aperiunt nonnulli inuenturos se intus humorẽ opinati. atque ita quidẽ medici sententia fallitur: sed nullũ tamẽ ex apertione nocumentum euenit. quæcunque uero aquosa loca sint, aut mucis repleta, qualibus item in locis singula si aperiantur, uel mortem, uel læsiones diuersas afferant: alibi à nobis scribetur.

Circa cartilagines enim & neruos huiusmodi gangilia concretiones quædam & contortiones sunt, quæ ex lento & mucoso humore existunt: cuiusmodi proprium neruorum alimentum est.

58 Cum igitur aurem incideris, omni cataplasmate, omnique linamento abstinendum est, sed uel ijs medicamẽtis quæ cruẽtis accõmodata sunt, uel aliquo alio est curandũ. quæ neque pondus, neque dolorẽ exhibeant.

Quia siccum membrũ est auris propterea exiccantibus medicamentis indiget. non tamen supra modum exiccantia esse debent, cum statim post incisionem imponuntur. dolorem enim absque ulla mitigatione afferunt. sed neque multitudine eorum quæ imponuntur, grauanda auris est. nam præter quam quòd pondere eo dolore afficiuntur aures simul etiam nocuum est. optimum igitur est, ut postea que cutem aperuerimus, medicamenta mediocriter exiccãtia adhibeamus: cuiusmodi sunt, quæ cruenta appellantur. Cataplasmata enim humores superuacuos, præcipue eos qui lenti & crassi sunt, includunt, & prohibent.

59 Nam si cartilago denudari inceperit, subsidentiaque habuerit purulenta, & mucosa, molestum est.


Addendum orationi huic est humorum quod uerbum nonnulli etiam ascribũt: ut lectio huiusmodi euadat. nam si cartilago denudari inceperit, subsidẽtiaque humorum habuerit &c. uocat autem hic subsidentia, cum uidelicet humores qui excernendi erant, hoc est pus, & mucosus succus, substant, ac resident. molestum inquit est, id est dolorem affert. id quod cum cartilago læditur, euenire conspicimus.

60 At hoc etiam ex illis curationibus euenit. omnibus uero recrudescẽtibus deustio in ulteriorem partem præsentissimum remedium est.

Quas curationes damnat? eas sanè de quibus paulo superius mentionem fecit. cum abstinendum à cataplasmatis & linamentis, pondusque, & dolorem afferentibus moneret.

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ARTICVLIS COMMENTARIORVM

Liber tertius.



Ertebræ autem spinæ.

Non quòd in alia corporis parte uertebræ sint, iccirco dixit uertebræ spinæ: omnium enim uertebrarũ quos σφονδύλους uocant, structura, spina appellatur. sed quasi ita dixisset, uertebræ autẽ, quibus proprium est ut in spina existant. nonnulli tamen ex recẽtioribus medicis non totam uertebrarum structionem spinam appellandam censent, sed circa thoracem tantum & lumbos. ad quorũ sententiã uidetur nunc Hippocrates de uertebris loqui, quæ ad lumbos & dorsum, non ad collum sunt. à nobis autem exacte tota uertebrarũ constructio in introductione de ossibus explicata est: in quibus

bus eum exercere constitui, qui cōmentarijs his studium esset adhibiturus. cum sigillatim quale unumquodq; os esset, præcipue quidem in ipsis hominum aridis cadaueribus quæ σκελετὰ appellāt: sin minus, in simijs certe diligenter inspexissem.

2 Quibuscunq; ex morbis in gibberum trahuntur.

Distortio spinæ in posteriorem partem gibberositas, in anteriorem repanditas, in latus obstipitas appellatur: primam κύφωσιν, alterā λόρδωσιν, tertiam σκολίωσιν græci uocant. eam sane quæ in posteriorem partem fit, quam etiam κύρτωσιν, id est incuruationem nominant, ex panis & tuberculis immaturis in spina exortis magnis & duris & diuturnis existere nonnulli opinantur, à quibus in posteriorem partē uertebræ propellantur: neq; intelligūt, fieri nullo modo posse, ut pani sibi subiectas uertebras grauent, siue supini iaceamus, siue recti stemus, siue sedeamus, siue in latus recumbamus. absurdum preterea est, ut in tantam grauitatem, aut duritiem uenisse panos existimemus, ut ossibus grauiores & duriores euaserint. nam ex immaturis panis & tuberculis spinæ distortionē in anteriorem partem fieri, ipse paulo post Hippocrates dicet. sed neq; hoc tantum aduertēdum eis est qui librum hunc explanant: uerumetiam illud, quòd in proposita hac oratione dicit-in gibberū trahuntur-cum impelluntur dicere potuisset, si sicut isti uolunt, intelligendum censuisset. dicere enim uertebras quę in posteriorem partem promo uentur: à morbis trahi in priorem, absurdum est. id siquidem de repandis, non de gibberosis fuerat dicendum. quid igitur & uerum sit, & Hippocrati consentaneū, conabor explicare. Ipsa porrò uertebrarū ossa propria sua ratione neq; à panis subuertuntur, neq; trahuntur: sed corporū quæ ipsas inter se colligant, prima hæc affectio est. nam cum panus in uertebris natus in interiorē aut anteriorem partem (utroq; enim modo uocant) sustollitur, & augetur: necesse est, ut copulę uertebrarum panos, copulas uertebræ ipse consequantur. si igitur in una tantum spinę parte ortus sit panus, cum ea pars subsidat atq; introrsum trahatur: spinæ uertebræ repandæ euadunt. sin duas partes spinæ panī occuparint, sicut medium aliquod spatium integrum atq; illæsum intercipiatur, gibberositas. nam cum uterq; panus ad se adhærentē uertebrā trahat, mediæ interceptæ in posteriorem partē incuruantur: id quod euenire manifeste conspicere in omnibus potes, quæcunq; inflecti mediocriter queunt: cuiusmodi sunt & uirides uirgæ, & calami scriptorij pleriq;. si enim altero horū extremo capite manus dextræ, altero sinistræ manus digitis apprehenso inter se in contrarium contrahas: cōflecti & incuruari mediam partem uidebis. sed neq; obstipitas alia causa existit. nam ea quoq; cū durus aliquis & incoctus panus in aliqua parte à latere spinæ concreuerit, fieri consueuit. tria enim hæc uitia ex uertebrarum exturbatione contingunt: gibberositas, repanditas, & obstipitas. cum

A retro abeunt, gibberositas: cum intro, repanditas: cum in latus torquent, obstipitas. pręter hęc quartum uertebrarū uitium accedit, cum dimotæ quidem iuncturæ ac cōpages sunt: sed uertebrę tamē in sede sua permanent, quassationē hanc appellāt.

3 Pleraq; quidem fieri non potest ut soluantur: sed illa præterea quæcunq; supra septi annexionem curuantur in gibberum.

Reliqua etiam, inquit, circa spinam uitia solui difficulter queunt: sed præcipue illa quæ supra septi annexionem curuantur in gibberum, id est in uertebra ad thoracem. nam uti Hippocratem solere hac uoce-præterea- quod græcæ ποτὶ dicit, pro præcipue & maxime, statim in principio huiusce libri manifestum est, ubi inquit: Breuis enim
B in totum melior ac solidior, quàm alta herba est: & præterea etiā alta prius fatiscit in frugē. cur aūt pani qui circa thoracis partē oriunt, dissolui præcipue nequeant: ex sequenti oratione cognosces.

4 Quæ uero infra sunt, nonnulla superuenientes in cruribus uarices soluūt: magisq; illæ quæ in uena poplitis existunt, soluunt gibberum quibuscūq; contigit. sed & in uena inguinis uarices existunt.

Nonnulla, inquit, mala quæ infra thoracem exorta sunt, ad lumbos uidelicet, à uaricibus & dysenteria soluuntur. cum uidelicet humores quæ ipsa efficiebant, primum in maximam uenam quæ
C spinæ adhæret: deinde in ramos eius in cruribus descendunt. circa thoracem uero nulla huiusmodi uena est, quæ humores prauos excipere ualeat. una enim est quæ ex utraq; parte ad costas octo fertur. duæ item aliæ paruæ ad reliquas tendunt, utrinq; altera. cum igitur omnes hæ in thoracem discindantur, & dispergantur, si ex panis humor aliquis in eas transferatur, exinaniri non potest: quin etiam ut excipiatur difficile est. quippe cum qui dura & cruda gignunt humores, lenti & crassi sint: ut non facile in angustas & paruas uenas transire ualeant. at quæ ad lumbum est uena, cum latissima sit, omnibusq; inferioribus sanguinem suppeditet, crassos hos ac lentos humores ubi excepit, si ualida in affectis membris ad expellenda ex
D crementa uis superest, in alias huc pertinentes uenas eos deponit. ex quibus si crassi admodū sint, statim quæ in inguine est: si mediocres, quæ in poplite, dilatatur, ac uaricatur. ubi primum enim ex crassitudine & lentore obstructi consistunt, ibi uenam dilatant, ac distendunt. nam qui absq; huiusmodi causa in cruribus uarices habent, ijs uidere licet uenas pro ratione crassitudinis humoris dilatari: in crassissimis, latissimas: cuiusmodi sunt uenæ inguinis: in minus crassis minus latas, sicut uenæ poplitis sunt. aliquando enim maioribus atq; amplioribus alimentis refertæ atq; obstructæ in malum id incidunt, aliquando in inferiores quæ angustiores sunt, delabuntur: in uaricibus autem crassus prorsus sanguis est, cum ex melancholicis

sæpe

ſæpe, ex alijs interdũ crudis & craſsis humoribus affectio hæc exiſtat. A

5 Quibuſdam etiam dyſenteria diuturna uitium hoc iam diſſoluit.

Cum in inteſtina horum preter naturam humorum tranſitus ſit, inteſtinorũ difficultas quam δυσεντερίαν uocant, contingit. cum acrimonia humorum confluentium radantur inteſtina, ſuppurantibus iam panis: non enim aliter erumpere ob craſſitudinem in inteſtina potuiſſent. ſuppurationes ſiquidem ſicut craſſos humores attenuant: ita etiã naturã in affectis membris ad humores qui continentur, iam moleſtantes excernendos excitant.

6 At quibus dum adhuc pueri ſunt, prius quàm corpus integre adoleuerit, ſpina in gibberum incuruatur: ijs corpus ad ſpinam augeri non ſolet: ſed cum crura & brachia ad perfectam auctionem deueniant, illa exiliora euadunt. B

Nihil mirum eſſe debet, ſi ſpina in huiuſmodi affectionibus auctione priuetur: ſicut de luxationibus antea audiuimus, cum de ijs quibus fieri nõ potuerit repoſitio, loquebatur. nam & ex diſtortione receptaculorũ, & ex motione quæ difficulter fit, & ex labore quẽ in talibus morbis ſubit natura, minus quàm antea huiuſmodi membra alantur, neceſſe eſt. hoc autẽ in auctis ac perfectis corporibus, membra fortius facere ſolẽt. at ijs qui adhuc adoleſcunt, auctio ipſa circa ſpinam impeditur. nam quæ longius ab affecta parte abſunt, ut brachia & crura, nullam læſionẽ prorſus ſentiunt. quippe cum non totum corpus, ſed uiciniores tantum partes contagione mali huius afficiantur. C

7 Quibuſcunq; etiam ſupra ſeptum gibber contigit: ijs & coſtæ in latitudinem augeri non conſueuerunt, ſed in anteriorẽ partem: & pectus non latum eſt, ſed in acutum prodit: ipſiq; & difficulter ſpirant, & ſtridulam faucium aſperitatem habent. eo quòd uentriculi qui ſpiritum & excipiunt, & reddunt: minori amplitudine præditi ſunt.

De ijs adhuc loquitur qui in adoleſcente ætate ſunt: de quibus dixit, quæ circa ſpinam ſunt non ſolere augeri. cum igitur in uertebris ad thoracem gibber extitit, partes eę in longitudinem maxime non augentur: atq; ob id cum in gibbere in poſteriorem partem uertebræ receſſerint, anguſtum ijs & acutum thoracem fieri neceſſe eſt: interioresq; in eo uentriculos qui ſpiritum excipiunt, minores euadere: ut corpus cum fit reſpiratio, pauciore ſpiritu quàm par erat, refocilletur. dictũ autem in tractatione De reſpirationis difficultate eſt, neceſſe eſſe ut cum minor quàm opus eſſet, inſpiratio fit: ſecunda breuiori temporis mora poſt ſubſequaẽ, quàm ſi prior naturali modo fuiſſet producta. breuior uero temporis mora frequentem ſpiritum facit: atq; inde ea difficultatis ſpirandi ſpecies efficitur, quæ paucitate & frequentia conſtat: ſtridulam uero faucium aſperitatem habẽt, ex anguſtia partium quæ circa fauces, & aſperam arteriã ſunt, quam quidem anguſtiam illud quoq; magis coarctat: de quo in ſequenti oratione nunc docet. D

8 Coguntur etiam ceruicem ad magnam uertebram repandam habere: ut caput his prociduũ minime ſit. id quod multã quoq; anguſtiam faucibus præbet, cum in interiorem partem inclinetur, nam etiã ijs qui natura recti ſunt, hoc os, ſi in interiorẽ partem uergat, ſpirandi difficultatem euſq; facit, quoad fuerit repreſſum. ex huiuſmodi igitur figuratione homines hi magis quàm qui ſani ſunt, gutturoſi apparent.

Cum uertebræ circa thoracem in gibberoſitatibus in poſteriorẽ partem excedant, totum collum à contrario in anteriorem partem proclinari neceſſe eſt, & cum ipſo caput quoq; quod ſuperiacet: ut gibberoſis eo habitu deambulandum eſſet, quo nos ſolemus, cum nutando toto collo unà cũ ſpina conflexo & in poſteriorem partem incuruato deorſum in terram deſpicimus. ſed ne ita ipſis eueniat, collum retro coguntur recuruare. qua in re parum uertebræ eius, utpote minima motione præditæ conferunt. unde ubi motum alicuius momenti nanciſcuntur, ibi quamplurimũ reclinanẽ. nanciſcuntur autem eum in priorum duarum uertebrarum dearticulatione, qua inter ſe, & cum capite connectuntur. quæ igitur figuratio in ſanis & illęſis in capitis dearticulatione exiſtit, cum caput retro flectunt: eadem in gibberoſis cernitur, cum eriguntur. et ſanè quemadmodum qui naturaliter affecti ſunt, retro caput reſupinando: ita gibberoſi in rectum id intendendo, gutturoſi efficiuntur. gutturoſos autem, id eſt ἐξεχεβρόγχους quaſi guttureminulos dicas, eos uocat qui prominentia in anteriorẽ partem guttura habent. guttur enim, id eſt βρόγχον uel totam aſperam arteriam nominat, uel fauces duntaxat. atq; hoc eſt quod ſtridulę aſperitatis reſpirationem maxime facit. quippe cum ſi quis etiam huiuſmodi figuratione dormiat, ſtertere ei maxime contingat. iccirco enim dixit, nam etiam ijs qui natura recti ſunt, hoc os ſi in interiorẽ partẽ uergat, ſpirandi difficultatem euſq; facit, quoad fuerit repreſſum. hoc os, inquiens, dum ad id uidelicet refert, quod in principio horum uerborum ait, in hunc modum. coguntur etiã ad magnam uertebrã ceruicem repandam habere. ex quo cõijcere poteſt quiſpiam magnam uertebram ſecundam ab eo appellari: quæ & in priorẽ partem procedere, & retro rurſus reprimi poteſt. nam eandem partem & priorem & interiorẽ appellare manifeſtum eſt. prior enim eſt, cum à poſteriore parte eò uertebra deferatur: interior, cum in profunditatem corporis tendat. ſiue ad eam quæ intrinſecus eſt, ſiue ad poſteriorẽ ſuperficiem ſpectemus.

9 Panis duris & crudis obnoxij ut plurimum

A mum circa pulmonē huiuſmodi ſunt. nam gibberoſitatis occaſio & contentio pleriſq; ex talibus contortionibus exiſtit: quarum uicini tenores participes fiunt.

Quibus ſupra ſeptum eſt gibberoſitas, ijs circa pulmonem panos & tubercula plerunq; fieri inquit. nam quibus ad lumbos eſt gibber, ibidē quoque eſſe tubercula manifeſtum eſt. dixit autem ut plurimum, propterea quod ex caſu quoq; & percuſsione gibberatur ſpina: non ſecus ac repanditur, & obſtipatur. cum uero ait-nam gibberoſitatis occaſio & contentio pleriſq; ex talibus contortionibus exiſtit-eandē ſententiā ſignificat, quam in principio protulit, cum dixit. uertebræ ſpinæ quibuſcunq; ex morbis in gibberum trahuntur. B quod autē hic dictū eſt-quarū uicini tenores participes ſunt-de neruis dorſi & uertebrarū intelligitur. ego autem ſuperius cauſas retuli in copulas uertebrarū, quæ tractæ ſecum uertebras quoq; ipſas attraherent. non enim puto neruos qui à dorſi medulla exoriuntur, dum trahuntur à tuberculis, ſecum trahere uertebras poſſe: cum ob exiguitatē, & mollitudinē longe ſint imbecilliores, quàm habere tales uires queant. unde etiam neq; ex oſſibus, ſicut copulæ exortum habent. copulæ enim & ualidiores, & tenoribus, id eſt neruis craſsioribus continuatæ ſunt. hi autem ubi cum tuberculis communicant, attrahere uertebras ualent.

10 At quibus infra ſeptum gibber eſt, eorum nonnullis morbi renū et ueſicæ ſuperueniūt. quin & abſceſſus ad ſuppurationē circa ilia & inguina diuturni, & ſanatu difficiles: quorū neutri gibberoſitatē emendāt. C

Ex contagione uidelicet huiuſmodi morbi eueniunt. cōtagione enim afficiuntur cognata & proxima, quę, dum ſuperius dixit-uicini-ſignificauit. & afficiuntur quæ nimirum maxime communicant. dyſenterici ſanè fluxus, & uarices cum ex ſeceſſu humorum qui tubercula pariebant, gignuntur, gibberoſitatem curant. at morbi qui ex communicatione contagioneq; exiſtunt, priſtina mala non tollunt.

11 Coxæ his graciliores euadunt, quàm quibus gibber ſuperius contigit. D

Gibberoſi circa lumbum graciliores habēt coxas, quàm qui ſuperiori in parte ita affecti ſunt. ex quo patet, eis quoq; qui circa thoracem idem patiuntur, coxas, quatenus cum ſpina communicationem habent, mediocriter graciles euadere.

12 Vniuerſa tamen ſpina, ꝙ illis, longior.

Illis qui nondū ætate integri & adulti ſunt, præterꝙ ꝙ non aluntur & graciles cūt affectæ partes, etiam abſq; auctione, ſicut ſuperius dictum eſt, remanent. nunc uero differentiam aliam, non ab ætate illam quidē, ſed ab affectis membris ſumptā tradit. quanto enim ſuperius iuxta originem ſuam ſpina patitur, tanto minus augeſcit: eo quòd à ſuperiori parte & exortum & augmentum accipit.

13 Pubes uero & barba & tardior & imperfectior. adde quòd infœcundiores quoque hi efficiuntur, quàm qui ſuperius gibberum habent.

Ad cōmunem contagionis rationem ex locorum natura differentia accedit. cōmunis ratio ſiquidem eſt, ut affectis partibus uicina cōtagione afficiantur. propria uero illa: ut ſi cōtingat malum ubi reſpirationis membra ſunt, qui id patiuntur, difficilem reſpirationem, ac ſtridulam faucium aſperitatem habeant: ſi infra ſeptū accidat, tardior ijs pubes oriatur. ex hoc etiam nocumentum circa barbam conſequi ſolet.

14 At qui corpore iam adulto ſunt, ijs ſi gibber contingit, gibberoſitas propalàm morbi qui tunc adeſt, iudicationē facit. per tempus tamen aliquod eadem quæ & in alijs uel magis uel minus præ ſe fert. minus uero maligne in totum talia exiſtunt.

Propalàm, id Græcè eſt ἀπαντικρὺ, quod apud alios cōtra & è regione ſignificat: hic uero pro ex aperto & palàm poſitū eſt. quod nonnulli alij ueteres ἄντικρυς dicere conſueuerunt. ex aperto igitur, inquit, & ita ferè ut ſenſu percipiatur, iudicationem, id eſt ſolutionem & liberationem morbi antecedentis affert gibberoſitas: uideturq; prorſus ſublata fuiſſe affectio: ſubſtant tamen paucæ quædam reliquiæ & ex erroribus in uictu, & ex externarum rerum occurſu contractæ.

15 Ac multi quidem ſunt qui facile & ſalubriter gibberoſitatem uſq; ad ſenectutem iam tulerūt: atq; ij præcipue, quibus in carnoſum et pingue conuerſum corpus fuerit. pauci tamen etiam ex huiuſmodi ſupra ſexaginta annos uixerunt. pleriq; breuioris uitæ ſunt.

Ob naturæ robur, maliq; mediocritatem, quin etiam ob totam uictus rationem qua ille qui affectus eſt, utitur: gibberoſitatē uſq; ad ſenectutem nonnulli ſalubriter tulerunt.

16 Nonnullis etiam in latus uel hac uel illac uertebræ obliquātur, ſed omnia aut pleraq; huiuſmodi ex contortionibus in interiorem partem ſpinæ contingunt.

De obſtipitate ſuperius iam dixi, ꝙ fiat, cum à latere ex altera parte conſiſtit panus, & uertebrarum copulas ad ſe attrahit. hoc etiam Hippocrates per neruos quos tenores uocat, fieri aſſerit.

17 Quibuſdam uero unà cum morbo figurationes quoq; ad hoc cōducūt, in quas cubare conſueuerint.

Partim quia in humiliorem locum magis confluunt humores: partim quia pars ea in quam cubat aliquis, magis comprimitur: fit, ut ad gibberi generationem figuratio faciat. prima tamē & præcipua panorū, aliorumq; morborum cauſa membri

bri imbecillitas est: quippe cũ in huiusmodi mem A bra confluere excrementa demonstratum sit.

18 Sed de his in diuturnis pulmonis morbis dicetur: ibi enim de ijs quae sunt euentura, pulcherrimae praenotiones sunt.

Multa quoq; alia quae nunc non extant, hoc in libro scripturum se esse promisit: quae fortasse uel omnino non scripsit: uel si scripsit: seruata hucusq; non sunt. quemadmodũ multi alij etiam ueterum libri perierunt: de quorum interitu à plerisq; scriptis traditũ est. de longinquis quidem pulmonis morbis dicta sanè multa sunt tum in maiori libro De affectionibus, cuius principiũ hoc est. Si pulmonis arteria ulcerata sit. tum in primo De morbis qui nõ recte est inscriptus, qui ita incipit. Qui B de curatione uult & interrogare, & si interroget, respondere. in neutro tamen horum ea quae nunc pollicitus est, perfecte definita reperiuntur.

19 At enim quibus ex casu spina gibberatur: ijs pauca fuerunt corroborata sic ut directa fuerint.

Hactenus de spinae absq; externa causa distortione scripsit. quaecunq; hinc sequuntur, omnia de ijs agunt, qui ex casu aliquo aut ictu laesionem in uertebris patiuntur: suntq; pleraq; manifesta: nisi ubi pretermissam causam adiungere opus est. quemadmodum nunc, cur uidelicet paucae spinae sublu xationes dirigi atq; emendari queant. cum enim posset id nunc explicare, in sequentibus declarat: quia scilicet cardinatim uertebrae structae inter se C sunt: ut quãdo una ex ipsis quocũq; modo ex dearticulatione exciderit, reponere difficillimũ sit: cũ multi processus, multęq; cauitates in unaquaq; sint. hoc enim uel uisu ipso in ossibus didicistis.

20 Nam quae per scalam fiunt, extensiones, nihil, quod ego quidem nouerim, direxerũt. ea enim maxime medici isti utuntur, qui uulgi imperiti auram affectant. apud eiusmodi enim homines admiratione digna haec sunt, si pendere aliquem, aut deijci, aut simile aliquid uiderint: haec semper celebrant. quicquid uero ex aggresione hac euaserit, siue id bonum, siue malum sit, nihil D curant medici tamen qui haec tractant, rudes sunt & imperiti, quos ego quidem noui. nam cõmentum uetus est. ac laudo ego sanè uehementer eum qui primum excogitauit, tum hoc, tum aliud quodlibet machinamentũ, quod secundũ naturã inuentum sit. nihil enim despero, quin si recte id quispiam praepararit, ac dequassarit, restitui in directum nonnulla queant. sed ipse tamen huiusmodi omnia curare ita propterea erubui, quia impostorũ magis tales modi sunt.

Quoniam unicuiq; articulorum repositioni antecedere, ut ostendimus, extensiones debent: in ossibus etiam spinae idem facere necesse est: in quibus quomodo intendendum utiliter sit, postea docebit. nunc de extẽsionibus praue adhibitis prius agit: ita enim solet, sicut ex superioribus demõstratum iam est. quippe cũ redarguere ea prius oporteat quae nonnulli medici praue agunt: deinde ita ad docenda meliora descendere. cum igitur multi spinę subluxationes per scalam deorsum trahunt, praecipue quidem nihil proficere cõmentũ id asserit: si tamen eo uti quis uelit, modos docet, quibus uti optime ualeamus. in extensione enim id propositum est, ut intẽtio spinae ad superiora, laqueis iuxta affectam partem circumiectis: ad inferiora pondere ipsius corporis efficiatur. si ad hoc spectes caetera quae ab ipso deinceps dicuntur, facile percipies. pleraq; enim patent.

21 Quibuscunq; autem iuxta ceruicẽ gibberositas contigit: ijs par est, ut extensiones hae in caput minus prosint. caput enim, & summi humeri propendentes paruum pondus afferunt: uidentũq; ij si in pedes dequassentur, directionem magis consequuturi: quippe cum ita maior propensio futura sit. at qui inferius gibberum habent, ij in caput dequassandi magis uidentur. si quis igitur dequassare uult, recte in hunc modum praeparabit. scala per scorteos uel laneos puluinos in obliquum subiectos consternenda est. puluini uero bene alligati sint & in longitudinem & hinc & inde paulo ampliori spatio, q̃ quod hominis corpus occupet.

Quoniam spina aut prope superius principium suum, aut prope finem, aut in media parte inter utrunq; patitur: de ea laesione primum agit, quae iuxta collum cõtingit. quae cum accidit, si quis in scala affectum hominem ex pedibus suspendat, sicut eius tempestatis medici nonnulli facere consueuerãt: nulla deorsum extensio, quae alicuius momenti sit, efficietur: quippe cum paruum pondus ceruicis tantum, & capitis futurum sit. at si infra prope sacrum os sit affectio, maxime sperare posset quispiam extensionem esse successuram: quae quomodo postea optime efficiatur, ostendit.

22 Deinde supino homine supra scalam collocato pedes eius nõ digredientes iuxta malleolos uinculo gestabili quidẽ, sed molli, tum & infra & supra utrunq; genu, necnon circa coxam deligandi ad scalam sunt. Ilibus uero & pectori laxae mitellae circũijciendae, sic ut dequassationem minime impediant, manus autem ad costas reductae corpori ipsi, non scalae applicandae sunt.

Cũ aperte omnia exponat, gestabile, id est εὔοχον uinculum uocat quod bene gestat & sustinet: hoc est firmiter & sine ulla cõpresione continet.

23 Quod posteaquã praeparatum fuerit,

ſcala uel ad arcem aliquam altam, uel ad te-ctũ teſtudinatum attrahenda eſt.

Arx, id eſt τύρσις nihil aliud q̃ turris intelligenda eſt. teſtudinatũ uero tecti quod ipſe ἀέτωμα uocat, quaſi dixeris aquilatum, ſuprema domus pars eſt. ita enim in altũ ſublata triãgulari forma domorum culmina appellant. nam ſi ſolarium quiſpiam facere uelit, loco tegularum planam contignationem quæ teporem non arceat, conſtituet. at ſi imponit tegulas, ea forma tectum erigit, qua facile pluuialis aqua defluere queat. unde in altũ medio columine à poſteriore in anteriorẽ partẽ per longitudinẽ porrecto hinc & inde ſupra laterales parietes tectũ humiliter deducitur: ut geminarũ demiſſarũ alarũ ſpeciem præferat. ex qua ſimilitudine ueteres huiuſmodi tecto aquilati nomẽ indidere. uinctum etiã, id eſt ἀετὸν tecti, hoc eſt lacunar appellant: quemadmodũ Pindarus in Pleiadibus.
Aureæ tectorum uincti famæ celebrant.
Euripides item in Hypſipyle.
Ad æthera ecce tranſeuntes uirgines,
Pictas lacunari intuere imagines.
Arcem quoq;, id eſt τύρσιν turrim ſignificare Diocles Caryſtius eſſe locuples teſtis poteſt: cum hãc eandem Hippocratis orationem in libro De faſciationibus paraphraſtice in hunc modum exponat. ſcala uel ad turrim altam: uel ad domus lacunar attrahenda eſt.

24 Locus uero in quem dequaſſabis, durus ac renitens: qui attollunt, periti eſſe debent: ut æqualiter, pulchre, æquo libramento, & repente dimittant: quo neq; ſcala in alteram partem propendeat, neq; ipſi præcipites ferantur.

In ſublime aliquid ſcalæ ſuperiorem partẽ ſublatam, alligato, ut dixit, homine deorſum ſupra pauimentum dimittendam cenſet: ut uehementi cõcuſsione facta ſpina deorſum procumbens elapſam uertebram in ſedem naturalem recipiat. qua in re durũ ac renitens eſſe ſolum pauimenti oportet. nam ſi ita eſſet molle, ut cederet, dequaſſationemq; impediret, nihil proficeremus.

25 Ex arce tamẽ, aut è malo defixo carcheſium habente ſi demiſeris: melius præparabis, ſi è trochlea aut ex aſino demiſsio efficiatur. ſed importunũ fortaſſe eſt de his lõgiore oratione agere. ex his tamẽ apparatibus maxime dequaſſari quiſpiam poſſet, q̃ ſi ualde ſuperius ſit gibber, dequaſſandũq; omnino ſit: in pedes id facere cõfert, quemadmodum iam dictum eſt. quippe cum amplior ſit eo modo euaſura propenſio.

Quia ſcala in ſublimem aliquẽ locũ ſubtracta in terram repente, & æqualiter, & pari præponderatione demittenda eſt: melius eſſe inquit, ut laquei quibus ſcalam attrahimus, trochleis ſubducãtur: ita enim fore, ut modo uolubilis, æqualis, & æquo

A libramento propendens euadat. cum uero ſuperius arcis, & teſtudinati tecti mentionem duntaxat fecerit, malum nunc etiam adiungit: quẽ ἱστὸν à ſtando appellant: qui ſanè maximũ atq; erectum lignum eſt: cui alterum per tranſuerſum in ſupremo capite imponitur, ex quo uidelicet uelum dependet. nam multum intereſt, ſi ἱστὸν duabus ſyllabis, aut ἱστίον tribus dixerimus. ἱστὸς enim, ut dixi, id eſt malus lignum erectum in naui infixũ eſt. ἱστίον, id eſt uelum, linteũ appellatur, quod à uentis inflari cõſueuit. rudentes uero qui de ſummo malo demittuntur, carcheſia nominant. quocirca cum malo uti uis, ad ſuſpendendã ſcalam, trochleis & carcheſiis id efficias. adde quòd non ab re quoq; eſſe inquit, ſi aſellis, id eſt ſuculis & axibus, ita enim uocat ut dixi, idem faciendum cures.

B 26 Affulciendum aũt ita eſt, ut ad pectus ualide ac firmiter ſcalæ alligetur, ad ceruicẽ uero quamlaxiſsima mitella eatenus circũdetur, quatenus dirigatur. quin & caput ipſum ad frontẽ, ſcalæ eſt alligandũ. at manus porrectæ ad corpus non ad ſcalã uinciẽdæ ſunt. reliquũ corpus abſq; deligatione eſſe debet: niſi quòd ut in directione contineatur, alibi atq; alibi mitella laxa ei iniicitur.

Dictũ à me etiã ſuperius eſt, fulcimina firmamenta eſſe, & fulcire firmare: idq; apud Hom. ſignificari, cũ inquit: Fulcimina puppibus abſtrahũt.

C 27 Sed ne uincula hęc dequaſſationẽ prohibeant, ſpectandum eſt. crura quidẽ ad ſcalam non alligentur, ſed inter ſe: quo è directo ad ſpinã propendeãt. atq; hæc quidem, ſi modo in ſcala dequaſſandũ omnino eſt, in hunc modum ſunt facienda. ſed turpe tamen cum in omni arte, tum in medicina maxime eſt: ſi cum multam turbã, multã oſtentationem, multumq; rumorẽ excitaris, nullum deinde adiumentum afferas.

Si homo quidem qui dequaſſandus eſt, corpus nullo modo firmatum atq; affulcitũ ad ſcalam habeat, ſed tantummodo ex ſuperioribus partibus

D ſit alligatus: facile in concuſsione in obliquũ deuoluetur. ſin contra ualide ita ſit deligatus, ut dum quaſſatur immotus permaneat: nullam inde utilitatem percipiet. ita enim utriſq; his utendum cenſet, ut neq; ex firmitate, & conſtrictione uinculorum immobile corpus eius ſit: neq; adeo laxe uinciatur, ut in latus conuoluatur. licet autem Hippocrates extenſionem huiuſmodi non approbet: ſcripſit tamen quo pacto parari optime poſsit. propterea quòd uidebat eos qui ea utebantur, optime eam exercere haudquaquam ſcire. quin etiam ſuperius dixit. nihil enim deſpero, quin ſi recte id quiſpiam præpararit, ac dequaſſarit, reſtitui in directum nonnulla queant.

28 Cognoſcendũ igitur primum eſt, qualis

lis spinę natura sit. ad multos enim morbos ea opus erit.

Volo nunc uel semel indicare, cõmemorareq; id q̃d in primo statim libro De Hippocratis dissectione dictum à me est: ubi impudentiam experimentariorũ agnosces, qui Hippocratẽ experimẽtariũ uocare audebant. experimentarius enim omnium maxime qui in medicina arte uersarentur, erat: maximeq; experimentis animũ aduertebat, omniaq; eis probanda esse censebat, ut rem tamen assequeretur, multis rationalibus cõmentis uti cõsueuerat: dissectioniq; præcipue studium adhibebat, utpote quæ multum afferre adiumentum arti posset: id quod nunc quoq; manifeste ostendit: cũ naturam spinę cognoscendam nobis esse censeat, cuius cognitionem sicut aliarum quoq; omnium partium inutilem esse experimentarij affirmant.

29 Qua parte enim ad uentrẽ tendit, uertebræ intus pares inter se sunt.

Vertebrarũ posterior pars processum acutum in fine cartilaginosum habet, quem proprie ἄκανθαν, id est spinã appellant. opposita uero pars quæ in priorem partem pergit atq; interiorem (utroq; enim modo uocant) cartilagine quidem etiam ipsa cõmittitur: rotunda tamẽ est ac læuis: nullumq; acutum processum emittit, quia neq; omnino prominentia ulla uel minima asperatur, sicut & in posteriore parte & à lateribus. quales quidem unicuiq; ex uertebris processus alibi sint, & in arefactis cadaueribus uidere licet. quod uero nunc de uertebris inquit ex dissectione ab interiori parte constabit, quas pares inter se appellat, hoc est planas & rectas & per se unamquanq;, & mutua coaptatione inter se omnes. Nam quia ea parte eminentia nulla extat, & ex toto apte inter se cohærent: pares ipsas inter se, hoc est pariter, atq; apte cohærentes uocat.

30 Vinculoq; inter se uinciũtur mucoso, & neruoso, quod ex cartilaginibus exoritur usq; ad medullam.

Exquisite admodum uertebrarum cõmissionis naturam exponit. non enim, sicut nonnulli opinati sunt, multum inter se uniuntur, & conseruntur ab interiori parte. ita enim in uehemẽtioribus spinæ in posteriorem partẽ retortionibus uel omnino resisterent, uel diuellerentur: sed inter se commissæ tantum uinculo quodam mucoso ac neruoso colligantur, ac propterea breui quodam motu hac etiam ex parte præditæ sunt: eum minime habituræ, si insertæ mutuo fuissent. sed neq; earũ copula usque ad medullam penetraret. circuit enim undequaq; crassiorẽ membranam. nam cum medulla tenui membrana perinde ac cerebrum primum obducatur, deinde crassiore: extrinsecus supra hanc antedicto uinculo obuoluitur. hoc enim operimentum medulla præter cerebrum adepta obstaculi ac propugnaculi causa est: ne dum ossa spinę mouerentur in uertebras offendens laboraret. uertebris autẽ copula hæc mucosa, hoc est lenta, & uelut pituitosa effecta est, ut & promptiorẽ uertebris motionem exhiberet: & ipsa iniurijs minus esset obnoxia. quippe cum quæ sicca sunt, humoreq; uacant, abrumpi in motibus facile soleant. unde etiam habenas & lora inungunt, qui eis ad uehicula & subiugia utuntur. eandem ob causam huiusmodi mucosum humorem in omnibus articulis uidere licet.

31 Alijq; quidam tenores neruosi, aduersarij ac perpetui, annexi hinc & inde ab ipsis prætenduntur.

Perpetuos, id est διαμπερέας à superiori parte deorsum aliquanta prolixitate pertinentes, intelligere debemus. cur uero neruosos hos tenores uertebrarum dixerit, haud satis scio. non enim neruosi, sed nerui erant dicẽdi: nisi quia ualidi sint, eos neruosos appellarit. prætendunt̃ autẽ manifeste unicuiq; uertebræ nerui per totũ thoracem, quorum superiorẽ exortũ in dissectionibus me demõstrante inspexistis. circa collũ enim & lumbũ uertebris superiecti musculi sunt, per quos nerui feruntur.

32 Venarum uero & arteriarum cõmunicationes, quotq; hæ, & quales sint, & unde proficiscantur, quamq; in quibus uim habeant: alio in libro declarabimus:

De his quoq; in dissectionibus didicistis. quinetiam in cõmentarijs scriptam uenarũ & arteriarum, quemadmodũ quoq; neruorũ dissectionem habetis: atq; accuratius omnia in Dissectorijs tractationibus. ut producere sermonẽ adhuc quoq; hic scribendo non debeam. cum neq; ipse Hippocrates totam ipsorum naturam hoc in libro recensere uoluerit: sed sicut alia multa, ita hoc quoq; alibi scribendũ distulerit. quanq; hoc quod hic promittere uidetur De uenis & arterijs opus non extat. de neruis autem qui ad uertebras prætenduntur, in secundo De uulgaribus morbis cõmentationis potius in modum, quàm legitimæ conscriptionis, nonnulla ab eo dicta sunt. non secus ac cætera quæ in eo libro cõmentaria potius quædam esse Hippocratis, quàm iusta opera ostendimus. solus siquidem primus & tertius De uulgaribus morbis liber editionis causa fuit conscriptus.

33 Ipsa itẽ medulla quibus uaginis, & unde exortis, & quo perficientibus, & quibus cum cõmunicãtibus, qualemq; uim habentibus instructa sit.

Operimenta & inuolucra aliquarum rerum uaginas appellant ueteres. unde etiã hic Hippocrates ea quæ paulo superius dicta etiam à me sunt, medullæ tegumenta uaginas uocat. quæ duæ quidem intus sunt: extrinsecus alia cum uertebrarum uinculis cõmunis: illæ à membranis cerebri exortæ: tertia ab osse capitis quo cum prima uertebra dearticulatur. terminantur uero uincula hæc, non secus ac medulla ipsa, usq; ad finem spinæ. Hippocrates autem simili modo pro terminantibus perficientibus dixit, ut Poeta. Si modo perficiant isthæc

isthæc, sineq; sequantur. Quam uim autẽ habeant, exacte in Dissectorijs libris explicatū est cum peculiaribus demonstrationibus, ex illis autẽ præcipue is est, qui De usu partiū est conscriptus. unde nunc satis erit, si medullæ huic dorsi circumiectas membranas eundem exhibere usum dixerimus, quem cerebro præstant. Crassior quidem quasi custodia quædam ac tutela est, ne à circumiectis ossibus offendatur: tenuior ut cerebrum ipsum operiatur. de tertia uero tunica medullæ huius paulo ante dictum est.

34 In ulteriore parte in articulis uertebræ inter se cardinatæ sunt.

Cum naturam spinæ dicere proposuisset, atq; ab interiori parte ipsius incepisset, ubi inter se uertebræ pares ac planæ inter se coaptabātur, qua ad uentrẽ spectāt: merito nunc cum in ulteriore parte cardinatas uertebras esse docet, de posteriore parte intelligit. neq; retro & à posteriore parte ex aduerso antedictæ uertebrarū colligationis accipiendus locus is est in spina, qui exquisite posterior est, qui acantha, id est spina proprie nuncupatur: sed utrinq; etiā ab ea, ubi dearticulationes uertebrarum sunt. quæ si quis ad acanthā spectet, à latere spinæ: si ad anteriorẽ partẽ cōparet, de qua loquutus est, ubi inter se uertebræ uinciuntur, à posteriore parte esse uidebuntur. cardinatas aūt esse uertebras inquit, propterea ꝙ cum processus quatuor habeant, duos alterius finibus suis unaquæq; excipit: duobusq; suis in alterius cauitates inseritur: non secus atq; in cardinationibus fit.

35 Tenores uero cōmunes ad omnes tam in exterioribus quàm in interioribus partibus prætenduntur.

Vertebrarum partes quæ colligationi oppositæ sunt, posteriores & exteriores: sicut eas quæ sunt ad ipsam colligationem, interiores & anteriores uocari licet. sed tenores quidem in posteriore parte prætētos non reperies: si modo tenores præcipui nerui nominantur. ad uertebrarū enim commissiones foramen quoddam est per quod unusquisq; ex neruis qui à dorsuali medulla prodeunt, statim ubi egressus est, discinditur: sic ut alter eius ramus in anteriorem partem deferatur: alter in posteriorẽ tendat; ibiq; in superiectos musculos distribuatur, qui spinales uocantur.

36 Processusq; unus ossis ab unaquaq; ex omnibus uertebris, tam à maioribus ꝗ minoribus in exteriorẽ partẽ est, supraq; hos processus cartilaginum agnatæ appēdices sunt. atq; ex illis neruorū progerminatio, quæ cum extimis tenoribus fratrat.

In exteriore seu posteriore parte spinæ uniuscuiusq; uertebræ processus eminet, qui uidelicet totam acantham componit. in cuius processus extremo cartilago agnata est, quæ neruorū progerminationes copulatiuas habet: quæ cum tenoribus, inquit, fratrant, id est quæ uel illis assimilanť;

A uel eodẽ tendunt, quò illi, & cōmiscentur. utrunque enim uerum est.

37 Costæ in interiorem partem magis, ꝗ in exteriorem capitibus inclinatis annexæ, ad unamquanq; ex uertebris adarticulanť.

Ossa thoracis quæ trāsuersa positura paululū oblique tamẽ è spina ad pectus pertingunt, non Hippocrates tantū, uerū etiā posteriores omnes medici costas uocant. has uertebris adarticulari inquit, nō secus ac si dearticulari dicas. hoc enim uerbum magis usitatū apud recentiores medicos est, dearticulationes appellantes ossiū iuncturas, quæ motum aliquẽ sensibilem momenti alicuius præ se ferant. capita itẽ costarū extrema ea appellauit, quibus cū uertebris dearticulanť ad radices B ꝓcessuū qui à latere ipsarū eminent: introrsum aūt inclinatas esse eas magis dixit: ita enim eas sese habere cognouistis. sed discretā quoq; ac dispartitā esse earum dearticulationẽ inspeximus: id quod prætermissum ab Hippocrate est: uel quia non exquisite tota dearticulationis natura inspecta hoc eum latuerit: uel quia exactam huiusmodi explicationẽ cōuenire prẹsenti tractationi minime existimarit.

38 Curuissimæq; hominis costæ sunt obtortum in modum.

Curuissimas homo ex omnibus animalibus costas habet: propterea ꝙ latissimū etiā omnium pectus ei est. cætera eñ omnia alia magis, alia minus acuto pectore sunt prædita. latissimū uero homo
C pectus habet. simia aūt latius quidẽ cæteris, sed angustius homine. animalibus tamẽ omnibus cōmune est, quæ thoracem habẽt: ut costas ab exteriore parte qua attingere ipsas possumus, incuruas & cōuexas: ab interiore concauas habeant. nam ad amplitudinẽ thoracis efficiendā necessariū hominibus hoc fuit. quia eñ ad pectus directæ esse debebant: in reliqua tota parte incuruari eas necesse fuit si ad spinæ uertebras eis erat deueniendum. ac res quidẽ ipsa manifesta nobis euadit: tū ex eo ꝙ curuissimas costas esse inquit: tum ꝙ ex simili figuratione ita esse cognoscunť. sed non in re sicut in superioribus restat inquisitio, at in uerbo: cum euidentiæ ac diluciditatis causa Hippocrates hic in exemplū subiunxerit obtortū in modum, hoc est D ῥοιβοειδέα τρόπον, quod maiorẽ tamẽ obscuritatem rei cognitæ, ꝗ claritatem attulerit. antea enim fortasse in usu erat hæc uox, alioqui enim eā hic non posuisset: postea cum ex usu recesserit, obscura euasit. nam si per κ legatur, id est ῥοικοειδέα τρόπον, quod obtortū & uarū in modum significat, apud Theocritū quoq; scriptū id reperitur, ubi inquit:

At clauam obtortam ex oleastro dextra habebat.

Item apud Archilochum.

Sed paruus is sit atq; tortus cruribus,
Aptus stabiliter, corde plenus, ingredi.

apud Nicandrum quoq; sic legitur.

Sunt alij æquales tortis similesq; paguris.

si uero per β legať ῥοιβοειδέα, quid sibi uelit, haud satis scio. in nonnullis enim exẽplaribus per β scriptū est, in approbatioribus tamen per κ inuenitur.

Inter

39 Inter uero costas & ossa quæ à uertebris procedũt, mediam partem utrinq; musculi à ceruice incipiẽtes usq; ad septi transuersi annexionem replent.

Id quod ex dissectione apparet, cũ sententia horum uerborũ non admodum consentit. quæ enim ex dissectione patet, hæc sunt. ad capita costarum quæ in uertebras articulantur, musculi sunt à posteriore parte qui spinales uocantur, per spinę longitudinem usq; ad initium crurum porrecti: ab anteriore uero in longitudinem non per totum thoracem transuersi inter costas iacent, quos intercostales appellant. Deinde ad paucas ex costis tendunt gulæ subiecti musculi, à quibus in anteriorẽ partem totum collum tractũ paululũ inclinatur, absq; capitis dearticulatione. nam illud dũ annuimus & renuimus, maximã per seipsum motionẽ habet. si quis in ijs qui ad primas uertebras sunt, cõpararit: qui exigua admodũ motione prędití inter se sunt. sed ex lumbi etiã sedibus ad thoracẽ iuxta extremas costas uertices musculorũ eorũ ascẽdunt, qui ψόαι, id est lumbales dicuntur. quæ uero in media thoracis parte sunt: musculos superiectos minime habẽt ad laterales uertebrarum processus, qua dearticulari costas iam diximus. sunt præterea alij duo angusti & parui musculi qui per totum thoracẽ extrinsecus ad spinales in anterioribus uidelicet eorum partibus, nõ posterioribus circa acantham porriguntur. atq; hæc est positura musculorũ qui circa uertebras sunt: quæ ex dissectione deprehenditur. Nũc de quibus ex his intelligere hic Hippocrates posit, uideamus. de intercostalibus sane non posse intelligere, ex eo perspicuum est, quòd musculos hos à ceruice incipere ait. Restat igitur ut de spinalibus mentionẽ facere eum hic existimemus: quanquam de neutris satis recte dictum esse id potest, quod inquit: musculos hos mediam partem inter costas & ossa quæ à uertebris procedunt, replere. spinales enim dearticulationibus omnibus antedictorum osium à posteriore parte ita obijciuntur, ut nihil intectũ relinquant: sed & radices omnes costarum, & processus à latere uertebrarũ operiãt. adde q; illud quod inquit-usq; ad annexionẽ-si de angustis musculis hic loquatur, ita erit interpretandum, ut de septi transuersi: si de spinalibus, ut de crurum annexione dictum esse intelligamus. nisi fortasse annexionem dearticulationẽ hic uocet. Sed ego sane quomodo sententiam hanc ijs quæ apparent, accõmodare recte queam: nõ uideo. ut ab aliquo qui eam primo descripserit, non secus atq; alia multa fuisse deprauatam existimem. Cæterum cum ita se habeant, sicut diximus, ea quæ extãt in dissectionibus: inquisitio accõmodatæ horum uerborum explanationis in medium relinquatur. ut tamen distinctam quandam ac probabilem maxime opinionem proferamus, costas hic pro costarũ ipsarum capitibus: ossa uero quæ à uertebris procedunt pro ijs quæ acantham constituũt, accipiemus. musculos, qui mediam regionem replent, spinales: annexionem, septi esse intelligemus. Præceptor uero noster Pelops laterales uertebrarum omnium processus costas: annexionem, septi dictam esse hic ab Hippocrate asserebat.

40 Ipsa uero spina per longitudinem directe obstipa est.

Obstipitas seu obliquatio distortio in latus appellatur. nunc tamen non in latus sed in posteriorem & anteriorem partem distortionẽ significat. cum enim recta per longitudinem sit spina, parum & in posteriorẽ, & anteriorem partem declinat, ac tortuosa euadit: sicut ipse deinceps docet.

41 A sacro quidẽ osse usq; ad magnã uertebrã ad quã crurũ annexio appẽditur, gibberosa est. nã & uesica, & genituræ, & principis intestini laxitas in eo spatio cõtinetur.

Crurũ annexio multipliciter intelligi potest. sed potissimũ fortasse à coxæ dearticulatione sumẽda est. quæ fit, cũ femoris caput osi coxæ & per latas copulas colligatur: & per teretẽ: quia intimæ acetabu[illegible] profunditati cohæret: quinetiã per musculos qui dearticulationẽ mouent: per neruos item, necnon per arterias, & uenas merito crus annecti superioribus dici posset. sed uidetur nunc Hippocrates de annexione per neruos intelligere. siquidẽ ad lumbum ad extremã uertebram quæ cum ato & sacro osse dearticulatur: neruorũ qui ferũtur ad crura, est exortus. nam hoc ad ipsam spinã esse & uesicam, & geniturã, & principis intestini laxitatem in eo spatio contineri: id quod in dissect one apparet, testimonio est. unde etiã incurua extrinsecus euasit. genituram aũt membra genitalia appellat: in fœminis uterũ: in maribus seminaria uasa quæ nuncupant. laxitatem aũt principis intestini, eam partẽ uocat quæ supra musculũ constrictorium, quem σφιγκτῆρα appellant, est: quæ & sacro osi adiacet: & uere laxa est: cum musculos nõ habeat, qui recti intestini extremum constringunt.

42 At inde usq; ad septi transuersi annexionem directe est repanda.

Nihil hac spinæ parte eiusmodi continetur, ut in inferioribus uulua, & uesica &c. ut ab interiori parte simari: ab exteriori curuari ac gibbari eam necesse fuerit. sed potius paululũ introrsum uergit: quippe cum supra eam & arteriam magnam & uenam firmari oportuerit.

43 Solusq; hic locus ab interiori parte musculos adnatos habet, quos quidem psoas uocant.

Ex his Hippocratis uerbis maxime conijcere quispiã posset, eum uertebras colli spinæ non adnumerare: nã si tota spina ex lato osse et thoracis uertebris struatur: uerũ est solum hunc locum ab interiori parte musculorũ agnascentias habere. si uero colli etiã uertebrę annumerentur: falsum prorsus erit. nõ enim solus hic locus habet adnatos musculos: sed collo quoq; ab interiore parte magni musculi adeo sunt, ut ignorari minime queant. ue

rum neq; si minores multo essent, ignorari potuissent. particulam autem quandam horum musculorum qui psoæ, id est lumbales appellãtur, supra septi annectionem ferri hic nõ indicauit: eo quòd nimis ita exquisite hæc recēsere pertinere ad præsens propositum non existimabat.

44 Ab hac aũt parte usq; ad magnã uertebrã quæ supra superhumerales est, directe gibberosa est: magisq; huiusmodi apparet, q̃ sit. acantha eñ in medio eminentissimos: hinc et inde minores ossiũ processus habet.

Vertebræ paulùlum circa thoracem ossa ab interiori parte uidentur simari: ita ut in posteriorem partem ex acanthæ prominentia satis gibbosæ appareant. quod autem de magna uertebra inquit quæ supra superhumerales est: id ad commentarij memoriam reuocãdum est, in quo De ossibus conscripsi. accommodanda siquidem illa ijs quæ dicuntur, subinde sunt, neq; enim mea explanatione indigent, nisi ubi aliquid inciderit, quod perspicuitatem desideret: cuius causa huiusmodi cõmentaria conscribuntur.

45 Ipse uero ceruicis articulus repandus est. quibuscunq; igitur gibberositas in uertebris contingit, non admodum multis, sed paucis expulsio magna aliqua euenit: quæ uel unã, uel plures uertebras à cohærentia abrumpat. neque enim facile est ut uulnera talia efficiantur: neq; in exteriorem partem expelli facile possũt nisi aut ab interiore uehementi aliqua re per uentrem uulneratio fiat. sed moreretur hoc pacto homo, aut ex alto aliquo loco delapsus in coxas, aut humeros impingat. id quod etiam letale esset, licet non illico mortem afferret. à posteriore uero parte in interiorem huiusmodi prolapsio fieri, nisi perq; graue aliquod pondus ingruat, non facile potest. ex ossibus enim quæ extra prominēt talis unumquodq; est naturæ, ut prius frangeretur, q̃ introrsum inclinationem aliquam magnam admitteret: & copulis uiolenter abductis.

Repandus est, id est in anteriorem partem inclinatus: ita enim apparet. duæ autem sunt primæ uertebræ quibus ceruicis articulus cõstat. ex quo deinceps tres sunt, quæ quo situ collocatæ sint, mentionem non fecit. sunt autem inter secundam & sextã, tertia uidelicet, & quarta & quinta, quæ quidem maxime rectam habere posituram uidentur, cum duabus alioqui minores sint, & præsertim tertia. nam quarta maior quàm ea est, sicut his quinta. sexta uero non solum his, sed septima quoque est maior. omnes autem quæ sequuntur usq; ad spinę terminum proportione sunt altera quàm altera subinde maiores. primum si in homine res consideretur. secundum hominem si in simijs, at-

A que ijs præsertim quæ & faciem similiorem homini habent: & magis quàm aliæ erectæ ingrediuntur. hæ enim cum in alijs, tum in situ ossium hominibus assimilantur. in spina tamē commune quoddam ipsis est cum cæteris quadrupedibus, quod homini non adest. lumbum enim longiorem pro reliquarum partium magnitudine, quàm homines habent. nam homini quinq; duntaxat, simijs sicut cæteris quoq; quadrupedibus plures uertebræ lumbum obtinēt. aduertendum autem in hac oratione Hippocratem cum de spinę figura loqui proposuisset, atque ita incepisset-ipsa uero spina per longitudinem directe obstipa est, ac tortuosa-in fine hic subiũgere-ipse uero ceruicis articulus repandus est-ut in hoc rursus ipsum quoq; collum attribuere spinæ uideatur.

B 46 Et articulis qui alternati inter se sunt. dorsualis præterea medulla laboraret: si ex paruo spatio inflexionē haberet tali elapsu egressa uertebra: tum uertebra quæ exilijsset, medullam comprimeret, nisi etiam abrumperet. at ea compressa & interclusa multis magnis et opportunis partibus torporē induceret. ut cum multa & urgentia alia mala infestent: medico, quomodo uertebram dirigat, curare nõ liceat. quin neq; fieri posse ut reponatur, neq; dequassando, neq; alia quapiam ratione, perspicuum est.

C Articulos uertebrarum intelligit quibus per laterales processus inter se cõmittuntur: quos alternatos propterea uocat: quia cum duos sublimiores processus una quæq; habeat, quibus cum superiecta: duosq; item humiliores, quibus cum subiecta dearticulatur: alijs ex ipsis eminentias alterius excipit, alijs in alteram inseritur. sed de his in commentario De ossibus scriptum exacte est.

47 Nisi quis dissecto homine atq; in uentrem manu iniecta intrectando ab interiori parte ad exteriorē retrudat. at hoc mortuo quidē fieri potest, uiuo nõ potest. sed quorsum hæc scribo? ut intelligamus nonnullos

D esse qui curasse se eos homines arbitrantur, quib. ab interiore parte uertebræ prolapsæ articulos omnino trãsilierint. quin et distortionē hanc curatu facillimã, nullaq; indigere repositione, sed sponte sanari opinantur. ignorant quidē multi, atq; ex eo q̃ ignorãt, lucrantur. suadēt enim alijs hoc ipsum, & ipsi falluntur hac de causa: acanthã quæ hac in parte spinæ eminet, uertebras ipsas esse autumãt: propterea q̃ rotũda ac teres attrectãti apparet. neq; aduertunt ossicula esse illa à uertebris procedētia, de quibus paulo ante dictũ est. at uertebrę multo anterius abeũt. angustissimũ enim ex omnibus animalibus

homo

homo pro magnitudine uentrē habet è posteriore in anteriorem partem, præsertim ad pectus. cū igitur aliquod ex his eminentibus osſibus ualide confractum fuerit, ſiue unum, ſiue plura: ea in parte depreſsior locus efficitur, q̄ hinc & inde uideatur. ac ꝓpterea iſti uertebras intro abijſſe exiſtimāt, ac decipiūtur. figurationes quoq; uulneratorum eos inſuper fallūt. ſi enim inflectere dorſum tentent, dolore afficiuntur, cū ea parte qua uulneratio contigit, cutis diſtēdatur, ſimulq; oſſa fracta ita magis carnē pungant: ſi repandantur & recuruētur, facilius ferunt. nā & cutis laxior circa uulnus fit, & oſſa minus pungūt. quin et ſi quis attrectet, ea parte cedunt recuruati: locusq; uacuus, & mollis attrectāti apparet. Hæc omnia inſuper ſunt quæ medicos decipiāt: ſani aūt cito, & ſine noxa ſponte ſua, qui ita affecti ſunt, fiunt. quippe cum omnia huiuſmodi oſſa quæ caſſa ſunt, celeriter occalleſcant.

Intrectādo, id eſt intrudēdo in imā partē digitos, ut aliquid quod ibi ſit tentemus ac perſcrutemur.

48 Obſtipatur igitur & obliquatur ſpina, etiā in ſanis, multis modis. nam & in natura & in uſu ita res ſe habet. quin & à feneɛtute, & doloribus: contrahendi enim uim habēt: gibberoſitates aūt caſu plerunq; efficiūtur: ſi aut in coxas, aut in humeros quiſpiam cadendo impingat. neceſſe ſiquidē eſt ut in gibbere una aliqua uertebra alta emineat: alia uero hinc & inde deſidere uideantur. neq; tamē multum ab alijs ea exilit, ſed paululum: cum ſingulæ in uniuerſum cōcedant. inde etiam fit, ut medulla dorſualis huiuſmodi diſtortiones quia circulares, nō angulares euadunt, facile ferat.

Diſtortionem ſpinæ in poſteriorē partem gibberoſitatem: in anteriorem repanditatem: in latus obſtipitatem appellari diximus. nomine tamen hoc obſtipitatis ſeu obliquitatis, id eſt σκολιώσεως, de omni ſpinæ diſtortione utitur: ut oſtendat generalius quoddam quàm aliorum eius eſſe ſignificatum. ita nunc quoq; obſtipari ſpinam dixit, pro quocunq; modo diſtorqueri. & ſuperius etiā, ipſa uero ſpina, inquit, per longitudinem directe obſtipa eſt: diſtortionem eius in poſteriorem & anteriorem partem ſignificans.

49 Fabrica autē huiuſmodi ad detrudendum inſtruenda eſt. Poſſumus lignum aliquod ualidū & latum quod prælongā inciſionem habeat, in terra defodere. poſſumus etiam loco ligni huius in pariete excauatio-

A nem hanc canalicularem facere: quæ uel cubiti altitudine à ſolo diſtet, uel quantū congruum erit. quod ubi factum fuerit: columna querna quadrangula in latus admouenda ad parietē eſt: ea diſtantia, ut pertranſire aliquis, ſi opus ſit, queat. tum uel tunicis inſternēda, uel aliqua alia re, quæ ſicut mollis ſit, ita non multum cedat. homo præterea fotus, ac ſi admiſerit, multa etiam aqua calida lotus, pronus collocādus ſupra colūnā eſt, ita ut porrectas manus ſecundum naturalem figurationem alligatas ad corpus habeat. tum habena mollis, idonea, lata & lon-

B ga ex duobus perpetuis atq; aduerſarijs loris conſtās media parte medio pectori quā proxime ad alas bis circumdanda eſt, atq; inde quod ſupereſt, ex utriſq; capitib. per alam utrinq; circa humeros cōuoluēdum. tum capita ad piſtillarem fuſtem deliganda ea longitudine, quæ ſuppoſito ligno cōgruat: ut ad id ima fuſtis parte obiecta retorquendo extendamus. poſtea tali altero uinculo tum ſupra genua, tum ſupra calces iniecto ſimili modo capita ad eiuſmodi aliquē fuſtē deligamus. alia præterea habena lata

C & molli et ualida ad mitellæ formā, latitudine & lōgitudine idonea ualide ilia quāproxime ad coxas circūligamus: deinde capitibus utriſq; ad fuſtem ad pedes deligatis, in hac figuratione et hinc & illinc æqua ꝓponderatiōe, & in directū extendimus. nullum enim magnū malū huiuſmodi extēſio afferre, ſi recte adminiſtretur, poteſt: niſi uidelicet dedita opera extēdi quiſpiā uelit. debet uero medicus, uel quiſpiā alius præualēs, ac minime imperitus impoſita manus uola ſupra gibberū, atq; altera ſupra alterā manū

D inſuper iniecta deprimere: aduertēs an in directū deorſum, an ad caput, an ad pedes deprimendū ſit. atq; hæc innoxia maxime neceſſitas eſt. ſi quoq; ſuper inſideat aliquis ſupra gibberū dum extēditur, atq; ſuſpendendo ſe incutiat, innoxiū eſt. quinetiā quo minus conſiſtamus pedibus ſupra gibberū ac geſtemur, ſenſimq; incutiamus, nihil uetat: id aūt moderate efficere aliquis ex ijs pōt, qui in palæſtra aſſueti ſunt. efficaciſſima aūt neceſsitas eſt: ſi uel paries qui inciſionē habet, uel lignū defoſſum, tanto inferiorē ſpina hominis excauationē habeat, quanto cōuenire uideatur: in quā aſsis tiliacea, aut alte

rius alicuius ligni non tenuis illa quidem inſerta, ſupra gibberum imponatur: multiplici aliquo panniculo, aut paruo aliquo ſcorteo puluillo ſubiecto: quod quanto minus fit tanto utilius eſt: modo caueamus, duntaxat, ne aſsis duritie ſua dolorem aliquem importune afferat. gibber autem è regione quammaxime eſſe debet ad excauationem quæ in pariete eſt: ut aſsis ea parte qua maxime ſpina extat, impoſita maxime deprimat. ubi enim impoſita fuerit, alij ſiue unus ſiue duo extremam partem aſſeris depellere: alij corpus per longitudinem tum hinc tum illinc extendere, ſicut dictum eſt, debent. licet etiam aſellis extenſionem hanc facere: ſiue iuxta lignum hoc defigamus, ſiue in eodē hoc ligno, uel utrinq; erectos paulo eminentes, uel ad ligni capita hinc & illinc poſtes aſellorum extruamus. Hæ quidem neceſsitates reſeruabiles ſunt: ut & ualentiſsime, et mediocrius intendant: talémque uim habent, ut ſi quis etiam ad damnū, non ad curationem eis uti uelit, tunc quoq; plurimū poſsint. nam ſiue in longitudinem tantum extendas hinc & illinc, nullamq; aliam neceſsitatem adhibeas, extendere ſatis poteris. ſiue non extendas, ſed aſſere duntaxat comprimas, ita quoq; ſatis depelles. bonæ igitur huiuſmodi uiolentiæ ſunt: quibus & ualidioribus & imbecillioribus pro occaſiōe reſeruatis uti quilibet poteſt: quæq; ſecundum naturā compellunt. quæ enim exceſſerunt, in ſedem ſuam redire uel depreſsio cogit. quæ uero præter naturam coierunt, extenſiones ſecundum naturam extendunt. ego quidem neq; pulchriores neq; iuſtiores his neceſsitates habeo.

Adeo clare hæc & ſequentia omnia exponit, ut ſi quis ea non intelligit, is explanatione non indigeat, ſed monſtratione. quippe cum cōmentaria quoq; nō niſi ijs qui huiuſmodi operationes uiderunt, ſcribi conſueuerint. Dictum à me etiam ſuperius eſt, ſi quis primo intuitu ita aperte ſcripta non percipiat, eum bis, & ter, & ſæpius animum adhibendo debere lectitare. nam ſi ita fecerit, non eſſe dubitandum: quin planè omnia intellecturus ſit.

50 Nam extenſio quæ per directum acanthæ fit, ab inferiore parte & ab oſſe quod ſacrum uocāt, apprehenſionē nullam habet: deſuper uero ad ceruicē & caput habet quidem: ſed ſpecie tamen indecorum eſt. quin & hac parte facta extenſio ſi nimia ſit, alias

A quoq; læſiones afferre poteſt. Tentaui uero olim ego hominem ſupinum extendere. utrem minime inflatū gibbero ſubijciebā: ac deinde immiſſo folle ex fabri officina inflabā. ſed nō ſucceſsit. nam cum bene hominē extendebā, cedebat uter: neq; uim inferre ullā inflatio poterat. adde ꝙ promptus uter ad circūlabendū erat: utpote cū in idē et hominis gibber, et utris repleti tumor urgeretur. ſi uero nō admodū uehementer extendebam, uter quidē ex inflatione inſurgebat: ſed homo magis ꝙ utile eſſet, recurua-

B batur. atq; hæc ſtudioſe ſcripſi, pulchræ ēm earum quoq; rerū diſciplinæ ſunt, quæ ad experimentum perductæ, fruſtratæ apparuerunt. & cur fruſtratæ fuerint apparet.

Apprehenſionem pro reprehenſionem, & anſam dixit: cum circumiecti laquei eminentium aliquarum partium obiectu firmantur ut ne elabantur: cuiuſmodi nihil ad os ſacrum eſt. deſuper uero licet ad collum et ad caput aliquid ſit: ſi tamen hac parte laqueos circumijciat quiſpiam, ſtrangulari homo uideretur: atq; ob id indecora extenſio euaderet. quinetiam læſiones poſſet afferre, ſi laqueus ad guttur ſummum elaberetur.

51 Quibuſcūq; aūt in interiorem partem

C uertebræ ex caſu, aut ex pondere aliquo ingruente obliquantur: nulla ijs uertebra ut plurimū admodum multū extra alias exceſdit. ꝙ ſi multum exceſſerit aut una aut plures, mortem maturant: quemadmodū ſcilicet etiam antea dictum eſt. circularis quoq; hæc, & nō angularis dimotio eſt. ijs urinæ, & deiectiones alui magis ꝙ illis qui in exteriorem partem gibberoſi ſunt, ſupprimuntur. pedes item & tota crura frigeſcunt magis. lætaliaq; hæc magis q̃ illa quæ dixi. & ſi ſuperſtites ſint fluidi magis in urina hi euadunt: crurumq; incōtinentiores, ac torpidi

D magis. ꝙ ſi in ſuperiore parte magis repādītas cōtigerit: totius corporis incōtinentes, & torpidi fiūt. neq; machinationē ullā ego habeo, qua reponi in ſedē ſuā hæc queāt, niſi dequaſſatio per ſcalā afferre his præſidiū aliq̃d poſsit: aut aliqua alia huiuſmodi medela, aut extenſio, qualis paulo ante fuit cōmemorata. depulſionē uero quæ unà cū extēſione afferri queat, nullā habeo. quemadmodum in gibbero detruſio per aſſerē efficiebatur. q̃ pacto ēm ex anteriore parte per uentrē compellere quiſpiā poſſet? nō enim licet. quin neq; tuſſes, neque ſternutamen-

ta ullam uim habent, ut distentione opem aliquam ferant. neque item quicquam prodest, si in uentrem inflatio aliqua subijciatur. adde quod magnæ cucurbitæ quæ admouentur attrahendarum uertebrarum causa quæ intro inclinatæ sunt, in magno opiniōis errore uersantur. deprimunt siquidem magis quam attrahant. neque id aduertunt qui eas admouent. quāto enim quis eas magis imprimit, tanto repandiores ægri euadunt, cum cutis sursum contrahatur. alios modos dequassationum diuersos ab ijs, quos superius dixi, possem referre: quos accōmodatos esse affectioni huic existimaret quispiā: quos propterea nolo ascribere, quia fidem ipsis non adhibeo. in uniuersum igitur de his de quibus summatim dictum est, sciendū: quæ in repandū declināt, perniciosa & noxia esse. quæ in gibberum abeunt, esse innoxia in totum: quantum uel ad mortem, uel ad urinæ suppresſionem, & torporem attinet.

De uertebrarum dimotione in interiorem partem hæc scribit: quam grauiorē esse inquit, quàm quæ extrorsum fit. cuius rei causa in aperto est. nā nerui omnes qui à medulla dorsi exoriuntur, introrsum tendunt. unde contingit, ut in talibus excesſibus magis cōprimantur, quàm in ijs qui gibberum efficiunt. simulque cum neruis omnes spinæ adiacentes partes, atque ita superior quoque uesicæ extremitas compresſionem sentiat: quin omnia ex contagione in inflammationem incidant. quocirca neque urinam uesica, neque excrementa alui intestina reddunt. cum enim urina & deiectio supprimitur: excernentis facultatis, quæ una est ex naturalibus, affectio est. cum uero stupida ac torpida membra euadunt: id ex neruorum læsione existit. ex læsione igitur circa intestina & uesicā quoad inflammatio finiatur, periculum imminet, ne æger pereat: cum qui stringit uesicam musculus non ex arte operantis, exitum urinæ nō exhibeat: quique in sede est, quem constrictorium uocant, ut uerisimile est, eadem debilitate afficiatur.

52 Nō enim gibberositas in exteriorē partem riuos in uentre intendit: neque prohibet quo minus bene fluere ualeant. repanditas uero & utraque hæc facit, & ad alia multa hæc accedunt.

Cum superius dixisset, ijs urinæ & deiectiones alui magis, quàm illis qui in exteriorem partem gibberosi fiunt, supprimuntur: nunc causam subiungit, cū inquit. non enim riuos in uentre intendit, hoc est effluuia & exitus & circa uesicam, & sedem. partes enim eas quibus excrementa effluūt, intendi & ex compresſione, quæ ex recessu uertebrarum in interiorem partem fit, & ex contagione cum neruis, uerisimile est.

A 53 Nam multo plures crurū & manuum incōtinentes euadūt, & corpore torpescūt, urinæque suppresſionem patiuntur: qui licet curuamen, neque extrorsum neque introrsum ullū ipsis excesserit: quassati tamen per directum spinæ uehemēter fuerunt. quibus uero curuamen excesſit, ij minus patiuntur.

Hic curuamen, id est ὕβωμα ut generale nomen de omni uertebrarū distortione præter naturam posuit. tota sententia clara est. ad quartā enim differentiam affectionum spinę deuenit, quam quassationem appellāt. cum uidelicet compages uniuersæ uertebrarum spinæ dimotæ sunt: & discussa ea uehementer ita est, ut in diuulsionis contusionisque periculum uenerit. id quod longe peius esse
B inquit, quàm quæ absque quassatione distortiones spinæ contigerunt. Deinceps costis quoque fractis tale quid euenire commemorat.

DE COSTARVM FRACTIONE.

54 Multa quoque alia in medicina uidere quispiam posset: quorum grauiora innoxia sunt, cum totam iudicationem morbi per se ipsa suscipiāt: imbecilliora uero noxia, atque eiusmodi, ut & diuturnos morborum exortus efficiant: & cum reliquo corpore communicationem ampliorem habeant.

C Cum de spinæ affectione, quam quassationem uocant, ante dixerit, quæ fit absque ullo uertebrarū excessu: hic multa esse inquit in medicina, quæ licet grauiora esse uideantur, mitiora tamen re uera sint. grauiora enim sunt ea in quibus contagiones maiores contingunt. nam quæ nullam principalium membrorum contagionem afferunt: sed per se ipsa iudicationē faciunt: minus perniciosa sunt: licet uehemētiora esse uideantur. deinceps igitur quasi exempli loco affectionum quæ costis contingunt, mentionem facit. ostēditque in his alia specie tantum, alia ui grauia esse atque infesta.

55 Nam & costarū fractioni tale quid contingit. quibus enim fractæ costę fuerint aut una, aut plures, sicut plerisque euenit, ita ut
D ossa in interiorem partem non penetrarint, neque denudata fuerint: pauci febre correpti iam sunt: quin neque sanguinem multi expuerunt: neque suppurati effecti sunt, neque linamentarij. neque osſium siderationes contigerunt. hisque uulgaris uictus sufficit.

Mediocrem ac moderatā orationem dilucidítatem efficere uel ex hac quæ longa est, cognoscere possumus: cuius ego priorem partem modo superius exposueram, quam Hippocrates longius protrahēs obscuram reddidit: breuibus tamen in hunc modū exponi potuisset. fracturæ costarum cum simplices & solæ sunt, speciem quidem grauiorem quam contusiones prę se ferunt: ui tamen sunt mitio

mitiores: curanturq́ absq; periculo citissime. at si sine fractura circa costas cōtusę carnes fuerint, maximum interdum periculum afferunt, atque hæc summa horum uerborum sententia est. reliqua particulatim uideamus. Si in prima parte huius orationis breuibus quemadmodum ego, cum simplices & solæ fracturæ costarum sunt, Hippocrates dixisset: clarius rem explicasset: sed ipse quasi interpretans rem circumloquendo ait-ita ut ossa in interiorem partem non penetrarint-de inanitate thoracis intelligēs: in quam fieri non potest ut os penetret, nisi & ipsum omni circumiecta carne denudatum, & membrana quę subcingens uocatur, diuisa fuerit, per hæc simplicem fracturam significauit. sequentibus uero mali mansuetudinem declarat: cum inquit paucos febricitasse, raroq́ sanguinem expuisse aliquos, & suppurasse, aut linimentarios euasisse, quos ἐμμότους uocat: hoc est, ulcus cauum & exesum contraxisse, quod curationem per linamenta desideraret: raro item ossi costæ siderationem contigisse: propterea his uulgarem uictū sufficere. didicisti aūt semper solere uulgarem appellare, id est φαῦλον uictum Hippocratem, eum qui tenui & exquisito contrarius est. in proposita igitur hac oratiōe tota sentētia hæc est. reliqua quæ sequuntur uideamus.

56 Si enim febris continua eos non corripuerit, exinanire hos peius est quàm nō exinanire: doloremq́ & febrem, & tussim maiorem affert: repletio enim mediocris uentris directio costarum efficitur. exinanitio autem costis suspensionem præbet. suspensio dolorem parit.

Ventris tumor firmamentū costis efficitur. unde etiam qui maiores uentres habent, ijs si costa frangatur, minore dolore uexari consueuerunt. quibus uero graciles & cōtracti uentres sunt, grauius dolent: cum infirmatas, ac suspensas costas sentiant. si igitur continua febri corripiantur, exinaniendum est, id est inedia macerandum. quandoquidem maius nocumentum ex esione, quàm ex suspēsione existat. sin febris absit, melius est ut tantum comedant, quantū in tumorem adeo uentrem attollat: ut absq; compresione affectæ partis sedes ac sustentaculum costis fiat.

57 Extrinsecus uero uulgaris deligatio talibus sufficit cum cerato & plagulis & linteis leniter cōprimendo planā deligationē facimus: uel laneo etiam aliquo superimposito. uiginti diebus aūt costa confirmatur. celeriter enim ossibus his callus inducitur.

Vulgarem deligationem appellat, sicuti superius uictum, quamlibet, & quomodocunq; adhibitam: quæ ei quæ accurate fit, contraria est.

58 At si circa costas caro aut ictu, aut casu, aut renitētia, aut aliqua alia causa huiusmodi contusa fuerit, multi iam sanguinem multum expuerunt.

Hæc oratio memoria tenenda uobis ob eos est, qui in lateralibus morbis aliquam necessario ex pulmonis fibris pati opinantur. pulmonem enim cum inflāmatā costam attingat aliquid ex inflāmationis sanie contrahere inquiunt. at Hippocrates nihil pulmone patiente, sed sola affectione in costis existente spuere nonnullos sanguinem asserit. quod quo pacto fiat, inquirere per ociū licet. præsertim cum nos quæstionē hanc, in libro Erasistrati de sanguinis excreatione, perpendamus. satisq́ est nūc, si illud cognoscamus: fieri interdū, ut absque ulla pulmonis affectione ex costarū læsione aliqui sanguinis sputū educant. quin & in alijs sæpe inspexistis, cū è cute non uulnerata sed integra in fracturis cruentus humor emanat sic ut fascias omnes imbuat: cum tamē multo densior cutis circa membra longa quę κῶλα appellantur, sit, quàm quæ subcingit costas mēbrana. ut nihil mirū esse debeat, si per eam quippiā in interiorē partem ex affecta costa effluat: quod statim postea in gutturales cauitates pulmonis in expiratiōibus excipiatur. quemadmodū in ijs uidere licet, quibus uulnerata membrana hæc fuerit. quicquid enim per uulnus in thoracē infuderis, statim ad os ascēdere cōspicitur. id quod Erasistratus nō aduertens in absurdas rationes inductus est in libro, quē De sanguinis excreatione inscripsit: quę q̄ prauæ sint, ex me sæpe super ipso opere differente audiuistis.

59 Riui enim in cassa parte unicuiq; costæ obtēta, & tenores ab opportunissimis partibus corporis exortus habent. unde multi & tussiculosi, & uomicosi, & suppurati, & linamentarij effecti sunt: in costæq́ siderationem inciderunt, quòd si etiam nihil huiusmodi contigerit, tardius tamen dolore destituuntur, quibus contusa caro circa costam, quàm quibus fracta costa fuerit. magisq́ his dolorum recidiuas patitur locus. magisq́ tales noxas negligunt nonnulli, si costa fracta ipsis sit.

Riuos appellat arterias ac uenas: cassam costarum partem, quæ inter ossa intercedit, ubi intercostales musculi sunt: tenores, neruos. hæc autem omnia ob opportunissimis corporis partibus exoriri ait, propterea quòd uenarum harum origo, non secus atque arteriarum iuxta cor est. nerui uero à dorsualibus qui circa thoracem sunt, ortum habent. quadamq́ communicatione cum reliquo neruorum pari iunguntur, qui à cerebro descendunt. Quæ deinceps scribuntur, si quis memoria teneat omnia quæ superius in his commentarijs dicta sunt, patent.

60 Quin & exactiore curatione indigent hi, si sapiunt. de uictu enim detrahendum, & quiescendum corpore quammaxime: à uenereq́ abstinendum est.

Exactiorem, exquisitiorem, accuratioremq́ uocat, uulgari & uili contrariam.

A cibisq́

61 A cibisq; omnibus pinguibus, aſpredinoſis & ualidis.

Quicunq; cibi fauces exaſperant, tuſsiculamq; prouocant, aſpredinoſi hic ab aſpredine quam afferunt, uocantur: id quod pinguibus, & acidis, & acribus accidit. ualidos aũt appellat, qui difficilis concoctionis ſunt. uerbum autem hoc aſpredinoſum in accuratis exemplaribus κερχνώδεις per ν in ſecũda ſyllaba ſcriptum reperitur: quod à κέρχνου fit. κέρχνου enim Iones κέγχρου, id eſt milium nuncupant: quando uidelicet ſenſus in faucibus & gutture exiguarum aſpredinum ſpeciem, perinde ac milij præfert: quaſi milioſos dixeris. quod uero ſuperius de ijs qui circa pulmonem tuberculis diuturnis & immaturis affecti ſunt, dixit: quòd difficulter ſpirant, & ſtridulam faucium aſperitatẽ habẽt, id abſq; ν. κερχώδεις legitur: idq; à κέρχειν deducitur: quod ſonũ & ſibilum facere ſignificat: quaſi ſibiloſos dicas: cum uel anguſtia aliqua, uel humiditas amplior, uel, quod plerunq; cõtingit, utraq; hæc ſpirandi meatus occuparunt, ita ut ſine ſono euadere ſpiritus nequeat: cuiuſmodi ſpirationem denſam nonnulli appellant. cur aũt à tuſsim mouentibus cibis abſtinere iubeat, apertum eſt: cum quieſcere omnia affecta membra debeant. unde etiam poſtea tacendum eſſe cenſet. alia quoq; omnia quę uehementem motionem toti corpori afferunt, manifeſta cauſa eſt cur cauenda eſſe moneat: quippe cum unà cum toto pars etiam agitetur.

62 Tum uena ad cubitum ſecanda: tacendumq; quàm maxime eſt. plagulis uero locus contuſus non multiplicibus, ſed multis longeq; latioribus ꝙ cõtuſio ſit, tegendus: ceratoq; ſublinendũ. tum linteis latis, latis mitellis, & mollibus deligandum mediocriterq; aſtringendũ, ita ut neq; ualde ſe compreſſum eſſe dicat qui deligatur, neq; laxe. incipere autem ſupra colliſionẽ debet qui deligat, ibiq; aſtringere maxime.

Memoria tenẽdum hoc uobis quoq; eſt, aduerſus eos qui ob ſolum plenitudinis, ut uocant, concurſum admittendam uenæ ſectionem opinãtur: è quorum numero quoq; eſt Menodotus experimentarius. ſed eorum ſententia & in libro De ſanguinis miſsiõe per uenas, & in libro De plenitudine falſa eſſe demonſtrata eſt: cum alijs, tum eo redarguta, ꝙ ob huiuſmodi percuſsiones in quibuſdam corporis partibus illatas ad uenam ſecãdam deuenimus: licet qui id patiuntur pleni habitu nõ ſint: quodq; niſi uena inciſa ſanguis detrahat̃, maxime inflãmationes oriuntur: ex quibus mala procul dubio accidentia conſequantur.

63 Deligationemq; ex duobus initijs facere, ne cutis quæ circa coſtas eſt in alterutrã partem inclinetur, ſed æqualiter præpõderet. deligãdũq; uel ſingulis, uel alternis diebus. meliusq; eſt, ut leni aliquo aluus ducatur: quantũ uidelicet ad exinaniendũ cibũ ſufficiat. et decẽ quidẽ diebus extenuemus: deinde alamus corpus, & obeſemus.

A Laxa ſupra coſtas cutis pleriſq; eſt, & pręcipue ſi pingues non ſint: uel ſi eo tempore non fuerint, quo læſionem paſsi ſunt. hos igitur inquit, ex duobus initijs, id eſt à medio orſa faſcia eſſe deligandos: propterea quòd ſi ex uno initio faſciantur, in alterutram partem ijs cutis ſoleat inclinari. ſed ſi ex ſuperabundãti cautione pingues quoq; ita deligaris, nihil lædes: præſertim ſi iuxta alam (ibi enim laxior eſt cutis) contuſio ſit.

64 Sed cum extenuamus aſtrictiore: cum ad obeſitatẽ deducimus, laxiore utendũ de-
B ligatione eſt. & ſi inter initia ſanguis expuitur, cura ad quadrageſimũ uſq; diem adhibenda eſt, & deligatio facienda: ſi nõ expuitur, ſatis, ut plurimum, uiginti dies erũt. ex ui autem uulneris tempus coniectandum.

Hoc commune omnibus fracturis eſt. dictaq; à me etiam ſuperius multa alia ſunt ex ijs quæ nunc ab Hippocrate dicuntur, cum librum De fracturis explanabamus. inde ea repetẽda uobis memoria ſunt, non mihi ſcribendo iteranda.

65 Nã qui tales contuſiones neglexerint, etiam ſi nihil aliud mali patiantur, illud certe nõ euitabunt, quin locus affectus muco-
C ſiorẽ carnẽ cõtrahat, ꝙ prius habebat. Vbi uero tale quippiã relinquitur, & curatione non probe exprimitur: deterius quidẽ eſt, ſi iuxta os mucoſum id relinquatur: quippe cũ neq; amplius caro ſimili modo os attingat, & os ipſum morboſius efficiatur: quin ſiderationes quoq; oſsis diuturnæ ex his occaſionibus multis iam contigerunt.

Mucoſum humorem eum cõſueuit appellare, qui lentore quodam, & albedine præditus eſt: qui ad exangues partes, hoc eſt oſſa & cartilagines cogi conſueuit: cum imbecilla ita natura eſt, ut bene conficere alimentum in ipſis nequeat: ſed quaſi ſemicoctum quid relinquat. nõ ſecus atq; in oculis
D membranæ relinquunt, cum lippitudine ea laborant, quã à ſordibus his λήμην uocant. imbecillior autem natura euadit, aut ex propria intemperatura, aut ex multitudine humoris, qui illuc cõfluxit: quemadmodum in præternaturalibus tumoribus euenit. reliqua orationis huius aperta ſunt.

66 Verum ſi etiã iuxta os minime ſit, ſed ipſa caro ſit mucoſa: ſic quoq; recidiuæ & dolores interdũ fiunt, ſi quis forte corpore laborarit. propterea deligatione utendũ eſt tum bona, tum conueniente: quoad exiccata atq; abſorpta hæc exuccatio fuerit, quæ in contuſione extiterat: carneq; ſana opple-tus locus fuerit: caroq; oſsis augeatur.

Caro nõ propria sui ratione fit mucosa, aut quę cunq; alia pars quæ sanguine prædita est. propriũ enim eius excrementum eiusmodi est, cuiusmodi in fluxionũ affectionibus, & iecinorarijs deiectio nibus apparet. unde frequenter in ossibus, aut car tilaginibus, aut membranis: raro in carnibus mucosus hic humor colligitur: aut ex communicatio ne quam cum illis partibus habet, aut ex copia suc ci qui illuc confluit, quando pituitosus & mucosus collectus ibi humor est. qui sanè exinaniri diffi culter potest: cum neq; perfusionibus, neq; cataplasmatis, neq; medicamentis aut attrahi, aut discuti ualeat, neque alia aliqua re: nisi prius attenua tus, atq; in uaporem dissolutus fuerit. quoniam ue ro lentus humor dissolui in uaporem nõ facile po test iccirco difficulter euacuatur. ubi igitur huiusmodi aliquid excrementi relinquitur, leui de cau sa fit ut pars ea uexetur: cum ob imbecillitatem prompta ad excipienda excrementa omnia reddi ta sit, quæ in reliquo corpore uel qualitate, uel quantitate aggregantur.

67 Quibus autem neglectum hoc malum inueterauit, ita ut & dolore locus infestet, & caro submucosa sit: ijs optimum in adustione præsidium est. et si caro ipsa sit muco sa, usq; ad os adurendum est: sic tamẽ ut os minime calefiat. si inter costas sit malum, ne que ita in summo adustio facienda est: modo caueas, ne in ulteriorem partem deurẽ do penetres. at si ad os contusio esse uideatur, sitq; adhuc recens, nõdumq; sideratum fuerit os: si parum quidem occupet loci, ita adurendum est, sicut dictum est: si prælonga suspẽsio circa os sit, plures ustiones inijciendæ. De sideratione autem costæ simul cum linamentariorum medicina dicetur.

Cũ lentũ humorẽ medicamentis absumere non possumus, reliquũ est ut adustione succurramus. quæ quomodo facienda sit, manifeste declarauit.

DE FEMORIS LVXATIONE.

68 Cum femoris articulus è coxa excidit, quatuor modis promoueri consueuit: in in teriorẽ partẽ sæpissime: sæpe in exteriorẽ: in posteriorẽ & anteriorẽ interdũ, sed raro.

Qui coxæ acetabulum inspexit ei opus non est ut à me cur in interiorem partem femur sæpissime deinde in exteriorem excidat, causam intelligat. acetabuli enim profunditas omnibus in partibus æqualis non est. unde fit, ut qua humilius supercilium eminet, inde articulus facilius exiliat.

69 Quibuscunq; igitur intro excesserit, crus ijs si alteri comparetur, lõgius duabus de causis merito apparet. nam & ossi quod à coxa procedit, superiusq; ad pectinem fer tur, caput femoris insidet: articuli uero ceruix in acetabulo uehitur. ab exteriore autẽ

A parte, utpote cum in interiorem caput brachij profluxerit, clunis sinuata conspicitur.

Ferè omnia ipse à principio exorsus ita aperte scripsit, ut explicare clarius queat nemo. quin & causas etiam eorum quæ dicit, manifestissime sub iungit. quare id quod sæpe à me dictum est, nunc etiam repetam. si quis ijs quæ dicuntur, animum aduertat, si non semel, at certe iterum, ac tertio relecta facile intelliget.

70 Extrema femoris pars ad genu, tibia item, & pes simili modo spectare in exterio rem partem coguntur. unde fit, ut quia pes extra uergit, medici ob imperitiam sanum pedem ad hunc, non hunc ad sanum appli- B cent. propterea multo longius læsum crus quàm sanum apparet.

Hoc quoq; cõmune esse omnibus quæ secesserunt, ut alterum extremum in oppositum locum, quàm id quod excessit abeat: superius demonstra tum est. nunc igitur etiam cum caput femoris introcesserit, merito alterum extremũ quod est ad genu, in exteriorem partem uergit.

71 Multis quoq; alijs modis obintelligen tiam hæc habent.

Obintelligentiam non deceptionem absolute, sed eam quæ ueritati adiacet, atq; ob id probabilis uidetur, appellare Hippocratẽ solere, dictum etiã à me superius est, cum præter id quod uerum est, C intelligamus atq; aberramus. hęc autem deceptio de qua nunc loquitur, fit cum in comparando affe ctum membrum sano à naturali figuratione mem bri aberrant nonnulli. cum enim deberent proten dendo rectà ad sanum crus affectum comparare: econtrario faciunt: sanum affecto applicant.

72 Sed neq; conflecti ad inguen, quemad modum sanum potest. quin & si contrectemus, caput femoris in interfemineo euidẽ ter extuberare sentitur. atq; hæ notæ quidẽ eorum sunt, quibus intro femur exciderit.

Conflectitur quidem, sed cum dolore, & non prorsus: cuius rei in causa sunt musculi à posteriore parte ijs qui inflectunt femur oppositi: qui usq; D ad integram conflexionem sine dolore non consequuntur. quoniam cum ita femur luxatum est: amplius ꝙ naturaliter conueniat, singuli in summis inflectionibus subsistunt.

73 At quibus elapsus articulus reuersus non fuerit uel frustratione uel neglectu: ijs circũuolutim non secus ac bob. ambulatio fit: et in sano crure uexatio plurima cõtigit.

Cum lõgius alterum crus in luxatione euadat, necesse est, ut qui ita sunt affecti, ingressionem, nõ secus ac boues faciãt. propterea ꝙ quẽadmodum in principio huius libri ipse quoq; dixit: illi etiam laxum articulũ coxæ habent. sed fortasse causa hu iusce rei non tantũ in laxitatem dearticulationis, uerumetiam in musculorum qui ipsum mouent,

debi

A debilitatem erat referenda. non enim si robusti essent, difficulter dearticulationē inflecterent. ea uero inflexa circumferre in exteriorem partem crus minime esset necesse. crurum siquidem ingressio fit, dum alterutrum per uices & firmatur, & mouetur. quādo enim sinistrum firmatur, tunc dextrum à posteriore parte in anteriorem traducimus: eoq; ibi ante collocato ac firmato, sinistrum rursus à posteriore parte simili modo prorsum mouemus. sicq; eo in anteriore parte firmato rursus ad dextrum promouendum redimus: atq; ita subinde facimus: semperq; alterum erectum in terra firmamus, alterum quod mouemus, attollimus. si enim natura esset cōparatum, ut neq; ad genu, neq; ad coxam inflecti crura possent: transferre crura tanquam ligna quædam prorsus cogeremur: sic ut in
B altum aliquatenus alterutrum ipsorum sublatum, in orbem postea circūuolueremus. sed quia utrisque his dearticulationibus cōtrario quidem inter se, at toti cruri perquā utili modo inflecti possunt, idcirco absq; eo ut in orbem circunferamus, uel attollamus crura tanquam ligna, cōmode ingredimur. nam dearticulatio quæ est ad inguen, in priorem partem femur: quæ est ad genu, in posteriorē tibiam attollit. ut etiam si crus quod traducimus, longius eo sit quod in terra firmatum est: nō opus sit tamen ut in exteriorem partem circumuoluatur: si modo musculos ualidos habeat, qui cito inflectere utranq; dearticulationem queant. cum uero prompte inflectere ob imbecillitatem nō possunt, doloreq; auersantur: circunferre id in orbem
C cogūtur. nihil enim ne attollere quidem rigidum sicut lignum musculis licet, qui imbecilli sint, aut dolore afficiantur. atq; ob hæc potius, q̄ ob longitudinem quæ cruri accessit, ingressionem circunuolutim fieri, ex eo quod ipse Hippocrates subiūgit, exemplo manifeste cognosces. inquit enim. nam et quicunq; in pede aut tibia ulcus habent, ingredi crure non admodum possunt: et infantes ita ambulant. his siquidem ita ingredi contingit, licet crus longius ipsis non euaserit, ex dolore quo attentantur, cum dearticulationes inflectunt, ad inguen & genu præcipue, tum etiam ad malleolum. hac enim dearticulatione summum crus resimari necesse est cum naturali ingressione ambulamus: sursumq; attolli totum pedem. alioqui enim præ-
D sertim inæquali in solo offenderet.

74 Coguntur q; hi circa ile & circa articulum luxatum manci & obstipi esse.

Non cum firmato sano crure alterum luxatum mouent, & transferūt, hoc modo figurare seipsos coguntur: sed cum affectum firmantes, sanum traducunt. non enim læsum superiecto corpori erectum substat, quemadmodum cum naturali in statu erat, ad rectam lineam in solo firmatum: sed obliquum sic ut ab inguine in exteriorē partem promoueatur. in quam etiam corporis partem quæ è directo ad crus affectum sita est, inclinare consuerunt: quippe cum in periculū ueniant ne in contrariam partem subuertantur. atq; ita fit, ut ad ile corpus contrahāt, ac recipiant. κενεῶνα enim, id est ile locum eum uocat, qui inter iliorum ossa & adulterinas costas intercedit: propterea quòd κενὸς, id est uacuus & cassus ossibus est: quasi cassum dixeris. Sed cum neq; hoc modo læsum crus gestare corpus tum ob imbecillitatem, tum ob figurationem queat, subsidio indiget: quod qui id patiuntur, ab ipsa re edocti manu suffulciēdo afferūt: atque id ubi maxime est opus, extrinsecus ad femur. id quod cum ad partem eam affecti cruris inclinari eos cogat, ipsorum obstipitatem atq; obliquitatem circa ile auget. nam siquis etiā absq; cruris in exteriorem partem porrectione hac figuratione constituatur, ile ipsi subsistit ac sinuatur.

75 In sano uero crure in exteriorē partem clunis rotunda extare cogitur. nam si quis pede sani cruris extra ingrederetur: reliquū corpus in læsum crus gestandum reijceret. sed gestare id læsum crus non potest: quomodo enim posset? quare cogitur pede sani cruris intus, non extra ingredi. ita enim fit, ut sanū crus maxime partem corporis, quæ sibi & cruri læso imminet, sustineat.

Immutata loquutione obscuritatem quandam induxit: ita enim erat dicendum: ut ego nunc subiungam. In sano uero clunis in exteriorem partem rotunda extare propterea cogitur, quia intus crure hoc ingreditur. si enim quis extra ingrederetur, reliquum corpus in læsum crus gestandum reijceret: id quod fieri non potest. ita enim fit ut sanum crus maxime corpus sustineat &c. hoc est, hoc modo, quando uidelicet sani cruris pede ingredimur: tunc enim totum corpus firmari optime potest, ut subuerti difficulter queat.

76 Cum aūt excauentur & ad ile & ad articulū pusilli uidentur: coguntur q; baculo à latere sani cruris reniti. ea parte enim baculi cōtatione est opus: quippe cū in eā & clunes uergant, & pondus corporis ingruat.

Quia affectum crus superpositam sibi corporis partem gestare non potest, propterea & totum crus sanum quàm intimam in partem subijciunt: & ipsi supra id toto corpore incumbunt. fit enim ut cum in alterā partem propendeant, periculum sit, ne in contrarium à crure affecto subuertantur. quemadmodum igitur cum transferre in anteriorem partem sanum uolebant, manu affectum suffulciebant, ne sublaberetur: ita sanum baculo firmant, eiusq; auxilio subnituntur.

77 Coguntur etiā inclinari: quippe cum manum læso cruri à latere femoris obfirmare compellantur. in crurum enim uicissitudine corpus gestare læsum crus nequit, nisi ad terram compressum detineatur.

Hic quoq; obscuritatem quādam creauit. cum non dixerit se ad reliquam partem ingressionis transire. hucusq; enim de parte ea ingressionis lo-

quutus est, in qua crure quod naturali in statu est, in terra firmato alterum affectum in anteriorem partem traducitur, nunc uero de altera ingressus parte agit: cum affecto crure firmati ac subnixi sanum traducũt: sed paulo ante de hac ingresionis parte dictum iam est.

78 His igitur figurationibus uti coguntur ij, quibus in interiorem partem prolapsus articulus non redierit. nihil'que homo præmeditatur ut quamfacillime figuretur: sed casus ipse ex præsentibus facillima eligere edocet. nam & quicũq; in pede aut tibia ulcus habent, insistere crure nõ admodum possunt: & infantes ita ambulãt: læso enim crure extra ingrediuntur.

Cum duabus figurationibus nõ una utantur in deambulationibus illi qui hoc modo affecti sunt, merito his dixit. altera enim est cũ manu crus læsum suffulciunt: altera cum in sanum toti incumbunt. unde etiam conti & baculi subnixione indigent. qua re fit, ut in cõtraria his corpus diuergat, modo in dextram partem inclinatis cum dextro pede: modo in sinistram, cum sinistro firmantur. hisq; præterea deformiore uti figuratione in ingresione contingit, quàm ijs quibus coxa in exteriorem partem luxata est, de quibus deinceps dicet.

79 Ac duplex lucrum consequuntur: duplici enim indigent. nam & corpus nõ similiter supra crus extra ingrediens gestatur, sicut supra id quod intus est. non enim è directo ad ipsum est pondus: sed multo magis ad id quod subingreditur. ipsi siquidem & in ipsa ambulatione & in crurum transmutatione è directo incumbit pondus. in hac figuratione sanum crus citissime supponere poterit, si eo quod læsum est exterius, sano interius ingrediatur. de quo igitur est sermo, bonũ est ut sibijpsi corpus eas figurationes reperiat, quæ facillimæ sint.

Dum extra affectum crus circumducunt, intus uero sano firmantur, duplex lucrum consequuntur: quòd neque læsum crus grauatur toti corpori subnixum: neq; ministerium diutius subit, cum sanum per breuissimũ interuallum moueatur. nam si diligenter aduertere uolueris, atque obseruare tempus quo utrunque crus ambulationi ministerium exhibet: non modo duplo, sed triplo amplius esse alterũ altero reperies. per paucissimam enim distantiam etiam celeri delatione sanum mouetur: ægrum uero per longissimã & tarde. quanto autem maior sit ingresio quæ circulo ducitur, quàm quæ in rectum fit, patet: etiam si utriusque termini ijdem essent.

80 At cum ijs qui nondum ad integrum incrementum peruenere, elapsus articulus nõ est reuersus: decurtatur eis femur, tibia,

A & pes. neque enim ossa in longitudinem similiter augescunt, sed breuiora efficiuntur, & præcipue femur.

Totum crus, inquit, minus efficitur & breuius, quibus femur cum nondum ad integram longitudinem excreuisset, luxatum est. id quod cõmune cæteris quoq; articulis est, quemadmodum etiam prius dixi, cuius quidem rei cõmunis causam ipse subiunxit, sicut mos ei est: ut in particulari aliquo quod cõmune est, semel cõmemoret. ob id enim inquit, absq; auctione atq; alimento crus relinqui, partim quia sede sua caret articulus: partim quia ad usum ineptum euasit. ego uero superius gracilitatis & exiguitatis membrorum causam esse etiã B ocium dixi. utraq; aũt ex luxatione eueniunt. unde nescio quo pacto Hippocrates cum dixerit luxationem esse in causa, deinceps ocium et uacationem membri subiungat. luxatio enim non est quę primo inducere innutricationẽ queat: sed media instrumentorum distortio, & uacatio intercedit.

81 Carne item uacuum, et demusculatum, & effœminatum, & tenuius totum crus fit: partim quia sede sua caret articulus: partim quia cum in naturali situ non maneat, ad usum ineptum euasit.

Totius musculorum substantiæ partes sunt carnes ut sæpe in musculorũ dissectione inspexistis: dum ostenderem ego duo esse sensus ipsorum elementa quæ sensu perciperentur, neruosas uidelicet C fibras, & quæ extrinsecus ipsis accrescunt carnes. cum igitur aliquis exercitationibus, & frictionibus robustior quàm erat, euadit: is fibrarũ substantiam pleniorem, carnis uero tenuiorem quidem, sed ualidiorem tamẽ etiam ipsam habet. at ijs qui exercitati non sunt, econtrario euenit. cum enim fibras graciles habeant, carne multa, sed molli ob humiditatem præditi sunt: horum siquidem caro caseis qui coagulãtur: illorum qui exercitati sunt, iam bene atq; integre coagulatis persimilis est. unde fit ut exercitatorũ musculi duri & neruosi sint, tororumq; delineationes euidentes præ se ferant: inexercitatorũ molles et carnosi appareãt: nec nisi obscuras & exiles circumscriptiones ostendãt. D propterea Hippocrates cũ his crus carne uacuũ fieri dixisset, animaduerteretq; plerisq; exercitatis hominibus idem euenire: subiunxit & demusculatum, quod idem est, ac si dixisset, quod nullas musculorum circunscriptiones habet, quæ sensu percipi queant. non enim aliquos his musculos interire credendũ est: sed sicut deuenatũ et uenis carens corpus appellamus, quod uenas nullas extantes atq; apparentes præfert: ita demusculatũ dicimus, in quo musculorum delineationes obscuræ sunt. adde quod declarare apertius uolẽs, qualis huiusmodi hominib. cruris species euadat, infert effœminatum, hoc est humidum & molle, & non astrictum sed fluidum: cuiusmodi in mulieribus uidere licet. omnia enim hæc de mulierum carne dici cõuenienter possunt: à quibus per translationem effœ-

A effœminatum-dixit-tenuius-uero post omnia ad iungit: ut omnium partium quæ in eo sunt, diminutionem ostẽdat: declaretq́ quod prius dixerat: decurtatur-hoc est γυιοῦται, quasi deartuatur, & demembratur dicas. carne enim uacuum de sola carnis detractione: decurtatum uero de omnibus cruris partibus diminutis dicitur.

82. Vsus enim quidam à nimia effœminatione liberat: & nõnihil etiam ab exolescentia in longitudinẽ. Quibuscũq; cum in uentre sunt, luxatus hic articulus fuerit, ij maxime lædũtur. deinde quibus in prima infantia idem contigit: minime omniũ, qui luxationẽ sunt passi cũ adulti integre iam sunt: quibus qualis ingressio fiat, dictũ iam est.

B Ex Herodoto maxime licet cognoscere uocem hanc-quidam-hoc est μετεξέτερος, qua hic utitur Hippocrates, nihil aliud significare apud Ionas q̃ ἕτερος, id est alius: sæpe enim Historicus ille in hũc modũ nomẽ hoc usurpat. sed ex hac lectione non solum pro ἑτέρῳ, id est alio, sed pro τινός, id est aliquo & quodã sumi posse perspicuũ est. cum enim ante dixerit ex ocio & uacatione crus huiusmodi luxatis decurtari & debilitari: ne aliquis perperã hoc interpretaretur, putaretq́ omnem usum huiusce membri esse interdictum: non omnem inquit: nam quendam, hoc est moderatũ esse eum, qui non modo nõ noceat, uerumetiam prosit. non secus atque omnia cætera in toto salubri uictu: id quod cum alibi, tum uno capite in sexto Vulgariũ morborum in hũc modum ab eo dictum est: cum inquit. Labores, cibi, potus, somni, uenerea, moderata omnia sint.

C 83 At quibus in infantia casus hic apparet: pleriq; corporis directionem ignauiter habent: maleq́ cõuoluuntur ad sanũ crus, manu id ad terrã suffulcientes. quin & nonnulli iam adulti quibus calamitas hæc contigit, ignauiter etiam ipsi deambulationem in rectum curãt. sed infantes hoc malo affecti si recte educentur & regantur, sano crure in rectum utuntur: subiecto uero alæ eisdem sanæ partis scipione, id circunducunt. quidã etiam utrisq; alis idem officium præstant: læsum autem crus suspensum tenent.

D Iis quibus membra ætate confirmata iam sunt: cum accidit hæc calamitas crure quamuis claudicante uti licet. infantibus uero admodũ paruis, cũ idem euenit: & si etiã ipsi, si bene gubernarent, uti eo secũdũ naturã possent, desidia quedã surrepit: ac propterea ignauiter erectã ingressionẽ habẽt, id est negligunt, & præ desidia nõ curant. sed quid mirum? cum illi quoq; qui adulti sunt, idem quandoq; faciant, dum recti claudicare non tolerant, sed, ut inquit, ad sanum crus conuoluuntur. quo conuolutionis uerbo deambulationis modus cuiusmodi in his fiat, manifeste declarauit.

84 Tantoq́ facilius se habent, quãto breuius læsum crus ipsis fuerit.

Facilius se habere inquit, promptius atq; expeditius incedentes: id quod ipsis euenit, cum breuius crus læsum ipsis est. non enim est opus ut con uoluentes in orbem ipsum transferant: quemadmodum cum integre adultis luxatio contigit. illi siquidem cum lõgius ex luxatione effectum crus sit, circulo ipsum traducere coguntur: utiq; ea ingressione, quam circunuolutim in exteriorẽ partem fieri superius dixit.

85 Sanum uero crus nihilo minus ualens ipsis est, quàm si sana utraq; essent.

Merito hoc inquit. sano enim perinde utuntur, ac si utraq; essent sana. cum igitur eius usus idem sit, qui esset, si utraq; in naturali situ essent constituta: efficitur, ut id & alimento plenum & robustum nihilo minus habeant.

86 Omnibus tamẽ huiusmodi carnes cruris effœminantur, atq; ut plurimum ab exteriore parte magis quàm ab interiore. Fabulantur nõnulli Amazonas masculã suam prolem statim ab infantia exarticulare consueuisse, partim ad genua, partim ad coxas: ut claudi uidelicet efficerẽt, neq; insurgere mares contra fœminas possent: eisq́ uti ad manualia opera solitas: cuiusmodi sutoria, aut fabrilia sunt, aut quoduis aliud sedentariũ. q̃d quidẽ sicut an uerũ sit, nec'ne ignoro: ita illud scio: si quis statim ab infantia puerulos exarticulet, tales esse euasuros.

Omnibus, inquit, carnes magis extra articulũ quàm intus effœminantur, cum in interiorem partem excesserit: atq; hoc fit propterea quòd exterior pars magis est ociosa. nam in interiore licet præter naturam, nonnulli tamen ad caput femoris fieri motus consueuerunt.

87 In coxis quidem intus ne an extra facta sit luxatio, multum interest. in genibus interest etiam nonnihil, sed minus tamen. utriusq; uero clauditatis modus proprius est. nam quod in exteriorẽ partem luxatum fuerit, magis decurtatur. minus uero recti stant, quibus in interiorem luxatio cõtigit. simili modo si ad malleolũ luxẽtur, cum in exteriorem partem excedit, manci quidem fiunt, sed stare possunt: cum in interiorem, ualgi efficiuntur, & stare minus queunt.

Mancum, hoc est κυλλόν, nõnulli de omni membrorum longorum distortione intelligendũ censent: generaleq́ ei attribuũt significatum. alij eam tantũmodo distortionẽ significare asserũt, in qua in exteriorẽ partem membrum inclinatur. quod cum accidit, necesse est ut summũ eius, id est pes, intro cõtortus quasi mutilus & mancus appareat:

id quod tamē ad stationis firmitatem nō parū confert. nam illi etiā qui ex naturali cōstitutione uari & obtorti appellant, stabilius stare ac firmius solent: ꝙ qui penitus recta crura habent: quēadmodum etiam declarat Archilochus his uersibus.

Magnum ducem & diuaricantem haud diligo.
Sed paruus is sit, atq; tortus cruribus,
Aptus stabiliter, corde plenus, ingredi.

Accurata tamen hæc nominis huius κυλλὸς significationis disquisitio parū ad præsens propositū facere uidetur: cū ex oratione ipsa Hippocratis res satis pateat. cū enim in exteriorē partē prolabitur articulus, ut inquit, stare homines magis possunt ꝙ si intus prorumpat. estq; pes è directo magis ad totū corpus ijs, quibus coxæ articulus extrorsum: magisq; à directiōe recedit, quibus introrsum est eiectus. scimus præterea eos qui natura ualgiores sunt, & infirmius stare, & neq; currere celeriter posse: sed promptos ad subuersionē, & lapsum leuibus de causis esse. hæc igitur rei differentia in coxam maximā, in genu secundā, tertiā in malleolo uim habet: quippe cum ex dearticulatiōis magnitudine magnitudo quoq; nocumenti cōsequatur. ex his ergo satis constat melius & stare & ingredi posse, quibus caput femoris in exteriorē partem luxatum est: de quo paulo post dicturus est.

88 Coaúctio tamē ossium talis fit: quibus ad malleolos tibiæ os excesserit, ijs pedis ossa minime coaugescunt: quippe cū quam proxime ea ad læsionē sint. ossa uero tibiæ augentur nō multo minus illa quidem: sed carnes tamen minuuntur. at cum ad malleolum in naturali sede manet articulus, ad genu uero excidit: tibiæ os nō simili modo solet augeri, sed breuius fit: est enim proximū malo. pedis autem ossa minuūtur quidem, sed nō simili modo, sicut paulo ante dictum est: propterea quòd articulus iuxta pedem est saluus, ꝙ si eo etiam uti possent ut manco, minus adhuc pedis ossa diminuerentur. quibus uero ad noxam luxatio est: ijs os femoris, cum proximum læsioni sit, non simili modo augetur: sed breuius sano euadit. ossa autem tibiæ & pedis etiam non eodem modo diminuuntur: id quod ob id euenit: quia & femoris articulus qui ad tibiam est, & tibiæ qui est ad pedem, in natura sua persistit. carnes tamen totius cruris minuūtur. nam si uti crure possent magis augerentur ossa, sicut dictum est, excepto femore: minusq; carne uacarēt; quamuis carne multo magis carerent, ꝙ sana. cui rei argumēto illud est, ꝙ quicunq; brachio ab ortu luxato anci euaserūt, uel in auctione prius ꝙ adulti plene fuerint: ij cū brachij os breuius ha-

A beant, cubitum & summā manū paulo exiliorē sanis ob antedictas has causas habent. quia brachiū articulo luxato proximū est: ut ob id breuius euaserit. cubitus uero propterea nō simili modo calamitati succūbit, quia brachij articulus qui ad cubitū est, in pristino statu naturali situs est. manus uero longius quoq; ꝙ cubitus à malo hoc abest: iccirco fit, ut his de causis ossa, & quæ coaugentur, augeātur: & quæ nō augētur, absq; auctione remaneant. nam ad carnulentiam totius brachij manus laboratio multū proderit. B ad pleraq; enim manus opera exercēda anci ea manu parati sunt, quæ altera exequi possunt: atq; id nihilo peius, ꝙ illæsa. non enim supra manus, sicut supra crura gestari corpus necesse est: sed leuia ipsis opera sunt. quocirca fit, ut ob usum carnes neq; in manu neq; in cubito ancis imminuantur. quinetiā brachiū ipsum ad carnis plenitudinē ex hoc nōnullā utilitatē cōsequitur. nam cum coxa etiam in interiorē partem extrusa fuerit uel ab ortu, uel adhuc infanti homini, carnes ob id imminuuntur magis quàm in brachio: quia uti crure non possunt.

C Clara hæc omnino & deinceps subsequens oratio est: cuius hæc doctrinæ capita sunt: ea quæ articulis è propria sede prolapsis sunt uiciniora, incremento & alimento magis destitui: quæ absunt longius, minus. in luxationibus uero femoris quę intus fiunt, magis ꝙ quæ extra, et augmento & alimento carens crus euadere: propterea ꝙ & deterius mouētur, & magis impediuntur. ancos uero, ita autem uocat, ut in luxatione brachij in alam declarauimus, id est γαλιάγκωνας, eos quibus cum adhuc augerentur eorum corpora, ex huiusmodi luxatione os brachij breuius euasit. illos igitur ancos minorem læsionem in toto brachio sentire, quàm in toto crure hi quibus extrusus coxæ articulus fuerit: ea uidelicet causa, quia cum illi in plerisque D uitæ operibus laborare satis possint: hi simili modo uti crure nequeant.

89 Atq; hæc quidem in hunc modū se habere ex illis sumere testimonium quoddam licebit, quæ paulo posterius dicentur.

Testimonium dicturum se esse pollicetur, hæc in hunc modum se habere: hoc est licet præter naturam aliqua sese habeant: ea quæ minus mouentur, magis & incremento & alimento destitui solere. promittit sane ipse Hippocrates se id in ijs quæ paulo inferius dicentur, demonstraturum. quo circa ego quoq; cum ad ea uerba, ubi hoc existit, deueniam: hoc significabo.

90 At enim quibus in exteriorem partem caput femoris excidit: ijs crus affectū si alte

ri obtendatur, breuius apparet: merito quidem. non enim super osse, sicut cū intro excidebat, caput femoris insidet: sed prę ter os inclinatum in carne humida & cedente firmatur: unde breuius apparet. ab interiori uero parte ad gressuram quæ πλιχὰς uocatur, mancius femur & macilentius: extrinsecus incuruatior clunis conspicitur: utpote cum in exteriorē partem femoris caput prolapsum sit. quin & superius clunis apparet: eo ꝙ hac parte caro capiti femoris cōcessit. extrema autem pars femoris ad genu, & tibia, & pes introrsum tendere cōspiciuntur.

De secunda coxæ luxationum differentia nunc sermo ipsi instituitur: signaq; quæ apparent, commemorat, & causas subiungit, sicut in alijs omnibus fecit, ab experimentaria doctrina nihil recedens. sed tota quoq; hæc oratio perspicua est.

91 Sed neq; conflectere quemadmodum sanum crus possunt. atq; extra quidem prolapsi femoris notæ hæ sunt.

Atq; hoc fit, quia musculi à posteriori parte flexioni resistunt, cum in tali figuratione extensionem tolerare diutius nequeant.

92 Quibus uero iam integre adultis elapsus articulus non redijt: ijs totum crus breuius apparet. in ambulatione autē calce contingere terrā non possunt, sed pedis pectore in terra insistunt: paululumq; in interiorem partē summis digitis uergunt. magisq; multo his gestare corpus læsum crus potest, ꝙ quibus in interiorē partē luxatio cōtigit: partim quia caput femoris et ceruix articuli cū in latus tendat, maiori parti coxæ substat: partim quia summus pes nō extrorsum cogitur ꝓminere: sed ꝓpe ad directionem totius corporis, & interius etiā tendit.

Pectus pedis uocat, quod à dissectionis professoribus solum pedis nuncupatur, seu planta: quæ ad initium digitorum sita est. quibus enim naturalem in formā figuratus est pes: ij mediam partē cauam habent, quæ à posteriore parte ima calcis extremitate: à priore initio soli terminatur: ut ijs & calce, & solo, & ultimo digitorū carnoso apice in terra firmatis, reliqua quæ inter hęc sinuantur, prę ter exteriorē partē, quæ tota terram contingit, suspensa habeantur. praue tamen nonnullis pedes formati sunt: quemadmodum qui planci seu planipedes nominātur: qui mediam partē non cauā, sed eminentem ac planā ab interiori parte habēt. quorum formatio ualgis cum sit persimilis, in hac oratione ab Hippocrate prætermissa est. considera igitur quę deinceps dicuntur, in formatis secundum naturam singula perpendens. hi siquidē cum moderate progrediuntur, totū calcem, & solum, & carnosos digitorum uertices in terra firmant. at si maxima digressione conētur incedere: inter initia quidem calce: deinde quando iam in priorem partē alterū crus traducunt: tunc solo quoq; terrā cōtingunt: postremo quando simili modo altero pede in longissimū interuallū progredi uolunt, in terra firmare calcem incipiunt: tum firmati prius pedis calce sublato, summis digitis terræ obnituntur: atq; hæc eorum qui naturaliter cōstituti sunt, ambulatio est. eorū uero qui ex affectione aliqua aut longius aut breuius habent crus: duplex utrorumq; causa est. aut enim humiditas multa neruosarum partium, aut luxationis genus: de quo nunc propositū est. modus uero ingressionis priorum eiusmodi est, qualis paulo ante dictus est: secūdorum, qualis nunc cōmemoratur. nam cum, ut superius dixit, caput femoris carnosa sedes excipiat, non os, quemadmodum in altera luxatione: fit, ut ibi cedēte carne, & unoquoq; musculo ad ꝓpriū caput suum retracto, simul totum femur contrahatur. atq; idcirco minus crus totum altero apparet. neq; simili modo terram cōtingere, sicut cum in naturali statu erat crus, possunt. quando igitur ingredi coguntur, qui ita affecti sunt: contrarium in modum pedem figurant, quàm illi qui antea dicti sunt, quibus longius crus læsum quàm sanum esse uidebatur. illi enim ad tali dearticulationē pede resimato sursum digitos attollebant. hi contrà inclinant, & deflectunt in terram pedem: ac summis digitis eam attingere conantur. propterea fit, ut circa coxam affectam sese demittant: quo non solum summos digitos in terra firment, uerū etiā multo amplius ex pede quàm digitos: hoc est eam quoq; partem, quam à dissectionis peritis solum & plantā appellari dixi, pectus Hippocrates nuncupauit. quod si calce etiam in terra uelint desidere: adeo demittere ac deprimere coxam affectam coguntur, ut cum in alteram partem toti propendeant, periclitentur ne cadant. hac de causa ne tentant quidem in ingressione uti calce.

93 Cum tamen in carne in quam prolapsus est articulus moram inuenit, & caro lentorem contraxit, dolore uacans temporis processu euadit. cū uero dolore uacat, absq; baculo si alioqui uoluerint, possunt ambulare, possuntq; corpus læso crure sustentare. atq; ob usum his fit, ut minus carnes effœminentur, quàm illis de quibus paulo ante dictum est. effœminātur uero uel magis uel minus, magisq; ab interiore parte, ꝙ ab exteriore plerunq; effœminantur. ac nonnulli quidē horū calceū sibi inducere ob rigiditatē cruris non possunt. nonnulli etiam id possunt. q̄bus uero cū in utero sunt, luxatus hic articulus, aut cū adhuc adolescūt, ui eiectus non redierit, aut etiā ex morbo excesserit, extrususq; fuerit (multa eñ huius-

modi cōtingunt) horū inquā nonnullis, si insuper sideratū femur fuerit: suppurationes diuturnæ, & quę linamenta desiderent, exulcerationes eueniunt: osiumq; nonnullis denudationes. simili modo uero tā quibus sideratur, ꝗ quibus non sideratur, os femoris multo breuius altero euadit: et augeri simul cū sano non solet. ossa itē tibiæ læsi cruris breuiora quidē etiā ipsa ꝗ sani efficiuntur: sed paulo tamē, ob easdē causas quæ superius etiā cōmemoratæ sunt. possuntq; hi ambulare: alij eodē modo, ut iam integre adulti, qbus elapsus articulus repositus nō fuerit: quidā sic, ut toto etiā pede insistant.

Per translationem moram dixit à locis diuturna immoratione attritis, atq; assuefactis. eiusmodi autē oratio eius hæc est. cum caput femoris è propria sede elapsum in exteriorē partem in carne firmatum fuerit: inter initia qui id patiuntur ex compressione dolore afficiuntur: postea uero temporis processu caro ibi, non secus ac fossorū manus, occallescit. quod cum fit, locus dearticulationi similis euadit: cum mora illa, quemadmodū antea acetabulo coxæ caput femoris utatur. nam præter alia etiam humor quidam ibi coalescit, à principio ex inflāmatione amplior quidē collectus: postea parte eius tenuiore & aquosa medicamentis extrinsecus impositis dissoluta, lentus ac mucosus relictus: id quod ad motionē capiti femoris commodissimū est. ob hanc enim humiditatem mora illa tanꝗ articulo utuntur: magisq; in exteriorem ꝗ in interiorem partē inclinantur. oppositas uero partes ijs quæ articulum elapsum excepere macilentiores & molliores fieri propterea dictū quoq; superius est: quia ab operatione magis uacat. nam illinc ubi firmatus articulus est: licet præter naturam, nonnullæ tamē motiones existunt magis ꝗ unde discesit primæ quædā, & ex accidenti nonnullæ leues quæ ex primis illis cōsequunt̄: quamuis partes illæ effœminentur. atq; hoc testimoniū illud est, quod in sequentibus dicturū se esse pollicitus est, De ijs partibus quæ magis uel minus alimento destituuntur, & attenuantur.

94 Sed diuergunt tamen in ambulationibus à breuitate cruris coacti. hæc autem huiusmodi eueniunt, si diligenter in figurationibus et recte in quibus oportet, fuerint instructi: & priusꝗ ad ambulationem confirmentur, & postꝗ confirmati fuerint, nihilominus diligenter & recte. plurimam diligentiam requirūt, quibus à prima infantia malum hoc cōtigerit. nam si in infantia neglecti fuerint, ijs inutile prorsus, caresq; augmento totum crus euadit: carnesq; totius cruris magis ꝗ sani diminuuntur. multo ta-

A men minus, quàm quibus intro exciderit articulus, ob usum & laborem, ut statim uti crure ualeant: quemadmodum paulo ante de ancis dictū est. Sunt uero nonnulli quibus partim ab ortu statim, partim ex morbo utrorumq; crurum articuli in exteriorē partem excesserunt. ijs ossa quidem ijsdem noxis afficiuntur: at carnes minime effœminantur. satisq; carnosa etiā, nisi quid ab interiore parte paululum deficiat, crura ipsa euadunt. ob id autē sunt satis carnosa, quia utrisq; cruribus simili modo utuntur.

B Quidnam significet diuergunt, id est διαῤῥέπουσι, hoc est in utranq; partem propendent, & inclinantur: licet superius etiam dictum sit, nunc tamen etiam dicetur. cum femur in exteriorem partem luxatur, attrahitur à musculis qui hac parte sunt, ut paulo ante diximus: atq; unà cū eo totū crus cōtractū breuius efficitur: ut uix attingere terrā queat. hac de causa solo pedis pectore, dum ingrediunt̄, uti coguntur: ac toto corpore ad affectū crus dum eo insistunt, inclinantur. necesse igitur ipsis est, ut cum sano operari uoluerint, in ulteriorem partem id traducēdo, in id rursus femore erecto uergant. atq; ita in ambulatione in duas has figurationes alternatim subinde immutentur: dum eo tempore quo naturaliter affecto crure firmātur, corpus attollunt, atq; erigūt: quo uero in læsum crus incum-

C bunt, in eam partem demittunt, atq; inflectunt. transmutare igit̄ corpus modo ab erecto et arduo statu in humilē & flexū: modo ab humili & deflexo in erectū & celsum, diuergere appellauit: uno hoc uerbo hāc figurationū uicissitudinē significās

95 Simili enim modo in ambulatione hac & illac iactātur: maximeq; cluneminuli ob articulorum excessum uidentur.

Quibus utriq; articuli luxati sunt, cum utraq; crura in exteriorem partem promineant, mutatio figurationum totius corporis in ambulando similis in utroq; crure fit: sicut in altero tantum exarticulato fiebat, cum eo in terra impresso, deprimebantur ad ile & excauabantur. nam cum affecto

D crure firmabantur, hoc modo figurari consueuerant: cum altero sano insistebāt, arduū attollebant corpus, directūq; ile efficiebant. nunc uero utrisq; cruribus tam dextro quàm sinistro simili modo inclinantur. ac nihilo minus hac quàm illac diuergunt in pedū firmantiū uicissitudine, id quod iactari in ambulatione dixit. diuergere eñ & iactari, id est διαῤῥέπειν & σαλεύειν idē fere hic significāt. cōmunius tamen est iactari ꝗ diuergere. hic enim euenit ut similiter utrisq; corporis partibus figurentur: dum per uices alterutrū crus in terra sistūt. prius uero non ita erat, sicut demonstratum est.

96 Quòd si non siderata ossa ipsis fuerint, nec gibber supra coxā contigerit (nonnullos enim talia quædam etiam occupant) si

igitur huiusmodi aliquid non euenerit, satis salubres in reliquis degunt.

Ex crurum luxatione per contagionem gibberosos nonnullos fieri perspicuũ est: inflãmatione primum in uertebrarũ copulis exorta, deinde duratione quadam ibidem relicta. quippe cum fieri hoc etiam in locis extrinsecus conspiciatur, in poplite uidelicet, & in cubiti dearticulatione: quin etiam in digitis nõ raro. quod ἀγκύλην, id est amentum uocant. fit enim in huiusmodi dearticulationibus amentalis hæc extuberatio non nisi ex duratione quã σκίῤῥον dicunt: cum extẽdentibus membrũ musculis tendo non obsequitur. quemadmodum si extendentes obdurati inflectentibus non cedant: circa huiusmodi dearticulationem forma rigida existit, quam ὀρθόκυλλον, id est erectimancã appellant. potest igitur fieri, ut uel ex huiusmodi aliqua duratione spina distorqueatur, uel ex contagione tuberculo aliquo immaturo & maligno exorto, & adstrictionẽ inducẽte. Quomodo uero ex talibus affectionib. spinæ distortio cõsequatur, superius in propria eius tractatione explicatũ est.

97 Magis tamẽ hi inepti euadunt, ut toto reliquo corpore excepto capite augeantur.

Si in exteriorem partem coxæ articulus exciderit, melius qui id patiuntur, quàm quibus intus luxatio contigit, ingrediuntur: modo ex inflãmatione & cõtagione pericula opportunarum partium euaserint. sed his tamen magis ꝙ illi obnoxij sunt. secessio enim articuli in anteriorem partem super osse saltem insessionem habet: quod neq; cõprimi ob duritiem, neq; inflammari potest. at cum locus exterior femoris maximis musculis sit occupatus, fit, ut ij, si luxatio eam in partem contingat, uehementi dolore afficiantur. contunduntur siquidem musculi cum supra eos articulus prolabitur. colliduntur, & tumore præternaturali illuc prorũpente, id est capite femoris distẽduntur: ex sensuq; horũ omniũ dolorẽ cõtrahunt. atq; ita cum ex cõtusione & collisione inflãmatio his in musculis exoriatur, qui articulum prolapsum excipiunt: cum cætera uicina membra, tum partes circa spinã contagione afficiuntur. quę ubi semel ęgrotarint, ijs qui in auctione adhuc sunt, tum hæc inepta magis ut augeantur, & minora, quàm cętera omnia deteriora euadunt. meminisse enim te oportet, id quod & sæpe à me dictum est, & paulo superius dictis attestatur: sicut ijs qui in auctione patiuntur, membra minus augeri: ita iam adultis hominibus macilentiora fieri, & molliora. cum autem spina augmẽto destituitur: consentaneum est, ut totum corpus ijs qui hoc modo luxati sunt, exilius efficiatur. nam infra crura ex contagione minuuntur. supra crura usq; ad caput spina occupat. quocirca si & spina breuior, & totum crus redditur: merito de huiusmodi hominibus dici potest, magis ineptos fieri ut toto reliquo corpore excepto capite augeantur.

98 At uero quibus posteriorẽ in partem caput femoris excidit (paucis autẽ excidit)

A ij neq; ad articulum qui excidit, neq; admodum ad poplitem extendere crus possunt. atq; id minus, quàm quibus ex uetusto idẽ contigit. hi enim magis & ad inguen & ad poplitem articulum extendunt.

Paucis in hunc modum caput femoris luxatur ob eam quam superius diximus causam: quia uidelicet acetabuli profunditas inæqualis est. propterea enim fit, ut ubi parum excauatũ os est, frequentius excidat articulus. atq; iccirco in interiorẽ partem magis id contingit. ubi uero altius descendit, rarius. unde paucis in posteriorem partem luxatio hæc fit. euenit autem in hoc luxationis modo, ut ad inguen nullo pacto: ad genu non perfecte

B crus extendatur. cuius utriusq; causa musculorum positura est, quorum totam naturam exacte & in Musculorum dissectione, & in secundo Dissectoriarum tractationũ licet descriptam habeatis: pauca quædam tamen hic quoq; afferam, ut in memoriam uobis ea reuocem: quæ dum simiam dissecarem, sæpe inspexistis. id enim animal in plerisq; homini corporis structura correspondet. Memoria igitur repetite primũ musculum ex lumbo ad processum eum femoris pertingere, quem paruũ trochanterem quasi rotatorem dixeris, uocant: secundum ex osse pubis huic continentem qui ad eundem processum connectitur. Hi musculi quando caput femoris retro excidit, cum illuc circumuoluantur, & circumtorqueantur circa acetabulum,

C uehementer intenduntur. sicq; is qui hoc patitur, extendere articulum hũc uellet, opus esset, ut totum femur ei retro cõuolueretur: atq; ita prædicti duo musculi tracti atq; intenti maiorem in modum affligerentur. nam cum sint maiores effecti ꝙ prius essent, maiorem distentionem tolerare absq; dolore non possunt. quin neq; omnino id posset: propterea quòd caput femoris quod ex acetabulo excidit, à posteriore parte osis quod ipsum cõtinet, collocatũ est. quòd si penitus inflexo inguine extremum femoris quod ad genu est, esset multũ attollendum: necesse esset, ut caput femoris ad interiorẽ partẽ constitueretur. quod sane fieri nequit, nisi musculus qui ipsum excepit, diuulsus fuerit: in quẽ id naturali sua dearticulatione prorupit. adde

D ꝙ neq; alterum id quod priusquam extenderetur articulus in dearticulatione inguinis fiebat, existere amplius ualet. nam neq; extẽdi, neq; inflecti integre amplius potest. Cæterum cur Hippocrates alterius tantummodo, id est extensionis mentionem fecit: ob id sane quia statim post luxationem inflexum femur apparet. quippe cum extremitas eius iuxta genu tantum in priorem partẽ processerit: quantum caput in posteriorem abijt, quantũq; ad inguen crus inflexum conspicitur. ad poplitem præterea musculi omnes posteriores, cũ in posteriorẽ partẽ hoc modo secedit femur, in originibus suis desuper intenduntur: quibus partibus intentis totũ quoq; reliquũ eorum corpus extendatur necesse est, usq; ad tendones qui ad tibiã pertingunt. tendonum uero extensio tibiam inflectit. quapropter

pter qui ita luxati sunt nõ iniuria utrasq; dearticulationes inflexas habere conspiciuntur. quas cum extendere conantur, in ea maxime quę ad inguen est laborant, impotentesq; sunt. Vnde Hippocrates hos tantũ dixit dearticulationes has extendere non posse: sed in coxę articulo absolute dixit: in genu adiunxit admodum: quod ualde et multum significat. quasi ibi extendi quidẽ crus possit, non tamen multum, & perfecte. quod enim perfecte fit, nihil ab eo quod naturale est, deficere consueuit. hoc autẽ euenit eandem ob causam, ob quam fit, ut post exarticulationẽ, poplitis articulus confestim inflectatur. sciendum etenim tibi illud est, quod in omnibus distortionibus est cõmune, cũ intenduntur partes aliquæ ex proximarum consequutione inclinationes in eas fieri. nihil enim est ex ijs quæ dimouentur, quod ita propria quadam affectione sedem suam destituat. sed cum à continente trahatur, continens etiam ipsum & proximum trahit. atq; ita una quidem communi ratione intenditur: cum tamen una causa id non patiatur. nam & humefacto supra quàm par sit, & exiccato, & inflammato item, & durato, & è sede sua exturbato commune est, ut affectio contingat. icirco de omnibus huiusmodi diffusius Hippocrates deinceps docuit: & nos quoq; sermones eius sequuti omnia explanauimus.

99 Aduertendum tamen illud quoq; est: ꝙ sicut utile est, & magnificiendum, ita latet plerosq;, neq; eos qui sani sunt, posse poplitis articulum extendere, nisi etiam articulum inguinis simul extẽdant: nisi uelint ualde sursum pedẽ sustollere. ita eñ possunt. hi igitur neq; cõflectere poplitis articulum simili modo, sed multo difficilius queunt: nisi inguinis quoq; articulum cõflexerint.

Quam dixi esse membrorum & partium communicationẽ, cum aliquo motu priuantur, & non propriam quandam affectionem: in naturaliter cõstitutis musculis nunc declarat. nullus enim ex ipsis licet multi sint, ex femore dependet: sed alij ex osse ilium descendunt: alij ex coxa exoriuntur. unus solus ex osse pubis deuenit. ut necesse ob id fit, ut dearticulationes mutua agitatione moueantur. sicut modo in pedis & poplitis articulo demõstratum est: in quibus simul ad inguen etiã inesse communicationem quandam apparebat. sicut enim ostendimus eos qui posteriorem ipsorũ partem mouent, ab inferioribus femoris extremitatibus ad condylorum & tuberculorum radices exoriri: ita nunc alios intellige anteriore parte supra pedem in tibiam à prædictis initijs pertingere. cum igitur poples extenditur, posteriores: cum inflectitur, anteriores extendi necesse est. cum alteri ex his amplius quàm naturale ipsis sit, intenduntur: oppositi retrahunt, & non sequuntur. oppositos autem uoco extendentes inflectentibus: hoc est posterioribus anteriores. Satis erit puto, si perspicuitatis causa duorum musculorũ exemplo

A rem hanc explicauero. Nam qui omnes crurũ musculos in dissectionibus contemplati sunt, ex his duobus de alijs quoq; eadem poterunt considerare. qui non uiderunt, ijs ne de duobus his quidem satis clara oratio erit. Hi igitur musculi ex iliorum osse exorti deferuntur, ac primum femoris dearticulationem ad inguen, deinde totum femur, tum alteram dearticulationem ad genu transgressi, alter qui angustior est ad unũ femoris tuberculum delatus paulo inferius, ac postea rursus reflexus in priorem tibiæ partem quam ἀντικνήμιον uocãt, ibi in interiore eius sede innectitur: alter magnus ualidissimum producit tendonem, qui cum altero tendone cõmiscetur à maximo musculo ex anterioribus exortum habente, qui à clune descen-

B dit: primũ hic patellæ inhæresçit, postea in tibiam innectitur. quando igitur ad inguen crus inflectitur minor hic musculorum longitudo: quando extenditur, maior efficitur. genu uero & poplitis dearticulatione inflexa qui patellę inhæret, breuior: qui ab interiore parte fertur, longior euadit. quare anterior summa extẽsione distendetur, si ad inguen extento crure, poplitem conemur inflectere. si contra extento poplite inguen inflectamus, posterior idem patietur. descendens enim ex alto loco per priorem partem femoris inflectitur: atq; inde oblique conuersus ad tibiæ anteriorem partem quæ uocatˀ, reflectitur. merito igitur hic cum longior efficitur, primas partes & femoris & tibię longiores reddit. Extremam uero musculorũ con-

C tractionem, extremamq; extensionem dolorem afferre, in libris De musculorum motu demonstratum est. ac cõtractionem quidem ipsi operantur: extensionem ab oppositis tracti patiuntur. cum itaq; musculis ad contractionem operantibus oppositi dolore non affecti coextenduntur: naturali quidẽ modo in cõmunicationibus iam dictis dearticulationum: præter naturã uero, in ijs quæ deinceps dicentur, tunc fit, ut multi medici decipiantur, putentq; musculos eos esse affectos quorũ impediri operationem uident. Sed hoc ex sequentibus etiam manifestius patebit.

100 Multa item alia in corpore fratrationes huiusmodi habent, & circa neruorum cõtractiones, & circa musculorum figuras,

D & cognitu digniora quàm quispiam opinetur: in natura etiam intestinorum, & uniuersi uentris, & uteri erroribus, & contractionibus. Sed de his alibi tractatio cũ his quæ dicuntur consentiens, habebitur. Nunc uero de quo est sermo, neque extendere crus possunt, sicut iam dictum est: breuiusq; id duabus de causis apparet: partim quòd nõ extenditur: partim quòd ad carnes natium prolapsus articulus est.

Dictum à me etiam superius est cõmunitates & cognationes partium ἀδελφίξιας, id est fratrationes solere Hippocratẽ nominare, quasi fraternitates

tates, & congermanescentias dixeris. sententia au A
tem eius hæc est: cum altera pars affecta est, in altera uel operationis, uel posituræ, uel figuræ, uel magnitudinis læsionem existere: cõmunemq; in omnibus causam esse intentionem, quæ in oppositum locum fit, utputa ex positura, ut ab euidentissimis exordiar: multos uidi, ex ijs qui in artẽ sese ingerũt, licet legitime eam non didicerint, cum repente contrahitur aliquod membrum, ita ut & magnitudine breuius appareat, & pristinũ situm nõ exquisite seruet, ad remedia statim ei adhibenda confugere: cum tamen id nulla affectione eiusmodi preditum sit, quæ curationẽ aliquam requirat. nam si alterius buccæ musculi resoluantur, fit, ut altera opposita breuior & quasi conuulsa appareat: ea uero quæ affecta est, sanam cõsequens ex- B
tendatur. propterea enim quòd musculi omnes unam habent propriam operationem, ut ad sua capita singuli attrahantur: cum qui in sinistra bucca sunt, suam operationem amiserunt: alteri qui sunt in dextra ualentes & naturaliter affecti operando totam in se buccam dextrã & labra attrahunt: atq; ita efficitur, ut sinistrum labrum extentum & longius seipso: dextrum breuius & contractius appareat: atq; hic quidem quod sanum est, atq; illæsum, cum alteram partem buccæ resolutam ad se attrahat, breuius euadit. alias uero quod affectione caret ab affecto trahi ac conuelli consueuit. quemadmodum cum aut tendo aut musculus duratus extendi una cũ oppositis non ualet. cuiusmodi multa & in manus digitis & in cubito & poplite con- C
tingere cõspiciuntur: dum uel amentantur & incuruantur musculis aut tendonibus ab interiore parte affectis: uel ex læsionibus huiusmodi extrinsecus rigidi & erectimanci euadunt. ita enim medicis appellare mos est, id est ὀρθόκωλον, cũ extentum aliquid ita fit, ut conflecti nequeat. idem ex magnis & duris cicatricibus euenire consueuit. nam cũ ab interiore parte cõcrescunt, amentant, & contrahunt membrũ: cum ab exteriore, uitium quod erectimancũ ut dixi uocat̃, inducunt. ex siccitate itẽ, & ex multa humorũ influxione, aut uentoso & flatuoso spiritu idem contingit. nam dum in se coguntur quæ ita affecta sunt membra, cõsentaneum est, ut oppositi musculi imbecilles reddantur ad operandum: cum qui contracti sunt, mem- D
bra ad se retrahant. sic etiã cõuulsiones fiunt, cum musculi ipsi à sese primo ac pręcipue ad propriam originẽ trahãtur, deinde per ipsos membra quoq; in quæ pertingũt. simili modo & uterus modo sursum abit: modo in latus promouetur: nec ipse quidem propria sua operatione, sed ab altero tractus è sede propria recedit. nam quę trahũt multa sunt. nexus enim, nerui, arteriæ, uenæ quæ in ipsum pertinent, omnia hæc efficere id idonea sunt: cum in tumorẽ exurgentia tantum demunt de longitudine, quantum in latitudinem creuerit. cõmune siquidem hoc corporibus omnibus est, quæ distentiones & contractiones admittunt, non uiuentibus tantummodo, uerũ etiam uita carentibus. atq; inanimatis: cuiusmodi utres, & sacculi, & cirri sũt.

uterus igitur hac de causa & attrahitur & detrahitur: & nonnulla q̃q; ex intestinis. & musculi multi, & per musculos mẽbra, & maxillæ. huic rei consentaneum quoddam etiam ubi de affectibus spinæ agebatur, in gibberositate, & repanditate, & obstipitate superius demonstratum est.

101 **Natura enim osſis coxæ ea parte est, qua & caput & ceruix femoris inest. quando uero luxatum fuerit, pronum in exteriorem partem natium defertur. conflectere tamen hi, si dolor non prohibeat, posſunt.**

Natura & forma osſis coxæ tenuis est, ubi est acetabulum. constat enim secessum capitis femoris in posteriorem partem non nisi in posteriore acetabuli sede firmari: ita ut inter cauitatem & caput femoris os id intercedat, quod à posteriore parte acetabulum circũdat: quæ profecto non nisi pars coxæ ipsius est. de quo nunc loquens pronũ in exteriorem partẽ natium deferri inquit. perspicuum siquidem ijs est qui dissecari hæc loca aliquãdo uiderunt, caput femoris cum tota ceruice in musculum magnum natium incubuisse, qui extẽsionem dearticulationis huius efficit: à quo quidem musculo tendo quidam membraneus exoritur, cum eo unitus, quẽ paulo ante diximus ex duobus anterioribus femoris musculis originem habere, patellãq; transgressum in caput tibiæ innecti. hic igitur musculus qui caput femoris prolapsum excipit: maxime omnium dolore afficitur, cum ab eo cõprimatur, & distendatur: quare necesse est ut etiam inflãmetur: eumq; quẽ modo dixi membraneũ tendonẽ ad se trahat. quod cum euenit, ut doleat æger cum poplitem inflectit, cõsentaneũ est. quoad enim poples inflectitur, distendatur à patella tendo, & cõtundatur necesse est. distentus uero hic sursum ad musculũ illũ magnũ unde exoritur, in quẽ caput femoris incubuit, intentionẽ remittit. processu tamẽ temporis fit, ut ubi finita inflammatio musculi huius fuerit, parsq; eius quę articulum attingit humorẽ aliquem lentum collegerit, callumq; cõtraxerit: inflexio poplitis absq; dolore efficiatur. ad hoc quoq; conducunt & cætera quæ antea de cruris musculis dicta sunt.

102 **Et tibia & pes modeste recta apparẽt: & neq; hac neq; illac multum inclinata.**

Modeste quod ἐπιεικῶς dixit, neq; perfecte, neq; uehementer, neq; prorsus hic significare, sed mediocriter, ex ipsa eius oratione perspicuũ est. quippe cum ipse Hippocrates subiungens-neq; hac, neq; illac multum inclinata-uelit significare non multum distortionis cruri adesse, sed parum id inuersum esse, ac distortum. propterea enim inquit-& tibia et pes modeste recta apparent-perinde ac si mediocriter ac paululũ recta apparere dixisset.

103 **Ad inguen uero casſior esse caro uidetur, præterea etiam si attrectetur: quippe cum in alteram partem articulus fuerit prolapsus, ad nates autem femoris caput**

attre-

attrectatum extuberare magis etiam cõspicitur. atq; hæ quidem notæ sunt, cum in posteriorem partem femur excidit. porrò cuicunq; adulto iam prolapsum hoc modo femur non rediјt, ubi tempus aliquod intercessit, & dolor iam fuit sedatus, articulusq; in carne uersari assueuit: ambulare is quidẽ potest: uehementer tamẽ conflecti ad inguina ambulando duabus de causis cogit: quia uidelicet multo breuius ob antedicta crus efficitur: multumq; abest, ut terram calce attingat: sicq; tentaret uel paululum nullo alio obfirmatus pede eo sustẽtari, retro decideret. multum enim in posteriorem partẽ coxæ ultra pedis ingressum propenderent: tũ spina in coxas incumberet. uix igitur pedis pectore insistit. sed neque id facit, nisi seipsum ad inguina inflexerit, & alterius cruris poplitẽ incuruarit. ita enim fit, ut manu obiecta superiori parti femoris læsi cruris in singulis gresſionibus firmetur: id quod ut ad inguina inflectatur, aliquantulum cogit. in crurum enim uicissitudine in ambulatione sustineri læso crure corpus non potest. nisi manu admota crus affectum terræ obfirmarit. quippe cum articulus corpori non substet, sed ad coxam in partem posteriorẽ extet. hi tamẽ absq; baculo ambulare, si assuescant, possunt: propterea quòd incessus pedis pristinam directionem obseruat, non in exteriorem partem inclinatur. unde nullo indigent baculi renixu quo obfirmẽtur. quanquã si loco apprehẽsionis femoris, scipione sub ala quæ supra crus affectum est, subiecto uti uelint, qui longiorem scipionẽ adhibent, rectiores quidem ingrediuntur: pede tamen in terra nequeũt firmari. quod si firmari uelint, breuior ijs baculus faciendus est: ad inguinaq; inflectant, necesse est. At enim carnium imminutiones his quoq; pro ratione, sicut superius etiã dictum est, efficiuntur. qui enim suspẽsum habẽt crus, nihilq; laborant: ijs uel maxime imminuuntur. qui uero ingresſione plurimum utuntur: minimũ quidẽ ijs carnis imminutio fit, sed sanum tamẽ crus utilitatem non modo non consequitur, si læso crure in terra insistendo utantur: uerumetiam deformius euadit: cum illi inseruiendo & promittere coxam, & poplitem inflectere cogantur. at si affecto crure in terra quispiam non utatur, sed suspensum id habeat, scipioneq; obnitatur: ita fiet, ut sanum robustum euadat, cum & naturali in statu incedat, et exercitatione insuper corroboretur. Cæterum hæc extra medicinam esse diceret fortasse quispiam. nam quid de ijs quæ incurabilia iam euaserunt, scire amplius nobis opus est. nam & hæc intelligere eiusdem sententiæ est. non enim fieri potest, ut à se mutuo abalienenẽ. Dare siquidem operam debemus, ut quæ curabilia sunt, incurabilia non euadant: intelligendo quo pacto ne ad incurabile deueniant, prohibenda sint. incurabilia uero intelligenda etiã sunt, ut ñe maxime offendant. prædictiones autẽ splendidæ, & gloriosæ ex eo existunt, ꝙ dignoscimus, quò, & qualiter, & quando desinere aliquid debeat, siue in curabilem, siue in incurabilem affectionem conuertatur. Iam uero quibus ab ortu, uel alioqui in auctione adhuc constitutis, ita retro elapsus articulus est, & nõ est reuersus, siue per uim, siue per morbum excesserit (multæ enim huiusmodi luxationes in morbis contingunt: quinam autem morbi sint in quibus articuli prolabantur, posterius scribetur) si igitur luxatus nõ redierit, femoris primum os breue efficitur: tum nocumentũ patitur totũ crus: ac multo magis & augmento & carne, propterea quod nihil eo utuntur, destitui consueuit.

Dictum à me etiam superius est, solere Hippocratem modo hoc loquendi uti ποτὶ καὶ, id est præterea etiam, cum augere rem uoluerit. talis enim oratio eius est. ad inguẽ cassior esse caro inspicientibus uidetur, præterea etiam, id est præcipue etiam & multo magis, si locum quispiam attrectet. cætera omnia, si quis memoria teneat ea quæ iam dicta sunt, patent.

104 Nocumentum enim his etiam poplitis articulus patitur: nerui ob ea quæ dicta antea sunt, intenduntur. unde quibus hoc modo coxa exciderit, ij extendere poplitis articulum nequeunt. ut enim summatim dicam, cuncta quæ in corpore ad usum facta sunt, si quis ea moderate utẽdo exerceat his laboribus quibus singula sunt assueta, salubria euadunt, beneq; augentur, & bene senium ferunt. si contrà non utatur eis quispiam, sed quiescat, morbosa & incremento carẽtia efficiuntur, celeriterq; cõsenescunt.

inter

inter quæ articuli non minime idē patiunt, A & nerui, nisi eis quispiam utatur. ob has igitur causas nocumētū maius accipiūt in hoc luxationis modo quàm in aliis. quippe cū totū crus quantū & ad ossa, & ad carnes attinet, incremēto destituatur. hi igitur quādo in uiros iam euaserūt, suspēsum, & cōflexū crus detinentes altero sustinentur, ac gestantur, baculo aut uno, aut duobus innixi.

Coxam excidere pro articulum coxæ dixit. sæpe enim iam diximus ueteres omnes nondū hāc, quæ postea diligēter est exercitata, exquisitam ac minutam in nominibus obseruandis curiositatem nouisse: sed satis habuisse, si in exponendis rebus B solū id spectarent, ut audientes intelligerēt. quod igitur inquit, huiusmodi est. quibuscunque in posteriorem partem femur excidit, iis non solum articulus qui luxatus est, nocumento afficit: uerumetiā insuper poplitis articulus patitur. propterea enim addit-etiam-coniunctionem, & non absolute dixit-nocumentum enim his poplitis articulus patitur. quo autem nocumento afficiatur, ipse manifeste declarat, cum ait, nerui intenduntur. an autem neruos appellet eos qui proprie ita nominantur, qui à dorsi medulla exoriuntur: an musculorū pro neruationes quæ in tibiā pertingunt, nihil ad præsens propositū refert. quippe cum utraque testimonia nobis esse possint, si antedicta in superiore oratione recte explanemus: ubi dicebat quibus ita C excidisset coxa, eos articulum ad poplitem extendere non posse: cōmunemque quandam rationem adiungebat, multas inquiens læsiones mēbris quibusdam contingere quantum ad formas, & magnitudines, & situs, & motus spectat: cū tamē membra illa nullo proprio morbo afficerentur: sed alia quædam quæ cum illis cōmunicationē haberent, essent ea quæ paterentur: & præcipue intētiones esse harum contagionū causam afferebat. de quibus ego superius disserens tribus modis esse posse huiusmodi causas docui. uno, cū resolutus musculus aliquis fuisset: nā in eo casu alius qui sanus est, contractus cōuulsusque apparet: altero modo cum aduersarius extentus fuerit: alio ac tertio cū quod sanum est, à continente & proximo attrahitur. si- D cut in uteri secessionibus contingit. nunc igitur cum posterioribus neruis, & musculis, & tendonibus intentis poples inflexus sit: extēdentibus musculis non obtemperat. superius De tendonum & musculorū intētione dixit: nūc De neruis ait, qui à dorsi medulla exorti ad crura deferuntur, quorum quidē tres origines sunt: una in prioribus partibus ad magnū foramē ossis pubis: secūda ad inguen, qua & unà cum magna uena, & extra ipsam in anterioribus femoris partibus neruus defertur. sed hæ paruæ sunt. illud maximū neruorū initium est, quod in totum crus pertinet à posteriore parte, primumque ab eo loco egreditur, quod inter latum os est, & id quod κόκκυγα, hoc est cuculū uocant. hoc igitur initium prolapso in posteriorem partem articulo colliditur, atque intenditur. ac propterea dixi posse nihilominus hic Hippocratem de iis qui proprie nerui appellantur, intelligere.

105 Cum autē in anteriorē partē caput femoris prolabitur, id quod paucis cōtingit: extendere quidē integre crus ęgri possunt: sed conflecti ad inguen minimum queunt. si item poplitem cogantur inflectere, laborant, longitudo uero cruris ad calcem quidem uel prorsus similis apparet.

Profunditatem acetabuli quæ omnibus in partibus æqua non est, esse in causa ut alibi raro, alibi frequenter articulus excidat, superius iam dictum à me est. nunc cum de luxatione femoris in anteriorem partem facta agat: cōtraria pati eos qui ita affecti sunt, inquit, illis quæ in posteriorē partem luxatis eueniebant. illi enim extendere crus, hi inflectere nequeunt: ad inguen quidem propterea quòd in ipso flexu caput femoris unà cum ceruice tunc est: ad genu, ob anteriorem musculum qui ab osse ilium defertur: qui cum à capite femoris in eum prolapso incuruetur, colliditur, ac distendit. is enim cum extēdi amplius non posit, si quis inflectere poplitem conetur, resistit. longitudo uero cruris similis apparet. de luxatione in interiorē partē ipse superius dixit his uerbis-nam osi quod à coxa procedit, superiusque ad pectinem fertur, caput femoris insidet, articuli uero ceruix in acetabulo uehitur-cum priori tempore non in ipso tota, sed maiore sui parte in acetabuli profunditate ueheretur. de hac uero luxatione nunc ita scribit-atque ad inguen quidem extuberantur: & contentus locus is apparet-ut in hac luxatione secus quàm in illa, ad femur in anteriorem partem, & paulo etiā inferiorem recesserit. propterea enim fit, ut affectum crus sano æquale uideatur. atque id maxime ad calcem. nam summus pes inclinari in terrā minus potest. cuius rei causa & superius à nobis dicta est, & deinceps etiam summatim referetur.

106 Sed summus pes in anteriorē partem prominere minus uult. totū tamē crus cum neque hac neque illac inclinetur, directionem naturalem obtinet.

Velle-hic pro posse positū est, quemadmodum apud Homerū, cū inquit: Nec profluere ipse uolebat. id est poterat. summū pedē autē partē eam pedis uocat, quæ à planta & solo usque ad digitos & ungues porrigitur. euenit enim, sicut antea dictum est: ut extento poplite non recte in posteriorem partem tali articulus inflecti queat. hęc igitur nunc quoque exponere cum uelit, inquit-sed summus pes in anteriorē partē prominere minus uult. significās digitos, qui est summus pes, nō posse facile protendi, & inclinari, neque in terram deferri.

107 Dolore uero hi statim præcipue afficiūtur. urinaque his inter initia magis, quàm aliis in luxationibus supprimitur.

Causam ipse cur hæc contingant, subiungit.

108 His enim caput femoris proxime ad opportunos tenores eiectũ est. atq; ad inguen quidem extuberantur. & contentus locus is apparet, ad nates uero, rugosior & macilentior. atq; hæc sanè, eorum quibus hoc modo femur excesserit, indicia sunt. A

Tenores, id est τόνυς, hic nominat neruos qui unà cum arteria & uena per inguen deferuntur: quos opportunos appellat, propterea quòd, sicut etiã antea didicimus, qui magnam habent uim eos ita uocare consueuit. hi autem magnam uim habent: cum proxime ad dorsualem medullam siti sint, & ijs in partibus exortum habeant, unde nerui ad uesicam deueniunt. iccirco enim fit, ut in his luxationibus contagio uesicæ consequatur: cum inflãmatione oborta ad urinam excernendã ea impotens redditur. fortasse etiam ob magnitudinem inflammationis in collo uesicæ existentis, ubi astringens musculus est, urina supprimitur: cum inflammatæ partes meatum occuparint, atq; obstruxerint.

109 At quibuscunq; in uiros iam adultis articulus hic luxatus nõ rediјt: ij ubi dolor iam cessauit, & articulus eo in loco in quẽ prolapsus est, uersari assueuit, ambulare statim ferè erecti absq; baculo possunt, sed admodum directi. quippe cum in læso crure neq; ad inguen, neq; ad poplitem flecti facile queant. ex inguinis enim inflexibilitate directiore toto crure quàm cum sani erant, in ambulatione utuntur.

Statim à principio cum luxatio hæc cõtigit, dolore accidere his, urinamq; supprimi dixit. ubi tamen tempus processit, & hæc iam cessarunt: ingredi possunt. Sed cur hæc cessant, si in eodem loco caput femoris permanet, & nihilominus neruos cõprimit, atq; intendit? te ipse hoc docet, cum adiũgit, & articulus eo in loco in quẽ prolapsus est, uersari atq; agitari assueuit, in assuetudinem enim referre huiusce rei causam uidetur. nam quæ comprimuntur ab aliquibus, cum tempore callum cõtrahunt, facile postea ea tolerant. simili modo quę extenduntur, cum eodem tempore pati id assueuerint, dolore non amplius afficiuntur: cur uero absq; baculo recti ingredi queant, ipse sequendo declarat. summa orationis eius est: quòd crus his in directione ad corpus seruetur, & neuter articulus neq; ad inguen, neq; ad genu inflectatur.

110 Trahuntq; hi interdum per terrã pedem: quippe cũ & superiores articulos non facile inflectant, & toto pede ingrediantur. nihilo enim minus hi calce, quàm anteriore pedis parte insistunt.

Superiores articulos, qui est ad inguen, & qui est ad poplitem uocat. articuli autẽ qui ingressioni inseruiunt, quatuor sunt: ad inguen, ad poplitẽ, ad talum, ad digitos. hunc ultimũ licet multi sint, ob usus tamen & operationis cõmunionem, loco unius connumero. qui sanè parum quid confert. nam ut pedem in terra firmemus ex eo maxime euenit: cum parum quid ipsi digitorum articuli adiuuant. tota tamen crurũ operatio & in ingrediendo, & in currendo etiam multo magis ex inguinis & poplitis articulis procuratur. cum enim hi inflectuntur, sublatum à terra crus facile demittitur. merito igitur nunc cum neuter inflectatur, trahere ipsos per terrã pedem dixit. interdum uero adiunxit tum ad solorum terræ differentiam, tum ad læsionis quantitatem spectans. nam qui in plano solo & decliui ingrediuntur, etiã si parum crus inflectant: superioribus articulis, pedem nequaquã trahunt. qui uero cõtrà in inæquali loco & accliui incedunt: quamuis multũ inflectant, tantũ abest, ut pedem non trahant, ut etiam in eminentias soli aliquando offendant, atq; impingant. toto autem pede ingrediuntur, qui & calce, & planta, & digitis summis in terra innitũtur. non enim illi quibus in posteriorẽ partem recesserat articulus, atq; ob id breuius crus habebant: calce in ambulando utebantur. sed satis ipsis erat pedis pectore in terra firmari: ꝙ à dissectionis professoribus solum & plantam appellari dixi. at cum in priorem partem excidit, calcem ij in terra prius firmãt: propterea quòd tunc digitorum parte insistere nequeunt: qua tamen postea utuntur, cum iam crure affecto innixi transferre alterum aggrediuntur. B

111 Quòd si possent magnis gresibus progredi, uel admodum calcigradi essent: nam ualẽtes quoq; quanto magis progrediẽdo ambulãt, tanto magis calcigradi sunt: dum pedẽ alterũ ponunt, & contrariũ attollunt. C

Eos qui multũ progrediuntur, in terra calcem firmare & dictum à me superius est, & euidenter apparet. nihilominus item cõstat non multum omnino progredi eos posse, qui superiores articulos qualibet de causa inflectere nequeunt. hoc autem ipsis euenit, propterea quòd laborem non ferunt, quem in transferendo extentũ crus suscipere coguntur. nihil enim aliud impedimento ipsis est, ne longe progrediantẽ. nam si sano crure firmato uelint id facere, possunt quidem, sed non sine labore & defatigatione. quare melius fortasse oratio hæc in hunc modum enunciari potuisset. quibus in anteriorem partem coxæ articulus excidit: ij in ambulationibus nihilominus quàm planta & digitis calce uti queunt. & si sustinerent & paterentẽ magnis gresibus progredi: uel admodum calcigradi essent. sed non tolerãt: propterea ꝙ dum rigidum crus difficulter transferunt labore affligantur. D

112 Quocirca quibus ita excidit, & adhuc magis calce oppangunt, quàm anteriore pedis parte.

Oppangere, id est ἐγχρίμπτειν de ijs consueuit dicere, quæ inter se cõnituntur, & sese contingendo allidunt. hoc significato etiã est usus cũ conformare fracturas consulebat. diducẽda enim prius ossa fracta ac distrahenda à se mutuo extensione esse affirma-

affirmabat.ita enim facilius repositionẽ fieri, q̃ si
quis oppacta ea inter sese cõmitteret. aperte uero
hic explicauit, quod paulo superius dixerat. nihi-
lo eñ minus hi calce q̃ anteriore pedis parte ince
dũt.q̃d clarius quoq; et melius dictũ fuisset,si quis
hoc modo enũciasset. nihilo eñ minus calce hi q̃
anteriore pedis parte ingrediunť,uerũetiã magis.
sed-adhuc etiam magis-superius non addiderat.

113 Anterior enim pedis pars, cũ reliquũ
crus extentum est, in priorem partem flexa
ri non potest: sicut, cum inflexum crus est.
neq; contra simari pes potest conflexo cru-
re:sicut,cum extentũ est. ac sana quidem na
tura ita constituta est, sicut dictũ est, cumq;
luxatus articulus non redierit,sic ambulant
ut diximus, ob antedictas causas. macilen-
tius tamẽ crus q̃ alterũ fit, & ad nates, & ad
posteriorem tibiæ carnosam partem, & in
posteriore procesſione.quibus uero infan-
tibus adhuc prolapsus articulus,non repo-
situs fuerit, uel etiã ab ortu:ijs quoq; femo-
ris magis q̃ tibiæ & pedis os imminuitur.

Pars pedis circa plantam & digitos,quam ante
riorem uocat, inclinari poplite extento in terram
non potest.in quem modũ pedem figurare flexa-
ri, id est καμπύλεσθαι nominauit: propterea quòd
in tali articulo sicut neq; extẽsio, ita neq; inflexio
appellari cõsueuerit. quemadmodũ in poplite, &
inguine.quãdo igitur anteriores musculi primam
plantæ partẽ,quem ταρσὸν dicũt, attollunt: in usu
est ut simari tunc pedem dicant. cum uero à poste
rioribus calx & tarsus trahitur: huiusmodi figura-
tionis nullum nomen usitatum reperitur. iccirco
Hippocrates ut dixi huiusce rei quã explicare uo-
lebat, propriam quandam uocem excogitauit,fle
xariq; pedem dixit. neq; igitur simari inflexo cru-
re pes potest,sicut cum extentũ est: hoc est ab an-
terioribus musculis attolli, id enim simari signifi-
cat.neq; flexari,nisi crus etiam fuerit inflexũ. pau-
lisper enim & uiolenter utrunq; hoc quidẽ fit: sed
multum & absq; uiolentia non potest.cum igitur,
sicut dicebam,à sura non à tibia exorti musculi cal
cem & totũ pedẽ in posteriorẽ partẽ trahunt: alij
extensionem, alij flexionẽ, pedis nominant. cum


A itẽ oppositus motus ab anterioribus musculis fit:
eodem modo extensionẽ alij, alij flexionẽ uocãt.
sed in hac quidem motione consuetũ est,ut simari
pes dicatur:in cõtraria nullum,quod inter omnes
constet, uerbum habemus. uerumtamen nullam
propterea ex nominum discrepantia rerum cog-
nitio iacturã facit.Nos enim nũc satis clare,ut pu-
to,& perspicue utranq; hanc rem absq; etiã discre
pantibus nominibus oratione hac explicauimus.

114 Minimum quidem in hoc modo luxa
tionis femur minuitur, carnes tamen ubiq;
minuũtur.maxime uero ex posteriore pro-
cesſione, quemadmodũ iam superius dictũ
B est. quicunq; uero recte educati fuerint, ij
dum augentur, uti crure possunt,quod qui
dem aliquantulo breuius altero est. sed ta-
men innixi baculo ea parte qua læsum crus
est. non enim absq; calce pedis pectore uti
admodum possunt,id inijcientes, ut in alijs
clauditatibus nõnulli possunt. causa cur hi
nequeãt,ea est,quam paulo prius diximus.
ob id igitur baculo indigẽt. at qui neglecti
sunt,nihilq; crure in terra utunť,sed suspen
sum id habent:ijs ossa magis quàm utenti-
bus imminuuntur. Sed & carnes multò ma
C gis his quàm utentibus minuuntur:in arti-
culis uero quoad directionem crus magis
debilitatur, quàm quibus alio modo luxa-
tio contigerit.

Nonnulli ex ijs qui hæc explanant, adeo periti
harum loquutionum uidentur, ut-minimum-nul
lo modo significare existiment, non minimũ-ue-
ro maxime. sed hi dictũ hic ab Hippocrate esse o-
pinarenť,ita affectis nullo modo femur imminui.
quod tamen uerum non est.imminui enim conspi
citur aliquantulum:non adeo tamen ut in alijs lu-
xationibus. propterea q̃ minores hæc quàm illæ
imminuentes causas habet:quas duas esse dictum
iam est,instrumẽtorum naturalium distortionem
uidelicet,& operationũ impedimẽtum, quo fit ut
crure parum uti queant.sed in hac affectione præ-
terquã q̃ non magnopere distortum crus est,neq;
operationis nocumentum ualde multum accedit.

GAL. IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ARTICVLIS COMMENTARIORVM

Liber quartus.



1 [V]T igitur summatim dicã,
articuli qui excidũt & ela
bũtur: inæqualiter ipsi si-
bijpsi & excidunt & ela-
bũtur: multo amplius in-
terdum,quandoq; multo
minus, quibusq; multo
amplius prolapsi fuerint,& exciderint:dif-
D ficiliores repositu omnino sunt. & si repo-
siti nõ fuerint:maiores et manifestiores de-
bilitationes & læsiones in ossibus, & carni
bus, & figurationibus præ se ferũt. cum ue
ro minus exciderint & elapsi fuerint: facilẽ
repositionem admittũt.at si uel per frustra-
tionẽ, uel per negligentiã non reuersi sint:
minores magisq; innoxiæ debilitationes

his contingunt, quàm quibus paulo ante dictum est. atque alij quidem articuli quatenus prolapsio eis interdum minor, interdũ maior contingit: admodum multũ inter se differunt. sed femoris & brachij capita quamsimillime inter se utraque elabuntur. cũ enim rotunda sint: simplicẽ rotunditatẽ ac caluatã habẽt. sinus uero qui ipsa excipiunt, orbiculares sunt, capitibusque ipsis adaptantur. quapropter in his ut dimidiũ articuli excedat, fieri nõ potest. nam ob rotunditatẽ uel in exteriorẽ, uel in interiorẽ partẽ prolaberetur. Sed de quo nũc sermo est, integre excidũt, alioqui nõ excidũt. tamẽ hi quoque sic aliàs magis, aliàs minus à naturali statu exiliunt. magisque id femur, quàm brachiũ patitur.

Non solius huius orationis, sed & sequentium omnium una cõmunis summa hęc est: luxationes non parua differentia inter se discrepare, dum magis, & minus contingunt: quippe cum aliæ multũ præter naturam, aliæ parum recedant: magisque & minus alterutræ id patiantur. atque in alijs quidem articulis, cubiti uidelicet, manus, tibiæ, pedis, & digitorum res perspicua est. in humeri uero & coxæ articulo non posse subluxationem quæ uocatur, contingere, ostendit: propterea quòd capita articulorum globosa ac rotunda in cauitates orbicularibus superciliis circumdatas inseruntur: in quibus cum luxatio fit, substare capita nullo modo possunt. necesse enim est ut statim ubi è cauitatibus aliquo modo excidunt, extra ipsas elabantur. Sed tamen inquit in his quoque fit ut modo multũ, modo parum præter naturam articuli excedant: quod uero inter plurimum & paucissimum intercedit, non paucas habere differentias in eo quod magis & minus contingit, manifestum est.

2 Nam nonnullæ quoque ex ijs quæ ab ortu contigerunt luxationes, si parum elapsæ fuerint, in naturalem statũ reduci queunt: præcipue ad pedis articulos.

Ab ortu- alij de ijs qui fœtificantur, dictum esse affirmant: alij de iam natis, non multo tamen post tempore quàm geniti fuerint, intelligendum censent. his ea quæ deinceps dicuntur, uidentur attestari, illicque manifeste errant qui de solis fœtificatis intelligunt. melius enim esset ut de utrisque dictum hoc esse existimarent. alijs autem quæ deinceps dicuntur, attestari, paulo post ubi ad ea uerba explananda deuenerimus, ostendemus.

3 Quicunque ab ortu manci fiunt.

Distortionem cruris in exteriorẽ partem mancitatẽ, id est κύλλωσιν prius ipse appellauit: in qua dixit contingere, ut pes intro conuersus atque inclinatus mutilationem præ se ferret. articulos autem pedis dixit, propterea quòd plures numero sunt, ad tali dearticulationes omnes existẽtes: neque uno osse

A constant. suræ enim os ab exteriore parte, tibia ab interiore magnis quibusdam processibus talum cõplectuntur, cuius quidem tali anterior pars rotunda cum sit quasi caput quoddam supra ceruicẽ prominẽs habet, quod sinu ossis cõprehendit, quod nauiculare nuncupatur: qua præcipue dearticulatione fit, ut pes & simatus attollatur, & retro abducat. talus præterea ab inferiore parte, eo quo in cõmentario De ossibus dictum est modo, cum calce dearticulatur. quo in libro exercitatũ esse debere unumquenque monui, qui explanationes has esset lecturus. mancitates autẽ pedis præcipue cõtingunt, cum in exteriorẽ partẽ tibia luxatur: sic ut suræ processus qui extrinsecus talum cõplectitur sine stabilimento ullo suspensus relinquatur.

B 4 Pleræque ex his curabiles sunt: nisi admodum magna declinatio extiterit, aut prouectis iam infantibus contigerint. quamceleriime igitur his curationẽ adhibere optimũ est, prius quàm ualde magnus ossiũ pedis defectus fiat: prius item quàm carnes in tibia admodum multum deficiant.

Prouectos uocat, qui paulo amplius creuerunt. quorũ non simili modo ut tenellis infantibus ossiũ natura formari ac fingi potest. hinc de iam natis Hippocratem loqui perspicuum est. an autẽ de ijs quę adhuc fœtificantur, in uteroque gestanť, etiã intelligat: non ita liquet. sæpe tamen in superioribus infantibus quoque dum adhuc in utero gestan-

C tur luxationes contingere commemorauit.

5 Modus uero mancitatis unus non est, sed plures. pleraque enim luxata prorsus non sunt: sed ex figurationis cõsuetudine in quadam pedis interceptione demancata.

Plerunque cum de aliquo ex ijs quæ sigillatim differunt, quispiam loquitur: modi nomine uti cõsueuit. nunc tamẽ de mancitatum generatione dicere uidetur, quòd multis modis fiat. nam quod subiungit, utrisque attestatur. inquit enim- pleraque enim luxata prorsus non sunt: sed ex figurationis cõsuetudine in quadam pedis interceptione demancata. ex eo enim quòd ait- luxata prorsus nõ sunt- unum quendam modum affectionis huius ostẽdit:

D ex eo quod infert- ex figurationis consuetudine- alios quosdam significat: cum tenera & quasi cerea infantium ossa praue à nutricibus figurata distorquentur: dum in incunabulis obtorta quodam modo, aut pluribus inuolucris intercepta collocant: ita ut à quibusdam etiam contundantur: quibus omnibus fieri distortiones consueuerunt.

6 Attendendum autem in curatione horum est, ut os tibię ad malleolum, quod extrinsecus est, in interiorem partem detrudamus, & reponamus: retrudamus uero contrà in exteriorem os calcis quod ex processione correspondet: ut inter se ossa quæ eminent, sibi occurrant & in medio & à latere

pedis

pedis. digiti uero uniuersi unà cum pollice A
intro inclinandi & circumagendi ita sunt.

Ipse in libro De fracturis ita inquit. iam uero tibia duo ossa sunt: quorum quidem partim multo tenuius alterum altero, partim non multo tenuius est. horum alterum quod extrinsecus est, posteriores suram appellare consueuerunt. hoc depellendum intro monet, simulq; calcem extra repellendum: præcipue ea parte qua ex processione, id est ex directione ad tibiam correspōdet, sibi naturali situ impositam. sæpe autem de hoc reponendi modo cum omnibus sit cōmunis, superius iam dixit. quod enim præter naturā eminet, in pristinam sedem reducendum est: ut sibi occurrant, aptēturq; inter se ossa. Quæ de conformatione deinceps dicuntur, satis sunt aperta: si quis meminerit eorum quæ tum superius hunc librum explanantes: tum ante hunc, in librum De fracturis diximus. si quid tamē inciderit quod obscurius paulo dictum esse uideatur: id tantum explicabimus.

7 Tum cerato bene resinato, & plagulis, & linteis mollibus non paucis, neq; nimis compressis deligandum est.

Conformatis partibus ceratum quod resinam habeat, accōmodatum est. propterea quòd & continent magis lintea, cutiq; adhærent: & partes ipsæ corporis magis exiccantur. ex adhæsione uero fit, ut conformatio immota conseruetur: ex desiccatione, ut cōpingantur partes, & corroborētur: atq; hoc quoq; ipsum stabilem ac firmā cōformationē seruat. linteis uti iubet mollibus ob partium mollitudinem qua ex ætate præditi infantes sunt. quæ leniter quidem circumijci uult: cauens ne uehementi circumiectione compressio efficiatur: præsertim ubi mollia corpora deligantur. quia uero præcipit ut minus cōprimamus, ideo pluribus linteis esse utendum censet. deligationis enim firmitatem ac tutelam dixit, uel compressione, uel linteorum multitudine procurari.

8 Atq; ita fasciæ circumductiones faciendæ, quemadmodum manibus etiam pedis correctio fiebat: sic uidelicet ut pes paulo magis in ualgum tendere uideatur.

Hoc quoq; omni articulorum & fracturarū correctioni & restitutioni cōmune ac perpetuū præceptum est, sæpe ab ipso traditum. non uult enim, ut in directionibus & restitutionibus cōformatas partes ad naturalem statū exquisite reductas, ibi relinquamus: sed paulo ulterius circumducendas censet: ut hoc modo diuturnam earum inclinationem ad distortionē contrariam retrahēdo in medium restituamus: qui exquisite naturalis earū status est. nam si in hoc à principio relinquerent partes: ad diuturnam suam distortionē facile relaberentur. hoc autē præceptū illi maxime generali curandi scopo subiectū esse manifestū est quo cōtraria cōtrariorū esse remedia dicebat. cū neq; perfrigerata mediocri calefactione calfaciamus: neq; calefacta mediocriter perfrigeremus: sed adeo in contrariū ultra mediocritatē progrediamur, quantum à mediocritate affectio in alteram partem recesserat. nunc igitur quoq; quia affectio membri est mancitas, quæ ualgitati cōtraria est: in ualgum cōuertendum pedem Hippocrates censet: quod uidelicet ultra exquisite naturalem statū excedit.

9 Solea præterea uel ex pelle non admodum dura, uel è plumbo facienda est.

Hanc etiā stabilitatis deligationis causa machinat. unde etiā alligandā eam fasciæ postremā omnium esse iubet: ut & deligationē totā cōtineat, & carnē non cōprimat. hoc autē significat cum uerbis his deinceps subiungit in hunc modum.

10 Alligandaq; ea nō supra carne quidem B posita, sed ubi iam postremis linteis es deligaturus. cum autē deligatum fuerit, unius ex linteis quibus deligatio fit, caput ad fascias quæ in inferiore parte pedis sunt è directo parui digiti assuendum est: deinde sursum intendendum. ut si mediocriter se habere uideatur, supra carnosam tibiæ posteriorem partem circumijciatur. ut ita collocatum stabile maneat. ut autē in uniuersum dicam, oportet ut quasi ceram fingendo, ita ad naturam iustam adducamus, ita ut & inclinata, & distenta præter naturam, & manibus sic dirigamus, & similiter deligatione: adducamusq; nō uiolenter, sed leniter. C

E regione parui digiti, hoc est ab exteriore pedis parte ad carnosam tibiæ posteriorem partem appensionem facit: propterea quòd mancum pedem curat. nam si deualgato mederetur, econtrario fecisset: quippe cum in contrariā partē inclinare pedē oporteat, q̄ distortio cōtigerit. nam in exteriorem partem distorta, intro contorquentur: quæ intro secesserunt, in contrarium abducuntur.

11 Assuenda uero lintea ita sunt quemadmodū cōfert, ut exceptiones efficiant. aliæ enim aliā exceptionē clauditatis requirunt.

Id quod modo ego dicebam ipse hic explicat, alias aliam exceptionem & appensionem clauditates requirere inquiens. demancata enim appensionem proculdubio requirunt, quæ sicut extremum tibiæ finem intro, ita extra pedem adducat: D deualgata contrà, ea exceptione indigent, quę intro pedem, extra tibiam trahat. quæ item parum utroq; hoc modo affecta sunt: mediocriter in contrariam partem retrahenda sunt. quæ multum recesserunt, uehementer sunt reducenda. propterea etiam clauditatis, hoc est χωλώματος, nomine est usus: quod cōmune omnibus distortionibus est.

12 Calceus præterea plumbeus faciendus est, qui supra deligationem extrinsecus inducatur: qualem chiæ crepidæ modulū habebant. sed nihil eo est opus, si quis recte & manibus direxerit, & linteis deligarit, & ap-

pensiones fecerit: ac curatio quidē hæc est. quæ neq; incisione, neq; adustione, neq; uarietate alia indiget. citius enim medicinæ hæc obtemperant, quàm quispiam opinaretur. euincendum tamē tempore est: quoad in iustis figurationib. auctū corpus fuerit.

Qualem modulum haberent chiæ crepidæ cognoscere non licet. neq; enim tempestate Hippocratis adhuc seruabatur: quod significat, cum inquit- habebant- cum alioqui- habent- dicere potuisset. constat tamen calceum eum qui exacte pedem continet, neq; carnem infantibus cum cōformantur, cōprimit: huic rei esse accōmodatissimū. quare ad hoc spectans quispiam satis utilem facere calceum poterit: etiam si quales essent chiæ crepidæ minime inquisierit.

13 Cum ad rationem calcei uentum erit: socci qui lutigradi appellantur, sunt accommodatissimi.

Ad rationem calcei uenient qui curantur pueri: cum & directū membrum sanum fuerit, & aliquantulum iam creuerit, ut tenera ei ossium substantia non amplius sit. neq; prius ut ingrediātur, permittendum est, ne rursus in priorem distortionem membrū relabatur. sed cum iam tuto ingredi potest, cōuenit, ut soccis calceet̃, id est arbylis. est aūt hoc concauū, & toti pedi usq; ad malleolos ad modum astrictum calceamentum. tale enim esse Hippocrates ex eo quod subiungit, declarat: lutigrados soccos appellari inquiens, id est πηλοβάτιδας. nam si per β scribatur, ex eo dicētur, quòd ingredi per lutum tuto possunt, qui ipsis his fuerint calceati, si per π, πηλοπατίδας quasi luticalcas dicas, ex eo quod lutum apte calcari ipsis queat.

14 Hic enim ex calceis minimum à pede cohibetur: sed cohibet magis.

Natura & assuetudine cōparatum est, ut alij aliter homines ingrediantur. alius siquidē recte prorsus insistēs, alius intus, alius extra pede inclinato. nonnulli ipso pectore pedis, quidam calce magis, quidā toto pede æqualiter innitunt̃, quocirca fit, ut modo incessus sui quisq; calceos eos similes reddat: qui neq; profundi, neq; astricti admodū pedi fuerint. quin si huiusmodi aliquos calceos inspicias, quo pacto qui eis utit̃ ingrediat̃, facile tibi licebit cōijcere. qui enim rectus est, & neutrā in partē uergit, sed qualis à sutore est effectus, talis permanet. rectū deponi pedem ingredientis significat, qui uel intrò, uel extra inclinatur. eodem uergere pedē eo utentis hominis in deambulatione indicat. non secus etiā qui in priorē uel posteriorē partem depressior apparet, & uel ad calcē uel ad pectus pedis detritos magis quàm uel ab exteriore uel interiore parte clauos habet: in eas partes magis deferri pedem in ingressu ostēdit. huiusmodi igitur calceum cohiberi inquit Hippocrates, id est uinci & superari à pede. qui uero cōtra rectus permanet, in neutrāq; partē pendet: cohibere pe-

A dem asserit, & cogere, ut rectus neutramq; in partem uergens in terra collocetur. cuius rei summa ea est, ut astrictus planè circa totū pedē sit: profunditatemq; admodum multam habeat. astrictus uero esse nullo modo potest, nisi multifidus fiat, scissionemq; longam habeat. huiusmodi calceis uenatores quoq; uti cōsueuerunt, dum aliquando per inæqualia loca currere coguntur: ubi nisi maxime coaptata pedi calceamēta habuerint, tortiones & uellicatiōes circa malleolos et pedes eis cōtingūt.

15 Cretensis quoq; calceamentorum modus accommodatus est.

Ad hunc usq; diem & in nostra Asia & in Creta præcipue huiusmodi calcei usurpantur, qui usq;
B ad tibiā ascendunt: ubi & à sinistra & à dextra parte multifida quædā pellis utrinq; æqualiter intenta est, atq; in oris perforata: ita ut per foramina traiecta ligula ac cōtracta utraq; pellis segmenta inter se mutuo coeant, ac constringantur. huiusmodi calceus sine dubio pedē unà cum tota naturali dearticulatione exquisite continet, ac cōstringit. hoc uenatores præcipue apud nos utūtur, dum feras insectantur: quippe cum in asperis & inæqualibus locis sæpe non modo currere, uerum etiam salire ipsis opus sit. eadem causa ob montium uastitates & asperitates qui in Creta sunt, ad gestanda huiusmodi calceamenta Cretenses induxit.

DE DENVDATIS OSSIBVS cum luxatione.

C 16 At enim quibuscuuq; ossa tibiæ luxata uulnere facto penitus è pedis articulis eminent, siue intro, siue extra uergāt, reponenda non sunt: sed permittendum ut qui uelit medicus ea reponat. scire em̄ licet hos, si reposita permanserint, esse morituros: paucorumq; dierū uitā ipsorū futurā. pauci enim ex ipsis sunt qui septem dies pertranseant. quæ nanq; ipsos perimit, conuulsio est.

Ossa tibiæ appellat os suræ, & quod cōmuni totius mēbri nomine tibia nuncupat̃. hæc nudata extra cutem in utraq; tibiæ dearticulatione eminent quandoq;, tā qua pedi, q̃ qua femori cōiungit̃. de
D dearticulatione ad pedē primū nūc agit: monetq; ut quandocūq; os tibię hac parte luxatū cutē exierit, repositioni sit supersedendū, ob cōuulsionem quæ superuenire cōsueuit. dictū etiā superius in libro De fracturis est: cōtingere in huiusmodi affectionibus, ut aliquis ex musculis diuellat̃: aliquis unionē quidē seruet, sed cōtrahatur, quibus ad initium suum retractis totū membrū sequutū musculos, simulq; cum ipsis contractū breuius euadat: q̃ si quis extensione adhibita os quod eminet, reposuerit: & extensio ipsa nocumentū non paruū musculis afferet, & mēbri longitudo cum ipsos simul extendat, dolore uehementi eosdem afficiet: atq; ita si magni sint musculi, conuulsio necessario consequetur: sin parui, cuiusmodi circa digitos sunt, neq; ita res periculo uacabit. pleriq; tamen ex his,

si diligentia multa in tota curatione adhibeatur, salutem adipiscuntur. Sed quod ad curationem utile est, iam dixi. Nunc rationalis quædam quæstio restat consideranda, quæ nihil curationi uel prodesse uel nocere potest. Inquirunt enim nonnulli cur de ossibus tibiæ loquens hic Hippocrates, luxata, id est exarticulata dixerit. cum luxationē & exarticulationē eorū ossiū esse affectionē asserat, quæ in cauitates ingrediuntur: non quæ eminentijs suis circūplectunť. quamuis nō articulos hos, sicut superius sępe demonstratū est, uocet: non igitur oportebat, inquiunt, eum exarticulari tibiam dicere, sed talū. ad hos qui ita inquirūt, respondendū illud est, quod à me sæpe antea quocꝫ est dictū: solum id curare Hippocratē, ut rem de qua loquitur, exponat. quemadmodū etiā Plato nobis faciendum hoc censet, primūcꝫ ipse facit. demonstratūcꝫ alibi à nobis est, ueteres omnes ad nihil aliud, quàm ad hoc spectare consueuisse. solus enim Prodicus uidetur minutam istam in nominibus obseruandis curiositatem affectasse: quam exactam loquendi diligentiam appellare qui Prodicū sectantur, solent. Cæterū perspicuitatē narrationis nihil lædi ex ipsis his Hippocratis uerbis patet, cum inquit-quibuscūcꝫ tibiæ ossa luxata penitus è pedis articulis eminent. nam si etiā uerbū illud-luxata et exarticulata-sustuleris, nihilo minus quod dicitur manifestum est. quod Hippocrates adiunxit nulla minutæ istius nominum curiositatis habita ratione: quam qui affectant, ferè inepti ad dicendum sunt. qui enim enunciandi & eloquendi facultate sunt præditi, ad uim enunciationis ipsius spectantes singula uerba minime consectanť: sed ijs quæ ipsis affluunt ex Græcorū usu & consuetudine utuntur. Hippocrates igitur cum animo concepisset ossa tibiæ è dearticulatione penetrata cute eminere, ita uidetur eloquutus. propterea ꝙ si quis quod eminet, ac multum extra dearticulationem extat, luxatum esse atcꝫ exarticulatū diceret: rem euidentius explicaret: auditoremcꝫ ad rei speciem mente contemplandam facile induceret.

17 Adde quod euenit etiam ut & tibia & pes gangræna corripiatur. hæc ita esse euētura sciendum certo est.

Gangrænæ quocꝫ malum his cōtingere inquit, ex magnitudine uidelicet inflammationis, si eminentia extra cutem ossa reposita fuerint: cum uidelicet in inflammatis membris liuida carne iam suboriente rubor inflammationis euanescit: dolorcꝫ ex torpore sensus uidetur imminutus. nam si penitus stupida, sensucꝫ carentia membra euadant: malum id non amplius gangrenam, sed siderationem nuncupant. inter siderationem enim & magnam inflāmationē gangræna media est, tanto peior inflāmatione, quāto sideratione est leuior. sideratio siquidem totius substantiæ membri corruptio est. quæ, ubi iam tenet, curari à nullo potest: sed inter initia tantummodo, quādo uidelicet nondū uere est sideratio, sed gangræna magna, quæ prope ad siderationē accessit. Verū uicinarū affectionū nominibus abuti interdum cōsueuimus, de illis quæ ad ipsas quidem deueniunt: nondum tamen integre ipsarū formā & naturam consequuta sunt. Ita fit, ut maxima inflāmatio, cum necꝫ colorē suum seruarit, necꝫ dolorem: gangrænam quandocꝫ appellemus, cum nondum prorsus gangræna sit: sed si negligatur tamen, paulo post sit futura.

18 Sed necꝫ ueratrum mihi uidetur & eodem die exhibitum & rursus epotum præsidio futurū. proxime quidem si quicquam huiusmodi facit, sed necꝫ tamen id puto. At si necꝫ effecta, necꝫ tentata repositio fuerit, plericꝫ ex his euadunt.

De usu ueratri in huiusmodi affectionibus in cōmentarijs in librū De fracturis dictum à me est.

19 Affulcienda uero tibia & pes ita est, ut ipse uult.

Affulciri tibiā & pedē, firmiter stabiliri ac firmari significat: quod cum facis, illud tibi attendendū monet, ut figurationem eligas quæ minimū ægrotanti dolorē afferat. quod enim inquit-ut ipse uult qui ægrotat scilicet, nihil aliud quàm hoc ostēdit.

20 Tantū, ne aut suspensa, aut mota sint.

Quod inquit-ne mota sint-idē est quod modo dixit-affulcienda sunt. Affulcire enim ita omni ex parte firmari membrū significat, ut moueri nullo modo queat. Suspensa uero ne sint-bene addidit. cum enim dixisset eam figurationē esse eligendā, quæ facillima ægrotanti esset: decliuem & suspensam uitandā esse censet: propterea ꝙ cum affectæ partes defluxionem patiuntur, causam inflammationis admittūt. meminimus sane in superioribus de cruris figuratione dictum ab eo esse, summum pedē paulo sublimiorē exquisita rectitudine tenendū. nunc uero concedere ægrotantibus uidetur, ut recta pedis collocatione uti possint. nā cū tres sint huiusmodi collocationes, decliuis, accliuis, & æqualis seu recta: concedit ut excepta decliui, quocūcꝫ modo æger uoluerit, crus collocetur. prius uero iussit ut sola accliui depositione uterētur. perspicuū igiť est in huiusmodi affectionibus cōuulsionis timore maximā curā eū adhibere, ut dolore ne attentenť. dolor siquidē in neruosis mēbris cōuulsionē maxime parit. quare si ita affecta necꝫ perfrigerentur, necꝫ dolore afficianť: ut conuulsio ipsis superueniat, fieri nullo modo potest.

21 Medendumcꝫ est cerato picato, & uino imbutis plagulis paucis non admodum frigidis. frigus enim in huiusmodi affectionibus conuulsionem prouocat.

De his quocꝫ superius dictum à me est, hoc est de cerato picato ulceribus curandis accommodato: & uino, præsertim, ut ipse docuit, nigro & austero: ꝗd absꝗ inflāmatione affectas partes cōseruat. de eo uero ꝙ fugiendū esse frigus inquit, utpote quod cōuulsiones inducat, in carnosis partibus explanatione aliqua fortasse indigeret: in neruis uero prorsus clarū est. neruis enim utrūcꝫ inest, ut

A & facile perfrigerentur, cum natura frigidi sint & exangues: & ubi patiuntur, in cõuulsionem deueniant. Quin neq; alia quępiam pars absq; neruorũ contagione incidere in conuulsionem potest. neruosiores uero reliquis partibus esse dearticulationes constat. ubi uidelicet musculi deposita carne quam in reliquis suis partibus habent, in tendonẽ desinũt. Quapropter magis illud quęstiõe dignũ esse uideretur, cur uino mediocriter frigido utendum censeat. non enim mediocriter frigidum, sed calidum adhibẽdum esse unusquisq; existimaret. Huiusce rei ratio huiusmodi est. medicinæ ulceratarum partiũ scopus in eo cõsistit, ut ne inflamentur: id autẽ fit, si prohibeatur, ne ulla humiditas in affectam partem influat: non influet autem, si per- B frigeremus. nam quæ calfaciunt & humectant, si corpori applicentur, id cõfestim rubicundius reddunt: paulo post etiã in tumorẽ subducunt: aliasq; ei similes inflãmationi affectiones afferũt. quæ uero perfrigerant, e contrario omnia faciunt: nõ modo nullã e superioribus locis superuacuã humiditatem ad affectã partem attrahunt: uerũ eas etiam quæ in ea cõtinentur, ad uicina membra expellũt, atq; exprimunt. perfrigerantiũ aũt duplex genus est: alia recenti qualitate ad tactũ: alia insita qualitate id faciunt. nã quæ astringũt frigida sunt: sicut in libris De simplicibus medicamẽtis ostenditur, & reliquũ perfrigerantiũ genus, ab his distinctũ est: ut papaueris succus, mandragoræ succus, cicuta, & alia quæcunq; cum humiditate frigefaciunt. C austera eñ omnia terrestrẽ perfrigerationẽ afferre demonstratũ est. dicta etiã nõ pauca sunt de usu huiusmodi medicamentorũ in libris De curãdi ratione, quemadmodũ quoq; in cõmentarijs De ulceribus Hippocratis. sed ad pręsentẽ rem satis est, si illud tantũ cognoscamus: humidorũ & frigidorum medicamentorũ facultatẽ in totam corporis altitudinẽ penetrare, cui applicãtur: citoq; ipsum refrigerare amplius q̃ opus sit, ita ut corpus regẽtem facultatẽ stupefaciant. at quę terrestrẽ refrigerationem afferunt, ea in libris quos dixi, accõmodatissima esse demonstrata sunt ad influentes humores reprimendos. propterea igitur ipsa hæc adhibemus. quia uero calidum attrahere quoq; ad se humores cõsueuit, ideo recẽti quoq; qualitate frigida adhibemus, neq; ea calefacimus. Nũc igitur D Hippocrates quãtum ad affectionẽ ulceratarum partium spectat, eis frigidis quidẽ uteretur, sicut in alijs uulneribus facit: quia tamen cõuulsionem timet, quæ ex refrigeratione superuenire consueuit: prorsus frigida adhibere non audet: atq; iccirco non admodum frigidis utendum monet.

22 Accommodata quoq; sunt betæ folia, aut tussilaginis, aut alicuius alterius huiusmodi in uino nigro austero semicocta, atq; imposita, medendumq; est & supra ulcus, & supra adiacentia.

Herba quædam est tussilago, idonea ad pręsentem rem, propterea q; mediocriter exiccat. quare indigere ulcera omnia demõstratũ est. de uino austero nigro austero dictum à me quoq; est in commentarijs De fracturis, ipsum cũ reprimendi uim non secus, atq; alia uina habeat, crassius tamen cæteris esse: atq; ideo ulcerata membra non mordere. quam ob causam eligendum cæteris magis est.

23 Ceratoq; tepido illinendum ipsum ulcus est.

Demonstratum à me est dum librum De ulceribus explanarem, sumere nunc ceratum Hippocratem, taliaq; medicamenta adhibere, quæ conglutinationem prohibeant: non q; ulceri cõueniant, sed quia nunc non absolute tanquam ulcus, ulcus curat. unde neq; glutinare id studet, sicut alia recentia consueuit: sed primum id in hac curatione sibi proponit, ut ne conuulsione homo corripiat. ob id enim neq; reponendum articulum censet: sed potius permittendũ ut crus turpiter claudum euadat. neq; absolute mollia medicamenta adhibet, quæ μαλθακώδη, id est mollitudinosa ipse in libro De ulceribus uocat: licet uim mitigandæ inflãmationis habeant. inter initia namq; nondũ exorta inflãmatione, ut ne exoriat, cauet: ac propterea reprimentia imponit: neq; tamen ea sola, sicut in alijs ob conuulsionis timorem, sed misto curationis modo utitur: medicamentis facultate contrarijs mensura conuenienti inter sese iunctis: id quod ex sequentibus maxime spectare cõspicies, quibus iam animum aduerte.

24 Quòd si hybernum tempus sit, lanæ sordidæ ex oleo & uino tepido imponẽdæ sunt, ac desuper irrigandum.

Neq; tepidis uteretur medicamentis, neq; prorsus immisceret oleum, si tanquam ulceratũ tantũmodo membrũ curaret. sed sicut prius dixi, quia conuulsionẽ timet, & oleum immiscet, & tepida omnia adhibenda censet. uerum neq; ad conuulsionem tantũ spectat, sic ut à medela ulceris prorsus recedat. nam in mistis & coniunctis affectionibus curatio quoq; mista adhibenda est. propterea imponi etiam lanas sordidas iubet, id est succidas: ita enim à succo sordiũ appellare cõsueuerũt: quia hoc quoq; medicamentũ nõ simplicis est facultatis, ut in libris De medicamentis ostendimus: sed mistæ ex cõtrarijs qualitatibus & facultatibus, astringẽte uidelicet, & leniter ac tepide calefaciente. irrigandas uero, hoc est perfundendas ac madefaciendas huiusmodi affectiones uult, non tam de hyeme, q̃ de æstate quoq; intelligẽs. cõmune eñ hoc toti curationi est. nam quod si hybernũ tempus sit, subiunxit, nõ q; per hyemẽ tantum huiusmodi affectiones assidua humectatione indigeãt, sed quia ęstate magis id requirãt. quippe cũ magis per id tẽpus lanę ita affectis partibus circũiectę soleãt exiccari. semper igiť madefacienda ac perfundenda assidue huiusmodi omnia esse cẽset. q̃d aũt infundiť ac madefacit: tale esse debet, quale in prima statim curatiõe pręcepit adhiberi: uel uinũ solũ, si sit æstas: uel adiecto oleo per hyemẽ. ac quãtitas quidẽ caloris ex ambiẽtis nos aeris cõstitutiõe reperieť. nam quãdo admodũ frigidus aer fuerit,

calorem humidorum quibus perfundes, augebis: quando calidus, diminues: non enim omnino uti calido decreuit: atq; ita quantitatē caliditatis pro aeris temperatura subinde immutabis. memoria aūt tenenda sunt in huiusmodi omnibus ea quoq; quæ ab ipso in uniuersum dicta sunt, & non cupiendum, omnia in omnibus audire ac dici. sed quæ ea sunt? quæ uidelicet, tum in cōmentarijs in definitiones eius quos Aphorismos dicūt, tum in alijs multis memoria tenēda esse censui. quorum cum unum dictū fuerit, reliqua quoq; omnia quæ eandem uim habēt, intelligenda sunt: ac de omnibus dictum id esse quasi cōmune, est existimandum. ita igitur etiam nunc cum ipse tempus tantum hybernum cōmemorarit, tu & regionem, & ętatem, & consuetudines, & naturalem corporum constitutionem intellige: regionem scilicet frigidam, ætatem senilem, consuetudines quæ corpus perfrigerant, naturalem constitutionem frigidam. quippe cum omnia hęc cum tempore hyberno ab Hippocrate scripto eandem indicationē indicent. Cæterum sicut in hyeme in calidiorem modum curationem immutas, ita per æstatem econtrario in frigidiorem immutabis. æstati autem simili modo ætates, & regiones, & cōsuetudines, & corporum constitutiones calidæ correspondent. quæ si omnia calefacere præ se ferant, in frigiditate: si frigefacere, in caliditate totam curationem augebis: quod si alia ad calefaciendum, alia ad frigefaciendū tendant: ad numerum ipsorum & facultatē spectans, ita pro rata cuiusq; portione & caloris & frigoris conuenientiam moderaberis.

25 Nihil autem ulla re deligandum est, neque circumplectendum. scire enim oportet compresionē, & pondus talibus affectionibus omne malum afferre.

Non solum in his subligaminum circumuolutionem, qua in omnibus & fracturis & luxationibus utitur, auferendam esse censet: uerumetiā deligationes omnes quibus ad lanas continendas, circumijci solent: causamq; ipse addit, cū inquit, compresionem & pondus omne malū huiusmodi affectionibus afferre. satis enim ipsis sunt solæ lanæ, cum ob mollitudinem & leuitatem neq; cōprimere, neq; grauare quicq; posint. atq; hæc non ut ulcus curans euitat, sed cauens ne denudati & cōtusi tendones & nerui conuellantur.

26 Accommodata his etiam sunt nōnulla ex cruentis: quibuscunq; ex ipsis confert, ut lanæ impositæ uino irrigatæ multo tempore relinquantur.

Cruenta, id est ἔναιμα, appellat medicamenta & his in libris, & in libro De ulceribus, quæ cruentis uulneribus statim imponuntur. ex his inquit ea præcipue esse admittenda, quæ cum post longius tempus soluantur, irrigari inter solutiones queunt. uult enim ut sicut reliqua omnia in curatione hac in leniorem modum referatūr: ita quoq; neq; deligatio ęgrotanti adhibeatur, neq; frequens fiat

A resolutio. Ex cruentis autem medicamentis post multum tempus resolui ea possunt, quæ maxime exiccandi uim habent: si tamen in ipsis id cauerimus, nec ex uehementia contrahant. exempli causa duorum medicamentorum quæ nostis, mentionem faciam, quę in omnibus libris descripta sunt, qui De medicamentorum compositione tradūt: cuiusmodi sunt Andromachi duo, Heræ unus, & aliorum quamplurimi. ex bitumine hæc componuntur medicamēta: quorum alterum barbarum: alterum Cyzicenum appellatur. hoc cum magis quàm cruenta exiccet, nocet magis, quàm prosit, cum contrahat membra, atq; in dolorem inducat. alterum accōmodatum est, si tamen etiam ipsum moderate fuerit contemperatum. nonnulla enim B ex his & immoderatius exiccant, & constitutione dura sunt. Sed de differentia huiusmodi medicamentorū in libris de eorum cōpositione dictū latius est. Pleraq; uero quę ab Hippocrate deinceps dicūtur, clara sunt, si quis memoria teneat ea quæ antea & librum hunc De articulis, & alterum superius De fracturis explanans commemoraui.

27 At quæ paucissimorum dierum sunt cruenta, quæq; resina comprehenduntur: non simili modo ut illa idonea sunt. diuturna enim ulcerum purgatio his fit. quippe cum multo tempore madore abundent. aliquos autem horum deligare bonum est. sciendum tamē certo est, necesse omnino esse C ut homo turpiter claudus euadat. nā & pes in superiorem partem attractus est: & ossa prolapsa extra eminentia apparent. neque enim ullum ex talibus osibus plerunq;, nisi parum aliquid carne destituitur, neq; recedit, sed tenuibus & imbecillibus cicatricibus circumducitur: atq; id si multum tempus quieuerint: sin minus, periculum est, ne insanabile alquod ulcusculum relinquatur. ueruntamē de quo est sermo, qui ita curantur, salutem consequuntur. quibus repositus articulus permanet, moriuntur.

D Quænam paucissimorum dierum cruenta medicamenta appellet, si meministi quæ in superiore oratione explananda exposuimus, non difficulter reperies. ea enim ita uocasse eum cōstat, quæ post paucos dies resoluuntur. resolui autem post paucos dies debent, quę ex antedictis sunt imbecilliora. nam quia non satis exiccāt, sinunt, ut sanies ampliores circa ulcera colligantur. hæc nonnulli ex ueteribus nescio quo cōsilio (multa eñi dici possunt) resina extrinsecus cōprehendebant. sed cum Hippocrates omnia huiusmodi medicamenta cauenda esse cēseat, protrahere longius orationem, superuacaneum existimo: præsertim cum in libris De medicamentis quæcunq; de his scienda sint, cuncta fuerint definita. Nunc igitur de propositis dictum sit satis. Cætera quæ subsequuntur si quis

prius explanata memoria teneat, perspicua sunt: A atq; iccirco prætereunda.

28 Eadem ratio est, si ossa quoq; cubiti ad articulũ manus ulcere facto siue in interiorem, siue in exteriorem partem manus emineant. certo enim sciendũ est intra paucos dies ea morte, qua superius dictũ est, eum esse moriturum, cui reposita ossa permanserint. quibus uero neq; reposita fuerint, neque tentata, ij multo plures euadunt. His talis curatio competit, qualis dicta iam est. necesse uero est ut clauditatis distortionisq; figura deformis efficiatur: digitiq; manus & B imbecilli & inutiles reddantur.

Sicut totum id quod inter genu & talum est, ex duobus ossibus constans, tibiã appellat: ita quoq; quod inter brachium & primam partem palmæ intercedit, cubitum uocat: quod neq; ipsum uno osse, sed duobus compositũ est: quorum alterum radius, alterum cubitus proprie nuncupatur: non secus atq; in tibia. articulusq; ad manum cum tali articulo: qui uero ad brachium est, cum eo qui est ad genu, conuenientiam habet. maiorum tamen partium affectiones, siue fractum, siue luxatum aliquid sit, difficiliores semper sunt. quod si quis meminerit, ad reliqua quæ dicenda sunt, pauca explanatione indigebit.

29 Nam si in interiorem partem lapsa fuerint ossa, inflectere digitos: sin in exteriorẽ, C extendere non potest.

Cur uerbo labendi utatur, superius declaratum est, ubi tibiæ ossa ad pedem cũ ulcere luxari dixit. nunc referre causam uolo, cur quando in interiorem partẽ cũ ulcere cubitus excesserit, inflecti digiti nequeãt. in hac affectione fit, ut cubiti ossa ab interiori parte, ossibus primæ partis palmæ quem καρπὸν uocãt, incumbãt, unà cum tendonibus qui extrinsecus eò pertingunt ad superiorem locum ad brachium: ita ut digitos in exteriorẽ partem attolli necesse sit: id quod nihil aliud ipsis est quàm extendi. propterea igitur inflecti prorsus nõ possunt, cum musculi & tendones musculis ab interiori parte ipsos inflectẽtibus extrinsecus renitantur. D sæpe enim dictum est, nisi musculis operari conantibus alij oppositi obsequantur, fieri nõ posse ut operatio ullo pacto expleatur. eadem ratio est, quòd extendi nequeant digiti, cum in exteriorem partẽ cubiti ossa excesserunt. nam cum interiores musculi & tendones uehementer intendantur, ac propterea obsequi exterioribus nequeant: pereat illorum operatio necesse est. quinetiã ipsa ossium positiõe cum uidelicet cubitus ab interiore parte ossibus primæ partis palmæ insidet, flexura: cum ab exteriore, extensio admodum prohibetur.

30 At si tibiæ os cum ulcere ad genu emineat, siue in interiorem, siue in exteriorem partem id contigerit: quibus repositum fuerit magis in præcipiti mors est, quàm superioribus: licet etiã illis in promptu sit. si osse non reposito medearis, spes salutis ita tantũmodo habentur. periculosiora tamẽ ossa hæc sunt, quo sunt superiora, ac ualidiora, à ualidioriq; prolapsa. Si uero os femoris ad genu facto ulcere prolapsum sit, repositum ac subsistens uiolentiorem mortem maturius afferet, quàm superius dicta: non repositum, multo quidem periculosius quàm priora: sola tamen spes salutis hæc subest.

Testimoniũ non paruum hoc quod hic inquit, eorum est, quæ paulo superius de ossibus quæ & in dearticulatione ad malleolos, & ad primã partem palmæ eminent, atq; extãt: iam diximus. nam neq; talus in dearticulatiõe ad pedem, neq; prima pars palmæ quem καρπὸν appellant, ad cubitũ extra cutem prominet: sed in crure tibia, in brachio cubitus. merito igitur hæc & luxari seu dearticulari, & prolabi dixit, quippe quę extra dearticulationem excesserint. tibiam enim in dearticulatione ad malleolos interdum eminere modo in exteriorem, modo in interiorem partem dixerat. nunc uero non tibiam solum, uerumetiã femur extare inquit: non iniuria id quidẽ. nam in dearticulatione ad genu interdũ tibia, interdũ femur extare cõspicitur. ad pedem uero tibia semper. quemadmodũ ad primam partem palmæ cubitus. cætera aperta sunt, si antedictorum oblitus non fueris.

31 De articulis ad gibbũ cubiti, & cubiti item & brachij eadẽ ratio est. quæcunq; enim ex his luxata cũ ulcere extiterint, omnia si reponantur, mortẽ: si nõ reponantur, spem salutis afferunt. qui euadunt, claudita te debilitãtur. articuli quidem qui superius sunt, repositi letaliores: sed & non repositi periculosiores. si uero alicui superiores articuli luxati ulcere facto emineant, hi si reponãtur citissima morte conficiunt: si nõ reponãtur, periculosiores cæteris sunt. Quæ medela accõmodatissima his mihi esse uideat, dictũ iã est. Iã uero quibus digitorũ uel pedis uel manus articuli luxati uulnere facto exierint, nõ osse quidẽ fracto, sed in ipsa cohærẽtia auulso: ijs si repositi permaneãt, cõuulsiõis quidẽ periculũ impẽdet, nisi recte curẽtur. at operæpreciũ tamẽ est, ubi prædixeris rẽ cautione & cura multa indigere, ita repositionẽ aggredi. facillimũ aũt & efficacissimum & artificiosissimum est, si uecticulo reponamus: quemadmodum de fractis ossibus atq; extantibus dictũ superius est. deinde quiescendum quammaxime est, & cuban

cubandum, & inedia pugnandũ: meliusq́ʒ est ut desuper leui aliquo medicamento hominem purgemus.

Merito hic inquit articulos numero plurali, sicut de genu. nam de dearticulatione ad primam partem palmæ, & ad malleolos loquens, nõ dixit in multitudinis numero articulos. plures autẽ articulos hoc in loco esse, de quo nũc sermo ipsi propositus est, in tertio cõmentario in librum De fracturis declaratum est. eandem rationem itaq́ʒ esse inquit in proposita hac cubiti dearticulatione, sicut in genu. sicut enim illic aliquãdo tibia, aliquando femur extare dictum est: ita nunc modo cubitus, modo brachiũ in eiusmodi affectionẽ incidit. Quę deinceps cõmemorat, perspicua omnia sunt.

32 Vlcus uero uel cruentis medicamentis irrigatis curandum est, uel multioculis, uel ijs quibus in capite ossa fracta curantur: nihilq́ʒ quod admodum frigidum sit adhibendum. Primi articuli minimum quidem sunt periculosi: superiores maius periculum afferunt. Repositio autem uel eodem die, uel postero molienda est: tertio aut quarto minime. quarto enim die rebellationes maxime attentãtur. quocirca quibus non statim facta repositio fuerit, ijs antedicti hi dies sunt prætereundi. quodcunq́ʒ enim intra decem dies reponitur, omne id continetur. at si post repositionẽ conuulsio superuenerit, statim eijciendus articulus est. ac calida aqua quã sæpissime fouendũ. curandumq́ʒ est ut cum totũ corpus, tum præcipue circa articulos calidũ, lene, ac molle custodiatur.

Quænam sint cruenta medicamenta irrigata, superius dictum est. multioculi aũt herbę quę etiam βόφθαλμος, hoc est bouis oculus nũcupatur, folio hic utendum censet, sicut prius tussilaginis: cum eandem uim, quam illa habeat. huius herbæ Diocles quoq́ʒ in libro De holeribus meminit. Tale autem esse totius curationis propositum debere inquit, quale in fracturis capitis declarauit. eo in libro nobis quoque illius curationis modus siccior esse est demonstratus, quàm qui in libro De ulceribus traditus est, & præcipue circa articulos.

33 Debetq́ʒ inflexum magis q̃ extentum totum corpus esse. expectandum tamen recessionem passuros esse digitorum articulos qui reponentur. plerisq́ʒ enim ita cõtingit, si uel quælibet inflammationis particula subsit. ut nisi ex uulgarium imperitia in crimen medicus incideret nihil omnino reponi oporteret: atq́ʒ ossa quidem ad articulos extantia si reponantur, ita sunt periculosa, sicut dictum est.

Non idem est si dicamus extentum esse & extendi, sicut neq́ʒ inflexum esse et inflecti: qui enim extentum esse membrum dicit, unam eius solam figurationem significat: quæ in directum tendit, quæ neq́ʒ maiorem neq́ʒ minorem suscipere directionem potest. qui uero esse inflexum inquit, omnes post extensionem figurationes indicat: quę magis & minus inter se differentes usq́ʒ ad ultimã flexuram procedunt. extẽdi autem & inflecti motiones ipsas notat, quæ in transfigurandis mẽbris fieri consueuerunt. extendi siquidem omnes eos motus in se continet, qui inter extremã flexuram, & exquisitam extensionem intercedunt: sicut inflecti à summa extensione usq́ʒ ad summam flexionem motiones complectitur. nunc igitur Hippocrates cum dixit extentum esse, extensionem ultimam quę per directum plane est, significauit: quã solam reprobat. cum dixit inflexum esse omnes habitus indicauit qui inter hanc, & ultimam flexionem sunt. è quibus qui accõmodatissimus subinde fuerit, eligendus est: modo qui paulum, modo qui multũ à summa extensione recesserit. quando autem alterutrum ex his eligendum sit, ex antedictis coniicere poteris.

DE OSSIBVS EXCIDENDIS.

34 Quæ uero ad articulos digitorum penitus exciduntur, innoxia pleraq́ʒ sunt: nisi quis in ipsa uulneratione ex animæ defectu læsione afficiatur.

De excidendis ossibus docere hinc incipit ita clare omnia differens, ut nulla nostra explanatione opus sit. sed satis est, si illud tantum præmoneamus, te omnia percepturũ esse quæ dicit, si id tibi proposueris, q̃d de extantib. ossibus docuit: quæ recentiores medici ἐκβυρσώματα, id est excutationes, hoc est extra cutem eiectiones appellare consueuerũt. pro magnitudine enim articulorum magnitudo periculi impendet: sicut igitur in illis, ita in ossibus quæ exciduntur, contingit. si quid autẽ obscure esse dictum uidebitur, id explanabo.

35 Medelaq́ʒ uulgaris talibus ulceribus sufficit: quinetiam quæcunq́ʒ non ad articulos, sed ad aliam aliquam ossium directionẽ præciduntur, innoxia sunt: aliisq́ʒ etiam sanabiliora. quæcunq́ʒ item in digitis ossa fracta extiterint non ad articulos, ea si reponantur, innoxia sunt. excisiones uero integræ ossium ad articulos, & in manu, & pede, & in tibia ad malleolos, & in cubito ad primam partem palmæ, plerisq́ʒ læsione uacant, si non statim animæ defectio occuparit: aut quarto die continua febris superuenerit. siderationes tamen carnium contingunt, & in uulneribus cruorem erumpentibus, & ualidis constrictionibus, & ossium fracturis compressis magis quàm par erat: quæq́ʒ alijs uinculis uiolẽtis intercepta fuerint

rint, pleriſq; decidunt: ac pleriq; ex his eua- A
dunt. necnõ quibus pars femoris aliqua &
carnium & oſsis deciderit: quibus etiã bra-
chij pars. minus tamen id euenit, ſi cubitus
aut tibia decidat: hi facile etiã euadunt. qui-
bus igitur fractis oſſibus ſiderationes, et de
nigrationes ſtatim obortæ ſunt, ijs cito car-
nes circumabrumpũtur ac reſoluuntur: ut
quæ decidere debent, oſsibus iam cõceden
tibus, celeriter decidant. at quibus ſanis
oſsibus denigrationes fiunt, carnes ijs ſta-
tim emoriuntur: oſſa autem ſero decidunt:
qua parte denigrationis fines, & nudatio B
oſsis extiterit.

Sæpe iam dictum eſt uulgarem medelam eum
appellare illam quæ accuratæ & exquiſitæ oppo-
ſita eſt.

36 Quæcunq; partes inferiores finibus
denigrationis fuerint, ſi prorſus iam emor-
tuæ ſint, & dolore careant, ad articulum de
trahendæ ſunt: cauendumq; ne uulneratio
inferatur. nam ſi qui exciditur, doleat, non-
dumq; ea parte emortuum corpus habue-
rit: periculum admodum eſt, ne præ dolo-
re anima deficiat, huiuſmodi autem animæ
defectus multos ilico iam peremerunt. Ac C
femoris quidem os hoc modo nudatũ octo
geſimo die recedere uidi. ſed tibia tamen
huic homini uigeſimo die ad genu fuerat
detracta. uidebatur autem mihi etiam pro-
pius. non enim ſimul, ſed ad maiorem cau-
tionem mihi ita facere uiſum eſt. oſſa uero ti
biæ ex huiuſmodi denigratiõe ad mediam
tibiã ſexageſimo die mihi deciderunt, quæ
cunq; ex ipſis fuerant nudata. ad efficien-
dũ enim, ut citius aut tardius oſſa quę denu
dantur, decidãt: curatio curationi ſanè præ
ſtat. cõpreſſio item à cõpreſsione ualiditate
& imbecillitate differt ad efficiendũ, ut ner D
ui, carnes, arteriæ, uenæ denigratæ aut cele
rius aut ſerius emoriantur. nam quæ nõ ue
hementer intercepta moriuntur, nonnulla
non ad oſsium nudationes deueniunt, ſed
magis in ſummitate decidunt. ob has igitur
cauſas uno numeri noĩe tẽpus, quoto ſingu
la ex his iudicantur, comprehendi nõ licet.

Cum antea dixerit, cum carnes oſsibus circum
iectæ denigrantur & corrumpuntur, neceſſe eſſe
ut oſsibus carne denudatis idem tandem eueniat:
ac propterea præcidenda ea eſſe iuſſerit; nunc con
ſulit, ut detrahantur ſanis minime contactis: ne æ-
ger ex dolore adeo uehementi, animæ defectu ita
corripiatur, ut recreationem amplius non admit-
tat. ad articulũ autem, ſi fieri poteſt, detractionem
eſſe faciendam monet, celeritatis cauſa. nam ſi in
media membrorum parte oſſa præcidantur, tem-
pus trahi neceſſe eſt. in articulis uero abſq; oſsium
tactu affecta membri pars reciditur.

37 At enim admittendæ maxime huiuſ-
modi curationes ſunt. quippe quæ ad inſpi
ciendum quàm ad medendum formidabi-
liores ſint. & medela lenis omnibus huiuſ-
modi ſufficit. ipſa enim ſeipſa duntaxat iudi
cant. ſtudendum item eſt, ut uictus faculta-
te febriculoſus non ſit.

Non ægrotantium tantum curam habere Hip-
pocrates uidetur, uerumetiã medicorum ipſorũ:
ut cum ſemper quidem apud ægrotãtes reprehen
ſione uacent, in pleriſq; laudẽ conſequantur. pro-
pterea enim notat ac diſtinguit affectiones quæ
ſpecie magnæ ſint, & quæ ui. atq; in uehemẽtibus
& ualidis ui quæ ſpecie huiuſmodi minime appa-
rent, detrectandũ eſſe cenſet. quæ ſpecie uero ma-
gna eſſe uideantur, aggredienda. ſicut hæc ſunt de
quibus nunc loquitur. ubi nanq; pars aliqua peni-
tus emortua fuerit, ut uicinorum nulla admodum
magna contagio timeri poſsit: ſi eam præcidas, a-
nimæ defectus euitato periculo, nihil mali conſe-
quuturum eſt.

38 Tum in iuſtis figurationibus collocari
membrũ debet. iuſtæ etiam hæ ſunt: ſi ne-
que ſuſpẽſum ſit, neq; deorſum inclinetur,
ſed magis ſurſum uergat: præterea etiã quo
ad integre circumabruptum fuerit. nam eo
tempore ſanguinis eruptionum periculum
eſt. iccirco uulnera non decliuia, ſed in con-
trarium collocanda ſunt.

Sępe à me dictum eſt, iuſtum ab Hippocrate di
ci pro eo quod poteſtate eſt æquale. hoc eſt quod
pro uniuſcuiuſq; dignitate eſt. tale quid eſſe etiam
iuſtitiam ipſam nouimus. quantum igitur ad mu-
ſculos ſpectat, iuſta figuratio ea erit, in qua in neu
tram partem neq; qui inflectunt, neq; qui exten-
dunt, intenduntur. quantum uero ad decliue aut
accliue attinet, ea iuſta eſſe figuratio uideri poſſet,
quæ inter accliuitatem & decliuitatem media eſt:
hoc eſt quæ in rectam lineam exquiſite eſt exten-
ta. quę ſanè, niſi periculum aliquod eruptionis ſan
guinis impẽdeat, ſicq; id æger facilius ferat: eligen-
da eſt. de hac paulo ante diximus, ubi de extra cu-
tem eiectis oſsibus ſermo erat. nunc uero in præ-
cidendis oſsibus ſicut in operatione ipſa periculũ
eſt, ne dolore uehementi affectus æger, animæ de
fectione opprimatur: ita poſtquã operati ſumus,
alter metus impendet, ne ſanguinis eruptio conſe
quatur. id quod quando putrefactæ partes decide
rint, euenire cõſueuit. deorſum igitur uergentem
habitũ ad eruptiones huiuſmodi ſanguinis prom
ptiſsimum eſſe, perſpicuum eſt. unde ut hoc peri-
culũ penitus ac tuto euitaremus, præciſum mem-
brum

brum accliue ac suspensum esset figurandum: nisi dolorem ea figuratio afferret. quocirca sic ut paululum sursum uergat, collocamus. patet itẽ in hac oratione Hippocratẽ, ut rem augeret, dixisse-praeterea etiam-perinde ac si ita scripsisset. si neq; suspẽsum sit, neque inclinetur deorsum, sed sursum magis uergat: & praecipue cum putrefactæ partes circumabruptæ ac resolutæ fuerint. nã eo tempore sanguinis eruptionum periculum est.

39 Nam cum tempus plus processerit, & purgata iam ulcera fuerint: non amplius hæ figurationes idoneæ sunt: sed recta collocatio conuenit. quandoq; etiam in decliue tendentes habitus. temporis enim mora nõnullis ex his ossis recessiones cõtingunt: atq; ita fit, ut subligaminibus indigeant.

Sicut cum sanguinis eruptionem cauebat, rectam collocationem licet mediam & iustam ad accliuitatem tantisper redigebat, quatenus absque dolore laborãtis membrum attolleretur: ita nunc mediocriter decliue interdum figurãdum censet, ut sanies excerni commode queant. nam si neque sanguinis eruptionis, neq; cõtagionis, neq; inflammationis periculum sit, & iam purgata ulcera sola consolidatione indigeant: ante omnia illud cauendum est, ne aut pus, aut sanies aliqua tenuis subsistat, curandumq; ut omnia effluant. Sed interdum tamen accidit, ut aliqua pars ibi sinuata eo tempore sanie corrosa quo metu sanguinis eruptionis accliuem figuram elegeramus: subligamina quibus sinus contrahatur, requirat. cuiusmodi in occasione deligatio cõtrario modo quàm cæteræ omnes antedictæ fieri debet. illæ enim ab inferioribus orsæ partibus in superiorem desinunt: hæc quæ his affectiõibus adhibetur, in quibus exprimere pus uolumus, incipiens desuper ad inferiora deuolui consueuit: ac paulo supra os sinus ipsius finitur: ea causa, ut quod è fundo ipsius expressum deligatione fuerit, aperto ore effluere statim queat.

40 Expectandum tamẽ est, hos post tempus aliquod dysenteria esse laboraturos. nam & plerisq; his quæ denigrantur, & sanguinis eruptionibus ex ulceribus dysenteria superuenit. atq; id plerunq; fit, ubi iam & denigrationes & eruptiones sanguinis iudicatæ sunt.

Δυσεντερίας uocabulum non pro ulceratione intestinorum, ut pleriq; medici solent, sed pro cruenta ex intestinis proluuie sumere Hippocrates uidetur. ut etiam quando ex iecoris imbecillitate cruenta deijciuntur: affectio ea dysenteriæ nomine appellet. id quod & fieri & dici à medicis quoque uidetur. quinetiam nostis multos ita affectos curantiũ inscitia perijsse. nam cum aliquando ex acrimonia exeuntium unà cum deiectionibus nescio quid sanguinis inter initia: deinde processu temporis strigmenta quoq; intestinorum excernantur: quia pleriq; ex medicis quasi solam intestinorum exulcerationem neglecto iecinore curare

A cõsueuerunt: in causa sunt ut ægri moriantur. morbus igitur est, & iecinoris imbecillitas, & intestinorum exulceratio. cõmune autem accidens cruenta hæc per sedem deiectio est, quæ non ob antedictas causas existit. nam ex copia sanguinis uenarum orificijs in intestina apertis cruenta hi deijciunt, ut malum hoc sanguifluis uenis in ano quas αἱμοῤῥοΐδας appellant, perquam simile sit. eo tantum differẽs quòd illæ in ano tantummodo fiunt: in hoc in intestinorum anfractibus & reuolutionibus, uel in ipso etiam recto intestino, lõge tamen ab ano in superiore eius parte ubi exoritur, uenæ aperiuntur. multos nos uidimus hoc pati, quibus excisum os aliquod fuerat. quiq; etiam cum priori

B tempore ualidis exercitationibus essent assueti, repente eas deseruerunt: cum alij certaminibus, alij fossionibus, aut tali alicui rei laboriose antea uacarent. nisi enim hi unà cum exercitationibus copiã etiam cibi, qua cum laborabant, utebantur, imminuerint: celeriter nõnulli plenitudinis morbis corripiuntur: alij quibus cum felicius agitur, in dysenteriæ, quod dictum hic ab Hippocrate est, malum incidunt: ita enim, ut dixi, sanguinis deiectionem appellat: nonnullos item noui qui profluuio sanguinis è naribus: alios qui cholera laborarunt. omnibusq; his ex circuitu omnino talia accidẽtia contingunt, æquali ferè tempore intercedente. nam uniuersis his ac repentinis exinanitionibus afflicti ac perfrigerati uictui postea studium non adhibent:

C sed rursus incaute ac libere eo usi, copiam rursus sanguinis æqualem priori in æquali tempore contrahunt, ac colligunt. cõmunem igitur causam omnium qui ita patiuntur, esse plenitudinem dicemus: quæ per uenarum ora uel in naribus, uel in sede, uel in intestinis aperta exinanitur. quæ quidem plenitudo in hominibus contrahitur, qui cum comedant ut prius faciebant, abunde: sanguinem ex alimento procreatum, ut prius solebant, non digerunt, nec cõsumunt. sub hanc cõmunem rationẽ omnium qui ita afficiuntur, ea quoq; quæ ab Hippocrate hic dicta sunt, referuntur. quippe cum illis quibus membrum aliquod præcisum fuit, alimentum quod prius ad id deferebatur, in uenis collectum copiam sanguinis faciat. Quapro-

D pter consulendum huiusmodi omnibus hominibus est, ut pauciora edant quàm prius, atq; ea quæ paucum alimentum exhibeãt: frequenter aluum ducant: quatenus possunt, exerceantur: amplius perfricentur: ante cibum sæpe, post nunquam lauentur. sicq; uti aquis possunt, quæ digerendi uim habeant, id uel maxime faciant. atq; hæc obiter dicta à me sunt: cum tamen ipsa obiter minime sint consideranda. Sed enim addendum quoq; esse illud uidetur, quam ob rem nõnullis qui uehementem sanguinis eruptionem passi sunt, talis dysenteria post aliquod tempus superueniat. id itaq; fit propterea quòd uehementibus sanguinis profusionibus frigefacto corpore minus quàm prius per cutem digeritur. quod ergo non exinanitur, in corpore subsistens sanguinis copiam auget. ex qua, si

cut prius demonstratum est, & cholera, & sanguinis profluuia per nares, & cruentę dysenteriæ eueniunt. ita enim clarioris doctrinæ causa appello. ex sanguinis autem copia, ut dixi, hæc consequuntur ob robur magis & uires, quàm ob imbecillitatem: cum ad exercendū id natura incitetur, econtrario quàm in iecinorarijs affectionibus contingat. in illis enim infirmitate & imbecillitate iecoris fit, ut cruenta ex intestinis deijciantur. Si igitur uel per hæmorroidas, uel per uenas quæ aut ad intestina, aut ad nares pertingunt, quod redundat, natura expellere potuerit: fortunata exinanitio succedit. sed si locis his copia ea non admissa ad pectus & pulmonem inclinata fuerit, graue iam malum impendet. alterum enim ex duobus contingit: nam aut in pulmonias & laterales morbos, aut in sanguinis excreationes incidunt.

41 Atq; incitatur quidem impetuose & uehemẽter: sed neq; multos dies perdurat, neq; mortifera est. quippe cum neq; ipsi hi qui hæc patiuntur, cibi abstinentia laborẽt: neq; alioqui exinaniri eos conferat.

Non ut historiam scribat eorum quæ huiusmodi ægrotis accidunt, hæc subiungit Hippocrates: sicut Thucydides facit, cum pestilentiam illam describit: sed ut à dysenterijs quæ alijs de causis eueniunt, hãc de qua loquitur, distinguat. nam quamuis propositi huius operis propria hæc consideratio non sit: expedit tamen, ut diligentius pertractetur: cum medici cõplures sint, qui affectiones in quibus sanguinis deiectiones cõtingunt, discernere non ualeant. nonnulli enim longe aberrantes omnes eas ex intestinorum ulceratione euenire opinantur. excretio sanè quæ per hæmorrhoidas fit, neq; ipsos ægrotantes latet. cruenta uero quæ desuper ad sedẽ deferuntur, alia statim à principio ueniunt: alia ubi tale aliquid præcesserit. si repente sanguis multus deijcitur, scire licet apertionem orificiorum uenarum natura quod grauabat excernente contigisse: cuiusmodi hæc quæ nunc dicta ab Hippocrate est, dysenteria. quæ cum impetuose incitetur, cito desinit: præterquam quòd neq; fastidio cibi laborantes afficit: quemadmodũ cum ex iecoris infirmitate huiusmodi deiectiões consequuntur. tametsi raro iecoraria affectio à tali exinanitione incipit: ut plurimũ enim quasi carnium lotura, & sanies sanguinis tenuis inter initia excerni consueuit. incipit tamen quandoq; etiam cum huiusmodi repentino sanguinis profluuio, cum uisceris huius infirmitati plenitudinis quoq; affectio accesserit. post initia uero utro modo contigerit, unà cum summo cibi fastidio sanguis merus, aliquando nõ multus, aliquando flauę bili admistus cum intestinorum derasis adipibus deijcitur. postea etiam, quando uidelicet male admodum affectum iecur est, quasi sanguinis fæx exit. in huiusmodi autẽ excretionibus, præsertim cum aliquid bilis etiam habuerint: ipsorum intestinorũ particulæ quoq; quas ξύσματα, id est strigmenta uocant, simul deijciuntur, summa intestinorum

A tunica humoris acrimonia derasa. his tenuissimo uictu est opus: at qui redundantem sanguinem excernunt: ijs congruus cibus exhibendus est. quippe cum sanum ac ualens iecur habeant, quod præualere ei possit.

FEMORIS AD COXAM REPOSITIO.

42 Femoris ad coxam prolapsio si in interiorem partem prociderit, in hunc modum reponenda est.

Hippocratem, quòd articulum ad coxam reponere aggrediatur, cum tamẽ relapsurus statim sit, primus Ctesias Cnidius ipsius cognatus (nam etiã ipse genere erat Asclepiades ab Aesculapio originem ducens) post Ctesiam alij quoque nonnulli B damnant. cum igitur duplex omnium huiusmodi rerum iudicium sit, alterum cum aliquis ipse inspexerit rem, quæ in dubium uenit: alterum cum longo experimento non expectato, demonstratiua ratione ex natura rei sumpta quippiam probatur: nos utroq; in præsentia utemur. Quod ad naturã rei pertinet, huiusmodi est. in hac dearticulatione ualidissima copula est, teres, in ipsa occultata, quæ uerticem capitis femoris profundissimæ cauitati acetabuli connectit: ut si quis eam etiam non uiderit, ex hac oratione consentaneum sit, intelligere eam longitudine esse admodum breuem, qua parte uidelicet femur semper uersatur: quemadmodum Hippocrates inquit, in coxa uersatur nunquam supercilium acetabuli extra transcendens. C necesse igitur est, ut minima quantum ad longitudinem attinet, copula hæc sit. quocirca quoad naturali in statu est, prohibet, quo minus excidere femur queat. fieri tamen potest, ut non solum abrupta, uerumetiam ex humiditate multa in sinu acetabuli collecta adeo præter naturam extendatur, ut è naturali sede excidere femur permittat. Si itaque fracta copula femur luxari contingat, licet statim fuerit repositum, in sede tamen persistere non poterit. cum enim deuexum acetabulum sit ac decliue, magnumq; põdus totius cruris insertum habeat: facile femur rursus à propria sede elabetur, si quis ingrediẽdo uel paulo citius moueatur, uel transcendere aliquid quod ante pedes sit, uelit. nã si paruo motu eius in plano solo utatur, semper fortasse seruare id in naturali situ poterit. sed hoc D fieri uidetur nullo pacto posse. Etenim etiam si nihil aliud sit, quod impediat, saltem uelut in insensu soliorum in balneis attollere crus prorsus cogetur, atque ita quidem femur repositum in sede sua permanere non posse, si diuulsa copula fuerit, rei ipsius natura nos docet. Quinetiam illud quoque uere adiungere quispiam posset. cum in dearticulatione ad genu copulæ quædam neruosæ extrinsecus sint: femur solã hanc habere nullamq; aliam huiusmodi extrinsecus, neq; musculos qui dearticulationem constringant. neq; enim musculi paruo cuidam presidio sunt ne articuli facile excidãt: præsertim si robusti, ac contenti fuerint. propterea enim certatoribus, licet uehemẽtissimos ictus in luctationibus, & casus, & distentiones, & articulo

culorum cõtortiones sustineant, brachia & crura A
non luxantur:quia undique magnis et ualidis mu
sculis constricta sunt. Ipse etiã Hippocrates inter
initia huius libri, bobus quoq; maxime articulum
ad coxam luxari, ubi consenuerint, graciles'q; ac
macilenti euaserint. dirupta igitur hac femoris co
pula quamuis repositus articulus fuerit, contineri
in sede, præcipue in gracilibus, inquit. Videamus
deinceps si ex copiosa humiditate laxata copula
excidere femur permiserit, atq; id deinde reposi-
tum fuerit: quid euenturum esse uerisimile sit. mi-
hi quidem hic quoq; esse manifestum uidetur, si
mãserit ibi ea humiditas, rursus id esse elapsurum:
si exiccata fuerit, firmitatem naturalem esse rece-
pturum. nam ex humiditate quoq; effici, ut articu
lus luxetur, ex ipso etiã Hippocrate potes cogno B
scere: qui in definitionibus quos Aphorismos uo
cant, ita scribit: Quibuscunq; à coxendice uexatis
coxa luxata rursus redit: ijs mucus suboritur. mu-
co igitur collecto in dearticulatione, id est lento
humore, madefacta copula relaxatur. nihil autem
intersit in præsentia, siue copulam, siue copulati-
uum neruum & colligatiuũ uocemus. quæ enim
copulæ teretes in neruorum speciem sunt, copula
tiui seu colligatiui nerui appellari à dissectionis
professoribus consueuerunt. Huiusmodi femoris
luxationem bis iam nos ita curauimus, ut reliquũ
tempus nõ amplius exciderit. diu autem exiccan-
tibus medicamentis circumcirca dearticulatio cõ
prehendenda est, quousq; copulatiuus hic neruus
satis fuerit exiccatus: ut non amplius ita extendi C
queat, ut femur supercilium acetabuli transcen-
dens sequatur: sed in naturali situ ipsum intus con
tineat. femur enim aliquãdo manere si repositum
sit, locupletissimus testis Tarentinus Heraclides
est: uir profecto qui neq; decreti confirmandi cau
sa mentitus sit, ut pleriq; ex dogmaticis & decre-
ta sectantibus consueuerunt: neq; in arte inexerci
tatus: sed si quisquam alius fuit, ipse operum medi
cinæ admodum peritus extiterit. sed orationem
eius audiamus, quam in quarto libro De curando
rum eorum quæ extrinsecus sunt, ratione scripsit.
quę ad uerbum ita se habet. Qui femur repositum
non manere propterea opinantur, quia diuulsus
neruus fuerit, qui ad acetabulum coxæ femur con
tinet, ignorant: cum in uniuersali modo negatio- D
nem faciant. nam neq; Hippocrates & Diocles,
neq; Philotimus & Euenor, et Neleus, et Molpis,
& Nymphodorus, alij'q; nõnulli repositiones eius
tradidissent. Quin nos etiam in duobus puerulis
propositum obtinuimus: Sępe tamen & magis in
adultis articulus rursus relabitur. non igitur res ra
tione iudicanda est. sed quia aliquando contingit
ut permaneat: non semper auulsionem, sed & re-
laxationem, & contractionem rursus nerui fieri
existimandum est. quandoquidem quærere utile
quidem est, sed non prorsus commune. In fine ora
tionis huius suæ Tarentinus hoc adiunxit, sectam
suam, quæ experimentaria erat, sequutus. cuius id
propositum est, quæcũq; aperte ita inspecta sunt,
ut ex ipsis utilitatem quę ad artem spectet, discere
ualeamus, inutilem esse in his causæ inquisitionẽ.
Cæterum etiam post Heraclidem alij multi recen
tiores repositum femur à se semper remansisse me
moriæ prodiderunt.

43 Bona autem & iusta & secundum na-
turam repositio hæc est: quæ nescio quid e-
tiam ambitiosæ concertationis in se habet,
si quis harum rerum ostentatione delecta-
tur. homo pedibus ad medianum forti, sed
molli ac lato uinculo suspendendus est: ita
ut pedes quatuor circiter digitos aut etiam
minus inter se distãtes habeat. tum ei supra
genua lata & mollis habena quæ ad idem
medianum attollat, circundanda est.

Scite atq; urbane aliquid iactare, ostẽtare, id est
κομψεύεσθαι dicere Attici consueuerunt. id quod
etiam nunc Hippocrates significat, cum inquit-si
quis harum rerum ostentatione delectatur-nam
superius etiam De ijs qui extensionẽ per scalam
adhibebant, loquens, dixit, eos imperiti uulgi au-
ram affectantes id facere. & tamen de ea quoque
scripsit, quia tempestatis suæ medicos non bene
uti ea uidebat. sic nũc etiam quo pacto extentum
per scalam femur reponere quispiã optime pos-
set, docere proposuit. qua fortasse reponendi ra-
tione, si non affuerit scamnũ de quo postea dictu-
rus est, uti etiam nos poterimus. Iubet igitur homi
nem scalæ alligatum suspendere uinculis scala ad
medianum sublata. medianum aũt, id est μεσόδμη
tignum magnum trãsuersarium appellatur: quod
in magnis diuersoriorũ stabulis, ubi manẽt iumen
ta, necnon in agris in rusticis domicilijs ab uno pa
riete ad alterum pertingit. uult'q; ut pedes sursum
ad medianum conuersi sint, caput uero non lon-
ge absit à terra: sic ut ille qui reponit, rectus assi-
stens manibus uti in reponendo articulo queat:
quemadmodum deinceps docebit.

44 Debet autem læsum crus duobus cir
citer digitis magis quàm alterum esse ex-
tentum: caput uero duos ferè cubitos, aut
paulo amplius, aut minus à terra abesse. ma
nus autem ad costas appositæ molli aliquo
alligandæ sunt. atq; hæc omnia supino ei ia
centi sunt apparanda: ut quamminimum
tempus dependeat.

Vincula quomodo circumijcienda sint parti-
bus corporis quas commemorat, aperte declara-
uit. ualidiora autem esse iubet & mollia quæ crus
affectum attollunt, merito quidem: quippe cum
tota hæc extẽsio causa curationis illius efficiatur,
communi omnium quæ reponuntur, ratione. quo
niam enim caput femoris ex acetabulo elapsum
in interiorẽ partem abijt, à musculis qui illic sunt,
attractum: conuenit sanè ut prius deorsum id unà
cum femore uidelicet agatur: deinde ita in exte-
riorem partem propellatur. ubi uero è directo ad
acetabulum promotum fuerit, uel musculis inde

committendum negocium est: uel simul etiam impellendum. musculos enim omnes ad capita sua naturali motu attrahi, sæpenumero dictum iam est. hi igitur simul secum femur etiam attrahent. id attractum capite suo in acetabulum coxæ ingredietur.

45 Vbi uero suspensus iam fuerit, uir peritus & non imbecillis debet traiectum inter femora cubitum suum inter caput femoris prolapsum, & interfemineum inserere, deinde altera manu ad traiectam cõiuncta rectus asistens è corpore suspensi hominis repẽte annexus sublimis æquabilissime appendere. Hæc repositio omnia quæ secundum naturam debent, exhibet. nam & corpus ipsum suspensum suo ipsius põdere extensionem facit, & homo appensus tum extendendo impendere caput femoris super acetabulum cogit: tum osse cubiti moliendo relabi id in pristinum situm compellit. oportet autem quãoptime uinculis instructum hominem esse. nec non quamualentissimum esse eum, qui appẽditur. Sicut autem prius quoq; est dictum, multum inter hominum naturas interest quantum ad id spectat, ut uel facilia, uel difficilia repositu sint. curq; multum intersit, superius ubi de humero agebamus, dictum est.

Totum id quod inter inguina utriusq; cruris est, πλιχάδα, id est gressurã solet appellare. cuius mediam partem περίναιον nuncupat, hoc est interfemineum, eo quod duobus feminibus interiacet. quæ est intercapedo quæ ab exortu pudendi usq; ad anum pertinet: ubi etiam uesicæ collum collocatũ est. iubet igitur, ut inter hoc interfemineũ q̃d per longitudinem in media gressura porrigitur, et caput femoris cubito inserto, manuq; altera ei cõiuncta, quemadmodum aperte ipse descripsit: ille appendatur qui caput femoris deorsum est attracturus, id quod non solum efficietur, uerumetiam molitio accedet: quæ articulum in exteriorem partem coget excedere, quo caput femoris directum supra acetabulum coxæ constituatur.

46 Nonnullis enim ex nullo apparatu femur ingreditur, sed ex parua extensione, quatenus dirigere manibus ualeamus, leuiq; crissatione restituitur.

Sicut superius κιγκλισμὸν crissatum masculino genere dixit: ita nũc fœminino κίγκλισιν crissationem à crissa aui seu motacilla, paruam & leuem agitationẽ uocat. nam agitare hac illac de leui quadam motione intelligendum esse ostendit, ubi repositionem luxatæ maxillæ tradit.

47 Multis item si ad articulum crus inflexerint, id facta circumuagatione in sedem

A iam est relapsum. plerunq; tamen fit, ut cuilibet apparatui non obtemperet. quocirca scire quidem optima ac præstantissima de unaquaq; re in omni arte debemus: sed uti postea quibus sigillatim uisum fuerit. porrò extendendi rationes etiam in superioribus dictæ à me sunt: ut uti ex illis ea quæ obuia fuerit, ualeamus. uehementer enim in diuersas partes extendatur homo necesse est, ut in alteram crus, in alteram corpus adducatur. nam si bene fuerit extentus, caput femoris pristinæ sedi superimpendebit. si uero ita superimpenderit, neque facile postB modũ est prohibere, quo minus in sedem propriam insideat: ut iam inde omnis molitio, & reaptatio sufficiat. Sed enim in extensione deficiunt. atq; idcirco euenit, ut molestiam multam afferat repositio.

Dum crus ad inguen inflectitur suspensum totum femur efficitur. quod cum fit, femoris caput agitatum redire interdum per circũuagationem consueuit. per circumuagationem autem quid significet, id quod & humeri articulo & coxæ, dum & excidunt & reponuntur, contingit: ipse superius declarauit: ubi edocuit in his dearticulationibus subluxationẽ fieri non posse, sicut in alijs quæ C ad cubitum, ad manum, ad genu, ad talum sunt. propter ea enim quòd globosa & rotunda femorum capita sunt, orbiculare uero & in circulũ conclusum cauitatum quæ cum ipsis dearticulantur, supercilium eminet: fieri nõ potest, ut pars aliqua capitum in cauitatibus contineatur: aliqua non contineatur, sed in supercilio ipso acetabuli insideat: uerum statim ubi deuoluuntur uel intra dearticulationem, uel extra labantur, necesse est. quia igitur capitis lapsio in utrũlibet minimo circumuagationis momento regitur: rem hanc circumuagationem nominauit.

48 Oportet igitur non solum ad pedem uincula annexa esse, uerum etiam supra genu: ut non magis genu, quàm coxæ articuD lum deligatio intendat. atq; ita debet extensio ad pedem apparari. in alteram autẽ partem non solum ex deligatione ad pectus & alas retractio procuranda est: uerum etiam habena longa, duplicata, ualida, leni, interfemineo circumiecta, atq; à posteriore parte ad spinam, ab anteriore ad iugulum porrecta utrinq; dextrum distendendum est. uidendum tamen ut habena non supra femoris caput prætenta sit, sed inter caput femoris & interfemineum. inter extendendũ autem ad caput femoris pugno offirmato, propellendum est. quòd si qui trahitur suspen

A ſpendatur, traiecta manu, atq; altera ei coniuncta, ſimul & detrahendum, & in exteriorem partem propellendum eſt. quod cum fit, iubendum alteri eſt, ut partem femoris ad genu interiorem in partem detineat.

Cum pedibus ſuſpenſus homo caput deorſum habeat, omnibus articulis diſtenditur: ſed unum tantum eius articulum qui eſt ad inguina, extendi uolumus. merito igitur ſupra genu iniiciendα eſſe uincula præcipit, quæ femur ſurſum intendant. nã ſi ſolis tibiæ inuolutis attrahere crus permittamus, nihilominus, ſed magis quoq; qui ad genu eſt, quàm qui eſt ad coxam articulus, quippe cum uicinior uinculis ſit, diſtendetur.

B 49 Dictum autem prius etiam eſt, operæ precium eſſe, ut qui in ciuitate aliqua frequenti medetur, lignum quadrangulum habeat ſex circiter cubitorũ, aut paulo maius: latitudine bicubitali, craſsitudo autem dodrantalis ſufficiet.

In libro De fracturis de machinamento hoc mentionem fecit: quare inde teſtimonium adducunt nõnulli qui aſſerunt, unum librum ſcriptum à principio ab Hippocrate fuiſſe quem inſcripſerat, Quæ in medicatrina fiunt: qui deinde ob magnitudinem in duas partes fuerit diuiſus: quarum altera quæ prior eſt, De fracturis: ſecunda, De articulis inſcriptionem obtinuerit. Cuiuſmodi autem eſſe machinam hanc uelit, iis qui uiderunt quod ſcamnum Hippocraticum uocatur, perſpicuum eſt. ita enim ex multo iam tempore appellari à medicis conſueuit. formulasq; paruas ad imitationem eius factas pleriq; habent. eoq; ſæpiſſime utuntur. ſolumq; id eſt quod ad articulorum repoſitiones ſufficiat. Si tamen aliis etiam uti machinis quiſpiam uelit, habet ad itinera quidem accõmodatam, quæ diuulſilis appellatur: quod Archimedis ipſius inuentum eſſe prædicant. ad uſus uero in urbibus, ſtatariam quidẽ, quæ Tectonis aut Andreæ nuncupatur: ſeſſilem, hoc Hippocratis ſcamnum: quod nonnulli ex recentioribus medicis elegantius, non ſecus ac machinariam crepidinem appararunt. Deinceps igitur inſtrumenti huius fabricam deſcribenti animum aduertite, atq; ea quæ dicit, illis quæ inſpexiſtis accommodate. ſola enim monſtratio quemadmodũ antea etiam diximus, eſt, quæ huiuſmodi res declarat. nam illis qui apud me librum hunc legunt, prompte equidem hoc officium exhibeo producto in medium inſtrumento huiuſmodi uel ipſo magno, uel paruo aliquo ex eius ſimulachris, quæ huius tantummodo uſus cauſa conficimus, ut legentibus oſtendere ualeamus. non enim ſcilicet per ea reponi articulus quiſpiam poteſt. ſed nunc ſicut hoc facere mihi nullo pacto licet: ita explanare ſi quid in uerbis Hippocratis obſcurius inciderit, licet. quod & in ſuperioribus hucuſq; feci, & facturus in ſequentibus ſum.

50 Id per longitudinem hinc & inde inciſionem prælongam habere debet, ne altior opportunitate machinatio ſit.

Cum inquit hinc & inde, à ſiniſtra & dextra parte intelligit. quod ex eo patet quòd addidit per longitudinem, quinetiam prælonga idem ſignificat. nam ſupra caput & infra pedes inciſionem tranſuerſam potius quàm prelongam appellaſſet. Quod autem inquit huiuſmodi eſt. melius enim eſt, ut diluciditatis cauſa orationẽ hanc totam paraphraſtice explicemus. Id, inquit, per longitudinem hinc & inde inciſionem prælongam ſicut lignum eſt, habere debet: quæ ea ſit profunditate, ut ad molitionem ſit accommodata, ut ne altior quàm conueniat machinatio ſit. quod enim inquit opportunitate, Græcorum more dictum eſt, qui καιρὸν, id eſt opportunitatem, pro conueniente interdum ponere conſueuerunt. quod etiam δέον, id eſt quod debet & par eſt, appellant. ſit igitur inciſio ſcamni tanta ut in ea firmari uectis ad molitionem faciendam queat.

51 Deinde poſtes breues, ualidi utrinque inaptandi: qui aſellos habeant.

Aſellos qui & ſuculæ dicuntur, axes uocat: poſtes uero firmamẽta in quibus axes infixi ſunt. quę utrinq;, id eſt à ſuperiore parte, et inferiore ſcamni inaptata eſſe uult. ad axes enim hos laqueorũ qui ægro circumiiciuntur, capita tempore quo in diuerſa extendendum eſt, innectuntur.

C 52 Tum ſatis quidem eſt, ſi in dimidia ligni parte: nihil uetat tamen quo minus per totum etiam, quaſi foſſulæ longæ quinque aut ſex incidantur quatuor digitis inter ſe diſtantes, trium digitorum latitudine, atq; eadem profunditate.

Καπέτους, id eſt foſſulas quo uerbo hic utitur Hippocrates, non pauci ex ueteribus foſſas appellarunt. quam uocem per translationem hic poſuit Hippocrates, dum inciſa in ſcamno caua ad uectes firmandos exprimere uult: quæ quidem in dimidia parte ligni, hoc eſt inferiore præcipue excauanda cenſet. nihil uetare tamen inquit quin

D in ſuperiore quoque fieri poſſint. quippe cum inſtrumentum hoc quod deſcribit, non ſolum ad coxæ articulum, uerumetiam ad uertebras, & humeros reponendos nobis utile futurum ſit. hæc autem caua eſſe plura debent, propterea quòd qui curantur, & ætatibus, & magnitudinibus, & toto corporis habitu inter ſe differunt. quæ ſanè quanta magnitudine facienda ſint, quantaq; inter ſe diſtantia, ipſe manifeſte expoſuit.

53 Habere præterea in medio lignum hoc debet cauum aliud profundius ad tres circiter digitos quadrata figura, ut in eo cum eſſe opus uidebitur, lignũ infigatur: quod ima ſui parte foramini accõmodetur & quadret: teres ſuperius ſit, infigendumq; id eſt,

A ubi uisum fuerit, inter caput femoris, & interfemineum. lignum hoc erectum stās impedit, ne corpus, dum trahitur, ad pedes sequatur. interdumq; satis ipsum solū est: ut à superiori parte qui in cōtrariū adducat, nō requiratur. interdū dum etiam hinc & inde crus extenditur: laxū id uel hac uel illac incumbens in exteriorē partem caput femoris moliendo extrudet. nā propterea quoq; fossulæ illæ excauatæ sunt, ut in quibuscunq; ex ipsis conuenerit, ligneus uectis iniectus & uel iuxta ipsa uel ad ipsa articulorum capita prorsus impactus simul cum extensione moliatur: siue in exteriorem, siue in interiorem partem facere id expedierit.

B Scalpi in medio scamno cauum quoddam uult, quod ad suscipiendum lignum erectum quod infigatur inter caput femoris & interfemineum, idoneum sit. clare autem ipse cur lignum hoc inter extendendum statuendum sit, quemadmodum cætera quoq; omnia deinceps explicat. ob eos tamē qui ingenio sunt tardiore, orationem hanc planius aliquantulo exponere non recusabo. lignum hoc inter caput femoris lapsum et interfemineum erectum deorsum intendendi obstaculum fit. dictum siquidē sæpe iam antea est, nisi quis obstet, & in contrariam partem reducat: dum membrum extenditur, facile fieri, ut corpus intendenti cedens, atq; obsequens intentionem omnem resoluat. hoc quidē præstat etiam per laqueos superioribus partibus iniectos facta intentio: firmitatis tamen causa ligno hoc quoq; utitur. quinetiam ipso aliquantulum relaxato molitionem facit.

C 54 Siue item teretē, siue latū esse uectem utile sit: alius enim alij ex articulis cōpetit. in omnium aūt articulorū cruris repositione hæc cum quassatione molitio perquam utilis est. Sed de quo nunc sermo est, teretē esse uectem conuenit. Ex his machinamentis, & necessitatibus mihi non uidetur fieri posse, ut restitutione ullus articulus frustretur. tametsi alij quoq; modi reponendi huius articuli reperiuntur.

D Ipse deinceps dicet tereti uecte utendum esse cum in exteriorē partem femur molimur. id quod ipsi nūc propositum est, cum intro prolapsionem factam reponet. nam si extra excesserit, latum uectem adhibendum censet. nunc enim uult ut inter prolapsum caput & interfemineum ingrediatur, sic ut paulo superius capite collocetur. in excessione in exteriorē partem cum multa amplitudo eo loci sit, stabilius ac firmius latus uectis obnititur. sicut paulo post suo loco iterum dicetur.

55 Nam si lignum hoc magnū in medio et à lateribus postes duos pedales habeat ea altitudine, quæ cōuenire uideatur, hinc unum, et inde alterum: deinde lignum transuersum tanquam scalæ gradus inter postes sit collocatum sano crure inter postes traiecto, læsum supra gradum transfertur, atq; adaptatur. ueruntamen facile aliquid desuper & in quam partem excidit articulus, accōmodandum est: altior enim q̄ moderatū sit, gradus est: & stragulū multiplex prout congruerit, corpori substernendum.

Non sola axium firmamenta postes se uocare ex hac oratione manifestat. in media enim parte per longitudinem totius scamni lignum quoddam trāsuersum quasi scalæ gradus inter duos postes à dextra ad sinistram pertingens constituitur: supra quod luxatum crus extenditur. non ita quidem simpliciter, sed cum altero ligno, quod per longitudinem à superiore usq; ad inferiorem cruris partem porrectum ei alligatur: cum hoc enim supra gradum crus compellitur. constat enim sanum crus infra gradū esse debere in medio inter postes loco. postes enim gradus huius sustentacula appellat: quorum utrinq; alterum scamno infigendum censet. hos aūt à postibus ianuarum per translationem ita esse nuncupatos perspicuū est.

56 Deinde lignū moderata latitudine & longitudine usq; ad malleolū cruri subtendendum est: quod ultra caput femoris quatenus fieri potest, porrigatur: crurіq; quot partibus congruerit, alligetur.

Lignum toti cruri alligari dictum à me etiam prius est. sed nunc ligni superius caput capite femoris altius esse faciendū censet, adiungens quatenus fieri potēst. eo quòd quod faciēdum esse dicit, difficile admodum est: nisi quis partem eam capitis ligni huius longi qua ad inguen innititur, humiliorem: qua uero exterius tendit, altiorem effecerit. nam si æquale sit, æqualemq; altitudinem habeat: perdifficile est, simul caput ipsius & inguine firmare, & supra caput femoris impellere, quod in hac luxatione inguine altius euasit.

57 Postea dum crus extēditur, siue pistillari fuste, siue aliqua alia ex his extensionibus, simul et crus unà cum alligato ligno circum gradū deorsum cōprimatur, & aliquis alius hominē supra articulū ad coxā detineat, necesse est. nā ita fit, ut caput femoris & extensione eò redigatur, ut supra acetabulū impendeat: & molitione in pristinā naturā retrudat. Hæ omnes cōmemoratæ necessitates ualidæ sunt: omnesq; si quis recte & bene exerceat, calamitate sunt superiores. quemadmodū enim prius etiā diximus, ex imbecillioribus extensionibus uilioriq; apparatu luxatio hæc plerisq; restituitur.

Femo

A Femore cum supra gradum translatum est humilior luxatus articulus efficitur:id quod est ad repositionem ualde accõmodatum: cum acetabuli margo inferior femoris capite etiã fiat. nam cum luxatus articulus nisi marginẽ acetabuli transcendat,reuerti non queat,ea uero superius excesserit: si depresśiore & humiliore eo facto extendamus, optimum est. laquei autem quibus intentio fit uel ad pistillarem aliquem fustem deligandi sunt:qui ima sui parte stabili alicui moræ in terra obiectus offirmetur.uel si huiusmodi fuste uti nolueris, axi qui in scamno est ad pedes,intendentium habenarum capita circũijcies. hoc enim significauit cum inquit - siue aliqua alia ex his extẽsionibus - ex his uidelicet antedictis, à pistillari ligno distinctis. Quæ subsequuntur,perspicua sunt.

B 58 At uero si in exteriorem partem caput femoris prolapsum sit,hinc et illinc tali quodam modo,sicut dictum est,extensiones fiunt.molitio uero lato uecte simul cũ extensione ab exteriore parte in interiorẽ impellendo adhibetur: ita ut ad ipsam clunẽ uel paulo superius uectis statuatur.alius uero ab altera coxa ad clunẽ etiã ipse, ne recedat corpus, uel manibus, uel altero aliquo huiusmodi uecte accõmodatæ alicui fossulæ offirmato,reniti debet:ac simul femoris luxati partẽ quæ ad genu est, ab interiori parte in exteriorẽ sensim promouere. Suspẽsio huic luxationis modo nõ cõuenit. cubitus enim appẽsi hominis femoris caput ex acetabulo extruderet.molitionẽ tamẽ cũ subiecto ligno, ut huic quoq; luxatiõis modo cõpeteret,machinari quispiã posset, si extrinsecus id applicaret.Sed quid plura? nã si recte & bene extẽdamus, & recte moliamur, quis articulus ita prolapsus non restituat?

C Si ualide quispiam crus extenderit, neq; uectis molitione opus erit.manus enim nostræ sufficiẽt: quibus totum femoris caput extrinsecus ad clunẽ apprehẽsum propellere eatenus facile possumus, quoad è directo ad acetabulum deueniat.teretem autem uectem ad huiusmodi molitionem esse ineptum manifestũ est: quippe cum etiam latus officio desit: nisi talis ea parte sit qua clunem comprehendit, qualem faciendã esse eam iussit quæ ἄμβη, id est spatularis crepido appellatur. ipse enim ita inquit - ita ut ad ipsam clunem uel paulo superius uectis statuatur - si itaq; paulo superius statuendus est,resimus aliquantulum ad comprehendendam partem illam non prorsus rectus esse debet.Cætera clara omnia sunt.

D 59 Si uero in posteriorem partem excidit femur,extensiones ita,sicut dictũ est,faciendæ sunt:tantũ stragulo multiplici,quo mollisśimũ sit,lignũ insternendum:homoq; supra pronus collocãdus est. simul autẽ cum extensione assere non secus atq; in gibberosis faciebamus, deprimere debemus: sic ut asśis è directo ad natẽ, & magis inferiorẽ q̃ superiorem coxarum partem constituatur. incisio uero in pariete ad asserem excipiendam non recta, sed paululũ ad pedes inclinata facienda est.Hæc repositio & ex natura maxime huius luxationis modi, & ualidisśima præterea est. loco asseris fortasse satis esset, si insideret aliquis, aut manibus cõniteretur, aut inscendens quoq; repente simul dum extenditur, calce impẽderet. Alia nulla ex prædictis ex natura huius prolapsionis modi repositio est.

Hæc quoq; quæ de modo hoc luxationis tradit, aperta sunt omnia,si quis quę antea dicta sunt,memoria teneat.uult enim hũc nõ ut priores supinũ, sed in uẽtrẽ collocari.ea siquidẽ prona figura proculdubio est,deinde forti adhibita extẽsione à posteriore parte in priorẽ articulũ propelli. nam posterior pars desuper, prior infra in hac cubatione statuitur.unde oportet eum qui reponit, deorsum femoris caput detrudere: id quod oppresśio per asserẽ cumulatisśime præstat. posset tamẽ id recte etiã facere quispiã, si supra eminentiã uiolẽter insideret.quanq; nisi suę natis protuberatione supra luxatũ caput innitatur,ęgroto nihil proderit.Hoc igitur opus uiri diligentiã & prudentiã requirit.

60 Quod si in anteriorem partem promotio contigerit, extensionũ idem modus adhibẽdus est. uir autẽ debet qui & manibus quamualidisśimus, & quãperitisśimus sit, uola alterius manus ad inguẽ impressa,atq; altera manu ea cõprehensa simul & prolapsionẽ deorsum cõpellere, & femur ad genu in anteriorẽ partẽ trahere. Hic repositionis modus maxime ex natura huius luxationis est. Sed & suspensio prope ad naturam accedit. in ea tamen oportet hominem qui appenditur, peritũ rei esse:ut non cubiti molitione articulũ retrudat, sed ad mediũ interfemineũ, & ad os sacrũ appensionẽ faciat.

Cum ad quartam luxationis coxæ differentiam deuenerit, apertisśime omnia de ea cõmemorat: & pręcipue si eorum meminerimus,quæ etiam superius comprehensa sunt: ut nobis nihil hic præter propositum nugandum esse uideatur.

61 Qui etiã per utrẽ reponere hũc articulum tentauit, laudi est. nõnullos tamẽ uidi, qui ob imperitiã extra & retro factas luxationes p utrẽ reponere conarẽtur: neq; aduerterẽt se eo modo eijcere magis articulũ quàm restituere.nam qui id primus cõmen

tus est, ad ea proculdubio quæ in interiorē partem prolapsa fuerant, repositionem per utrem adhibere tentauit. sciendum tamen est, multa alia ad hoc utre esse præstātiora. uter uero flaccidus & uacuus intra femora conijciendus, sic ut quàm intimam in partē potest, ad interfemineū ingerat: deinde femoribus à patellis usq; ad eorū dimidiū fascia producta inter se colligatis, per partem solutam follis ex officina fabri inserendus est, atq; inflādus: sic ut uter uiolenter distendatur. homo autē in latus cubare, læsumq; crus habere in superiore parte debet. atq; apparatus quidem huiuscemodi est. sed plerīq; peius quàm ego nūc dixi, instruuntur. nam neq; ad multam partē femora deligāt, sed tantum genua: neq; insuper extendunt. insuper enim extendendū est. nihilominus tamen aliqui hoc etiā pacto facilē rem nacti reposuerūt. At hoc modo compellere non recte se habet. uter enim dum inflatur, partes suas tumidiores ad caput femoris quod emoliendum est, minime habet: sed infra ipsum, cum in medio femorū, uel inferius etiā à medio collocatus sit. adde q; femora etiā curua natura sunt: in superiore enim parte carnosa & inter se coeuntia, in inferiore subsiccanea & tenuiora: ita ut femorum etiā natura ac forma utrem ab opportunissimo loco depellat, ac deijciat. q; si paruum utrē inseras, exigua uis ad cōpellēdum articulum erit imbecilla. Quocirca si utre utendū est, ad multā partē femora inter se sunt colligandā: & simul cū extensione corporis uter inflandus. utraq; uero crura in hoc reponendi modo ad finem simul deliganda sunt.

Hunc quoq; per utrem reponendi modum licet non probet: docet tamen qua ratione eo optime uti quispiā posset, plane omnia persequutus.

62 Cæterū illud in tota arte in primis studendum tibi est: ut quod ægrotat, sanū reddas: siq; multis modis ad sanitatem restituere id liceat, eum eligas qui molestia magis careat. hoc enim sicut ad uirum bonum magis spectat, ita quoq; est artificiosius: si populo gratū fucum non affectes. de quo igitur est sermo, tales nonnullæ domesticæ extensiones corporis esse possunt: ut ex præsentibus facile omnia expediantur.

Hæc extrema eius oratio est qua monet, ut facilitatem eorum quæ ad curationem spectant, secte-

A mur: ut etiam si neq; scamnū, neq; aliud quippiam ex antedictis affuerit, simile aliquid nosipsi excogitemus: de quibus deinceps adeo aperte omnia exposuit, ut nulla uel breuissima explanatione opus iam sit. quod tamē obscurius paulo esse mihi uidebitur, ascribam.

63 Nam si uincula lorea mollia & mitia nō adsint, sed uel ferrea, uel armamenta, uel funes, prius fascijs debemus, aut pannorū laneorū segmētis eū locū maxime, quē uincula occupatura sunt, circūuoluere, & multo etiā amplius: deinde uinculis ita deligare.

Nauiū funes ὅπλα, id est armamēta appellāt: id quod etiā Homerus eo uersu declarat, cū inquit:
B Veliuolæ sub porticibus tunc forte iacebat
Armamentum illic. Nunc igitur Hippocrates nomine armamentorū, nauium rudentes & funes intelligit. cęteros funes quibus in urbibus & agris utunt, cōmuni funiū appellatione cōprehendit.

64 Tum in lecto qui ualidissimus & maximus sit ex præsentibus recte homo extendēdus est, hoc pacto. lecti fulcra quæ uel ad pedes, uel ad caput sunt, ad limē ianuæ aut intus aut foris prout cōtulerit, offirmari debent. deinde ad altera fulcra lignū quadrangulū per transuersum apponendū, quod à fulcro ad fulcrū pertingat: siq; id paruū sit,
C ad fulcra est alligandū: sin magnū, ita relinquendū. postea initia uinculorū tam à capite, quàm à pedibus utraq; ad pistillum, aut tale aliquod lignū sunt deliganda: ita ut uincula directe ad corpus respōdeant, uel paulo etiā superius sint. pistilla uero erecta atq; alterū ad limen, alterū ad lignū illud appositum obiecta, ac retro adducta, extēsionem absoluūt. tametsi loco & liminis & ligni appositi scala lecto subiecta quæ ualidos gradus habeat, sufficere potest: ut pistillis hinc & inde ad cōpetētes gradus firmatis extensionē faciamus. Femoris articulus si in inte-
D riorē aut anteriorē partē exciderit, reponitur etiā in hunc modum. supra scalam in terra defixam homo insidens collocandus est: tū sano crure eius leniter porrecto, atq; quò pertigerit, alligato: ex læso aut testaceū uas aqua plenū, aut sportula lapidib. referta appēdēda est. Alter repositionis modus si interiorē in partē facta luxatio sit. Inter duas colūnas cāterius moderata altitudine hinc inde deligat, præmineat autē una pars canterij, pro magnitudine natiū: deinde supra canterium ea parte homo pectori stragulo circūuoluto insidens collocatur: pectoreq;

eius ad columnam lato aliquo uinculo alligato ſanũ crus ne circumuagetur ab aliquo detinetur: læſo uero pondus aliquod quod congruat, ſicut etiam prius dictum eſt, appenditur. Primum igitur ſciendum eſt, omnium oſsium iuncturas pleruncp ex capite & acetabulo conſtare. in quibuſdamcp ſedem acetabularem & ob longam: in nonnullis pupillarem eſſe. ſemper autem omnes elapſi articuli maxime quidem extemplo dum adhuc calidi ſunt, reponi debent: ſin minus, quamcitiſsime. nam & qui reponit, facilius et citius reponit: et qui ægrotat, leuius repoſitionem prius quàm intumuerit, tolerat. prius autẽ ſemper ubi repoſiturus aliquos articulos es, præmollire ac præagitare leniter eos te oportet. facilius enim ita ingredi conſueuerunt. in omnibuſcp repoſitionibus articulorum maxime in maximis & repoſitu difficillimis: in paruis uero & facilibus minimũ attenuãdus homo eſt.

DE DIGITORVM LVXATIONE.

65 Si uero digitorũ articulus excidat, ſiue primus qui manus eſt, ſiue ſecũdus, ſiue tertius: idẽ & æqualis repoſitionis modus eſt. maximi tamẽ repoſitu difficiliores ſemper ſunt. luxantur autem hi in quatuor partes, ſurſum & deorſum & alterutrum in latus. ſurſum maxime, in latera minimum: atcp id dum uehementius mouentur. ex alterutra autem parte in quàm exceſſerunt, quaſi crepido quædam eminet. Si igitur in ſuperiorem aut inferiorem partem prolapſus articulus ſit, quia leuior hac ſedes eſt, quàm à lateribus, paruamcp excedẽs articulus tranſgreſsionẽ fecit: facilis repoſitio eſt. Eius modus hic eſt. Digiti ſummitatẽ aut faſciola, aut alia aliqua huiuſmodi re circumuoluta, ne ſi in extendendo eam apprehẽderis, elabatur: alter manu ſupra primam partẽ palmæ, alter ſummo digito circumuoluto apprehenſo in diuerſa ad ſe utercp extendant, tum ſimul prolapſum articulũ in ſedem repellant. Si in latus excidit, idem quidem extenſionis modus adhibetur. in qua ubi iam tranſcendiſſe lineam uiſus articulus fuerit, confeſtim ſimul cum extenſione in ſedẽ repellendus eſt. quod cum fit, alius aliquis ab altera parte obſeruare ac reniti debet, ne in eam delabatur. moderate etiã reponunt di-

A gitalia quæ ex palmis texũtur, quas σαύρας uocant: ſi hinc & inde digitum extẽdendo altera manu digitale, altera primam palmæ partem apprehendas. poſteacp repoſueris, linteis tenuiſsimis quamcelerrime deligandum eſt, quæ cerato necp liquido & molli, necp nimis duro illita ſint. durum enim à digito abſiſtit: liquidum cum digitus caleſit, euaneſcit & perit. tertio aut quarto poſt die reſoluendum. frequentius, ſi inflammationẽ patiatur articulus: ſin minus, rarius. Sed hæc de omnibus articulis dicta ſint. digiti
B articulus quartodecimo die conſtituitur: ac digitorum manus & pedis eadem curationis ratio eſt. in omnibus autẽ articulorum repoſitionibus attenuatione & inedia uſcp ad ſeptimum diem utendum eſt. ſicp inflammatio adſit, frequentius: ſi non adſit, rarius reſoluendum. ſempercp affectus articulus & quieſcere, & quàm optima figuratione eſſe collocatus debet.

DE GENV LVXATIONE.

66 Genu cubiti gibbo ob expeditã facilẽcp naturam benignius eſt: unde etiam facilius
C excidit: atcp in interiorẽ partem ſæpius: ſed & in exteriorem & poſteriorem aliquãdo, cuius repoſitiones fiunt uel ex repẽtina cõflexione, uel excalcitratione: uel conuolutã faſciæ molem in poplitem ponito, & circũ illam corpus ita ad flectendũ genua in terram dimittito. poteſt etiam ſi moderate extendatur, cum in poſteriorem partem prolapſum eſt, nõ ſecus ac cubitus, reuerti. cum uero hac uel illac exceſsit, ex cõflexione uel excalcitratione reconditur. Reſtitutio tamen quæ extẽſione moderata fit, cõmunis omnibus eſt. Si non redierit genu, cùm re-
D tro quidẽ exceſsit, cõflecti nequit: ſed necp admodum id poteſt, cum alias in partes excidit. femoris uero et tibiæ pars anterior imminuitur: ſi interius prolapſum eſt, ualgiores euadunt: & exterior pars minuitur. ſi exterius, magis uari, & minus claudi efficiuntur. craſsiore oſſe geſtãtur: hiſcp ab interiore parte imminutio fit. ijs autẽ qui ab ortu, aut in auctione luxationem hanc patiũtur, eo modo quo ſuperius diximus, res cedit.

DE MALLEOLO.

67 Articuli circa malleolos luxationes ualida extẽſione uel manu uel alijs huiuſmodi adhibita

adhibita indiget, directioneq́ quæ simul utraq́ efficiat. sed hoc cõmune omnibus est.

DE PEDE.

68 Quæ in pede cõtingunt sicut in manu curantur. Qui uero cum tibia cõmunicationem habent articuli, si exciderint aut ab ortu aut in auctione, sicut in manu repositionem expetunt. Quicũq́ autem desilientes ex alto uehementer calce innixi sunt, sic ut ossa dissederint, & uenæ humores effuderint, & nerui fuerint contusi, atq́ hæc grauiter euenerint: periculum ijs est ne os sideratũ toto æuo negotia facessat. obtorta enim ossa euadunt, & nerui inter se cõmunicationẽ habẽt. quibus itẽ ex uulnere, uel in tibia, uel in femore, uel ex absolutione neruorũ q cõmunicant cum his, uel ex negligenti cubatione calx denigrata fuerit: ijs rebellationes cõtingunt: & interdum ad siderationẽ febres superueniunt acutæ, singultuosæ, mentem attentantes, & quæ celerem mortem afferant: uenarum item sanguifluarum liuores. Rebellantium ac recrudentium notæ sunt: si exuccata & denigrata, uicinaq́ his, subdura & subrubra sint. Si enim cum duritia liuida euaserint, ne nigrescant, periculum est. si subliuida, uel etiam liuida sugillata fuerint, mollia tamen & diffusa, uel subuiridia et mollia, in omnibus huiusmodi bona signa præ se ferunt. Curatio horum hæc est. si absit febris, ueratrum est exhibẽdum: si adsit, dandũ non est: sed loco potus mella est præbenda si opus sit. deligatio quæ articulorum est, conuenit: deligandaq́ omnia magis sunt. ad cõtusiones sicut pluribus linteis & mollioribus utendum ita minus cõprimendum est: pleraq́ calci circũuoluenda. Figuratio ea est seruanda quam deligatio requirit, ne uidelicet in calcem deprimatur: ferulis utendũ non est. At quibuscunq́ pes uel ipse excesserit uel cum appẽdice (in interiorem autem partem magis excidit) ijs si non reuersus sit, & coxa & femur & ea tibiæ pars tẽporis processu attenuatur quæ è regione luxationis est. repositio eadẽ quæ & primæ partis palmæ: ualidaq́ extensio adhibetur. curatio, quæ articulis conuenit si quiescant, minus quàm in manu recrudescit. quiescentibus uero tenuior uictus exhibẽdus est. Quæ aũt ab ortu aut in auctione cõtingunt, sicut superius cõprehensum est.

Deest explanatio.


SEXTI TOMI FINIS.

SERIES CHARTARVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Omnes sunt terniones.

BASILEAE, APVD HIER. FROBENIVM ET NIC. EPISCOPIVM M D XLIX




FRO BEN.